Ex libris [illegible] 1721
Cap. 138.

Digitized by Google

<36626368420018

<36626368420018

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA BELGICA NOSTRI POTISSIMVM TEMPORIS,

BELGII SVB QVATVOR Burgundis & totidem Auſtriacis Principibus coniunctionem & gubernationem breuiter:

TVRBAS AVTEM, BELLA ET MVTATIONES tempore Regis Philippi, Caroli V. Cæſaris filij, ad annum vſque 1598. plenius complectens, conſcripta: & Senatui, populo Belgico, poſterisq; inſcripta A. E. Meterano Belga.

Cum gratia & Priuilegio.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

HISTORIA BELGICA
NOSTRI POTISSIMVM TEMPORIS:

A TEMPORE PHILIPPI REGIS HISPANIARVM, CAROLI V. IMP. FILII, ad Annum vsque, M. D. XCVIII.

E. METERANVS BELGA LECTORI S. D.

Procemium.

BElgarum res gestæ atque locorum situs hac in primis de causa memoratu dignissimi, quod aliarum regionum, ob frequentia commercia consortiaq; maximè interfit eas scire. Sunt enim Belgæ commodissimè siti inter Daniam, Ostlandiam, superiorem Germaniam, Galliam, Angliam & Scotiam: quibus cùm mutuam mercaturam exercent, vtpote maritimi: commoditate prætereà fruuntur magnorum fluuiorum inter Amasim & Sommam, nempe Schaldis, Mosæ, Rheni, & aliorum nauigabilium, per Belgiam è longinquis regionibus in mare decurrentium: per quos totum circumnauigantes orbem, necessaria aduehunt, superflua quæq;, & opificum ac artificum opera auehunt: pisces in mari captos, non sibijpsis omino seruant, verùm tam recentes quàm sale conditos aliò etiam deferunt: huiusmodi lucro & vtilitate inprimis potentes, opulentæ & populosæ eorum vrbes aluntur, fouentur, magnificè extruuntur, sumptusq; faciunt: ita vt ex situ, commercio, frequenti nauigatione, insigni mercatura, artificioso-que opere, has regiones à populo libero & ingenuo, strenuo & industrio inhabitari conijcere liceat: quorum res gestæ memorari summopere mererentur.

Veterem Belgarum statum, ac Gubernationem, Lector curiosus ex Commentarijs Cæsaris, Cornelio Tacito, Hadriano Iunio, alijsq; Historiographis & Chronographis, si volet, petat: ex horum scriptis discet, quomodo Romanorum imperio primum subacti, eiq;

ſubditi permanſerint: Aliæ quidem Belgij Prouinciæ diutius, aliæ maiori cum poteſtate quàm reliquæ, pleræq́ maturius potioreq́ prærogatiua, quàm vicinæ libertatem nactæ: (vnde fit vt noſtra adhuc ætate hæ regiones legibus, priuilegijs & conſuetudinibus ſint diſſimiles) hoc in ſtatu Principes inprimis aptos & acceptos elegerunt, hæreditariaque poſſeſſione donarunt, iuſtis interim & æquis conditionibus, nempe vt ſeſe iure in libertatem vendicare liceret, ſi quãdo Princeps dominio abuteretur: liquidè id teſtificantibus Belgarum priuilegijs & conſuetudinibus: in quorum præſtantiam compertum quoque eſt, eos iiſdem erga ſuos Principes ſumma cum laude & vtilitate vſos, abuſos quoque ſæpè, ita tamen vt exitu ipſo probatum ſit (comparatione vicinarum regionum gubernationem propriam atque politiam & obedientiam iactantium) non obſtantibus crebris offenſionibus, turbis, ſeditionibus & oppreſſionibus, has gentes atque prouincias manſiſſe ſemper liberas, rerum omnium abundantia felices, eodem quo multis ante ſæculis vixerant ſtatu: cùm interim plurimæ aliæ regiones Belgis ſecundam fortunam inuidentes, leges eorum atque priuilegia irridentes, ſeditiones quoque exprobrantes, veteribus incolis & colonis orbatæ, ab extraneo inimico habitatæ atque poſſeſſæ ſint. Perlegant Itali, Galli, Hiſpani, Angli ſuas Hiſtorias, videant qui populi ab hinc ſexcentis, mille, & eo amplius annis eas hãbitarint terras, cuiuſmodi intereà temporis oppreſſiones, bella, ſeruitutes & exilia ſint paſſi: comperient, æqua collatione rerum facta, Belgij populos neque aſpernandos, neque ſeditioſos aut barbaros æſtimandos, non obſtantibus rebus raris, inſolitis & prodigioſis, noſtra hac ætate geſtis, quas ob oculos hic ponere decreuimus: quin potius integrè rem omnem perpendentes, eos verè antiquos, liberos, ſtrenuos & probos iudicabunt, cùm ſe erga hoſtes tam extraneos quam domeſticos, & Principes etiam tyrannos acerrimè defenderint, ſuamque libertatem in hæc vſque tempora incolumem ſeruauerint: opibus, fertilitate agrorum, & ſitu locorum adeò felices, vt etiam exteros Principes allicere, eiſque dominari poſſint: commoda & apta inprimis regio defenſiuis & offenſiuis bellis gerendis, imperij ſui finibus dilatandis,

vrbibus

Digitized by Google

vrbibus & agris in suam ditionem redigendis: quæ quidem res elato & arroganti Hispano per quàm notæ, eum ad quiduis in has prouincias moliendum vrgere non desinunt.

Hæc breuiter à me duabus maximè de causis commemorantur: tum ne Lector res posteà gestas perspiciens, eas iniquè aut indignè interpretetur: tum ne Belgæ animum prorsus despondeant: sed potius meminerint huiusmodi euentus plures, nunc quidem suo malo, nunc bono, olim eis contigisse, Belgia interim Belgia manente, atque incolis semper ijsdem seruatis: Hinc vtique sperandum, Belgiam eandem remansuram: cuius lætæ spei occasiones, si vnquam antea in pristinis disidijs & bellis, nunc profectò in præsentibus clarè affulgêt: Bella enim hæc nostra ætate, sub Philip. Rege religione & libertate patriæ permixta sunt, partibus vtrinque zelum suæ Religionis prætendentibus, alijs libertati patriæ extinguendæ, alijs conseruandæ studentibus. Verùm enimuerò videmus nunc Religionem synceriorem instar clarissimè exorientis Solis, atris & vmbrosis nubibus horridisque tempestatibus frustra reluctantibus, toti mundo collucêre, & tandem vbique terrarum victricem futuram: liquidò id vicinis regionibus probantibus atq; testantibus.

Quamuis autem his nubibus, tempestatibus & tumultuationibus, DEVS immensa sua misericordia vtatur, vt hoc modo, lucis splendore boni reficiantur atque illuminentur, mali dignè puniantur, ingrati impunes non euadant, iustos quoque & probos interdum grauiter affligi videamus: DEVS tamen iustus & bonus, nemini iniuriam facit, sed vnicuique pro meritis præmia largiri, & pœnas infligere, opusque suum sanctum coronare solet. Neque id mirum. Videmus enim nosipsos in rebus proprijs quotidiè errantes atque delinquentes, inimicis sæpè arma & occasiones, quibus nos lædant & deleant, nostris disidijs & incuria, suppeditare, vt hominum ingenia, diuerso Zelo agantur: his Religionis caussæ: istis, patriæ libertati & priuilegijs aliis

Digitized by Google

odio partium, auaritiæ, ambitioni, propriæ vtilitati & commmoditati intentis.

Primates, nobiles, magistratas rectam non omnes ingressi viam: licet quidam officio suo functi, se populi rectores (vt subalternos decebat Magistratus) repræsentarint, quo vulgus legitimè tyrannidi resistere posset: verùm multi ambitionis & gloriæ auidi rem benè ceptam deseruerunt: alij contra fidem & obsequium patriæ debitum tyrannidi administrandæ se dediderunt, pauci quidem zelo Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, plurimi verò vindictæ cupidine, & proprij lucri atque commodi gratia. Hos profectò omnes iusto Dei iudicio, tempore statuto, visitari & puniri, quosdam ad pœnitentiam, quosdam ad duritiam, alios violenta morte, alios vulneribus, morbis tam corporis quam animi, iactura facultatum, amicorum, cæterisq; malis & incommodis, mirum non est: vt nec præsentes hæ Belgij turbæ, nec aliæ apud vicinos antea visæ, admirandæ. Dubium verò non est, quin iustam causam fœlix maneat exitus: vt aliorum exempla satis superq; docent. Quicquid capit orbis, mutationi & consumptioni obnoxium: terrarum quoque imperia, non aliter atque vestes, teri, à Deo autem renouari, verissimum: Probant præterea Historiæ, regna & dominia omnia, certos annorum circuitus, & periodos, in quibus plerunq; mutentur, habere: idq; inter tertiam & quartam Regum & Principum progeniem frequenter fieri. Exempla longius nequaquam petenda. Constat enim Philippum Audacem Franciæ filium, Burgundiæ ducem, vxorem duxisse Margaritam Malanam, Ludouici Comitis Flandriæ, Arteſiæ, &c. totius Inferioris Germaniæ hæredis potentissimi filiam hæredem ex asse, anno 1369. Genuit hic Philippus Ioannem Intrepidum, Intrepidus Philippum Bonum. Bonus Carolum Pugnacem, in prælio Nanceio occisum, huius familiæ postremũ, vnica relicta filia Maria anno 1477. Inter Philippi nuptias, & postremi Caroli mortem lapsi anni 108. quibus hæ Regiones sub Gallorum imperio degerunt. Ab eo verò tempore, quo Maximilianus Austriacus Caroli Ducis filiam Mariam vxorem duxrt, sub quatuor Principibus præsens hic annus 1597. numeratur centesimus 20. Hinc videtur huic

quoque

Digitized by Google

quoq; familiæ & principatui mutationem minari annorum circulus vt tempus resque ipsa nunc satis docent. Verùm omnia Dei omnipotentis voluntati subiecta: in cuius etiam manu Regum sunt corda.

Mihi quidem libri huius scribendi causam dederunt amici quidam: qui cum me, mercaturæ exercitio interdum permittente, consilia, notas, narrationes, acta & gesta huius nostri temporis, ad Belgium præcipuè spectantia, colligere scirent; sedulò, ne operam & impensas perdi finerem, sed potius ea, quæ ex tam varijs verissima, optima & maximè necessaria excerpseram, in compendium quoddam redigerem, vtpote docto alicui Historiographo vsui inprimis futura, suaserunt: feci quidem id syncerè, easpe, eoq; voto, vt inde absoluta omnibus modis Historia de gestis maximè insignibus & memoratu dignissimis conscribi posset. Ad quam condendam multos animo propensos, verùm neminem debito perfectoq; ordine rem aggredi, intelligo, cùm tamen quibusdam, quos, quod scientia & experientia polleant, aliquid præstaturos sperabam, hanc meam operam obtulerim, & etiamnum offero lubens: vt perfecta veraque, qua posteri rectè instruantur ac doceantur, hinc componatur Historia.

Equidem profiteor me veram Belgam & patriæ saluti addictum, patriæ amatorem, tyrannidis osorem: spero tamen neminem me iure accusaturum, quòd quicquam de aduersæ partis integritate, sfrenuitate, æquitate mihi certò cognitum reticuerim: Quæ verò cognoscere non potui, ea nequaquam scribenda existimaui. Quod autem plura de Reformatorum & patriæ defensorum, quàm de partis aduersæ rebus gestis exposuerim, mirum haud quaquam est: quandoquidem plus commercij & familiaritatis mihi cum ipsis & maior indagandi ac percipiendi commoditas atq; opportunitas fuerit. Si pars aduersa idem tali probitate ac synceritate præstiterit, & quisque vtrinque quod habet, atque indubitanter scit, scripserit atque ediderit: procul dubio posteritas gesta omnia legere & liquidò cognoscere magno cum fructu poterit: sunt enim hic multa inprimis magnifica, rara, atque lectu digna: quandoquidem Dei Opt. Max. summam omnipotentiam, prouidentiam, iustitiam atque amorem demonstrent: maximè cum regiones adeò paruæ tam acri-

ter

ter & strenuè, potentissimo Principi atque vaferrimæ nationi, facultatibus valde paucis atque exiguis, si cum hostium copiosissimis conferantur, resistant. Accedunt præterea Religionis (rei profectò maximi momenti) & gubernationis atque dominij mutatio: regionum & ciuitatum excidium, & vastatio, populi dispersio, fames, exilium, clades & mors: thesaurorum ingentium dissipatio: gubernatorum & præfectorum militiæ egregia facta, & gentium militumque, qui vndique terrarum, allecti, missi & coacti, in Belgium venêre, res gestæ: non sine mirandis, rarisque crudelibus, desperatis, præclaris quoque, strenuis & summa laude dignis stratagematibus facinoribusq; : vnde probi virtute q; præstantes posteri, quibus nostrum hoc opus potissimum dedicamus, instrui ac confirmari possint. Id autem rude ac impolitum, vtpote succisiuo tempore negotiationi subtracto congestum, æqui bonique candide Lector, quæso consule. Fruere, & Vale.

E. Meteranus Antvverpianus.

FASTOS IN IMMANVELIDAE DIMETRII Caroli Vtenhouij Octostichon Neochthonis.

AD GENERE AVITO, PROPRIAQVE NOBILEM VIRTVTE, SIMONEM

LIPPIAE REGVLVM.
DOMINVM ET PATRONVM, SIBI COLENDVM IVGITER.

Nibonus IMMANVEL nos respexisset ab alto,
Christicolûm dicat turba superstes adhuc;
Nibonus IMMANVEL nos respexisset IESVS
Totum absorpsisset Christicolûm agmen IBER.
Nibonus EMMANVEL seruasset & IMMANVELEM
DEMETRIVM, vt patriæ conderet acta suæ,
PLEVMOSIDVM exanguis, qui corpora contegit idem
Nomen & Heroûm contegeret tumulus.

IN VBIIS. Anno. 1597. Calendis 7.

ΣΑΡΞ ΟΛΟΞ ὃν ΟΥΘΕΝ ϛαίρου ἄτιμον ΟΒΙΟΣ.

Digitized by Google

An. 1369.

ARGVMENTVM SEV BREVIS NARRATIO LIBRI PRIMI.

ROVINCIAE *Belgicæ per Principum ſuorum nuptias ſub quatuor ducibus Burgundiæ, in vnius impersum ſunt redactæ, atque ita hæreditate peruenerunt ad Mariam, Caroli filiam, nuptam anno 1477. Maximiliano Auſtriaco, qui eas aliquamdiu gubernauit non ſine turbis, quorum liberi Hiſpanias aliasq; regiones Belgio iunxerunt. Ex quibus natus Carolus V. fit imperator potentiſſimus & glorioſiſſimus. Lutherus cæpit docere, cui omnes ſe opponunt: Papa eſt Imperator. De Valore monetæ latæ leges. Belli geſtum contra Gallum. de hinc ex bello Germanico, aliud rurſum bellum natum cum Gallo. Philippus Princeps Hiſpaniæ ducit Mariam Reginam Angliæ, vbi religionem reformatam mutat & perſequitur. Cæſar in Philippum imperio omni belgico tranſlato, in Hiſpanias abit, vbi moritur Rex Philippus ſanum Quintini occupat, amittit Caletum. Poſt mortem Mariæ ſuccedit in Regno Angliæ Elizabetha, quæ iterum Religionem ibi reformat. Poſt maximos vtrinq; apparatus bellicos, pax inter Belgas & Gallos coaleſcit. Philippus rebus omnibus benè conſtitutis in Hiſpanias proficiſcitur, relicta ibi ad gubernacula, Duciſſa Parmenſi. Initium belli ciuilis in Gallia. Turbæ in Scotia. Præmia ſeu Brabria (vulgò Landiuweel) Antverpiæ publice propoſita Sodalitijs Rethorum, Sagittariorum, aliarumq; ſimilium artium profeſſoribus.*

DESCRIPTVRO Belgarum Res geſtas noſtri potiſſimum Temporis, operæ prætium viſum eſt paullò altius repetere, quibus modis Germaniæ inferioris Regiones multis ante ſæculis diuerſis Principibus parentes, quatuor Francorum dominorum Burgundiæ Ducum auſpicijs tandem ſint connexæ, & in vnum Principatum redactæ.

Ludouicus Malamus, filius Ludouici Niuernenſis, Comes Flandriæ decimus ſeptimus, Niuertij, Rhetelij, dominus Salinarum & Mechliniæ, paternâ: Comes inferioris Burgundiæ & Artęſiæ, maternâ hæreditate, ſuſcepit ex vxore Margareta Ioannis tertij ducis Brabantiæ filia, vnicam tantum prolem Margaretam, nuptam anno 1369. Gandaui minimo natu filio Ioannis Gallorum Regis, Philippo Valeſio, Duci Burgundię, nomen Audacis adepto, quod patri in prælio apud Pictones, anno 1356. aſsiduus manſerit comes, cum capto captus, & in Angliam ab Anglis ſimul auectus. Hic Philippus Audax, princeps magnanimus, ſtrenuus & ingenioſus, ter Carolo VI. Gallorum Regi auctor fuit, vt copioſo exercitu Flandriam inuaderet, ſuppetiasq; ferret Ludouico Flandrorum Comiti, ſuo ſocero, bellum toto ferè ſexennio contra Flandros, maximè Gandenſes, gerenti, vtrinq; partim iuſtis, partim iniuſtis cauſis prætenſis: quod tandem, Ludouico mortuo, Philippus principatum adeptus, placidè diremit.

Ludouicus Malamus. Margareta Brabantica.

Philippus Valeſius, vxore Margareta Flandra genuit Ioannem Valeſium, cognomine Intrepidum, Ducem Burgundię, Comitem Flandriæ, Artefiæ, &c. Antonium Valeſium, Ducem Brabantiæ, Limborgi, &c. Philippum Valeſium Comitem Neuerlij, &c. & præter hos, filias aliquot. Ioannes filius natu maximus coniugem duxit Margaretam, Alberti Bauari, Comitis Hannoniç, Hollandię, Zelandię, & Domini Friſiæ, filiam. Secũdus Antonius, inauguratus futurus Brabantiæ Dux, &c. vtpote hęres ſuæ amitæ, Ioannæ Ducis Brabatiæ, Ducis Ioannis tertij filiæ, nuptæ VVenceſlao Lutzenburgio, nulla gauiſæ prole: tametſi Brabantię Ducatus, Ioannæ morte, ad Ioãnem natu maximum deuenire debuerit: Dux enim Philippus, Domini VVeſemalij operâ, Ordines Brabantiæ eò pertraxerat, vt hunc ſecundum filium Antonium in Brabantiæ futurum Ducem inaugurarẽt, ipſis tradita Rienſi regione; cuius Antverpia metropolis; quæ prius Flãdrorum ditioni ſubdita, æterno fœdere tunc Brabantiæ iuncta eſt: Antonius verò Dux Lotharin-

Digitized by Google

Digitized by Google

tharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, &c. cum fratre natu minimo Philippo Niuerſio, bello Gallorum contra Anglos, in prælio Azincourtio, apud Morinos occubuit, Anno 1415. relictis duobus filijs Ioanne & Philippo: vtriſq; poſtea Brabantiæ Ducibus, ſed abſq; prole legitima mortuis: vnde Brabantia ad Ioannis maximi natu filios deuoluta, vt latius patebit. Philippus Audax obijt Hallæ opidulo Bruxellis vicino, Anno ætatis ſuæ 70. Chriſti verò nati 1404. Vir eminenti corpore præſtans, robuſtus, fuſcus: humeris, fronte & pectore latus: oculis cæruleis & grandiuſculis: facie prorſus virili: coma (eius ſeculi more) in humeros promiſſa: barba nigra raſili: naſo aquilino adunco: mento longiuſculo: ore paululum hiante: fano plerunq; corpore: vultu ſeuero: ipſe tamen comis & affabilis. An. 1369.

Antonius Brabantiæ Ch. frater Philippo Niuerſio prælio Azincurtio ab Anglis cæſo.

Philippi audacis Mors.

Ioannes Burgundus Philippi filius natu maximus, omnium paternorum matternorumq; dominiorum & regionum ſolus hæres, poſt patrem regnauit annos quindecim: vir audax & intrepidus. Anno 1396. miſſus à patre in Hungariam cum magno exercitu, comitatus pluribus nobilibus tam Gallis quàm Belgis, in ſubſidium Sigiſmundi Imperatoris contra Turcas, à Baiatſeto prælio ſuperatus & captus, ducentis coronatorum Francicorum millibus redemptus, domum redijt: Atque patris ſui partes acerrimè defendit in diſſidijs contra Ducem Aurelianum, Gallorum Regis fratrem, adminiſtrationis regni causâ, Rege Carolo ſexto certis temporum ſpacijs furore percito. His inimicitijs & diſcordijs, tádem tertio poſt patris mortem anno, Ducem Aurelianum Lutetiæ veſpertino tempore mulo vectum, an. 1407. interfici curat Burgundus: poſtero die coram Regio Senatu facinus vltro fatetur: rem quoq; omnem quatuor Flandriæ membris aperit, rationibus plurimis cædem merito factam aſſerens: quod Aureliæ Dux viuente Rege ad regnum per nefas aſperarit, duos Delphinos Regis filios natu maximos veneno necari procurarit: Regi præterea ſuo fratri infidiatus ſit, eiusque corpus faſcinarit: licere tyrannos è medio tollere: hæc & plura cauſatus Burgundus. Hinc tandem horrida bella: Ducis Aureliani prolibus confœderatorum potentia fretis, cædem patris vlciſci conantibus. Inter alia vero commemoratu in primis hoc dignum: quod anno 1418. Pariſienſes Burgũdo addicti. Ioanne Vilerio Liladamo Regulo cum Burgundico præſidio Pontoſæ diſpoſito accerſitis, atque in vrbem admiſis, ſummo odio in Aurelianos flagrantes, quod æquis conditionibus, præcipuè recuſante Comite Armigniaco, pacem inire nollent, magnum aduerſariorum numerum internecioni dederunt: occiſis Comite Armeniaco Francię Conneſtablio, Comite Grampræo Cancellario, Romontio, Guerreo, Epiſcopo Conſtantienſi, & alijs, numero centum ſexaginta viri: nobilibus, plebeis autem quatuor millibus. Procerum corpora nuda per vicos & plateas triduo continuo ignominioſe protracta & raptata, cuti crucibus Burgundicis inciſis: Ipſe Rex, dum hæc ageretur, Pariſijs erat, neq; ægrè admodum ferre videbatur: Carolus vero Delphinus, quem neq; Rex neque Regina flectere poterant, vrbe relicta, Aurelianis ſociatus. Interim Angli Rothomagum & totam ferè Normanniam in poteſtatem ſuam rediguntꝫ quibus dum Galli vnanimes reſiſtere ſatagunt, Delphinus & Aureliani, fictam pacem cum Burgũdo ineunt: qua iureiurando confirmata, locus colloctioni cõſtituitur Montleri oppido, ſupra Lutetiam, ad confluentem Sequanę & Ionæ: quo Burgundus duodecim tantum viris nobilibus comitatus venit, ad pontem ſcilicet ſæpimentis inædificatis clauſum: ibiq; honorificè, nudo capite, in dextram genu recumbens, vt moris erat, Delphinum ſalutans, à circumſtãtibus, Delphini iuſſu, qui & ipſe gladium ſtrinxerat, conſeſtim interimitur. Quæ quidem cædes, menſæ Septembri, anno 1419 perpetrata, diuturni diſſidij, & belli inter Gallos & Burgundos ſedecim annis geſti, occaſio fuit (Anglis interim tota ferè Gallia armorum vi potitis) donec tandem Ducis Philippi Ioannis filij pietate & clementia, cædes expiata, atque animi placati.

Niuerſio præl. Azincur. cæſi.

Philippi audacis Mors.

Mors Ioannis Intrepidi.

Occubuit itaque Ioannes Burgundus dictus intrepidus, ætatis anno quadrageſimo octauo, regiminis decimo quinto. Princeps magnanimus, inſolens, quietis impatiens, vindictæ cupidus, audax, bellicoſus: vno prælio triginta Leodienſium millia cecidit: dilectus à nobilibus & plebeis. Statura mediocri, corpore craſſo, robuſto & neruoſo, valetudine proſpera, facie carnoſa, fronte anguſta, oculis paruis cæſijs, aſpectu feroci, coma & carne fuſca, patri matriq; ſimilis, naſo & mento longiuſculo, ore (minus patris) hiante, vultu intrepidum animum arguente.

Ioanni Burgundo ſucceſsit vnicus filius Philippus Valeſius, ætatis ſuæ anno vigeſimo tertio, dictus Bonus, erat enim Princeps benignus, cordatus, atq; ingenuo pollens: vltioni mortis paternæ animum ſtatim intendit: in Gallias profectus Regem adit, bellum inter Gallum & Anglum dirimit, ea lege, vt Henricus V. Anglię Rex, Catharina Caroli ſexti Galliæ Regis filiâ vxore ducta, ei in regnum ſuccederet, Carolo Delphino (prædictæ cædis causâ) excluſo atque exhæredato: hoc matrimonio natus Henricus ſextus Angliæ Rex, qui patre Henrico, & auo materno Carolo mortuis, puerili ætate Rex Angliæ & Galliæ coronatur. Bellum itaque Angli, Burgundi, & Galli in Delphinum gerunt: qui poſt patris ſui mortem titulum Caroli ſeptimi Gallorũ Regis ſibi aſſumit. Verum poſtea diſsidio & inteſtino bello in Anglia gubernaculi atq; tituli regni gratia, inter Familias Laucaſtriã & Eboracenſem, nominibus albæ & rubræ roſæ diſtinctæ

Eius forma.

Digitized by Google

flinctas, exorto: Anglis paulatim posſeſsiones in Gallijs adęptæ: Philippus quoq; ab Anglis alienior factus, eaq; inter plures alias) maximè de causa, quod Angliæ Gubernator Dux Glocestriæ, patruus Regis, vxorem duxisset Iacobam filiam atq; hæredem Hannoniæ, Holandiæ Zelandiæ & Frisiæ, cui terra erat discordia cum marito suo superstite Ioanne Brabantorum Duce, eius nomine quarto (Philippi Burgudi fratris filio, Iacoba quoq; aunculi sui filia) quem diuortij quadã specie reliquerat, nuptias causata incestas, quod amitini essent. Glocestrius armata manu in Holandiam, posteà in Zelandiam, vxoris suæ ditiones posſeſsurus, irrumpit, sed frustrà: ægerrimè id ferente Philippo, quod Hannonia, Hollandia, Zelandia & Frisia ad eum, mortua sine prole Iacoba, deuenire deberent. His alijsq; de causis Philippus consultò, se ad reconciliationem cum Delphino (rune Rege) induci, nó est grauatus: Rex enim, Papæ & Cardinalium, Dei vindicã propositã Ducem impellentium, intercessione, indefinenter quibusuis conditionibus Duci reconciliari studebat, excusãbatq; eædem suę iuuentæ inconsideratæ ætatem, & mali consilij auctores præcipuè causatus: Pax itaq; post tredecim annorum bellum, Atrebati compositã, anno 1435. summo Philippi commodo & honore, qui hinc multas regiones & ditiones, vltionem quoq; & insignem satisfactionem de patris nece assequutus est: Huius tam candidæ pacificationis aliarumq; egregiarum virtutum ergo, Philippus cognomine bonus dictus: maximè autem quod Ducem Aurelianum (cuius pater ab huius patre trucidatus, vnde capitale odium primò ortum) viginti quinq; annos, à fratrio Azincourtio; in Anglia carceri mancipatum, ducentis mille coronatis redemerit: sororem præterea suam Mariam vxorem ei dederit: quibus beneficijs inimicitias ob eadem factam, prorsus extinxit.

An. 1548.

Gloceſtrius dux t Iacobã Hannoniæ &c Hollãdiæ, etc. comtiſſam.

Pax Atrebatenſis.

Philippus Bonus, primo Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ inferioris Burgundiæ, Artesiæ, Palatinus Sacri Imperij Marckgrauius, Salinarum & Mechliniæ Dominus, multis ditionibus posteà auctus fuit. Morte enim Theodori Comitis Namurcensis, Comitatum Namurcensem anno 1429. ęterea cognati sui Philippi, Ducis Brabantiæ absq; liberis defuncti, Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ insuper Iacobæ suæ consanguineæ sine prole mortuæ, Comitatum Hannoni, Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ ditionem nactus est. Postremò quoq; Ducatu Lutzenburgensi potitus anno 1443. Elisabetha enim Dux Lutzenburgi, vidua Antonij Brabantiæ Ducis, Philippi patrui, cum subditos suos sibi minus obedientes ægrè ferret. Philippo tanquam tutori posſeſsionem suam tranſtulit, certa pensione annua sibi reſeruata. His modis, illustres prouinciæ, Burgundia vtraque, Brabantia, Limburgum, Lutzenburgum. Flandria, Artesia, Hannonia, Namurcum, Hollandia, Zelandia, Frisia, Mechlinia, & Sacri Imperij Marchionatus, vni & soli Philippo obtigerunt.

Philippus Bonus primus Dominus Namurcenſis, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ & Luzeburgenſis.

Bella varia gesit earum regionum causã: Gandauenses & Leodienses domuit: Ordinem Aurei Velleris, tempore quo Isabellam Lusitanam vxorem duxit, anno 1430. Brugis instituit, triginta Equitum auratorum honestæ & integræ vitæ, qui numerus posteà auctus est: statuit præterea Regimen aulicum certis officijs, quod Hispanica & Austriaca familia in hanc vsque ætatem obseruat.

Inſtitutio Ordinis Aurei Velleris. Anno 1430.

Fuit Philippus vir bonus, magnificus, sumptuosus, splendidus corporis ornatu, supellectile, conuiuijs, & similibus: bellicosus & audax, pacis tamen amantissimus: hosti formidabilis: ita vt Turcarum Rex Mahometes neminem mortalium æquè atque Philippum timuerit: eius necessitudinis studiosi Angli, Galli, Pontifices, Imperatores, Reges, Duces, alij; Principes, summam viri benevolentiam & liberalitatem non semel experti: & quamquam munificentissimus, sumptuosissimus, atque bellicosissimus (cum quadraginta octo annos continuos bella gesserit, arduaque superarit) acerbis tamen exactionibus subdit os suos non grauauit, florentibus summopere omni rerum abundantia regionibus. Reliquit legitimum filium hęredem vnicum Carolum, nothos autem quatuordecim, quos ad summos honores prouexit. Obijt Brugis Anno Christi 1467. ætatis autem suæ 72. posquam rexisset annos 48. omnium honorum, statuum & dignitatum affluentissimus, vtpo te cui (recusanti tamen) etiam Sacrum Romanum Imperium offerretur.

Vxules Philippi Boni

Vers.

Forma.

Defuncto Philippo Bono succesit in gubernationem inferioris Germaniæ Carolus eius filius, ætaris suæ anno trigesimo quarto: dictus Pugnax, ob continua bella contra Gallos, superiores Germanos, Lotharingos, Leodienses, Heluetios & plures alios: quorum quidem bellorum causa subditis suis exactionum onera grauiora, quam Philippus pater, imposuit.

Carolus pugnax.

Hæreditarijs suis regionibus à patre relictis, Ducatum Geldriæ, & Comitatum Zutphaniæ à Duce Arnoldo Egmõdano nonaginta duobus Coronatorum millibus emptos adiunxit. seruante Arnoldo annuam pensionem ad vitam: quam quidem venditionem Arnoldus moriens testamento suo ratam esse voluit, Carolo Duce hærede instituto, exhæredato autem filio suo Adolpho, ob summam eius in patrem contumaciam & rebellionem: toto enim fexennio patrem miserrimè captiuum detinuerat: Hinc Carolus Dux, mortuo Arnoldo, octoginta in-

Carol. auſtrii Ducatum Geld.

Digitized by Google

An. 1469. super mille florenis empta actione à Gerardo Iuliacensе Duce, filijs VVilhelmo & Adolpho cõsentientibus, atq; Imperatore Frederico tertio cõcedente. An. 1473. 20. Iunij. Geldriq; possessionem nactus est, Adolpho in carcere Cottraci conjecto: qui post Caroli mortem ereptus, & dux militiæ contra Gallos factus in obsidione Cornacensi occidit: relicto vnico filio Carole, qui postea Bethunæ cum Comite Engelberto Nassouio à Gallis captus, tandem ab ijs in Geldri am mittitur: bellumq; contra Maximilianum Cæsarem, Philippum Hisp. Regem, & Carolum V. Cæsarem gerit, vsque ad annum 1536. cum dirempta omni controuersia, Carolum Cæsarem secundò hæredem, post suam mortem instituit: mortuus sine liberis anno 1538.

Fuit hic Carolus Burgundus homo rigidus, seuerus, magnanimus, supra modum præfractus, quod tandem illi summo malo fuit, valde præterea ambitiosus, animo insignem sui imperij propagationem meditans, spe acquirendi Lotharingiam, Sabaudiam, Heluetiam atque alias regiones, vt sic via pateret libera, ad Italiam & alias terras domandas: qua de causa Franciæ, superiori Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ, Angliq; omnibus denique vicinis Principibus, eius amicitiam appetentibus, terrori fuit: Tandem callidissimi Ludouici vndecimi Gallorum Regis operâ, à Lotharingis, & Heluetijs tribus prælijs superatus, tertio autem interfectus, obsidione Nanciana anno 1477. quinto Ianuarij. post diem tertium in fossa congelata nudo & glacie rigido corpore inuentus est. Hucautem calamitatis præcipuè deuenit, proditione perfidi Comitis Itali Campo bassij, qui eo infidelitatis à Rege Ludouico inductus erat. Carolus enim ministeria extraneorũ potiora quam suorum subditorum, hac in primis de causa habebat, quod opera communitatis Flandriæ patri in obsidione Caletana, & auo in Hannonia apud Veromanduos minus fœliciter successisset.

Ea, quam dixi, clade Carolus ille magnanimus, totius Christiani orbis. dum viueret, potentissimus & bellicosissimus Princeps interemptus est, à paupere & tenui Heluetiorum plebe, & Duce Lotharingiæ viginti annorum iuuene: ille inquam, Carolus, qui se alterum Alexandrum aut Carolum Magnum suis heroicis factis euaturum, sperabat, hoc modo succubuit, cùm regnasset annos decem, anno ætatis suæ quadragesimo quarto, relicta vnica filia hærede Maria.

Forma. Erat Carolus mediocris staturę, paululum suo patre breuior, robustus, firmis ossium compagibus, carnosus, facie nonnihil oblonga, fronte ampla, oculis fuscis, intuitu acri & virili, naso longo ac inferius crassiore, mento quoque longiusculo, colore pallidiore sed mediocriter, coma, barba, & supercilijs fuscis. Paucos suæ ætate pares habuit fame, siti, frigore, calore & laboribus ferendis: non mulierosus, verum castus, temperans & bellicosus: rigidus in pauperum oppressores: iustitiæ obseruantissimus.

Hactenus paucis commemorauimus quibus modis hæ Germaniæ inferiores regiones, à quatuor nobilissimis & potentissimis Principibus, sub vno Principe tanquam capite, Ducatui Burgundico variè annexæ, & titulo Burgundicæ domus simul insignitæ sint: quæ vltimi Ducis Caroli Pugnacis morte, vnicæ suæ filiæ hæredi obuenit: ferè autem pessum iuit: ademit enim ei Rex Galliæ Ducatum & Comitatum Burgundiæ, Vicecomitatum Auxoniæ, Dominia Salinorum & Noerlij, Comitatus, Massonnensem, Charloisium & Auxerrensem. Picardiam, Ponthi acum, Bolloniſium, & ciuitates ad fluuium Somiam sitas, &c. præterea Atrebatum, Tornacum, pleraque alia loca: quod hæc omnia tanquam bona feudalia à Galliarum rege profecta, fœminę possidere non possent, huiusmodi causas prætexente Gallo. Neque difficile ei fuit has possessiones inuadere, nam virorum nobilium, auctoritate præstantium, & militarium, maxima pars postremis bellis & prælijs cæsa aut capta erat: quosdam quoque ne quid adferrent detrimenti, inescabat, vt Antonium & Balduinum Burgundos, nothos, bello strenuos. Prouincias rum præterea gubernatores atque administratores, prætextu nuptiarum filij sui Delphini, cum Maria Caroli filia, in suas partes callide pertrahebat: arte quoque & dolis tumultus atque seditiones in Flandria (Flandris fœdus & connubium cum Gallo recusantibus) concitare satagens. His, vt dixi, modis Burgundiæ Ducatus à Germania inferiore separatus, terminiq; Belgici contracti atque depressi: donec auxilio familiæ Austriacæ (nuptâ Archiduci Maximiliano hærede Maria) partim recuperati instauratique.

Maria Burgundica. Maria Valesia Caroli Pugnacis vnica filia, hæres Burgundiæ, & inferioris Germaniæ, nupta Maximiliano Austriaco Friderici tertij Imperatoris filio, Gandaui, 18. Augusti, anno 1477. Fuit Maximilianus Princeps in primis clarus, strenuus, & ingeniosus: vigesimo ætatis suæ anno,

Eius nuptiæ cum Maximiliano, Austriaco. Maria vxore ducta, statim Gallo, ne plura inuaderet, restitit, multa oppida aliaque loca recuperauit: victor præterea Gallos secundo admodum prælio Guinegathensi non procul à Therouana superauit, summa potissimè Flandrorum militum hastatorum strenuitate. Ordinem aurei velleris (Burgundicæ familiæ clarita em atque amplitudinem) restituit, Anno 1478.

Quinto coniugij anno Maria equo quo vehebatur decidens, grauiter læsa, obijt mortem, relicto

Digitized by Google

An. 1480. licto filio Philippo, anno 1478. nato, & filia Margareta. Mox post eius mortem generalis pax inita cum Gallo, decreto cõnubio Margaretæ cum Delphino Franciæ: verum Delphini, qui tamen postea, Margareta nondum nubili ad patrem remissa, vxorem duxit filiam & hæredem Britanniæ, quam Maximilianus coniugem accipere statuerat.

Ciuile bellum in Belgio contra Maximil. & causæ.

Post Mariæ ducis obitum, dissidia, seditiones & bella in inferiori Germania, maximè autem in Flandria, inter Maximilianum & Prouincias oriuntur: quæ quod nostri ævi turbis & tumultibus absimilia non sint, paucis hic referre non inutile puto.

Dissidij prima causa fuit administratio regionum, & tutela Philippi pueri Archiducis Maximiliani filij, quem pater cum omnibus suis ditionibus, pro suo imperio regere volebat: quod subditi, Statuum cõsilio, aliquatenus, minore annis Philippo; permisere. Hinc, post multas turbas atque seditiones, sequentium articulorum reus accusatur Maximilianus.

Causa Belli

Quòd publicam patriæ pacem cum Gallo pactam rupisset: quam vt absque Statuum consensu conficere, ita rumpere ei minimè licitum erat.

Quòd à suis diuulgatũ esset, eum in animum induxisse, Brabantiam, Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & Frisiam ab alijs Prouincijs alienare, veroq; hæredi suo filio adimere, tanquam feudalia bona Imperij, in quæ fœmineꝰ non succedunt, Caroli Ducis post remi morte ad Fredericum Imperatorem suum patrem iure deuoluta.

Hæc autem verissima esse, liquido constabat ipsa postulatione Louanij deputatis siue designatis quatuor primariarum ciuitatum proposita, qua certam pecuniæ summã à Brabantis, Hannonijs, Hollandis & Zelandis exigebat: hos verò desiginatos super his alijsq; rebus Mechliniæ consultantes capi & Viluordam auehi iubet, quod pacem cum Gallo fecissent. & certum fœdus inter Brabantos & Flandros meditarentur: tandemq; consilio & instinctu extraneorum quorundam Consiliariorum auaritia ardentium, fere omnes, vt cæteris metum incuteret, capite truncari, aut in exilium agi mandat: infelicem eorum casum, præcipuè autem Nicolai Huetfeldij, plurimis summopere dolentibus atque miserantibus.

Quod cimelia & pretiosissima quæque Burgundicæ domus, quæ plurima erant, dissiparet & alienaret, dominia quoque oppignoraret.

Præterea sibi ius proprietatis & Dominij in regiones arrogaret, se titulo ducis, Comitis & Domini decoraret, earumq; insignia arma gestaret, suo quoque nomine æs cudi & signari, nulla filij tutelæ facta mentione, procuraret.

Extraneis & alienis munia siue officia detulisset, eaque pretio & mercede locasset.

Prouincias bello vexaret, prætextu subditos & rebelles puniendi: cum tamen ei subditi non essent, nec rebelles proinde dicendi: huius quoque controuersiæ & litis causa Curiam Regis Franciæ, tanquam supremi iudicis, appellare debuisse.

Hi plureſque articuli, totius dissidij, vnde seditiones & bella orta, præcipuè causæ fuerunt.

Maximilianus Denremondã, postea Oudenardam & alia loca capit: depopulantur vastant que sui superiores Germani milites regionem VVasianam, prædamq; Antverpiæ (ciuitate hac Maximiliani partes tenente) vendunt: bello quoque nauali certat: Biervlietum obsidet, sed in Zelandiam statim fugere coactus. Gandenses, Comes Romondus, Rauesteynius ijque nobiles viri Burgundicæ familiæ cognatione & affinitate iuncti, auxiliaribus alijs regionibus, non tantum terra, sed & mari eum acriter infestant. Sluisianis omnia diripientibus, Vlisingamque die ipso Pentecostes spoliantibus & vastantibus, Gualtero Dombergio in templi adytis occiso. Franciscus Bredenrodius vir nobilis acre bellum in Hollandos & Zelandos intendit: VVestcapella: Zirckzeum aliaq; loca capta: Ex Hollandia & Zelandia Antverpiam nauigare sine valida conductorum manu periculosissimum: Sastingæ arx, plurimaque alia propugnacula extructa.

Tandem decisione facta, Archidux puer Philippus Gandaui detentus, in patris tanquam tutoris & curatoris potestatem traditur, ea inter alias conditione, ne absque Statuum consilio aliquid ageretur. Verum pacta non diu seruata. Maximilianus enim interea Romanorum Rex creatus, ex superiore Germania in Flandriam rediens, Cassantium, inde Sluisam venit, suis hic grassari & in Flandricum populum sæuire incipientibus, non sine magna grauiorum facinorum suspicione: postea vi armata Brugas intrat. Hic rursus pax, Frederico Imperat. patre suo præsente, constituta. Sed cum initio anni 1488. Antverpia Brugas, satellitũ multitudine stipatus, militibus præterea plurimis circumcirca dispositis, redijsset: Brugenses violentiam veriti, hospitium ei arcem Cranenburgicam designant, vbi eum magnificè, pro sua amplitudine excipiunt, non sine custodibus tamen: ministros eius omnes grauiter suspectos, aut captos detinent, aut à domino separant, inprimis Cancellarium Burgundiæ, Abbatem diui Bertini, Dominos Polheymij, Comitem Philippum Nassouium, Dominum Dugellium, & Matthiam Paijartum duorum postremorum, & Petri Lanckhalsij sui Thesaurarij, aliorumque, quorundam ceruicibus tandem incisis.

Tum

Digitized by Google

AN. 1480. Tum demum conuocato Statuum Generalium & Conſanguineorum Burgundicorum conſilio, pax noua 16. Maij, anno 1488. decernitur: Pontifice Romano dirum anathema Flandris minante. Huius poſtremæ pacis conditionibus Maximilianus Romanorum Rex omni cuſtodia liberatus, obſidibus datis, Conſanguineis Burgundicis, inprimis Duce Cliuio, Domino Rauesteynio Conſanguineo Burgundico, mandat atq; permittit vt & bellum contra ſe gerat, niſi pacificationis articulos omnes exactè obſeruet. Fredricus autem Imperator, nuncio de filij ſui captiuitate accepto, cum exercitu potenti è Germania aduenit, Ducibus Saxoniæ, Bauariæ, Brunſchvvichij, Marckgrauijs Brandenburgenſi & Badenſi, Lantgrauio Heſſo & alijs Comitatus, pacem ratam habere recuſat, Gandauum quadraginta dies obſidet: hîc Marckgrauius Brandenburgenſis arcubaliſtæ telo ictus: poſtremo cernens Imperator ſe ſuo exercitu nihil aut parum exequi, & filium liberum & incuſtoditum à Flandris dimiſſum, obſidionem ſoluit, agriſq; depopulatis in ſuperiorem Germaniam cum Maximiliano reuertitur, relicto ibi Alberto, Duce Saxoniæ vicario exercitus præfecto, qui plurimis Anglis militibus ſibi aſſociatis, longo tempore bellú contra inferioris Germaniæ regiones geſsit: & Sluſam obſedit: Neoportum quoq; à Cordeo, ibidé vulnerato, militum non exigua copia cinctum: Gandenſes Dixmudam ex improuiſo capiunt. In Brabantia Buſcoducenſis ciuitas neutri parti addicta: Louanium, Bruxella, Thenæ Rauesteinio, Conſanguineis Burgundicis & Flandris: Antverpia verò, Mechlinia & Lira Alberto Saxoniæ Duci operâ præſtant: Infeſtiſsimis animis vndiq; rauiſsima damna inimicæ parti inferuntur. Præſidia Bruxellenſia Viluordam vi capiunt, diripiunt & exurunt. Saxo violenter occupat Louanium, Arſchotum igne delet. Thenæ & alia loco deſtructa: peſte & dira luè alijſque malis vbique locorum graſſantibus. Sæua & deformis toti regioni facies: donec prouectioris ætatis Archidux Philippus circiter annum 1492. turbis ſedatis & pace conſtituta, vbique Princeps inauguratur & rerum habenas accipit. Frederico autem Philippi auo mortuo pater Maximilianus factus Imperator anno 1494. has regiones conſilio & opera plurimù iuuit: erat enim vir ſtrenuus & ingenio pollens, dilatandis imperij finibus; ſi vires & facultates vberius ſuffeciſſent; inprimis idoneus.

Maximilian. Cuſtodia liberatur.

I. Philippus Archidux inauguratur.

Monetæ valor. Maximiliano inferiores regiones gubernante, ſiempe an. 1489. numiſmatú eſtimatio tertia ferè parte intenſa eſt & remiſſa: Decreto enim Liræ & Bredæ ſtatutú erat, vt floren. duplex valoris 40 ſtuf. in communem vſum cuderetur. Floren. Andr. quoque eo pondere & pretio quo iuſſu Ducum Philip. & Carol. antea percuſſus erat. xx. ſtuf. medius autem pro rata portione. Fecit præterea Maximil. cudi uumos 4. ſtuf. 2. ſtuf. vnius ſtuferi, medij & quartæ partis: minutias etiam æreas, vulgo curtas & mitas dictas. Tunc quoq; conſtitutum, vt Coronatus ſolaris Franci cus 71 in beſſe ſiue marca, valoris xx iiii. ſtuferorum in vſu eſſet: & 72. & 73. in marca, 23½. ſtuferorum. Leo aureus 58. & 58¼ in marca, xxx ſtuferorum. Nobilis roſatus 32 & 32¼ in marca, Lvi. ſtufer. Angelotus 48. & 48¼ in marca xxxvii ſtuferorum & 16. mitarum. Nobilis Henricus 35½. & 36. in marca, L. ſtuferorú. Ducatus Hungaricus 69. & 70. in marca. xxvi ſtuferorum, Florenus Germanicus 74. & 75. in marca, 18½. ſtuferorum: & quæuis alia, tam argentea quàm aurea pecunia, pro rata portione.

Philippus I. Rex et Archidux. Philippus Auſtriacus, inferiorum Germaniæ regionum hæres, vxorem duxit Lirę Ioannam Hiſpanam, an. 1496. Philippi ſoror Margaretha Auſtriaca, an. 1497. in Hiſpanias vecta, nupſit Ioanni Caſtiliæ vnico Principi, Ioannæ Hiſpanæ Philippi vxoris fratri: cui filium peperit: patre autem & nato eodem anno mortuis, diuerſa Hiſpaniarum regna Philippi Auſtriæ Ducis vxori Ioannæ natu maximæ filiæ hæreditate obuenerunt. Hac matre geniti, Gandauian. 1500. 24. Feb. Carolus poſtea Imperator, eiusnominis V. Ferdinandus, & IV. filię: Leonora Emanueli Regi Portugalliæ primò, poſtea Fracifco Regi Gallię nuptæ Catharina Ioanni Regi Portugalliæ: Iſabella Chriſtierno Regi Daniæ, Suedię & Norvvegiæ: Maria Ludouico Regi Hongariæ. Philippus Auſtriacus iam Hiſpaniarum Rex, per Franciá Hiſpanias petit, ibiq; variorum Regnorum coronis redimitur: indeper Italiam rediens, ſororem prędictam Margaretam, iam Duci Subaudiæ vxorem, in Germania autem patrem Maximilianum inuiſit.

Carolus quin tus natus.

Annona vilitas. Philippi tempore, ann. 1510. tanta fuit annonę vilitas in Zelandia, vt octaua pars menſurę tritici, anſer ſaginatus, libra Butyri, poculum vini Pictauienſis ſimul emerentur ſex ſtuferis, non multo amplius quàm quarta parte Francici coronati tunc æſtimatis.

An. 1505. Philip. Hiſ. Rex, Gubernatore Belgij D. VVilhelmo Croyo (domino Cheureſi & Arſchoti) conſtituto, Hiſpanias cú vxore repetens, & pelagi tempeſtatibus actus, in Anglia magnificètiſsimè à ſorore ſua eiuſq; marito excipitur: In Hiſpanias reuerſus moritur an. 1506. an. ætatis ſuæ 28. Fuit Philip. Princeps probus, pacis amans, voluptuoſus, ciuilis, libertatis ſtudioſus. Bellum memorabile nullú geſsit præterquam in Geldros: Carolum Geldriæ Ducé pacem feci facere coegit: Carolus autem poſt Philip. Belgio diſceſſum, eá violat, valido exercitu Brabantiá inuadens Tournhautú in Cápinia depopulatur: poſtea Leodiéſi adiutus milite, Dieſthemiú occupare fruſtra tétat, Comite Naſſouio reſiſtente: Halenú verò igne delet, & Thenas vi ſuperat.

Philippi mors

Margara-

Birham sculp. et excud.

CAROLVS QVINTVS IMPRATOR CAESAR AVGVSTVS.

Digitized by Google

An. 1548. Margareta Auſtriaca ſecundò vidua,& Sabaudiæ doctaria, poſt hæc Belgij Gubernatrix decernitur:quæ conſilio & opera ſui patris Maximiliani Cæſaris ſapienter & placidè ſatis pupilli Caroli Archiducis terras defendit & rexit.

Margareta gubernatrix Belgiæ.

Anno 1513.Henricus octauus Angliæ Rex per Caletum in Flandriam venit, Galliam bello opprimere paratus:huic Cæſar Maximilianus & Belgarum nobilitas ſocia arma jungunt,atque primò grandem cladem Gallis inferunt.Poſtea Anglus Terouanum & Tornacum vi capit:verum cùm poſt ſeptennium Gallo Tornacú reddidiſſet,Comes Henricus Naſſouius Caroli Auſtriaci nomine idem ſtrenuè expugnauit.

Carolus V. inauguratur.

Anno 1515. Carolus Archidux Gandauiá VVilhelmo Croyo Domino Cheureſij & Arſchoti,probè educatus,& ab Adriano Florenſio pædagogo, poſtea Cardinale & Pontifice eius nominis ſexto, optimè inſtitutus,in Brabantia & alijs ſuis hereditarijs regionibus inauguratur, decimo quinto ætatis ſuę anno. Anno autem 1518.in Hiſpaniam nauigat,varia ibi regna hereditate relicta accipit:amita ſua Margareta Belgij gubernaculum continuante.

Martinus Lutherus.

Anno 1519.Cæſar Maximilianus Caroli auus moritur,qui vt potuit,imperiale ſceptrum nepoti præparauit:Carolus enim eo defuncto,abſens(erat tum in Hiſpanijs) Francoforti Romanorum Rex,& Imperator eius nominis quintus eligitur.Anno 1520. in Germaniam inferiorem reuerſus Aquiſgrani Roman.Rex,poſtea Bolonię Rom.Imperator à Clemente pontifice coronatur.Comitia VVormatię celebrat:Hic Martin⁹ Lutherus Monachus Auguſtinianus, fide publica ſecuritatis præſtita,comparuit,qui contra Pontificis poteſtatem, indulgentias, diplomata,& Catholicam Romanam Religionem multa docuerat & ſcripſerat, hominis ſaluté in Chriſti tantum morte collocans:omnes interim alios piacula expiandi & pro peccatis ſatisfaciendi modos refutans,his & id genus multis alijs vulgari lingua typographiæ commiſsis, & publicè editis.Coram Imperatore, in comitijs præſens doctrinam,libros & ſcripta ſua acriter defendit,atque rata aſſeruit,niſi ſacræ ſcripturæ argumentis refutarentur: nihilominus tamen ipſe cum ſuis atq; ſectatorum ſuorum libris, tanquam obſtinatæ hæreſeos damnatur. Hic primum illud placitum conſtituitur, & edicitur, quo capitis & indemnantur quicunq; aliter quàm Romana Eccleſia de fide ſentirent, huiuſmodi hæreticos libros penes ſe haberent,aut hæreticos hoſpitio receptarent,&c.Ex quo quidem placito plura alia poſtea conflata, quorum rigore multa hominum millia capite & bonis mulctati: horum mors,& pœna,mortales in primis curioſos & auidos ſcrutandarum ſcripturarum reddidit, vt hac noſtra ætate ſatis ſuperque liquet:acceſſit præterea ars typographica , quæ Carolo imperante doctiſsimum ſeculum reduxit.

Primum placitum in Lutheranos.

Monetæ valor.

Anno 1520.regnante Carolo fuit valor numiſmatis multo intenſior,quam anno 1489.ſub Maximiliano: ita vt toleratione ſtatuta,Regalis puri auri 46. in marca,taxaretur æſtimaretur-que 60. ſtuferis.Florenus Carolinus 84. in marca, 20.ſtufer.Nobilis roſatus 32.in marca, 82½. ſtufer.Nobilis Henricus 36.in marca,75.ſtufer:Angelotus 48.in marca,57.ſtufer.Leo aureus 59. in marca,44.ſtufer.Ducatus Italus & Salutus 72.in marca,38.ſtufer.Floren⁹ Andreæ 74.in marca,29. ſtufer .Coronatus ſolaris Francicus 72.in marca, 36. ſtufer.Florenus Germanicus 75. in marca,28.ſtufer . Regalis argenteus Hiſpanicus 3¾. ſtufer. Vellus 3¾. ſtuferis, & alia pro rata portione.

Anno 1526.tantum rurſus numiſmatis ortum incrementum,vt pecuniarum pretium tres circiter menſes ſequenti hac auctione toleraretur.Regalis aureus taxatus 68.ſtuferis,florentus Carolinus 224 ſtufer.Nobilis roſatus 97 ſtufer.Nobilis Henricus 86.ſtufer.Angelotus 65. ſtufer. Leo aureus 50 ſtufer.Ducatus Italus & Salutus 43.ſtufer.Florenus Andreæ 33.ſtuferis.Coronatus francicus 40 ſtufer.florenus Germanicus 32.ſtufer,&c.ea conditione,vt prima die Martij anni 1527.redigeretur ad veterem valorem anni 1520.Anno autem 1531.pretium anni 20 . rurſus placito conſtituto renouatum,atque continuatum vſque ad annum 1548.quo Regalis aureus permiſsus 63.ſtuferis.Angelotus 60.ſtufer.Coronatus francicus 37.ſtuf . Burgundicus autem 38.ſtuf.Nobilis roſatus 90.ſtufer.Nobilis Henricus 80.ſtuferis.Anno 1552.alia rurſus permiſsio publicata,nempe.Ducatus duplex 84.ſtufer,Cruſatus Portugalliæ 40.ſtuf. Piſtolettus ſiue Coronatus Hiſpaniæ,Coronatus Italiæ,& antiquus Coronatus 29. ſtuf. Coronatus ſolaris aureus 40. ſtuf.Regalis aureus 66.ſtufer.Nobilis roſatus 96. ſtufer. Nobilis Henricus 84 .ſtuf. Angelotus 63.ſtufer. Florenus Andreæ 32.ſtufer.Leo aureus 48.ſtufer.Florenus Carolinus 21. ſtuf. Florenus Germanicus aureus 31.ſtufer.Souerenus Anglicus antiquus & nouus 60.ſtufer. Tali modo & valore, toto Caroli quinti tempore,pecuniæ in vſu fuerunt: Vnde iam videre licet,qualiter extranea & inteſtina bella modum & valorem ante vſitatum mutauerint.

Carol. V. Imper. vxorem ducit.

Carolus Imperator vxorem duxit Iſabellam Emanuelis Portugalliæ Regis filiam: hæc ei peperit Valedolitijin Hiſp. anno 1527. 21. Maij, filium Philippum: duas inſuper filias:quarum vna Maria,nupta Maximiliano Ferdinandi filio,poſtea Imperatori: altera Ioanna, Principi Portugalliæ : genuit hæc Sebaſtianum Portugalliæ Regem, in Barbaria cæſum Anno 1574.

quarto

Digitized by Google

quarto Augusti, Caroli frater Ferdinandus electus Rom. Imp. habuit vxorem Reginam & hæredem Hungariæ & Bohemiæ: Carolus autem ei omnes domus Austriacæ regiones patrimonij loco dedit. Susc epit Ferdinandus ex vxore tres filios: Maximilianum, qui post patruum & patrem Imperator, Rodolpho quoque filio suo Imperium impetrauit: Ferdinandum & Carolum octo præterea filias. An. 1480.

Carolus Imp. Burgundicæ domui, Ciuitatem & terras Traiecti vlterioris & Transisulaniam perfectè annexuit, resignatione Henrici Bauari Traiectensis Episcopi, qui regionem ab aduersarij Ducis Geldriæ iniurijs diutius tueri nō poterat: Postea quoq; pacto & morte postremi Caroli Sigmondani, Geldria absolutè Germaniæ inferiori accessit, anno 1538. Status præterea & dominia Groningæ, antè ditioni Traiectinæ & Geldrensi subiecta, sponte atq; prompto animo tandem se Carolo Imperatori dediderunt, an. 1536. qui non tantum prædictas has ditiones, verum etiam Cameracensem ciuitatem, & Cambresianam terram Germaniæ huic inferiori iunxit. Cùm autem Geldria & Traiectum vlterius feuda Imperij semper sint habita, Carolus Imperator hac inprimis de causa Anno 1548. die 16. Iunij in Comitijs Augustanis, non tantum Geldriam & Traiectum, verum etiam inferiores omnes regiones, sub vno circulo nempe Burgundico Inferiorum Regionum, in ordinem coëgit, & hac ratione Imperio deuinxit: vnde ijs priuilegio concessum, defensione, libertate & iure vti, non aliter atq; reliqua Imperij membra, tantum contribuendo, quantum duo Principes Electores, contra Turcam autem quantum tres sita tamen vt propria sua priuilegia obseruantes, Imperij determinationibus aut constitutionibus non obligentur. *Traiectinum & Transisulanam Prouinciam, & tam Geldriæ ducatum quam dominio Carolus annexuit omnes alijs.*

Idem Carolus Imperator plurima bella gessit: Regnis Neapolitano, & Siculo prope Hispanias, Ducatu Neapolitano, aliisque dominijs, Tunensi quoque Regno potitus: imperij sui fines in India & continenti Americæ & Peruæ dilatauit: Varias magnasque victorias sæpè consequutus: Pontifice Clementi, Francisco Galliarum Rege, Rege Nauarræ, Duce Saxoniæ & Landgrauio captis triumphauit: Dux Cliuiæ, pluresque ad eius pedes supplices deuoluti: Sensere eius arma America & Africa in Europa, Turcæ, Itali, Galli, & pleriq; alij. Germanis debellatis Religionis causa, Ducem Saxoniæ prælio, Lantgrauium Hessiæ supplicem captiuos habuit. Princeps mirum in modum dignitate, potentia, strenuitate, magnanimitate, sapientia, & alijs virtutibus pollens atque clarus adeò vt nihil ei defuerit, præterquam quod eximia & præclara sua facta (vt multi tunc temporis prudentissimi existimarunt) ex oriente æterno illo matutino Sole, hoc est, Religionis reformatione non decorauerit: tametsi iam morienti (vt quidam scribunt) Deus salutarem Verbi sui notitiam inspirarit. Verum vt illi scribunt, id summo sapientissimoque Deo ita non placuit: quin potius omnipotens ille ad sui nominis honorem, contra potentissimorum Principum voluntatem atque vires, modis & instrumentis contemptis ac vilibus vsus, suum opus peregit, totique Europæ verbum suum palam fecit. Neque id vlla ratione impedire potuerunt sanguinolenta Principum decreta aut placita, oppressio, exilium, expultio, ignis, aqua, suspendium, tot millium innocentissimorum hominum, quibus etiam cum vitæ suæ factura Deo immortali placere, quam mortalis corporis bona & voluptates sectando, Principibus (contra conscientiam) obsecundare potius atq; salubrius visum fuit. Quo autem Principes vbiq; terrarum potentiores & maiores fuere, eò durius in hunc stimulū, reformationi Christianæ Religionis resistendo, impegerunt. Quin & plurimi instrumēta facti sunt, quibus in propriam ipsorum vindictam, inuitis quoque ipsis, gloria Dei multiplicata est, dum supplicia grauissima in sanguinem innocentem meditantur: Habitans enim in cœlis irrisit eos, & Dominus subsannauit eos, dum illorum potentiam, fœdera, & frequentes coniurationes irritas atque vanas reddidit: quod, etiam quotidie adhuc facit, quamuis sui quoque his modis exerceantur & probentur. Sit nomen Dei benedictum, & exaltatum in secula.

Hactenus de Regis Philippi II, maioribus, Belgijq; statu satis superq; diximus: nunc Philippi tempore gesta, vt proposuimus, describturi. *Philippus II. Hisp. Rex.*

Philippus Austricus, secundus eius nominis, Hispaniarum Rex, Caroli V. Imperatoris vnicus filius hæreditarius, Germaniæ inferioris Dominus, natus Valedoliti in Hispan. an. 1527. 21. Maij, ibidem quoque educatus, à patre plurimum absens: duxit adhuc iuuenis Mariam Ioannis Portugalliæ Regis filiam, quę prima Philippi vxor ei genuit anno 1545. 9. Iul. filium Carolum, statim aūt à partu puerpera vitę obijt, summa Ducissæ Albanæ aliarumq; primariarū, fœminarū (quibus puerperæ puerperijq; cura commissa fuit) negligētia, vt tunc fama erat. Puerpera enim incōsultè & temerè melonem comederat, interea dum hæ indulgentias promerendi gratiā aberant spectatum horrendi supplicij Lutheranorum sacrę Inquisitionis sententia damnatorum spectaculum.

Anno 1546. tanta fuit apud Belgas frumenti caritas, vt Amsterodami siliginis veheș, Antverpienſi mensura 374. Viertheil, siue quartarios continens, venderetur 68. aureis.

Anno autem secundo post, nempe 1548. tanta facta vilitas, vt eodem 68. aureorum pretio,

Digitized by Google

An. 1549. simul emerentur vehes tritici: vehes siliginis: vehes hordei: vehes auenæ: quarta pars vasis butyri: trecentæ lardi librarum: trecentæ casei Hollandici librarum: centum casei manualis librarum: thorax vnus, par calceorum: pileus: pera: ouis bene saginata: vas Gedanæ cereuisiæ: vas Rostochianæ cereuisiæ, superegrantq; emendo vino sex stuferi. Hoc modo Deus Opt. Max. sua omnipotentia caritatem vilitatemq; annonæ inferre valet.

Anno 1548. Mittit Carolus Imperator Maximilianum ex fratre Ferdinando nepotem in Hispanias, eumq; filia sua Margareta vxore ducta, regnorum gubernatorem constituit: Philippū verò filium 21. annos natum, in Belgiam ex Hispanijs vocat: qui Andrea Doria itineris duce, quinquaginta triremibus, totidemq; nauibus in Italiam appellens, honorificè Genuę excipitur 25. Nouembris: inde Mediolani varijs arcubus triumphalibus & theatris fumptuosè exstructis decoratur: post Tridenti Mauritius Saxoniæ Dux: sacri Imperij Elector ei aduentū summopere gratulatus, rogat apud patrem pro capto Lantgrauio Hessiæ intercedat, quod se facturū recipit: hinc per Germaniam superiorem in inferiorem descendit. Carolus autem pater Ducem Arschotanum cum publicorum equitum turmis instructissimis obuiam in superiorē vsq; Germaniam misérat, filium summo honore & officio deducendi gratia: itaque Bruxellæ, Calendis Aprilis Anno Christi nati 1549. ætatis suæ 22. magnificè recipitur, patre atque amitis Helionora & Maria hic ipsius aduentum coram gratulantibus. Tota hæc astas gratulationibus & publicis lætitijs transacta, Bingij in Hannonijs amita Maria Gubernatrix honorificentissimè & liberalissimè eum tractauit: Hinc ab Imperatore aut Gubernatrice in Brabantiam, Flandriam, & alias vicinas regiones deductus, vbique futurus Princeps inauguratur, priuilegiaque, præcipuè ciuitatibus Brabantiæ primarijs lætum Introitum, iureiurando confirmat, Antverpiam autem 10. Septembris regiè introducitur à 879. ciuibus & incolis equitibus, purpura holoserica vestitis, hos pedissequis 416. pretioso ornatu comitantibus: horum equitum plurima pars, magistratus & publicorum ciuitatis muniorum administratores, reliqua diuersarum nationum mercatores erant: fuere præter hos 4000. pedites vno eodemque insigni militari habitu induti. Ciuitas insuper viginti tres, mercatorum verò nationes, quinque arcus triumphales & theatra, 26800. florenorum carolinorum sumptu erexere: impendit adhuc ciuitas ducenta sexaginta florenorum millia. Magnificum, splendidum & inprimis lætum hunc triumphum graphice describit Cornelius Grapheus ciuitatis Antverpiensis Secretarius: itineris quoque totius Historiam Hispanice, Christophorus Stella literis mandauit: hos legat qui plura scire volet.

Philippus Ernestus venit.

Postquam Philippus totius Belgij futurus dominus, iam inauguratus, regionum priuilegia iureiurando sanxisset, cum Cæsare patre in Germaniam superiorem ad Comitia Augustana proficiscitur, quem pater Principibus Electoribus hic insinuare & commendare spe posset potiundi Romani Imperij, voluit Sed cum Ferdinandus Caroli frater, cui multa soboles, quarum Maximilianus vnus Germanis Principibus præcipuè gratus erat, in suum incommodum hoc vergere sentiret, statim ex Germania in Italiam, hinc in Hispanias proficiscitur. Philippus anno
An. 1551. 1551. parum memor promissæ intercessionis pro Lantgrauio Hesso Mechliniæ captiuo, semel molito (successu infœlici) ruptis vinculis carcerem euadere: qua de causa anno 1552. Principes Germani inprimis Electores Mauritius Dux Saxoniæ, & Brandenburgensis, cum Lantgrauij filio, alijsq; confœderatis, vi eum liberare, inito etiam cū Gallorum Rege Henrico fœdere, statuunt: itaque præcibus & intercessionibus omnibus irritis, tandem militibus quibus hi Magdeburgum Imperatoris nomine obsederant, ipsum Imperatorem Carolum ex improuiso inuadunt, eoque pertrahunt, vt contractu certo non tantum è custodia eximeretur Lantgrauius (Ioanne Frederico Saxone antè cum beneuolentia laxato) verum rursus etiam infringeretur Interim, quo vocabulo significabatur quædam moderata viuendi forma, in Religione Romana, donec Concilio generli aliter concluderetur, obseruanda.

Bellum Gallicum.

Galliarum Rex capit Metas, Toulium, & Verdunum, marī quoque classem nauium Belgicarum mercibus varijs & prætiosis ex Hispanijs onustarum: idque summa dexteritate & versutia. Galli enim nauibus suis bellicis Reginam Scotiæ vehere simulantes, petunt à Belgis vt omnia tormenta sua in Reginæ gratiam & honorem eiacularentur, quod dum absque suspicione faciunt, statim inermes, Bombardis exoneratis, à Gallis facilè capiuntur: Hinc bellum septenne contra Gallos redintegratur, causa controuersiarum tam in Italia quam Germania præcipè nata. Ex Belgio in Champaniam ab Imperatore missus Martinus Rossemius, omnem Regionem depopulatur, & Astheneum capit.

Mors Eduardi Angliæ Regis, & mutationes in Regno.

Anno 1553. 6. Iulij ex hac vita migrauit Eduardus Angliæ Rex, adhuc iuuenis, Henrici Octaui vnicus filius, pius, doctus, & optime spei Princeps: Habuit duas sorores, Mariam matre Catharina Hispana, Caroli Quinti Impera. matertera, & Elisabetham fœmina Anglica, Thomæ Bullei Comitis Vvilshyrę filia, natam. Hic Eduardus patris sui inceptū ac cōsilium delendi nimiam

Pon-

Digitized by Google

Pontificis Romani in Angliæ auctoritatem, fedulò peregit, religionisque ſtatum, patriciorum & Senatorum regni, maximè autem ſui aunculi Ducis Somerſeti, conſilio reformauit. Viros doctos è media Germania euocabat: inter alios Ioannem Bucerum, Petrum Martyrem, Ioannem Alaſco, Emanuelem Tremelium, in quorum gratiam, Belgis, Gallis, Italis propter Religionem profugis, Templum Londini quod fuerat S. Auguſtini donauit, vt lingua patria profiteri poſſent reformatam Religionem, Ioannem Alaſco Polonum nobilem ſuperintendentem conſtituens, Anno 1550. Morti iam vicinus, cum ſciret ſororem ſuam natu maiorem Romanæ Catholicæ religioni addictam, veritus proinde eam Caroli Imperatoris ex matre conſanguinei adminiculo, religionis reformationem facilè abolituram, ſua ſuorumque Conſiliariorum ſententia Ianam Greyam ſuam neptem, Ducis Suffolci filiam (cuius auia, minima regis Henrici octaui natu filia, & poſtremi Ludouici Galliæ Regis vidua dotaria fuit) teſtamento vt fertur Regni hæredem inſtituit, ſperans ſtatum reformatæ religionis hoc pacto ſtabiliorem reddere: idque eò magis, quòd hæc nupta eſſet Domino Gilfordo Dudleio filio Ducis Northumberlandiæ conſanguinitate, affinitate, authoritate ſumma pollentis. Sororem quoque iuniorem Eliſabetham, licet de religione cum eo ſentiret, excluſit, quod iuniorem aut nollet aut non bene poſſet ſeniori præferre: maximè autem quòd vtraque adhuc cælebs, regnum extraneis coniugio poſtea deferre poſſet, quod & contigit. Eduardo Rege igitur mortuo, Regni Conſiliarij, præcipuorum regni adminiſtratorum aſſenſu, Ianam Reginam Angliæ publicè declarari faciunt: & cum Mariam Eduardi ſororem ſibi Angliæ regnum velle vendicare perciperent, ſtatim cum mandatis expreſsè Ducem Northumberlandum exercitu valido contra Mariam mittunt: verum intellecto populi in Mariam propenſo fauore, mutata prorſus ſententia, incepto deſiſtunt, atque Duci Northumberlandi dominique exercitu contentiente, ipſimet Mariam Reginam renunciari faciunt: Quæ regno potita fauere aduerſarios punit: innocentem enim Reginam Ioannam iuuenculam, cum marito, & duobus Ducibus patre nempe & ſocero, pluribusque alijs capite truncari iubet: mox quoque religionem omnem immutat: vtque maiores ſibi compareret vires, nuptias Iulio menſe, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, cum Philippo Hiſpaniarum Principe Caroli Imperatoris filio contrahit. Philippus autem nuptiarum gratia, Comites Egmondanum & Lalanum, Dominos Courierum & Tholouſium, Conſiliarum quoque Renardum legatos eò antecà miſerat, qui tum Angliæ nobilibus & rudi plebe omni conatu aduerſantibus, non ſine vitæ periculo, fugam qua potuerant arte receperunt. Maria verò inimicos facile callido conſilio ſuperauit, Domino Thoma VVyato præcipuo hoſte, pluribuſque alijs morte multatis. An. 1557.

Viciſſitudines & mutationes in Anglia.

Philippus Hiſpaniarum Princeps glorioſa claſſe, qua etiam 5000. Hiſpani milites in Belgiam vehebantur, Hamptonium Angliæ portum appulit 19. Iulij, anno 1554. quarto poſt die VVincestram venit, à Regina Maria eo loci exſpectatus: Die autem 25. Iulij, Diuo Iacobo ſacro, connubij fœdus initum, ætatis Philippi anno vigeſimo ſeptimo, Reginæ verò 38. Carolus Imperator ipſo nuptiarum die filium Principem regalibus Neapoleos & Hieroſolimorum titulis decorauit, eique ipſa regna per legatos reſignauit: ita vt simul titulis inſignirentur, Rex & Regina Angliæ, Franciæ, Neapolis, Ieruſalem, Hiberniæ, fidei protectores, Principes Hiſpaniæ & Siciliæ, Archiduces Auſtriæ, Duces Mediolani, Burgundiæ & Brabantiæ, Comites Habsburgi, Flandriæ, & Tirolis: iſque titulis ſimul nummos ſignari fecerunt. Nuptiali contractu pactum conuentumque inter alia fuit, vt ex hoc coniugio nati, hæredes eſſent Angliæ & Belgij, quo hæc duo connecterentur, Carolo Hiſpaniarum Principi, nullo, hinc aliquid prætentendi iure relicto.

Philippus in Angliam venit: Mariam reginam duxit vxorem.

Hyeme ſequente generale Concilium Statuum Angliç (parlamentum vulgo dicunt) conuocatur: Huc Cardinalis Polus, Anglus, à Romano Pontifice Legatus mittitur: qui Regi & Reginæ bene precatus, omnes ſimul hortatur, ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ Romanæ, ſub Pontificis obedientiâ reuertantur. Poſtera die Curia ſiue parlamentum (Regnum vniuerſum repreſentans) Regem atque Reginam rogant, pro ipſis ſupplicem libellum Legato offerre velint, quo tam diuturni ſchiſmatis, & à matre Eccleſia alienationis omnes ſum mopere pœnitere declarãt. His pœnitentiæ ſignis editis, Legatus eos docet quàm grata ſit Deo peccatoris pœnitentis concurſio: poſthæc paterno affectu & Pontificia poteſtate abſolutionem & benedictionem tanquam filijs obedientibus largitur: tandemque Te Deum laudamus canitur. Romæ quoq; hanc ob rem lætitia ingens: multis tamen, quod eccleſiaſtica bona non reſtituerentur, ægrè ferentibus.

Anglia reconciliatur ſedi Romanæ operâ Cardinalis Poli

Hoc Concilio Pontifex & Eccleſiaſtici in integrum reſtituuntur, priſtinam iuriſdictionem recuperant, eisque plena poteſtas de Hæreticis iudicandi datur: cuius vigore, præcipui epiſcopi, concionatores, alijque viri docti, qui ab initio regni huius reginæ ad id vſque tempus carcere clauſi

An. 1554. clauſi fuerant, accuſantur, & iure Pontificio capitis condemnantur, viui cremandi, quotquot religionem abnegare nollent: quæ perſequutio, in ipſum quoque vulgus, adeo fuit atrox, vt quandoque tredecim viri & fœminæ ſimul viſi ſint viui exuri: neq; vllus, Regina viuente perſequendi finis. Quin & vnica Reginæ ſoror Eliſabetha, præſenti hoc anno Anglici regni ſceptra tenens, religionis aliarumque rerum ſuſpecta detinebatur captiua, imò parte aduerſa adnitente, in ſummo vitæ periculo verſabatur: verum Rex & ipſius Conſiliarij, plebis (cuius beneuolentiam inprimis captabant) ſummum erga Eliſabetham fauorem perſpicientes, pro ea, vt mitiori cuſtodia aſſeruaretur, interceſſerunt.

Interea bellum geritur inter Imperatorem & Gallum, Lantgrauio Germanorum ope liberato. Metis, Toulio, Verduno, & locis aliquot Lutzenburgi captis, Imperator an. 1552. hyeme Metas obſidione cingit: verum ſumma cœli intemperies atque in caſtris graſſans lues obſidionem ſoluere cogunt. Poſtea milite cincta Terouana, occupatur anno 1553. Montmorencius Conſtabli filius capitur, & vrbs ſolo æquatur. Vi quoque inuaditur Heſdinum: Hic Horatius Farneſius Ducis Parmenſis filius alijque illuſtres viri cæſi: Marſchalcus Marchianus, Dux Bollonius, pluresque alij capti. Heſdinum oppidum ſimiliter exciditur, & aliud, nomine Heſdinum forte, non longè inde conditur. Dum vero Dorlanum oppugnare aggrediuntur, Burgundi fugientes cæduntur, & Dux Arſchotanus capitur. Galli copijs maximis collectis, ad duo miliaria vſque Imperatoris caſtris non procul à Valencenis appropinquant: hic propter Imperatoris & Regis præſentiam, ingens prælium exſpectatum: verum diſceditur, nulla alia re memorabili geſta, quàm quod Gallus agros vbique ſit depopulatus.

Terouana capta.

1554. Anno 1554. Galliarum Rex è Campania Belgium inuadit, Bouinium, Dinantium, & Marienburgum (poſtea ab eo firmius munitum) capit. Quam ob cauſam milites ſubito vndique colliguntur: Antverpiæ autem, dum Præfecti inuitos ad militiam cogere, aut in bellum conferre pecunias indictione volunt, tumultus oritur: eo inprimis facilius, quod ciues ægerrimè ferrent cereuiſiæ coctores in nouam ciuitatem migrare compulſos, & cereuiſiam id loci coquerent palato ingratam, ſit vulgi concurſus in forum, ſeditione in magiſtratum concitata ob verbum quoddam contumelioſum acerbè effuſitum, ita vt ciuitatis Curiam iactu lapidum intuaderent: verum congregato ſagittariorum collegio, optimatum proborumque ciuium conſilio diſcordia dirimitur, atque diſceditur, obſtinatioribus è foro pulſis: hac ratione, plebei aliquantulum indulgendo, ſedatus hic tumultus: tametſi breui pòſt, eandem ob rem, Caroli Imperatoris iuſſu, Lazarus Svvendius agmine magno Germanorum militum comitatus ſummo mane in vrbem intromiſſus ſit: cum autem Iudicibus primarijs Cancellariæ Brabantiæ in tumultuationem inquirentibus, leuis cauſa videretur, paucis punitis, moderatè omnia tranſacta.

Seditio Antverpiæ.

Amiſſo Marienburgo, Carolus Imperator fortiſsimo exercitu Namurcum Bruxella contendit. Hic acriter bellaturas acies apparebat: ſed Gallus diſcedens in Hănoniam graſſatur: Binſium (Gubernatricis Mariæ Reginæ Hungariæ ametnum palatium) expoliat atque exurit: in de Arteſiam petens obuia quęque depopulatur: Renteium obſidet, muroſque feſtinatò crebris tormentis quatit: verum Imperatore cum ſuis copijs inſtructis alacriter inſequente, poſt velitationes aliquot in Franciam reuertitur.

Circa idem tempus nuntium Imperatori adfertur, ſuos, Marchione Marignauo Duce, Petrum Strotzium vrbem Senenſem obſidione liberare molientem prælio ſuperaſſe, & vrbem ipſam pro Duce Florentiæ cepiſſe. Hic caſus quoque Octauianum Farneſium Parmenſem Ducem (qui notham Imperatoris filiam Margaretham Auſtriacã duxerat vxorem) compulit pacem atq; veniam ab Imperatore & Rege Philippo poſcere. Octauianus enim propter patris ſui Petri Loiſij Pauli tertij Pontificis filij necem, ſe protectioni Gallicę ſubmiſerat, prætexens patrem ſuum autore Imperatore occiſum, ob vrbem Placentiam occupatam, quæ tandem, arce retenta, fuit reſtituta.

Maria Angliæ Regina Regnicq; Senatus, pacem cum Gallo, Imperatore & Rege conſentientibus, componere ſtudebant cuius rei cauſa, comitia in pago Marceio Caletenſi vrbi vicino celebrata: vbi 23. Maij pacificatores comparuere, Cardinalis Polus Pontificis Legatus, Epiſcopus VVinceſtriæ Angliæ Cancellarius, Comes Arondellię, Dom. Pagettus & Palmerus: à Cæſare verò Dux Medina Cæli. Epiſcopus Atrebatenſis Grannellanus, Comes Lalanius, & Præſes Vigliu s cum alijs: à Gallorum Rege Cardinalis Lotharingius, Coneſtablius & plures alij: verũ poſtulationibus maximis vtrinq; propoſitis, controuerſijs quoq; ſummis de Mediol. Pedemontio, Nauarra, Lotharingia, Lutzenburgo; Metis, Toulio & Verduno habitis, re infecta diſceditur, gratia Anglis, pacificationi maximè intentis, habita, qui concilio Tridentino tunc temporis conuocato, difficilimas diſcordiæ cauſas committi optabant.

Anno 1555. VVilhelmus Naſſouius Orangiæ Princeps Anno ætatis 23. ab Imperatore caſtris

ſtris præfectus, cum exercitu valido mittitur, Marieburgum obſidendi, commeatum interclu- An. 1554.
dendi, regionemque defendendi cauſa: quamobrem duo oppidula Philippe villam & Charle-
montem condit atque munit. Nihil præterea hoc anno memorabile hic actum, Duce Neuer-
ſio & Admiralio Caſtilione Gallo acerrimis hoſtibus conatus omnes armorum potentia im-
pedientibus. In Arteſiam autem & Hannoniam excurrentes Galli, à Gubernatore Bapalmio,
Domino Hauſſimontio cæduntur.

Vilhelmus Orangiæ Princeps caſtrorum Imperat. præfectus.

Albanus Dux ab Imperatore Carolo in Pedemontanam Regionem cum exercitu miſſus,
plus incommodi quam commodi accipit.

Eodem Anno 1555. quarta die Septembris Philippus Hiſpaniarum Rex ex Anglia Caletum
venit, inde Bruxellas ad Imperatorem patrem profectus, qui varijs motus occationibus iam
diu deliberarat, Imperio ſe abdicare, atque omnes ſuas regiones & ditiones Philippo vnico fi-
lio tradere: quod longa rerum experientia conſideraret, ſe ſua negotia atque gubernacula,
morbo & corporis imbecillitate impedientibus, pro animi arbitrio dirigere non poſſe: pro-
inde ſpacio ſex aut ſeptem Hebdomadarum Bruxellis præſentem filium ſatis ſuperque, va-
rijs admonitionibus, documentis, rerum geſtarum monumentis, atque exemplis inſtituit, de
regiæ ſuæ maieſtatis, regnorum, & regionum conſeruatione atque tuitione: amicitia cum Re-
gibus, Principibus atque magnatibus tam alienis quam conſanguineis comparanda & retinen-
da: fœderatis quoque qui conſilio & auxilio prodeſſe poſſent, colendis: veteribus miniſtris
non negligendis, ſed, quo magis officioſi reddantur, munerandis: præterea de elatis & arro-
gantibus Hiſpanorum animis reiranandis: qui niſi coercerentur & reprimerentur, peſtis &
corruptela ſui ſtatus inferiorumque Germaniæ regionum eſſent futuri: erant enim iam vbi-
que imperioſe nimis dominari aſſueti: id autem Belgas in ſuis regionibus nequaquam tole-
raturos. Adhæc, quàm poſſet citiſſime, ſimulatque in ſuis dominijs eſſet confirmatus, pacem firmam cum Gallo inire eum monet. Præterea etiam imprimis colat obſeruetque patruum Ferdinandum Romanorum Regem, & Maximilianum filium, Bohemorum Regem, ſuum affinem & conſanguineum, quem Iulio menſe anno proximo ante ſuum abitum Bruxellas accerſiri curarat, res omnes cum illo amicè & beneuolè, nullis relictis difficultatibus, tranſigendi cauſa.

Philipp. Rex ex Anglia in Belgiũ venit.

An. 1555.

Poſt hæc vigeſimo quinto Octobris, Anno 1555. Ordines Belgij, conuocati Bruxellas ve-
nere, vt ipſis præſentibus regiones Philippo Regi traderentur. Eiuſdem diei ante meridiano
tempore Rex ab Imperatore Equirum aurei velleris, totiuſque Ordinis ſupremus creatur: po-
meridiano autem, Ordinibus, Prælatis, Nobilibus, & Regionum atque ciuitatum Legatis in
magna aula Bruxellenſi iam congregatis, Imperator humeris Auriaci Principis innixus ingre-
ditur, cum Rege, Regina Maria Gubernatrice, Sabaudiæ Duce, Equitibus aurei Velleris, plu-
ribuſque alijs: & ſellæ inſidens, Regem, ſororem Mariam, alioſque præcipuos conſidere iubet.
Orſus deinde Conſiliarius Philibertus Bruxellanus Imperatoris nomine orare, eius corpo-
ris imbecillitatem, & ingentem regiminis molem vlterius ferendi, incommoditates proponit:
ſtatuiſſe proinde eum in Hiſpanias, ſpe aëris ibi commodioris & ſalubrioris proficiſci, & Regi
filio Gubernaculi laboribus ferendis idoneo, atque beneuolentia & æquitate regere optanti,
regiones tradere. His dictis tacuit Conſiliarius: cupiebat enim ipſemet Imperator oratio-
nem proſequi: chartam itaque memorialem, firmandæ memoriæ cauſa quam ſummopere la-
bantem aiebat, manu tenens, breuiter præcipuorum itinerum, maximarumque expeditionum
in reipublicæ vtilitatem confectarum, ab anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo,
quo primùm ex Belgio in Hiſpanias profectus erat, mentionem facit, Videlicet nouem expe-
ditiones ſeu profectiones in Germaniam feciſſe, ſex in Hiſpanias, & ſeptem in Italiam, decem
in Belgiam, quatuor in Gallias, belli & pacis tempore, duas in Angliam, duasque expeditiones
in Africam, quę omnes quadraginta ſunt numero, in quibus octies mare Mediterraneum tranſ-
nauigauit, & ter Oceanum, quædam etiam prius à Conſiliario dicta repetens: tandemque con-
cludit, ſe iam ſenio & corporis imbecillitate coactum eos relinquere, hasque inferiores hæ-
reditarias regiones præſenti filio tradere, quod eas, vt hactenus ſedulo & bona fide fecerat, diu-
tius regere non poſſet: ſi qua autem in re deliquiſſe, aut ſuo munere minus probè functus eſſe ſit
vſus, affirmat id ſe inuito & neſcio factũ, petit errata ſibi condonari; eademq; compenſari, pri-
mò Deum, deinde Filium rogat. His ſermonem finienti lachrimæ per ora fluunt: maxima mul-
titudinis parte dinc ad collachrimandum commota.

Belgij Regiones Carolus Impera. Regi Philippo tradit.

Verba Cæſaris.

Surgit interea Rex Philippus, & ſtatim ad patris genua prouolutus, ſupplicibus verbis, ſe
indignum & immeritum, fatetur: attamen cum ſuæ Cæſ. Maieſtati ita ſit viſum, ingentes gratias
agens, Inferiorum Regionum gubernacula ſuſcipit, easque ſumma benignitate & iuſtitia ſe re-
cturum, ſubditos demeriturum, ſuum q; erga eos amorem re ipſa comprobaturũ recipit, moxq;

Digitized by Google

PHILIPPVS. II. AVSTRIACVS HISPANIARVM INDIARVM NEAP. HIEROSOL. REX.

Digitized by Google

ad cœtum conuerſus, ſic Gallicè loqui cœpit: vellem quidem, Domini, veſtra lingua me perfectius ſcire loqui, vt vobis omnibus meum erga vos animum & fauorem liquidò declararé: verum quia rudis adhuc linguæ, id præſtare vt res poſtulat nequeo, ſupplebit meas vires Epiſcopus Atrebatenſis. Hic itaque ſermonem proſequens, manifeſtè & ample ſatis amorem animumque Regiæ Maieſtatis, has regiones omni beneuolentia & æquitate, vt bonum Principem decet, regere & protegere cupientis, expreſit. *Am. 1 cer.*

Verba Philip. pri Regis.

Aſſurgens poſt hùc Doctor Iacobus Maſius Cóſiliarius, cui nomine Statuum generaliú orandi prouincia tradita, reſpondet his verbis: Sacra Maieſt. hi Domini Status Regionum, ob ſummam erga V. Maieſt. animorum propenſionem, fidem & amorem magnoperè mirantur, imò animis anguntur, quod cum Sacræ Maieſt. quouis tempore tanta fide atq; integritate, vt ei fatis ſuperq; notum eſt, ſeruierint, nunc tam periculoſo & turbulento hoc tempore eos velit reliquere: Verùm cùm ita ſuæ Maieſt. commoditatis cauſa maximè placeat, hoc vnum ſolatij habent, quod in manus illuſtriſsimi Regis tui filij tradantur: cuius ſeruitio, etiamſi duriſsimis & aſperrimis belliis grauentur, quouis tempore, loco & caſu vitam atque fortunas, vt obſequioſos clientes & miniſtros decet, impendere ſint paratiſsimi &c.

Oratio Maſij nomine Sta. tuum.

Surgit deinde Gubernatrix Maria Hungariæ Regina, & fratrem Imperatorem debita reuerentia affatur, declarans ſe viginti tribus annis Belgicas regiones legibus & mandatis à ſua Maieſtate præſcriptis, quà potuit fide & ſedulitate in maximum ſuæ Maieſtatis ac Regionum commodum gubernaſſe: ſi quid autem parum pro arbitrio & voto interim ſit actum, id ſibi ignoſci petit. His dictis, Imperator manu, vultuque, eam ſuo ſatisfeciſſe officio, innuit. Poſt hæc ad Status verſa, ſimili reuerentia ijſdemque rationibus & excuſationibus vtitur, allegans ſe pro viribus, gratiaque à Deo conceſſa ſuo munere perfunctam: ſi quid autem erratum ſit, quod ſe inuita & inſcia fieri potuit, de eo rogat eos veniam. Ad quæ prædictus Maſius Statuum nomine reſpondens, illi ſuppliciter nomine omnium ſummas gratias agit, peractamque gubernationem præclaris laudibus effert.

Reſignatio Imperatoris Caroli V.

His ceremonijs orationibusque peractis, Imperator fidelitatis iuramentum ſibi præſtitum ſubditis remittit: atque rebus omnibus ritè in acta & inſtrumenta relatis, ipſemet ſubſcribens, ea proprio chirographo & ſigilio munit: tandem ſo'io ſurgens Regem filium in eo collocat, eidem omnia in poteſtatem tradit, Deum rogans regimen ſecundare velit: quibus geſtis, à cœtu diſcedit.

Rex ſolio ſedens, fidei & obſequij iuſurandum à regnicolis accipit: deinde toto præſente cœtu, Imperatoris ſigilla confringuntur, Regis autem proferuntur, quibus tunc quoque conceſſorum & actorum quorundam literæ obſignantur.

Carolus Imp. Philippo filio reſignat omnia ſua regna & dominia.

Sequentibus diebus Imperator coram præcipuis Regnorum & Regionum Senatoribus, primarijſque à ſecretis viris, filio Regna Hiſpaniarum, Siciliæ, Sardiniæ, Maioricæ & Minoricæcum nouis Indiæ terris, America nempe ſiue Orbe nouo, omnibusq; Inſulis dominijs & principatibus, tradit atque reſignat, ſibi tantumm odo in ſui & paucorum miniſtrorum ſui entiationem, ducenta Ducatorum milia reditu annuo, & certa quædam mobilia reſeruans. Imperator ante diſceſſum nepotem ſuum & ſimul generum Maximilianum cum vxore ad ſe accercendi duxit, tam vt ipſis valediceret, quam vt amicitiam inter ipſos & filium ſuum Philippum confirmaret, quæ dubia erat, ob prætenſam dominiorum partitionem inqualiter inter Carolum & Ferdinandum Maximiliani patrem factum. Conuenerunt itaq; tum omnes amicè Bruxellis menſe Iul. contentiq; (vti videbatur) ſinguli inde diſceſſerunt, dignumq; notatu tum accidit vt ſeptem capita Regali corona redimiar, cernere ibi licuerit, nempe ipſum Imperatorem eiusq; filium Philippum. Maximilianum, Eleonoram Galliæ, Mariam Hungariæ, & Mariam Bohemiæ Reginas, quibus accedit ſeptimus Muleaſſes Rex Tuneti, præter multos inferiores Principes, videlicet Duces Subaudiæ Lotharingiæ & Daniæ, cum alijs.

Carolus Imp. Romanor. Im perium fratri Ferdinando reſignat.

Anno 1556. 7. Septembris in Zelandia cum iam nauigationem intenderet Imperator, fratri Ferdinando Romanorum Regi ſcribit, ſe omni officio defunctum, Romani Imperij ſceptra ei committere atq; tradere: cuius negotij conficiendi cauſa deligit Guilhelmum Naſſouium Orangiæ Principem cum Iuriſconſultis viris, Doctore Georgio Sigiſmondi Sile, Vicecancellario & V Volfgango Hallero ſuæ Maieſt. à ſecretis, eis ſumma auctoritate munitis mandat, proximo comitiorum die ſuis verbis adminiſtrationem, titulum, nomen, dignitatem, ſceptrum, coronam, omniaq; iura ad Imperium ſpectantia, Ferdinando fratri, Romanorum Regi proſus transferant, haud aliter atq; ſi ipſe Imperator è vita iã migraſſet, Electores ſeptemuiros tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares rogans, id ratum gratumq; habere velint. Quod cum tunc Rom. Regi Electoribuſque Principibus minus commodum & oportunum eſſet, in aliud tempus dilatum, anno 1558. 24. Febr, Septemuiris præſentibus, tranſactum eſt.

Philippus Rex ſceptris potitus, vicinis Principibus atq; magnatibus re nunciata, ab eorum Legatis, congratulationibus ſummis decoratur.

An. 1555. *Inducia belli in Belgio.*

Angliæ Regina & Cardinalis Polus, diligenti opera inducias belli quinquennio terra marique inter Reges eorumq; Regiones procurant, spe pacis interim commode & oportune conficiendæ, in cuius quoque confirmationem coniugia quædam proposita. Hæ inducie sub finem Ianuarij Anno 1556. Bruxellæ in manus Gallici Ammiralij Castilionij, Bloysij autem in manus Comitis Lalanei iureiurando sanciuntur.

Prælium nauale Gallorū & Hollandorum

Anno 1555. sub finem Augusti acre prælium nauale inter Caletum & Doveriam cōmissum. Cum enim viginti duæ naues onerariæ Hollandicæ, constituto inter se, haud aliter atque belli tempore, præfecturæ marinæ regimine, fideque iuramento confirmata, ex Hispanijs rediret, Galli nauibus præsidiarijs nouendecim & piraticis sex aut septem valide instructis, Hollandos non procul Caleto inuadunt, naues que catenis & harpaginibus retinent: Hollandi qua possunt arte & vi se strenuè defendunt, nauibus suis tam densè consertis, vt haud aliter mari atque terra certare viderentur: Hollandi cellas & fortes, Galli autem armis & viris melius instructas habebant: tandem cum sex horis, à nona nempe antemeridiana in tertiam vsque pomeridianam acriter pugnatum esset, ignis vnam nauium inuadens, vento surgente ita statim sparsus est, vt plurima pars reliquarum, antequam se extricare possent, incensa sit: hinc prælium finitum, dum quisque vitam seruare in nauibus ab igne iliatis festinat, multis in mare desilientibus, & ad proximas naues natantibus, sine discrimine tam amicis quam inimicis in eas receptis. Galli verò cum iam in Hollandicis quibusdam numero plures & potentiores essent, earum quinque Diepam auehunt, Hollandicis sex, totidemque Gallicis igne consumptis, vna quoque Gallica submersa. Censentur hic perijsse Galli mille, inter alios Ammiralius: Hollandi autem trecenti. Hollandorum strenua pugna comprimis celebrata laudibus, quod tantum onerarias & parum instructas, Galli autem bellicas multo plures, militumq; numero potentiores, haberent naues.

Ordo Aurei Velleris Antwerpiæ celebratur.

Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, decimo octauo Ianuarij die, Rex magnificè rursus Antwerpiæ excipitur, multis arcubus triumphalibus in eius honorem erectis. Hic primò in primario templo aurei Velleris Ordinem celebrat, eodem plurimis Belgij aliarumque regionum viris principibus decoratis.

An. 1556. *Inducie turpes.*

Dum in Belgio inducie adhuc aguntur, nouum in Italia oritur bellum, instructu Pauli IIII. Pontificis, ordinis Iesuitarum auctoris: fuit hic Paulus Neapolitanus è Caraffarum familia, quæ bellis Neapolitanis Gallicas semper partes fouerat: eamque ob rem plurimi eorum Neapoli exulare coacti, Gallo Regi tunc militabant. Cardinalis itaque Caraffa Iesuita ad Pontificij dignitatem euectus, suam inprimis familiam vt moris est, promouere, & Nobiles atque Cardinales Italos sibi inimicos, Imperatori verò & Burgundionibus amicos, per fas nefasque vlcisci meditatur, familiæ Romanæ Colomnensi alijsque quos conspirationis contra se accusarat, vehementer infensus: Hi autem dura Pontificis persecutione coacti, auxilium à Duce Albano pro Philippo Rege apud Neapolitanos Gubernatore, à Duce quoque Florentino, alijsque petunt, qui eo lubentius faciliusque statim eis opem præstant, quod Pontifex Paulus Philippum Regem, in Regno Neapolitano, illud à sede Romana in feudum tenentem, confirmare recusaret, Imperatori præterea Regique anathema & diram proscriptionem intentaret. Albanus itaque sedulò suppetias fert Colomnensibus, & Pontificem multis captis expugnatisque locis, in periculosissimas adigit angustias: qui Gallorum Sedi Romanæ semper auxiliatriorum, cōfestim implorat subsidium. Quare sub finem anni millesimi quingentesimi quinquagesimi sexti, ex Gallijs Dux Guisianus cum viginti circiter tam equitum quam peditum millibus in Italiam mittitur: nihil autem magni exequitur. Vrbe enim Roma obsidione ab Albano cincta, Belgarum quoq; ad Quintini fanum victoria Pontifici nunciata, & Gallis domum redire iussis, pax componitur.

Ἀγὼν ἱππικὸς inter Maximilianum.

Bactrum inuadere tentat Gallus.

Dum istud in Italia geritur bellum, in Belgio partes vtrinque, inducijs spretis, altera alteram circumuenire studet: Præcipuè autem Regalium ferijs præcidaneis Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Ammiralius Galliæ, Picardiæ Gubernator duacum capere tentat, sperans ciues incautos celebrandis tunc Regalibus intentos facile opprimi posse: falsus autem hic sua spe, Lentium Artesiæ oppidum post capit & diripit.

Carolus cum vtraque sorore in Hispanias proficiscitur.

Interea Carolus Imperio defunctus, itineri in Hispanias se accingit cum vtraque sorore, Helionora Regina & dotaria Galliæ atque Portugalliæ natu maiore, & Maria Hungariæ Regina, Belgij Gubernatrice, minore, quam inuite discessisse fama tunc erat: verum eius abitus perneccessarius visus est quibusdam summæ Belgicarum regionum gubernationi, absque attēto obseruatore aut exacto custode, inhiantibus. Abeunt itaque simul: & primò Gandauum, inde ad Stationem, qua in Zelandiam commodissima nauigatio, veniunt: hic Regi qui eos huc vsque deduxerat, vale extremum dicunt: post Flissingam Zelandiæ oppidum appellunt: tandem vento

Digitized by Google

vento ſecundo, decimoquinto ſeptemb. anno 1556, naues cenſcendunt, proſperoque curſu Hiſpania potiuntur. Carolus inde in Caſtiliam profectus, octo à Placenza miliaribus prope pagum Sciandiglium in Monaſterium Iuſti, ordinis D. Ieronymi, ſe recipit, ibique adhuc duos annos vixit. An. 1564.

Rex Philippus poſt patris diſceſſum, Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, ſuæ matris ſorore filia Portugalliæ natum, Belgij Gubernatorem conſtituit.

Status Belgici Italico & Gallico grauati bello, nouennalem exactionem Regi conſentiunt: harum autem pecuniarum adminiſtrationem, & præſidiorum atque turmarum publicè merentium ſatisfactionem ſuo officio reſeruant: quæ res multis ſibi id arrogantibus non parum diſplicuit: hinc Regis ſubditorumque mutua alienatio & offenſio orta, cum Regi eſſet perſuaſum, hoc modo ſuæ Maieſtati ſummoperè derogari: Huius collationis ſiue exactionis ratio excreſcebat in ſummam quadringentorum auri vaſorum, quæ ſunt quadraginta miriades: vnde in Germania Ducibus Holſatiæ, Brunſchvvici, Comiti Svvartzenborgio, alijsque ſuppeditabatur, quo militem conſcriberent. *Collatio vetuſtaria nouennalis exactionem.*

Rex Martio menſe anno 1557. in Angliam ad vxorem Reginam Mariam proficiſcitur, bellica auxilia petitum. Regina iubet ſeptimo Iunij eiuſdem anni, tubarum clangore extremam promulgari in Gallos terra marique inimicitiam: proclamationeque typis edita, Gallorum Regem accuſat conſpirationis, coniuratis Duce Northumberlandiæ Thoma VViato, Dudleio & Arſchetomo alijsque Anglis rebellibus: quòd hos foueret & inſtigaret: pyratas præterea, monetariosq; eius monetam imitantes reciperet & protegeret: quòd hæc omnia contra fidem Anglico Legato datam faceret: nuper quoque Thomam Staffordum rebellem, arcis Scarborenſ capiendæ cauſa miſiſſet: clandeſtinas machinas in ciuitatem & ditionem Caletanam molitus eſſet: Germaniam inferiorem, cuius defenſioni Regnum Angliæ antiquitus certis contractibus & legibus obligatum, debellaret: Reginæ pacificationem & interceſsionem in peiorem partem accepiſſet: ſe præterea vicinum bonum præſtare nollet: quibus de cauſis ei inimicitias apertas declarat, &c. Hæc omnia etiam Regina Rhenis Campaniæ vrbe Regi Gallorum per Fœcialem ſignificat: quem Rex munere donatum ilicò dimittit, hoc reſponſo: Cùm Regina cui ipſe amicus ſemper fuerit, nulla occaſione nunc ei inimica eſſe velit, ſperare ſe, iuſti Dei auxilio, viam & facultatem contra inimicam mulierem defendendi inuenturum, hoſtemq; non aliter atque ſui maiores feciſſent, ſuperaturum. *Bellum in Anglia contra Gallos proclamatum.*

Hoc orto bello Regina in ſuo regno militum equitum & peditum, foſſorumque cuniculariorum veſte cærulea veſtitorum circa ſeptem millia colligit: hi ducibus Comite Penbroeckię, Domino Clintoneo Vicecomite de Monteacuto, fratribus Dudleis, Northumberlandiæ Ducis filijs, pluribuſque alijs, Caleto in caſtra ad Quintini fanum cum Rege veniunt, operamq; ſtrenuè in oppugnando & expugnando oppido confecerunt: vbi Henricus Dudleus ſclopo ictus occidit. *Anglı ſuppetias ferunt Belgis.*

Rege ex Anglia reuerſo ſexto Iulij, anno 1557. Dux Sabaudiæ, Princeps Auraicus. Dux Arſcotanus, Comites Egmondanus, Meganus, Manſveldius, Barlemontius, pluresque alij, milite collecto, iunctis etiam Germanis equitibus ac peditibus, Guiſiam petunt, caſtraq; hic, tanquam oppidũ obſeſſuri, metantur: copijs autem omnibus vndiq; adductis, iubet Sabaudius Quintini fanum equitibus ferentarijs cingi. Erant hic in præſidijs Dominus Telignius cum Turma equitum Delphini, & Brellius vrbis Gubernator, breui quoq; poſt de nocte intromiſſus Ammirallius Galliæ, Gaſpar Collignius, Comes Caſtillionius. Quintini fano iam obſeſſo, dum tormentaneæ applicantur, cuniculi fodiuntur, aggereſque iaciuntur, Rex Henricus interea Ducem Montmorenceiũ, Magiſtrum equitum, quem Conneſtablium Gallię vocant, cum valida manu eo mittit, vt oppidum præſidio fortiori muniat: quod paludis ſiue lacus ab vna eius parte commoditate facile fieri poſſe ſperabat. Itaque Coneſtablius copijs inſtructis caſtra hic locat, vnde in hoſtium ſtatiua, & in Ducis Sabaudiæ tentorium tormentis æneis ſic iaculatur, vt Sabaudius in locum vbi Egmondanus manebat caſtra mouere ſit coactus. Coneſtablius & qui cum eo erant viri præſtantes, Dux Neuerſius, Princeps Condæus, Marifchalcus Diui Andreæ, Dux Montpencerius, Comes Villarius, Sancerrius, Dominus Andelotus, Comes Rheni, pluresque alij omnem adhibent diligentiam quo per lacum hunc ſubſidia obſeſsis, Domini Andeloti fratris Ammiralij ductu atque auſpicijs, mittantur: verum ſcaphis quibuſdã imperitè directis, quibuſdã nimio milite onuſtis in fundo hærentibus, factum vt non omnes deſtinati eo peruenerint. Andelotus autem cum quadringentis aut quingentis matutino tempore, 10. Auguſti oppidum intrant. Quo die, totius Burgundici exercitus in tentorijs Egmondani coacto concilio, conſultatur & coniectatur quid rerum agant Galli: arbitrantes autem, vt res ipſa erat, ſubſidiarum militem in oppidum nocte præterita intromiſſum, atque re iam *Quintini fanũ obſeſſum.*

Digitized by Google

An. 1557. confecta reliquum hostilem exercitum abitum meditari; Egmondano feruenter & acriter vrgente statuunt, contra multorum tamen sententiam, hostem abeuntem perfequendum: ingrediuntur proinde stratam quandam & anguſtam viam, in medio ſitam, cum primis Egmondanus cum equitibus ſerentarijs, quos Germani equites, & poſtremo pedites ſequuntur. Galli paludis ſitu, & munitioni freti, neque longo tempore hic hærere volentes, viastranſituscue parum munierant: verum vbi vident Burgundos magnis copijs huc iter inſtituere, Dux Neuertius cũ equitum aliquot turmis eo cõtendit itineris intercludendi cauſa: qui vbi propius venit, viam copijs hoſtium obſeſſam, & duo ferè equitum milia iam tranſiſſe cernit, cùm quibus conflictari, conſultum neutiquam putabat, quod oppido tantùm ſuppetias ferri, non autem fortunam prælio tentari, Regem ſuum velle ſciret: gradum itaque refert verſus Condæum Principem, qui cum ſerentarijs equitibus acie inſtructa prope molam quandam conſiſtebat: hique viribus ſimul iunctis, vſque ad Conſtablij agmen iam diſcedens, illæſi perueniunt.

Prælii apud S. Quintinum.

Abeuntes Gallos Burgundi tribus à Quintini Fano miliaribus perſequuti, octo potentiſſimis equitum turmis ſtrenuè inuadunt: hinc Egmondanus cum equitibus ſerentarijs illinc Duces Henricus & Erneſtus Brunſchvvicenſes cum duobus equitum millibus, atque Dux Hornanus cum grauis armaturæ equitibus ordinarijs mille, aliiſque, Ducis Holſatiæ & Comitis Manſveldiæ copijs, in ſubſidium ſubſequens, tanto impetu atque feruore Gallica agmina aggreſſi, vt prioribus copijs profligatis, alios in fugam egerint, acie omni vndique perturbata. Conſtablius de equo deturbatus, vulneratuſque capitur cum duobus filijs. Dux Angienius, Ioannes Borbonius Princeps regij ſanguinis, frater Vendomij, Princeps Condæus ſclopeti ictu, interfectus: cecidit etiam Vicecomes Turonius, filius Rochei-Manei, pluresque alij nobiles. Capti præter Conſtablium multi principes viri, inter quos Dux Montpenſierius, Princeps regij ſanguinis, Marſchalcus Sancti Andreæ. Dux Longueuillius, Ludouicus Princeps Mantuanus, Dominus Vaſſeus, Baro Curtonius, Rocheus-Mayneus, Comes Rheni Germanicæ militiæ præfectus, omnes hi Regij ordinis equites torquati. Præter hos Comes Rochefocaurius, Dominus Aubignius, Rochefortius, Bironius, Capelle-bironius, Heranius, pluresque alij. Fuga elapſi Dux Neuertius, Princeps Condæus, Comes Sancerius, Dominus Bordilionius, & alij non pauci. Cæſi hic & capti, vt ipſimet Gallici Scriptores tradunt, peditum decem, equitum tria millia: tametſi præcipuæ prælij loco circiter tria tantum caſorum millia ſint numerati: Signa militaria, & tormenta ænea hoſti erepta, paulò pòſt Philippo Regi cum Anglis in caſtra prope Quintini phanum magnifice ingreſſo tradita: captiui quoque ei oblati. A Burgundionum parte pauci, excepto Ludouico Brederodio, eximij nominis cæſi.

Præſidiarij milites tertia tandem die nuncio tantæ cladis accepto, acriter atque animoſe ſe gerere non deſinunt, auſpicijs conſilijſque Ammeralij & Andeloti duorum fratrum Germanorum, qui non hic tantum, ſed & alibi poſtea ſe ſtrenuos peritoſque in re militari præſtiterunt. Poſt cladem introgreſi adhuc in oppidum milites ducenti: quibus ſimul computatis, præſidiarij tam pedites quam equites octingenti aut paullo amplius fuere. Suffoſſa longo tempore varijs cuniculis vrbs, tandem vigeſimo primo Auguſti tormentis muralibus ſeptem continuis diebus concutitur, eiuſdem menſis die vigeſimo ſeptimo vndecim ruinis pateſacta. Præſidiarij eam ab hoſtium irruptione vndique tueri & munire ſatagunt, ediciturque ne quis pœna capitis aliquam deditionis mentionem faciat: prima enim oppugnatione ſtrenuè propulſata, non facile rurſus oppugnatos iri ſe ſperabant. Verum hæc ſpes eos fefellit: nam hoſtes quatuor locis vrbem ſine mora inuadunt: vno Cazierus Hiſpanus cum copijs Lazari Svvendi: ſecundo Nauarretus cum ſuis Hiſpanis, & Comes Meganus cum VValonibus: tertio Iulianus Romerus cum tribus Hiſpanorum cohortibus, & duobus Anglorum millibus: quarto Caron-

Quintini fanũ expugnatur.

doletus cum Burgundicis copijs. Hac tam dura oppugnatione tandem Quintini fanum expugnatur: facilime quidem ab vna parte qua per turrim hoſtis ſecretò intrat: quo dum accurrit Admiralius & muri ruinam deſtitutam atq; in cuſtoditam inuenit, ab hoſte obuio ſtatim capitur, tribus tantum viris & vno pediſſequo comitatus, reliquis locis oppugnatione adhuc diu durante.

Admiralius Galliæ capitur in certere lectione Bibliorum reformat Religionem

Demiſſus per ruinam meatumque ſuffoſſum Admiralius primo in Alonſij Caſteri, pòſt in Ducis Sabaudiæ conſpectum venit, qui eum ab Hiſpano, à quo captus erat, in ſuum tentorium duci iubet: hinc Antverpiam vehitur, vbi ſex hebdomadibus febri grauiſſima laborat: reualeſcens curas, atque ſollicitudines ſacrorum Bibliorum lectione fallit: qua permotus Reformatæ Religioni conſtanter adhæſit. Antverpia Sluſam deuectus tandem quinquaginta coronatorum millibus redimitur. Capitur quoque eius frater Andelotus, qui nocte per tentorium quoddam ſubrepens euadensque Hamum venit. Capti præterea

D. Iarna-

D. Iarnacius, Remigius, Humerius, pluresque alij. Oppidum diripitur, & plurima parte con- An. 1557.
crematur.

Missus hinc à Rege Philippo Dux Arenbergius cum Germanicis copijs. Casteletum obsidet: quod ciâ Barone Solignacio statim deditur. Baro autem tam festinatæ deditionis accusatus, & Lutetiæ captus, causatur præsidiariorum militum paucitatem, cùm è trecentis quos tantum habebat, media pars, aut occisa, aut læsa esset, lateribus & saxis undique disiectis & sparsis vi tormentorum æneorum: & quòd defensioni nullus fuerit in oppidi summa angustia locus.

Duo hæc capta oppida muniri iubet Philippus. Nuncio autem allato Gallum militibus undiq; collectis rursus prodire, statuit non vlterius in Franciam tendere: sed Hanum oppidum ob *Hanum capit.*
sidione cingit, quod crebris tormentis bellicis contusum tandem duodecimo Septembris deditur, Regisq; iussu communitur. Capiuntur interea atque igne delentur Noyonium, Chaulinium aliaque loca. Instante iam hyeme Bruxellas redit Rex, dimissa exercitus maxima parte, Angli quoque in patriam remeant. Obijt hoc tempore mortem Bruxellæ Ferdinandus Gonzaga Italus, è castris cum Rege reuersus, bellator vetus atque præstans inprimis, omnium in hoc exercitu facilè exercitatissimus, qui etiam Carolo Quinto fedulam in bellis operam nauauit.

Baro Polleuillius Regis nomine nouem circiter armatorum millia in Burgundiæ comitatu *Polleuillius*
collegerat, Bresiam inuasurus, Burgumq; Bresiæ oppidum obsidione cinxerat, quod aliter *Bresiam fru-*
quàm putarat instructum sentiens, & Gallicum exercitum ex Italia aduentare, iamq; duo sagit- *stra inuadere*
tariorum millia cum Vidamo Chartresio Bresiam intrasse, ab obsidione desistere non sine de- *tentat.*
decore cogitur.

Gallorum Rex prælio superatus, & Quintini sano aliisque locis destitutus, militem denuò conscribi iusserat Compiegnæ, à Duce Neuersio: Guisium præterea Ducem cum suis copijs ex Italia, accersiuerat. Quare Romanus Pontifex, priora veritus, pacem meditatur, legatis *Pax inter*
ad Ducem Albanum missis. Initur pax ea lege, vt Albanus, Regis Philippi nomine, fidei *Pontificem*
clientelaris, obedientiæque, quam filius deuotus veniam impetraturus sancto patri debet, *Rom. & Philippum Regem Hisp.*
iuramentum Pontifici præstet: eique omnia oppida capta restituat: atque ita Pontifex propitius Regem bellique huius studiosos omnes, Marco Anthonio Colonna, Ascanio à Corsica, aliisque quibusdam exceptis, in gratiam recipit, & noxæ, anathemati, diripiq; proscriptionibus eximit.

Gallicus exercitus vndique collectus Guisij ductu Caletum inuadere molitur. arte atq; ma- *Caletum capitur.*
chinatione prius quidem ab Admiralio Castilionio concepta, nunc verò à Marschalco Strotzio attentius peruestigata. Cingit itaque obsidione Guisius cum suis Caletum ipsis calendis Ianuarij, statimque arces duas, Nieuambruggam in vnico ad oppidum Caletum aditu sitam, (reliquis locis vndique palustribus & inaccessis) & Rysbanckam in ipso portu, oppugnant: Arce vtraque viris parum munitâ (in oppidi maximè præsidium militibus dispositis) tormentorum bellicorum vi, citò expugnatâ, quarto Ianuarij iter omne terra, marique intercludunt: deinde castrum Calctanum triginta tribus tormentis æreis tanto impetu atque fragore concutiunt, vt terribilis bombardarum sonitus Antverpiæ, 33. inde milliaribus sit auditus: muris autem labefactatis partimque dirutis, & aditu patefacto, atque æstu maris iam decrescente, strenuè oppugnant, validoque incursu, Anglorum maximam partem ex castro in oppidum fugant, ipsius castri præfecto Anthonio Agero, equite aurato cæso. Angli arte Gallica se delusos misere sentiunt: cumque maris æstus rursus accederet, omni spe subsidij destituti, tametsi numero pauci, Gallos animose inuadunt, atque castro eijcere laborant, sed frustra: Ocius enim à Duce Aumalio & Marchione Albeuffio propelluntur: pulsis redit in præcordia virtus, accensique spe castri recuperandi, festinatò duo aut tria tormenta in ipso castri ponte collocare, & cuniculos atque meatus subterraneos impigre suffodere nituntur: sed hostium multitudine superati partim cæduntur, partim in fugam aguntur: portaque à Gallis aggere obstruitur. Castro tam repentè capto, Dominus VVentworth Caleti Gubernator, alijque primates, vbi se, totamque ciuitatem in summo versari discrimine, & viris (cùm vix trecenti bello & armis apti superessent) rebusque pluribus necessarijs parum munitos atque instructos vident, nullam denique auxilij aut subsidij spem superesse, sæuo aquilone aditum omnem ex Anglia prohibente, ita vt cælum & solum Anglis aduersari, Gallis verò fauere videretur; pacisci cum hoste statuunt, idque eo magis, quod militem nullum, etiam oblatum, ex Flandria à Philippo Rege, admittere auderent, suspicione iniecta, Regem oppidum sibi vendicare, suisque ditionibus adiungere velle. Eaque inprimis de causa sententiæ Regis (cum postremò ex Anglia profectus per Caletum, vitia quædam in vrbis munitione sibi visa transcripsisset) Senatus Anglicanus non solum fidem non habuit: verum etiam suspicionem, inde collegit. Cardinalis

Polus

An. 1558. Polus & Episcopi aliquot in Angliæ regno auctoritate & consilio pollentes quanti esset momenti oppidum eiusque situs ignorantes, existimabant Regis Philippi authoritate, oppidi optimè muniti rumore, rerum necessariarum sedula prouisione, succurrendi quoque (cum mari præualerent) perbreui & commodo itinere, facile Gallos (ne quid hostiliter attentarent, aut machinarentur) deterreri posse: quod quidem postea liquidò satis probatum est controuersia iudiciali, qua Gubernator D. VVentvvort, Gallica captiuitate exemptus, in actione sua crimen obiectum coram senatu diluit, in sui purgationem testatus, se sæpissimè varijsque temporibus eos admouisse oppidum parum munitum, præsidium inualidum & rarum, hostemq; insidias moliri: hæc autem sua monita Cardinalem, & Episcopos præcipuos regni Consiliarios parui fecisse, eique respondisse, se alba virga facilè oppidum defensuros: quod si ipse paueat, domum redeat: his similibusque dictis se protelatum causatus. Ira Caletum negligentia incuriaq; amissum: Præsidiarij enim & incolæ hostili vi oppressi, cum nihil spei superesset, oppidum 8. Ianuarij, anno 1558. stilo Romano, certis legibus dedunt: vita omnibus salua: pecunijs bonisque victoris arbitrio relictis: incolis omnibus, quocunque vellet, ex oppido migrare iussis: quinquaginta delectis captiuis: militibus cunctis in Angliam coactis abire vacuis: inhibitum præterea domos, annonam, commeatum, arma, tormenta bellica destruere, corrumpere, cælare aut comburere.

Hinc Gallorum copiæ Guineum petunt obsidentque. Agitabat hic præsidium D. Greyus vetus expertusque miles, cum quadringentis ferè Anglis, VValonibus, & Hispanis, atq; Montdragonius à Philippo Rege eo missus. Galli festinato triginta quinque ænea tormenta disponunt: quæ breui temporis spatio circiter decies millies displosa, propugnaculum aliaque loca multi ruinis patefaciunt. Die 20. Ianuarij tribus locis fit oppugnatio, non sine summa vtrinq; clade. Propugnaculis expugnatis, D. Greyus cum reliquo milite in veterem quandam oppidi arcem confugit, inde in colloquium venitur, pacisque vtrinque, milites proprijs armis secuti delatis discedant, signis militaribus, munimentis, commeatu & tormentis æneis relictis: Greyo cedere iussique militum ducibus & primarijs viris captiuis seruatis. His peractis, Galli oppidum, vtpote sibi minus commodum, solo æquant. Castrum insuper Hammeum situ loci munitum, & munimentis tormentisque bellicis bene instructum deserunt Angli.

Guynet capitur.

Hoc modo Anglis omnia reliqua à maioribus parta atque conquisita, & in ipso continenti ducentis & vndecim annis possessa, breui à Gallis sunt adempta, ipsique intra suas insulas inclusi. Locis autem his omnibus Regis Galliarum nomine præfectus Dominus Thermeus. Victores Galli multa præda spolisque opimis potiti: præcipuè æneis tormentis (vt Galli Scriptores tradunt) plus minus trecentis, totidemque ferreis, commeatus maxima copia, bellicis munitionibus plurimis, Lytro quoque redemptionisque captiuorum pretio summa incredibili æstimato.

Primo de Gallorum hostili machinatione allato nuncio, in Anglia belli apparatus magnus, ingensque, tam nauium quam militum subsidiariorum instructus numerus: verum maris horrida tempestas nullum (nisi oppidis, castris atq; præsidijs omnibus captis & superatis) triumphum permisit. Qui quidem casus aduersus Mariam Angliæ Reginam ita torsit, vt mœror non leuis causa mortis fuerit: obijt eodem anno 17. Nouembris.

Regina Scotiæ Delphino Gall. nubit.

Galli præterea in Arduennis castro Herbunotio potiuntur. Galliarum Delphinus vxorem ducit Mariam Stuartiam Scotiæ Reginam, vnicam Iacobi Quinti postremi Regis filiam: nuptiæ Parisijs celebratæ 24. April. 1558. Quo tempore generosa Lotharingię Ducissa, Christierni Regis Daniæ ex Caroli quinti sorore, filia, primo de pace vtrinque inter Reges agere cœpit.

Theodonis vil. Loothersessa & copiæ à Gallis

In æstatem, Galliæ Rex ad quatuor equitum millia, peditum verò quatuor decim colligi iubet in Germania: equitum ductoribus Duce Lunenburgio & Landtgravio Hesso, præfectisq; Grombachio & Reyfbergio: peditum verò, Comite Rockendelfio, Keycrochio, aliisque. Huic in Lotharingia lustrato exercitui, Duces Guisius & Niuersius Gallicis copijs instructi se iunxerunt, atque Theodonis villam, siue Theouillam, vulgo Dietenhouium, Lotharingiæ ad Mosellam oppidum præsidio 1800. militum munitum, cui Quarebbius vir nobilis Louaniensis præsidebat, obsidione cinxerunt: & 5 Iunij triginta quinque tormentis æneis impetere incipiunt. Comes Hornanus cum tribus peditum cohortibus subsidio obsessis venire sæpe conatus, violenter propulsatur. Galli Bombardis atque suffossionibus muros labefactare non desinunt, donec opportunè è turribus & propugnaculis quibusdam superatis oppugnare datum est: vnde obsessis tantum damni illatum, vt tandem omni spe subsidij prorsus destituti, in colloquium cum hoste venerint: atque 22. Iunij 1558. oppidum dediderint, ea conditione, vt milites pedites gladium & pugionem, equites sua arma, ciues quicquid baiulare possent, secum efferrent. Cæsi in hac obsidione plurimi Galli: inter præcipuos Marschalcus Petrus Strotzius, cui, cum Duce Guisio (manu eius humero innitente) colloquenti, pectus sclopeto traiectum. Capta hoc modo munitissima Theonis villa: culpa potissimum translata in Gubernatorem Quarebbium, qui,

Mors Petri Strotzij.

quod

quod è vulgari Nobilium genere eſſet, parum dignitate & auctoritate apud ſuos milites pollere eſt viſus. An. 1578.

Interea dum hæc in Lotharingia geruntur, Marſchalcus Thermeus Caleti Gubernator, decem peditum millibus, & equitum mille qningentis, ex præſidijs circumiacentibus alijſque locis collectis, Flandriam inuadit, Haam amnem traijcit, agricolarumque iter intercludere conantium, magnum numerum cædit: Grauelingam & Borborgum præteriens, Dunkerkam maritimá vrbem nullo præſidio munitam obſidione cingit: Machinis igniuomis, in arenarijs aggeribus collocatis, muros quatit, dumque ciues de deditionis conditionibus colloquuntur, Galli vrbem expugnant, ſpoliatamque tandem concremant: Inde VVinocksbergam inuadunt, expilant, terriſque ignem inferunt: poſtea agros omnes Neoportum vſque depopulantur. *Dunkerka obſeſſa, capta & ereepta.*

Philippus Rex nuncio Bruxellæ accepto, ſe tam in regione Lutſenburgica quam Flandrica à Gallo præuentum, vndique militem colligit, Ducemque Sabaudiæ Archiſtrategum ſuum, Guiſio reſiſtendi cauſa, in Comitatum Namurcenſem mittit, in Flandriam verò Comitem Egmondanum Gaure Principem, authoritate ei data, illis locis, antequam Thermei copiæ crecerent prouidendi. His mandatis Egmondanus vndiq; ex præſidijs collecto exercitu, cum D. Bugnicourtio militari tribuno, alijſq; ex caſtris Sabaudiæ Ducis miſsis, ſimul numero decem aut duodecim peditum millibus, equitum verò duobus aut amplius, cum magna fugatorum agricolarum eo confugientium caterua, hoſtem aggreditur, qui metu in locum munitum non procul à Grauelinga ſe receperat: hic eum Egmondanus velitationibus ſtatim laceſſit. Thermeus vbi videt ſe in hoſtili terra numero militū inferiorem, ſtatuit cum ſuis poſtridie ex Flandria Caletum, per littora, recedente maris æſtu, petere: Dunkerkam flamma deleri præcipit: amnemque Haam infra Grauelingam traijcit. Quod vbi Egmondanus, Bugnicourtius, Marchio Renteius, Comes Reuſius, alijque reſciſcunt, conſilio habito, hoſti iter præcludere, atque omnem prædam eripere, ne qua amplius Flandriam vexandi Gallos inuadat cupido, conſtituunt: idque contra vulgo tritum prouerbium, Hoſti diſcedenti aureum pontem ſtruendum. Amnem ergo Haam tranſeunt vltra Grauelingam, nondum maioribus tormentis bellicis inſtructi: Galloque non procul à Grauelinga obuiam fiunt, quo loco Caletenſe emiſſarium (vulgo Sluſa dictaq) olim fuit. Thermeus cernens ſe ab hoſte certò inuadendum, aciem quàm poteſt commodiſsimè inſtruit: auſtrum verſus (tametſi hic tractus litturibus aggeribusque arenarijs latis munitus) currus, impedimenta, omnemque prædam collocat: à dextra, ſeptentrionem verſus, maris, à tergo Haæ amnis beneficio tutus: ita vt non niſi à fronte impeti poſſet: qua quidem parte maiora tormenta, colubros ſex, falcones tres diſponit: inter hæc equites, quorum latus vtrumque claudunt Gaſcones ſclopetarij, inter equos & tormenta ponè ſtant Germani & Galli haſtati. Contra hos Egmondanus equitatum in quinque ordines, quorum tres leuis armaturæ, qui impreſsionem faciant, partitur: dextri laæris agmen Comes Pontevalleus, ſiniſtri Enricus Enriques ducunt, ipſe Egmondanus medium ſibi ſumit: quartus equitum ordo Germani nigra armatura: quintus turmæ Belgicæ, ducibus quæque ſuis: à tergo ſequuntur pedites Belgæ, Germani & Hiſpani, tribunis Bugnicourtio, Monachuſio, Ludouico Caruagialo, & alijs. Ad hunc modum directis aciebus, Egmondanus decimo tertio Iulij anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octauo, ſuorum animis bellicoſe excitatis & confirmatis, hoſtem aggreditur. Galli ad defenſionem parati aduerſarios animoſe excipiunt, tormentisque aneis magnam ſtragem edunt. Hic Egmondani equus quo vehebatur, tormento traiectus concidit. Ipſe autem intrepidus cum ſuis Gallicas copias valido impetu inuadit: loco arenoſo, lato & plano ſit cominus pugna: manus conſerunt, vir in virum, equus in equum, acies in aciem, quod longo ante tempore raro admodum viſum. Sed caſus quidam inopinatus, ſummo Burgundionum commodo, interuenit. Forte fortuna Anglicanæ naues, à Regina, tam iter apertum & tutum ſeruandi, quàm auectionem prædæ Dunkerkanæ Gallis impediendi gratia miſſæ à Douura vltro citroque ferebantur. Malinæus huius claſsis præfectus, vbi prælium è mari in ſolo proſpicit, ocyus naues minores, quarum maior copia erat, littori (quàm poteſt proximè) applicat. Hic Angli globorum maximam vim in Gallos eiaculantur: verum quòd longius à terra abeſſent, parum damni, iaculationibus plurimis irritis, inferunt, g' obis ſæpiſsimè ettam in Burgundos cominus pugnantes prouolantibus. Hac nihilominus interturbatione Gallorum animi adeò infirmati, contra verò Burdundionum roborati fuére, vt Gallicus equitatus, cuius præcipua pars equis publicis merentes, viri nobiles, armis & equis optimè inſtructi, ceſsim ire ceperit, retrocedentibus acrius inſtant Burgundi, rumpunt acies, in fugam primo equites, poſt pedites vertunt. Egregiam reportant laudem ex hoſtibus hoc certamine Burgundi, magno quidem equitum leuis armaturæ, maximo autem ipſius Egmondani decore, qui ſe non ſolum prudentem ac prouidum, verum etiam audacem & ſtrenuum præcipuè præſtitit. Nec paruam victoriæ gloriam hic conſequuti Bugnicourtius, Renteius, Reuſius, Enriquius, *Comes Egmondanus opponitur Galli in Flandria.* *Prælium Grauelingæ.*

An. 1558. Enriquius, Ponteuallius, Fontaneus, Caruagialus cum ſuis Hiſpanis, & Monachuſius cum Germanis militibus. At Marſchalcus Termeus à Gallis quibuſdam incuſatur, quod non prius pridie veſperi caſtra mouiſſet: tametſi conſtaret, ei à Rege mandatum, Dunkerkæ maneret, locum muniret, & copias auxiliares exſpectaret: putabat præterea, defenſionis, atque loci à Caleto vix tribus miliaribus diſtantis, commoditate, & ſtrenuorum militum præſentia, ſibi ſuiſque, ſatis proſpectum eſſe, nihil ab hoſte damni poſſe inferri confidens. Aiunt hoc prælio Gallos mille quingentos cæſos, omnes veteranos, plurimi præterea & ſubmerſi, & fugientes à ruſticis interfecti: pauci admodum elapſi. Captorum numerus non exiguus, inter quos præcipue ipſe Marſchalcus Termeus, Dux exercitus & Caleti gubernator, graui vulnere ſaucius. Senerpontius, Annibalius, Villæbonus, Moruillierius, Chanlitius, pluresque alij. Bellica tormenta, ſigna, ſpolia, prædaque omnis erepta Gallis. Burgundorum interfecti circiter quadringenti, atque inter hos Peleus vir nobilis. Hac procul dubio victoria Philippi Regis & Burgundorum auctoritas atque gloria ſummopere accreuit, vt qui in prælijs Gallos vbiq; dexteritate & virtute ſuperarent. Dunkerka & VVinoxberga concrematæ, à Burgundis recuperantur.

Circa idem tempus claſſem copioſam inſtruit Maria Angliæ Regina, Clintoneo Anglo Architalaſſo. Belgæ quoque (tum ratione initi cum Anglia fœderis, tum quod Regina copias Germanorum militum haberet in Belgio ductu Domini VVilhelmi Pickerini Angli equeſtris ordinis virijad hanc claſſem in Angliam miſere viginti duas naues grandes, optimè armatas, inſtructas & ornatas, præfecto Domino VVackeno, & Capelleo vicem gerente Comitis Hornani Admiralij comitante Domino Cruningio, alijsque nobilibus Belgis cum militum ingenti numero. Hæ claſſes coniunctæ Britanniam ciuſque confinia petunt: & vigeſimo nono Iulij Conqueſtiam adnauigant: hic nauibus expoſiti milites longè lateque terram omnem incendijs & populationibus deuaſtant. Mox Dominus Cherſimontius nobilibus aliquot, popularibus & vicinis circumcirca collectis, cohortes quatuor Belgarum graſſantium, & petulanti audacia longius in continentem excurrentium, cùm Anglos belli ſocios (nuncio aduentus Gallorum accepto ad naues ocyus reuerſos) ſubſequi putarent, profligat, plurimis interfectis & captis. Ita claſsis hæc, in gloria, re nulla præclarè confecta, reuertitur: cuius autem negotij cauſa eò potiſsimum fuerit profecta, ignotum vulgo.

Menſe Auguſto duo potentiſsimi Reges Hiſpaniarum & Galliarum ſuas vndique copias colligunt: tametſi tectè per Aurangiæ Principem cum Conſtablio Franciæ & Mariſchalco Sancti Andreæ captis, de pace ageretur: vade etiam vinculis ambo non longè poſt ſoluti.

Caſtra Regū Hiſp. & Gal. prope Dorlenum.

Auguſti 22. Philippus Rex Hiſpaniarum, Atrebato tendit in ſua caſtra, non longè à Dorleno, triginta peditum, & quatuordecim equitum millibus munita: plurimis inter alios Germanis, quorum ductores, tribuni atque primarij Ericus & Erneſtus Brunſvvichij Duces, Dux Holſatiæ: Comites Svvartzenburgius, Manſueldius, Rennenbergius, pluresque alij. Itali præterea Philippo ſociati, Dux Sabaudius Emanuel Philibertus: totius exercitus Legatus, Duces Parmenſis, Plazencius Seminareus, Atrienſis: Princeps Sulmonenſis: Comites Policaſtorius, Baluius, Landius: Dominus Aſcanius Corneus. Hiſpani, Duces Albanus, Alcous Francouillanus, Villahermoſanus: Marchiones, Balangaunus & Anguillarius: Comites Fuenſalidanus & Melitæus. Belgæ, VVilhelmus Naſſouius, Princeps Arangiæ, Lameralius Comes Egmondanus, Dux Arſchotanus, Marchiones Bergenſis & Renteius: Comites Hornanus, Arenbergius, Boſſutius, Meganus, Lignius, Reuſius, Hoochſtratanus: Domini Montignius, Barlemontius, Glayonius, pluresq; alij viri inſignes.

Contrà vero Gallorum Regis caſtra ad Petræ pontem locata, ingentia & fortia in primis Germanorum, Heluetiorum, & aliquot Italorum copijs: Germanicis autem, præter alios, equitibus octo millibus. Venit huc ipſe Rex Henricus, octauo Auguſti, Comitatus Rege Nauarræ, Duce Guiſiano, totius regij exercitus Legato, præter hos, Ducibus Lotharingio, Niuerſio, Nemourſio, Montpenſerio, Ambumalo, Bollionio natione Gallis: peregrinis verò, Ioanne VVilhelmo Saxone, Ioannis Fredrici olim Sacri Imperij Electoris filio, & Luneburgio Ducibus, Lantgrauij Heſsij quoque filio: inſuper, Principibus Ferrariæ & Salernitano Duce Summano, plurimis Marchionibus, Comitibus, & alijs hic breuitatis cauſa omiſsis.

Potenti hoc exercitu inſtructus Gallorum Rex Henricus, non longè ab Ambianis, copias amnem Somonam tranſmittit, caſtraque, hoſtium caſtris iuxta riuum Auctium collocatis, opponit: hinc vtrinque quidem ſæpè velitatum: leuibuſque dimicationibus certatum, ad horridum autem prælium nequaquam ventum, quod Galli vallis, aggeribus ac foſsis muniti, cladis recens bis acceptæ adhuc memores, prorſus tentare fortunam non auderent. Duorum

procul-

proculdubio potentiſsimorum Regum in caſtris præſentium ſumma vis atque poteſtas vtrunque exercitum metu quodam ab acri prælio abſtinere coëgit: grauia tum à Gallis clade. quæ congreſſu hoſtilium acierum inferri poſſent, perpenſis: ob id in primis quod totius exercitus robur in militibus preegrinis, præcipuè autem Germanis, conſiſteret, quibus in ſubditorum perniciem aliquid machinari facillimum fuiſſet: atque inde factum, vt paci potius quam bello animum tandem intenderint. An. 1559.

Locus itaque tractandæ paci deſignatur Monaſterium Cercampium caſtris vicinum, Eò conuenere menſe Octobri à Rege Hiſpaniarum Dux Albanus, Princeps Auraicus, Rigomes Siluanus, Antonius Perenotus Epiſcopus Atrebatenſis, Doctor Viglius Zvvichemius Conſiliorum præſes, &c. A Rege Galliarum Cardinalis Lotharingius, Anna Montmorencius Franciæ Conſtablius, & Iacobus Albonius. D. Andreæ Mariſchalcus (vterque iam pretio è captiuitate liberatus) Ioannes Moruillierius Aurelianenſis Epiſcopus. Claudeus Albeſpineus à ſecretis. His acceſsit tanquam vtrique parti fauens Lotharingia Duciſſa, cum Duce filio. Interea pacis ſpe vterque Rex paulatim exercitum ſuum minuit, ſegregat, dimittitque menſe Nouembri. *Pacificatio.*

Legatis Regum de pace agentibus, cum de connubio inter Regis Gallorum natu maximam filiam, & Dominum Carolum Hiſpaniarum Principem: atque Regis Gall. ſororem & Sabaudiæ Ducem fere inter eos conueniſſet, iamque ad pacem propè ventum videretur: Reginæ Angliæ, quæ per ſuos Legatos Caletum ſibi reſtitui vrgebat, minimè ſatisfactum fuit: alioquin etiam ipſo Hiſpaniarum Rege pacis conditiones recuſante: verum Maria Angliæ Regina Philippi coniux è vita diſcedit decimo ſeptimo Nouembris, anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi octaui, cum regnaſſet annos quinque & amplius, nulla relicta ſobole: quæ quidem Reginæ mors, pacem in ſpatium plus quam bimeſtre diſtulit. Fuit hæc Angliæ Regina matrona proba: verum in ſummis odijs, inimicitijs atque ſimultatibus, tum diuortij inter patrem & matrem, tum religionis causâ enutrita: quibus maxime occaſionibus ſanguinolentum regnum adminiſtrauit. *Mort Mariæ Angliæ Reginæ.*

Mariæ in Regnum ſucceſsit ſoror Eliſabetha adoleſcentula annos nata viginti quinque, princeps indole vere Regia, animoſa, ingenioſa, erudita & eloquens: ſumma affabilitate, clementia, & conſtantia (quæ in patre potiſsimum deſiderabantur) prædita: quibus procul dubio animi virtutibus toto celeberrima mundo eſt. Fuit in illud vſque tempus, ſororis Reginæ iuſſu, in carcere vt plurimum obſeruata, tam religionis quàm aliorum criminum ſuſpectas plus fauoris atque gratiæ in tantis neceſsitatibus (ſummæ ſuæ virtutis aut alterius rei cauſa) à peregrinis, quàm à proprijs Anglis adepta. Fama autem erat Regem Philippum per Comitem de Feria eam in coniugem requiſiuiſſe. *Eliſabetha ſo Anglia Regina.*

Eliſabetha Angliæ regno porita, ſibi populum affabilitate, comitate alijſque rationibus conciliare ſtudet, diras cauſa religionis perſecutiones abrogat, exercitium verò Catholicæ Romanæ religionis non prohibet: verum in ſolemnibus tam ſuæ inaugurationis quam alijs concionibus ſubditos omnes pacis & vnionis moneri imperat. Statuum Regni ſiue Parlamenti Concilium conuocat: ab his ei ſummum in Eccleſiaſticos imperium traditur, cum beneficiorum eccleſiaſticorum primitijs, ſiue primi anni fructibus: quæ omnia Regina Maria Pontifici Romano tranſcripſerat. Interea ex Germania alijſque regionibus domum rede unt, ij qui religionis cauſa Angliam profugi reliquerant: è quorum numero Epiſcopis & Eccleſiaſticis quibuſdam concionari permiſſum: eaque occaſione nonnulli motâ Regni Statibus, ceremonias ſacrorumque adminiſtrationes in linguam vernaculam, vt tempore Eduardi Reginæ fratris moris fuerat, reſtitui poſtulant, idque ita Dei iuſſu fieri debere. publicis diſputationibus ſe probaturos aſſerunt. Hæc quidem reſtitutio, Reginæ eiusque Senatui facta difficilis viſa, ea maximè ratione, quòd Eccleſiaſtici, qui Statuum ſiue Parlamenti tertium repreſentant membrum, hac de re compellari deberent. Mandatur autem Archiepiſcopo Eboracenſi, Regni Cancellario, atque (Cardinale Polo iam defuncto) Eccleſiaſticorum Præſidi, hanc rem ſuis proponat, cum quemque ſuæ fidei rationem reddere, populoque ſatisfacere æquum ſit. Archiepiſcopus in conuentu mandata ſuis communicat: formamque obſeruandam ſimul deſignat: poſtea ad Senatum refert, Tametſi Religio Catholica Romana tam ſit certa & indubitata vt nullis contradicendi aut diſputandi artibus labefactari poſsit, eos nihilominus paratos eam defendere, ſuæque fidei rationem reddere. Huius rei cauſſa deſignant ex ſuis Epiſcopos quatuor, & Theologos Doctores totidem. Regina, Senatus, parteſque ſtatuunt, diſputationem hanc palam in templo VVeſtmonaſterienſi, coram ſummo Senatu, Statibusque Regni habendam: auſpicandum prid. Calend. Aprilis 1559. diſputandum lingua Anglis vernacula, quæ à quolibet intelligatur: vt inde Status aliquid in Reipublicæ commodum conſtituant: vt Eccleſiaſtici ſuam ſuper propoſitionibus ſententiam ſcriptis primo edant atq; declarent, alteriq; parti tradant. Catholici deſignati: Epiſcopus VVintonienſis, *Anglia à Pont. ſitice Roma deficit.* *Diſputandi decreta.*

An. 1568. Episcopus Lichfeld, Episcopus Cestrensis, Episcopus Carliolensis, Episcopus Lincolnyensis, Doctor Colus, Doctor Harpesfeld, Doctor Langdal, Doctor Chedseius. Reformatæ religionis delecti, Doctor Scorius olim Episcopus Cicestrensis, Doct. Coxus, M. VVhithed, M. Grindalius, M. Horneus, M. D. Sandeus. M. Aelmaz, M. Juellus, viri docti ab ipsa iuuenta in scholis instituti: proponunt hos articulos tres: Lingua ignota loqui ad populum, eaque vti in præcibus publicis & sacrorum administrationibus, verbo DEI & veteris Ecclesiæ consuetudinibus aduersari: Quamliber Ecclesiam posse ceremonias & templi ritus constituere, abolere, & mutare, dummodo ad ædificationem id fiat: Verbo diuino nequaquam probari posse, in Missa sacrificium propitiatorium pro viuis & mortuis offerri.

Fridiæ Kalendas Aprilis, partibus vtrinque in summi templi VVestmonasterienſis medio congregatis, coram Statibus & Senatu Reginæ, inter quos etiam Cancellarius & Archiepiscopus Eboracensis, rogantur Catholici de scripto ab ipsis edendo atque tradendo. Respondet Episcopus VVincestrius, disputantium vnus, male rem intellectam: eos enim nequaquam putasse suas rationes scripto edi aut tradi debere: nihilominus, cum scripta in promptu non sint, viua voce & disputationibus suas partes defendere paratos. Senatui absurda prorsus res visa, statuti ordinem infringere. cum in ipso epilogo allegara fuissent Apostoli verba, Quæstiones & verborum pugnas fugere inuidiam & blasphemias: contentionesque verborum ad nihil vtiles, &c. Nihile minus tamen cum male intellectam constitutionem causaretur VVincestrius, proximoque conueatu communem opinionem scripto comprehensam traditurum certò promitteret atque sponderet, latius viua voce prosequi permissum à Senatu est. Itaque Doctorem Colum, qui primum propositionem pro communi defendat, deligunt: quod quidem Argumentis plurimis adductis, varijsque locorum sacrorum auctoritatibus palam lectis (interdum à socijs aduersus) præstat. Fine sermonis facto, quarit Senatus nunquid amplius addere velint: respondent: nihil. Conceditur postea Reformatis suam quoque sententiam dicere: hi constituo ordine, rationibusque suis scripto traditis id faciunt: præmissaque supplici præcatione, inuocato omnipotente Deo, vt Spiritum suum sanctum ipsis infundere dignetur, addita protestatione insistendi doctrinæ sacrâ scripturâ & documentis Prophetarum atq; Apostolorum fundatæ, ipsum scripturam à M. Roberto Horneo eiusdem reformatæ Religionis viro expresse legitur. Hoc publice lecto, auditoribusq; (vt videbatur) plausibiliquidam Episcopo rum, contra responsum ante lectionem affirmatum, dicunt se habere quod vlterius addant. Quamquam autem hac in re merito arguendi & reprobandi essent, quod verbis suis non steterint, nihilominus vt omnis ignorantiæ & erroris in determinato huius colloquij ordine prætextus tollatur, vtque (si quid ipsis adhuc dicendum restaret) audiri & cognosci plane possit, Senatu Regio, consentientibus vtrinque partibus, statutum est in frequentissimo multorum millium hominum auditorio, vt proximo die lunæ tertio Aprilis Episcopi sine Catholici suas assertiones, opiniones atque rationes in secundum (& in tertium quoque si possent) articulum scripto editas adferant: quibus primo perlectis, Reformati sua quoque publicè legerent, traderentque: Episcopi præterea non solum à Doctore Colo ipsorum nomine tunc dicta, verùm etiam quidquid in primam propositionem adhuc meditari vellent aut possent, scripto comprehendant, & quàm fieri queat citissimè Reformatis mittant: ab ijs tunc quoque scripto accepturi quidquid M. Horneus præsenti die coram legisset: prædicto præterea die lunæ tertio Aprilis statueretur, quo die contradictionem siue responsum in primam propositionem exhiberent. Consentientibus partibus, cœtus cum gratia modestiaque dimittitur, singulis secum reputantibus hanc viam rationemque commodissimam & saluberrimam, qua cum maximo fructu inuicem audire ac intelligere possint.

Catholici Reuocant declinant.

Die lunæ tertio Aprilis, tempore & loco constitutis auditorio, partibusque rursum congregatis, Episcopus VVincestrius cum suis, præcipuè autem Lincolnienſis recusant ea, quæ in secundam assertionem sententiamque parauerant, scripto tradere aut legere ad rationem prædicti ordinis tam liquido concluſi, & ab ipsismet probati. Causas quidem expresse non proferunt: videbantur autem nolle sententias à Romana Ecclesia comprobatas ac determinatas in dubium vocare. Dum huc atque illuc tergiuersantur, D. Nicolaus Bacon Senator, magni sigilli Anglicani custos comi sermone requirit, ordinem ab ipsismet approbatum sequi velint: cum nihil prorsus impetraret, cœpit acriter, duriterque vrgere: maximè quod nulla authoritatis, loci, auditorij, propriè quoque exilliminationis & dignitatis ratione habita recusafarent pacta præstare. Postremo singulorum nominatim sententiæ rogantur: negant vno ore, & sua scripta legi nolle expresis verbis declarant: solus VVestmonasterienſis Abbas authoritatis regiæ, senatus, auditoriſque obseruantior modestius se gessit, reliqui partim seuere & dure, partim temerè & inurbane loquuti. Edito tanto consultionis, pertinaciæ & peruicaciæ exemplo in celeberrimo hoc Statuum regni, nobilium, & populi, venerabilis præterea priuati

consilij

consilij conuentu, discéditur. Regina autem laudabili sua spe frustrata, iudicium omne statibus patriæ defert. An. 1558.

Causa omni perspecta & cognita, Regina VVincestriensem & Lincolniensem Episcopos in carcerem conijci iubet, vt qui adeò obstinatè authoritatem communis directi contempsissent, propriam quoque constitutionem inhonestè violassent: Lincolniensis ad hæc arrogantius quæ alijs se gessisset. Reliquis iniunctum, se singulis diebus coram amplo vrbis Londinensis & VVestmonasteriensis Senatu sistere, donec vlterius de eorum inobedientia, contumacia atque contumelia deliberatum esset: inculpatus autem fuit Abbas VVestmonasteriensis.

Hæc latius ad veritatem, vtque tum temporis typis edita fuerant, hic referre operæ pretium putauimus: cum maximi sint momenti, eorumque Angliæ multum tunc intererat. His enim rationibus Romana Catholica Religio, quàm Rex Philippus & Regina Maria magno conatu & labore, summa quoque gloria, in Angliam rursus inuexerant, inde denuo eliminata & in exilium acta est: ita vt Parlamentū siue Status Regni hoc actu moti, omnes constitutiones & leges religionis ergo, Regis Eduardi sexti tempore sancitas & obseruatas, in integrum restituerint: à Philippo verò & Maria, contra inuectas aboleuerint. Hoc modo Anglia & Hybernia statum religionis mutant. *Mutatio Religionis in Anglia.*

Mortem obierunt hoc anno in Hispanijs, Regina Helionora vidua dotaria Franciæ & Portugalliæ, primo Februarij: & Maria Hungariæ Regina, decimo octauo Octobris, olim Belgij gubernatrix, matrona prudens atque industria, suæ patriæ Belgicæ amantissima, quam inuite grauateque satis deseruit, in Hispanias profecta, vt Carolo fratri gratificaretur, verentine nimium authoritatis (quod fortè Rex Philippus ægrè ferre potuisset) sibi in Belgio fumeret: ijs præcipuè ad hoc Imperatorem infligantibus, qui regnante Philippo officiorum administrationem (nullo obseruatore aut inspectore vel adnotatore) in Belgio ambiebant. *Mors Helionoræ & Mariæ Reginarū*

E vita quoque decessit ardente febri correptus Carolus quintus Imperator, in Castilia, in D. Iusti monasterio, die Matthæo Euangelistæ sacro, vigesimo primo septembris, anno Domini 1558. ætatis suæ quinquagesimo octauo. Imperij trigesimo sexto. Regnorū quadragesimo. Sunt qui scribant Carolū iam moriturum (Archiepiscopi Toletani admonitione, aut apud Germanos olim percepta instructione) confessum, se suam salutem ab vnius IESV CHRISTI meritis exspectare, neque vlla alia in re spem collocare, Reformatorum professione atque sententia: vir procul dubio Heroicus, clemens, audax & magnanimus, multoque rerum vsu peritus, peruicax aliquantulum suæque sententiæ tenax, fortunatus satis. Præter regiones hæreditarias, in Belgio plenè potitus est Ducatu Geldriæ, Comitatu Zutphaniæ, Ditione Vltraiectensi, Regione Transisulana, Dominio Groningensi, oppido Cameracensi: præterea Regnum Thunense, Regiones Americas, Neapolim, Siciliam, Mediolanum constabiliuit atque superauit. Expugnauit suo milite vrbem Romam: triumphauit captis Clemente septimo Pontifice, Rege Franciæ, Rege Nauarræ, Duce Saxoniæ Sacri Imperij Septemviro, Lantgrauio Hessо: Dux Cleuensis alijque supplices eimanus tetenderunt. Postremis fuæ vitæ annis res einon vsque adeo feliciter succesſerunt, pertinacia, malo consilio propositoque obstantibus. Reliquit ex Isabella Portugalliæ, vnicum filium Philippum Regem, filias Mariam Imperatoris Maximiliani coniugem, & Ioannam Portugalliæ Principissam: naturales siue illegitimos Ioannem Austriacum, & Margaretam Parmensem. Orbatus itaque Philippus vno eodemq; anno patre, vxore, & amita vtraq; quibus mense Decembri Bruxellæ iusta exequiarum facit pompa solemni: magnifica autem comprimis Carolo Imperatoris patri, decorata nauli triumphali, ornatissimis armis, signis militaribus, vexillis stataris, & omnium suarum ditionum insignibus splendidè summoque cum honore gestatis propositisque. *Mors Caroli quinti.*

Circa idem tempus in Dania mortui duo Reges, Christianus regnum tenens, & Christiernus viginti duos annos in carcere asseruatus, ob læuam crudamque in subditos tyrannidem: cum enim trium regnorum Daniæ, Svvediæ & Norvvegiæ esset Rex potentissimus, violento suo Imperio tantum sibi odij conflauit, vt electis alijs à populo regibus, regno suo fuerit deiectus: tandem anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Carolo Imperatore auxiliante, Daniam valido exercitu recuperare voleus, cæsis profligatisque suis, captus est. Mirabile procul dubio omnipotentis DEI opus, nostroque æuo insigne exemplum, Paulò ante mortem Christianus Christiernum humanissimè inuisit, iniurias inimicitiasque omnes sibi mutuò clementer condonaré. Duxerat Christiernus vxorem Isabellam Caroli quinti Imperatoris sororem: ex qua liberos susceperit, filium, capto patre, in Belgio mortuum: & Eliam Christiernam, Lotharingiæ Ducissam, quæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, Hispanum & Gallum Reges reconciliauit: eius filius Lotharingiæ Dux, mense Ianuario, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, duxit vxorem Claudiam, filiarum Galli alteram. *Dania Regū duorum mors.*

An. 1558. Mariæ Anglorum Reginæ morte, pacem inter Reges prorogatam diximus. Mense autem Februario prædicti Legati vtrinque in Castrum Cameracesium conueniunt: eo etiam ab Elisabetha Angliæ Regina Episcopus Elienſis, Movvardus Baro Effingeni, & Doctor VVotonius Cantuarienſis Decanus, oratores miſsi: à Sabaudiæ quoque Duce diſceptatores duo: adfuerunt inſuper ipſa Ducissa Lotharingiæ vidua dotaria, & filius Dux, arbitri.

Cum hic hebdomadas aliquot de pacis, inter hos actum eſſet, iamque eo deuentum, vt nihil reſtare videretur quam quod Angli Caletum reſtitutum vellent: qua in re Rex Philippus (quod ſua culpa & controuerſia captum eſſet) ſatisfieri ipſis volebat, alioqui pacem recuſans: Angliæ Regina reſciſſens hanc pacem conſpirationis fundamentum eſſe, qua totus orbis aſpero Catholicæ Romanæ religionis (quam ipſa, cum iactura honoris Philippi Regis, è ſuo regno eliminauerat) iugo ſubderetur: ſtatuit ſe clandeſtino cum Francia ſex cere ſecuriorem reddere: committitur vtrinque negotium Guidoni Caualcantio patritio Florentino: cuius induſtria atque diligentia ſibi ſuoque regno pacem conſtituit: cumque Caletum mœnibus deiectis pateret, facileſque recuperari poſſet, haud grauatè vrbis & terrarum ad eam pertinentium poſſeſsionem in octo annos Gallis permiſit, ea lege tamen vt in maiorem fidem atque ſecuritatem, præter promiſsiones & obligationes, darent obſides quatuor, qui ſe nexu corporis & quingentorum millium coronatorum obſtringerent: obſides autem opportuno tempore mutari poſſent.

Pax conſtituitur. Poſtquam his rationibus Anglorum Reginæ ſatisfactum eſt, pax inter Reges regionesque anno 1559. tertio Aprilis conſtituitur, & 5. eiuſdem menſis Bruxellę promulgatur: litibus controuerſijſq; veteribus vtrinq; prorſus ſeclusis, vtpote de Galli prætenſo in Flandriam ſummo imperio, de Artelia, Inſulis, Duaco, Tornaco, Regno Neapolitano, Ducatu Mediolanenſi, &c. de prætenſis quoque Philippi poſſeſsionibus Burgundiæ, Prouinciæ, Ciuitatum ad Somonam, Comitatu Bollonienſi, pluribuſq; alijs.

Pacis conditiones præcipuæ hæ erant.

Pacis conditiones. Pacta cõuẽtaq; vetera omnia rata firmaq; manẽãt, niſi poſtremo hoc fœdere aliter ſit ſtatutũ.

Pax ſolida æternaque duret inter Reges, eorum liberos, & ſubditos: alteri in alterius terras commeare, ibique negotiari liberum turumque ſit: iura omnia repreſſaliorum excipiantur: priuilegia confirmentur: cuiuſq; ſua bona reſtituantur.

Rex vterq; omni cura & diligentia ſanctam Catholicam Romanam religionem promoueat & conſeruet: concilium præterea œcumenicum celebrari diligenter curet.

Rex Hiſpanus Quintini ſanum, Hanum, Caſteletum Gallo: Gallus Theodonis villam, Marienburgum, Iuoſium, Danvillierium, Montmedium, & reliqua loca Hiſpano reſtituant: neuter munitiones demoliatur: illata tormenta bellica & arma reddantur.

Therouana muris nudata, ea ipſa forma qua eſt, reſtituetur: Iuoſij quoq; mœnia deijcientur: neutrum reſtaurabitur: neque proximis mille paſsibus arx aut propugnaculum ædificabitur.

Heſdinum cum ſuis terris, Philippo vtpote vetus patrimonium, proprium manebit.

Quæſtiones liteſque de Burgundiæ, Artefiæ & reliquorum locorum terminis, aliæ præterea eiuſmodi difficultates arbitrio diſceptatorum vtrinq; committentur.

Quicquid aut Hiſpanus aut Gallus Rex in Marchionatu Montferrati poſsidet (Duci Mantuano. Bullonium Epiſcopo Leodienſi. Inſula Corſica Genuenſibus. Valencia, in Ducatu Mediolanenſi Regi Hiſpano) reſtituentur.

Vt primò condictum fuit matrimonium filiæ maioris natu Regis Galliarum cum Principe Hiſpaniarum Caroloita confirmãdæ pacis amicitiæque ergo conſtitutum, ipſe Rex Hiſpanus iam viduus eandem cum dote quater centum millium coronatorum ducat.

Dux Sabaudiæ coniugem accipiet Margaretam Galliarum Regis ſororem, dotatam ter centum millibus coronatorum, & vſufructu Ducatus Berrienſis.

Rex Galliarum præterea Duci reſtituet quidquid terrarum ei ereptarum poſsidet: exceptis Auguſta. Taurinorum Pignarolo, Chyras. Quier, & noua ciuitate Aſti, quæ ſibi triennio reſeruabit, donec iudicio cauſa definiatur.

Dux Sabaudiæ Princeps manebit neutralis.

Rex Hiſp. Aſtam & Vercelles, donec Gallus prædicta quinq; Pedemontana oppida tradat, tenebit.

Qui prior oppida locaq; tradiderit, ab altero quatuor, quos volet, obſides eliget: hos ſeruabit, donec alter Princeps viciſsim intra bimeſtre tempus, omnia etiam tradat.

Hac pace, vtriuſq; Regis amici, ſocij, vicini Principes, Potentatus & regiones comprehenſi.

Delphinus Galliæ, & Carolus Princeps Hiſpaniæ, ſimiliter Status Galliarum & Belgarum ſingulos huius pacis articulos confirmabunt.

Gallus prior ſatisfacere locaq; reſtituere cupiens, Albanum, Arcoum, Auraicum & Egmondanum obſides deligit, qui ſtatim in Gallias profecti ſe ſiſtunt.

Hæc

. Hæc pax plurimos summa affecit lætitia, neq; immerito. Agitata cunctis Regionibus communia gaudia. Maximè autem Antverpiæ à nono vsque in decimum octauum Aprilis diem, ignes festi tota vrbe incensi: tormenta ænea magno fragore disploſa, pyroboli igneſque miſsiles mira arte proiecti: ludorum & spectaculorum genera quàm plurima edita: Altiſsima Deiparæ Virginis turris trecentis late in is ſummæ pyramidi aptatis clariſsimè fulsit: Florentinorum, Genuenſium, Lucenſium, Germanorum, Oſterlingorum, Hiſpanorum, & Anglorum nationes arcubus triumphalibus, ſtatus caſtellis, varijs flammarum igniumque ſtructuris gaudia publica decorarunt: vina manu larga publicè fuſa: boues integri flammis toſti: porcia viris armatis oculis velatis ridiculè mactati: nauium mali erecti, adipe pinguique liquore circumlito lubrici, quibus brauia in culmen aſcendenti affixa: præmia quoque mulieribus curſu certantibus propoſita, cum ſummæ palmæ gloria. An. 1559.

Gaudia publica propter pacem.

Quo autem hunc pacis contractum omnibus ſuis numeris abſolutum reddat Rex Hiſpaniarum Philippus, Albanum Ducem & alios legitima munitos authoritate Pariſios mittit, ſponſaliorum cum Regis Galliæ filia ritus ſuo nomine peracturos. Eo etiam magnatum comitante caterua, Dux Sabaudiæ, ſororis Regiæ ducendæ cauſa, proficiſcitur. Facta transactaque omnia ingenti gaudio, triumpho & magnificentia. Inter varia ludicra ad decurſum ſiue luſum Troiæ ventum. Rex, Dux Guiſianus, Princeps Ferrarienſis, & Dux Nemourſius quoſlibet intrepide prouocant. Rex ipſe primo & altero die ſtrenuè admodum decurrit: tertio autem, Regina coniux multam mariti defatigationem inſalubrem verita, tanquam aliquid mali præſagiens, rogat ludo abſtinere velit, rogant idem Aulici aliquot: verum ſurdo canunt. Tertio itaque die cum duas, & amplius horas decurriſſet, iamq; ad finem ludus vergeret, ipſe alacrem ſe & indefeſſum oſtentans Lorgeum Comitem Montgomerium, ſuorum ſtipatorum præfectum, quòd interalios lancea habilis admodum haberetur, ad decurſionem ludicram, vnius adhuc lanceæ ſpecimine, prouocat. Montgomerius equi ſui laſsitudinem aliaq; cauſatus, qua poteſt ratione ludere detrectat: Rege verò vlterius inſtante atque vrgente, nullamq; tergiuerſationem ferente, obedit: concurritur, Montgomerio lanceam in Regis thoracem tam acriter iaculante, vt confracta ſchidia in Regiæ galeæ bucculam facilè ſe aperientem (quod ſatis firmiter occluſa non eſſet) prouolarint: horum vnum in dextrum Regis oculum proſilit, eiq; mortiferam plagam infligit: vertiginie capitis ſubito correptus ſuſtentatur, & de equo ſanguinolentus tollitur, paueſcunt aulici omniſque præſentium multitudo, armis ocyus exuitur, vulnusà doctis Chirurgis (è quorum numero Andreas Veſalius à Rege Philippo miſſus) perſpectum exploratumque, lethale iudicatur: ſeruatur ſuperſtes Chirurgorũ ſumma arte & induſtria dies decem: moritur decimo Auguſti, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono. ſuæ ætatis quadrageſimo, regni duodecimo. Morti vicinus admodum deplorabat ſuam temeritatem, & in Religionis purioris ſectatores fœuitiam: verum Cardinalis Lotharingus, cacodæmoni talia ſuggerenti reſiſtendum, monebat. Fuit vir induſtrius, ſtrenuus, bellicoſus, ambitioſus & magnanimus.

Nuptiæ secundæ Philippi Regis.

Henricus ij Gallie Rex ludo occiditur.

Montgomerius poſt lugubre factum, ſupplex fatetur ſe quouis ſupplicij mortiſque genere dignum: Rex autem omni ratione culpam condonari vult, neque ei imputari id ad quod à ſua maieſt. fuerat coactus. Aulam nihilominus volens relinquit Montgomerius, & Solitarius, procul q; ab hominum frequentia, animi conſilijq; inops vitam degit: in his anguſtijs conſtituto, ſuadetur ſacræ Scripturæ lectione animi dolorem leniat: vnde Gallici Hiſtoriographi traduntur, hominem antea Romanę Catholicæ Eccleſiæ addictiſs imum occaſionem mutandę religionis duxiſſe, imò qui antè maxime Catholicus, Religionem reformatam fuerat perſecutus, poſtea in Gallijs Religioni eidem defendendæ operam ſedulò nauauit: tandem verò anno 1574. Donfronæ oppidulo Normanniæ hoſtilibus cinctus copijs capitur, & Pariſios deuehitur, publiceq; capite truncatur: quod quidem mortis ſupplicium Reginæ prolibuſque vindictæ cupidis impetratum eſt.

Proles Henrici.

Reliquit Henricus Gallorum Rex filios quatuor, & filias tres. Iſabella natu maxima paterne mortis tempore, Hiſpaniarum Regis thalamo deſponſata: altera Lotharingię Ducissa, tertia Nauarræ Regina fuit. Filius natu maximus Franciſcus, Scotiæ Regina vxore ducta, primus poſt patrem regnauit: huic ſucceſsit in Regno Carolus: Carolo autem Henricus, qui etiam Poloniæ Rex erat: quartus verò Franciſcus, fuit Brabantiæ Dux inauguratus, anno milleſimo quingenteſimo octageſimo ſecundo.

Reformatæ religionis cultores in Gallijs hanc Regis mortem tam abſurdam iuſto Dei iudicio adſcribunt, ſummæq; diuinitus ipſis præſtitæ gratiæ Argumentũ reputãt: quod hac ratione Eccleſię ſuæ ſuã oſtendere potentiã, eamq; à dira perſecutione liberare voluerit Termaximus. Quandoquidem Dux Albanus id temporis præſens, poſtremò concluſæ pacis articuli quendã cum Gal. Rege exequi ſit molitus, quo per totum terrarum orbem Religio reformata extirparetur: videbaturq; Rex cum ſui parlamenti ſiue Curię Pariſienſis primarijs, id omniũ primo

An. 1559. in Gallijs velle inceptare: capto inter alios Anna Borgio, cui palam in Parlamento multa pro Religione reformata liberè loquuto iratus Rex minatus fuerat, se cupere proprijs suis oculis eum videre igne absumi: quod quidem vulnere, vt narratum est, inflicto Deus Rege non permisit: Borgius nihilominus tandem igni concrematus fuit.

Paulus IIII. Post. moritur

Non obstante Regis Henrici morte, pax atq; nuptiæ succesſerunt.

Paulus IIII. Pontifex Romanus è Caraffarum familia, qui inducias ruptarum auctor, contra Regem ipsemet bellum gesserat; Theatinorum siue Iesuitarum fundator, moritur Romæ, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, menſe Auguſto, poſtquam cum ſua familia aſſeclarumque caterua non minus periculoſam, quam horribilem contra pios proboſque omnes, ſub Religionis prætextu, concepiſſet perſequutionem. Huius morte plurimi, maximè autem Populus Romanus, ſumma lætitia affecti, ob bella, exactiones oppreſſioneſque à ſe ſuiſque motas & perpetratas: ita vt Populus Romanus armata vi curiam domumque Inquiſitorum inuaſerint, Inquiſitorem maximum vulnerarint, alios fugarint, ipſas ædes exuſſerint, & carceri incluſos liberauerint: quin & Minervæ Monaſterium, quia Inquiſitoribus adicti erant, igni concremaſſent, niſi Marcus Anthonius Columna & Iulianus Caſarinus blandis ſermonibus auertiſſent, vnde etiam Pauli nepotes, conſanguinei, familia & ædes à cædibus & flammis conſeruati. Ipſius præterea Pontificis ſtatuam in Capitolio erectam demoliti, caput in Tyberim pertractum proiecerunt. Edictum præterea mandatumque graui multa, nomine Senatus populique Romani, vbique locorum delere atque deijcere imagines, arma, picturas, titulоſque Pontificis Pauli & totius Caraffarum familiæ, vtpote humani generis hoſtium, quorum memoria è mundo extirpari mereretur. Succeſſor autem Pauli Pius Pontifex IIII. tameſi Cardinalis Caraffa, nepoſque Dux Palliaeus cum tota familia plurima promiſiſſent, commiſſa condonaſſent, omniaq; ſcripta confirmaſſent, reos omnes in carcerem conijci, atq; ſtrangulari iuſsit.

Ducissa Parmensis, Philippi soror. sit Belgij Gubernatrix.

Philippus Rex iam pace potitus deliberat in Hiſpanias proficiſci, tum Inquiſitiones ibi promouendæ (perceperat enim magni nominis quoſdã nobiles viros Hiſp. Religioni reforma tæ fauere) tum Concilij generalis inde facilius maturandi, cauſa: quæ duo eum potiſsimè ad pacificationem permouerant. Quamobrem menſe Auguſto Status Belgarum Gandauum conuocat, eis ſuum propoſitum declaraturus, atq; valediciturus, accerſita ex Italia ſorore ſua Parmenſi Duciſſa, quam vt Principiſſam conſanguineam, Statibus ſummopere commendatã, Belgiæ Gubernatricem conſtituit, loco Sabaudiæ Ducis, idque certis de cauſis: ipſa Lotharingiæ Duciſſa, quam omnes de patria melius meritam æſtimabant, prætermiſſa.

Consilium Status.

Consilium Secretum.

Præter Gubernatricem Parmenſem rerum adhuc ſatis imperitam, conſtituit etiam Rex Conſilium Status, cui res ſummæ committerentur, veluti Pacis, Belli, cum principibus Prouinciiſque intelligentiæ, & Regiones protegendæ ratio. Huic iunxit Conſilium ſecretum, in quo legis, gratiarum, iuſtitiæ, aliaque Politiæ negotia agitarentur.

Consilium Finantiarum.

Tertium item, quod conſiliũ finantiarum dixit, idq; reditibus regijs & vectigalibus præerat.

Consiliarij.

Horumq; vnicuique Conſilio ſeu Senatui, peculiares erant curæ, vt nihil alij cum alio eſſet negotij.

Ad Status Conſilium electi erant, Antonius Perenotus Granuella, Epiſcopus Atrebatenſis, poſtea Cardinalis, Guilhelmus Naſſouius, Princeps Auraicus, Lamorallus ab Egmond, princeps Gaueræ, Comes Egmondanus, Philippus à Staden, D. Glayon, Carolus Baro Barlamontius, primarias finantiarum, & Doctor Viglius Zuichemus, conſilij ſecreti Præſes, quibus poſtea acceſſere, Philipus de Montmorenci, comes Hornenſis, & magnus Admiralius, & Carolus de Croy, Dux Arſchotanus. Statuitque vt ad quodlibet Conſilium, aditus Equitibus Aurei Velleris à Gubernatrice vocatis pateret. Illiſq; conceſſum aliorum audire opiniones: at cum Senatu tantum illis ſententia ferenda erat.

Prouinciarũ Gubernatores

Conſilium ſecretum conſtituebant 12. Iuris Ciuilis doctores, erantq; cuiuis Conſilio, qui à ſecretis, quique alia exequebantur munera.

Cuilibet Prouinciarũ præfecit Gubernatorem Aurei Velleris equitem, Brabantiæ ſcilicet, ipſam generalem Gubernatricem, vtq; Bruxellis reſidebat, Auriacum verò. Hollandiæ, Zelandiæ & Vltraiectenſi, poſtea etiam Comitatui Burgundiæ: Egmondanum Flandriæ & Arteſiæ Ioannẽ de Ligni. Comitem Arenbergium Friſiæ, Tranſiſſulanæ, Groningæ et Lingen. Carolũ de Brimeu Comitem à Megem. Gelriæ & Zutphaniæ. Petrum Ernеſtum, Comitem à Manſfeld, Luxenburgiæ. Ioannem à Bergen Marchionem Bergenſem, Hannoniæ. Valencianæ & Caſtro Cameracenſi, Baronem Barlamontiũ, Namuracenſi, Ioannem de Montmorenſi. Dominum Corueres, præfecit Inſulis. Duaci & Orchies Florentium à Montmorenſi Dominum de Montigni, Tornaco & Tornacenſibus. & Antonium de Lalaing, Comitem à Hoogſtraten, Mechlinienſibus. Comes autẽ Hornenſis Admiralius, rebus præerat maritimis, erantque hi omnes totius Belgij primarij, quorum authoritas plurimum apud Ciues militeſq; valebat.

Quarto

Quarto Decemb. etiam Turmis equitum cataphractorum, vulgo Bandas ordinum dictas, totidem præfecit ductores præcipuæ nobilitatis viros, à quibus singulæ Turmæ cognominabantur, tum suos vicarios, Tribunos et Quæstores, constituebant hæ Turmæ circa tria millia equitum, & precellebant omni totius facilè Europæ equitatum, vtpote armis enutriti tam pacis quam belli tempore: ductores erant: tunc temporis, Auriacus Princeps, Dux ab Arschot, Comes Egmondanus, Marchio Bergensis, Hornensis, Arenbergius, Matusfeldius, Megemius, Rieulx, Bossuytius, & Hoochstraten, Comites: Domini, Brederodius, Montignius & Barlamontius. An. 1559.

Præfecti equitum Cataphractorum.

Gandaui etiam secundò Aurei Velleris Ordinem Philippus id temporis celebrat: eoque inter alios, hos Belgij Principes viros, Alsincourtium & Montignium Montmorenciana vtrinque natum familia, Marchionem Rentium Croyana, Comites Lignium & Hoogstratanum Laleiana, cohonestat decoratq;.

Aurei Velleris celebratio Gandauo.

Belgarum Status, cum Principi suo satis superq; feciſſent, nobiles quidem sua corpora bonaque strenuè belli alea committendo, populus autem nouennalem contributionem liberaliter largiendo, quibus mediis ad magnificam in primis cum Gallo peruenerat pacificationem, ei libellum supplicem, vt militem Hiſpanum & extraneum extra Regionem dimittat, obtulerunt: qua quidem petitione libentiſsime ſe leuari extricari que voluiſſet ied cum acriter omnia sua priuilegia allegarent, atque apographa eorum quæ iuramento sanciuerat ei ostenderent, & contra protestari interesse videretur, consentit, vtque intra tres menses diſcederent, annuit: verum in ſeſquiannum his abitus protractus, in id nempè tempus, quo ob perditam in Barbaria Gerbiam, milite eò locto opus erat.

Hiſpanorum militum diſcessio poſtulatur.

Quod autem Belgij Status tam acriter inſtarent, dimittendosque Hiſpanos poſtularent, his præcipue mouebantur rationibus, quod multi Iulici Regi Philippo addictiſsimi, summæque apud eum auctoritatis, in Belgio permanentes, essutiuiſſent ſe offensos vindictam exſpectare, quod in poſterum is contributionibus & nouennali exactione eis pecuniæ tractandæ adempta esset poteſtas: cum Status, Aulicorum auaritiæ fræna injicientes, suis hanc colligendi, & stipendiarijs Regionis multibus satisfaciendi prouinciam tradidiſſent, quod quidem factum illi euidentem in obedientiæ speciem interpretabantur, vtpote Principi leges statuere volentium, neque publicarum pecuniarum diſpenſationem ei credentium. His ſe iunxerunt & alij quidam tam indigenæ quam alienigenæ, auctoritatem atque Gubernacula in primis aucupantes, ac propositum opinionemque Regis, Ducis Albani, Inquiſitorum Hiſpanorum, & aliorum promouere studentes: horum præcipuus erat scopus, Lutheranos & Hæreticos, neque ex Belgio, neque ex Hiſpania quidem posse profligari, nisi Rex plena absolutaque obedientia, poteſtate & iuriſdictione in Regionibus suis inferioribus potiatur, atque ita Inquiſitionem Hiſpano more inſtituat: alias enim actum esse de Regionibus: illud autem peregrinorum militum præſidijs moliri, conſultiſsimum esse. Hæ artes prouidis circumſpectiſque aliquot è Statuum numero viris satis notę, eos tam inſtanter abitum Hiſpanorum perſequi cogerunt.

Fundamenta belli Ciuilis.

Omnibus bene prouiſis, Rex Gandaui Statibus valedicit, eiſque in primis Catholicæ Religionis obſeruationem, & in Hæreticos animaduerſionem commendat: poſt Zelandiam petit, vbi pulcherrima classis qua deueheretur, omnibus neceſſarijs, inter alia caponum quinquaginta millibus, erat inſtructa: vnde reliqua omnis penus facile perpendi æſtimarique poteſt, itaq; vigeſimo sexto Augusti, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, Vliſsingæ nauem conſcendit, ventoq; secundo paucis diebus Laredam in Biscaia appellit, ſtatim poſt vento se vertente.

Philip. Rex Hiſpaniam classe repetit.

Regius Senatus in Hiſpania Regis aduentum summopere neceſſarium arbitrabatur, quod ijs Regionibus Lutherani incrementum vehementer cepiſſent: proinde iudicia rigidè acriterque cum summis ceremonijs atque pompis in Hæreticos vtriusque sexus, Siuiliæ Rex exequi mandat, alijs concrematis, alijs alio supplicij genere interemptis, menſe Septembri. Poſtea menſe Octobri, se & sua Curia, Aulaque præsente, viginti octo viros nobiles, illuſtris comprimis familiæ, imò Regionis quosdam primates, exuri iuſsit.

Inquiſitio & Crudelis executio in Lutheranos in Hiſpania.

Iſabella Franciæ filia, Anno milleſimo quinquageſimo sexageſimo, menſe Ianuario, comitantibus Rege Nauarro & Cardinale Borbonio, magnificè admodum ad extremos Hiſpaniarum limites deducta. Roncenaudi, Regis nomine tanquam sponſo atque Regina, à Cardinale de Borgo, & Duce Infantaſgo recipitur: inde in Caſtiliam ad Regem profecta: vbi inenarrabili ſumptu atque triumpho nuptiæ celebrantur tricesimo primo Ianuarij, expenſæ in ſingulos dies ducentis ducatibus æſtimatæ. Breui poſt Principi Carolo Philippi filio, omnia Hiſpaniarum Regna, tanquam futuro Regi, iuſurandum præſtant.

Philip. Rex Iſabellam Franciæ filiã ducit vxorẽ.

Vt aliquid fundamẽtũ narrationis ponam, nõnulla de Gallicis turbis dicem⁹ in Gal. Rege Franciſco

An. 1560. ciſco adhuc iuuene, Cardinalis Lotharingius, cum fratribus Duce Guiſiano, Duce Aumalio Magno Priore, & Marchione Albeuffio, totius Regni Gubernacula ſibi ſumunt, quod autem culi Reginæ, Regis vxoris, Scotiæque Reginæ eſſent: Reginæ enim mater, Scotiæ Gubernatrix, horum ſoror erat. Huius Gubernationis Guiſianæ cauſa murmur non leue inter Nobiles ortum: quod neque Principum Conſanguineorum Regiæ familiæ, neque Regni adminiſtrationibus præfectorum, rationem haberent: imò grauius hinc orta ſuſpicio, eos moliri Regni coronam in ſuam familiam pertrahere, vtpotè recta linea è Caroli Magni proſapia deſcendentes: cum Reges Franciæ nunc ſceptra tenentes genus ab Hugone illo Capeto ducant, qui anno 988. legitimum Regem Ludouicum in monaſterium detruſerit, atque ita Regnum occupauerit: qua quidem de re horum maiores o'im conqueſti coram viris doctis, ius ſuum probare attentarunt, Regiæque partes, Hugonoti, vtpote ab Hugone Capeto originem ducentes primò ſunt appellati: Guiſiani autem nunc temporis obtrectationem hanc verſutia quadam à ſe auertentes, Hugonotorum nomen Reformatæ Religionis ſectatoribus callidè impoſuerunt (vt Gallici tradunt Scriptores) aduerſus eoſdem ſumma crudelitate & ſæuitia ſemper vſi.

Crudelis Amboſe.

Guiſianis, Amboſæ in Francia plurimi viri nobiles alijque numero non pauci, tam equites quam pedites, vi armata ſeſe oppoſuere, qui apud præcipuos regni Proceres ſubſidium refugiumque habere putabantur: volebant hi ſupplices Libelli exhibitione Guiſianorum delicta, abuſuſque in regni adminiſtratione, Regi declarare: verum inſidioſè obſeruati, atque callidè à Duce Nemourſio perſuaſi, ſuas querelas Regiæ Maieſtati inermes placidique expromereat, vt plurimum capti ſunt: eorumque Coriphæus Regnaldius in itinere ſclopeto interemptus. Negotium quidem ſuum ſatis ſolerter inſtituerant, maximaque pars optimo zelo ducti: verum infœlix fuit exitus: gregatim enim capti, capite truncati ſunt, tanquam Regis proditores. Inter alios autem Baro Caſtelnauius, cùm iam vt proditor ceruicem incidendam præbere deberet, exclamauit ſe nequaquam proditorem eſſe, niſi Guiſiani Reges eſſent facti, quorum conatibus ſe ſuoſque reſtiſſe palam fatebatur. Alter quidem Villemongius, cum ſuorum ſociorum ſanguis plurimus ſupplicij loco profuſus iaceret, ex eo in cœlum proiecit, à Deo innocentis ſanguinis vindictam, fundendique finem poſcens. Hoc modo Guiſiani proprias iniurias, tanquam Regis, vlti ſunt. Verum Conneſtablio Franciæ, quod hac Parlamento Pariſienſi non declaraſſet, grauiter indignabantur. Creuit autem odium, ſimultaſque Nobilium in Guiſianos: quod eos nequaquam latuit. Cumque circa idem tempus Reformati ſupplicem libellum, per manus Ammiralij Galliarum, Caſtilionij, tradendum Regi procuraſſent, cum permagnæ multitudinis nomine, atque à deputatis ſubſignatum offerentes, parum promouerunt.

Guiſiani autem tum factionis Amboſanæ prætextu, tum Reformatæ Religionis perſequutione, ſuam potentiam auctoritatemque ſtabiliorem & firmiorem reddere, atque iniurias in inimicos exequi moliuntur: Proinde ſiniſtrè ſuſpicantes de Rege Nauarræ, Principe Condeo eius fratre, Vidaſmo Caſtreo, alijſque Franciæ Proceribus, tanquam tumultus Amboſani auctoribus, eos in Curiam appellari procurant: Condeus, Vidaſmus & alij ſine mora captiui ſeruantur, Regi autem Nauarræ cuſtodes conſtituuntur: dica omnibus impingitur grauis, Rege maxima militum copia inſtructo: videbanturque iam totam Franciam ſuis frenaſſe capiſtris Guiſiani: ſola reſtabat exequutio animaduerſionque, primo in magnates, poſtea in reliquos, per omnes regiones. Subitò interim iuuenis Francicus Rex, morbo graui auricularimoritur quinto Decembris. Anno milleſimo quinquageſimo ſexageſimo. Eius morte talis rerum viciſſitudo orta, vt continuò ij, qui morti addicti, in pegmate ſupplicio afficiendi exſpectabantur, nempè Nauarræ Rex & Condeus, Gubernatores facti ſint. Iuuenis Regis Caroli Noni, tanquam Principes ſanguine proximi, quibus gubernacula Gallici regni, Regibus annis minoribus, ſemper veteri competunt conſuetudine. Regi Nauarræ, & Reginæ matri Regni Gubernatio à Statibus Galliæ committitur: inter hos breui inuidiæ & diſſidij nonnihil ortum, quod quidem Guiſiani, Dux Nemourſius, Cardinalis Turonenſis, D. Andreæ Mariſchalcus, Briſachus, pluresque alij Reginæ partes ſouentes exaggerant: Condeus contrà, Cardinalis Borbonius, Conneſtablius cum filijs, Ammiralius cum fratribus Regi Nauarræ ſe iungunt. Interim Status Regni, ingentem hominum Reformati Religioni addictorum multitudinem, & Anglicos Regijque ſanguinis proceres, fautores protectoresque eis non deeſſe, perpendentes: Conuentum totius Franciæ Nationis ſtatuunt celebrandũ: interim omnes religionis ergò capti relaxantur.

Diſputatio Poyſſij.

Hæc reſcifcens Pontifex Rom. Concilium generale Tridentinum maturat: Nihil enimus Poyſſij conuentus Gallicus agitur, diſputatioque de controuerſia Romanæ Catholicæ Eccleſiæ, & Reformatæ Religionis, Rege, aula, curia, Statibuſque Regni præſentibus, habetur: verum

Digitized by Google

verum nihil tranſigitur. Hinc ſeditiones, tumultus, ſimultateſque vnius religionis in alteram recrudeſcunt: quibus ſedandis Gallici Status generaliter Edictum quoddam de Religionis pace ſtatuunt, vt Reformatæ Religionis ſtudioſi exercitia concioneſque extra quamque ciuitatem liberè habeant: nuncupaturque id, Edictum Ian. Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo. Huius vigore Regnum Franciæ aliquanto temporis ſpatio quiete tranquilleque degere viſum: donec Catholici Romani pacis interturbandæ occaſionem nanciſcuntur. Inter alia penes Gallicos Status conſtitutum erat, vt ij qui de mortuorum Regum temporibus pecunias publicas, regnique facultates & vectigalia adminiſtrarant tractarantque (quod ſubditi grauibus exhauſti exactionibus quæritari non deſinerent) ſecundò diſpenſationis rationem reddere tenerentur: fuerant autem in tractandis nummis primi præcipuique Guiſiani, Conneſtablius, & D. Andreæ Mariſchalcus. Hi (nempè Dux ipſe Guiſianus, Conneſtablius, & Mariſchalcus; vt rationem reddendam effugiant, ſimul ineunt fœdus inſtar Romani Triumuiratus, Marci Anthonij, Marci Lepidi, & Auguſti Cæſaris: iunctique, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ defendendæ, atq; Edicti Ianuarij infringendi prætextu conſpiran quod vt facilius effectum reddant, Regem Nauarræum reformatis addictum ad ſe pertrahunt, Principem non ſatis (vt res ipſa probabat) conſtantem pollicitationibus pellici; Regem Hiſpanum, Pontificis poſtulatu ei regnum ſuum Nauarræ reſtituturum, imò Pontificem, legibus ſoluendo, diuortium cum vxore nimis religioſa indulturum, ita vt Mariam Scotiæ Reginam ducat, atque duorum Regnorum Rex fiat. Decernunt præterea Regem matremque aut amore, aut vi in ſuas trahere partes, vt vbique Regis nomine vti fruique libere queant. Primum quidem conſpirationis ſpecimen Vaſiæ edunt: vbi Guilianus concionem, regis permiſſu congregatam turbat, trucidat, fugiatque: quo patrato, cum armatis ſuis copijs, rei præclarè geſtæ fama illuſtris Pariſios venit, ibique egregiè triumphans excipitur: Erant autem in vrbe Conneſtablius, Mariſchalcus D. Andreæ, & Rex Nauarræ, qui Guiſiano adiuncti, Principem Condeum cum ſuis inde Aureliam diſcedere cogunt: Præterea Regem iuuenem Carolum, matremque lachrymantes, & factis, verbiſque contra nitentes inuitos capiunt, Pariſioſque ſtatim aduectos ſumma ſagacitate ac dexteritate tandem pacant: hiſque rationibus Regni gubernacula ſibi ſumunt. Condeo aderant Admiralius Caſtilionius, Cardinalis, & Andelotus fratres, Princeps Portienus, Comes Rocheſocautius, alijque plures viri nobiles, militumque numerus, quorum plurimi Reformatæ Religioni addicti: ad hos ſcribit Regina mater, ſe nolentem inuitamque detineri cum Rege filio: rogat proinde captiuam cum prolibus liberare velint. Condeus cum ſuis id præſtare, Edictumque Ianuarij de Religionis pacificatione conſeruare; vtpote Regij ſanguinis Princeps, Fratre Nauarræ Rege iam deſciſcente deſicenteque, ſtatuit: bello ſe parat, militeſque Reformatæ Religionis inprimis aſſumit, contractisinſuper ex Germania copijs, Grombachio ductore: vnde etiam Guiſiani per Ringrauium & Rockendolphium exercitum coegerant. Hoc modo primum in Gallijs inteſtinum bellum exortum: quo plurimæ potentes munitæque vrbes, inprimis Aurelia, Lugdunum, Valentia, Gratianopolis, Rothomagum, Biturigæ, Turonia, Pictauium, Mons Peſſulanus, Rupellæ, pluresque aliæ à Condeo Reformatiſque capiuntur. His geſtis ea tranſigitur æſtas. Rothomagum poſtea obſeſſum à Guiſiano capitur: vnde Comes Montgomerius vrbis propugnator mirificè euaſit. Malhoratus concionator ſuſpenſus. Rex Nauarræ ex ipſa vrbe ſclopeto in humero lethali vulnere accepto, Pariſijs miſerè mortem obit. Condeus verò fruſtra Pariſios obſidione cingit: à Regina Angliæ, cui Nouum portum Normandiæ oppidum pignori datum, mutuo ſumptis pecunijs. Tandem milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, decimo nono Decembri, vtrinque acriter in prælia ventum prope Druidam. Hinc Princeps Condeus, inde Conneſtablius captus: hoc modo æqualiter diremptum prælium. E Guiſianorum numero ceciderè D. Andreæ Mariſchalcus, Magnus Prior Guiſij frater, Montbrunius Conneſtablij filius, Dux Neuerſius alijque viri illuſtres. Poſt hæc Aureliam obſidet Guiſianus: hic Poltrotus vir nobilis, zelo (vt ipſe aiebat) liberandæ à tyranno patriæ, Guiſium à tergo in caſtris ſuis ſclopeto traijcit: fugiens Poltrotus mirabili modo capitur: audax inceptum fatetur, declaratque plures alios, totius exercitus Imperatores caſtrorumque præfectos trucidare., certo propoſuiſſe: quibus verbis tantum hoſti terrorem incuſſit, vt primæ pacis conficiendæ occaſionem cauſamque dederit. Accuſabat quidem (vt propoſitum ſuum colore ornaret) Ammiralium alioſque huius facinoris auctores, quos moriens (diſtractus equis in diuerſum actis) palam ac apertè excuſauit. Hac, de qua loquor, pace, Reformati liberum Religionis ſuæ exercitium toto ferè quinquennio conſeruarunt: duobus Triumuiratus capitibus, Guiſio & D. Andreæ Mariſchalco, præterea Rege Nauarræ, Duce Neuerſio, pluribuſque alijs ducibus interfectis.

An. 1562.

Edictum Ian. Religionis pax.

Edictum Ianuarij infringitur Triumuiri.

Cædes Vaſiæ

Sequentibus autem bellis, quibus vtrinque multa hominum millia trucidata, Religio reforma-

Digitized by Google

An. 1556. formata nequaquam extingui, quin potius maiore cum libertate erumpere viſa eſt.

Hæc dira in Gallijs bella diſſidiaque occaſionem ac materiam non paruam turbis Belgicis tribuere. Geſta etiam & ſtatus Angliæ Scotiæq; exempla atque argumenta, quæ breuiter hic attingemus, ſecum id temporis adduxere.

Turbæ in Scotia.

Iuniore Reginâ Scotiæ, Mariâ Stuardâ, Franciſco II. Francorum Regi, vt ante diximus, connubio iunctâ, Regina mater, Guiſij ſoror in Scotia regnabat: ab hac, Religionis reformatæ ſectatores grauiter afflicti, magnatum procerumque Scotorum (durum Gubernatricis iugum fortè aſpernantium) auxilio, Romanam Catholicam religionem profligarunt perturbarunt q;, quod vbi Regina, tunc in Gallijs agens, & Guiſiani Reginæ patrui reſciſcunt, eo quatuor Gallicorum militum millia, & Dominum Broſſeum atque Epiſcopum Ambianenſem (huic ſpiritualem, illi ſecularem gladium commendantes) mittunt, liquidoque iniungunt ac imperant, ſæuere in rebelles, præcipuè in Coripheos animaduertant, præterea miſſam & omnem Pontificalem obedientiam vbique introducant. Poſtquam in Scotiam peruentum, mox per literas ſignificat Epiſcopus, ſe ſuo munere probè functum, populo indixiſſe rem ſacram audiant, hæreſeſque abnegent, imò ſperare ſe breui omnes ad Eccleſiæ Romanæ fidem redacturum: ſcribit ſimiliter Broſſeus, ſe breui Scotos ſubiugaturum: Verùm, vt plerumque crudelitatem auaritia comitatur, bonis poſſeſsionibusq; nobilium & ditiorum inhiantes, ſcriptis inſuper declarant, viam rationemque nequaquam deeſſe, quibus Reginæ reditus ducentis coronatorum millibus annuis augeantur, tum & mille viris nobilibus Gallis, qui Scotos coerceant domentque, optimè de ædibus fundiſque proſpiciatur. Placuit hæc ſententia ſummopere Guiſianis: repudiatis ſpretiſq; Reginæ Gubernatricis, & Legati Oſſellei literis, contrarium continentes; quibus exponebant, Scotos ijs modis neutiquam refrenandos: quin potius extraneum auxilium à ſuæ religionis hominibus nihil aliud affectantibus, petituros. Neq; hæc monita ſolùm aſpernantur Guiſiani, verùm etiam cauſantur clementis Gubernatricis lenitate facilitateq; omnia peſſum ire, Oſſeliumque nimio ſenio delirare: mandant proinde Broſſeo propoſitum ex equatur. Hinc commoti Scotiæ nobiles, ſumptis armis, templa deuaſtant, ſacerdotum eccleſiaſticorumque gregem exturbant, & Gallorum potentiam veriti, auxilium ab Angliæ Regina petunt, Guiſianis tunc temporis non parum infeſta, quod ipſis authoribus, neptis Scotiæ Regina (quaſi hæc legitima Regina non eſſet) titulum inſigniaque arma Angliæ & Hiberniæ geſtaret: de qua iniuria Regi Franciſco conqueſta, friuolum tulerat reſponſum. Nunc proinde occaſionem nacta, declarationem typis excuſam, 24. Martij, an. 1560. edidit: qua quæritur, nequaquam ſuis poſtulationibus ſatisfactum, idque Guiſianorum culpa: vtpote qui id quod geſtamine tituli, & inſignium armorum ſuæ coronæ, attentarant, nunc re ipſa perficere conarentur, Scotiamque omnem Gallicis præſidijs replerent, vt ea ſubiugata, Angliam quoque ſubigant domentq;: cum vtraque inſula, ab alijs partibus non facilè vinci ſuperariue poſſit: protectaturque, quando quidem in Gallia nihil aliud impetrari poſſe (Guiſianis, qui omnia pro ſuo arbitrio gubernent obſtantibus) ſatis animaduertat, ſe in ſui ſtatus regnig; defenſionem ſtatuiſſe, Gallos aut vi, aut gratia extra Scotiam eliminare: promptam paratamq; nihilominus, vicinalem mutuamq; cum Galliæ Regno amicitiam, niſi vlterior detur occaſio, obſeruare.

Galli Scotiam exire cogitur

Mittit itaque Regina Angliæ Ducem Norfolckium cum miltum copijs in Scotiam, qui D. Greyo ductore, Scotorum manu iuncta, Gallos acriter oppugnant, tandemq; Lytham obſidione cingunt, quâ probè munitâ, Galli aliquandiu oppugnationem ſuſtinuere. Interea Anglis, Scoticaque factione vbique præualentibus, & Scotiæ Gubernatrice iam mortua, componitur tranſigiturque, his legibus (vt præſidia Gallica Scotiam exeant) caſtra & munita loca demolian tur relinquantque: duas tantum arces, vtramque ſexaginta præſidiarijs militibus munitam, ſeruent: Scoti libertatem priuilegiaque ſua retineant: ab indigenis tantum gubernentur: Religionis Catholicæ Romanæ cauſa omnis, Statuum Curiaq; arbitrio relicta: ipſa autem Religio breui poſt è Scotia prorſus exterminata fuit: præterea ne Scotiæ Regina poſt hac inſignia arma titulosúe Angliæ aut Irlandiæ gerat vel vſurpet: irrita etiam reddantur ac mutentur intra 6. menſes quælibet inſtrumenta & ſcripta iiſdem ſignata ac inſcripta. Hiſ tranſactis, Catholicæ Romanæ Religionis exterminatio, auctoritatiſque Reginæ diminutio, Guiſianis prorſus eſt imputata: quæ quidem Religio facilè integra ſaluaque manſiſſet: ſi Reformata (ſaltem mediocri conceſſu licentiaque) fuiſſet admiſſa. Angliæ autem Regina Guiſianorum factis irritata, quod eam regno coronaque exuere molirentur, Condæo, vt ante diximus, argentum mutuum dat, fœduſque cum eo init, Porta noua vel Hablenouâ ſibi traditâ: præterea ſcripto edito declarat, ſe non Regi Galliarum, ſed Guiſianis, vt Regem de eorum eximat manibus, reſiſtere: imò ipſo Regi ita gratificaturam, vt quoad viuat, ſummas ei merito ſit acturus gratias.

Scotia Religionē mutat.

Poſtea, pace in Gallijs compoſita, anno 1562. cum Angli, redditis pecunijs, Hablenouam, reſtituere deberent, præter alias, contentio quæſtioque incidit de Caleto. Cùm verò inter eos non ſatis conueniret, Galli ſimul viribus iunctis, Hablenouum obſident: agitabat autem hic in-

præ

Digitized by Google

præſidijs cum validis copijs Comes VVarvvichius: verùm quòd peſtis contagioque ingens in Anglicos milites graſſaretur, reddunt vrbem Gallis 20. Iulij, Anno 1563. Superſtites milites reuecti, contagione peſtilenti Angliam ita infecerunt, vt breui, in vrbe Londinenſi ciuſque ſuburbijs, autumnali tempore, viginti tria hominum millia ſint extincta. An. 1561.

Belgis ſuſpicionem injiciunt regionum vicinarum turbæ.

Hæ vicinarum regionum turbæ ſuſpicionem non leuem iniecere Belgis: ea in primis de cauſa, quod Hiſpanus miles tam diu in Belgio permaneret, quodq; nouitates inuehere quidam molirentur.

Gerbis à Turcis capta.

Statuerat Rex Hiſp. Tripolim Barbariæ vrbem Mauris Turciſque eripere: verùm primò inſulam Gerbiam ex aduerſo Siciliæ (Africæ ſiue Barbariæ adiacentem) oppugnat, expugnatq; tandem: ibique arcem Philippalcazeram ædificat: cui antequam fatis eſſet prouiſum, venit exercitus Turcicus, Duce Piali Baſcha, copiasque Regis partim capit, partim profligat, nouendecim triremes auehit, atque arce inſulæ obſeſſa potitur. Captus hic D. Aluarus Sandæus, Conſtantinopolimque auectus, anno 1560. Cùm autem hoc prælio plurimi milites veterani Hiſpani eſſent cæſi, tandem Hiſpanus miles ex Belgio, ſummopere id deſiderante populo, auocatur.

Land-iuvvelium ſiue patriæ cimelii apud Belgas celebratum.

Gildæ ſiue Gildæ, conuiuia hermia ſiue Collegia Belgarum.

Sagittariorũ Gladiatorum, & Rhetorum rhitmicorum collegia.

Apud Belgas, conſuetudine non minus laudabili quam veteri, in ſingulis vrbibus, municipijs maioribusq; pagis, conſtubernia ſiue collegia quædam (Guldas vel Gildas vocant) inſtituta ritè obſeruantur. Contubernales autem certis diebus, feſtis præcipuè, armis ſe exercent: ſagittarij baliſta chalibea & arcu manuario, gladiatores quouis armorum genere: patrumq; noſtrorum ætate, etiam ſi lopetarij acceſſerunt: hi omnes neceſſitate vrgente, non tantum patriæ defenſioni, verùm etiam Principum Satraparumq; cuſtodiæ & ſatellitio deſtinabantur, erantque ſtipatores iurati, loco Haſtigerorum, quibus nunc vtuntur Principes: ita vt, è ſuo quiſque oppido, Principem diſcedentem in proximum deducere debuerit. Et hæc quidem collegia ſiue fratrum ſodalitia, exercitio corporis, & patriæ Principumque defenſioni: Alia autem ingenij animiq; exercitio, nempe ſcientijs eloquentiæ rhetoricæque deſtinata fuere: quorum præcipuum erat ſtudium Principem populumq; comœdijs, tragœdijs, fabulis ſcenicis, alijſq; id genus ludis recreare: Sunt autem multa libertate immunitate, priuilegijſq; non contemnendis à ſuis principibus donata, ac cohoneſtata: legibus præterea decoris probisq; ſtabilita. Huiuſmodi collegæ in læto Principum introitu, triumphis, victoriæ pacisque feſtiuis gaudijs, congratulationibus, felici optatoque magnatum aduentu, celebrandis, ornandis, decorandis, ſemper primi præcipuique fuere. Rhetorum contubernia belli tempore peculiaribus fruebantur exercitijs: Sagittarijs vero ſuæ cuiusque vrbis conſeruandæ tuendæque prouincia committebatur. Pacis tempore, collegia hæc in vrbibus, non magni prætij brauia præmiaq; mediocritatis obſeruantiam teſtantia, inter ſe conſtituebant, ad ea obtinenda certamine exercitioq; ſagittandi aut arma tractandi, vicinæ ciuitates conuocabantur, inuitabanturq;: quæcunq; autem palmam adepta erat, brauium ſiue *cimelium* idem rurſus proponere, opportunitate data, vicinaſq; inuitare tenebatur: adducebantque Sagittarij plerumq; comites ſodalesque Rhetoricos. Atque his modis collegia ciuitates, communitatesque ſumma cum virtute ac honeſtate, cum triumpho etiam & ſumptu frugalitatis limites aliquando excedente, in concordiæ, amoris, amicitiæque conſeruationem conuenere.

βραβεῖον

κειμήλιον

Rhetorũ rhitmicorum collegia, eorũque exercitia.

Sagittatiorum imitatores Rhetorici, ſua quoq; præmia, optimè ad propoſitam quæſtionem reſpondenti argumentumq; ſoluenti, conſtituerunt: quin & ipſi Burgundiæ ac Brabantiæ Duces ſæpe ſoliti collegijs quæſtiones enucleandas dare: ad quas rhetoricè, id eſt, rhitmicis ſiue *homioteleutu* verſibus, certo numero comprehenſis, vernacula lingua reſponderi æquum erat, obſeruatis alijs legibus non paucis, ad honeſtam animorum remiſſionem oblectationemque ſpectantibus,

ὁμοιοτέλευτος

Autoris, id eſt, ſimiliter deſinentibus.

Gandani patriæ cimelii celebrant Rhetores rhitmicorum collegia.

Exempli cauſa: Anno 1539, Collegium rhetorum rhitmicorum Gandaui, Fontanorum nomine appellatum, Caroli V. Cæſaris beneficio permiſſuq; chartam vicinis ciuitatibus miſit, hac quæſtione propoſita.

Quæ morienti homini maxima ſit conſolatio.

Adhanc ſoluendam nouendecim collegia, quas Cameras vocant, diuerſis è locis ſolenni pompa magnificentiaq; præſto adfuerunt, & ſuam quiſq; ſolutionem comœdiâ morali publico theatro, maximo apparatu ediderunt. Hic ſummum brauium Antverpienſib. datum, huius ſolutionis ratione: *Carnis reſurrectionem homini morienti maximam eſſe conſolationem*, Chriſti affectionem, mortem atq; reſurrectionem inſuper allegando. VVinoci-bergenſibus ſecundum, expoſita ſolutione, *Fiduciam in Chriſto, & eius ſpiritu nobis dato, homini morienti maximam eſſe conſolationem.* Singula autem collegia ſingulas ad hanc interrogationem ſolutiones morali miſticoq; ſenſu reddiderunt: eorumq; actæ Comœdiæ typis diuulgatæ, multis mortalium, ſalutem ſuam in Chriſto ſolo, nequaquam in alijs: conſolationem quæ præcipuam in carnis reſurrectione, collocandi occaſionem præbuerunt. Huiuſmodi brauij genus, vernaculo nomine Land-iuvvelium, id eſt, patriæ cimelium, appellatum eſt.

Digitized by Google

An. 1561 Anno 1561. Antverpiense contubernium, à Viola flore nomen sortitum, charta simili vicinas ciuitates inuitauit, rogans 3. Augusti, præsto addesse, quæstionemq; soluere velint:

Antverpiæ celebratum Patriæ emolumm.

Quid hominem ad artes potißimè excitet.

Constituta hic præmia non solum quæstionem doctißimè soluentibus, verum etiam imprimis magnificè, eleganter, spetiosè, maximoq; contubernalium numero intrantibus: figurato quoque & morali ingressu declarantibus, *Quomodo sauorabiliter concinendum, amanterq; discedendum sit*: præterea emblema spinterue suum elegantißimè præsentantibus: templum amplißimè honestißimeq; intrantib. festos ignes quauis materia & arte, nauib. picatis vasis, pyrobolis, facibus; tædis, laternis, trullis ferreis, similibusque luculentißimè extruentibus: festiuißimum ludum lepidißimamque comœdiam agentibus: & comœdiæ moralis prologo optimè demonstrantibus, *Quam necessarij sint humano generi mercatores ißtè negotiantes*: præterea, simplicitate innocentiaq; maxima, ridiculis verbis factißque, siue scommate, contumelia, dedecore aut infamia, stultitiam simulantibus: atque hoc modo victoribus varijs, varia ordinata præmia. Missa hac, quam diximus, charta, 3. Augusti quatuordecim Rhetorum rhitmicorum collegia, ex varijs Brabantiæ ciuitatibus municipijsque conuocata Antverpiam venêre: Bruxellensi autem, Serti Mariæ nomine appellato, summum brauium pulcherrimi introitus meritò datum. Hi enim contubernales trecenti & quadraginta numero, equites omnes, magnificè primo ingressu incedebant, Hongrorum more amicti, pallis holosericis fericisque muricetinctis, fimbrijs argento prætextis: rubris pileis, instar galearum, antiquo opere summaque arte factis: thoracibus, plumarum fasciculis, cothurnisque candidis: Zonis lutei, rubri, cærulei & albi coloris: auro artificiosè admodum intertextis: aduehebant autem pegmata septem, pulcherrimè veteri arte fabricata, diuersis personis intra, dexteritate insigni, gestatis: præterea currus vulgares 78. pulchrè in primis facibus ardentibus instructos, & panno rubro lineis albis striato prætextoque contectos: aurigæ simul omnes rubris pallijs vestiti: in ipsis curribus variæ personæ egregias vetusti artificij figuras representantes collocatæ, quarum interprætatione declarabatur, *Quomodo fauorabiliter concinendum, amanterq; discedendum sit.*

Vulgo stemet Cocemeliam vel Cremoßj.

Magna etiam celebritate pomqaque eò venit Mechlinienſe contubernium, Paronia appellatum: fuêre trecenti & viginti sex equites, tunicis multitijs rufsi coloris, limbis auro intertextis, pileis rubris: thoracibus, caligis & plumis luteis: corollis aureis: cothurnis ocreisque nigris: habuêre septem pegmata prisco more artificioque constructa, & personis ornata: adhæc currus septem panno rubro in quadrum pulchrè coopertos, quorum singulis octo emblematibus præclarè decoratis insidebant contubernales duo de facibus, ponè exstabant binæ trullæ ferreæ ardentibus funalibus. Reliqua similiter collegia, his quidem modis, non tamen tanto sumptu numeroue vrbem Antverpianam ingressa. Festis ignibus, ludis scenicis, fabulis, iocis, falibus, gesticulationibus ridiculis, conuiuijs commessationibusque aliquot hic transacti dies, donec brauia victoribus collata. Obtinuit pulcherrimi introitus palmam Bruxellense collegium Serti Mariæ: quæstionis autem, *Quid hominem ad artes potißimè excitet*, optimè solutæ, scilicet *Laus, honor, præmium*; Louanienſibus, Rosæ nomine insignitis, meritò datum est præmium. Hæc quidem latius enarrare opere prætium putaui: tum vt peregrinæ regiones, quibus talis consuetudo non est, hæc audita perfectius intelligant: tum vt Belgarum summa id temporis concordia fælicitasq; liquidiùs demonstretur.

Academia Duacensis.

Tunc temporis Rex Philippus Academiam munificè dotatam Duaci sexto Octobris die instituit. Exstructa hic à Iesuitis collegia aliquot.

Idem Rex Biblia Complutensia suis impensis, tum edi curauit typis Christophori Plantini, cura totius negotij D. Ariæ Montano demandata.

Finis primi libri.

Digitized by Google

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

EDICTA & Inquisitio Hispanica contra priuilegia Prouinciarum Belgicarum, & reformatæ religionis professores publicantur. Noui item Episcopi introducuntur: Quibus Belgæ se opponunt. Dissidia cum Anglis ob commercia. Melita à Turca obsessa. Rex vult Episcoporum Inquisitionem & decreta concilij Tridentini, locum in Belgio obtinere. His contradicit nobilitas, cuj, de causa inter se confœderata libellum offert supplicem, quo mitigari edicta petunt. Quamobrem Geusij vocati. Quæ omnia in Hispania male fuerunt interpretata; Hinc occasionem sumunt Reformati publicas conciones habendi, ibique palam multitudinem suam indicandi. Ob quæ cum multi eis male minarentur, arma sumserunt, statimq; in sequuta est idolomasia. His agendi rationibus Gubernatrix coacta fuit securitatem nobilibus (qui pro populo apud eam intercedebant) concedere, promittere q; vt conciones suas haberent, donec aliter prouisum fuerit. Ita arma à Reformatis posita & idolomasi aliquot supplicio affecta. Interea Gubernatrix collectis paulatim viribus, lites & simultates inter Nobiles serit. Quorum debilior pars, minis eius excitata, ad arma se conuertit, inter quos Toulousanus Vilsingam capere tentans fallitur, moxq; cum suis interficitur ad Ostervvelam. Inde seditio orta Antverpiæ. Nobiles inter se ita diuisi occasionem dant Reformatis, statuendi inter se ne posthac vlli edicto, vt ante se opponant, itemq; Valenenensibus obsessis vt se dedant, reliquis, vt rebus suis consulant discedant. Princeps Auriacus cum multis aliis è Belgio abit. Antverpiæ & alibi conciones interdictæ. Tumpacata omnia sunt visa, magnaq; spes prædicata Regis iram componendi. Omnes suspectæ religionis persequutionem patiuntur, quorum plerique aut carcere aut morte multantur.

Hæc facta sunt 18. aut 20. mensium spatio sub Ducissa Parmensi.

LIBER SECVNDVS.

BELGICOS tumultus sequenti libro describpturus, Belgicarum, Regionum varia priuilegia, mutuorumq; cum suis Principibus inita & obseruata contractuum genera, paucis declarare operæ prætium putaui. Regiones quidem aliæ paucioribus, aliæ gaudent fruunturque pluribus. In primis autem Brabantia & Ditiones vltra Mosam vt Limburgum, Valckenburgum, Dalhemum, inter alia multa, *Latum Intratum, Additiones, Cùartas, & Bullam Aream* obseruant: quibus præcipua hæc continentur priuilegia. *Brabantorum priuilegia.*

Brabantiæ Ducem suis subditis bonum atque fidelem Dominum futurum.

Nihil vi aut violentia in eos attentaturum, aut attentari vllo modo permissurum.

Extra iudicium cum eis nequaquam acturum, aut eos etiam agere toleraturum: verum omnia iure iudicioque facturum, secundum ciuitatum & tribunalium leges ac iura; quibus Reo, palam & coram iudicibus se per suos Aduocatos tueri conceditur.

Statum Ecclesiasticum neque promoturum neq; aucturum; præterea Regionis Statum non immutaturum, citra Nobilium & Ciuitatum consensum.

Officijs publicis nullos nisi Brabantos, eosq; legitimo thoro natos, præfecturum: certis quibusdam ijsdemq; parui momenti officijs exceptis.

Officiorum administratores & præfectos, fidej obsequijq; iusiurandum Duci & Regioni præstituros.

Ducem nullum bellum susceptuum, nullum pignus apprehensurum, aut tale quid permissurum, absq; ciuitatum & regionum consensu.

Militem nullum extraneum in regiones, citra Statuum consensum adducturum aut habiturum.

Contentum quoq; futurum suis redditibus & tributis legitimis ordinarijsq;: neq; nouas vllas exactiones, nisi certas ob causas, Statibusq; Regionumapprobantibus, impositurum.

MARGARITA AVSTRIACA DVCISSA PARMÆ ET PLACENTIÆ GENERALIS BELGARVM DITI. PHIL. HISP. REGIS NOM GVBERNAT. AB ANO. 1559. VSQVE. 1567.

Digitized by Google

Non conuocatorum Statuum Conuentum extra Brabantiæ limites: Status præterea ipsos nullo modo, vt extra Brabantiam aliquid constituant aut concludant, teneri. An. 1558

Nummum cudere, sine Statuum consilio, voluntate, & consensu, ei non licere. Pluraque alia his similia.

Si autem Dux Brabantiæ in priuilegia aut Legum Prouincialium Chartas delinquat vel peccet, siue iussu aut permissu contrà fiat: vasallos subditosque ab omni fide & obedientia absolutos atque liberos esse (nisi desistat, restauret, renuncietq; ex ipsis priuilegijs typo impressis manifestò liquet.

Habent & aliæ Belgarum Prouinciæ similia priuilegia: ita vt ipse Princeps non quod vult, sed quod priuilegia quæ ante inaugurationem vbiq; iuramento confirmare tenetur, exigunt, facere debeat. Imò Belgas, priuilegiorum vigore, suis Principibus Imperium omne abrogasse, atque sequestrasse. Chronici libri liquidò diuersis exemplis demonstrant.

Edicta contra Lutheran.

His autem Belgicarum Prouinciarum priuilegijs non obstantibus, anno 1521. Luthero in Germania superiore exurgente, Carolus quintus, Imperator, summo zelo Catholicæ Romanę Ecclesiæ religionis obseruandæ, atque Luthernæ doctrinæ à Belgarum ditionibus auertendæ, mandata edictaq; dura & dira contra omnes generaliter sectas edidit, ac quouis ferè anno renouauit. Vt autem Status regionum ad istius negotij consilium non conuocati, populusq; Belgicus hæc omnia facilius rata haberent, fuere huiusmodi edicta præcipuè enormibus scismaticorum & hæreticorum (vt pote hominum absque regula & lege viuentium, imperij magistratusque auctoritatem omnem aspernantium, prorsusque abolere molientium) facinoribus fundata: doctrinâ ipsâ vetereshæreses omnes permixtè comprehendente: vt ex ijsdem placitis satis liquidò adhuc constat. Hac arte factum, vt prædicta placita atque decreta à Regionibus quidem admissa, non tamen à Statibus confirmata fuerint: idque eò magis, quod Pontifex Romanus & ordo Ecclesiasticus ea, tanquam ad obedientiam S. Matris Romanæ Ecclesiæ imprimis spectantia, strictè obseruari, seruidè instarent atque vrgerent: neque querelæ vllæ generales, sed particulares quædam tantum super his initio auditæ.

Tenor Edictorum contra hæreticos.

Edictorum placitorumque huiusmodi vigore atque rigore, nemini doctrinam, libros, aut à Luthero, VVicleffo, Zwinglio, Melanthone alijsue similibus edita, qualicunque lingua habere, emere, dare, gerere, legere, conferre aut disputando tractare licitum erat: interdictum præterea, inter se conferre aut disputare de sacra scriptura, alijsve eam prælegere (exceptis Theologiæ Doctoribus, cæterisque admissis & approbatis: adhæc vetitum, ne quis sciens consciusue fuspectos domo aut hospitio recipiat, eis alimentum, pecuniam amictum suppeditet, sed eosdem statim deferat (Pœna capitis bonorumque amissione constituta) viris gladio plectendis, mulieribus autem viuis terra obruendis defodiendisq; dummodo errorem hæresimq; abnegantes, ad Romanam Religionem se recipiant talioquin obstinatis exurendis, atq; vt de bonis suis testamento, donatione aut alio modo disponant, inhabilibus reddendis.

Persequutio in Belgio decretorum edictorumq; vi.

Decretorum itaque prædictorum vi, imperante Carol. V. in Belgio capite truncata, submersa, suspensa, defossa, exusta, alijsque mortis generibus extincta, vltra quinquaginta, vt quidam scribunt, hominum millia: primò plurimis (ob leues admodum causas, neinpe carnium esum certis diebus vetitum, seruatos aut lectos libellos, damnatâ tamen doctrina ijsdem contentâ) Sacerdotibus quoque & Monachis, ob ductas fornicationis vitandę causa vxores, vita priuatis: vt multis ea de re scriptis libris liquet. Cùm autem hac persecutione parum proficeretur, tandem ab Imperatore, consilio quorundam, Hispanica Inquisitio, in Hispaniam contra Mauros siue Saracenos & Iudæos Granatenses subiugatos, inuecta, proponitur. Perspectum enim habebant, ipsa experientia edocti, plurimos (qui se in fidei negotio modestè cauteque gerere nouerant, ita vt eos in statuta edictaque peccasse, testibus probari non posset) neque capite aut bonis multare, aut adhibitis tormentis quæstionem habere fas iuraque patriæ permitterent (siue Inquisitione obrui opprimique non posse. Proinde prouinciam onus atque potestatem in homines inquirendi, & vnumquemq; de sua & aliorum quos nosset) fide examinandi, Ecclesiasticis dare decernunt.

Hic agendi inquirendiq; modus Belgis, spirituali iurisdictioni huius rei causa nequaquam subiectis, nimium rigidus, durus, atque libertati patriæ priuilegijsque aduersari visus: maximè quod Lutheranorum, Protestantium, aut Reformatorum (vt tunc appellabantur) numerus in Belgio supra modum accreuisset, cùm ab omnibus quoquouersum vicinis Christiani pijque haberentur: & quod huiusmodi decretorum edictorumque exequutione, Belgæ, vicinarum adiacentium que regionum, quibus cum (magno suo lucro) commercia agebant, hostes persequutoresq; reputarentur.

Proinde Carolo V. anno 1550. formam quandam Inquisitionis introducere volente, regio tota, præcipuè Brabantia strenuè intercedit contradicitque: imprimis verò Antverpienses extranearum mercatorum discessum veriti, quouis modo resistunt, summa Gubernatricis

An. 1562. bernatricis Mariæ Hungariæ Reginæ ope, quæ mero patriæ amore, Auguſtam Vindelicorum (vbi comitia tunc habita)ad fratrem Imperatorem profecta,coram ingenuęq; ſtatum & ſitum Belgicarum declarans regionum, ab eo placitorum edictorumq; mitigationem,& inquiſitionis abrogationem impetrat. Quod quidem egregium clementis Reginæ factum adeò ægrè & iniquè Inquiſitores Hiſpani tulerunt, vt ex Hiſpania apud Imperatorem fratrem hæreſeos accuſata fuerit:cum tamen hâc operâ regiones ſuo Principi ita deuinxerit, vt nullum onus, nullam exactionem,neceſsitate vrgente,Carolo recuſauerint:imò filio ſuo Regi Philippo(tametſi forma quadam inquiſitionis in Flandria aliiſq; locis adhuc obſeruata fuerit)bellis contra Gallos(Belgij cauſa nequaquam ſuſceptis)quadraginta milliones(vt vocant)florenorum intra nouem annos ſuppeditarint.

Noui Epiſcopatus.

Pace verò iam compoſita, cum Belgicæ Regiones pro maximis ſuis in Principem meritis ſe mitius regendos gubernandoſq; ſperarent,certo tandem compererunt Doctorem Sonnium anno 1558. Romam profectũ,à Paulo IIII. Pont. bullas datas 19. Maij 1559. & poſteà à Pio IIII. Pont.1560. 8.Martij,Regis Philippi nomine, Belgicas ditiones ornandi decorandique gratia, obtinuiſſe,autoritate attributâ tres Archiepiſcopatus, varioſq; Epiſcopatus inſtituendi,quod hæ prouinciæ imprimis diuites,potentes & populoſæ eſſent:quodque veteres Epiſcopatus longius & latius ſe extenderent, quam vt Epiſcopi debitam ſuarum ouium rationem curare; habere poſſent,decretumq; hos Archiepiſcopos & Epiſcopos poſſeſsionibus, redditibus & obuentionibus præcipuarum Abbatiarum vti frui debere. Quæ quidem omnia peracta executioniq; fuere deſtinata, ipſis veteribus Epiſcopis & Abbatibus inſcijs atq; inconſultis,nulla quoque ad Status,regiones aut ciuitates rogatione ea de re lata.

Nouti Archiepiſcopatus nominatæ vrbes Mechlinia , Cameracum & Vltraiectum:quarum duæ anteà Epiſcopatus,nunc Archiepiſcopatus factæ : Mechlinia autem in ipſo Brabantiæ meditullio ſita,omnium ſupprema atque Metropolitana.Noui Epiſcopatus Brabantiæ, Antverpia & Buſcumducis:Flandriç,Gandauum, Brugę & Hypræ:Arteſiæ,Fanum Omari:Namurcenſis regionis,Namurcum : Hollandiæ,Harlemum:Zelandiæ,Middelburgum:Friſiæ,Leevvarda & Groninga:Geldriç,Ruremonda:Tranſiſulanę regionis.Dauentria.Mechlinienſi autem Archiepiſcopatui(cuius Archiepiſcopus iam deſignatus erat Granuellanus,Epiſcopus Atrebatenſis,Cardinalis tunc creatus)Abbatia totius Brabantiæ ditiſsima Affligemia(quinque ginta millium Carolinorum prouentu annuo opulenta,& D. Amandi Abbatia(cuius tunc poſſeſsionem occupabat Cardinalis) deſignatæ ſuerunt. Epiſcopatui verò Antverpienſi, Abbatia Bernardina. Buſcoducenſi, Tongerloana . Gandenſi, Bauoniana. Brugenſi.Donatiana Præpoſitura, Hyprenſi,Martiniana.Omariẽſi, Præpoſitura eiuſdem loci cum Bertiniana Abbatia . Namurcenſi verò,decimæ Abbatiarum atque Monaſteriorum eius regionis:Harlemenſi, Abbatia Egmondana. Middelburgenſi,Petriana . Leevvardenſi,Margaretana & Liddana. Groningenſi, Golvveertana.Ruremondanę,Regularę monaſterium.Dauentrienſi,Præpoſitura Liuiniana, deſtinata erant.

Murmur contra nouos Epiſcopatus.

Hæc vbi,poſt Regis diſceſſum,Belgarum populus manifeſtè reſciſcit, continuò vndique reclamatur,obmurmuraturque,hanc eſſe nouarum rerum (abſque regionum conſenſu) molitionem,qua vetera inſtituta abalienarentur,regiones ſuis Abbatijs priuarentur, Monaſteria antiquis prærogatiuis ſpoliarentur , Statuum concilijs comitijsque Epiſcopi(quos etiam extraneos creare liceret)præſiderent imperarentque, monaſteriorum facultates alijs fauore deferrentur, largæ eleemoſynæ ſtipeſq; collatitiæ in ipſis monaſterijs egenorum ſubſidio diſtribui ſolitæ ſubtraherentur, atque hæc omnia contra libertatem & priuilegia patriæ agerentur. Maximè autem vnum hoc populum vrgebat inquietabatque, quod perſuaſiſsimum haberent, ſub huiuſmodi pallio ipſam inquiſitionem, arte tali occultè introducendam, latere: cum ex horũ Epiſcopatuum bullis,omnia eò ſpectare euidenter pateret:imprimis quod ſinguli Epiſcopi in ſuis Eccleſijs Cathedralibus nouem præbendas conferrent, quarum poſſeſſores ſeptem in ipſo Inquiſitionis facto,iudici adeſſent,duo autem inquiſitorum officio fungerentur:credebatur

Granuellanus, Mechlinienſis Archiepiſcopus & Cardinalis.

que certò hanc ob cauſam Hiſpanos milites in Belgio retineri, & ex Italia accerſitam nouam Gubernatricem rerum Belgicarum inexpertem, vt eò magis totius regiminis ſumma à Cardinale Granuellano nouo Mechlinenſi Archiepiſcopo, aliiſq; id genus ſectatoribus,Regis Hiſpaniarum Hiſpanicæq; factionis ſtudioſis,dependeret.

Odium in Cardinalem Granuellanum.

Poſtquam huiuſmodi murmura ſuſpicioneſque exortæ, attentius Cardinalis Granuellani ſociorumque recens electorum Epiſcoporum intentio actaque obſeruari ab alijs cœperunt, ſyncere propoſitis,frequẽter etiam in deteriorem partem interpretatis:hinc odiũ diſſidiumq; inter eos qui cũ Granuellano Belgicas regiones adminiſtrabãt:ipſe enim Granuellanus(tũc Cardinalis Pontificiſq; Romani intimus)ambitioſè, ſuperbè arrogãterq; ſupra modũ apud nobiles plebeioſq; ſe gerebat,regionũ gubernacula ſibi ſoli aſſumens:quę quidẽ omnia Reguli magnateſq; eò facilius cõniuentes permittebant,quod perſpectũ exploratũq; haberẽt omnes machi-

nationes

nationes molitionesq;, nouos Epiſc. & Inquiſitione totipatriæ adeò exoſam introducendi, iritas fore: altiuſiue Belgij ſtatum ac ſitum perpendentes, patriæ interitus auctorem Cardinalem, quam ſe eſſe malebant: Cauſas autem rationeſque præcipuè adferebant, fieri nequaquam poſſe, quin maximæ Belgarũ parti Lutheranismus puriorq; Religio innoteſcat: cũ liquido constet, poſtremis bellis eius exercitium, concionibus doctrinisque palam habitis apud milites Germanos in Belgio toleratum: vicinaſque Regiones omnes, nempe Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Ooſtlandiam, hanc acceptaſſe, toleraſſe & permiſiſſe: plurimis eam ſyncerè & Catholicè reformatam approbantibus: quas quidem vicinas Regiones Belgæ, commerciorum quæ vbique terrarum exercent cauſa, frequentare neceſſe eſſet. Neque de his vicinis, mercandi negotiandique gratia vbique in Belgio, præcipuè autem Antwverpiæ, verſari ſolitis, populus Belgicus vnquam tam malè ſuſpicari potuit, atque Hiſpaniarum Inquiſitores, qui eos Mauris, Saracenis & Iudæis multo peiores reputant: cum tamen quotidiano vſu, vita quoque & conuerſatione ſatis cognitum exploratumq; ſit, plurimos eorum, probitatis, fidei, charitatis veritatiſque ſtudioſiſſimos, non alium præterquam verum Deum, trinũ in perſona adorare, omnem ablutionis peccatorum ſpem in Chriſti ſolius ſanguine collocare, ſacram ſcripturam cum duodecim fidei articulis ratam ſynceram, orthodoxamq; tenere: imò longè maiori zelo quam Catholici Romani ſuam fidem ſacræ ſcripturæ conformem proprio ſanguine confignare atq; confirmare.

Rationes Statuum contra edicta Inquiſitionem & nouos Epiſc.

Præter hanc verò de Reformatis ſiue Lutheranis conceptam opinionem atq; experientiam, plurimi, quo magis aduerſarij, edictorum & Inquiſitionũ vi ac rigore, eos extinguere & perſequi niterentur, eo magis accreſcere, putabant: cum quotidie complures modeſti, ſedati & innocentes, irreprehenſi inculpatique inter homines vitam agentes, viſi ſint ad ignem pertrahi, Deum vnum adorantes, ſummaque laude & gloria celebrantes. Quæ quidem res (inprimis verò ipſum interdictum crudeliſſimè ſancitum) diræ mortis rationem, opinionum à ſacra ſcriptura diſcrepantium, & cauſæ iniquitatem inquirendi, auidum curioſumq; reddidit populum: plurimis etiam, amicorum è contrario rectè inſtruendorum gratia, ſcripturam ſacram propria diligentia potius perſcrutandam, quam Parochi ſiue Curionis ſermonibus prorſus ſtandum, iudicantibus: quorum alij ſe huic etiam Religioni omnino addixerunt: alij eos à recta via non adeò longè aberrare, vt propterea tam graui ſupplicio eſſet afficiendi, ipſa experientia didicere: cum vix vlli tales, quales decreta placitaque iſta exprimebant, inuenirentur: exiſtimantes proinde (diſtinctione facta) prudentiam huic negotio adhibendam, nec culpa quamlibet ſectarum prauarum, ſtatum omnem, patriæq; priuilegia mutanda aut euertenda: ita vt reputarint, quoſcunq; Regij obſequij, patriæ proſperitatis, & priuilegiorum conſeruationis ſtudioſos, proprij quoque lucri & praui odij puros, liberè iudicaturos, tali tempore nequaquam, ſine Statuum & Regione conſenſu, ſpecie Regionum cohoneſtandarum decorandarumq;, Epiſcopos aut Eccleſiaſticos nouos introduci, aut aliquid immutari debuiſſe, multo minus Inquiſitionem omni populo maximè inuiſam, qua Belgæ Saracenis & Iudæis aſſimilarentur: niſi fortè quis auſam tumultus ſeditionisq; populo dare vellet: vt hoc modo à debita obedientia deſlectentes, huiuſmodi tandem prætextu debellarentur, victiq; ſubiugarenturiniquum præterea eſſe, ſubditos tam acriter edictis placitiſque, tanquam ab ipſis Statibus generalibus ſtatutis, vrgere: quaſi ea, cum temporis & Regionum conditio ratioq; poſtularet, aboleri, mutari, aut mitigari non poſſent.

An. 1562.

Imperij Epiſcoporũ Leod. Monaſt. & Cameracq. querela.

Epiſcopi Leodienſis, Monaſterienſis, Cameracenſis & Traiectenſis de iurisdictionum limitumq; ſuorum diminutione grauem querelam interponunt, & quod ſua iura dominiaq; nouis Epiſcopis traderentur.

Abbatiæ Brabanticæ, Tongerlana, Bernardina, Affligemia, quorum Abbates tunc temporis demortui, ægrè quoque hæc ferentes, anno 1561. curiam inſtanter de eligendis nouis Abbatibus vrgent: verum nihil impetrant: proinde alijs Abbatijs, poſtremò etiam nobilibus, Metropolitanisque Brabantiæ ciuitatibus, tres patriæ Status repræſentantibus, conſociatis, actius inſiſtunt: quibus Gubernatrix, hæc nõ in ſua poteſtate, verùm à Rege poſtulanda, reſpõdet: mittunt proinde Legatos in Hiſpaniam, manifeſtiſſimis ſcriptis ſua iura declarantes, quæ abſque violatione priuilegiorum Regionis Brabanticæ generaliter, atq; Abbatiarum ſpecialiter, infringi nequaquam poſſent. Breui poſt, vigeſimo ſeptimo die Februarij, an. 1562. poſtulata ſcripto negantur, maximè quod nulla ipſis conquærendi cauſa ſupereſſet, cum abbatijs is honor ſit præſtitus, vt ipſi Abbates, Epiſcopali nomine titulóque decorentur, vnde Regi ſummas etiam gratias agere deberent. Legatis hoc reſponſo accepto in Belgiam reuerſis, Abbatiæ nequaquam contentæ, ſociatis alijs Brabantiæ Statibus à Gubernatrice poſtulant 5. Maij, cauſam iudicio agi: verum hoc nequaquam eis conceditur.

Antverpienſes, cum eis ſuum quoque Epiſcopum Sonnium recipere (quod multi alijam fecerant) iniunctum eſſet, Gubernntrici 23. Ianuarij declarant murmur, metumque ciuium & ſubdi-

Digitized by Google

An. 1562. subditorum, Inquisitionem hac Episcoporum inauguratione, contra ciultatis priuilegia, promissaq; ipsis data, introducendam: quare ne mercatorum negotiatio pereat, eos summopere vereri: Episcopi introitum quoque à communi republica facilè impediri posse. Ad hæc eis responsum: Nequaquam huius actionis scopum esse, vt Inquisitio inuehatur, aut in ciuitatis præiudicium aliquid agatur: sed vt vrbs Antverpiana (tanquam optimè merita) nouo Episcopo ornetur atq; honestetur: quod si hoc responso minus sibi satisfactum putent, liberum eis esse à Rege postulare. Proinde iterum in Hispaniam mittunt: cum autem hic eis responderetur, æquum esse, Regiæ Maiestatis sententiæ se accomodare: tali responso eis minimè satisfieri dolentes (præsagiebant enim suæ vrbis excidium & euersionem inde dependere) tres pro prios Legatos, Godefridum Sterckium ipsius vrbis Ammannum siue Prætorem, Vrselium Senatorem, & Iacobum VVesenbeckium Pensionarium, ad Regem in Hispaniam mittere decernunt: hi vndecimo die Iunij, dicendi potestate data, Regi statum causæ & ciuitatis latè exponunt: responsum autem præcedenti conforme, sexto Augusti eis redditur: tandem verò post plurima vltro citroque scripta, nouis propositionibus, vt Regis intentioni satisfacere queant, aggrediuntur: Rex autem, mense Decembri, coram viuaque voce, Antverpienses nulla Inquisitione molestandos, promittit: qua responsione Legatorum vnus in patriam redit: verùm persistit ciuitas tota vno ore, hęc communitati & mercatoribus ægrè perlsuaderi posse, si nouus Episcopus admittatur: proinde rem deferri postulant, donec ipse Rex præsens, aut æqui discepatores ab eo missi, difficultatem ac necessitatè penitus perspiciant, cognoscantque. Postremò, cum Legati iam annum & amplius in Hispania morati essent, Rex tertio Augusti 1563. eos dimittit, scriptis atque verbis spem multam proponens, id temporis, certas ob causas, Antverpiensis Episcopi introitum prorogandi differendique. Atque ita Antverpiam & alias ciuitates, quæ nullos adhuc Episcopos admiserant, nouis Episcopis vlterius molestare desitum est.

Interim proceres Aurei Velleris equites, Consilium Status & Gubernatrix, ob varias Regionum & ciuitatum querelas consilium inennt, qua ratione Regem, cui rem totam non satis perpensam exploratamque putabant, commodè atq; plenè instantibus periculis docere ac monere possent: decernuntq; in Hispaniam mittere Florentium Montmorentium, Baronem Montignium, Equitem Aurei Velleris, Comitis Hornani fratrem, hominem egregiè cordatum: qui multa cum Rege hac de re locutus, mense Augusto, 1562. paruo cum fructu atq; profectu, reuertitur: tametsi populus bona quadam spe tranquillior nonnihil sit redditus.

Florentium Montignium in Hispaniam mittitur.

Magistratus, officijsq; publicis ciuitatum à Rege præfecti, quo Regem, & huiusmodi rerum nouarum molitores pacarent placarentq;, iniuncto munere, in extinguendis Religionum noxitatibus, strenuè, vt edicta exigebant, functi, sæua vbiq; fupplicia in plurimos exequuntur, neque id sine summo suæ vitæ periculo: multis enim locis furiosè turbatum tumultuatumq; ,cum stătium millibus aliquot clara voce Reformatorum psalmos cantantibus, alijs magistratum lapidibus petentibus: paßim etiã fupplicio afficiendis & captiuis vi ereptis: quod Antverpiæ anno 1564. propemodum euenisse in Chistophori Fabritij olim Carmelitæ supplicio satis constat, cum populus tantam lapidum grandinem eiacularetur, vt fugiente carnifice non tam crematum quam fubitò transfossum fuerit Fabritij corpus. Postea autem alij miseri in ipso carcere capitibus inter genua ligatis, in vase aquis pleno submersi atq; suffocati: verum nec hoc qui dem periculo & metu seditionis vacabat, carcere magna plebis coronâ vndiq; ita circumsepto, vt officiorum publicorum præfecti sine graubus minis nequaquam euadere potuerint. Præterea captiuorum alij sæpenumero arte atque agilitate erepti, alij muris denisimis quatuor aut quinque pedes latis, liquore ex vino stillatitio (quam aquam ardentem vocant) alijsque machinis, labefactatis perforatisq;, ingentibus quoque ceruleis lapidibus magno conamine amotis, euaserunt. Hic vt breuiter dicam (videre erat, quam difficile sit, copiosa multitudine inuita ac reluctante, aliquid effectum reddere: præcipuè autem hominibus tanto zelo flagrantibus, vt hac ratione Deo sacrificium se præstare putent.

Summum periculum in exequendis supplicijs Reformatorum.

Concilium Tridentinum

Anno 1562. inchoatum Tridenti Concilium generale. Eò Imperatoris, Regum Hispaniæ, Galliæ, aliorumque Principum Legati conueniunt, Patribusque, hoc est, Cardinalibus & Episcopis vndiq; à Pontifice Romano conuocatis, sua postulata, maximè autem Status Ecclesiastici Reformationem proponunt. Anno proximè sequenti, 1563. decretorum conclusione facta, patrum cœtus dimittitur. Statutorum huius Concilij obseruatio apud Belgas quoque attentata fuit.

Elephas in Belgio.

Anno 1563. mense Septembri Belgium pertransijt Elephas, Maximiliano Romanorũ Regi per mare ex Hispania missus, nouem tantum annos natus, nondumque adultus, octo tamen pedum altitudine Antverpiæ dimensus, vbi coram dominis, dominabus & mercatoribus genua flectere seque incuruare ciuiliter & probè callebat: magnam ingenij intellectusque vim præsentans: vescebatur libenter pane triticeo, libentius tamen pomis, oriza, saccharo, & maxime

maxime palmitibus pampiniſque: exhauriebat autem vno hauſtu tria aut quatuor vini po- An. 1563.
cula.

A fine anni 1563. ad initium vſque ſexageſimi quarti, hyems fuit tam acris, vt decem continuas hebdomadas gelauerit, & Antverpiæ à ſecundo Natalis Chriſti, vſq; ad Epiphaniæ diem feſtum pedites equiteſque per Scaldim iuerint: nouitatis autem rei cauſa ſuper ipſum flumen congelatum tentoria, tabernacula & cadurca, cibo, potu & alijs mercibus venalibus inſtructa: currus quoque mercibus alijſq; rebus onuſti Antverpia Rupelmondam vſq; perducti. Rhenus, Moſa, reliquaque Germaniæ flumina, vt & vicinarum regionum Angliæ, Scotiæ & Franciæ, admodum rigido gelu tunc ſimiliter concreta. *Hyems acris.*

Anno 1564. 25. Iulij obijt mortem Ferdinandus Imperator, natus annos ſexaginta duos: filijs tribus, Maximiliano, Ferdinando, & Carolo, multiſque filiabus relictis. Maximiliano natu maximo, menſe Nouembri 1562. Romanorum Rege electo. *Mors Ferdinandi Imperatoris.*

Bruxellæ in Gubernatricis aula, inter Proceres Aurei Velleris, Conſilium Statuum, & Cardinalem Granuellanum tetra, diuerſis de cauſis, orta diſcordia. Cardinalis ſe in ſummo honore atq; authoritate conſtitutum cernens, non ſine magna ſociorum ſequela, his etiam adiuncto Regis in Hiſpania conſilio, ſe admodum elatè arroganterq; gerebat: rigore & auſteritate exequi volens ea, quæ Proceres lenitate & modeſtia potius agi deſiderabant: hinc ſtatim ſcommata, conuitia, ludibria vtrinque: Cardinalis Proceres quoſdam tanquam Lutheranos, ſtultos, prodigos, & parum frugi irridet, eorumq; acta omnia epiſtolis in Hiſpaniam ſcriptis, in peiorem partem interpretabatur. Proceres in Cardinalis opprobrium contumeliamque ſuis famulis veſtem inſigni geſtamine, altera manica morionis cucullum acu pictum referente, apparant: verum quibuſdam cucullo hoc: Cardinalitium galerum ſignificari conijcientibus, loco cuculli faſciculum iaculorum (concordiæ in Regis ſeruitium obſequium que ſymbolo) ſubſtituunt: cuius quidem geſtaminis nota præcipuorum aulæ Procerum famuli inſignes fuere: Cardinaliſtis hinc conſpirationem in ſuum Cardinalem interpretantibus. *Odium & diſcordia inter Proceres Belgicos & Cardinalem.*

Cum, his ſimultatibus, odijs, contumelijs indies magis magiſque accreſcentibus, communi Reipublicæ populoq; audaciæ ac inſolentiæ cauſa præberi videretur, Gubernatrix eiuſq; conſilium, anno 1564. Armenterum (tunc à ſecretis) in Hiſpaniam mittit, conſilijs ſententijſq; inſtructum. Eo reuerſo, Cardinalis alterius factionis Princeps, extra Regionem in Burgundiam proficiſcitur: hinc rurſus tranquillitas: eius nihilominus intimis ſectatoribus (tunc Cardinaliſtarum aggnomine appellari cœptis) tenaciter in propoſito multarum rerum perſeuerantibus. Orta enim diſſentio inter tria Conſilia, Status, Secretum, & Quæſtorium, quod Finantiarum vulgo vocant. Conſilium Status, ex præcipuis prudentiſsimiſque Regionum Proceribus conſtabat, penes quos totius adminiſtrationis gubernationiſq; ſumma erat: nempe cura pacis, belli, militiæ, vicinitatis Regionum: omnia in pace & quiete conſeruandi: alijs etiam Conſilijs præſidendi, atque prouidendi. Conſilium Secretum, cui D. Viglius Zvvichemus præſidebat, præcipuè viris literarum ſcientia præſtantibus inſtructum, qui iuſtitiæ, priuilegiorum, gratiarum, ſtatutorum & legum adminiſtrationi operam dabant: & Quæſtorium, cui cura erat ærarium publicum. Cardinalitiæ factionis vtriq; hanc tantam Conſilij Status authoritatem ægrè ferentes, cauſantur ab eodem aduerſus ſe occaſiones quæri, quibus tam in iudiciario, quam quæ ſtorio negotio delinquant, vt eos poſtea apud Regem accuſent. Hæc Conſiliorum diſcordia, multorum quoq; malorum origo fuit. *Diſceſſus Cardinalis.* *Diſſentio Statuum Belgij.*

Hac ætate anni 1564. in Friſia Leovvardienſes & Groningenſes: in Geldria quoque Rure-mondenſes & Dauentrienſes, vt nouos Epiſcopos voluntarie lubenterque recipiant requiſiti, id facere recuſant. Nouiſſetiam Epiſcopi in poſſeſionibus iam conſtituti, contra ſua collegia & Eccleſias multis quæſtionibus & controuerſijs decertant: horum quidam adeo indecenter incompoſiteq; ſe gerunt, vt ab ipſa Gubernatrice ſint reprehenſi. *Friſia & Geldria Epiſcopos recipere recuſant.*

Ab Antverpienſibus poſtulatum, ſe Archiepiſcopatui Mechlinienſi, vbi Cardinalis admiſſus erat, ſubmittere vellet. Reſiſtunt autem Brabantiæ Status: quorum ſupplicibus libellis ſ. pe in Hiſpaniam remiſſis, ægrè tandem longo poſt tempore eſt reſponſum. *Epiſcoporum nouorum inſolentia.*

Abbatiæ Brabantiæ, nulla via nouos Abbates impetrandi inuenta, ne prorſus in Epiſcoporum iura dominationemque redigantur, ineunt rationem redemptionis cum Rege paciſcendæ, annuo reditu, in nouorum Epiſcoporum vtilitatem, vt ferebatur: quo monachis proprios eligere Abbates liberum eſſet: hoc pacto Abbatum electione tandem impetrata, ab Epiſcoporum præfectura liberantur: promittiturque eis Pontificia abſolutio. Status quoque Brabantiæ impenſius Curiæ inſtant, vt irrita hæc Epiſcoporum nouorum creatio reddatur. Cum autem has aliaſque ob cauſas Belgiæ regionibus omnibus periculum graue imminere videretur, Proceres Conſilij Status, & equites torquati, cum ipſa Gubernatrice, Principem Gauræum, Egmondanum in Hiſpaniam mittere ſtatuunt, qui Regi Regionum ſtatum coram exponat, nouorum Epiſcoporum abolitionem, Inquiſitionis abrogationem, edictorũ mitigationem impetret, *Abbatiæ Brabantiæ redemptione, annuis Epiſcopis liberantur.* *Comes Egmondanus in Hiſpaniam profectus.*

Digitized by Google

An. 1564. petret, vt imminentia mala quam plurima auertantur: Gauræus initio anni 1565. rem omnem Regi in Hiſpania exponit: atque ſpem promiſſaque accipit, Regem ſuæ petitioni ſatisfacturum, ac ei poſt de rebus omnibus libellum conuenienti formula miſſurum. Eo in patriam reduce, gaudium quidem ingens toto Belgio ortum, ſed nihil ſolidi ſecutum. Tantummodo enim placitorum quædam mitigatio, trium Epiſcoporum, trium Theologiæ, totidemq; Iuris Doctorũ, trium etiam Canoniſtarum deliberatione concluſa eſt: quæ (licet fœua adhuc duraq; plus ſatis) ad Regem miſſa, rata tamen habita non eſt: idque maleuolentia, inuidia ac odio tum Hiſpanici Conſilij, tum etiam quorundam Hiſpanorum, vi Belgio exactorum, præterea Inquiſitorum Hiſpanorum, Belgarum quoque nonnullorum prorſus Cardinali addictorum, aut à Rege penitus pendentium, vt Barlemontij feliciumque eius liberorum, hominum nouorũ ab humi i conditione ad ſummos honores à Rege euectorũ, diuerſorũ inſuper Curialiũ, Conſiliariorumque. Hi enim cum alijs ſui ordinis ſtudijque hominibus, dicuntur (id quod & multi adfirmant, & res tempuſque ſatis probant) Regi conſuluiſſe, vt Belgiam (tam ſuæ conſcientiæ tranquillitatis & animæ ſalutis, quam aliarum regionum quas in metu & pace conſeruare vellet, exempli cauſa) ſumma ſæuitia tractet: Inquiſitionem Hiſpanicam, qua à varijs hæreſibus purgetur, inuehat: quod ſi ſic exagitata rebellem ſe præſtet, occaſiones (quas ſtatim captare neceſſe erit) ſatis multas facilè occurſuras. ob quas abſolutio iuramenti prouincijs à ſua Maieſtate præſtiti, Romani Pontificis authoritate facilè impetrari poſſet: hac ratione ei fas licitumque eſſe Hiſpanos & extraneos introducere, regiones ſubiugare, domare: imò pro recens deuictis debellatiſque (nequiaquam patrimonialibus) habere: eas in regnum commutare, & tali regno neceſſarias leges conſtituere: Belgarum Proceres aliquot, nonnullos quoque alios, capite plectere, vt ſic reliquis timor metuſque incutiatur, quam obedientiam perfectam appellabant. Quæ verò inuidentiæ, ſimultates, odia, ſimileſque paſſiones hic ſint graſſatæ, res poſt acte Lectorem docebunt: quibus tamen Deus Opt. Max. in ſui nominis honorem vſus eſt. Atqui horum, quos dixi, inſtinctu, apparet Regem, anno proximè ſecuto, Gubernatrici ſuum edictum perfectè abſolutum, planè plenequè obſeruandum miſiſſe: vnde & poſteriores turbæ ortæ.

Moderatio placitorum concinſa.

Conſilium Regis datũ à Belgij inimicis.

Occaſionibus initijſque, vnde turbæ ſequentes, expullulârunt, hactenus relatis, operæ prætium viſum antequam vlteriorem earum narrationem aggrediar, hic caſus quoſdam obiter enatos, qui anſas materiaſq; turbarum dederunt, declarare.

Diſſentio inter Anglos mercatores, & Belgarum popinas.

Hiſ temporibus grauis orta inter mercatores Anglos & Belgas diſſentio, mutui commercij ergò. Cum enim Belgium varijs diſſidijs vndiq; turbidum fieret, & Antverpienſes in demonſtrationibus Regi, Inquiſitionis derogandæ cauſa propoſitis, Anglorum mercatum, magno Antverpiani emporij omniumque inieriorum regionum damno transferri facilè alio poſſe, cauſatiſ eſſent: Angli capta occaſione, nulla mutuorum contractuum fœderumq; habita ratione, ſuum commodum ac quæſtum quouis locorum perquirere audenter aggrediuntur. Iamq; illatarum mercium vectigalia ferè media parte intenderant Angli, cum auctione æſtimationum mercium, qua omnes extranei 6½ pro 10. pendere ibidem tenebantur: præter alia adhuc vectigalia, & ciuitas Londinenſis portorium, quod Scauagium vocant. Hæc acta ſunt tempore matrimonij Philippi Hiſpaniarum Regis & Mariæ Angliæ Reginæ, Rege ipſo certas alias ob cauſas tunc conniuente, nihilque contradicente. Præterea vectigal cuiuſque panni ex Anglia euchendi à mercatore extraneo, auxerant, vt minimum Angeloti pretio: idque cum tanta vectigalium atque portoriorum inæqualitate, vt Angli à quibuſdam vectigalibus liberi, quidam mediâ tantum parte pendentes, Antverpiæ pannũ Anglicanum ſex florenis, minoris quàm Belgæ, vendere potuerint. Ita pannorũ negotiatio aſſutè mercatoribus Belgis ſubtracta, prorſus in Anglorum manus tranſlata eſt. Et hæc quidem certo temporis ſpatio tolerarunt Belgæ, donec mercatorum crebris mota querelis Gubernatrix Parmenſis Duciſſa, anno 1563. Conſiliarium Chriſtophorum Aſſonuilium in Angliam, has plureſque alias controuerſias & difficultates componendi cauſa, mittit: ſed in caſſum: Quin contra, id ferè temporis (Anglorum amplioris quæſtus gratia) Anglicani Parlamenti ſtatuto plæraque opeficum opera Belgica, nempe aciculæ, cultri, faſciæ, teniæ, cingula, pluraq; id genus alia, ex Anglia fuére eliminata. Qua de cauſa eodem anno, 8. Decembris apud Belgas decreto publico prohibitum, vllam prædictarum mercium in Anglia interdictarum materiam eò vehere: aut vlla opera in Anglia regno facta, vt Leuidenſas (quas baias vocant) aliaue in Belgium inuehere, exceptis ſolummodo pannis & carſetis, idque ſtatum & firmum futurum, donec noua in Anglia interdictio abolearur: Quantum verò ad nauigationem attinet: cum certas merces eo neque aduehere neque euchere aliis, quam Anglicanis nauibus liceret, peregrinæ verò magnis vectigalibus grauarentur, ſtatuto tunc vetitum eſt Anglicanas naues mercibus onerare. modo Belgicæ in portu præſto eſſent: de nouis quoq; exactionibus & vectigalibus decerneretur, vbi Reginæ propoſitum de ſubditorum Belgij indemnitate plenius intellexiſſent. Cum autem prædicti anni autumnali tempo-

Belgice merces in Anglia prohibita.

Digitized by Google

tempore, pestis summopere Londini grassaretur, Angliquè suis pannis, tota æstate (pretij augendi causâ) detentis, iam instante hyeme, magna classe Antverpiam meditarentur, Belgarum Gubernatricis interdicto mense Nouemb. cauetur, pannos Anglicanos, Carsetas aut Lanasin Belgium inferre, pœna confiscationis earundem mercium, maximè prædicti morbi contagionis causa, in diem vsque Purificationis Mariæ, aut donec aliter decernatur: die autem prædicti festi transacto, edictum idem in festum vsque Paschæ prorogatur. Interea temporis ex Anglia Dauius Doctor, ex Belgio Torreus à secretis, vtrinque missi: quorum legatione nihil transactum: hinc statim Anglis suboluit, non tantummodo pestilentis contagionis, sed non seruatorum contractuum causa hæc fieri: Quæ quidem res fortassè ab aliquibus Anglicanæ gubernationis primarijs, potius discordiam quam concordiam inter Anglos & Belgas motis sentibus, in peiorem interpretatæ sunt partem: adeoque indignè hæc Angli (imminentes turbas præuidentes) tulere, vt Reginæ iussu anno 1563. Martij die 23. stilo Anglicano, in Anglia fuerit proclamatum, licere subditis alio pannos suos deuehere, interdictis etiam in Angliæ regno qui buslibet Belgarum mercibus. Proinde Angli naues, quinque mensium spario, remoratas, panno onustas, Emdam vertunt, fœdere contracto cum fratribus Comitibus Emdanis, promissoque, omnem negotiationem à Belgis eò auertendi, Emdamq; (vt sibi persuadebant) opibus & potentia Antverpiâ parem efficiendi: eam autem quam sperabant opportunitatem commoditatemque eò loci haud quaquam nacti, sua spe sunt falsi. Contra Ducissa Parmensis Belgij Gubernatrix vigesimo secundo Maij iubet edici ne quis Belgarum cum Anglis Emdæ commercia agat, merces aliquas eò destinet, aut pannos ab eisdem emptos (mulcta confiscationis eorundem) in Belgium deferat, donec Regina Angliæ interdictionem operum in Belgio confectorum aboleat, alias conuentu partium huic negotio prospiciatur.

An. 1564.

Pannum aut lanas in Belgium ex Anglia adferre prohibetur.

Cùm verò Principes vtrinque, his controuersijs nihil obstantibus, amicitiam mutuam colerent: tandem ipsa hyeme, Regis Hisp. Legati D. Diegi Gusmanni de Silua, & Anglicanæ Curiæ operâ, 24. Decemb. an. 1564. pactio inita, ratimque in vtraq; Regione proclamata: scilicet, suspensis quibuslibet statutis, decretis & inhibitionibus in Anglia (Elisabetha regnante) in Belgarum præiudicium aut damnum editis, liberum esse commercia vltro citroq; agere: Belgarum populo ijs priuilegijs & immunitatibus concessis, quibus in Anglia, anno 1558. nempe vltimo regni Mariæ postremò defuncti, aut freti essent, aut frui potuissent: In Belgio similiter abolitis posterioribus omnibus edictis & placitis, licere Anglis liberè pannos aliasq; merces vehere: idq; ratum vtrinq; permansurum, donec comitijs intra tres menses Brugis celebrandis, huic negotio prouideatur: vbi disceptatorum auctoritate, negotiationum quærelæ omnes & infractiones componerentur.

Pactum inter Anglos & Belgas.

Circa Paschatis itaq; solennia, anno 1565. præsto Brugis adfuere, à Regina Angliæ D. Antonius Brouvvein, Vicecomes Mantagnus, ordinis Garterij. Eques (Nicolaus VVottonus, Constiliarius Decanus Cantuariensis & Eboracensis) vnaq; VValterus Haddonus Iuris Doctor: à Rege autem Hispano & Belgis Florentius Montmorentius, Montignij Dominus, Aurei Velleris eques, Tornaci & Torneti Gubernator, Christophorus Assonuillius, priuati Consiliarius, & Ioachimus Egidius, Brabantiæ Consiliarius: his mercatores vtrinque suas querelas & contractuum violationes significant declarantq; : Belgæ diutius promisso standum negant: Angli contrà, pactum (suo more) seruandum, aut vetus anni 1506. rursus confirmandum, aut nouum suo modo incundum asserunt: tanta autem fuit partium discordia, vt ea æstate ad concordiam rem adducere non potuerint: Mense proinde Septembri comitia intermissa, in diem 25. Martij sequentis anni 1566. differuntur: quo quidem tempore idem ipsi disceptatores Brugis comparent, excepto Montignio, tunc à Belgarum regionibus in Hispaniam misso, in cuius locum suffectus Philippus Montmorentius, Haricourtij Dominus, Aurei Velleris eques: hi disidio hoc componendo iterum vacant in vigesimum primum vsq; diem Iunij eiusdem anni: at cũ turbis in Belgio ortis, neque locus neque tempus esset de difficultatibus his vlterius agendi, rumorque spargeretur Regem Philippum statuisse breui in Belgium venire, denuò disceditur, comitijs suspensis donec Regi præsenti res coram referatur: ea in primis de causa, quod lites essent de nouis vectigalibus in Anglia impositis, quæ Regina (quod antequam regni sceptro potiretur, institutum esset) remittere nequaquam volebat: disceditur ergo ea lege, vt Princeps alter alteri quando pactum irritum fieri velint denuntient, quadraginta antè diebus vtrinque mercatoribus præmonitis, vt tutum liberumque ijs sit cum suis mercibus abire: interea verò temporis vtrique parti licita esset negotiatio ad modum contractus Londini inter Angliæ Reginam & Belgi Gubernatricem vigesimo quarto Decembri 1564. initi: mare etiam apertum, liberum, tutumque contra pyratas redderetur. Quo quidem pacto conuentoque commercia inter Anglos Belgasque fuere continuata; postea verò, Gubernatore Duci Albano, vt suo loco latius dicetur, intermissa.

Conuentus partium Bruxellæ.

Collegium Regis Gallorum. Matris Reginæ Hispaniæ. Ducis Albani.

Hoc anno 1565. Carolus Galliarum Rex cum matre, per Franciæ regnum, Lugduno, Baionam

An. 1565. nam vsq; ciuitatem maritimam Hispaniæ limitaneam profectus, inuisit sui regni oppida Valentiam, Masiliam, Montempessulanum, Narbonam, Carcassum, Burdegalam: Baionnæ ipse à sorore Regina Hispaniæ, Duce Albano alijsq; Regulis Hispanis comitata, inuititur. Hic multis diebus habita consilia: vnde Reformatis Gallis, Belgis, alijsq; orta suspicio clandestini fœderis duorum potentissimorum Principum in sincerioris Religionis excidium, postremiq; pacti, de extirpatione Religioni contrariæ addictorum, comprobationem. Hinc veredariorum in Anglia, Belgium, Germaniam & Galliam frequentissimi discursus: verum cum nihil vnquam certi hac de re potuerit rescisci, multis suspicio vana fuit visa.

Melita obsidetur à Turcis.

Eodem anno 1565. Turca classe 130. triremium, 30. biremium, 20. magnarum, plurimarumq; minorum nauium, duobus Bassis Mustapha, copiæ terrestri (Pialionauali præfectis) cum Archithalasso Dragutio Rayssio Rege Tripolis, & Rege Algierij, alijsque, oppugnat Insulam Melitanam in mari mediterraneo inter Siciliam Barbariamque, vbi Rhodij milites, Rhodo à Turcis expugnata captaque, sedes fixere. Turcæ classe apparatuq; omni ad littus appulere 18. Maij. Milites Rhodij, sub Magno Magistro D. Valetto Gallo militantes, fuere numero circiter 500. His militum ærariorum plus minus tria millia, & incolarum Melitanorum, sclopetis bombardisque instructorum atque expertorum millia quinque aut sex, iuncti. Erant in defensionem Insulæ propugnacula quatuor, munitissima situ & arte loca: Castrum S. Angeli, Arx S. Michael, & S. Elmo. Munitionem S. Elmo Turcæ primo omnium occupant, tormentis æneis triginta duobus quatiunt, tandemque expugnant. Interempti hic 1300. Christiani, cum 150. militibus Rhodijs: cæsus etiam Archithalassus Dragutius Rayssius, pyrata veteranus, militiæ imprimis expertus, idq; temporis Rex Tripolis. Post hæc 15. Julij, ciuitatem arcemque D. Michaelis concutiunt bombardis septuaginta, quarum tres (basilisci dicti) globos pondo ducentorum, palmorum orbicularim septem, iaculatæ: vario impetu, assultuque frequenti aggrediuntur, cuniculosque agunt, alijs contrà suffodientibus: muri autem magna parte deiecta, soloque æquata, qua ingressus iumentis plaustroque patebat, vna simul impressione irrumpere moliti, strenue propulsantur, cæsis præsidiarijs militibus 200. totidemque læsis: interfectis Turcis mille quingentis. Tandem S. Michaelis Ciuitas & Arx diuersis oppugnantur viribus, Augusti 18. 20. 21. bissq; vno die, cæsis Christianorum amplius ducentis: rursus 26. die autem 29. oppugnatur arx, ipso etiam Bascha Mustapha, cum præcipuo Turcarum militari signo, fossas ingresso: bis cessant quiescuntque: victoriam verò tertia impressione exspectantes, desideratis suorum plus minus quingentis, repelluntur. Id temporis Magno Magistro nuntium adfertur, D. Garciam Toletanum sperare breui Insulam cum copijs appulsurum: nuntiat præterea seruus Christianus à Turcis fugitiuus, crebra oppugnatione, fame, morbo, alijsque malis magnam Turcarum multitudinem perisse, vixque quatuordecim millia superesse. Septembris die sexto Christianus quidam abiuratus ad Magnum Magistrum confugiens, Turcas Sabbatho die expugnationem omnibus copijs viribusque tentaturos, posteaque discessuros affirmat. Interea D. Garcia Toletanus Siciliæ Prorex, cum 72. triremibus appellit, & 7. septembris ab altera Insulæ parte in terram 9000. milites ærarios exponit, Ducibus Ascanio Cormano, Aluara, Sandeo & Schiappino Vitellio: hi in veterem vrbem Melitanam, nondum à Turcis expugnatam, tenduntque ibus sociati circiter ducenti Melitani & Rhodij milites: inde per alteram Insulæ partem abiens nauigat Garcia, bis omnia sua tormenta ænea displodit, Turcis audientibus, præsidiarijs quoq; militib⁹ Christiani tonitru suorũ tormẽtorũ horrisono, tanquã applausu, respondentibus: inde in Siciliam, copiosiorem exercitum (si opus foret) adducturus, nauigat. Turcæ verò cum 7. Septembris postremam oppugnationem totis viribus statuissent, certiores facti Christianorum subsidia tunc appulisse, vasa colligunt, tormentisque, præda, & manubijs in naues delatis, discedunt. Die 11. Septembr. Turcæ numero circiter 10000. castra Christianorum inuasuri Melitam contendunt: verum terga dare coacti, triremes repetunt, desideratis suorum 1500. itaque Insulam 12. Septembris relinquunt, æneis tormentis in munitiones Melitanas 78000. vicibus, vt minimum, displosis. Turcarum prælio, morbo, alijsque incommodis interfectorum numerus circiter 36000. Christianorum non pauci, Rhodiorum militum 313. desideratis: ita tandem Insula Melitana Christiano necessaria imprimis imperio, conseruata: incolumis manfura, nisi neglectis contemptisque Turcarum viribus, bello mutuo inteſtinoque seipsos perdant Christiani.

Solimus obsidio.

Turcarum discessus.

Sigetum in Hungaria à Turcis expugnatur.

Anno sequenti, 1566. Solimannus Turca in Hungariam irruit: cum exercitu ducentorum millium, Segetum ad Danubij æstuarium, locum natura arteq; valde munitum, optimè instructum, præsidioq; (cui Comes Nicolaus Serinus præerat) firmatum, obsidet: post crebras fossiones, altissimis montibus congestis, mœnia 120. tormentis æneis labefaciunt Turcæ, & post varias oppugnationes oppidum castrumque expugnant: interficitur Serinus, eiusq; caput Holoserica nigra veste inuolutum ad Imperatorem Maximilianum mittitur. Solimannus Turcarum Imperat. fecundo ante captam vrbem die in castris moritur, 4. Septemb. Obitus (silentia Mech-

Digitized by Google

Mechimeti Baſchæ)ita fuit occultatus, vt nemo in caſtris reſciſcere potuerit, maximè tumultus tam ibi quàm Conſtantinopoli, præcauendi cauſa. Mortis nuntium ſero admodum accepit Imperator Maximilianus, qui cum nó longè inde fortiſſimum haberet exercium, nihil magni, ob Turcæ ſummam potentiam, tentare auſus fuit: erant in eius caſtris multi viri Principes nobileſque Belgæ, inter alios Reynaldus Brederodius, D. Hairincourtius, eo loci interemptus: caſtris Præfecti Lazarus Zvvendius, Comes Gunterus Svvartzenburgius, Comes Manſveldius, &c. Solimanno Turcarum Imperatori defuncto, filius Selimus ſecundus in regnum ſuccedit. An. 1566.

Aeſtate anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi quinti, Petrus Erneſtus Manſveldius Comes cum vxore in Portugalliam miſit à Gubernatrice Duciſſa Parmenſi, inde Mariam natu maximam Eduardi filij natu maximi, Ioannis Portugallię Regis filiam, menſe Nouembri in Brabantiam deducunt: nubit Alexandro Farneſio Principi Parmenſi, Gubernatricis filio, Bruxellæ nuptiarum ſollennijs celebratis: interfuere ijs nobilium magnus numerus, qui tunc variè de ſtatu regionis, nouis Epiſcopis, religionis Inquiſitione conſultarunt. Ciuitas Antverpiana ſponſo ſponſęque bellaria egregia ſumptuoſaque imprimis dono mittit, ſacchareis ſimulachris ſumma arte formatis coctiſque, poeticè atque hiſtoricè, ſponſam in Portugallia nauem cum ſuis conſcendentem, proſperam nauigationem, aduentus gratulationem, pluraq; alia mirificè repræſentantem ac referentem. *Nuptiæ Principum Parmenſis & Mariæ Portugal. in Belgio celebratæ.*

Ea tempeſtate, Pontifex Romanus Philippum Regem Hiſpaniarum vrgere non deſiſtit, Inquiſitionem Hiſpanicam Mediolani exerceat: verum populus ſtatim armatus Hiſpanis reſiſtit, demonſtratque nullos aut paucos admodum Reformatorum in ſuis limitibus eſſe: itaque maioris mali vitandi cauſa, ab inquiſitione hic ceſſatur. Tentat idem etiam Pontifex Venetijs. Venetis verò ei reſpondentibus, ſe ſatis Reformatos (quamuis non Hiſpanico more) multaturos, vlterius ſollicitare abſtinet. Idem conatus malè etiam antea Neapolis ſucceſſerat. *Inquiſitio Hiſpanica Mediolani, Venetijs, &c. reciſatur.*

Huiuſmodi mandatis Belgicæ etiam turbæ expullularunt: præcipuè cum anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, menſe Decembri Gubernatrix Ducilſa Parmenſis epiſtolas à Philippo Rege, expreſsè ſua iuſſa tribus maximè capitibus continentes, accepiſſet. Primo, placita tam noua quam vetera, patris ſuoque mandato facta de Religione, inuiolatè obſeruarentur & executioni mandarentur: credere enim ſe, nimia iudicum lenitate malum tam longè lateque porreſciſſe: proinde ſi qui iudicum, fedilionis metu mandata exequi non audeant, id ſibi ſignificetur, quò alios audaciores ac ſtrenuiores in eorum locum ſubſtituat: talium copiam non defuturam his regionibus, quippe quæ virorum Catholicorum Deo fauçque Maieſtati ſeruire deſiderantium multitudine abundent: hanc optimam viam rationemque videri. Deinde, quod ad Inquiſitionem attinet, ſuam Maieſtatem velle atque iniungere, Inquiſitoribus in ſui muneris exequutioni aſsiſtatur; id enim ad Religionis conſeruationem imprimis ſpectare: Inquiſitio autem per Inquiſitores fiat, vt hactenus factum: id eis diuino & ciuili iure competere: rem minime nouam eſſe, verum patris ſui tempore vſitatam: his modis minus difficultatis metuendum. Iniungitur inſuper Gubernatrici, ne de hac re maximi momenti aliter tractari permittat: cùm ſuæ Celſitudini liquidò conſtet, non ſolum id neceſſarium, verum ſuæ Maieſtati, plurimum gaudij & tranquillitatis hinc concepturę, comprimis cordi eſſe. Poſtremò, quoad Concilium Tridentinum, mandat, Epiſcopi id exequantur, opem ac auxilium eis præſtante Gubernatrice, vt omnia exactè perficiantur: id enim toti Belgio maximè conducibile eſſe: inſuper, Gubernatrix primoribus aſſeſſoribusque iniungat, huic negotio eorum fidei à ſua Maieſtate commendato ac commiſſo, animum intendant: adhæc exequutioni mandari imperat omnia & ſingula in Concilio Tridentino, de vita & moribus Eccleſiaſticorum reformandis, ſtatuta & determinata: quod ſi (Eccleſiaſticis prædictæ reformationi obedire recuſantibus) opus fuerit prouiſionibus à ſua Maieſtate dandis aut ordinandis, eas ſe procuraturum: denique ſuæ Celſitudini ſignificat, hæc ad regionum ſalutem eſſe neceſſaria, ſine quibus proſperè agere non poſſent: hac autem ratione, iuſtitia æquitateque in pace & quiete conſeruari poſſe: iterum poſtulans hęc imperata faciant: hinc ſuam Maieſtatem ſummam delectationem quietemque animi percepturam: conſidere etiam, eos munere debito functuros, non ignorans idem ipſis etiam gratum futurum, cum Deo, Regia ſuæ Maieſtati, Belgicarum ditionum ſaluti proprięque ſeruire teneantur, *Philippus Hiſpan. Rex exlasà profit mandat Inquiſitionē exerceri hinc turbæ in Belgio.*

Prædictarum epiſtolarum argumento Gubernatrix literas ad prouincias decimo octauo Decemb. An. milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ad Brabantos verò 31. ſcriptas mittit: ijs ſeuerè iniungens, contenta Regiarum epiſtolarum, abſque vlla vel in minimo articulo violatione, pœnâ, ijſdem decretis conſtituta, exequantur: vtque melius omnia perficiantur, præcipit, ciuitates inter ſe ſemper vnum ſuorum Senatorum ſemeſtri hoc munere functurum deputent, & ſexto quoque menſe mutent: qui Decreta Concilij Tridentini exactè obſeruari curet, ſeduloq; quid rerum agatur indicet: vt tertio quoque menſe ſaltem, quo in ſtatu religio ſit,

Digitized by Google

An. 1566. particulatim sciatur : si qua verò difficultas suboriatur, ad suam Celsitudinem aut suæ Maiestatis Secretum Consilium confugiant : ex horum enim numero quosdam, qui ea prouincia susceptæ, consiliorum mutuam operam nauent, constituendos. Hæc mandati Regis ad Gubernatricem, Gubernatricis ad Prouincias missi (Belgicarum turbarum fontis originisq;) summa: cuius exemplaria, Consilij Flandrici iussu, Gandaui typis impressa extant.

Decreta Concilij Tridentini, & synodorum prouincialium.

Præcipua Concilij Tridentini, & synodorum prouincialium decreta statutaque secundum Ecclesiasticorum reformationem, hæc erant: Parœcus siue Pastor suæ Parœciæ omnes familias annotet, quot numero, quanto tempore habitarunt: nouitij habitatores à suo Parœco testimonium adferant, se Catholicos Romanos esse, vbi & quomodo matrimonium contraxerint: præterea consistentium nomen, cognomen, domicilium describat, rationem numerumque infantum baptisatorum, patrinorum reddat: ludimagister nullus admittatur, cuius fides non sit explorata: libri quos iuuentutem docebit præscribantur: an pauperes eleemosynis viuentes Catholici Romani sint, peccata confiteantur, Eucharistiam sumant, obseruetur: alioquin eleemosynis publicis priuentur, &c.

Brabanti Regis mandata obedire recusant.

Ciuitates Brabantiæ præscripta Gubernatricis obseruare recusant: conqueruntur quæ apud Consilium Brabantiæ, sibi ea iniungi, quæ saluo iuramento præstito efficere non possent, vtpote contraria patriæ priuilegijs tam à consilio populoq;, quàm à Rege iureiurando sancitis: postulant proinde irrita hæc mandata reddi: sin minus, se apud Status de hac re quæsturos, eorumque opem imploraturos. Idem in alijs etiam prouincijs tunc factum.

Consilia prouincialia respondent: Nihil noui introducit articulum inquisitionis solummodo intelligendum, de vsitata quoquo loco inquisitione: Antverpiam ab eadem & ab Episcopo liberam fore: neq; Tridentinum Concilium latius, quàm moderationes præscriptione esque super eo publicandæ declararent, intelligendum.

Insistentibus ciuitatibus, persuadere conatur Curia, Brabantos iniuste de nouitate quærit: inquisitionem semper in Brabantia vsitatam: Pontifices Romanos iure meritoque suos in Belgio nunquam non habuisse Inquisitores. Huiusmodi responsis commoti populi, vbi eos qui patrocinari debuissent, iam aduersari vident, acrius resistunt, neque sumptibus neque laboribus parcunt, quo quid monstri alatur, vndique rescisci: multi suorum animos incendendi confirmandique causa, libellos famosos, scripta inuectiua, rhitmos, dicteriaque passim spargunt, & Basilicarum, Curiarum, Pretoriorum valuis affigunt: quin & libellus quidam tunc ipsius Gubernatricis manui cautè ingestus, modos omnes, Curiæ, placitis, Inquisitioni, Episcopis resistendi, insuper inuentiones doctrinasque argutas, admonitiones etiam, quibus Præfecti sui officij, iuramentiq; Regionibus facti mouebantur, continens, iunctis adhæc minis, &c. vnde, regiones mutationi obnoxias esse, neque in eo statu diu consistere posse, euidenter apparebat. Nihilominus multis locis crudeliter in Reformatos tunc temporis adhuc sæuitum, vt Brugis, mense Martio, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. Antverpiæ autem duæ virgines nobiles mirum in modum carceribus ereptæ.

Libelli famosi sparsi.

Gubernatrix & Consilium Belgicum, aliquo saltem modo populum placare meditantes, scripto declarant vigesimo quarto Martij, 1566. suæ Maiestatis sententiam nequaquam esse (quandoquidem compertum sit, nullam ab anno millesimo quingentesimo quinquagesimo in Brabantia factam Inquisitionem) Brabantos nunc ea grauari, verum priuilegia retineri, neque Concilij Tridentini decreta aliter quam cum moderatione, vt regionis priuilegia postulant, obseruari. Hinc summopere populus gaudisus. Verum scripto exactius perspecto, Brabantiæ Status, omnis suspicionis amouendæ causa, à Gubernatrice, auctoritatem actorum sigillo nomine Regis signatam, poscunt, nullo scilicet æuo Inquisitionem pontificiam aut ciuilem in Brabantiæ Ducatum introducendam, verum delicta quæuis tam hæreseos quàm alia iudici seculari committenda: præterea etiam placitorum mitigationem petunt. His nihil aliud responsi datur, quàm, cum Proceribus aurei Velleris & prouinciarum Gubernatoribus tunc temporis vndique in Curiam Bruxellensem conuocatis, deliberandum vlterius: in quo quidem Consilio, de moderatione quadam placitorum decretorumq; statim ad Regem mittenda, est actum, salua nihilominus & incolumi veteri Romana religione, regiaque auctoritate: imprimis autem istud turbæ sedandæ causa proponitur, quod minoris ordinis nobiles totis prouincijs perturbari palam esset. Cùm enim Antistites Ecclesiastici, æque atq; populus Episcopos reformationesque iniquo animo ferrent: nobiles qui in agris rurique vbi facilè opprimi potuissent, vt plurimum commorabantur, veritis turbidam (sequente ignobili vulgo) seditionem, cùm graues minæ scriptis inuectiuis iunctæ indies spargerentur, ipsique sui officij monerentur, nempe suarum esse partium populum Regi, nobilitatis gratiâ facilè plura concessuro, reconsiliare: plures conuentus diuersis locis (alio prætextu) celebrant: postremo quidam illorum fœdus simul ineunt, diuersis alijs pòst paulatim subscribentibus, quorum numerus, vt amicus amicum faciè pertrahebat, ad quadringentos excreuit.

Fœdus Nobilium initum.

Argumentum

Argumentum fœderis erat: Cùm extranei quidam neque Dei honori, neque Regis ministerio, neque regionum commodo, sed ambitioni auaritiæque propriæ exsaturandæ dediti, maximo Regis subditorum q́ue dispendio (prætextu tamen Catholicæ Religionis concordiæque populi obseruandæ) apud Regem effecissent, vt non solum crudelia religionis ergò decreta mitigare (quod ante promiserat) recusaret, verum etiam tyrannicam Inquisitionem introduci mandaret: vnde procul dubio pernities regionum, oppressio populi, diminutio Maiestatis Regiæ, seruitus incolarum, ademptio priuilegiorum, dissipatio omnis Politiæ consequeretur: Nobiles regionum, huius mali auertendi, regiæ auctoritatis tuendæ, patriæ prosperitatis seruandæ, fidelitatisq́; (cui nobilitas obligatur) præstandæ causa, fœdus pepigisse, sacramẽtoq; confirmasse, se, ne Inquisitio vllo modo, placitorum, visitationum aut similium nomine vel prætextu, in regiones Belgicas introducatur, impedituros: palámque testificari, nihil se contra Dei honorem, aut Regis & Statuũ Celsitudinem tentare aggredive, verum cupere totis viribus eis assistere, & vulgi conspirationibus seditionibusq; resistere, in propriæ suæ vitæ securitatem: Deum immortalem hac de re testantes, &c. An. 1566.

Argumentum fœderis Nobilium.

Hæc fœderis summa, summatim breuiterq́ue à nobis dicta. Lector curiosus vlterius indagare volens, libellos magna copia, variisq́ue linguis non solùm de hoc fœdere, verum etiam de plurimis alijs postulationibus, responsionibus, placitis decretisq́; Typographorum opera excusos legat per legatq́;.

Fœdus à maximo nobilium, vt supra diximus, numero subsignatum placidè modesteq́ue imprimis processit, omnibus certo die, quo præsto esse deberent Bruxellæ supplicis libelli offerendi gratia, constituto: quorum fuere præcipui, D. Bredenrodius, claro Comitum Hollandiæ sanguine genitus, Comes Culenburgius, Comes Bergensis, Comes Ludouicus Nassouius, Principis Auraici frater, pluresque alij. Cùm verò propositi huius ratio quibusdam aurei velleris Proceribus satis superque nota esset, fuere ex ijs qui partim Gubernatrici indicarint: quæ peiora suspicans, sinistris rumoribus hac de re sparsis, quasi oppida quædam locaque munita inuadere meditarentur, litteras passim mittit, præmonens ab istis nobilibus cauendum esse.

Die Aprilis primo, secundo & tertio, complures vndique Nobiles, inter quos etiam Bredenrodius, Bruxellam veniunt inermes: die quarto, admitti ad dicendam postridie causam, à Gubernatrice postulant, Comitibus Bergensi & Culenburgensi, qui post venere, exspectatis: quinto autem Aprilis Nobiles plus minus quadringenti, magnificè quaterni quinique continuato ordine, anteignanos Ludouicum Nassouium & Bredenrodium, sequuti, ex Culenburgij aula in Curiam prodeunt, ibidem à Gubernatrice, Consilio Status, Ordine equestri torquato, & prouinciarum Gubernatoribus honorificè exspectati: hic Bredenrodius reuerenter præcedens, Gubernatrici aduentus causam, scilicet vt simul omnes supplicem libellum, summa cum humilitate, coram offerant, indicat, conqueriturq́ue se socioſq́ue, seditionis, tumultus & infidelitatis accusatos: postulare proinde vno ore omnes, huiusmodi accusatores nominari. & præsentes sisti, vt vtra pars culpabilis, pro merlitis punienda sit, decernatur. Gubernatrix libello accepto, se Procerum cœtu præsente eum perlecturam, responsumq́; bonum reddituram dicit: itaq; discedunt.

Nobiles libellum supplicè offerunt. 5. Aprilis 1566.

Supplicis libelli argumentum erat: Cum Belgarum summa erga suos Principes fides omni æuo fuerit celebratissima, comprimis Nobilium, vtpote qui neque vitæ neque fortunis, Principis nomine, vnquam peperserint: se quoque vt humiles clientes deceret, in eadem erga Regiam Maiestatem fidelitate, prompto præstandi seruitij animo, perseuerare velle: proinde, præsente Reipublicæ statu considerato, malle indignationis aliquantulum incurrere, quàm ea quæ in suæ Maiestatis & communis patriæ perturbationem post vergere possent, tacere aut dissimulare, sperantes id officij, temporis successu, suæ Maiestati gratissimum fore. Et quanquam, Regiæ Maiest. statuta de Inquisitione, decretaq́ue de Religione exactè obseruanda, iure quodam sint fundata, nempe ad normam eorũ quæ Cæsarea Maiestas antè bono animo statuerat: tempus tamen præsens diuersa postulare remedia, cum satis constet, decretorum edictorum que exequutiones (licet summo iure transactæ non sint) multorum malorum occasiones dedisse: quanto magis seuerior animaduersio, Inquisitionisque persequutio: vnde ipsis metus incussus, hac seditionem vniuersis regionibus oriri posse, cum hominum animi passim auersi cernantur. Exspectatisse quidem se, Regulos & Status Regionum, vt tempus est, ordinem rei moderatè gerendæ composituros, occasionemque infortunij ablaturos: verum cum hoc minimè sit præstitum, malumq́; crescat, periculum etiam proximè immineat: nunc tandé, sacramento obligati, & amore in Regem & patriam ducti, neutiquam consultum putant, vt illis simum id officium differre, sperantes hanc suam admonitionem in meliorem partem interpretandã, maximè cum ipsi maiori periculo quã alij expositi sint, vt qui ruri sua domicilia prædia-

Supplicis libelli argumentum.

Digitized by Google

An. 1566. que habeant: insuper quod his statutis seuerè exequutioni mandatis, quilibet tam capitis quam bonorum pœnæ (vt inuido & auaro cuique liberet) obnoxius redderetur. Suppliciter proinde postulant, moderatio adhibeatur: & cum maximi sit momenti negotium, homo aliquis certus ad suam Maiestatem delegetur, qui omnium nomine suæ Maiestati humiliter dimissisque supplicet, & huic rei in præsens atque in futura quæuis tempora consulat: quod cum sine placito rum (totius mali fontium) abolitione fieri non possit: suæ Maiestati placeat ea saltem aboleri, quæ vt patriæ euersioni atque exitio occurratur, maximè necessaria, & iuri ac rationi conformia videbuntur. Præterea ne quis eos, qui nihil nisi suæ Maiestati obsequium præstare meditantur, limites aut leges eidem præscribere velle putet (quod aduersarios facilè interpretaturos arbitrabantur) obsecrant, suæ Maiestati placeat, consilio omnium Statuum generalium generatim eius rei caussa congregatorum, alia decreta statuere, vt commodioribus & minus periculosis rationibus præsenti difficultati prospiciatur. Supplicant quoque suæ Celsitudini (Gubernatrici) vt interea dum Rex huic iustæ postulationi commodè sensimque sit vacaturus, ipsa huic periculo, suspensione Inquisitionis & exequutionis placitorum, prospiciat: liquido palamque testificantes se hac admonitione suo officio satisfeciisse: se quoque hac vice coram Deo & hominibus religione exoluentes: ne ipsi, si pòst turbæ, seditiones aut sanguinolentæ cædes (inopia remedij maturè adhibiti) hinc oriantur, tanti mali cçlati accusentur. Testantur ad hæc Deum, Regem, suam Celsitudinem, Curiam, Consiliumque, propriam etiam conscientiam, se hanc rem, vt bonos atque fideles suæ Maiestatis ministros & clientes, præter officium nihil agères, sedulo ac ingenuè tractasse. Iterum postulantes suam Celsitudinem, huic negotio, antequam vlterius malum serpat, animum intendat, ac bene factorum, &c.

Geusij Nobiles cognominati.

Cùm Nobilium cœtus hanc tam vehementem atque vrgentem postulationem obtulissent, fertur Dominus Barlemontius in eorum contemptum, vt Gubernatrici metum amoueret, dixisse, Tantùm cateruam Geusiorum, id est, nebulonum & mendicorum esse; fortè quod nonnulli eorum tenuioris fortunæ essent. Hoc dicterio percepto, referunt se neutiquam pudere, Geusios aut mendicos ob seruitium Regi, aut commodum patriæ præstitum cognominari. Ab eo autem tempore Geusij potissimum vocati sunt, fœderatique omnes aureum nummum de collo pendentem gestarunt, vna parte Regis, altera duarum manuum firmiter in fidei signum iunctarum, & per medium pcræ extensarum formâ signatum, cum hac inscriptione: *Fideles Regi vsque ad pcræ mendicabuli gestationem*: Præterea mendicorum scutellas, & calicu-

Responsum Gubernatricis.

los pulchrè cælatos pileis suis affixos habuerunt: vestiti fere omnes cinericei coloris indumentis.

Postridiè cum Gubernatrix Curiâ præsente de responso cósultasset, illud margini supplicis libelli adscriptum esset, in Aulam conuocati Nobiles, magnifico ordine, præsentibus tunc etiam Culenburgio & Bergensi Comitibus, veniunt: redditur eis libellus tali responsione: Visa intellectaque eorum postulatione, se statuisse, ad Regiam Maiestatem mittere, conaturamque vt eisà Rege, à quo omnia bona speranda, satisfiat: imò se, etiam ante ipsorum aduentum, cum Senatu deliberasse, moderationem placitorum edictorumque, qua omnibus facile satisfieri sperabat, decernere, eamque ad Regem mittere. De Inquisitionis & placitorum, quam postulabant, intermissione, se nihil propria authoritate præstare posse, quod ipsis etiam notissimum: neque decere, prouincias interea temporis sine lege in causa Religionis relinquere: se verò dum epistolæ ad Regem mittentur, procuraturam, Inquisitores & officiorum Præfecti tam prudenter modesteque se gerant, vt gratiam ei omnes sint habituri: confidere autem, ipsos Nobiles ita etiam se gesturos, vt hac in re aliter agi necesse futurum non sit: sperare insuper suæ apud Regem intercessione, prouincias ab Inquisitione liberas fore: eoque libentius omnia totis viribus conaturam, quod certo sciat, supplices Nobiles firmiter statuisse nihil nouiin veteri Religione moliri, sed eam omni ope atq; opera conseruare velle. Actum Bruxellæ, 6. Aprilis 1565. ante Paschale festum.

Rursus fœderati ad dicendum causam se postulant admitti die octauo Aprilis: hic suæ Celsitudini gratias agunt, optant responsum clarius atque latius, dolent suæ potestatis authoritatisve non esse placita & edicta suspendere aut intermittere, rogant nihilominus, Præfectos vlterius exequutioni operam dare prohibeat: declarant se ijs quæà Regia Maiestate, Statuum generalium deliberatione consensuque statuerentur, libenter paruturos, & vitam sine culpa aut reprehensione, vt sperabant, instituturos. Denuò testificantes, se suo officio satisfeciisse, neque culpandos, si vlterius quid mali, melioris ordinis defectu, oriatur; rogant in bonam partem accipiat: præterea cum aduersarij prædictum libellum supplicem typis edere meditentur, petunt, Typographo Regio eundem sincere, eo modo quo oblatus esset, imprimere permittat.

Post deliberationem consultationemque respondet Gubernatrix, sperare se tales leges normasque Inquisitoribus & Magistratibus præscripturam, vt nihil turbæ aut offendiculi nascatur:

Digitized by Google

naſcatur: magis autem ab ipſorum parte malum metuendum: proſpiciant proinde ipſi, promiſſa impleant, ne quid inter eos aut inter vulgus ſcandali offenſionisve oriatur: rogat præterea ne clandeſtinis ſuis conſilijs plures ad ſe attrahant, alliciantq;. An. 1566.

Reſpondent fœderati Nobiles, ſe pro bono reſponſo ſuæ Celſitudini gratias agere: putare autem ſibi amplius ſatisfieri, ſi Curia omni ibidem præſente, ipſa Gubernatrix aperte declaret, ſe fœderatorum conuentum in bonam accipere partem, tanquam officium Regiæ Maieſtati præſtitum, pollicenturque ſeſe modeſtè ac placidè, ne quid quærimoniæ audiatur, geſturos. Ait Gubernatrix, ſe id credere. Cùm verò ſententiam ſuam aliter non explicaret: iterum rogant declarare velit quo pacto ipſorum officium accipiat aut interpretetur. Adhęc, ſe id non dumbene iudicare poſſe, præcisè reſpondet.

Cùm verò iam animaduerteretur, Nobiles fœderatos non admodum contentos diſcedere, Proceres quidam alijque nonnulli, inter quos Conſiliarius Aſſonuillus graui captus metu, inſtanter petunt (ne deterius quid eueniat) Nobiles melius contentos dimitti. Itaque Comiti Hoochſtratano, aurei velleris equiti, & D. Berty o à ſecretis, commendatur, Nobilium conuentui interſint, ipſiſque promittant ac ſpondeant, nihil in cauſa Religionis, niſi Regis reſponſo antè accepto, à Curia conſtituendum: hi mandata peragunt: aduerſaria etiam epiſtolarum conſcribendarum oſtendunt, cum interdicto, ne quis præfectus, Iudex aut Inquiſitor contra aliquem, vinculis, confiſcatione, exilio aut alijs pœnis, religionis cauſa vlterius agat niſi; nouitatis, ſcandali, aut ſeditionis facinore perpetrato, quod cùm quæſtionibus ac teſtimonijs ad Curiam dimittendum, Senatuſque conſilio ac iudicio committandum erit: & hæc quidem omnia prouiſione ſiue fiduciaria permiſſione concedi, donec Regia Maieſtas, generalium ſuorum Statuum ſententia & aſſenſu ea de re aliter ſtatuat.

His promiſsis atque conuentis, Nobiles quiſque domum ſuam reuertentes diſcedunt, cùm ſimul conſtituiſſent, certos quoſdam ex ſuis in vnaquaque prouincia cum quatuoruiris principibus deligere, qui promiſſa omnibus modis ſeruare ſimul procurent. *Fœderati diſcedunt.*

Hoc tam acre Nobilium ſtudium regiones reddidit pacatiores, cùm quiſq; ſperans metuenſque, quid Rex de ſupplice libello & moderatione ageret, exſpectaret.

Gubernatrix cum Proceribus Curiaque in Hiſpaniam mittere decernunt, Regemque de rebus omnibus certiorem reddere, atq; poſtulare, Belgis aliquid concedere velit: quem, ob Nobilium conuentum ac inceptum, ei in peiorem (vt tunc peiora inde exſpectabantur) perſcriptum partem, procul dubio exacerbatum, ſciebant.

Ad hanc legationem multis promiſsis & perſuaſionibus inducuntur Marchio Bergenſis, & Baro Montignius, ambo viri cordati, prudenteſque, aurei velleris equites: quorum ſolertia induſtriaque Regis animum deliniri placarique poſſe ſperabatur: verum contra euenit in vtriuſque maximum malum, vtriq; nece tandem illata, poſtquam in Hiſpaniam cum commentarijs formaq; moderationis placitorum, veniſſent. *Marchio Bergenſis & Baro Montignius in Hiſpaniam miſſi.*

Conceptâ moderationis formulâ, Omnibus Religionis adminiſtratoribus, eorundem hoſpitibus, ſcandali auctoribus loco flammæ ſuſpendium, animum ſententiamq; mutantibus gladius, vulgo erranti exilium, adiudicatur. *Moderationis formula.*

Hunc moderationem, (vulgo Moorderationem, hoceſt, trucidationem tunc paſsim dictam) Statibus regionum (quos populus imprimis appellabat implorabatque) vt eandem approbent ratamque habeant, obtrudere molitur Curia, primò quidem minoribus prouincijs, nempe Arthelia, Hannonia, Namurco, alijsque accerſitis, ea tantummodo de cauſa, vt earundem legati ſolidæ authoritatis mandatis ſulti, procerum atque Senatorum à quibus miſsi erant, conſilio nequaquam vlterius exſpectato, confeſtim concluderent definirentque: hæc autem clam populo haberi, ante omnia præcipitur. Poſtquam hæ prouinciæ, vt rumor ſpargebatur, conſenſere: eadem etiam Flandris & Brabantis proponuntur: Hollandis, Zelandis, Friſijs pluribuſque alijs, quod hi priuilegijs immunitatibuſque præpollerent, non vocatis. *Statuum conuentus inconuentus. Moderationis cõprobandæ cauſa.*

Verum hæ technæ, quibus moderatio (inſcia plebe) Statuum authoritate approbaretur, tandem famoſis libellis, demonſtrationibus argumentiſque typographorum opera editis, ſatis ſuperque populo innotuit: vnde maximè turbæ, tacitæque ſuſpiciones, nulla Statuum comitia, veteri conſuetudine, celebranda. *Populi tumultus & ſuſpiciones.*

Et hæ quidem ſuſpiciciones inde magis augebantur, quod tunc ſingulis adhuc diebus multi, qui Religionis cauſa patriam reliquerant, reuerſi, in carcerem pertraherentur: imò Ioannes Tuſcanus tapetopœus, octauo Iunij, Religionis cauſa, morte eſſet Oudenardæ multatus.

Obſeruatum perceptumq; etiam, animos aulæ procerum à nobilibus fœderatis auerſos, imò paſsim & verbis & re ipſa declarari, Curiam eorum factum in malam accepiſſe partem: Ne-

Digitized by Google

An. 1566. que boni quicquam literis priuatis ex Hispania significabatur: sed Rex epistolis ad quasdã ciuitates sexto Maij 1566. Madrilij scriptis, easdem fidelitatis monebat verbis generalibus, auxilij plurimum promittens statim atque ipse in Belgium veniret: imò illius ergo, vt fama erat, naues bellicæ, suæ Maiestati obuiaturæ, in Zelandia apparabantur: huc etiam accedebat, quod Hispani quidam quatuor aut quinque longiorum scloporum aut minorum bombardarum millia in Hispaniam mitenda coemissent: spargebatur præterea rumor, Ducem Ericum Brunschvvichium milites conscribere, vt Inquisitio & noui Episcopi viarmata introducantur.

Insuper noui quidam Episcopi, Inquisitores & Ecclesiastici incautè satis effutierant diuulgarantque, duos ex Belgio Legatos non sincere & candidè admodum fuisse à Rege in Hispaniis acceptos, sed blande simulateque tractari, donec commodè ac oportune pecuniæ militesque colligantur: vt violenta armatorum copia introducta, defectores Apostatæque Nobiles puniantur: ipsum etiam Cardinalem, vt probè suos inimicos vlciscatur, vnà ad futurum. Hæc pluraque crebrescens fama vulgauit.

His rumoribus ac minis ita creuere suspiciones, vt Religioni reformatæ addicti, nihil prorsus boni ab Hispania exspectantes, publicè concionandi audaciam sumpserint, quo maximum suorum numerum quem diutius celare non poterant, palam ostenderent: hoc modo fautoribus animum addere, aduersarijs autem adimere sperantes. Primò quidem habitæ conciones in Flandria Occidentali: postea verò in Flandria, Brabantia, V Valonia, Geldria, Frisia, transisulania, Hollandia, Zelandia, Traiecto, pluribusq; alijs locis, idq; in campis patentibus, syluis, alijsq; locis idoneis, numero indies in multa millia crescente: principio ne quid aduersi accidat metuentes, ensibus ac armis breuioribus, postea bipennibus, sclopis & id genus armis muniti instructique: & quauquam illorum cœtus sæpè interturbati, populo conciones interdictæ, variaque remedia adhibita fuerint, nihil tamen hæc omnia (quod Zelus hominum que numerus permagnus esset) profuere.

Publicæ conciones prope Antverpiam.

Initio mensis Iunij publicæ etiam conciones cœptæ prope vrbem Antvverpiam, campo Lario, iuxta Borgerhoutum, planitiè ad id maximè apta, primò absque armis: postea verò ob Drossardi siue prætoris summi Brabantiæ aliorumque Præfectorum minas, omnes campi aditus curribus atque excubijs, maioris securitatis causa, muniti intercluſiq; : hic Teutonicè & Gallicè concionatum est.

Libellum supplex Reformatorum, vt in vrbe Antverp. conciones licet.

Magistratus Antvverpiensis & amplum ciuitatis Consilium summopere contra nituntur, petuntque postremò, Gubernatrix cum Curia eò commoratum venire velit, vt Principem præcipuamque omnium vrbem periculo liberet, sine præsidiario tamen milite. Gubernatrix, se deliberaturam (ipsi interim conciones disiipent perturbentque) respondet. Cuius rei causa, placitum siue interdictum quoddam, nomine Regis, datum 26. Iun. Antvverpiam mittit (valdè quidem durum, sed parum efficax. Reformati enim, vicorum vrbis Præfectis 3. Iulij libellum supplicem tradunt, Senatui Antvverpiensi inscriptum, ciuium Reformatæ Religioni addictorum nomine: hic Argumentis rationibusq; demonstrant, cur conciones secretæ antehac, nunc ob auditorum frequentiam palam atq; apertè fieri debeant: postulant proinde (tumultus confusionisq; vitandi causa) certũ aliquẽ in vrbe ipsa locum: duas quoq; Religiones bene cõuenire & constare posse, exemplis probant: deniq; in Magistratus potestate esse, postulatum concedere, auctoritate priuilegiorum allegata docent. Magistratus, libello hoc in Curiam misso, iterum petunt, Gubernatrix Antvverpiam commoratum veniat: id ipsa, nisi militem præsidiarium (à quo ciues abhorrebant) in vrbem admittant, facere recusat.

Venerant id temporis Antvverpiam, sine aulæ mandato vel authoritate, D. Brederodeus, & Comes Megnanus: quorum vterq; ciuitatem turbat: Brederodeus populo (præcipuè Reformatis) acceptus: Megnanus verò suspectus, quasi in vrbem callide milites introducere moliretur, quos non longè abesse, & in Campiniam aduenisse, rumor erat. Cuius suspicionis & maioris mali vitandi causa discedere coactus est.

Huiusmodi molestiæ, turbæ, diffidentiæ, quas singulatim narrare longum esset, in omnibus etiam maioribus Belgarum oppidis grassatæ. Vt autem eorundem, præcipuè verò ipsarum regionum statum, exactius permetiamur: primò ea quæ Antvverpiæ, maximè cum Principe Auraico Burggrauio Antvverpiense, eò, à Gubernatrice missо, acta sunt, narrare persequemur. Iisdem enim mandatis, rationibus, modis, alij prouinciarũ & oppidorum præfecti vsi sunt: vario tamen successu, prout regiones, ciuitates, & incolarum animi ingeniaq; varia fuere. Cum enim Gubernatrix mandatum siue placitum, moderationi conceptæ non admodum dissimile, quo concionatores & eorum sectatores apprehendi & suspendi iubebat, edidisset: eo statim quorundam animi valdè perculsi, plurimorum verò ita exacerbati atq; irritati fuere, vt tunc demum seriò strenuèq; arma, in sui & concionatorum defensionem, sumpserint. Absurdum etiã omnibus fere Statibus & Ciuitatibus visum est, talia sine solenni eorum consensu fieri: cùm responsum à Rege adhuc exspectari diceretur.

Guber-

Digitized by Google

Gubernatrix post frequentes Antverpiensium preces vt eò cum aulica familia veniat, tandem, timidè huic vrbi confidens, Principem Auraicum (cuius tam præsentia Hollandiæ, Zelandiæ, aliisque locis suæ gubernationi commissis, etiam necessaria erat) pro Gubernatore Antverpiam mittit: Cùm enim eum ciuibus imprimis gratum, atque eiusdem vrbis Burggrauium, & ob id mutuo deuinctos sacramento sciret, bene sperauit, eum hanc ciuitatem ab omni tumultu conseruaturum. Venit itaque Princeps Antverpiam 13. Iunij, Brederodio, aliisque nobilibus & ciuibus ei obuiam equitantibus: ingredienti acclamat vociferaturque populus: Viue les geux, id est, viuant Geusi: cuius eos, ne post pœniteat, reprehendit. Senatui conuocato tradit Gubernatricis literas, cum Regis nomine missum testantes, vt ciuitatem tutam incolumemque, quam posset optimè, seruet: ei proinde obediant. & iussis obtemperent. Postea reliqua ciuitatis membra, tribunos, decuriones, sagittariorum collegia, mercatores, ipsos etiam ecclesiasticos aduocat: omnibus singulisq; auditis, sentit statim, dissidentias ac suspiciones vndique præcipuas turbarum esse occasiones: comperit Senatum non confidere ciuibus aut incolis, multo minus Reformatæ Religioni addictis: contra ciues & incolas cuiuscunque Religionis nequaquã fidere aulæ, metuentes militẽ introducendũ: parũ etiã Senatui fidentes. Reformatos verò suspectos habere omnes: videt præterea Reformatorum magnum esse numerum, aliquatenus tamen dissidentem ac diuisum, eò quod Senatus (dissentiam dissidiaque inter eos machinans) expulso Parocho pagi Killi, prope vrbem, concionandi ad normam Confessionis Augustanæ, facultatem dedisset: eosdem quoque sumptis iam armis longè fortissimos in vrbe esse, & facillimè, quandocunque vellent, præualere ac rerum potiri posse: ita vt vi contra eos agere nequaquam consultum videretur, opportunitatem atque dispositionem parum conuenientem, rectè perspiciens. Necessarium itaque reputat primò dissidentias suspicionesq; tollere, & cum Religionis fautoribus placidè leniterque agere: vt arma saltem deponant, & in ciuium manus tradant: petitq; 1200. milites ex ciuibus conscribere: Verum hoc ei tunc recusatũ est: laudatum verò ac comprobatum, vt ciues excubias agant, & Religionis fautores ad arma deponenda placide inducantur, vtq; fecuritate præstita, concliones certo tempore intermittantur, donec Statuum generalium conuentu aliud statuatur decernaturq;.

Princeps Auraicus Antverpiam mittitur.

Status vrbis Antverpien. sit Principe aduenientè.

Interea oritur fama. Ducem Ericum Brunsvicensem maximum colligere exercitum, & bellicum apparatum non longè à *Lingen* in Frisia fieri: cumque Brabantiæ Drosardus peditum equitumque certum numerum Aulæ iussu collegisset, quibus comitatus indies non longè ab vrbe Antverpiensi domum suam, Merxemij ibat redibatque obequitans, suspicio oritur eum cohortem inuasurum perturbaturumque concionem, & concionatores apprehensurum: augeturque eò magis, quod vehicula armis onusta, & naues Mechliniæ bellicis machinis onustæ visæ essent: quapropter Religionis fautores locum in ipsa vrbe, vbi tutius & sine armis, conciones fieri possint, sibi concedi petunt: id quamuis, ob minas de quibus diximus, negatu perdifficile esset, Princeps tamen minis, precibus, summaq; industria prohibuit auertitque non tantum ea vice, verum etiam pompæ encœniorum tempore, mense Augusto, cum extraneis ad solennia vndiq; concurrentibus, tumultus maximè timeretur: imò tunc à Gubernatrice Bruxellam, ob fœderatos nobiles ibidem congregatos, vocatus, summis Antverpiensis Senatus precibus, eò ire cum excusatione distulit, donec pomparum supplicationumq; solemnia absque tumultu essent peracta, in quibus Mariæ statua, veteri monachorum & Ecclesiasticorum more circumferebatur: plurimis huiusmodi factum, tanquam idololatriæ crimen irridentibus atq; contemnentibus.

Pompæ encœniorum Antverp. absque tumultu.

Fœderati nobiles vbi Prouincias plurimis locis, vt de Antverpia diximus, iterum turbatas atque armatas, omniaque ad seditionem tendere, nulla remedij spe apparente, vident: cum edicta placitaque nimis rigida sine Statuum consensu prodirent: neque conuentus Generalium Statuum, in quo omnem regionum sitam salutem putabant, vlla fieret mentio: promissa quoque non seruarentur: sed potius probè instituta propositaq; inuerterentur: simul conuentum indicunt constituuntque Centronum oppido, Ditionis Leodiensis: hinc aula summopere sollicita ne res ad bellum vergant veretur. Proinde Gubernatrix, cum, nobilium præcipuis per disceptatores agere cupit, quod postea Arschoti & Dufflæ in Brabantia fit, Principe Auraico, & Comite Egmondano Legatis eo missis, cum mandatis, vt eis Dufflæ 18. Augusti significent, se duos Aurei Velleris equites iampridem imprimis idoneos ad Regem misisse, qui eorum postulata optimè proponant: se etiam nihil, post libellum supplicem oblatum, Inquisitionis aut placitorum causa attentasse: proinde Regi nihil vnquam tyrannicè molito, verum præterita omnia lubentissimè condonare & obliuioni dare cupienti confidant: se eius rei gratia ad Regem scripsisse: præterea vt ipsos seruitij ac obsequij Regiæ Maiestati & suæ Celsitudini oblati commoneaciant: postulent insuper vt retundere & cohibere velint improbitatem insolentiamque sectariorum: incitamenta præcipua seditionis, quam machinabantur: idque eò magis, quòd sectarij, se hęc omnia instinctu & iussu Gallorum facere, in vulgus spargerent: vnde facilè

Conuentus nobilium, opp. Centronum, Arschoti, & Dufflæ.

Digitized by Google

An. 1566. patuit, supplicem libellum, non Reip. vtilitatis, sed introducendarum concionum causa solum modo ab eis esse oblatum: deberent proinde concliones omnibus viribus modisque impedire, & re ipsa animi sinceritatem declarare: eos autem qui populum ad conciones instigassent, turpiter prævaricatos à fœderis & libelli supplicis præscripto deflexisse.

Responsio Nobilium. Nobilium delegati, scripto respondent, se suæ Celsitudini gratias agere, pro sedula opera, de literis etiam ad Præfectos & Inquisitores missis, parum verò observatis, præcipuè Tornaci, Insulis, Montibus Hannoniæ, Airæ, Atę, Bruxellæ, aliisq; locis, vbi plurimi placitorum rigore, in carcerem coniecti detinebantur.

Se Concionibus impediendis omnem diligentiam adhibuisse: verùm populi suspicionem amouere nequaquam potuisse: maximè quod responsio, post duos menses pollicita ex Hispania non esset missa, neq; Generalium Statuum conuentus more veteri agerentur: minas etiam indies, ab Ecclesiasticis præcipuè, vndiq; intentari fœderatis.

Quod si Gallos hisce turbis se immiscere liqueat, fœderatos Nobiles omnes statim censcensis equis, primos omnium resistere paratos: verùm hoc rerum statu Regis Subditos impetere, nequaquam consultum videri.

Quandoquidem autem causæ quærantur, eos (quod populum ad publicas Conciones instigauerint) accusandi: singulos se purgare crimenque diluere paratos esse asserunt: tametsi quidam illorum eiusdem essent Religionis: quos tamen Religione nequaquam impediri, quo minus Regi debitum præstent officium, certo sciant.

Se Regis clementiæ & mansuetudini nequaquam diffidere: quandoquidem Regis bonitas ita eis sit explorata, vt si præsens partes vtrinque audiret ac intelligeret, vtilia salutariaq; statuta decreturum non ambigant.

Cùm autem sua Celsitudo promittat, Regem præterita omnia obliuione sempiterna deletum, neque antè actorum vnquam amblius recordaturum: negant se quicquam obliuione aut condonatione dignum commisisse: imò admonitionem ab ipsis factam, gratissimum officium reputant.

Conqueruntur præterea, de ipsis dissidijs, suspicionemque haberi: vnde plurimorum maleuolentia in ipsos concitata, seditiosis vrbis, vt populi odium moueant, proelamantium, Regem breui venturum, atque in eos vt rebelles & seditiosos animaduersurum: Præterea equites Aurei Velleris eorum consortia, quasi lesæ Maiestatis reorum, vitare: quosdam etiam monuisse consanguineos & alios, ab ipsis se cauere dissedantque, gratiam & veniam à Maiestate regia promittentes. Ad hæc iniectus eis scrupulus, equites Aurei Velleris, quorum magna apud Regem auctoritas, negotium malè Maiest. regiæ renunciare posse: Huc etiam accedebat, quod indies plurimi ex Hispania vt redarij, absque vllo ad postulata responso, venirent: eisque inhibitum, vllas præterquam Regis epistolas deferre: intellexerant insuper Regem iter transitumque per Galliam cum exercitu Hispanico, & suppetias quales ipse belli intestini tempore eò misisset, petere: Sabaudiæ quoque Ducem auxilio Regi in Belgium venturum promisisse, & eius rei causa Imperatori adfuisse. Sciebant præterea, Ecclesiasticos quinquaginta millia florenorum in bellum contra fœderatos impendenda suppeditasse.

Quandoquidem verò neque à sua Celsitudine, neque à torquatis Aurei velleris equitibus, fidem, securitatem aut cautionem impetrare possent, sed quotidie clandestinæ contra eos machinæ palam fierent: suam Celsitudinem id celare nolunt, eos quoque rationem amicos comparandi quærere in Germania & alijs regionibus, nequaquam autem in Gallia, quorum auxilio vtantur, dummodo contra eos eisue adictos (suæ Maiestatis subditos) re & facto agatur: idque eo, non alio animo fieri: necessitate imprimis vrgente, cùm nihil securitatis vel cautionis sibi suisque rebus impetrare queant.

Petunt proinde supplices, vt sua Celsitudo alijs modis, & minore cum periculo securitatem dare velit, ac omnes Proceres torquatos idem præstare iubeat: vt nihil contra ipsos aut Regis clientes ipsis addictos, re factoue, directè indirectèue, libelli supplicis oblati & fœderis initi causa attentetur. Rogant præterea, suspiciones vndique tollendi gratia, ipsis Principem Auraicum, Comitem Egmondanum, & Admirallium Comitem Hornanum, quibus optimè perspectum notumq; esset omne negotium, delegare placeat, qui in consilio assistant præstoque sint, sine quibus etiam nihil posthac agere tur: iisdemque plena auctoritas detur integrè absoluteque prouidendi ac constituendi ea, quæ ad regionum conseruationem spectant: hos enim esse viros præstantes, quibus sua Maiestas & Celsitudo tuto fidere possint: eosdem etiam illos in suam fidem recepturos.

Neque hanc fidem, à sua Celsitudine & equitibus Aurei Velleris petitam, aliter quàm cum prouisione postulant, donec à Rege ipso concessa aut negata esset, tribus quoque septimanis post negotionis à Rege factæ declarationem: vt interea sibi alijs rationibus necessarijs prospiciant.

Post

Post hæc tradunt libellum supplicem, ipsis apud Centrones congregatis, à Reformatæ Religioni addictis oblatum: quo arma se deposituros, & Statuum generalium statutis, mandatisq; in causa Religionis obtemperaturos pollicentur: ea lege vt iua Cellitudo, Nobiles securitatem fidemq; defensionis & auxilij, si quid violenter aut turbulentè contra eos geratur, præstare iubeat: & quosdam ex numero Nobilium fœderatorum, qui huic negotio intendant, constituat in vnaquaq; prouincia postulant. *Argumentum supplicis libelli à Reformatis Nobilibus oblati.* 1566.

Hæc autem suæ Cellitudini ea imprimis de causa significare se voluisse aiunt, vt rebus omnibus bene prospiciatur: timendum enim ne populus Gallos Belgij perpetuos hostes in Belgium admittat.

Iterum protestando, damna quæ euenire possent denuntiant: suam quoque operam offerentes responsum postulant.

Hæc acta, responsa, & postulata, quæ tanquam intercessiones Nobilium in gratiam Religioni addictorum videbantur, magnum maioris difficultatis malij; metum Gubernatrici, Curix, Proceribus torquatis, & prouinciarum Gubernatoribus Bruxellæ congregatis incussit, cùm indies nuncia ipsis vndiq; adferrerentur, populum armatũ ad conciones exeuntem, Diuorum statuas, magistratibus resistere non audentibus, vbique deturbasse. Quæ quidem res mira summopere attendenda. Consultissimum proinde existimans, satisfacere Nobilibus, eisque literas securitatis ac fidei tradere: vt eorum opera populus sedari queat. Verum antequam eò progrediamur, operæpretium videtur, prius de statuarum & imaginum demolitionibus aliquid commemorare.

Iconomachia primùm in Flandria incepta.

Mense Augusto primùm in Flandria circa Ipras, populo metus causa armato ad conciones vndique per rura per agros confluente, quidam zelo quodam immodesto, eò audaciæ deuenerunt, vt in vijs compitisque imagines & cruces quosdam, postea etiam in agris sacella, templa, monasteriaq; diruerint: tandem quoque in oppidis quibusdam & Crucifixi & diuorum statuas imagines que, insuper sacraria, tabulas picturas, altaria, ornamenta q; omnia, incredibili quadam festinatione deturbauerint, fregerint, diruperint atque diripuerint, nebulonibus, meretricibus, furibus prædonibusque numero permixtis: tametsi bona plurima vbique locorum rectoribus fuerint tradita. Inceptum hoc primo omnium in Flandria, cùm Gubernator Comes Egmondanus in Aulam vocatus discessisset: atq; ocyus per omne Belgium tanquam vento violentissimo vis hæc ita agitata dispersa q; , vt omnia fere loca & oppida, paucis admodum exceptis, peruaserit. Imò hanc Iconomachiam aut pati aut formidare, atque hæc facta à fœce hominum turbaque nebulonum passim permittere debuerunt Belgæ: exceptis ijs locis, vbi iplimet rectores, sacrifici, monachi, & æditui, maiores damni metu, templa monasteriaque sua idolis, ornamentis, alijsque rebus vacuarant, aut tempori se contrà munierant, prouideque horidam tempestatem vitarant. Summopere autem mirandum, primum huius Iconomachiæ auctorem nullo vnquam tempore sciri cognosciue potuisse: neque aliquem Reformatæ Religionis vnquam inuentum, qui ipsum facinus iactitauerit, approbauerit, laudauerit ue: plurimis autem locis à temerarijs iuuenibus, nebulonibus, ganeonibus sortitq; inceptum constat.

Lectorem autem singulari quodam facto recreare, pluribus nequaquam fatigare cupiens, ex vno aliorum coniecturam faciendam reputans, Iconomachiam Antverpiæ factam (eius enim ciuitatis gesta, tanquã totius Belgij præcipua, reliquarum exemplum esse poterunt) proponere atq; narrare imprimis decreui.

Iconomachia Antverpiæ.

Cum Princeps Auraicus ad ciuitatis gubernacula Antvverpiam missus à Gubernatrice, inde iterum Bruxellam vocatus venisset, postridie eius diei, quo in pompa supplicationum, magnum Mariæ simulacrum per vrbem circumportatum in suo sacello rursus collocatum erat, cùm iam nihil amplius metuendum videretur, eodem hoc die iuuenes & pueri quidam ante sacellum adytumque Mariæ nugantes, inter alia quærunt, num Mariola sibi metuens tam maturè se in nidum suum recepisset: ab alio autem templi spatiosissimi latere quidam eiusdem ætatis atq; farinæ ludentes prope suggestum, multis conciombus exaturati, Concionatorum sermonem imitari ioculariter aggrediuntur: cùm verò vnus eorum adultæ ætatis, consensso suggestu, ridicula plurima effutire, alij ridentes rudera fragmentaque leuia in eum iaciunt, alij eum è suggestu deturbare moliuntur, ipse acriter resistens pedibus aduersarios protrudit propellitque: standem verò lusus in seria vertitur: cùm iuuenis quidam nauta, suggestu, ab alio latere, consenso, hunc per gradus detrudit deijcitque: spectatores quidam viri se statim tutæ immiscent, totoque templo ita tumultuatur, vt ad arma ferè deuentum fuerit: nauta læui vulnere læsus euadit, extra ædem inuentus ad magistratum ducitur, cui rem gestam narrat. Excubitores consestim populum egredi compellunt, templumque claudunt. Postridie, die Martis, vigesimo Augusti, sub vesperam pueri & nebulones quidam in eodem hoc templo congregantur, viris etiam multis, consueto more, circa vespertinarum precum

An. 1566. cum horam ibidem deambulantibus, hic rursus in Mariæ simulachrum conuitia tumultuosè funduntur, cùm anus quæ ante ipsum adytum cereolos vendebat, oblataque recipiebat, summopere indignata excandescensq; pulluerem, cineres aliasque sordes in puerorum ora ac oculos spargit: vnde contentio rixaq; orta. Statim D. Ioannes Immerselius Marckgrauius sacellitibus apparitoribusque stipatus in ædem venit, monet omnes exeant: alij obediunt, alijs vespertinas preces siue laudes prius audire velle aiunt: his respondetur, preces nullas cantandas: indignabundi quidam, se ergo cantaturos vociferanturincipiunt vndique promiscuè cantare plurimi: pueris nonnullis ludo pilarum lapillorumque discurrentibus perstrepentibusque: quo rumore frequentior populi in templum fit concursus. Marckgrauius postquam plebem difficilè expelli aut sedari posse videt, omnes ianuas, vna excepta, claudit, & discedit: hinc populus audentior factus, cùm iam vesperi hora sexta esset audita, alter alterum instigat, simulachrum Mariæ deturbant, sacellum effringunt, exclamant, *Viue le Geux*. Hoc incepto, mox tam valido furore vlterius progressum, grassatum, plurimisque manibus laboratum, vt ante noctis medium omnia sacella effracta, altaria deiecta, statuæ, simulachra & imagines deturbatæ, fractæque, clausura referata fuerint in hoc amplissimo Mariæ templo, altaribus plus minus septuaginta decorato, & pretiosis picturis, regalique luxu tam splendido, vt simile vix inueniri queat. Hæc omnia simulatque hic peracta, ingentes iuuenum cateruæ, viris nonnullis nebulonibus simul & meretricibus permixtis circumcurrunt, idem alijs etiam locis perpetraturi: Franciscanorum, Clarissarum, D. Iacobi, Andreæ, Georgij, Michaelis, Petri Porti, Burgi, Fakenorum, Sororum siue Monacharum Albarum, Nigrarum, & Tertianarum, Nonnarum, Bogardorum, Dominicanorum, & vt semel ac simul dicam, totius Antverpianæ vrbis templa sacellaque omnia insano festinoque tumultu vastant: ita vt ante clarum orientis solis exortum iubar, præcipua quæque diruta deturbataque fuerint, cum incensis candelis & facibus quas in ipso templo inuenerant, omnia nocturno tempore facillimè perlustrarent. Mirum profectò facinus, si circumstantias spectes. Vix enim aliquis patrantium cognitus, nemo post de re gesta gloriari auditus, nullæ inter eos aut dissentiones aut pugnæ: quodque magis etiam mirandum, nemo lætus, cum tamen nocte hæc agerentur, tot quoque lapides, ligna, aliæque materiæ frangerentur. Interea magistratus ciuitatisque omnis stupefacti, attoniti, ac velut fasci nari nocte tota excubias agunt, diuersa meditantes, non sine metu & suspicione, dum quid facturi essent, ignorant. Catholici Romani hæc incepta actaque esse Reformatorum rati, eos huiusmodi plebeculæ auxilio facilè præualere posse suspicantur, summopere ne in Catholicos tandem saba cudatur veriti, Reformaticulpam in se transferri metuentes, imprimis ne ab aduersarijs opprimantur cauent prospiciuntque: dumque pars altera alteram timet, vtraque plebeculam fæcemque vrbis maximè metuere visa est: ne præda omni è templis iam ablata, nefarij haudquaquam desinant, verùm diuitum mercatorum & ciuium domos inuadant, idolaq; in cistis & loculis (prætextu imaginum, proditionum, aliarumque causarum) quærant. Hinc magistratus ciuesque attoniti, animis viribusque destituti, armati stant: optimo autem conseruato ordine, inuicem concordiæ diligentiæque monent, ne sanguinolentæ pugnæ, aut ædium effractura committantur: idque omnes simul curant sedulo: in vita facultatibusque conseruandis, quàm Romana pietate & Religione tuenda, longè diligentiores, vt Catholici Hispanici tunc obganniebant. Postridiè Deo Optimo Maximo, quòd grauiora mala auertisset, gratiæ aguntur. Quanquam autem in hac Iconomachia, præda ac rapina, multæ res pretiosæ ablatæ, furreptæ suffuratæque fuerint, plurima tamen cimelia, argentea suppellex, aliaq; pretiosiora in Curiam ciuitatis & alio collata fuêre. Opificum etiam, reliquorumq; ciuiu collegia artificiosas insignesq; picturas è popelli manibus blanditijs extortas, pulcherrimæ artis amore conseruatas, asportari curarunt.

Antverpien sium pauor ingens.

Postridiè mane statim atque portæ patebant, Iconomachorum quidam extra vrbem currunt, primò ad D. Bernardi monasterium, sesquimiliario ab vrbe, deinde circumcirca in pagis Antverpiæ vicinis incredibili audacia & strenuitate omnia in templis confringunt ac demoliuntur. Interea alij toto hoc die & duobus sequentibus in ipsa vrbe templa & monasteria iterum percurrunt, & quicquid reliquum vel integrum inueniunt, confringunt, nemine contrà aut dicere aut facere quicquam audente. Tandem verò cum Crucifixi simulachrum magnum, pulchre deauratum in summi templi adyto erectum cunctanter tractimque deijcerent, fortè fortuna id in Procerum aurei Velleris ordinis, anno 1559. ibidem celebrati, insignia super exedras depicta, incidit: qua re magistratus multique ciues irati, sumptis armis, gregem talia moliri attentantem auertunt propellunt que, decem aut duodecim ex eorum numero apprehendunt, quorum tres manifesti factores die 28. Augusti in foro suspensi, tres exilio, alij alijs pœnis multati.

Magistratus conciones Reformatorum impedire fata git.

Magistratus statim omnibus modis Reformatorum conciones in templis (primò, vt ijs populus à furto & rapina ad quietem obedientiamque auocari possit, inceptas) impedire fatagit: à quibus

quibus ob magistratus reuerentiam cessatum est. Deinde edicit, sub pœna capitis, vt omnia ere pta ablataque, ad Tribunos vrbisque regionum Præfectos, intrà viginti quatuor horas, repo rtentur, neque imagines vllæ ampliùs frangantur, &c. quod quidem Edictum Reformatis significari etiam iubet per M. Iacobum Vvesenbekium vrbis Pensionarium. Reformati, tum his, tum præcedentibus moti occasionibus, scripto & viua voce, 23. Augusti, D. Iacobo Heydano, Consuli declarant: Se in veritate Deum testari, Iconomachiam ipsis insciis, minimeque consentientibus factam: nequaquam hæc (etiamsi enormis idololatria tale quid merita esset) sine superiorum consensu acta, approbare: se furta, rapinas aliasque insolentias subsequutas detestari: imò suos Ecclesiastes populum in concionibus admonituros (quod & iam iam fecerant) vt ablata in magistratuum manus reportent.

Reformatorũ excusatio.

Omnes suæ Ecclesiæ deuotos, rapinis, grassationibus & insolentijs quibuscumq; resistere, ipso magistratu iubente, summa obedientia esse paratissimos.

Se fateri, Senatum ac Magistratum à Deo institutum, eique, ex verbo Dei, obediendum: vectigalia quoque & tributa pendenda.

Proinde Concionatores, & Rectores suæ Ecclesiæ promptos esse, necessitate vrgente, Senatui iusiurandum fidelitatis atque obedientiæ in rebus omnibus Deo, & Dei verbo conuenientibus, præstare, ad conseruationem, salutem & commodum ciuitatis & inhabitantium, vt sic populus in quieta & tranquillitate contineatur.

Supplicant, vt ipsius Magistratus auctoritate & protectione, in idoneo aliquo templo concionari, suamque religionem exercere liceat: excusantque, quod iam templis quibusdam, donec de certa æde statutum esset, vterentur.

Se neutiquam cupere alicuius conscientiam vi cogere, verùm optimè contentos Deo immortali gratias agere, quòd rationem, modumque liberè Deo seruiendi, sint nacti. Petuntque lege vetari, ne alius aliù religionis causa iniurijs, contumelijs, aut violentia opprimat lædatúe.

Hæc demonstratione, petitione atque sedulitate, eò tandem ventum est, vt Reformatis, auctoritate Magistratus, in noua ciuitate permissum fuerit, concionari, vt hoc modo, templa consecrata libera seruare possent: Præterea Concionatori Pagi Kilij, Augustanam Confessionem profitenti, concessum in D. Georgij, in ipsa Ciuitate primaria, ipsius Pagi æde, conciones habere: idque non tantum infortunia incommodaque vitandi, verum etiam discordias, dissentiones; remouendi causa factum est.

Reformatis permissum Antverpiæ concionari: sed non templis.

Magistratus Antverpiensis, acta omnia, Bruxellæ Curiæ, & Auraico Principi, indies significat, & vt Princeps Antverpiam venire velit, rogat. Princeps autem hæc incommoda Ciuitati, quòd ipsius consilijs, atque monitis, in recipiendis præsidiarijs militibus, alijsque rebus obtemperare recusassent, aduenisse declarat. Hanc ob causam, ampli Consilij & membrorũ Ciuitatis communi sententia, omnem vrbis administrationem, suæ Excellentiæ se submittentes, tradunt: & vt Politiam rerumq; gerendarum ordinem componat, ad excubias & præsidia militesque colligat, ipsiusque Gubernatricis mandata exequendo, in ciuitatis salutem tranquillitatemque & in Regis ministerium Leges pro suo arbitrio præscribat, permittunt: omnemque obedientiam pollicentur, dummodo nihil priuilegijs aut veteribus consuetudinibus aduerse tur. His conditionibus Auraicus Antverpiam redit 26. Augusti.

Dũ hæc Antverpiæ agitur, Augusti. mense, Iconomachia alijs quoq; plurimis locis patrata. Mechliniæ quidam in Minoritarum, aliorumque Monasteriorum templis idem aggressi, prohibentur. Lyræ inceptum auertit Magistratus. promittens se id factum, vtq; furti, & rapacitatis occasio omnis tolleratur, Imaginibus, alijsque rebus depositis & amotis, templa vacua Iconomachorum coryphæis ostenduntur. Idem multis quoque alijs Brabantiæ, aliarumque regionum locis factum.

Iconomachiæ diuersis locis.

Busciduci, Bredæ, Bergæ ad Zomam, demolitio, vt Antverpiæ euenit.

Et Gandaui, Ypræ, Denremondæ, Alosti, Oudenardi, alijsque multis Flandriæ ciuitatibus.

Valencenis, Tornaci, &c. VValonum oppidis.

Traiecti, Dordraci, Amsterodami, Harlemij, Leydæ, Delphis, Hagæ, Brilæ, alijsque Hollandiæ locis.

Middelburgi, Campveræ, Flisingæ, &c. in Zelandia: Groningæ, Leervvadæ, cæteris; Frisiæ locis.

Campis, Svvolæ, Dauentriæ, oppidis Transisulanis.

Arnhemij, Ruremondæ, Neomagi, Venlonæ, Hardervvici, alijsque Geldriæ, & circumcirca aliarum prouinciarum minoribus oppidis, & Pagis innumeris.

Middelburgi, tametsi Senatus & Sagittariorum Collegia duos dies frustra impetum hunc impediuissent, tandem tamen Imaginibus & Aris cuersis, nondum cessatum est: Maximo enim numero congregati Iconomachi, 24. Augusti captiuos solui, & sibi tradi ab Episcopo & Magistratu cupiunt: cumque se carcerem effracturos minarentur (cædis & seditionis vitandæ causa, viginti

An. 1566.

An. 1566. viginti duo vinculis exoluuntur: adhæc vi ac necessitate vrgente, in oppidi templis cõcionari ipsis tunc permittitur.

Delphis, magistratum simulachra deposuisse atque amouisse non sat erat Iconomachis, verum exactius agi volunt: proinde aras omnes, valida ciuium custodia incassum contra nitente, confringunt & solo æquant: Minoritarum præterea cœnobium suis concionibus deligunt.

Hagæ, grex factiosus, deiectis in omnibus templis imaginibus nequaquam contentus, cunctos, qui aliquas antea è templis domum tulissent, seruassentq; ; easdem confringendas tradere cogit.

Plures huiusmodi insolentiæ passim perpetratæ: cùm tandem grassatores, fures, facinorosi, errones, milites, lenones, meretrices, nebulones, & hoc genus omne (quòd Reformatos non aduersaturos persuasum haberent) magis cõfidentiusq; talia perpetrarint: Reformatis factum istud, tanquam admirabile Dei opus, admirantibus stupentibusq; magis, quam approbantibus aut promouentibus,

Hæc Iconomachia statuarumque demolitio Gubernatrici & Curiæ nuntiata Bruxellæ, maximum animis metum stupormq; incussit: ita vt tam in aula quam vrbe, arma ad tacinus hoc impediendum, sumerentur. Gubernatrix suæ vitæ timens, statim Bruxella relicta, Montes Hannoniæ oppidum abire vult, & cò à Prouinciarum Gubernatoribus ac aurei Velleris Proceribus, qui plurimis ijsdemq; grauissimis rationibus discessum dissuadent, deduci petit. Tandem verò ei per Vigilium Præsidentem nuntiatur, ciues portis oppidi occupatis, obitum prohibere: itaque eo die adhuc manere consentit, multis Procerum flexa promissis, qui eam ex vrbe, si necesse fuerit, etiam proprij capitis periculo, demissuros pollicentur: Rogat autem Petrum Ernestum Comitem Mansfeldium, vt ciuitatis Bruxellensis gubernacula suscipiat. Ernestus ciues in vrbis Basilicam conuocari iubet: veniunt cum eo Princeps Auraicus, Comites Egmondanus, Hornanus, & Hoogstratanus: limul ciuibus proponunt, ipsorum fide Gubernatricem in vrbe mansisse, ea lege, vt sedulo caueant, ne conciones aut Iconomachiæ in vrbe fiant: id omnes pariter rogare: vt etiam Comiti Mansfeldio, tanquam Gubernatori, cui & ipsi vna assistere cupiant, obedire velint, &c. Respondent Bruxellenses, se cum Proceribus extremum vitæ discrimen subire potius velle, quàm conciones & Iconomachiam in ciuitate permittere: Mansfeldio quoquo obedire cupere. Hoc solatio Gubernatrix aliquantulum lenitur, in vesperum vsque, cùm ei nuntiatur, statutum esse ea nocte imagines confringere, Arenbergium & Barlemontium interficere, fuamque Cellitudinem comprehendere. Hæc Proceres ei pluribus argumentis ex animo iterum amouere laborant, demonstrantque tantam in vrbe Nobilium esse multitudinem, vt Bruxellensibus talia patrare impossibile sit.

Gubernatrix flymetus Bruxella.

Postridiè 23. Augusti, Gubernatrix, vbi maximis his turbis subortis, generalem defectionem rebellionemq;, ac tristem regionum ruinam impendere prospicit, tandem Procerum, Gubernatorum prouinciarum, Equitum torquiatorum, Consiliorum Statuum, aliorumq; placito ac sententia, conniuere, & conciones ijs locis, quibus ante eum diem habitæ fuerant, permittere decernit. Huius autem permissionis auctoritatem consignatam, Proceribus suo mandato cum Nobilibus fœderatis de pace agentibus, in hanc sententiam tradit.

Articulis literarum fidei ac securitatis ritè obseruatis, & violentiæ atque ineuitabilis necessitatis nunc grassantis ratione habita, concedit sua Cellitudo, vt Proceres de pacificatione cum Nobilibus fœderatis agentes, promittant, permittantq; populo, depositis armis, absque offendiculis & insolentijs liberè conciones frequentare ijs locis vbi ipso facto conciones nunc habentur: neq; vlla vis inferetur, aut aliquo modo contra eos ijsdem locis, eundo aut redeundo agetur, idque ratum erit, donec à Regia Maiestate Statuum generalium assensu alter statutum fuerit: Ea conditione ne Reformatæ Religionis fautores Religionem Catholicam eiusue exercitium vllo modo perturbent impediantue. verum Catholicos suis templis sicut antèa, vti sinant. Actum Bruxellæ, 23. Augusti 1566.

Gubernatrix mandat Proceribus, vt pacificatione agãt cum fœderatis Nobilibus.

Proceres designati à Gubernatrice.

Negotium autem agendi cum Nobilibus fœderatis, Principi Auraico, Comiti Egmondano, Comiti Hornano, D. Haricourtio, Consiliario Assonuillo, &c. demandatum fuit. A Nobilibus verò designati: Ludouicus Comes Nassouius, Eustachius Fienneus Elquerdæ, Carolus Reuelius Andrigiuę, Bernardus Merodeus Rumeni, Carolus Nootius Riloræ, Georgius Montegnius Noyellæ, Martinus Serclasius Tillij, Philippus Mereus Sterbekæ, Philippus Marbaisius Lonneralli, Ioannes Montegnius Vilersij. Carolus Lieuinius Famarsi, Franciscus Hasti, Ioannes Suuagius Schaubeke, Domini. Hi crebris inter se colloquijs habitis, tandem à parte Regiæ Maiestatis pactum ineunt: quod cum maximi sit momenti, vnde sequentia negotia bellaq; orta: verum ipsius pacti, placiti & codecilli (fide m atq; fecuritatem continentis) autographum siue exemplum hic proponere operæpretium putaui.

Nobiles designati à fœderatis.

MARGARETA Dei gratia Parmæ & Placentiæ Ducissa, Belgicarum harum Regionum pro

pro Domino meo Rege Gubernatrix, Omnibus præsentes literas inſpecturis & lecturis Salutem. Cùm magnus Belgij Nobilium numerus nobis libellum ſupplicem menſe Aprili proximè præterito pariter obtulerint, vt ſuæ Maieſtati, Inquiſitionem ſtatutaque vetera & noua, ſeueriora durioraque (ſicut aiebant) quam vt exequutioni mandari queant, abolere, eorundemque loco, Statuum Generalium & Prouincialium conſilio ac conſenſu, alia ſtatuere placeat: & libellum, per nos Maieſtati ſuæ mitti, vt ijs proſpiciatur, rogarint: qua quidem de re, multa variaque conſilia cum Prouinciarum Gubernatoribus, Proceribus aurei Velleris, Conſilio Status, & Conſilio ſecreto ſuæ Maieſtatis collata & agitata: eademque à nobis, noſtra opinione ac ſententia addita, ſuæ Maieſtati ſunt ſignificata. Neautem ſupplices Nobiles libellum hunc & fœdus initum, reliquaque ſubſequuta, in peiorem partem accepturum Regem ſuſpicentur, huiuſmodi quoque ſuſpiciones, maiora incommoda grauioreſque turbas excitent: conſilio aſſenſuque Procerum, Gubernatorum, Equitum & Conſiliariorum, ſuam Maieſtatem rogauimus, Nobilibus literas ſecuritatis & fidei, nihil eis in poſterum hanc occaſionem detrimenti allaturam, præſtare velit: de qua quidem re Maieſtas Regia nobis bonam ſuam voluntatem & intentionem ſignificauit: Nos eandem ſequentes, & proſperitati, quieti atque paci harum Regionum incumbentes, prædictos quoque Nobiles ſupplices in voluntaria obedientia & obſequio erga Regem, cui & natura iureiurando & oblatione ſunt deuincti, ſeruare cupientes: ad eorum poſtulata & argumenta, pro ea quàm à ſua Maieſtate habemus poteſtate & auctoritate, atq; vt Gubernatrix ac Rectrix generalis prouinciarum, cum Conſilij Statuum ſententia & conſilio, literas noſtra manu ſignatas, forma modoq; ſequenti, in fidem atq; ſecuritatem dedimus.

An. 1566.

Diplomatum à Gubernatrice Regis nomine Nobilibus ſuæ deditum exemplum.

Sua Celſitudo, vt reſponſum ad poſtulata det, reuerti iubet fœderatos Nobiles die 22. Auguſti: interea oportunè admodum, ſuæ Maieſtatis literas, per quas certius & perfectius eis reſpondeat, accipit.

I. Primò declarat, Regem, ijs omnibus quæ ſua Celſitudo: ſententia ac conſilio Procerum, Equitum aurei Velleris, aliorumq; Conſilij Status & Priuati, demonſtrarat, conſideratis, contentum eſſe, vt Inquiſitio, de qua conqueſti erant, ceſſet.

II. Deinde, Regiam Maieſtatem, vt nouum decernatur placitum, conſentire: verum an per ſuos Status Generales, id ei nondum conſtitutum: ſuam autem Celſitudinem Regis ſententiam hac de re breui exſpectare: atque interim ſedulo libenterq; operam velle dare (quod & recentibus iam literis fecerat) vt prædicta concedantur à Rege.

III. Statuiſſe quidem ſuam Celſitudinem Nobilibus fidem ſecuritatemq;, cuius in poſtremo libello mentionem fecerant, pro ſua tunc poteſtate concedere: nunc autem plenè libereque licere: quandoquidem ſua Maieſtas iam conſenſerit, auctoritate ſuæ Celſitudini tradita, ſecuritatis formam & rationem pro animi ſui arbitrio conficiendi. Proinde eiſdem dicit ac declarat, Regem cupere, vt omnis ſuſpicio illorum qui rem male ad eum delatam metuerent, abolearur, omniſque diffidentia (harum turbarum origo) tollatur: cumque ſolita ſua clementia vti velit, & nihil æquè atque inclementiam, ſeueritatemq; nimiam abominetur, concedere, vt ſua Celſitudo (difficultates controuerſiaſque omnes componendi cauſa) Nobilibus literas huic negotio conuenientes, forma pro ſuo arbitrio expreſſa, in illorum ſummam ſecuritatem factorum præteritorum cauſa, largiatur: ea lege, vt ſe bonos & fideles ſuæ Maieſtatis clientes & ſubditos præſtent: ſuam autem Maieſtatem maximè confidere, eos officijs obſequijſq; debitis non defuturos: ſuam quoq; Celſitudinem eis ſatisfacere atq; literas ſuas impræſentiarum exhibere paratam eſſe.

IIII. Cumq; omnibus modis ipſis iam ſatisfiat: cupit quoque ſua Celſitudo ſeruitium diuerſis vicibus ſuæ Maieſtati ab eis, ad ſalutem, quietem pacemque patriæ oblatum, ratum haberi: cui etiam fidei & naturæ debito deuincti ſint.

V. Quapropter exiſtimat, eos primò fidem daturos, ſe nihil contra Regem, Status, Regiones, aut ſubditos, directè vel indirectè tentaturos tentariúe procuraturos: verùm operam omnem adhibituros, ad quæuis bonorum fideliumque clientum ac ſubditorum officia ſupremo ſuo & naturali domino ſtrenue ſeduloq; præſtanda. Qua fide data, totis viribus, & ex animo opem auxiliumque ſerent, vt præſentes turbæ tumultuſque componantur, plebs ſeditioſa refrenetur, à templorum, monaſteriorum, locorumq; ſacrorum ſpoliatione ac depopulatione abſtineatur & deſiſtatur: maximè autem vt in huiuſmodi ſacrilegiorum, violentiarum, & deteſtandorum ſcelerum perpetratores ſeuerè animaduertatur. Efficient etiam ne Eccleſiaſticis, iuſtitiæ adminiſtris, Nobilibus, ſubditis aut clientibus Regiæ Maieſtatis, iniuria, aliqua inferatur.

VI. Sedulo fideliterq; operam dabunt, vt arma à plebe arrepta, quibus plurima mala patrata, pluraq; adhuc patrari poſſent, ſtatim deponantur.

VII. Conabuntur omni ſtudio diligentiaq; impedire, ne aliqua concio locis hactenus è concionibus

An. 1566. cionibus liberis, fiat: vbi verò ante hac ipso facto habitæ, ne ibidem arma gerantur, aut scandala publicæ confusiones oriantur.

VIII. Præterea operam dabunt, auxiliumq; ferent (ratione obligationis & iuramenti fidelitatis suo Regi debitæ) vt omnes extranei, inimici ac rebelles suæ Maiestati & patriæ, repellantur.

IX. Postremò, cùm apud eos, qui in præsentiarum Religionis aliarumq; rerum causa sunt alienati, plurimum gratia & auctoritate possint: eosdem omni adhibita diligentia in eam adducent voluntatem, vt se placitis decretisq; à Regia Maiestate, Statuum generalium consensu, ad Religionis conseruationem actranquillitatem statuendis, submittant subijciantq;. Actum Bruxellæ, 23. Augusti, 1566. Subsign. MARGARETHA.

NOTVM facimus, nos, prædictis omnibus consideratis, Regis consensum ac voluntatem sequentes, & auctoritate à sua Maiestate nobis concessa vtentes, nomine atq; potestate eiusdem promisisse, & præsentibus his literis promittere, nihil Nobilibus, causa supplicis libelli, initi fœderis, aut aliorum postea actorum vsque adhuc, à sua Maiestate aut à nobis imputatum iri: idque ratione promissi, iurisiurandi Nobilium prædictorum, tam proprio, quàm aliorum fœderatorum nomine nobis præstiti, ad pactorum articulorumque supra dictorum normam: de quibus suam nobis syngraphamtraderunt. Statuentes proinde postulantesq; suæ Maiestatis nomine, vt omnes Gubernatores, Equites torquati, & Consilium prædictũ: Supremus, Præses, & Consilium secretum, omnes quoque iustitiæ publicisq; officij: Præfecti, quorum id interest, præsentem hanc fidem securitatemq; obseruent, & inuiolatè ac perpetuò obseruari faciant, prædictos Nobiles, plenè, placidè, & in perpetuum concessione his literis contenta vti fruiq; sinant ac permittant, absque vlla pœnarum irrogatione, nunc aut in posterum, directè aut indirectè: nihil quoque obturbationis, impedimenti aut damni facto ipso contra eos quomodocunque ob causas prædictas attentent: quandoquidem suæ Maiestati & nobis ita placet. In rei testimonium nos has literas nostro nomine signauimus, eisque nostrum sigillum appendi iussimus. Datum in ciuitate Bruxellensi, 25. Augusti, 1566. Signatum sub dextri lateris plica: *Margareta*. Scriptum in latere sinistro: Expresso suæ Cellitudinis mandato: Subsig. *D. Overlepe*. Fueruntque eodem literæ sigillo suę Celsitudinis in cera rubra, duplicibus appendentibus caudis, munitæ.

Huic diplomati, securitati, mutuoque promisso, prædicti fœderatorum Nobilium Legati eodem die respondent, & suæ Celsitudinis diploma, Regis & Principis sui supremi atq; naturalis auctoritate interposita concessum, hoc die se accepisse, scripto declarant: NOTVM faciunt se ad literarũ securitatis formulam, animo candido, pollicito solenni, ac verorum Nobilium, fideliumq; suæ Maiestatis clientum & subditorum fide, promisisse & promittere tam proprio, quam aliorum à quibus mandata & procurationem habent, nomine, obseruaturos exequuturosq; omnes his literis comprehensos articulos: alios q; ad idem præstandum aut beneuolentia aut vi coacturos: eoque consilio fœdus initum declarare irritum, quamdiu prædicta fides promissa à sua Celsitudine, Regiæ Maiestatis nomine, rata habebitur. In rei testimonium legati prædicti quisque sua manu subsignant. Actum Bruxellæ, 25. Augusti. 1566. Tergo codicilli inscriptum: Legati Dominorum & Nobilium hoc codicillo nominati, sollemni conuenientiq; iuramento tam proprio quam aliorum fœderatorum nomine, se omnes articulos hoc scripto contentos obseruaturos & exequuturos promiserunt, dextrasq; Principibus Auraico, & Gauræ, Comiti Hornano, Domino Hachicourtio, & Consiliario Assonuillo, disceptatoribus à sua Celsitudine delectis, in fidei signum dederunt.

Gubernatrix literas pacificationis ad prouincias & ciuitates mittit.

Pacto hoc ita transacto, Gubernatrix idem literis obsignatis Augusti 26. scriptis ad omnes prouincias iudicesq; ciuitatum, cum auctoritate confignata mittit, eis renuntians, Regiam Maiestatem velle & intelligere, vt vetus veraq; Catholica Religio obseruetur: proinde Gubernatores & Magistratus operam imprimis dent, donec Rex ipse veniat, præsentesq; omnia disponat ne quid aduersi incommodiúe accidat: verum piæ bonęq; suæ voluntati, vt fideles clientes, obsequantur, seditiosis & perturbatoribus publicæ salutis resistant, &c.

Conciones per mittuntur.

Ad pacti prædicti, literarumq; obsignatarum, à Gubernatrice ad prouincias ciuitatesq; missarum, normam, vbique in oppidis conciones permittuntur, locis quibus 25. Augusti, aut ante publicè fuerant habitæ. Concordiæ autem & securitatis inter ciues ac inhabitantes (quanquam Religione discrepantes) conciliandæ causa, in ciuitatum securitatéac publicæ pacis conseruationem, Gubernatores & Magistratus conuentiones & concordias cum prouisione ineunt, dõ nec à sua Maiest. consilio sententiaq; Generalium Statuum, aliter statuatur: idque in omnibus Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Geldriæ, aliarumque prouinciarum perturbatis ciuitatibus: earundemque conuentionum potestate, conciones & Religionis exercitia, permissu magistratuum, absque armis, vbique à Reformatis publicè celebrantur: populis summopere gaudentibus, Deoque Opt. Max. quod tandem ab execrandis Inquisitionibus, Episcopis, Concilijs, placitis & persecutionibus liberati, ad conscientiæ libertatem peruenissent, gratias

gratias agentibus. Hinc lætitia, quies & tranquillitas magna quidem, sed breuis admodum vi- An. 1565.
fa est.

Nobiles Bruxella in prouincias habitationes cs; quisque suas pacatè & placidè proficiscuntur: Gubernatores prouinciarum ad suas quoque gubernationes, mandata exequuturi contendunt. Comes Egmondanus petit Flandriam. Princeps Auraicus venit Antverpiam 26. Augusti: hic Reformatis indicit, vt inter se quatuor-viros deligant, nempe cuiusque linguæ viros quatuor, cum quibus totius multitudinis nomine agat. Delectitaq; à Teutonicis Marcus Perezius, Carolus Bombergius, Hermannus Meranus, & Cornelius Bombergius: à Gallis Franciscus Godinus, Ioannes Carlierius, Nicolaus Viuierius, & Nicolaus Selinus: à Confessionistis Augustanis Egidius Greueus, Egidius Banderius, Henricus Broeckius, & Thomas Geerius: iidemq; simul omnes auctoritate confignata confirmati.

Antverpiæ Politiam constituit Auraic.

Princeps vt Gubernator vrbis, & Senatus, cum Quatuor-uiris prædictis, inter alia, Statuta hæc cum prouisione decernunt: Licere sine armis, certis quibusdam locis concionari: Præterea, instante hyeme, vt reliqua templa libera seruentur, templa ædificare, aut alia loca concionibus idonea parare, conceditur: hinc duo ibidem magnifica aptaque imprimis constructa, quorum vnum rotundum, Gallis accommodatum: Præscribitur adhæc, vt Magistratui, omnes in suam protectionem recipienti, obediant: ne alter alteri iniuriam inferat, &c. Hæc autem cum prouisione acta, donec à Rege & Statibus generalibus aliter decernatur. Quod si tunc decretum conscientijs Reformatorum repugnare videbitur: omnibus commodum tempus quò cum facultatibus ex animi sententia discedant, concedetur: neque actorum præteritorum aliquid cuiquam vnquam imputabitur.

Posthæc Auraicus Antverpiâ in suas Hollandiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, & Frisiæ gubernationes abit, hic quoque omnia, pro viribus, componere satagens. Verùm cum non procul ab Vltraiecto Dux Ericus Brunsvvichius, antiquus bellorum Regis Philippi administrator, militem, in proprij corporis (vt primò dicebat) custodiam conscriberet, maximæ rursus vbique suspiciones ortæ.

In Flandria Princeps Gaureus Comes Egmondanus, Flandriæ & Artesiæ Gubernator, populos, armis depositis, placare ac fedare studet: hic enim sexaginta locis diuersis à 25. Augusti die conciones fuerant celebratæ: quas paulatim placidè; diminuit: multis tamen locis templa ædificare & loca concionibus adaptare permisit: in Iconoclastas verò acriter animaduertit.

Egmondanus in Flandria populi sedat.

Nobiles quoque fœderati se Iconomachis nequaquam fauere, sed Gubernatrici pro missa præstare velle, re ipsa declarant, proinde plurimos varijs locis capi & suspendi mandant. Inter alios Ioannes Casenbrodius Backerselæ Dominus, Granmontij in Flandria huius factionis in ipso itinere obuios duodecim cædit, triginta capit, quorum viginti duo statim suspendio multati.

Iconomachi pununtur.

Antverpiæ autem, Auraico in Hollandiam profecto, Philippus Lalainius Comes Hoochstratanus, aurei Velleris Eques, Mechliniæ Gubernator, Antverpiensis Gubernatoris loco substitutus, seditiosis quibusdam imagines in summo vrbis templo rursus à Catholicis Romanis instructo, & simul achris altaribus, pulchrè ornato detarbare molientibus, properanter (ciuitatis præsidio munitus) resistit: præcipuos auctores capit, & sex eorum, aliis formidine pœnæ deterrere volens, postridie, 18. Octobris in foro suspendi imperat.

Reformati, vbi ægrè hanc rem laturum, metuentes percipiunt, libellum supplicem ad Regiam Maiestatem Comiti Hoochstratano 27. Octobris tradunt: in eo se de præteritis excusant: fidem Dei donum esse, neque vi vlla inculcari posse, demonstrant: Gamalielis consilium sequi velit obtestantur, ne tandem populus ad libertinissimum atheismum vt formidine perterritus adigatur: se duodecim fidei articulos & antiquissima Concilia credere: & Concilio generali, aut synodico Germaniæ, Galliæ, Angliæ, aliarumque vicinarum regionum, libenter submissuros profitentur: interim religionis & exercitij libertatem concedi poscunt: omnem debitam obedientiam suæ Maiestati pollicentur: se vectigalibus exactionibusque, vt cæteri, subijciunt: adhæc pro libertate tres florenorum milliones, siue triginta auri tânas (vt vocant) in beneficij accepti recognitionem offerunt: plurimaque Principum, qui huiusmodi concessere, exempla proponunt. Præterea Principum Germaniæ superiorioris opem auxiliumque petunt: quibus hæc petitio non modò ingrata, sed & ridicula fuit: quod arrogantiæ, imò ostentationis propriæ potentiæ, qua exterorum Principum subsidia allicere possent, plena videretur.

Reformati libello supplice ad Regē trasferunt libertatem religionis petunt.

Interea Gubernatrix frequentissimas ex Hispania literas à Rege accipit, ex quibus intelligit Regem Consiliumq; Regium ægrè admodum has turbas ferre, ac omnibus modis obuiandum resistendumque decernere, tum quod factum istud alijs prouincijs & regnis exemplum esse posset, tum quod Religionem Catholicam Romanam imprimis conseruari, defendiq; vellent. Huic autem intentioni neq; inuida neq; politica defuere consilia, eorum maximè qui ad Romanæ Religionis, conseruationem, & Regiæ auctoritatis incolumitatem, Belgarum

Gubernatrix religionis restituere incipit, literas ex Hispania accepit.

Digitized by Google

An. 1566. petulantiam, multa libertate varijsque priuilegijs ortam, tunc cohibendam reputabant, optima iam occasione Belgium subiugandi, & ad aliam regiminis normam reducendi data: vtq; id paulatim fiat, Rex formas modosq; tempori conuenientes Gubernatrici significat. Quod quidem Regis propositum plurimi singulares, tam nobiles quàm mercatores, epistolis certisque indicijs resciuere. Ipsa quoque Gubernatrix Nobilibus fœderatis, quos Catholicos Romanos nouerat, idem indicauit: quorum plurimi se Gubernatrici prorsus iungunt, aut saltem neutri parti hærent addicti, magna studij animiq; Regis erga ipsos patriamq; spe, à Gubernatrice data, ducti. Proceres tam ordinis aurei Velleris, quam alij, diuersas etiam ex Hispanijs literas acceperè: imò Rex ipse Philippus sua manu, primo Augusti 1566. Segouiæ ad Auraicum Principem scripta epistola, verbis & rationibus mire amicis ac efficacibus, suspicionem quam de sua Maiestate concepisse videbatur, quasi non satis superq; ei fideret, Principi ex animo amouere conatur: quæ quidem epistola, pòst typis impressa, exstat. Huiusmodi autem epistolarum, sollicitationum ac persuasionum efficacia, pars ferè tertia nobilium fœderatorum ab alijs breui separata est.

Gubernatrix Valencenenses præsidium recipere iubet.

Gubernatrix, hoc inter Nobiles schismate excitato, milite etiã (prætextu in Iconomachos animaduertendi) clam vndiq; conscripto, suas paulatim vires ostendere incipit, conciones perturbari passim iubet, ea scilicet occasione, quod suis locis, quibus antea, non fierent: eademq; de causa multos concionatores subito deprehensos capi & suspendi mandat: idq; prope Alostum maximè: præterea quidquid concessisset, metu se consecutum esse ait: literas quoq; fidei ac securitatis alio modo interpretari vult: quamuis enim, inquit, conciones permissæ essent, suam tamen intentionem non fuisse, exercitia eo vsq; admittere, vt matrimonium, baptismum, sepulturam, synaxin aut synodum celebrare liceret.

Post hæc, validiore militum copia collecta potentior, ad valencenenses ciuitatem in Hannonia scribit, iubetq; vt Norcarmij (qui tunc Marchionis Bergenses Hannoniæ Gubernatoris, in Hispaniam legati, vicarius erat) præsidiarios milites recipiant. Ratio autem præsidij potius huic quàm cæteris ciuitatibus imponendi erat, tum quod Valencenenses præ alijs Religioni Reformatæ fauerent, & paulò antè quendam Religionis causa comburendum vi è flammis eripuissent, quem *le mal bruslé*, id est, male combustum nuncupabant, qui tamen postea ibidem crematus fuit: tum quod metueretur ne aliqui ex Francia eiusdem Religionis in eam irrumperent: cùm vrbs sit regno Galliæ siue Franciæ admodum vicina, & situ idonea, in Hannoniæ comitatu secunda, propriù sibi seruans dominiù, ad Schaldim flumé situ nobilis, magna, pulchra, muris & fossis permunita, populosa, alma, quæstuosa valdè. Valencenenses, multis rationibus ac priuilegijs allegatis, militare hoc præsidium intromittere recusant. Postea 20. Octob. offert, polliceturq; Norcarmius, ciuitatem à præsidio immunem seruare, modò extra vrbem conciones, habeantur. Ciues, concionatorum totius q; synodi consilio, condicionem accipiunt: ea lege vt ipse Norcarmius Valencenas veniat, ac corã ratum id faciat, locumq; concionandi designet. Verùm post facti pœnitens, multa turba comitante, 20. Nouembr. vrbis portam intrat, & cum magistratu & Reformatorum senatu colloqui cupit: qui cum statim præsto non adessent, exceptione contra eos sumpta, mox discedit, Valencenensium ciuitati & Fano Amandi grauiter minitans. Post hæc Gubernatrix alijs literis 21. Nouemb. missis, non sine criminationibus & minis præsidium recipiant iubet. Ciues id recusantes, in circumiacentibus oppidis, Regi rebelles promulgantur 14. Decemb. an. 1566. ipsamq; vrbem obsidione cingit Norcarmius.

Valencenenses Regi rebelles promulgãtur.

Interea modi quæruntur vbiq; Reformatorum conciones aut vi aut beneuolentia abolendi, ita vt plurimis locis in Flandria, Hannonia Hollandia, hyeme à publico exercitio sit cessatum. Amsterodamenses, Traiectenses ad Mosam, Vltraiectenses, Gandenses, Antverpienses diutissime perseuerant. Leodienses, nempe Maseyckenses & Hasselenses ipsa hyeme primũ imagines demoliri incipiunt: verũ à Grosbekio Leodiensi Episc. obsidione cinguntur, domãturq; tandé.

Proceres Belgij suspiciones.

Proceres Belgij simulatq; res in Belgio gestas Regem in peiorem partem interpretrari (præterea Marchionem Bergensem & D. Montignium totius Belgij facilè prudentissimos, & ad patriæ statum necessitatemq; ei declarandum maximè idoneos, nihil in Hispania effecisse, imò ibi adhuc detineri) ad hæc Gubernatricé copiosum colligere exercitum intelligunt. perspiciuntque: tandem malum suspicari, & quid factu optimum, consultare inter se incipiunt. Præter alia autem colloquia, Dermondæ tertio Octobr. conueniunt Princeps Auraicus, Comites Egmondanus, Hornanus, Hoochstratanus, & Ludouicus Nassouius: hic inter se de literis à Montignio ex Hisp. missis conferunt, quibus, Regem ægerrimè ferre Belgicum tumultum, significabat: insuper Frãcisci Alauæ Regis in Gallia legati literas ad Gubernatricé scriptas, atq; interceptas perlegunt, quibus Gubernatricis opinionẽ confirmabat, omnia scilicet mala Belgij, ex tribus, nempe Principe Auraico, Comitibus Egmondano, & Hornano, esse orta: admonés eos dẽ blandè tractet, amorem amicitiamq; ue simulet, imò eis persuadeat, Regem fateri se ipsorum fideli officio ac opera Regiones Belgicas in obedientia tenere ac conseruare: postea autem pro meritis pœnas

Præmissi Alauæ literæ interceptæ

pœnas daturos: Idem quoque duobus Proceribus Legatis, in Hiſpania iam præſentibus euen- An. 1567.
turum, quos ibidem cum Contiliario Renardo manſuros, Gubernatrici ſignificabat: Inſuper Regem Madrilij coram plurimis Proceribus iuraſſe, ſe ſcire, non tantum ſuæ auctoritati, ſed diuino etiam cultui, tam deteſtabili & impio Belgarum facto derogari, & proinde ita animo commotum, vt periculo reliquas omnes ſuas ditiones potius ſit expoſiturus, quam hoc facinus inultum dimiſſurus, quò toto Chriſtiano orbi ſit exemplo ſimo ſceleris cauſa in Belgium coram venire, & Pontificis Imperatoriſque auxilium inuocare velle, &c. Præterea Gubernatrici aſſeuerabat, ex malis his in Belgio perpetratis, Regiæ Maieſtati tantum commodi ac emolumenti redundaturum, vt hinc prouincias omnes plenè ſibi obedientes (ſtatu & ordine, quem ſui maiores nunquam aſſequi potuerint, ſua autem Maieſtas longo tempore deſiderauerit, requiſierit(que) iam reddere, & rebellium alios prorſus ſubiugare: alios è medio tollere, pro arbitrio poſſit: Multa quoque alia his ſimilia declarabat Alaua, quæ ex litteris ipſis typis impreſsis legere licet.

Variæ autem Procerum, de his ſimilibuſque epiſtolis & admonitionibus, fuêre ſententiæ, dum alij de regia clementia ſpê habentes alij diffidentes, patriam potius relinquendâ profugiendumque opinantur: plurimi viam rationemque reſiſtendi, ac Regis violentiam auertendi proponunt, neque facultates & amicos defuturos, modo certi aliquid concordibus animis ſtatuatur, confidunt. Poſtquam verò Comes Egmondanus, vir ſummæ apud milites prætidiarios auctoritatis, quo aduerſante reliqui parum viribus præſtare potuiſſent, talem de Regis clementia opinionem concepiſſe ſe diceret, vt Regiæ indoli tantam ſeueritatem minimè addi bendum putaret: diffidentes diſcedere quidem, ni liberet, poſſe, ſibi autem integrum id non eſſe, maximè quod plurima grauatus prole in exteris regionibus pro ſua amplitudine vitam degere non poſſet, verùm ab ipſo Rege dependere deberet, ſine cuius fauore ac beneficio de ſua ſalute actum eſſet: his dictis Procerum maxima pars, nullo definito conſilio diſceſſere: Comitem nihilominus ad ſaniorem mentem adductum iri ſperantes. Verùm cùm poſtea Hellegari & VVilbrochi Auraicus Egmondanum in meliorem ſententiam adducere cupiens, pericula tam ei quàm alijs omnibus imminentia demonſtraret, ille idem, quod ante, reſpondit: nempè ſe ſperare ac confidere. concionibus omiſsis, & Iconomachis hæreticiſque punitis, Regê ſatis pacatum grauius de Regionibus ſupplicium nequaquam ſumpturum. Auraicus ad hæc, eum factî pœnituruin, pontemque per quem Hiſpani in Belgium peruenîant, futurum, multaque alia reſpondit, itaque diſceſſum eſt. Hanc Procerum colloquutionem, cum eam ſcire Reformatis maximè intereſſet, quidam clam audire cupiens, ſe in foci inſumibulo abſconderat. Hoc autem poſtremum circa Calendas Apriles colloquium fuit.

Procerum Belgij varie ſen. tentiæ.

Duobus Principibus, Auraico nempe & Gaureo ſiue Egmondano ſententia intentioneque variantibus, reliqui etiam magnates diuerſas tenuere partes: vnde Nobiles fœderati ſtudia in contraria ſciſsi, ita vt vix tertia pars promiſſum fœdus ſeruauerit: perſiſtentium autem plurimi Reformatæ Religioni addicti, initum fœdus firmare, & Proceres aliquos patriæ libertatem conſeruandi, & extraneos arcendi cauſa, in auxilium ſibi, quocunque modo adſciſcere ſtudent. Hi autem ſimul Auraicum, tum ob ſummam viri prudentiam, rerumque experientiam (tum ob potentiam, amicitiam fœderaque in Germania ſuperiori) tum etiam quod eius partes Comitem Hoochſtratanum alioſque ſequuturos non dubitarent, præcipuè exoptabant. Auraicus verò Regis Philippi potentiam, quem tam Indole ac ingenio, quam Hiſpanici conſilij inſtigatione Reformatæ Religioni, & Belgio ob priuilegia, iniquum inſenſumque reputabat: Præterea populi Reformatæ Religioni addicti Zelum primò quidem ingentem, ſed non ſatis conſtantem, ſtabilem, firmumque ad innitendum: poſtremo etiam Egmondanum, cum maximo veteranorum militum numero, cumque Nobilibus & irritatis Eccleſiaſticis, fœderatis aduerſaturum, ſagaci animo perpendens, eò addûci non potuit.

Diſcordia inter nobiles.

Principis Auraici opinio.

Proinde D. Brederodius alijque fœderatorum primarij quæuis media experiri, antequam extrema aggrediantur, ſtatuunt: ſcribunt ad Gubernatricem, licentiam(que) in aulam veniendi, & iniuriam, infracta fide ac ſecuritate illatam, declarandi petunt. Gubernatrix reſponſo ſcripto, ne Bruxellam veniant, prohibet: eorum enim aduentu 5. Aprilis omnes in Belgio turbas fuiſſe excitatas: cumque iam in vrbe Bruxellenſi præſidium collocaſſet, ne fœderati Nobiles intromittantur interdicit.

Quamobrem Brederodius iterum Antverpia ad Gubernatricem ſcribit 8. Februarij: non ſupplicem libellum, ſed Inquiſitionem ſtudium(que) nouitatis introducendi, præterea tardam ac iniquam de libello datam definitionem, veras turbarum fuiſſe origines, exponit: ſe tantum modo concordiæ rationes proponere velle: & quia ſua Cellitudo Nobiles in aulam venire nollet, ei fœderatorum nobilium ſecundum mittit libellum.

V Libellus ſcil. dus Nobilium

Hoc libello declarant Auguſt. menſe proximè elapſo, regionũ tumultuantium, populiq; biq; locorũ armati turbas aliaſq; cõiurationes, ſtatutis cõuentionib⁹ fuiſſe ſ̃ datas cõpoſitaſq; eaque

An. 1567. eaque in re se suo fideliter satisfecisse officio: quòd verò ubique locorum non æquè fœliciter successerit, id nonnullis Regio seruitio minus deuotis imputandum. Postquam autem rerum status melior apparere incepit, eo maximè nomine, quòd æquius decretum suæ Maiestatis cum Statuum consilio exspectaretur, statim præter spem omnem, mandato suæ Celsitudinis quolibet locorum literis missis, conciones & exercitia Reformatorum sunt prohibita: atque eius rei gratia Nobiles fœderati præcipuè compellati, culpatique (supplice populi libello adiuncto liquidè id testante. Præterea ex literis prædictis reliquisque actis constare satis superque, rem omnem eò prorsus vergere, vt publicæ conciones concionatoribus ipsis apprehensis, captiuis, & violenter tractatis, vi prohibeantur, idque contra pacti initi rationes) sua Maiestate cum Statuum generalium consilio nihil contra decernente. Insuper Nobiles fœderatos indignis excipi modis: ipsisque nulla diffidentiæ causa proposita, diffidi: Proceribus inhibitum ipsorum consuetudine vti: denique cogi suæ Maiestatis vrbes exire, & persecutionem captiuitatemque tanquam Regiæ Maiestatis & patriæ hostes, pati. Ad hæc exercitum tam extra quam intra patriæ limites, contra Nobiles Reformatæq; Religionis fautores conscribi: cum tamen ipsis publica fide cautum sit, donec à sua Maiestate & Statuum generalium consilio aliter decernatur. Proinde cum patriæ excidium imminere, violentiam impetumque indies augeri, promissaque infringi, cernant, vtile visum esse, suam Celsitudinem prius iterum supplicare, vt ipsis declaret, velitne pactum seruari, & conciones exercitiaque Reformatæ Religionis permitti, sicut suæ Celsitudinis & Procerum nomine certò concessum fuit: an fidem fecuritatemq; fœderatis pro missam omnino irritam reddere. Vt autem suæ Celsitudinis beneuolentia ergo Nobiles fœderatos populumque manifestè probetur, militem conscriptum dimitti, edictaq; promissis contraria aboleri petunt: vt his peractis, suæ Celsitudini certò promittere queant, patriam pacatam tranquillamque fore: se quoque vitam & fortunas omnes pro Regia Maiestate suaque Celsitudine exposituros. Quod nisi statim fiat, metuendum ne mala damnaque grauissima, non sine clade cædeq; horrida populi, suæ Celsitudinis Nobiliumque fœderatorum promissis confirmati, subsequantur. Hæc se, vt suo officio Regiq; Maiestati & patriæ debito satisfaciant, significare voluisse, & breue bonumq; responsum petere.

Libellus Reformatorum ad Nobiles.

Libellus autem Reformatorum ad Nobiles, simul missus, præter alia, querimonias de graui persequtione injuriaque ipsis vbique contra datam fidem illata continebat: imò prorsus suspicandum hæc omnia in populi fraudem facta, nisi re ipsa probent, se talia in mandatis à sua Celsitudine & Equitibus aurei Velleris habuisse. Quod ipsi promissa seruare nolint, id aperte declarari petunt, vt saltem ab huiusmodi persecutione sibi cauere queant.

Responsum Gubernatricis quo concessa negat, & contra interpretatur.

Ad Brederodij libellum Gubernatrix 16. Februarij respondet, Nescire se qui Nobiles libellum hunc supplicem, simul confecerint: quandoquidem maxima pars illorum qui 5. Aprilis libellum obtulerant, sibi de Regiæ Maiestatis proposito in causa Inquisitionis, satisfactum et eo fateantur. Mirari verò, istos concessum à sua Celsitudine nouæ Religionis exercitium prætendere: quandoquidem id nominatim, verbis *scandali & confusionis*, excludendum putauerit: Cùm autem male sua verba intelligi animaduertisset, merito conquestam vbique de Consistorij institutione (pecuniarum à Regiæ Maiestatis subditis, ad aliquot millionum summam, collectione) sacramentorum administratione (confusionum in fide, & politia spirituali atque seculari introductione) nuptiarum nouo ritu celebratione, difficultates in hæreditatibus & successionibus gignente: quæ omnia ad Regis, Magistratus & Iustitiæ auctoritatem dignitatemque vindicandam tendere videntur. Fidem autem publicam tantum pro libelli supplicis quinti Aprilis traditione, non pro Religione datam: proinde eorum summam audaciam mirari, quod Regiam Maiest. suamq; Celsitudinem de re ne cogitata quidè accusent. Arguit eos præterea, quod populum ad seditionem contra Regem, Ecclesiasticos & Rempublicam excitarint: atque hic malis necessario prospiciendum occurrendumque reputat. Monet proinde domum redeant, atque ita se gerant, vt eorum facta Regi in has Regiones reduci grata sint & placita: sin minus, se proculdubio remedium adhibituram.

Postquam fœderati Nobiles Ciuitatesque, Gubernatricis animo probè perspecto; Valencenas obsidione cingi, & vndique adhuc copias militares (Megano, Mansfeldio, Arenbergio, Erichio Brunsvvicano Ducibus) conscribi vident: peiora suspicari, rationemque suturi habere incipiunt: ita & eorum quidam, scilicet Brederodius circa Viennam, Tholousius circa Antvverpiam, alij etiam in Flandria milites colligunt. Anthonius Bombergius militiæ Dux, decimo sexto Februarij Buscumducis ingressus, D. Merodium siue Peterschemium, & D. Ioannem Scheyffium Brabantiæ Cancellarium apprehensos custodiri iubet: quod à Gubernatrice eo missi essent, vt ordinem rei gerendæ componerent, atque Comitis Megani ope, qui non longè inde militum copia instructus consistebat, vrbem suæ Celsitudini seruarēt. Antonius interim loca omnia, bene tuendi causa, munit firmatq;: verum cum Reformatorum res consilio destitutæ parum succederent, vrbem tandem, non inglorius, reliquit, sibi fuisq; militibus

Antonius Bergius strenuam militiæ Dux in vrbe præsidiaturus.

litibus ſtipendio ab hoſte perſoluto: acriter reſiſtens repugnanſq́ue quouis modo, donec etiam fugitiuis Reformatis tempus locusq́ue euadendi daretur: itaque vndecimo Aprilis diſceſsit. An. 1567.

Nobilium quidam cum D. Tholoſio Vliſingam & VValachriam, potiſsimum Petri Hæckij Middelburgenſis vrbis Præfecti ope, inuadere moliuntur, nauibus aliquot Antverpienſibus cum militum exiguo numero eò miſsis, Menſe Maio: Verum Antverpienſis quædam nauis oneraria maturius appellens, Vliſsingenſes præmonuit, & conatus conſiliaq; irrita reddidit. Reuerſus itaq; Tholoſius, Ooſterveleæ cum militibus conſiſtit, atq; hic maiores copias colligit, ſocijs in vrbe Antverpia, vires animumq́ue addere cupiens: quo hac in ſuas partes pertractæ, reliquas non tantum vrbes & prouincias, ſed & Principes viros Nobileſq́;, quorum maxima pars Antverpiam ſpectabant, ſibi adiungat, vt ad fœderis præſcriptam normam, fœderatos patriamq́ue ſimul defendant ac tueantur: verum ob ciuitatis diſſidium, & Senatum Regi atq; Gubernatrici maximè addictum, ipſe ſuiq; ſpe & incepto fruſtrati ſunt. *Tholoſius Vliſſingam inuadere molitur.*

Ab ipſo enim turbarum initio, Magiſtratus Antverpienſis, vt diximus, Parochum Kilij pagi, Auguſtanæ Confeſsionis ritus publicè profitentem, in templo quodam conſtituerat, & huic doctrinæ addictos præalijs omnibus promouerat iuuetatque, ita vt hæc religio Romani Imperij auctoritate (maximè quod Antverpia Sacri Romani Imperij Marchionatus eſſet) minimè prohiberi debere aut poſſe videretur: Ipſe autem Magiſtratus Reformatos refrenare atq; cohibere decreuerat diſſentione de præſentia Corporis Chriſti in Cœnæ Sacramento, hanc quocumque modo alens ſouensq́ue, diſtinctis Martiniſtarum & Caluiniſtarum nominibus; quæ quidem res ipſis adeò feliciter ex ſententia ſucceſsit (maximè cùm Confeſsioniſtæ, ſperantes ſe vtpote minus ſeditioſos, & alias ob cauſas ſuprà dictas, facilius admittendos, ex Germania protinus Mattheum Flaccum Illiricum, Spangenbergium, alioſq; doctores, Antverpiam, tanquam magiſtratus nomine, euocarent) vt nihil præter diſputationes, odia atque diſſidia in vrbe ſint orta: quæſtiones & profeſsiones typis diuulgatæ: nihil autem diffinitum aut determinatum: deniq; doctores ipſi domum reuerſi: vndè diſcordiæ multum, concordię nihil populi relictum. *Diſſidium Antverpiæ inter Caluinistas & Confeſſioniſtas.*

Tholoſius autem vir genere nobilis, Zelo acer, ingenio pollens, cum rem in vrbe ſucceſſuram ſperaret, milites ſuos Ooſtervvelæ, non procul ab ipſa vrbe, in aggeribus & ripa Schaldis loco munito facili, niſi tempus, ratio, ordo defuiſſent, collocare meditabatur: verùm ab hoc propoſito conatuq́ue, ob cauſas nondum ſatis cognitas deſitum eſt: quidam in vrbem intrare, quidam alio diuertere voluiſſe putant. Interea Gubernatrix Tholoſianos milites ab omni metu, (quod hoſtis tunc longè abeſſet) ſecuros, immouiſo inuadendos ſtatuens, Philippum Lanoium, Dominum Beauuoiſium cum cohorte quadringentorum ſuorum ſatellitum Bruxella in eos mittit. Præterea Motum exercitus Præfectum, & duo Comitis Egmondani ſtipendiariorum, qui Axellæ in Flandria erant, ſigna nauigio tranſuehenda, inſuper Ioannem Grauium Brabantiæ Droſſardum cum ſuo agmine, eodem tendere iubet: & hi quidem ſimul omnes tertio Id. Martij mane conueniunt. Tholoſianos milites ſubitò inuadunt, cædunt, diſpergunt: ipſo Tholoſio Duce, in horreo ſiue domo quam defenſioni deſtinauerat, occiſo aut combuſto. *Clades Ooſterwela.*

Hac tanta clade, ſubito Antvverpiæ oritur tumultus, arripit arma populus diffidentia contrariſq́ue ſtudijs maximè turbatis: alios extra vrbem Geulijs ſuppetias ferre volentes prohibent alij, Gubernatoris ope atque auctoritate, vtpote ne hoſtis victoriam adeptus vrbem inuadat metuentes: hinc multos ſuſpicio inuaſit, huiuſmodi hominum inſtinctu atque iuſſu, Tholoſianos extra vrbem cæſos, & ad reliquos omnes perdendos machinas adhiberi. Tandem Reformati ſiue Caluiniſtæ Pontem Meranum occupant, vrbis portas ſuis prælidijs mununt, tormenta ænea ex armamentario publico, quibus ſe tueantur in ponte collocant. Toto hoc die Princeps Auraicus, Comes Hoochſtratanus, & Antvverpienſis Senatus cum Stralio Conſule ciuibus comprimis grato, turbæ ſedandæ pacię; faciendæ incumbunt: ſed fruſtra: cum ſuſpiciones ac diſſentiones ex animis populi nulla ratione deleri potuerint: quin eo etiam audaciæ ventum eſt, vt ſclopus igninomus in Principis Auraici pectus, perfidiæ & proditionis obiecto crimine, minaciter impingeretur. Poſtridie Confeſsioniſtæ ſiue Martiniſtæ armati prodeunt: ita faciunt mercatorum Hiſpanicę & Italicæ nationes: & his iuncti Catholici ſiue Papiſtæ, littuſque ipſum vbi in acie ſtabant Martiniſtæ pariter occupant: hoc autem Magiſtratus iuſſu fieri putabatur, vt eo modo aliorum vis atque audacia reprimeretur: oppidani interim milites foru & Curiam ciuitatis tuebantur, itaque armati alij alios metuunt: vtq; mutua ciuium cædes auertatur, proceres cordatiq́ue aliquot ciues turbam certis conditionibus in ciuitatis atque Religionis ſecuritatem, pacant: itaque ab armis diſcedunt, & quiſque domum ad ſua exercitia atq; opificia redeunt. *Turbæ Antverpiæ in ponte Meranο.*

Antvverpiæ tumultus, & Ouſtervvelæ victoria, Gubernatrici atque Catholicis animos addidit

An. 1567. didit: contrà verò fœderatorum Nobilium ac Geusiorum incepta consiliaque prorsus pertur-
bauit: neque enim vrbe Antverpia, perspectis in ea Catholicorum viribus, nec proin de aliis
etiam oppidis aut locis vllo modo potiri se posse amplius sperabant: eamq; ob causam, plurimi
viri, maximè primarij atque consistoriorum senatores rem omnem Dei iudicio & prouiden-
tiæ, atque temporis opportunitati committendam statuunt.

Arma de signus Ceſſare ſtatuunt Nobiles & Reformati.

Valencenenſes rebellionis reos publicè denunciatos, atque à Norcarmio obsessos supra dixi-
mus: Principio quidem Nouembris summa necessitate pressi arctaque obsidione fere clausi,
militariter sese gesserant, absque vllius præsidij ope, eruptionibus crebris frumenta vndiq; in
oppidum deuexerant, loca infesta incendebant, hostisque plurimis modis incommodarant, spe-
rantes se tandem obsidione liberandos. Flandri Occidentales conscriptas militum copias eò in
subsidium mittunt, quibus & Tornacenses suas iungunt: verum militiæ inexperti, ordine nullo,
strategis ducibusque ignauis & imperitis, nihil militari laude dignum gerunt: statimque hinc à
Rasingemio, illinc à Norcarmio, decem peditum signis, & militum aliquot turmis probè in-
structo, impetuntur. cæduntur, dispergunturque: ducentis & amplius inter VVaterloum & Lano-
yum miserè trucidatis: eorum Dux Ioannes Soreaus vulneratus euasit: plurimi fugientes Tor-
nacum petunt: verùm postea per arcem militibus in vrbem intromissis, Religionis Reformatæ
propugnatores vt plurimum pulli, capti, & morte multati sunt.

Valencenenſes objecta.

Cladis Geuſiorum inter VVaterloum & Lanoyum.

Valécenéses Gallis qui decem militum millia. Principe Portiano Duce, subsidio mittere ob-
tulerunt, gratias agunt, eosq; ad Nobiles fœderatos, tanquam Magistratus suos subalternos mit
unt, vt cum eis de obsidione soluenda agant. Dant autem 18. Kal. Febr. supplicem libellum ad
aurei Velleris torquatos Equites, eosq; Gubernatricis accusationi respondent, quandoquidem
ab ea maximè culpentur, quod Religioni Reformatæ sint addicti: & quia præsidium necessario
in oppido collocandum existimaret, id mandato atq; auctoritate suarum Celsitudinum (vtpote
Velleris aurei Equitum) fieri offerunt postulantq;; vt promittant fidemq; dent, nihil vio-
lenti neque in ipsorum vitam aut conscientiam, neq; in Religionis Reformatæ exercitium re-
dundaturum. Hæc autem postulatione & oblatione nihil promotum, nisi quod mense Martio,
cum tormenta ad oncutiendam vrbem essent aducta, Dux Arschotanus & Comes Egmõdanus
missi fuerint, vt obsessis multa persuadeant, conditiones proponant, concionatoribus fidē
publicam commeatumque turum discedendi, præteritorumq; omnium veniam promittant:
Obsessi autem, cùm liberandæ vrbis modos rationesque prope Antverpiam alijsq; locis iniri,
percepissent, oblata recusant: proinde Norcarmius incœnia inter portam Montanam & Car-
danam viginti duobus tormentis quati iubet. Oppidani autem cùm de rebus Oosterveld &
& Antverpiæ gestis, & de vnanimi fœderatorum ferè omnium deliberatione consensuq; ab
inceptis desistendi, certo percepissent, ita vt subsidij nulla prorsus spes superesse videretur, no-
no Kalend. Iunij Norcarmio se dedunt in Regis gratiam, multis pollicitationibus blande qui-
dem datis, minimè autem seruatis. Norcarmius enim in oppidum ingressus, portas milite mu-
nit, potentissimos ditissimosque, vtpote Michaelem Herlinum patrem & filium, alios que plu-
res capite truncari, præterea duos concionatores, Guidonem Bresseum & Peregrinum Gan-
greum cum aliis multis suspendi iubet: itaque diuersis vicibus ducenti & amplius oppidani ca-
pite fuere multati.

Valencenenſes ſe dedunt.

Norcarmius, Fano Amandi antè occupato, milites suos Cameracesium mittit, quòd Reli-
gionis propugnatores potissimum eò confugerent, multis in ipso itinere interceptis: inter alios
autem captus Philippus concionator, qui manu primùm amputata, pòst suspendio cum pluri-
bus alijs punitur.

Proceres Belgij nouum iuſiurandum.

Gubernatrix iam rerum ferè potita, Proceres aurei Velleris, reliquosque Prouinciarum Gu-
bernatores alia iurisiurādi formula Catholicæ Romanæ Religionis obseruationem iurare ius-
serat: maximè autem Procerum parti persuadebatur, quod & ipsi alijs prouincijs, ciuitatibus,
& viris Nobilibus similiter persuadebant) Regem, postquam summâ Gubernatricis sapientiâ
Belgium pacatum tranquillitatiq; restitutum audierit, iram remissurum, & exercitum maxi-
mum potentissimumque, quem in Belgas mittendum colligebat, dimissurum: imò exercitum,
etiamsi in ipsos vsque fines Belgij veniſſet, Gubernatricis mandato & auctoritate reuocatum
iri: neque aliùm aliquem duri ac periculosi sui laboris fructibus frui passuram: modos præterea
& rationes satis in promptu esse, quibus extranei, concordibus conciliatisque iam regionibus,
excludantur.

Proceres perſuaſionibus falluntur, aliiſq; fallunt.

His persuasionibus inducti Proceres cum ciuitatibus conciones vbiq; prohibent, ita vt tan-
dem mense Martio & Aprili, in Hollandia, Zelandia, Frisia, Brabantia, Flandria & VValonia,
Reformatorum exercitia omnia fuerint inhibita, Catholicorum templa restaurata, & prætiosè
imaginibus arisque ornata, Reformatorum autem noua templa diruta, & ex eorundem mate-
riis trabibusque patibula constructa, ijsque plurimi ignominiosè affixi, tum quod imagines &
statuas confregissent deturbassentque, tum quod arma gestassent, aliaque huiusmodi deliquis-
sent:

Digitized by Google

sent:itaque hoc anno multis oppidis (licet paruis) 50.100.200.300. dirè supplicio interfecti:ijs quos(tanquam talium criminum suspectos)Latrunculator, Rubra virga vulgo dictus,& Prætor rerum capitalium, quem Drossardum vocant,ruri & in agris apprehenderant, infelicibusque arboribus suspenderant,non numeratis. *Anno 1568.*

Principio Aprilis Antverpienses, vbi Gubernatricis negotia succedere. sua autem omni auxilio destitui vident,oratores Bruxellas mittunt,qui conditiones æquas miteſque postulant. Itaque 7. Idus April. decernitur, Vt reformatorum conciones prorsus cessent: Catholici Concionatores in integrum restituantur: templa reparentur: prima edicta obseruentur:nemo ob acta præterita, morte aut facultatibus multetur, donec Rex Statuum consilio decreto; aliter statuat:exceptis omnibus læsæ Maiest. Iconomachię,rebellionis,aliorumq; id genus criminum reis:pollicetur nihilominus Gubernatrix se in horum quoque gratiam literis ad Regem scriptis præstituram, vt omnibus simul venia detur, & omnis animaduersio punitioq; remittatur: donec Rex sententiam plenè definiat concludatq;. Ipsis autem Idibus Aprilis, Antverpienses prædictis conditionibus consentiunt, & permittunt vt Gubernatrix, quantocunque militum numero velit comitata in vrbem veniat.His tandem pactis, ratis, confirmatisque,cessant conciones:post hæc Concionatores Caluinistæ & Confessionistæ Curiam ingressi,Senatui Magistratuique valedicunt, præmonentq; ingratitudinis pœnam cœlitus ipsos,vtpote verbi diuini euangelijq; exterminatores manere: itaque 4.Id.April. cum primarijs,consistorijs,maximoque ciuium numero Antverpia vrbe discedunt. *Iesuitæ cum Gubernatrice. Cœci manent in suis errorib.*

Protestantium Germaniæ Principum nomine, vt Confessio Augustana permaneat,conciones exercitiaq; sua hic retineat,postulatum. Respondet Gubernatrix,id non in sua,sed in Regis potestate situm. Post Concionatorum discessum, statim noua templa sigillis oblignantur: Catholicorum verò, maiore quàm antea splendore atque magnificentia ornantur, & consecrantur.

Auraicus Princeps postquam circa Aprilis initium Hellegatæ cum Proceribus aliquot Belgicis vlterius consultasset,& tam Nobiliù quorundam,quàm vulgi inconstantiam leuitaemque exactius perspexisset,temporis iniquitati cedere statuit: itaque Antverpia Brædam profiscitur 3. Id. Aprilis:eo descendente, aliquot hominum cuiusuis status millia, paulo ante & postabeunt, tempestatem imminentem præsagientes: ipse autem eodem mente,rebus suis familiaribus dispositis procuratisque, quæcunque potest secum ferens Bredâ Germaniam petit,& in Comitatum suum Nassouium proficiscitur,tam verbis quam re ipsa,omnibus sibi addictis abitum cõsulens,futuraque præmonens. Filium verò natu maximum Philippum Nassouium, Buranum Comitem, in Academia Louaniensi relinquit, existimans confidensque eum iuuenili ætate,hæreditaria prosapia Maximiliani Egmondani veteris Comitis Burani, priuilegijs Ducatus Brabantiæ,& Academiæ Louaniensis ab ipso summo Pontifice confirmatis, hic satis tutum, munitum,conseruatumque: sed hæc eum spes confidentiaque fefellit.Dux enim Albanus eodem anno 4. Id. Sept. inuitis tutoribus testato proclamantibus,repugnantibus etiam Ducatus Brabantiæ & Academiæ Louaniensis priuilegijs, adolescentem quindecim fere annos natum,summi honoris prætextu, ad Regem in Hispaniam mittit,vbi & plurimum,custodia satis quidem liberali,asseruatur:vnde non facilè euasurum apparet,maximè quod anno 1584.pater mandato proscriptionis Regiæ sclopo traiectus è vita discesserit. *Princeps Auraicus Antverpia Bredam discedit.*

Gubernatrix 7. Calend. Maij Comitem Mansfeldium Carolum iuniorem, Antverpiam mittit: is summo manè cum sedecim militaribus Gallorum signis vrbem impetuosè, hostili ferè more, intrat: sclopis enim paratis instructi, oraque glandibus plumbeis referta habebant milites, quasi resistentium repugnantiumque vim promptissimè oppugnaturi:secundo autem ab hoc die ipsa Gubernatrix cum quingentis equitibus ingreditur,Catholicam Romanam Religionem ocyus promouet, cæremonias rursus instituit,supplicationes publicas sua Procerum que aurei Velleris præsentia decorat:multos capi,multos turbarum causa suspendi iubet:vetera placita decretaq; renouat: pueros rebaptizari,tépla Reformatorum aptissimis structuris magnifica,dirui, ciuium quoque arma singulis ædibus annotari, indiceque conscribi imperat. *Gubernatrix Antverpiam venit.*

Interea fœderati quidam Nobiles cum Domino Brederodio militum numerum collectum, non longè à Viana & vltraiecto detinent: ipse Brederodius, Vianam propriam suam vrbem ante munitam,sociorum communi consilio derelinquit,prædictoque agmine Comites Meganum & Arenbergium, qui huc suas copias deduxerant, ita infestat diuexatque, vt interea profugis ex omnibus Belgarum regionibus & ciuitatibus abeundi locus tempusque fuerit. Deinde Brederodius Amsterdamum venit: eò Gubernatrix Secretarium Torreum mittit, qui Brederodio iniungat, Regis vrbe cum suis fœderatis exeat. Torreus autem adeò benignè hic excipitur, vt suæ saluti consulens se statim subduxerit. Postea autem Brederodius Nobilibus fœderatis valere iussis, militibusque dimissis, cum familia & suppellectile, nauim conscendit, Emdamque petit: inde in superiorem Germaniam profectus, e vita migrat, eius relicta vidua

ex Co-

An. 1567. ex Comitum Meurſiorum familia: Comiti Palatino, Principi Electori nubit.

Milites Nobilium fœderatorum numero circiter quinque millia, ſtrenui bellator es, iam exauctorati dimiſiq́ue, Monaſterium Egmondanum, aliaq́ue loca deprædantur, Megano eos quouis locorum hoſtiliter perſequente, non ſine ſuo magno malo: tandem maxima eorum pars Rheno Traiecto in Cluiam veniunt, alij aliò nauigijs tendunt: præcipui quidam belli Duces nobileſq́ue, dum, dimiſſo exercitu, ſinum Germanici maris inter Friſiam & Hollandiam traijciunt, ab ipſomet nauta perfido produntur atque in puluino arenaq; nauigio acto oppugnantur & à Mulardo militiæ Comitis Arenbergij præfecto rapiuntur, actertio Non. Maij Harlingæ in Friſia carceri includuntur: inter hos fuere duo Domini Batenburgij fratres, duo etiam Nobiles Friſij Hermannus Galama & Sieurtius Beyma, alijq́ue nonnulli, quorum ſeptem Viluordam vecti, alij alijs locis, Gubernatricis iuſſu, morte multati.

Ita Gubernatrix vbique locorum victoria potitur, cùm iam aduerſæ parti nulla reſiſtendi ſupereſſet facultas, & non tantum ipſi Nobiles fœderati, ſed & aliorum præſtantium diuitumque hominum multa millia verè Geuſij, hoc eſt mendici, exules extorreſq́ue patria redderentur: plurimi qui natale ſolum non reliquerant, carceribus, ſuſpendio, alijſq́ue pœnis afficerentur: alij in ſummo metu & angore, grauiq́ue paupertate ſpiritum ducerent, vt ſequenti Hiſtoriæ contextu declarabitur. Talia ſunt Dei iudicia ſuppliciaq;, & quidem bona.

ARGVMENTVM. Lib. III.

CVM Rex Hiſpaniæ apud ſe ſtatuiſſet Belgarum Prouincias extremis ſupplicijs afficere, Ducem Albanum cum exercitu eo abiegat, qui armatus Belgium intrans, omnia pacata repperit, mox Prouincias & incolas omnes grauiter capit affligere, allegans eos excidiſſe omnium ſummo iure Priuilegiorum, vitæ & bonorum, nouum concilium & leges contra Prouinciarum conſuetudines, item Inquiſitionem & nouos Epiſcopos introducens, arces etiam paſſim edificat. Gubernatrix Parmenſis è Belgio diſcedit. Rex Hiſpan. vnicum ſuum filium in carcerem conijcit vbi & moritur. Exules Belgæ ſub ductu Principis Auraici expeditionem ſuſcipiunt contra Ducem Albanum. Ludouicus Naſſouius Arenbergium in Friſia interficit. Hinc Egmondæ & Hornæ Comites cum alijs Nobilibus capite plectuntur. Albanus contra Ludouicum copias ducens eum ad Gemmingam cædit. Inde pergens contra Auraicum, eum rerum penuria laborantem Belgio pellit. Qui in Galliam ſe recepit vbi tum ad Montcontour pugnatum. Pecuniæ Regis Philippi in Anglia manus eſt iniecta, ex quo magna vtrinque turba ortæ & damna illata. Regina Angliæ à Papa excommunicatur. Imperator pro Belgis apud Regem intercedit fruſtra. Mauri ab Hiſpanis magna clade afficiuntur. Publicatur ſubdola à Rege delictorum venia. Rex ducit Annam Auſtriacam. Magnæ inundationes per Belgium. Exules Belgæ mari ſe committunt: pugna naualis, & victoria contra Turcas. Albanus ponit ſibi Statuam. Hæc ſpatio 4. annorum ſub Duce Albano.

LIBER TERTIVS.

Legati Belgarum Marchio Bergenſis & Baro Montigniaci.

BELGICAS turbas earumq́ue occaſiones, à Gubernatrice Duciſſa Parmenſi, ſedatas ſopitasq́ue (vt quidem videbatur) præcedenti libro recenſuimus: nunc quid apud Hiſpaniarum Regem (quem acta factaq́ue omnia, in peiorem plerunque partem delata nunciata q;, ſummopere exacerbabant) ſit ſtatutum, declarabimus. Marchio Bergenſis, & Baro Montignius Hornani frater (in quibus duobus omnem ſpem collocarant Belgæ) ad Regis animum mitigandum miſi, poſtquam in Hiſpaniam venêre, vt cauſam ſuã diceret in aulam non ſunt admiſi, diſſimulanter autem blandeq́ue excepti, donec omnia in Belgio eſſent pacata: tunc tandé & ipſi Regem iratum ſentiunt: vnde Marchio mœrore ac tædio cõfectus vita diſceſſit, non ſine ſuſpicione veneni, 11. Cal. Iunij, 1567. poſtquam Gubernatricem omnia in Belgio ſuperaſſe nunciatum eſſet. Fuit hic Marchio vir prudens, ingenioſus, ſtrenuus: ſpes autem opinioq́; bona, quam de ſuo Rege Dominoq́; conceperat, ei immaturam hanc mortem accelerauit: obijt nulla prole relicta. Eius bona Regio fiſco fuere addicta: verùm filia Domini Peter-

Marchio Bergenſis vitæ.

FERDINANDVS ALVARES TOLETANVS DVX ALVÆ. MARCHIO CORDIÆ. SALVATERRÆ.
PHIL. II. REGIS HISPAN. PROVIN. GVBERNAT. EIVSQ. EXERCITVS CAPIT. GENER.

Digitized by Google

An. 1567. Peterschemij, vnica suæ sororis filia, postmodum Domino Berzelio nupta, tandem (cum ditionibus & pactis Pacificationis Gandensis quisque in integrum restitueretur) hæreditate potita est. Montignius etiam in carcerem conijcitur, & cum alijs capite truncatur. Fuit is quoque vir egregiè cordatus & acer: reliquit ex vxore nuperrimè ducta, Principis Antoingij filia, filiolam vnicam, cuius etiam bona confiscata. Non his duobus viris principibus Catholicæ religionis obseruatio, non amicorum preces aut patrocinia, non ipsius Marchionis Bergensis edicta quibus Reformatorum insantes rebaptizari in suis ditionibus volebat, non alia opera Catholica: non denique ipsius Regiæ sponsæ (Imperatoris Maximiliani filiæ) promissæ deprecationes Baroni Montignio prosuerunt, imò ocyssimè nuntio de promissa intercessione in Hispania accepto, mors, ante sponsæ aduentum, fuit festinata.

Montignius capite truncatur.

Rex de statu Belgico consultat. Regem de Belgicarum rerum statu sæpius Madrilij & Segobiæ consultantem, inueterati Belgarum hostes ad vindictam acriter instigant, cum honores & opes inhonori & inopes plurimi his regionibus affatim se adepturos sperarent: hac auaritiæ & ambitionis peste Regis etiam Consiliarijs infectis, inter quos Granuellanus nominatim recensetur, qui vndique præuaricationis ac delicti Belgarum occasiones captabant, vt saltem prætextu legitimo retrenari, iustaque ratione in nouum regnum vi armisque partum redigi, atque alijs nouis legibus gubernari ac domari possit Belgium: secus enim inferiores Germaniæ regiones, vndique Lutheranis & hæreticis vicinas, in Catholica Romana Religione contineri nequaquam posse affirmabant: huc quoque patres sanctæ Inquisitionis vnanimo nisu tendebant. Sunt qui scribant assueuerentque, prædictorum machinatione ac instinctu primò omnium apud Flandros Occidentales statuas imagines que confractas, & inde vlterius iconomachiam grassatam: tale enim quiddam multò antè patratum fuerat prope vrbem Antverpiensem, ingenti statua Crucifixi in loco carnificinæ, quam patibulorum campum vocant, diruta, quod Cardinale Granuellano auctore factum fuisse ferebatur. Id imprimis mirandum, quod à tot iconomachis variè excruciatis excarnificatisque, veritas extorqueri non potuerit, se Geusiorum cohortationibus ad id incitatos vnquam fuisse.

Rex in Belgium proficisci statuit. Rex summopere commotus ac iratus, hac demum occasione suæ vtilitati consulere, Belgas prorsus subiugare, ignominiam sibi illatam sua præsentia vlcisci, atque in Belgium cum filio Carolo & Regina vxore proficisci animo proponit, idq; Gubernatrici scribit eamque interim probè suo officio fungi monet. Hoc allato nuntio, naues quædam bellicæ ocyus in Zelandia instruuntur, quibus Dominus Cattemij, V Vackenæ & Capellæ, exspectato Regi, ad Occidentalia vsque Angliæ confinia obuiam tendit. Verum Rex, nonnullis professionem dissuadentibus, sententiam mutat: ne enim regiones totis viribus resistat aduenienti, metuunt: insuper eum natura nimis clementem, inclementiam quoque præsentem Regem dedecere, causantur: Alij, clementiane an inclementia turbæ sint componendæ, deliberandum proponunt. Clementia quidem moderata vtendum censent (vt etiam Michael Aitzingerus affirmat) Ringomes, Francisci Regi à Confessionibus, & Dux seriæ: imò Ringomes ipse præsentem se omne Belgium pacaturum addicit: Dux vero Albanus, Generalis Sanctæ Inquisitionis, Spinosa, & Cardinalis Granuellanus, ad Catholicam Romanam Religionem, & Regiam auctoritatem cõseruandam, meramque obedientiam obtinendam, Belgas necessariò subiugandos, acerrimeq; puniendos, vt toti orbi sint exemplo, asserunt: & Ducem seriæ in hanc sententiam tandem pertrahunt:

Regis seuere Decreti cuius executione Albanum deligit. Rex itaq; horum seuerius iudicium approbat: Ducem Albanum exequutioni deligit, vtpote tali negotio imprimis idoneum, militiæ expertem, Belgici populi morum, regionisque totius situs non ignarum.

Ringomes autem, quod Albanum extra Hispaniam mitti: & grauissimis negotijs intricari maximè cuperet, facile hac in re cõsentit. Verùm Carolo Hispaniarum Principi decretum hoc maximè displicuit: quandoquidem se in Belgicas regiones missum iri, aut cum Rege patre eo profecturum, quod à teneris annis semper affectarat, summopere sperabat.

Regis decretum displicit Carolo Principi. Ad hanc expeditionem, tanquam ad sacrum bellum, diligenti Hispanicę Inquisitionis & Ecclesiastici gregis opera, plurimæ contributiones, variaq; subsidia Regi sunt oblata: literæ festinanter ad Gubernatores Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, & Mediolani datæ, quibus omnia Hispanorum vetera præsidia in Lombardiam mitti, vt Duce Albano in Italiam veniente, inde in Belgium contendant, mandatur: Ipse autem Albanus cum Hispanorum Nobilium & stipendiariorum militum maximo numero, duobus filijs Frederico & Ferrando à Toledo comitantibus, Barcelonæ nauim conscendit, & triremibus aliquot Genuam Italiæ vrbem appellit mense Maio, anno 1567: hic tertiana febri corripitur. Inde Sabaudiam, Astamque petit valetudinarius: nec longe hinc exercitum recensет, peditum Hispanorum præcipuæ veteranorum millia nouem, Sabaudiorum & Italorum millia septem: leuis armaturæ equitum mille, quibus grauis armaturæ iunctus ingens numerus: præterea gregariorum voluntariorum quæ militum, & præmiatorum siue liberorum prædonum ingentes catervæ: insuper agmina magna meretricum,

Apparatus bellicus Albani.

signis

signis militaribus distincta: non sine miro ordinum generumq; delectu; vtpote Nobilium, præfectorum militiæ, stipendiariorum diuitum & pauperum, idque noua quadam militari disciplina: quod quidem Albano Duci summæ laudi datum. Imperator exercitus ipse Albanus secundus ab eo Chappinus Vitellius Marchio Cetonæ armamentarij tormentorumq; Præfectus Gabriel Cerbellioneus: aggerum vallorumq; architectus Pachiottus cum alijs. An. 1567.

Albanus in Sabaudia in Iulij vsque mensis initium moratur, quod Gubernatrix Ducissa Parmensis literis è Belgio ad Regem missis significasset, omnia pacata sedataq; facinorosos multos, captos, fugatos, vrbes præcipuas præsidijs munitas: metuendumq; ne Hispanorum aduentus in Belgium nonnihil excitet: istis enim promissis de Hispano milite non venturo, de reuocando Albano, alijsq; id genus persuasionibus, Belgæ tam Nobiles quàm alij Catholici, fidem animumq; prorsus adhibuerãt. Et procul dubio nisi Nobilibus & Ciuitatibus Gubernatrix huiusmodi multa persuasisset, nunquam tam facilè turbas sedari potuisse plurimorum est opinio: multis enim modis aditum Hispanis præclusissent: existimabant autem, Regem suæ sororis honore atque mercede, summo periculo & labore partis, nequaquam alium frui permissurum: neque Gubernatricem huiusmodi ignominiam & contumeliam suæ Celsitudini & auctoritati inferri, vnquam passuram. Verum aliter Regi visum fuit: qui Albano, vt vlterius proficiscatur, mandat: & hinc quidem opinio (plurimis nequaquam credita) confirmata fuit, occasionem scilicet in Belgio datam, commode arripiendam, vt regiones tanquam nouiter deuictæ ac vi superatæ occupentur, atque pro Regis arbitrio regantur: quandoquidem pœnis iam illatis vlteriusque inferendis, ac rebus omnibus sedatis, nondum Regi satisfactum sit. Itaque Albanus pergit, & septem à Geneua miliaribus iter facit: Geneuentibus oppugnationem metuentibus: verum, quod militum copijs & Heluetiorum amicitia atque fauore munita esset ciuitas, eam nequaquam aggressus est. Inde per Burgundiam & Lotharingiam, Lutzenburgum venit: huc ei veniunt auxilio Ladronius, Ouersteynius & Schovvenbergius Comites, suis Germanorum peditum & equitum copijs instructi. Belgæ Nobiles Lutzenburgum vsque, eum salutandi causa, obuiam profecti, inter alios autem Egmondanus quem Albanus non adeò procul aspiciens, clara voce compellat: *En magnum hæreticum*: quo quidem sermone Egmondanus perculsus, propius accedit: & cum duobus modis interpretari potuerit, in meliorem partem dictum accepit: itaque alter alteri, mutuo amplexu, aulico more aduentum gratulantur. Hinc omnibus suis copijs stipatus Bruxellam venit 11. Calendas Septembris, anno 1567.

Gubernatrix, literis ad Regem missis, Albanum reuocari in Hispaniam cupit.

Albanus in Belgium aduenit.

Bruxellæ à Gubernatrice magnificè accipitur Albanus, quæ eam probè instruit, modosque docet quibus regiones in pace ac quiete seruari queant: Principem Auraicum alios que Nobiles profugos, Regi deuotos, eiusque obsequio, seruitio ac voluntati addictos, procul dubio fideles permansuros, si clementer beneuoleque cùm eis agatur: hac demum ratione armis facilè abstineri posse ostendit. Verum Albanus mala omnia Gubernatricis lenitate ac indulgentia prouenisse reputans, alias gubernandi vias animo versat: Gubernatrici & Statuum omnium Ordinibus mandata sibi à Rege data exponit, non tamen omnia simul: quæ quidem mandatorum authoritas maior ampliorque, quam Gubernatricis, fuit: vtpote omnes prouinciarum & Ciuitatum Rectores atque officiorum præfectos pro animi arbitrio instituendi destituendique: præterea omnium munitionum, arcium & militiarum generales præfecturas disponendi: summum insuper ius imperiumque in Consilia Status, Secreti & Finantiarum administrandi. Hæc autem mandata typis imprimi euulgarique, vt omnibus palam fiant procurat.

Albanus Bruxellam venit

Albani potestas in Belgio & quid agat.

Gubernatrix Parmensis patrasse discessum.

Postquam Gubernatrix Ducissa Parmensis ista videt, iamque Albanum Ducem sibi omnem auctoritatem assumere, aliaque via ingredi velle animaduertit, maximè cum aula ei relicta, palatium Culenburgicum sibi in Curiam, aulico Comitatu, palatinisque officijs sectantibus, elegisset, suam operam non amplius requiri reputans, ad Regem mittit, copiamque in Italiam redeundi petit.

Albanus gubernaculis potitus, copias suas militares circa se manere iubet in proximis vrbibus: vtpote Bruxellæ Legionem Longobardicam, Gandaui Neapolitanam Hispanis militibus instructam, Antverpiæ Ladronicam: ciuibus vbique portarum claues adimit: quam quidem ob causam Gandenses ausi fuere libello exhibito per Comitem Egmondanum de iniuria conquæri: vnde commotus Albanus, se, quidquid in Regis seruitium commodumq; sibi consultissimum fuerit visum, audacter facturum respondet.

Præterea simulatque se confirmatum in imperio videt, loco moderationis placitorum ad Nobilium & prouinciarum supplices libellos vetera placita & inquisitionem objcit, iterum instituit, ratamque haberi vult: loco Synodi generalis Statuum, duodecim-virale Consilium decernit, cui plena potestas de omnibus quæ ad præteritas turbas aliquo modo spectabant, iudicandi data, vnde & Consilium sanguinis & Consilium Turbarum appellatum duodecim virorum conflatum ex intraneis, permistis etiam extraenis

Consilium sanguinis siue Turbarum institutum Albanus.

An. 1567. & principio quidem Proceres quidam Belgæ, scilicet Arenbergius & Barlemontius, nominath verùm hi non comparuerunt. Præcipui autem fuere Licentiatus Ioannes Bargas siue Vargas, Doctor Ludouicus del Rio, Fiscalis Burgundiæ, Aduocatus Fiscalis Ioannes de la Porta, Consiliarius Iacobus Hesselt, Biezius Aduocatus Fiscalis Mechlinienſis, Boyſius Procurator Generalis, alijq; huius farinæ plures: quorum præſes Licentiatus Vargas ob inceſtum, atq; vim pupillæ ſuæ conſanguineæ, vt fertur, illatam, Hiſpania exulabat: homo inprimis crudelis, immanis, auarus atq; ſanguinarius. Duodecim virorum autem nonnulli crudelitate atrocitateq; dira cómoti, officio exonerari cupiunt, nonnulli etiã pudore auocatitiita vt conſilium duodecim-virale, poſt quinq;, quatuor, imò trium virale ſolùmodo tantũ ſit factum, vt liquido ex ſententijs iudicijſq; latis pateat: quandoquidem capitalis ſententia in cauſa Domini Antonij Stralij dicta, tantumodo à Præſide Vargas, Doctore Ludouico del Rio, & Secretario Iacobo de la Torre ſubſignata fuit.

Hoc Conſilio, Prouincialibus Regionum Belgicarum Conſilijs omnis authoritas & poteſtas, ipſis etiam ſubditis & incolis omnes conſtitutiones, iuriſdictiones, retortitiones (contra patriæ priuilegia) prorſus fuerunt ademptæ: mandato ad omnes Senatus Iudices; dato, ne cognitionem aut iudicium de turbis poſtremo perpetratis ſibi arrogent, exerceant ve: ſed Conſilia ſuprema inſinuaque in hoc iudicio conſilioque ſiſtant: ita vt huius ſanguinarij Conſilij iudices, per omnia, atq; in omnes, tam nobiles quàm plebeios, tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares poteſtatem habuerint.

Hæc Conſilij ſanguinis Curia, certos quoſdam articulos (tanquam fundamenta) authoritate propria ſtatuit, coldemque omnes Criminis læſæ Maieſtatis nomine comprehendit, pœna capitis & fortunarum reis conſtitura: & hi quidem adeò latè diducti acceptique, vt nemo terè liber aut immunis eſſe poſſit: fuere autem numero octodecim, quorum præcipuos hic recenſebimus.

Omnes ſupplices libellos Ordinibus aut Ciuitatibus oblatos, nouorum Epiſcoporum inſtitutioni aut Inquiſitioni contrarios, vel placitorum moderationem poſtulantes, meras eſſe contra Deum & Regem coniurationes.

Huius criminis ſiue facinoris reos eſſe Nobiles illos qui ſupplices libellos contra Inquiſitionem & placita obtuliſſent pariterq; omnes qui eoſdem laudaſſent aut approbaſſent.

Præterea omnes Proceres Nobiles, Magiſtratus tã prouinciales quàm ſubalternos, & ſubſtitutos, qui nouas conciones, neceſſitatis temporis prætextu, permiſiſſent, aut in ijs conniuiſſent.

Similiter omnes Proceres Nobiles, Iudices, Magiſtratus, & alios cuiuſcunq; conditionis, qui primo Nobilium ſupplici libello, concionibus, iconomachię, alijſq; non reſtiſtiſſent, verum aut conniuentes, aut viſu attoniti toleraſſent.

Inſuper etiam omnes qui pertinaciter aſſeuerant, Belgas Regis ſubditos, cauſa rebellionis (cuius pauci admodum immunes, cum neq; debita officia pro ratione obedientiæ erga Deum, neq; iurata præſtiterint) veteribus immunitatibus, priuilegijs ac iure nequaquam cecidiſſe: Regigi; liberum non eſſe, hac de cauſa, eos poſthac, vt res poſtulabit, tractare, ne talia futuris committantur temporibus: neq; Regem hac ratione, iuramento, promiſſo, venia, remiſſione alijſq; obligationibus & pactis abſolui.

Illos etiam, qui hanc Curiam in ſuis iudicijs tyrannidem exercere, neque ſupremos & competentes in rebus tam criminalibus quam ciuilibus iudices æſtimarent: cùm vetera priuilegia & patrię conſuetudines, nihil aliud quàm meræ corruptelæ, praui abuſus, omnium q; malorum origo fuerint.

Omnes etiam qui negent, hominem priuatum, nullíq; publico muneri præfectum, tempore rebelli, ob prædictæ rebellionis cauſas, hæreticos, eorum proles & fautores, vbicunque locorum, tam extra quam intra vrbes, occidere & è medio tollere liberè poſſe.

Tum etiam eis, qui in cauſa hæreſeos, quibuſlibet delatoribus cuiuſcunque ſtatus aut conditionis non eſſe credendum, aut duorum teſtimonio, non poſſe procedi ad exequutionem & confiſcationem vitæ atque facultatum, indicta cauſa, nullaq; præcedente litis formula, audacter confirment, &c.

Huiuſmodi articuli numero octodecim Antverpiæ in Curia Præſidentis Vergas inuenti, typis editi ſunt: qui ne Lectori fortè abſurdi videantur, ipſius Hiſpanicæ Inquiſitionis de ijs deliberationem, ac Regis ſententiam hic breuiter referemus.

Hiſpanice Inquiſitionis iudicium, ſeuerias, de Belgarum rebus.

Senatus ſacroſanctæ ac benedictę Inquiſitionis, à Regia Maieſtate, de Belgarum abominanda defectione, apoſtatia atq; hæreſi deliberare, iudicare, ac ſententiã pronũciare poſtulatus, Regis informatione ſiue quęſtione de ipſis actis perſpecta ſeduloq; examinata: literis etiã & argumẽtis authẽticis, fideq; dignis, informationi adiũctis, à ſacrosãcte Inquiſitionis adminiſtratorib.

ex Belgio fideliter transmissis, attentè perlectis, dicit statuitque circa ea, quæ ad Theologicam professionem & conscientiam attinent: Omnes & singulos Belgij subditos, totumque Belgicarum regionum corpus (exceptis tantummodo in informatione distinctè notatis) tam manifestos apostatas, hæreticos, & desertores, à Deo, Sancta Ecclesia, & Regis obedientia alienatos, quàm reliquos qui se Catholicos simulantes, suo officio ipsi Deo, & Regiæ Maiestati (ratione Catholicæ Religionis & iuritiurandi præstiti) debito, in resistendis omni conatu publicis apostatis, hæreticis, & seditiosis (quod quidem ipsis principio facillimum fuisset) non sunt functi: sed contrà prorsus cessarunt, atque à tam pia & sancta intercessione & prohibitione abstinuerunt: hos, inquam, omnes, pro eorundem manifestorum Apostatarum, hæreticorum, & seditiosorum fautoribus & socijs esse habendos: Præterea Nobiles, qui subditorum nomine libellos supplices & demonstrationes contra sacrosanctam Inquisitionem exhiberunt, atque Hæreticos, apostatas & seditiosos subdole incitarunt insti gauntque, eo facto suppremum crimen læsæ Maiestatis supplicium incurrisse. Ita pronuntiatum statutumque in ciuitate Madrilij 16. Febr. anno 1568. An. 1567.

Regia Maiestas, visa informatione, suo mandato, de abominandis suorum in Belgio subditorum defectionibus, apostatijs, hæresibus ac seditionibus habita, visis etiam omnibus fide dignis argumentis, cum Senatus sacrosanctæ Inquititionis deliberatione, grauissimis eiusdem rationibus adiunctis vt iuris iustitiæque sacra peragat, Regali sua ac plena potestate in hoc negotio vtens: EDICIT decernitque, omnes & singulos sibi in Belgio subditos, totumque Belgicarum regionum corpus, (exceptis tantum in informatione siue quæstione notatis, quorum nomina suo loco & tempore in Belgio edentur) ob manifestas apostasias, hæreses, & defectiones à Deo, & à sancta matre Ecclesia, Catholicorum eius præceptorum neglectu (& alias ob causas) Omnes quoq; qui se Catholicos fingunt simulantesq;, & Deo, Regiæq; Maiestati, ratione Catholicæ Religionis, & præstiti iuritiurandi, obligati fuerunt: tamen in resistendis omni conatu vniuersalibus & publicis apostatis, hæreticis & seditiosis atq; in impedimentis ac prohibendis huiusmodi scelerosis & impijs facinoribus, quod primò factu procliue fuit, sed alio operam non dederunt, imò hæc impedimenta non modo omiserunt, sed & inde voluptatem ceperunt, & proinde merito & iure fautores auctoresq; eiusdem sceleris habendos. *Regis sententia de Belgicis turbis.*

Omnes etiam, qui Nobilium & subditorum nomine, libellis supplicibus & demonstrationibus contra sacrosanctam Inquisitionem exhibitis, apostatas & hæreticos specie quadam virtutis animarunt insti garunteq;, abominandum crimen læsæ Maiestatis simul iucurrisse.

Omnes hos, absq; vllo sexus ætatisve delectu, mulcta ac pœna huiusmodi sontibus lege vult impolita damnari, statuitque sua Maiestas: imprimis leuerà hac duraq; sententia futuræ ætati exemplum dare, omniq; posteritati metum incutere contendens: proinde huius sententiæ mulctâ pœnamq;, sine aliqua gratiæ aut dissimulationis spe, irrogari mandat: eo ordine & modo, quo ad temporis & loci rationem, Iudici fiscali in Belgio mandabitur. Ita iudicatum in ciuitate Madrilij, 6. Febr. 1568.

Consilium istud sanguinis, his quas diximus rationibus instítutum, atque institutionum auctoritatibus comprobatum, suas paulatim vires exercere cœpit.

Dux Albanus, pulchro de rebus publicis, vtpote de præsidijs collocandis, arcibusque in vrbium & Regionum securitatem ædificandis, deliberandi prætextu, omnes Status Consiliarios in consilium conuocat, quinto Id. Septembr. Erat autem Curia, palatium nempe Culenburgicum, interea dum Proceres consultabant, militibus circumseptum. Consilio dimisso, confestim Comitem Egmondanum abire meditantem, gladium armaque deponere, & in carcerem deduci Regio nomine imperat: quod quidem ægre difficulterque passus Egmondanus: Comes etiã Hornanus alio cœnaculo exiens apprehenditur: vterq; custodijs Hispanicis traditur. Capti quoq; cum Consiliarijs D. Bacherselæ, & Secretarius Hornani, plurefij; alij; Secretarius Egmõdanus, Ioannes Casenbrodius. Comes Carolus, Mansfeldius militũ Galloru Antverpiæ antea præsidiariorum tribunus in ipsa Curia tunc præsens, oc yus, patre innuente, discedit cum multis alijs, qui supplicem libellum simul obtulerant. Comes etiam Hoochstratanus, Egmondani & Mansfeldij, qui Hornanum eò illexerant, verbis inductus, Bruxellam tendebat, verum vulnere præpeditus non venit. Circa id quoq; tempus D. Antonius Stralius Consul Antverpiensis capitur cum alijs aliquot minoris auctoritatis viris, quorum bona omnia statim annotantur. *Egmondanus & Hornanus comites capiuntur.* *Stralius Cõsul Antverpiensis capitur.*

Hinc rursus tremor terrorque vniuersis, tam Nobilibus quàm plebeis, quorum magna pars fugam capiunt, ita vt Germania, Oostlandia, Cliuia, Emda, Francia, Anglia, Belgis repleantur. *Fuga Belgarũ calamitosa.*

Nec tantam hominũ multitudinem fugasse satis erat: implebátur captiuis omnes carceres, to to Belgio, huius maxime rei causa firmati, reparati, ac recens construct: iquandoquidem in ipsis regionum limitibus & in Flandria Occidentali, captiui plurimi, carceribus effractis, arte & vi erepti liberatiq; fuere.

Digitized by Google

An. 1567. Albanus memorato consilio probè instructus, simulatque imperium omne Viarmata tenet possidetque, multos tam Ducissa Parmensi gubernante, quàm recens captos, quorum maximis vbiq; tunc numerus, supplicio affici iubet, ita vt non tantum publica patibula omnia, sed & in vijs arbores plurimæ passim suspendiosis fuerint oneratæ.

Comites Egmondanum & Hornanum in arcem Gandensem deuehi imperat: neque id antè quàm Egmondano præcepisset, vt epistola ad suum Legatum eius loci præfectum scripta, arx in Hispanorum potestatem traderetur: Reliqui Nobiles Viluordæ & Bruxellæ carceribus maxime inclusi.

Arx Antuerpiæ construitur.

In vrbe Antuerpiensi, in vico Kilio ad Schaldim, meridiem versus, arcem construit, fundamentis sexto Kalendas Nouembris iactis: vrbem ipsam ex oppositio arcis peruiam apertamque, mœnibus dirutis, fossisque repletis, reddit: demolitur & Cronenburgij portam, veterem vrbis turrim: operique bis mille operarijs adhibitis, breui fortissimum maximumque lateribus coctis aliisque lapidum generibus castrum construit, & Paciotto Sabaudio machinario operisque præfecto, quinque propugnaculis aptissimè munit, quorum quatuor, nominibus *Duc, Fernando, Toledo, Alua,* quintum autem Machinarij Paciotti nomine, nuncupati. Ad castrum construendum, ciuitatem quadringenta florenorum millia dare cogit, centesimi & decimi nummi exactionibus colligenda, quæ quidem eam in prmis ob causam facilius lubentiusque persoluta, quod hac ratione vrbem prædiarijs militibus liberam fore ciues sperarent, tametsi nihilominus ad extremũ vsq; momentũ ijs assiduè grauata permanserit. Arci aliquatenus præsidium Hispanorum & Germnorũ militum sine mora imponit: ciues præfidiarijs lectos cõparare cogit: tormenta instrumentaq; bellica oppidi, eò vehi imperat: Arci primo Gabrielem Cerbellionem, pòst Sancium Auilanum è milite gregario ad summas dignitates prouectũ, præficit: præterea in vrbe Comitem Ladronium cum Germanorum militum legione collocat.

Princeps Auraicus aliique proceres in ius vocantur.

Postea 14. Calendas Ianuarij, Boysij publici regijque actoris monitu, Principem Auraicum, Comitem Ludouicum Nassouium eius fratrem, Comites Hoochstratanum, Bergensem, & Culenburgicum, Dominum Brederodium, pluresque alios in ius vocari, & coram adesse intra quatuor denos dies iubet. Horum nonnulli, inter quos Auraicus, Hoochstratanus & alij, apologijs scriptis præloquæ exculs causam suam tutantur, allegantque se neque legitimè, neque coram iudice competenti citatos, debuisse enim, vtpote aurei Velleris torquatos proceres à sodalibus fratribusque torquati ordinis equitibus iudicari: hæc pluraque alia priuilegia ciant: & se iudicio coram Imperatore, aut alijs Principibus, & competentibus legitimisque iudicibus libenter adsuturos offerunt: vt latius ex apologijs typographorum opera editis patet.

Proceres profugi. Rei læsæ Maiestatis iudicantur.

Dux Albanus, quòd vocari præsto non adessent, diffinitiua contra eos sententia agi iubet: Rei autem læsæ Maiestatis iudicantur, Regio actori omni sua actione ac petitione adiudicata: postquam autem capite & facultatibus fuere damnati, statim in omnes eorum facultates vbiq; locorum, ad Regis vsum fit exequutio.

Gubernatrix Belgij Ducissa Parmensis discedit.

Interea Gubernatrix à Rege veniam è Belgio discedendi impetrat, honorarijs regalibusque muneribus, magna scilicet pecuniæ summa & annuis aliquot reditibus decoratа: itaque in Italiam ad maritum profectura itineri se accingit: & Statibus ac regionibus scripto valedicit 5. Id. Decemb. 1567.

Scripto valedicit Regionibus.

Hoc scripto refert declaratque, se Belgij Gubernacula, Gandaui, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Consilio statuum siue Ordinum generalium præsente, accepisse, eadem quoque, tali præsente Consilio; quod alij Gubernatores atque Gubernatrices fecerunt, deponere ac relinquere posse imprimis optare: verum cum id ei pro voto contingere non possit: quandoquidẽ Rex generaliũ Statuum conuentũ, nisi se præsente conuocarò, turbulentis his tẽporib. nominatim prohibuerit, necessitate coactam nunc scripto id facere; Rogat itaq; suam operã ac sollicitudinẽ boni consulant: postremorum quidẽ duorum annorum perturbata duraq; tempora queritur: verum se diuina ope, fideliumq; plurimorum subditorum auxilio, prouincias & ciuitates ad perfectam debitamque Regi obedientiam, ante finem Aprilis postremò elapsi reduxisse, ita vt præsidia vbique fuerint collocata, neque aliud quidquam restare amplius, nisi vt insontes animaduertatur, & ordinis rerumque dispondarum ratio, vt Regi bonum commodumque videbitur, constituatur: se quoque ea de re suam sententiam satis declarasse: ac sperare, Regem omnia sic dispositurum, vt Prouinciæ breui in pristinum statum reducantur: idque vnum toto animo expetere ac optare: iterum rogans, acta omnia in bonam partem accipere velint, & ad Catholicæ Romanæ Ecclesiæ & Regis obseruantiam obedientiamque adhortans. Bruxella autem discedit tertio Calendas Ianuarij, magno Belgarum Nobilium numero comitante, Albano quoque discedentem deducente: itaque in Italiam proficiscitur.

Albanus cùm per Franciæ limites in Belgium proficisceretur, Galliæ Regi auctor fuerat, vt

fex Heluetiorum militum millia, ſuum Regnum defendendi. & Hugonotos acrius ſubiugandi causa colligeret. Hugonoti autem fortuna Geuſijs in Belgio aduerſante, ſibi timebant, maximè quod Hiſpanorum rebus proſperis, ſuis aduerſarijs vires animosque creſcere viderent: itaque ſuis rebus conſulere & hoſtem præuertere ſtatuunt: proinde prope Lutetiam trecentis aut quadringentis equitibus congregatis, Principis Condæi, Admiralij, Andeloti, Rochefocautij aliorumque autpicijs Meldas, vbi tunc Rex erat proficiſcuntur, vt ei ſupplicem libellum offerant, & coram viua voce declarent nouam contra pacis poſtremo initæ fœdera perſequutionem: quod quidem Catholici aduerſarij factum interpretabantur, vt Regem in manibus habere, & Catholicos amicos ab eo ſeparare ac tegregare poſſent: Eò tendentibus Hugonotis, Rex Meldis Lutetiam cum octingentis aut nongentis equitibus aulicis inermis, & ſex Heluetiorum millibus proficiſcens ſummo mane ſit obuiam: Condæus ſtatim cum trecentis equitib. viam interciudit, Regiſque compellandi copiam petit: Rex renuit. Ociusad altercationes & dimicationes ventum: interea verò dum Heluetij ſeſe Condæanis opponunt, Rex tranſuerſa via Lutetiam pergit. Hac velitatione vtrinque aliquot cæſi. Hinc Rege grauiter commoto, ſecundi belli ciuilis in Gallia occaſio data: ita vt acre prælium inter Lutetiam & fanum Dionyſij, quarto Idus Decembris ſit commiſſum, ibique Conſtablius Galliæ cæſus: ambigua autem fuit victoria, tametſi Rex ſexta parte militum numero fuerit potentior: poſtea iterum vires viroſque vtrinque colligunt. Dux Albanus Regi auxilio mittit Comitem Arenbergium cum mille ducentis & amplius equitibus optime inſtructis, circiter mille etiam Hiſpanis, mille quoque Belgis, præcipue ſclopetarijs, inter quos multi voluntarij, qui Albani crudelitatem metuentes huic ſe militiæ dediderant: horum ſigna militaria ſidum vtriuſque Regis fœdus pro Catholicæ Religionis conſeruatione repræſentabant. Princeps Condæus Ducem Ioannem Caſimirum ad auxiliares copias è Germania in Galliam mittendas excitarat: aduenientibus ipſe obuiam in Lotharingiam vſque tendit, ſtipendiumque non ſine magna difficultate numerat: inde ſimul vterius proſecti Carnutum obſident: cum verò vrbs iam oppugnanda eſſet, pax iterum per omnem Galliam promulgatur, 5. Non. Martij: vtrinq; magna militum pars in Belgium militatura tandem proficiſcitur.

An. 1568.

Nouum bellum in Gallia.

Comes Arenbergius ab Albano in Galliã Regi Gal. auxilio mittitur.

Anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi octaui initio, Albanus, ſanguinarij Conſilij opera, horrendum in modum per omnes Belgij Prouincias ſæuire incipit, in quoſlibet aliqua ſaltem ratione turbarum præteritarum culpæ obnoxios, concionum auditores, concionatores, eorundem hoſpites, fautores, aut quocunq; modo auxiliatores, nullo Nobilis plebeiue diſcrimine habito: præcipuè ditioribus multandis intentus, qui Bruxellam & alibi maximo numero citantur. ex vna eidemque ciuitate ſæpe quinquaginta, triginta, viginti pariter vocatis: comparentium plurima pars appreh enſi: pauci admodum impunes euadunt: eorum qui vocati præſto non adſunt, bona ſtatim fiſco Regio addicuntur: plerique ſortunæ tenuioris non vocati in ius, ſubitò in vincula conijciuntur, maximoque numero, poſt plurima tormenta capite truncantur, & ſuſpendio necantur, tam extra quam intra vrbes. Ciues potentes multiſque aureorum millibus diuites, equorumcaudis annexi, manibus poſt terga reuinctis ad patibula extra vrbes protracti.

Albani & Conſilium ſanguinarium ſæuiunt horrendum in modũ.

Intollerabilis hæc ſæuitia maiorem indies metum hominibus incuſſit, fugæque occaſionem dedit: ita vt grex quidam agreſtium vaſtorumque virorum, facultatibus, vxoribus, proliburque relictis, ſe in Occidentalis Flandriæ ſyluas abdiderint: qui è latebris prodeuntes, nocte Sacerdotes & Monachos quocunque locorum deprehenſos vt eiſcuntur ac perſequuntur. facultatibus ſpoliant, auribus naribuſque truncant: hi Geuſij agreſtes appellati, in tantum excreuere numerum, vt Albano in eos militum agmina mittere neceſſe fuerit: ſed cum parum hoc modo proficeret, paucique agreſtium deprehendi poſſent, tandem edicto contra eos promulgato, mandat parœcijs extra vrbes, vt ſuos parœcos atque Sacerdotes omni cura vigilantia ſque cuſtodiant, tueantur, incolumesque conſeruent: damna eis illata, reſque amiſſas reparent, ac in integrum reſtituant, Senatus iudicumque æſtimatione: maximè autem pro parœcorum vita & facultatibus ſpondeant, non obſtantibus priuilegijs quibuſcunque. Actum prid. Idus Ianuarij.

Geuſij agreſtes.

Edictum contra Geuſios agreſtes.

Contra profugos quoque edicto ſancitum, Omnes illos qui fugam meditarentur adornarentve, deterendos accuſandoſque: eorum bona in telonijs, itineribus, prouinciarum limitibus retinenda: eos autem qui reticeant conniueantque, profugorum crimine ſuſpectos haberi, iiſdemque pœnis multari debere: decreta etiam nauium curuumq; huiuſmodi bona vehentium confiscatio. Interdictum inſuper proſcriptos, exilio multatos, profugos, quacunque ratione hoſpitio recipere, eis pecunias deſtinare, epiſtolas ſcribere, aut ab eis ſcriptas miſſasue accipere: multaque alia his ſimilia edicto hoc comprehenſa.

Edictum contra profugos.

Conſilium etiam ſanguinarium contra Domini Culenburgij palatium Bruxellæ, vbi Albanus,

Digitized by Google

nus, donec Gubernatrix discedens ei aulam relinqueret, hospitatus fuerat, iudicat, sancitq; nullo vnquam tempore hic domum futuram: hac de causa omne ædificium funditus diruitur soloque æquatur: area lapidibus silicibusque consternitur, & in ea columna marmorea erigitur, inscriptione quadratis epistylijs quatuor linguis incisa:

Regnante Philippo II. Cath. Hisp. Rege in his suis inferioris Germani æ regionibus, Gubernante verò eius nomine Fernando Aluarez de Toledo Aluæ Duce, &c. Florentij de Pallant Comitis Culēburgij. Quondam domum solo æquari, sancitum est, ob execrandam memoriam repetitæ in ea coniurationis aduersus Religionem, Eccl. Cath Roma. Regiam Maiestatem, & ipsas Regiones. Anno à Salut. CIↃ. D. LXVIII. *quinto Calend. Iunij.*

Inceptum Audax contra Albanum.

Nobiles profugi conatum inceptumque audax in Albanum, tempore quadragesimali Religionis causa ad Monasterium Groenendalense in Nemore Sonio proficisci volentem, aggrediuntur, auctoribus præcipuè Domino Risoyro, & eius fratre Domino Carloio, ex familia Noota, alijsque nonnullis. Carioius autem in hoc Monasterio Monastica veste indutus latebat, metu Albani, vt quidem dicebat. Præfinito die sexcentos & amplius equites circumcirca paratos habebant, quorum maxima pars in D. Ohaimi arce non procul inde se continebant: insuper in vrbe Bruxellensi & locis circumiacentibus quingentos pedites: ex horum numero vnus Domino Lickio, cui quondam seruierat, hanc rem significat: Lickius statim Albano itineri versus Groenendalum, portatis equis, accincto, in fidias aperit: Albanus vt credat, & domi maneat, difficulter induci potuit: Index miles præfectum suum militarem, qui eques turmæ Egmondanæ fuerat, consciũ prodit: hic apprehenditur, & veritatis extorquendæ causa miserè cruciatus neminem accusat: tandem dira morte afficitur. Talis huius rei fuit exitus, nemine eam ob causam, præter hunc solum pœnas passo.

Comes Palatinus Regis Hispan. pecuniæ retinet.

In Germania superiore Comes Palatinus, Princeps Elector, Italicas quasdam merces circa nundinarum Franckfordiensium tempus naui per Rhenum vectas retineri iussit: quod inter eas centum quinquaginta Ducatorum millia fuerint recondita, ab Hispano Rege ad Albanum missa, quibus stipendium militi in Belgio solueretur. Comes actionem iure in bona hæc prætendebat, quod in telonio tacitè suppressa minimeque declarata essent: merces quidem ipsas reddidit, sed de pecunijs, Cæsare intercessore, pacto placide transactum est.

Carolus Hisp. Princeps capitur, & breui post moritur.

Hac tempestate nuntij & literæ in Belgium adferuntur, Carolum Hispaniæ Principem vnicum Philippi Regis filium ab ipso patre apprehensum, captumque, breui post mortem obijsse. Varij de eius captiuitate sparti rumores. Regis ad diuersos principes Legati, non aliter, quàm certas ob causas meritò id factum, dicebant. Cum enim adultus Princeps viginti duos annos natus, acer, ingeniosus, audax, ambitiosus, Imperij valde cupidus, Belgarum causæ inprimis fauens, maximo in Belgium proficiscendi desiderio affici videretur: id consilio quorundam summæ apud Regem auctoritatis, qui ne omnem Gubernationem, tanquam totius Belgij Princeps sibi assumat, verebantur, interpellatum impeditumque est: quod quidem ægerrimè tulit Carolus: huc etiam accedebant graues inimicitiæ & simultates inter eum & Ducem Albanum, Ringomem Syluanum, & Ioannem Austriacum patruum nothum. Ringomes & Austriacus Carolum metuentes, criminantur eum in patris exitium arma gestasse, consiliorum Belgicæ Nobilitatis conscium participemq;, ipsis addictum, & proinde hæreseos suspectum: præterea fugam ex Hispania in Belgium, vt omnia illic perturbet, meditatum: cuius postremi criminis argumenta quædam indiciaque habere videbantur: quam ob causam pater in cubiculis secretioribusq; locis in vestigari indagariq;, num quid conspirationis latere possit, imperat: id cum Ringomes Regis mandato facere vellet, Carolus ab eo fieri, pati noluit: proinde Rex ipse cum Ringome irrumpit: Carolo ne Ringomes intromitteretur rogante, statim arma de ponere, captumque se dedere iubet Rex: hæc autem contra Ringomem repugnantia, vis patri illata iudicabatur. Domo tota secretioribusq; locis diligenter perquisitis, literæ quædam ipsius Reginæ, quæ sola Caroli consilijs intima videbatur, summa etiam pecuniæ, qua Carolus in Belgium proficisci velle dicebatur, inuentæ sunt. Captus & custodijs acribus commissus, ægerrimè hæc omnia ferens, paucis pòst moritur, mense Februario, 1568. aut nimia impatientia, aut nimio grossorum, siue ficuum immaturarum esu, aut, vt quidam dicunt, gula mantili fracta: vtvt sit, mortis certè ratio ignota ahuc manet.

Albanus Principem Auraicum aliosque profugos Proceres, Nobiles, populumque, in Germania superiore & alijs plurimis locis grauiter conquestos, à Principibus Protestantibus auxilium petijsse intelligit: Regem quoque Galliæ cum Principe Condæo & Hugonotis pacem inijsse: veritus ne Dux Casimirus & alij milites Germani, qui Condæo militauerant, Belgarum mi serti, eum in discessu opprimant, ocyus Domini Barlemontij opera consilioque bis mille VValonibus collectis se munit: equestres præterea turmas Italicas, quæ Regi Galliæ militauerant,

Digitized by Google

litauerant, ſibi conſcribi iubet: quæ vbi cum Arenbergio, eiuſque copijs aduenerunt, ijs omnibus limites munit: ſuos autem, Traiectum inferius, Namurcum & Hannoniam defendendi cauſa mittit. An. 1568.

Auraicus cõfugi Belgium inuadere tentans.

Auraicus, cæterique Proceres ac Nobiles profugi, & diuerſi generis populi exules, poſt hæc, amicorum ope propriiſque opibus exercitum comparant, quo Albanum cum Hiſpanis profligare queant: hanc demum viam ingreſsi, poſtquam omnes reconciliationis rationes fruſtra tentatas irritaſque vident: nam pro Auraico multi Germaniæ Principes, eum cum Rege in gratiam reducere ſtudentes interceſſerant, atque inter hos præcipuè Dux Albertus Bauarus, Rege hoc vnum tantummodo reſpondente, nihil conceſſum iri, niſi Auraicus ſe in Albani poteſtatem tradat: quod quidem reſponſum nimis durum Principibus diſplicuit, & Auraico plures amicos conciliauit.

Auraici autem de expeditione apparatuque militari adducendo inſtitutum, ſatis tunc promotum fuit, etiamſi Caſimiri milites ægrè ex Gallijs in Belgium pertrahi potuerint: præcipuè autem id vnum profuit, quod maxima horum militum pars ab ipſo Auraico & à Ludouico Naſſouio eius fratre conſcripta fuerit.

Inſtitutæ cõtra Albanum male ſuccedũt.

Communis omnium erat ſententia, Albanum quatuor locis vno eodemque tempore oppugnare: & primo agrum Iuliacenſem vt inde Brabantiam & Geldriam inuadant, occupare: huc itaq; militibus vndiq; confluentibus, ingens fit exercitus, Ioanne Montignio, Vilerſio, VVarrouxio, Riſorio, & Carloio eius fratre, nonnulliſque alijs militum ducibus, Hoochſtratano autem totius exercitus Imperatore futuro: Præterea vt Comes Ludouicus cum ſuo agmine Friſiam peteret: Auraicus quoq; ſuum exercitum bene collocaret, conſtitutum fuit: vt his modis Albano vndique plus ſatis negotij faceſſant, profugos colligant, & ſocios fautoreſque in Belgio corroborent, animentque ad aliquid pro patriæ libertate moliendum, varios varijs locis in ſuum commodum cuentus ſperantes: Verum incepta hæc omnia, quòd ob alia atque alia impedimenta, non ſimul, ſed diuerſis temporibus fuerint tentata, infeliciter ceciderunt.

Genſij profl. gantur prope Dalenum.

Primò autem in Iuliacenſi agro duobus plus minus millibus collectis, maxima parte adhuc inermibus, quod arma indies Coloniâ exſpectarentur: Comes Lodronus & Santius Auilanus cum valido exercitu hanc multitudinem profligandi diſsipandiq; cauſa, ab Albano miſsi, imparatos & numero impares, circa Dalemum & Erckelenium, extra Regis Philippi iuriſdictionem, oppugnare, antequam vlterius creſcant, conſultum reputant: ſiquæ 7. Cal. Maij omnem cœtum diſsipant, plurimis cæſis, Vilerſio & Huyo, qui ſtrenuè admodum ſe geſſerant, clademque magnam Hiſpanis intulerant, captis. Auilanus victoriæ compos hoſtiliter crudeliterque in agro Iuliacenſi lociſque vicinis ſæuit.

Cockevillius Normannus, Ducum Vaillantis & Amandi ope, Belgarum & Gallorum militum numerum pro Auraico in Arteſiæ finitibus colligit, quibus VValonia, Flandria & Anglia, patriam repetere cupientes, eò conuenerant: hi ſimulatque aliquantulum accreuere, excurſiones contra Albanos faciunt. Galliæ Rex huius rei certior factus, ſæpeque monitus ab Albano, maius inde malum naſci poſſe metuens, ad Principem Condæum, cum quo iam pacem habebat, mittit, ſcire volens an Cockevillius qui Hugonoticæ factionis propugnator Condæo militauerat, hæc ſuo iuſſu nutuque faceret. Negat Condæus, ſuaque nihil intereſſe quid Cockevillius agat, reſpondet: Proinde Rex Marſchalco Coſſeo, vt Cockevillium perſequatur mandat. Coſſeus ſine mora militibus aliquot, & præterea Picardiæ præſidiis ſatis inſtructus Cockevillium & cum eo ſex centos pedites, ducentoſque equites in Fano Valerij ad Somonæ oſtium obſidet: admotis bombardis mœnia quatit labefactaq; interea autem dum Cockevillius & Amandius muri partem deiectam munire & defendere ſatagunt, Marſchalci milites ab altera oppidi parte certa lege à nonnullis intromittuntur, pacta autem promiſſaq; non præſtantur. Cockevillius in domum quandam ſe recipit, dumque hoſti colloquitur, cum nonnullis alijs capitur, ſine magna ſuorum clade: Ipſe præcipuique quidam capite truncantur: Belgæ omnes qui fuga ſibi conſulere non potuere interimuntur: Galli autem à Marſchalco ſeruantur. Ita & hoc inſtitutum infeliciter ceſsit Auraico.

Ludouici expeditio in Friſia.

Principio menſis Maij, Comes Ludouicus Naſſouius cum fratre Adolpho, & Comes Iodocus Schouvvenbergius pluresq; alij, milite collecto, profecti in Friſiam in agrum Groningenſem, primò autem VVeddæ, deinde Dammam (olim mœnijs cinctam vrbem) aliaque loca, in Groningenſe oppidum præcipuè intenti, capiunt: horum ſignis militaribus inſcriptum. *Reuperare aut mori.* Albanus eo mittit legionem Sardinianam, fræfecto Brackemonte: & tria Hiſpanorum ſigna legionis Longobardicæ: quadringentos etiam equites Hiſpanos & Italos: præterea Comitem Meganum cum magna ſuæ legionis parte: quinque inſuper ſigna Arenbergij eius regionis Gubernatoris, & mille circiter Germanos Legati ſui opera conſcriptos, præter alia adhuc quatuor Germanorum ſigna, ſub Arenbergio ſimul merentia.

Ludouicus, vbi ingentem hoſtium exercitum aduentare, ipſumque Arenbergium cum Hiſpani

Digitized by Google

An. 1568. ſpanis & Germanis prope adeſſe videt, ſtatim veteranos omnes & nouitios ſuos milites vnum in locum congregat, leuiaſque cum hoſte in mediam vſque noctem ſerit prælia, poſtea recedit, & Dammum verſus tendit: (quod ſibi imprimis commodum ſtatuebat, cùm Meganum reliquoſq; ſimul eſſe putaret: poſtridie Ludouicũ inſequitur Arenbergius, eum fugiſſe ratus: verũ Ludouicus vbi hoſtium peditibus turmam equitum Comitis Martinengi ſolummodo adeſſe videt) nondum enim reliqui aduenerant (intrepide trecentis equitibus Hiſpanos inuadit, quaſi pontem quendam intercipere volens: rurſuſque retrocedit: hoſtes ocyus ſequuntur vſque ad aggerem, vbi V Valones aliquot ſclopetarij latebant, qui magna protinus clade Hiſpanos afficiunt, tribus Hiſpanorum militum ducibus, & omni agmine à fronte & lateribus acriter oppugnatis & cęſis. Arenbergius (qui manum non conſerere, niſi Megano & peditibus præſentibus, conſultum putabat) in tolerabili Hiſpanorum ſeruore & arrogantia (qui quod hoſtem effugiturum putarent, eum non fidelem Regis miniſtrum, ſed proditorem criminabantur) importunè inſtigatus ac compulſus, cùm duo tantum hoſtium vexilla eminentia, quæ tria fere peditum millia in procinctu ſtantia continebant: (quod quidem eum tunc fefellit) conſpiceret, cò adductus fuit, vt trecentos hos equites inuadere & pontes aliquot occupare tentarit: verùm vbi ſuos Hiſpanos vndique cædi videt, omni ſtudio ſuos erigere, & in ordinem redigere conatur: verùm equus quo vehebatur ſclopeti ictu ſternitur: ipſe autem ab Antonio Sœtio Hauteynij domino (qui fratrem ſuum equitem Melitenſem cæſum coram cernebat) interficitur: Hic Hauteynius pòſt quoque in Gallia prælio Moncontourio occubuit, duobus relictis fratribus, nempè Iuſto Sœtio Villerſij domino, militum tribuno in caſtris Statuum, & domino Hauteynio V Valachriæ Gubernatore: quorum vterque multam operam, Statibus Ordinũ imprimis vtilem præbuit: Ingens mox omnium ſit fuga: Legato etiam Arenbergij, maxima exercitus parte cæſis: reliqui in Monaſterium Heyligerlæum confugiunt: quod eueſtigio oppugnatum, expugnatur. Hic Adolphus Naſſouius Ludouici frater glande tormentaria ictus cecidit. Commiſſum fuit hoc prælium inter Monaſterium Heyligerlæum, & V Vinſchotum in Friſia, 9. Cal. Iunij. 1568. cæſi numero fere mille ſexcenti Hiſpani & Germani: omnia etiam Arenbergij impedimenta, & vaſa argentea, inſuper pecuniæ ſumma in ſtipendium militare miſſa adhæc ſex tormenta bellica ab hoſte direpta. Comes Adolphus Naſſouius V Veldæ ſepelitur: Comes autem Ioannes Lignius, Comes Arenbergæ, Eques torquatus aurei Velleris, Gubernator Friſiæ & Tranſiſulaniæ, vir bello imprimis acer, in æde ſacra Monaſterij Heyligerlæi humo mandatur.

Prælium in Friſia commiſſum.

Arenbergius interficitur.

Adolphus Naſſouius glande tormentaria interficitur.

Interea dum Ludouicus victoriam perſequi ſatagit, Comes Meganus & Curtius Martinengius cum peditibus ac equitibus aliquot ſorte fortuna Groningã ingreſſi, ſe & ciuitatem ipſam ſecuros tutoſque reddunt, non ſine Ludouici maximo damno, qui eam abſque mora duobus locis obſidet: verùm quod vrbs fortis & bene munita eſſet, ipſi autem tormenta bellica maiora non ſuppetèrent, & conſilia cum ſocijs in ciuitate inita, tam valido præſidio intromiſſo, impedirentur, nihil hic præſtare potuit Ludouicus. Variè quidem hic, vt antè, læuia quædam ſeruntur certamina: præcipuè 10. Cal. Iulij, cum præfidiarij & oppidani extra vrbem velitationem quandam impedire vellent. Geuſij plus minus ducenti. præſidiarij quoque non pauci cæſi ſunt: Meganus ipſe vulneratus: Martinengus, equo cui inſidebat, in palude quadam hærente extinctoq;, in extremum vitæ diſcrimen adductus.

Ludouicus Groningam obſidet.

Chappinus Vitellius Groningam mittitur.

Albanus de clade accepta per nuntios certior factus, Chappinum Vitellium Cetonæ Marchionem, militum potenti inſtructum numero, legione etiam Ouerſteynij, & mille ſexcentis equitibus ſub duce Ericho Brunſvichio iunctis, conſeſtim eò mittit. Vitellius ſua caſtra Ludouici caſtris vicina diſponit prope ipſam vrbem: hic quidem velitationes ſingulis diebus fiunt: verum Vitellius, quantumuis ab hoſte frequenter prouocatus ac laceſſitus, nullo modo, ante Ducis Albani quem præſtolabatur aduentum, conſligere acie voluit.

Imperator Ludouicum diſcedere iubet.

Ludouico, Ducis Albani poſtulatione mandatur nunciaturq; ab Imperatore, obedientiæ Imperio debitæ vinculo, vt ab armis diſcedat, militeſq; dimittat. Ludouicus, ſe id, fratre Principe Auraico & fœderatis inſcijs aut inconſultis, nequaquam facere poſſe, eos autem ſuæ Maieſtati æqua reſponſa daturos, reſpondet. Nihilominus Imperiali hoc mandato multi deficiunt, ea maximè de cauſa abſterriti & auerſi, quod confiſcationis bonorum ſub Imperio ſitorum minæ ipſis intenderentur.

Herenbergæ arx Comitis Bergenſis recuperata, iterum capitur.

Circa idem tempus Comes Bergenſis ſuæ arcis Herenbergæ recuperandæ modum inuenit, militibus præfidiarijs, quos Meganus hic collocarat, expulſis. Qua de cauſa Albanus eo Santiũ Londognum cum legione Longobardica mittit. Santius Comitem rurſus expellit, firmoq; præſidio arci impoſito, cum ſuis Groningam proficiſcitur.

Albanus indicto capitis contra Procoret, Nobileſque agit.

Albanus vbi Ludouicum victorijs potiri, & alia atq; alia incœpta moliri videt, grauioraque indies exſpectat (impauidum intrepidumq; ſe Belgis oſtentare vult: itaq; iudicio capitis contra citatos Proceres Nobileſq; agit: & iuxta ſententiæ 5. Cal. Iun. latæ formam, omnes criminis

læſæ

læsæ Maiestatis reos, bonaq; eorum confiscata iudicat: ac eiusdem sententiæ vigore eorum subditos omnes, prouinciales, oppidanos & rurales, Regem, vt dominum, inaugurare, fidelitatis præstito iuramento iubet: atq; hac ratione Petrus Quarebbius Berchemij dominus, &c. Bredanæ ciuitatis tunc temporis Gubernator, Regis nomine inauguratus Brædæ fuit, ciuibus veterum priuilegiorum, vt moris est, integro liberoq; vsu permisso. Inter alia etiam Albani edicta tunc promulgatum est, vt profugi omnes, sub confiscationis bonorum & exilij perpetui pœna, in patriam redeant, atque se coram magistratu suo sistant. An. 1568.

Albanus capit re plectit Nobiles alios que captinos.

Statuit præterea Nobiles alios q; captiuos omnes, sine mora capite plectere, vt Hispanorum operâ (quorum custodiæ erant traditi) alijs locis vti posit: idque contra communem plurimorum hominum opinionem, qui, neminem magnæ auctoritatis sic morte multatum iri, sed id ad Regem referendum, aut in Regis aduentum differendum putabant. Nihil itaque cunctatus Albanus, Bruxellæ, ipsâ Pentecostes septimana, Calen. Iunij, in foro equario, quod Sableum vulgo vocant, capite truncari iubet Dominos Gisbertum & Theodorum Batenburgos, Petrum Andelotum, Philippum VVinglenum, Cocum, virum nobilem Egmondano seruientem, Ioannem Bloysium Terlonium, Philippum Triestium Gandauensem, Bartholomeum Vallium, Arthum Batsonem, Hermannum Galama & Suyrdium Beymanum Frisios, Iacobum Deipendam, Freminum Pelterium, Constantinum Brunsellum, Ioannem Reynoldum, Ludouicum Carlierum, Petrum & Philippum VVaterlesios fratres: præterea 4. Non. Iunij, Ioannem Montignium Villerij dominum, Dominum Duyum, & Quintinum Benedictum Engenij præfectum: his capite plectuntur, crebro interim tympanorum reboante sono, ne si quid dicere vellent, audirentur: nonnulli se in fide Catholica Romana morituros, neque multa loquuturos pollicti, hi tympanorum strepitu perturbati non fuere.

Postea etiam Viluordæ plurimi morte multantur: inter hos Antonius Stralius pridem Antverpiæ Consul, Ioannes Casenbrotus Backerselæ dominus Egmondano à secretis, Pensionarius vrbis Mechlinien sis, plureſque alij, varijs ante illatam mortem tormentis crudeliter cruciati.

Deinde 3. Non. Iunij duo Comites captiui, trium millium Hispanorum custodia cincti, Gandauo Bruxellam curru aduehuntur, & carceri domus panariæ in ipso foro includuntur. Causam contra eos agit Ioannes Boysius actor Regius: Comitibus omne aduocatorum patrocinium, & amicorum consilium (antè tamen promissum) recusatur: ipsimet suam dicere causam, & ad crimina obiecta, quomodocunque possent respondere, sub contumaciæ pœna coactis itaque, quandoquidem aurei Velleris Proceres sint, sibi ac prouincijs maximam inferri iniuriam, expostulant, testantur, declarantque palam. Egmondanus pridie Id. Febr. ad 88. articulos respondérat: Præterea eius amici, & vxor ex illustri Bauariæ Ducum familia, Comitis Palatini, Principis Electoris soror, Imperatorem alios que Principes ad interce dendum apud Regem & Albanum Ducem induxerat, vt absolui, aut saltem a duocatorum ope in iudicio defendi, quod ei promissum fuerat, posset: itaque Imperator certum quendam virum nobilem afflictam bona spe consolaretur, miserat. Albanus autem, fimulatque Comites Bruxellam fuére aduecti, vna ante noctis merediem hora, cùm iam nocturnæ quieti corpora mandassent, sententiam reis mitti & prælegi curat, huiusmodi argumento: Dominus Aluares de Toledo, Dux Albæ, &c. visa inspectaque lite capitali inter Procuratorem generalem, Regis actorem, contra Dominos reos, &c. vilis etiam quæstionibus, scriptionibus, instrumentis ciusdem actoris, atq; ab eodem factis: adhæc Dominorum reorum confessionibus, apologijs, scriptionibus & instrumentis in criminũ obiectorum diluitionem oblatis: ex quibus constat eos crimen læsæ Maiestatis & rebellionis incurrisse: quandoquidem fautores & sectatores abominandi fœderis & conspirationis Principis Auraici & aliorum Belgij Nobilium fuerint: fœderatorumq; Nobilium causam ac patrocinium susceperint: insuper tradita rerum gubernacula (maximè in conseruanda & defendenda sancta fide Catholica) male administrauerint cum pluribus alijs impijs, seditiosis, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Regiæ Maiestati rebellibus, perspectis præterea reliquis quæ in eadem controuersia ac lite continentur: Sua Excellentia cum Consilio, Curiaque penes eandem, Procuratori suis conclusionibus antè approbatis, declarat Comites prædictos crimen læsæ Maiestatis & rebellionis commisisse, proinde, vt tales, capite truncandos: capita in eminentiori bus locis publicis statuenda, vt omnibus conspicua sint, donec sua Excellentia aliter decernat: prohibetque fan ctione capitali, ea inde tolli: vt hæc animaduersio & castigatio alijs sit exemplo: publicat præterea fisco regio omnia reorum bona mobilia & immobilia, iura, actiones, feuda, hæreditates, cuiuscunque generis, quocunque locorum inuenta ad eos spectantia. Datum Bruxellæ Prid. Non. Iunij, 1568. Subsign. Dux Albanus, Præts Secretarius.

Sententia contra Egmondanum lata.

Comites iudicio hoc audito, æquo id animo tulere. Egmondanus nulla commoti animi signa aut indicia edens, Sententia certè hæc, inquit, dira duraque est: putabam me non tam grauiter

An. 1568. uiter Regem offendiſſe, aut talem pœnam meritum: quidquid enim feci, id omne ſincerè & ex animo in Regis commodum atque obſequium à me factum reputo: ſi qua autem in re deliqui, vt mea morte omnia mea peccata atque errata expientur ac deleantur, rogo obſecroq; ne quoque mihi & poſteris meis infamia aut ignominia talis inuratur: ne etiam vxor charisſima & liberi innocentes hac de cauſa confiſcatione vitæ & bonorum multentur: & quanquam mea benefacta officiaq; aliquam veniam mereantur: tamen cum Deo & Regi ita viſum ſit, libens mortem ſubibo. Hæc autem ſimiliaq; locutus, vt his ſaltem dictis Regem ad miſericordiam & clementiam erga vxorem & liberos inducere poſſet. Scripſit præterea binas literas, vnas ad Regem, alteras ad coniugem. Regi ſignificat, ſe iudicium, quod ſuę Maieſt. pronunciari placuit, audiuiſſe: & quanquam nullo tempore in animum induxerit, aliquid in Regiam Maieſt. aut contra Catholicam Religionem committere: mortem tamen, cùm Deo Opt. Max. placebit, æquo animo ferre atq; obire paratum eſſe: ſi quid autem his Belgicis turbis admiſerit aut permiſerit, quod ob neceſſitatem vitari non potuerit, id ſincero animo in Dei honorem & Regiæ Maieſtatis obſequium, vt res tempuſq; poſtularunt, à ſe factum eſſe. Proin de ſi quid peccatum ſit, vt id ſua Maieſtas ei condonare, atq; in meliorem partem accipere, charisſimam coniugem, innocentes liberos, & miſeros miniſtros commendatos habere, clementerq; tractare velit, ſupplicitèr orat obteſtaturq;, ſeipſum Dei omnipotentis miſericordiæ commendans. Datum Bruxellæ, Non. Iun. Subſcriptum: Mori paratus Lamoralius Egmondanus.

Egmondanus ad iactam ſententiam reſpondet.

Egmondani ad ad Regem & ad vxorē literæ.

Hanc epiſtolam complicatam & obſignatam Epiſcopo Yprenſi tradit, ex animo rogans eam ad Regem mittere velit: quod Epiſcopus ſe facturum promittit: poſt hæc precibus fundendis diuinoq; numini placando vacat. Comes quoq; Hornanus ſtrenuè ad mortem ſe præparat, pijſq; precationibus ſe totum dedit. Interea in ipſo foro Bruxellenſi ante Baſilicam pegma conſtruitur, nigro panno velatum, pilæ duæ ferreæ cuſpide præacutæ eriguntur: duo puluinaria collocantur, & abaco ornato argentea crux ſuperimponitur: forum autem viginti duobus Hiſpanorum militum turmis circundatum munitumq;. Duabus ante meridiem horis, decima nempe hora Egmondanus ad pegma deducitur à Iuliano Romero Archiſtratego, & Salina militum præfecto, & Epiſcopo Yprenſi eidem à confeſſionibus, pulſatis lugubriq; habitu indutis: Præfectus rerum capitalium, manu rubram geſtans virgam, ante pegma equo inſidet: carnifex ſub pegmate ſtat. Egmondanus caligis & thorace (thoracis autem collare ipſemet eiuſdem diei mane abſciderat, ac veſte cænatoria rubra damaſcena, inſuper nigro & breui pallio fimbrijs aureis prætexto indutus, caputq; galero nigro ſerico, attrarum albarumq; plumarum faſciculis inſigni tectus, manibus non reuinctis ſtrophiolum tenens, aliquantulum in pegmate deambulans, paucis locutus, optare ſe ait, vt in obſequio officioq; ſui Principis vitam tranſigere poſſit: & Iulianum Romerum interrogat, ſitne aliquis miſericordiæ locus, Romerus humeros contrahens, nullum eſſe, reſpondet. Hinc frendens Egmondanus veſtem cœnatoriam palliumque excutit, abijcitque mox in genua ſupra puluinum procumbit, vnà quoque Epiſcopus, & ſimul Deum precantur: deinde Epiſcopus moritoro crucem oſculandam præbet: ſtatim Comes, galero ſtrophioloq; abiectis, genua flectit, morti ſe præparat, pileolo nocturno ſerico caput oculoſque velat, lethiferum ictum exſpectans: ocyus adſcendit carnifex gladium manu tenens, & vno ictu caput amputat: corpus exanime effuſufq; cruor panno atro obteguntur.

Egmondanus capite plectitur.

Hornani mors

Deinde Comes Hornanus in pegma producitur, nigro indutus pallio, caputq; laneo Mediolanenſi opertum pileo: peccata ſua multiplicia Deo confitetur, fauſta omnia circumſtantibus precatur, vtq; cum eo ſimul orare Deum velint rogat: ſe Regem offendiſſe, eo quo monetur modo, ſæpe poſtulatus, fateri recuſat: tandem exuto pallio, caligis & xylina ſubucula tantummodo membra tectus, ſupra puluinum in genua procumbit: faciem ipſemet ſuam pileo velat: iunctiſq; manibus cernuices carnificis gladio præbens, clara voce exclamat: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.

Poſt hæc in arrectis præpilatiſque palis capita præfiguntur: conſpicuaque ſic manent duabus horis: non ſine maxima populi conſternatione ac miſeratione, quorum multi ſtrophiala ſanguine occiſorum, in perpetuam rei memoriam ſeruando intingunt. Duabus poſt horis corpora capitaque à defunctorum miniſtris capſulis imponuntur, ac ſepulchris in propria cuiuſq; ditione conduntur: Egmondano quidem, vtpote magis catholicè mortuo maiores ab Eccleſiaſticis ceremoniæ, quàm Hornano præſtantur.

Hoc modo Lamoralius Egmondanus, Princeps Gauræ, Comes Egmondę, Gubernator Flădriæ & Artefiæ, Eques torquatus aurei Velleris, Statuum Conſiliarius, &c. & Philippus Montmorentius, Comes Hornanus, &c. Admiralius, Regi à cubiculis, Stipatorum Regiorum præfectus, Velleris aurei eques torquatus, & Statuum Conſiliarius, &c. ambo generoſi celebreſque imprimis heroes mortem oppetiere, Nonis Iunij, 1568. Egmondanus quidem circiter ætatis annum quadrageſimum ſextum, vir robuſtus, ſtrenuus, formoſus, magnanimus, acer, aulica magnificentia ac amplitudine alios quam plurimos præcellens, vxore, tribus filijs, octo filiabus ſuper-

Digitized by Google

superstitibus relictis: Hornanus autem ferè quinquagenarius vir procerus, vegetus, cordatus, nullam reliquit prolem: eius vxor pòst nupta Comiti Meursio, Nieuvevaræ, &c. An. 1588.

Florentius Montmorentius Montignij Dominus, &c. Tornaci & Tornesij Gubernator, vir validus, acer, industrius, ingeniosus, à Belgij Statibus & Gubernatrice in Hispaniam, vt Regis animum molliat, Legatus, vnà cum Marchione Bergensi, ibidem antè vita defuncto, breui pòst in Hispania quoq; capite truncatus est. *Florentius Montmorentius Montigni Dominus Hornani frater in Hispania capite truncatus.*

De horum vita, morte, atque officijs Regiæ & patriæ præstitis, talis in vicinis vndiq; regionibus neutri parti addictis, hominum fuit opinio, vt eosdem Regię prosperitatis, victoriæ, & amplitudinis præcipuos tã consilio quàm opere facto auctores fuisse iudicarent. Ipsius enim Regis status, ob patris Caroli Imperatoris aduersitates vires(q; in Germania fractas, in summas angustias redactus, per hos aliosque Belgas ita fuit restitutus, vt Gallus ad honestam & magnificam cum Philippo ineundam pacem sit coactus. Verùm hoc vnum ipsis male cessit, quod populo supra modum grati acceptique fuerint: & ob fortia facta præclaraque gesta cum aliis aliquot Belgicis viris nobilibus vbique præstita, nimiam sibi gloriam & auctoritatem peperint: vnde non tantum Belgij populum ad maxima tributa subdidiaq; Regi pendenda facilem promptumque reddiderunt, verùm etiam apud exteras nationes fœdere iunctas, maximè in Germania, summa suæ Maiestati obsequia obtiniaq; conciliarunt. Cumque Rex Regijque Consiliarij (siue Catholicæ Romanæ Religionis, siue nimio Regiæ vtilitatis amplitudinisque promouendæ zelo, siue inuidia, odio, vindicta in Belgij regiones, nobiles & populum incitati, Belgium haud secus atque Indiam & alias quasdam terras prorsus subiugandas deliberassent: hi plurésque alij Belgarum Proceres, vt sosstam authoritatem atque potentiam apud populum huic negotio interponerent postulati, non satis exacte hic suo officio ad quorundam in Hispania votum satisfecerunt: sciebant enim horum nonnitatum consultores & auctores, publicarum Belgij administrationum prorsus esse rudes & ignaros: multisque rationibus satis euidentibus persuasum habebant, eos Regiam Maiestatem eò impulisse odio magis quàm fauore, contra ius, proprios amicos, cognatos, leges & priuilegia patriæ: præterea quibus in rebus salus & prosperitas Regionum vtilitas amplitudoque Regi præcipue sita essent, melius videbant ac intelligebant, quàm alij in Hispan. agentes: quin & populum libertati assuetum. odioso huiusmodi rigore quę placita Inquisitionis adferebant, in pace & quiete conseruari, impossibile reputabant: proinde quid tempus, quid vicinorum vndique populorum res statusque postularet non ignari, Regem aut ad necessariam mutationum, aut ad mitigationem propositi sui, variis modis, qui neque Regi neque Regio consilio placuerunt, adducere conati sunt: hoc illud læsæ Maiestatis crimen fuit, ob quod Hispanorum sententia morte multari debuere. Alij alijs hæc eorum facta metiuntur rationibus, æstimantq; eos & Dei & hominum iudicio mortem bene meritos, quod causæ tam bonæ, à qua Dei honor, reformata, imò contrà, Catholica Romana Religio, Belgicarum regionum salus, regisque commodum prorsus dependebant, non melius fauerint studuerintque, verùm metu pertracti permotique, rem imprimis bonam, nempe placitorum in conuentus vsque panegyricos intermissionem, aliasque libertates fiduciaria conditione concessas, patriæ adimi, ad arbitrium Regis & Belgij hostium inconsideranter multa molientium, permiserint, propriaque operà curarint, talique facto reliqui Proceribus ac nobilibus animũ spemque omnem ademerint: partim etiam, contra pacta promissaque, alijs miserè affligendis operam præbuerint, non sine conscientiæ labe. Alij contra reputant, nempe eos, iram Regis leniendi causa hæc feciſſe: quod Regem, simul ac subditorum obedientiam, negotij difficultatem, periculaque imminentia cognouisset, mitiorem aptioremque adhibiturum medicinam sperarent. Verùm hac in re magnopere errarunt: sita vt Auraicus & alij quidam, eos verè pontes instrumentaque quibus Hispani in Belgium intrarent futuros prædixerint: imprimisque monuerint, vt potius socijs armis aditum Hispanis extraneisque omnibus præcludant, donec Rex cum generali Ordinum Consilio, quod Belgicis Regionibus optimum, fusque Maiestati vtilissimum videretur, deliberasset consultaſsetq;.

Communis præterea omnium fuit opinio, Regem sueritate hac in prædictos Comites aliosque viros Nobiles adhibita, nihil emolumenti facturum: quin potius maleuolentiam desperationemque conciliaturum: quod ei magno post constitit. Et hæc quidem in vicinis regionibus ac Principum aulis, de horum Comitum morte generaliter sentiere plurimi in Ordinum negotijs imprimis exercitati, vt suq; rerum aulicarum periti. *Varia de Nobilium Belgarum morte opiniones.*

Albanus post graues has non tantum in Principes viros, sed & in minoris conditionis pluri-mos per totum Belgium executiones: multis etiam Reformatorum & Anabaptistarum dirè concrematis, non sine maximo populi horrore ac stupore: mandatum edit, vt quicunque Rebellium, Geusiorum, hostium, fugitiuorum facultates bonaúe scirent, Magistratui quæstoribusque ærarijs statim ea deferant: scienti & non deferenti pœna constituta, vt eorundem æstimationem pretiumq; ae luat: quod vt exactius præstari possit, tertia pars delatori constitu- *Generalet ea equitatem in Belgio: causa religionis.*

tuta:

An. 1568. tuta: quicunque autem pretium silentio suppressorum bonorum exoluere non possent, capite plecterentur: iudicum arbitrio.

Albanus in Frisiam proficiscitur.

Initio Iulij ipse Albanus Groningam cum Hispanorum aliorumque militum 1500. signis proficiscitur: armorum tormentorumque bellicarum magnam copiam Mechliniâ, vbi amplissimum totius Belgij solet esse armamentarium, conuehit: itaque per oppidum Buscoducense in sua castra prope Groningam venit. prid. Id. Iulij.

Ludouicus (cui tunc Hoochstratanus & Schouvvenbergius Comites aderant) potentissimis Albani copijs cognitis, ab obsidione Groningæ desistit, fluuium Amisiam petit: & locum munitioni commodum destinat, vlterius auxilium ab Auraico fratre exspectans, aut saltem Hispano negotium facessere volens, vt interea locus tempusque Belgium inuadendi Auraico detur. Albanus simul atque Ludouici discessum intentionemque perspicit, summa eum festinatione insequitur 14. Cal. Augusti. & Ericho Brunsvvichio Duce cum millo sexcentis equitibus Groningæ relicto, ipse ocyus VVeddam petit, eamque leuiter munit: inde Raidam (quæ Episcopi Monasteriensis ditio) venit: vbi pontem Amasiæ fluuio impositum forti militum turma circundat. Ludouicus circa Iemingam ad Amasiam copijs collocatis, vbi necessaria quouis facile suppeditari poterant, se loci aptissimo situ commodum munire satagit: verùm inuiti tergiuersantesque milites, & Albanus acerrimè persequens, conatus impediuere. Albanus enim sine mora Santium Auilam cum trecentis equitibus, quid hostis moliretur, primum explorandi, deinde cum centum equitibus hostiles vires tentandi, & leui prælio conligendi causa mittit: continuo etiam Iulianum Romerum cum octingentis sclopetarijs ferentarijsque subsequi iubet: & quia angustior via erat, Santium Londognum cum mille etiam sclopetarijs & duabus grauis armaturæ equitum turmis sub Cæsare Gonsaga, & Curtio Martinengo mittit subsidio: hos secuti pedites Hispani omnes sub Alfonso Vlloa, & Gonsalvo Braccamonte: eos autem suo iniussu quidquam attentare vetat: Subsidio statuit à tergo, Germanorum militum signa sex: post hos Gallorum signa quindecim sub Georgio Lalainio Vilæ domino, fratre Comitis Hoochstratani qui Ludouici partes tutabatur, & ante duos dies, inde discesserat: hunc sequebantur Lancearij equites sexcenti.

Primi quidem, hostium nonnullos, quos vias intercludere ponteisque disturbari offendunt leui prælio oppugnare parant) sed frustra: conspecto enim aduersariorum numero, properè loco cædunt Gentij, seque ad suum conserunt exercitum in duas acies partitum, probè ad pugnam paratum, & tormentis machinisq; bellicis instructum: quem cum adoriri non auderent Albani, hastatos aliquot sibi ocyus auxilio mitti petunt: recusat id Albanus: eosque fortunam tentare ac proprijs viribus vti præcipit cogitque: hac maxime occasione, quod inter proprias interque hostiles copias arcte concluſi ingentem pati cladem nequaquam possent: operæpretium itaque ei visum, rem fortunæ arbitrio committere, cùm eos vitæ tuendæ causa strenue pugnaturos certo sciret. Tandem verò Gonzagæ & Martinengi duas grauis armaturæ turmas subsidio venire, atque à tergo adesse iubet: timebat enim ne diutius morando, tandem aquarum vi, quibus & agri & viæ inundabantur, fui, opprimerentur: præterea cœlum pluuias minabatur, quibus tormentorum bellicorum vsus facilè prohiberi potuisset: eaque potissimùm de causa Fernando Toletano filio suo notho mandat, copias omnes festinanter vndique eò deducat, hostesque armati vi opprimat: quod quidem necessitate coacti faciunt secunda post meridiem hora, cùm ante quatuor horas velitari incepissent: tandemque impetu violento in tormentorum bellicorum aggeres, munitionesq;, atque in hostilem aciem facto, victoriam adipiscuntur.

Erat Ludouicus exercitu septem circiter millium, tam peditum quàm equitum instructus: satis ei omnia quibus resistere posset, prouisa: statuerat aut inundatione hostem submergere, aut magno cum damno vt recedat cogere: verùm imparatus præoccupatur. Milites enim in loco tutissimo extraq; omne periculũ se versari, neq; hostem totis viribus adorsurũ confidentes, cùm hic suam operam maximè necessariam reputarent, stipendij longa Groningensi obsidione bene meriti solutionem consuse atque importunè exigunt, maximè quod pecuniæ nonnihil in castra aduectum intellexissent. Hic neq; preces neq; blanda Ludouici, Iusti Schouvvenbergij reliquorumque militiæ præfectorum verba profuêre, qui durissimo periculo imminente, nequaquam pecunias numerandi, sed pugnandi tempus esse declarant: aggeres proinde pariter rumpere demolirique festinent: quem quidem laborem ipsimet duces palis legionibusq; strenuè subibant: verùm frustra cùm neque instrumenta necessaria sufficerent, & confusione distidentiaq; increscente animi prorsus perturbarentur: videbanturq; res ex composito, doloq; factæ.

Ludouici exercitus Iemingæ cæsus.

Hic tibi præcipiunt Hispani, hostes vallis fossisq; parũ munitos confidenter desperanterq; aggrediuntur, cædunt, dissipant, paucis admodũ resistentibus: plurimi hic submersi: paucissimi (quod angustus esset locus, & hinc Amasia fluuius, illinc paludes transitum prohiberent) fuga seruantur.

Digitized by Google

feruantur. Maxima equitum pars vnaque Comes Iustus Schouvvenbergius euadunt: Ludo- An. 1568.
uicus nauicula salutis Emdam vehitur: militaria signa, bellica torumenta, munimentaq; impedita
omnia direpta perditaq;: multa autem quæ Emdæ relicta, conseruata fuêre. Itaq; Albanus vi-
ctor, prælio hoc cladem Arenbergij funestam vlcisci tur.

Maximè autem militum stipendiariorum hostem parui facientium maligna obstinataque
voluntas hîc in culpa fuit: qui si Strategis ducibusque suis paruissent, Albanum profectò, non
sine magno periculo damni stragisq; suorum, ignominiosè recedere coegissent. Commissum
hoc prælium Iemingæ, duodecimo Cal. Augusti, anno millesimo quingentesimo sexagesimo
octauo.

Albanus hac victoria insolens statim veredarios nunciosque ad Pontificem, Regem &
alios Principes mittit. Conqueritur etiam apud Ioannem Episcopum Monasterienſem,
VVestphalici circuli Præpositum, de Comite Ludouico, de Comite quoque Emdensi, quod
is hostì commeatum necessariaque subministrasset: qua quidem de causa eum hostiliter inua-
dere meditabatur: verùm quod Emdam vrbem optimè munitam, populumque armis accin-
ctum sciret, desistere consultissimum tandem putauit.

Ludouicus post acceptam cladem omnibus qui effugerant collectis, in Germaniam profici-
scitur ad fratrem Auraicum, qui expeditionem ingentem apparabat: verùm Ludouici aduersa
fortuna valdè retardatus.

Auraicus quinto Calendas Augusti, belli in Dei honorem, Regis commodum Cæsareæ
quoque Maiestatis & eius filiorum (tanquam proximorum Regis hæredum) vtilitatem sus-
cepti, rationes typis excusas promulgat, contra fœdissimam furibundi Ducis Albani tyranni-
dem: hic potissimum ante acta breuiter repetit, atq; in opere tam salutari, omnium auxilia re-
quirit.

Principio Septembris Auraicus Romersdorffæ, in Episcopatu Treuirensi, exercitu recen- *Auraici exer-*
sito, Rhenum trajicit, & ad Viti fanum, suæ ditionis pagum, venit. Habebat Germanorum mi- *citus.*
litum signa quadraginta quatuor, sub Nicolao Hattadio, Vito Schouero, Balthasaro VVolff,
&c. VValonum, Belgarum Teutonicorum, & Gallorum præcipuè sclopetariorum quatuor
millia & amplius: Equitum optimè instructorum septem millia, sub Frederico Rollenhousio
Hessiæ Marischalco, Theodoro Schonbergio, Iusto Schouvvenbergio, Comite Alberto
Nassouio, Comite Burchardo Barbio, Ottone Malsbergio aliisque: aderant Belgæ, præter
Ludouicum fratrem, Comes Hoochstratanus, Anthonius Lalaingius aurei Velleris eques, &
Mechliniæ Gubernator, aliique ex Belgio viri Nobiles multi: inter quos Domini Batenborgij, VVarouxius, Risoyrius, Carolus, Hamesius, Boxtelius, Lonerualius, Malbergius, Flesius,
Oheynius, pluresque alij. Conuehit minora tormenta castrensia sex: maiora quatuor. Plu-
rimorum vexillis inscribitur, PRO LEGE, GREGE & REGE: aliorum, Pelicanus, cordis sui
sanguine pullos pascens, depictus.

A Duce Cliuensi transitum commmeatumque pro exercitu petit Auraicus: verùm respon-
sum non admodum liberale fert. Ipse enim Dux, cuiusque Consiliarij Hispanis maximè sem-
per fauere visi.

Comes Ludouicus Arenbergam, multis Hispanorum cæsis, vi expugnat: Kerpa quoque
& Hornesona potitur. In Rheno naues circiter octodecim Italicis mercibus onustas capit,
vnde redemptionis pretium ingens extorquet. His locis castra longo tempore fixa man-
sere, ita vt, in Belgium, an Lutsenburgum, an Galliam petere vellent, prorsus ignora-
retur.

Albanus post victoriam in Frisia, Amsterodamum tendit, & Vltraiectum: vbi anum octo- *Albani exer-*
ginta quatuor annorum, reditu annuo quater mille florenorum prædiuitem, capite truncari *citus.*
iubet, quod olim concionatorem hospitio recepisset. Hic exercitum recenseri imperat. Præ-
fecti Germanorum peditum copios, Albericus Ladronius, Comes Otto Ouerstеynius, plu-
resque alij: erant autem Germanorum legiones quatuor: Hispanorum veterum tres, simul
numero vt minimum millia nouem; Gallorum vexilla quadraginta. Equitum Germanorum
tria millia, sub Duce Ericho Brunsvvichio: grauis armaturæ, Germanorum equitum mille,
leuis armaturæ: Hispanorum, Italorum, Burgundorum duo millia. Equitum publicis equis
merentium numerus duo millia reputatus; præterea tormentorum aneorum, munitionum,
scapharum pontibus conficiendis aptarum, magna copia: cum ingenti cuniculariorum,
fossorumque subsequentium caterua.

His itaq; copijs Traiectũ, vt Auraico resistat, proficiscitur. Metuens autem ne comitatũ Burgun-
dicũ hostis inuadat (quanquã Heluetij ad eius defensionẽ deuincti essent) Vergeio Gubernato-

An. 1569. ri summam pecuniæ, in vsus necessarios, collibistarum opera mittit: ipse verò id temporis magnam pecuniæ vim, quater centum millibus ducatorum æstimatam, ex Hispania mari in Zelandiam aduectam recipit.

Albanus vbi Auraicum maximo, fortissimoque exercitu potentem cognoscit (defensiuum tantummodo bellum captans) ei aditum commeatumq; intercludere molitur. Auraicus hostium cohortes aliquot prope Castrum Noyteynium cædit.

Postquàm autem diutius inter Rhenum Mosamque castra fixa habuisset Auraicus, non sine coitionis arcanique fœderis cum Comite Petro Ernesto Mansveldio de Lutsenburgo, capiendo suspicione (cui quidem rei auertendæ cautionem diligentiamque adhibere Albano necesse erat) tandem sursum deorsum mouens tendensque propè Leodium venit. Interea in castris grauis orta seditio: milites in mutua arma ruunt: ipsi Auraico turbas componere satagenti gladius quo accinctus erat, ictu sclopeti decussus: Dominus Malbergius, alijsque à seditiosis interfecti.

Leodij plurimorum amicorum ope transitum, commeatum, & quæuis necessaria sibi suppeditatum iri sperabat Auraicus: verùm quod Albanus citius circa ea loca veniisset, & depopulationem vastationemque agrorum minaretur (quandoquidem eos Auraico tantopere fauere videret) res ab Episcopo Leodiensi Groibekanæ familiæ eo redacta fuit, vt Principis aduersarij præualentes, sex militum suæ factionis vexilla oppidi defendendi causa conscriberent: ita Princeps serò aduenientes opinione sua frustratur. Vt autem sollicitum dubiumque reddat Albanum, quo potissimum locorum vergere, & Mosam traijcere vellet posset ue: vltro citroque sursum deorsum cum omni exercitu irrequietus tendit, ne certum traiectus locum hostis præsentiscat.

Leodienses Auraico aduersarij.

Albanus autem vadosis minusque profundis Mosæ locis omnibus muricibus serraque aculeata spargi curarat. hosti, transitum quam difficillimum redderè satagens. Auraicus, cùm pontium construendorum nulla esset facultas, vadis Mosæ vbique diligenter exploratis, tandem Nonis Octobris non longe Stockhemio subitò admodum flumini propinquat: primò equos aliquot vadum transire, iterque munire; postea equorum maximum numerum in ipso flumine, denso continuoque ordine in alteram vsque ripam consistere iubet: & hac quidem ratione aquæ cursus impetusque ita repressus fuit, vt donec totus exercitus traiecisset, infrà decresceret: sequutus hic Princeps stratagema Iulio Cæsari, alijsque belli Imperatoribus olim vsitatum, non sine summa multorum, præcipuè Albani ducis admiratione: quod si hostilem exercitum confestim fuisset aggressus, facilè trepidum, dispersum, imparatum, vt multorum erat opinio, oppressisset: verùm suos madentes & imparatos sat citò ad ducere eò non potuit: celerrimè tamen in hostis conspectum prope Traiectum superius prodit. Albanus autem in monte non procul ab ipsa vrbe Traiectensi se interea fossis aggeribusque munierat & castris hic commodè positis, ac oppidis vbique præsidio & commeatu munitis, ferreas molarum subscudes, vt hosti commoditatem frumenta molendi præripiat, auferri curat. Hostiles verò copias velitationibus fatigare, & commeatibus intercludere, nequaquam tamè aciè prorsus congredi statuit, cùm præsente hyeme Auraici exercitum alimonię, pabuli, & pecunię defectu diu hic subsistere nequaquam posse certò animaduerteret. Hinc variè varijs velitatum locis. Princeps magnam Brabantiæ partem, Thenas vsque peragrat, & prælium cum Duce varijs tentat inire modis. Tandem cùm ingens Gallorum numerus ex Picardia, imminente in Gallia bello, Chaunij & Ienlisij esset collectus, cohortes scilicet equitum circiter duodecim, & sclopetariorum millia duo, sub Ienlisio seniori, & Domino Moruillersio: iamque Baronis Rantij, Mouij, Autricourtij, Esternaij, Sequeri, aliorumque Procerum auxilio freti, Poyetio peditum Duce, in Brabantiam vsque venissent. Auraicus, vt his Gallorum copijs suum exercitum Ioudoignæ coniungat, castra non longè à Thenis mouet. Albanus vbi Auraicos hic traijcere debere percipit, Fridericum filium, cum quatuor Hispanorum & Gallorum millibus, equitumque cohortibus aliquot, sex tormentis maioribus eò destinatis, vt hostilem exercitum, simulatque maxima pars traiecisset, cæderent, mittit. Auraicus id quidem metuens, à tergo sclopetariorum duo millia cum equitibus aliquot reliquerat: in hos Fredericus tormenta dirigit, & vndique omnes qui festinatò traijcere non poterant, inuadit, dissipat, cædit: vtrinque clades magna: inter alios Lonnerualius captus, post Albani iussu Bruxellæ capite truncatur. Auraicus Iudoignæ Gallorum copijs coniunctis, parum (quod hostem ad prælium committendum se pertrahere nequaquam posse videret) profecit: cùm ei commeatus vndique ita intercluderetur, vt rerum necessariarum maxima egestate laboraret exercitus: incepta quoque consilia, ac pecuniæ deficerent: multas liquidem ciuitates & hominum turbas clandestinorum consiliorum participes se in suas par-

Princeps Auraicum Mosam summa dexteritate traijcit

Auraicorum aliquot cæsi.

Auraicus Ioudoignæ Gallorum copijs se iungit.

tes

tes pertractuum sperabat: verùm maturè huic negotio obstitit Albanus, locis omnibus firmissimo præsidio munitis: proinde in Galliam proficisci, consultissimum Auraico videtur, vt Principi Condæo & Hugonotis opem ferat, qui iam tertio ciuili bello intricari cœperant, pace Carnuti inita, simulatque Dux Casimirus cum suis copijs Gallias reliquerat, parùm feruata. Ita in Galliam instituentem Auraicum (idque Gallis maximè suadentibus) iamque proficiscentem insequitur Albanus sub finem Octobris. Hic rursus ad prælium Auraicus Albanum prouocat: Albanus, quod commodissimè castra sua collocasset, detrectat refugitque: fiunt nihilominus velitationes frequentes: quibus vtrinque præproperi feruidique multi occubuere. Cùm autem Auraicus per Hannoniam profectus, pridie Idus Nouembris, Quesnoya Comitis castra moueret, atque in agrum Cameracesium tenderet, tempore antemeridiano hora nona Albanorum peditum Germanorum vexilla decem, Hispanorum octo, equitum leuis armaturæ cohortes tres fundit sternitque, multis nobilibus, vtpote Marchionis Dolinaris filio, D. Ioanne Tallesio, D. Ruffillio Henrichio alisque cæsis ac captis. Postquam Auraicus, exustis vbique à Germano suo milite domicilijs, in agrum Cameracesium venit, Albanus eum hucusque per omne iter insequutus, castris, ne ad prælium ineundum cum hoste cogeretur, tutò semper dispositis, hic tandem vlterius sequi desistit: simulatque verò in Galliam peruenit Auraicus, ægrotos, imbecilles, vulneratos, qui exercitum sequi non poterant, vbique apprehendi, & indigenàs quidem suspendio necari, alienigenas autem, exterosque vestibus exutos, versus Traiectum superius agi, atque ita dimitti imperat Dux Albanus.

An. 1568.

Auraicus in Galliam proficiscitur.

Albani crudelitas obseruata.

Auraicum in Gallia Marischalcus Cosseus cum equitum aliquot turmis, & sclopetariorum duobus millibus, Albano postulante, à Rege Gallorum missus, eminus, damni quouis modo inferendi causa, persequitur. Auraicus ratione viaque inuenta, Regi per Dominum Fauellium Serium, à Marischalco destinatum, aduentus sui causam significat. Re exautem ante nuncium acceptum, Iasparem Schonbergium Schonani Dominum ad Auraicum misérat, qui indicaret, Regem summopere eius in suum regnum cum tanto exercitu mirari aduentum, cum neque causam vllam sciat, neque pro veteri laudabilique more, bellum denuntiatum indictumue sit: tranquitum autem in Germaniam per Galliam petenti Regem nequaquam recusaturum, modò nihil hostiliter se facturum promittat. Ad hæc Auraicus Soysonij pridie Nonas Decembris respondet: Se Regiæ Maiestati suam ante sententiam declarasse: & quamuis priuatæ non desint occasiones: adeò tamen stolidum aut imprudentem non esse, vt potentia viribusque longè impar ac minor, aliquid, propriarum rerum causa, contra Regem potentissimum armis experiri velit: proinde fateri ingenue, se cum omni suo exercitu paratum obligatumque ad quiduis obsequij humiliter lubenterque suæ Maiestati præstandum. Verùm enimuero quandoquidem omnes homines veram religionem totis viribus promouere æquum sit: plurimos autem in Gallia eiusdem exitio prorsus imminere intelligat: ad hæc verò sua Maiestas, se nullius conscientiam cogere velle, Religionis tamen propugnatores infesto in eam animo esse, significauerit: declarat, se cum omni suo exercitu, Religionis propugnatoribus, modo aliud quàm veræ Religionis progressum, conscientiæ libertatem, vitæ & facultatum securitatem eos moliri comperiat aut cognoscat, nequaquam amicum, sed inimicum fore. Cum autem prorsus persuasum habeat, eos dem nihil nisi Dei honorem, suæ vitæ securitatem, & ministerium obsequiumque Regiæ Maiestati præstandum expostere: suam Maiestatem in peiorem partem haud accepturum confidit, si eis faueat, & Regis de pace edicta obseruari maximè cupiat, cùm id sincero erga Regem regioisque subditos zelo faciat, quos securos atq; ab omni periculo tutos imprimis exoptat.

Marischalcus Cosseus Auraicum persequitur.

Schonbergius à Gallorum Rege ad Auraicum Legatus.

Rex Galliæ Auraici animo perspecto, ei ingentem pecuniæ summam qua indigenti exercitui satisfaciat, offerri mandat: atque interea per Schonbergium Præfectis Tribunisque militiæ satis familiarem ac notum, animos equitum peditumque, quorum maxima pars belli ob passam inopiam pertæsi, explorat sollicitatque, seque eos in suam militiam accepturos promittit. Auraicus cum fratribus, præcipuisque exercitus ducibus, Galli quoque ipsi, vlterius in Galliam tendere, seque Condæanis copijs coniungere statuerant: verùm orto dissidio, militum vulgus longius proficisci recusat, in Germanicum solum deduci volunt, stipendij solutionem exigunt: non in Gallum, sed in Albanum se bellaturos pactum constitutumque causantur. Hic neque monita neque preces (quòd prompta pecunia non adesset) profuere: neque in Gallium longius ire, neque pecuniam à Gallo promissam exspectare volunt. Gallus vbi disidium rescisit, nihil amplius pecuniarum offerre statuit: Itaque Auraicus exercitum per Campaniam & Lotharingiam in Germaniam non procul ab Argentorato educere cogitur. Hic milites stipendio tenuiter numerato dispertim discedunt: ipse enim Auraicus tormentis, impedimentis, instrumentisque bellicis Argentorati venditis, stipendia, vt

Auraici milites vlterius in Galliam tendere nolunt, stipendij solutionem exigunt.

Digitized by Google

An. 1568. potuit, soluit: plurimi, quibus animus adhuc militandi, ab alijs persuasi, eò libentius iterum militiæ nomen dant, quod Dux Bipontinus Principis Condæi nomine hic copias conscriberet: his autem nouiter iterum conscriptis, & sub Bipontino Duce stipendia merentibus se iungunt Galli: equitum verò magna pars ad Galliæ Regem transit.

Angliæ Regina Auraicum impugnare meditatur.

Proteruus hic subitusque militum discessus Auraico alia quoque in re impedimento imprimis fuit. Nam Angliæ Regina certior de Auraici in Galliam expeditione, eius ope quæque aliquid in Reformatorum commodum meditabatur, quo vrbs regioque Caletana recuperari atque inde militaris stipendijs solutio conflari potuisset. Verùm Reginæ ad Auraicum epistolâ à perfido ministro suo Legato inseruiens prodita & Lotharingiæ Cardinali tradita, falsum fictumq; à Cardinale responsum contrarie data tum fuit: interea autem, tempus quo certi aliquid significari potuisset labitur, & Auraicus dum negotium protrahitur, longius cum suis copijs profectus, hac quoq; spe & occasione frustratus est.

Mors Antonij Lalanij & aliorum virorū Nobilium.

Sic consilijs atq; inceptis Auraici & aliorum Belgarum minus succedentibus, nihil prorsus hac expeditione actum. Interea autem milites omnis generis non pauci miseria atq; inedia perierunt. Mortuus Antonius Lalainius Comes Hoochstratanus, aurei Velleris eques torquatus, leuiter suo sclopeto in pede læsus: alij præterea multi viri Nobiles hic mortem obiere, qui simul omnes vinum veneno, vt suspicio est, infectum liberant: quotquot enim id gustarunt, omnes ferè vitam perdidere, paucis admodum aut nullis conseruatis, inter quos D. Risoyrius ex Nootorum familia, Baro Flesius, alijq; nonnulli.

Auraicus, Ludouicus, & Henricus fratres cum mille & amplius stipendiarijs equitibus se militiæ Ducis Bipontini, qui exercitum pro Principe Condæo & Religionis propugnatoribus tunc instruebat, socios iungunt, pariterque Galliam petunt, anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

Albanus nouos Episc. & Inquisitiones in Belgium introducit.

Albanus quo paruo suo damno hostes vbique victos profligarat patriaque eiecerat, decimo tertio Kal. Ianuar. Bruxellam cum filijs venit, statim milites in præsidia mittit: teque maiore cum tranquillitate & pace gubernationem administraturum, mandata exequuturum, Belgium q; ad perfectam obedientiam reducturum sperans, nouos Episcopos & Inquisitores, vnde tot prius difficultates actus turbæ ortæ: vbique locorum introducit: omnes præteritarum turbarum confortes, & finisterræ Romanæ Ecclesiæ sentientes instare & exequutionibus vexare cum Consilio sanguinario pergit: alios suspendio necari, alios capite truncari, alios igne extingui iubet. Hinc rursus populi ingens fuga, qui omni prorsus spe patriam inhabitandi perdita, procul migrare, alijsque locis victum cum familia quærere cogebantur. Hinc omnis generis artificia opificiaque Belgio peculiaria, alijsq; terris incognita, ad exteras nationes translata. Flandri enim comprimis in proximam Angliam tanta multitudine commigrarunt, vt vrbes aliquot ruinosas ac habitatoribus vacuas, præcipuè Norwicham, Sandwicham, Colchestram, Maydstonum, Hamptonum, plurefque alias prorsus instaurarint, priuilegijs pauculis, & libero suæ Religionis lingua Teutonica & Gallica exercitio Elisabetha Regina fauente, impetratis: hi artes varia textura conficiendi pannos lineos & laneos, vestes leuidenses, vulgo bayen sericas, subsericas, hetromallas, & quidquid operis lana netur texiturque, in Angliam ex patrio solo attulere: ita vt huiusmodi merces operaque hisce plurimum, non alijs locis nunc omnino præparentur, materijs ex Belgio aduectis: quin & ipsam artem indies addiscunt. Sic quoque abhinc ducentis & amplius annis populi Belgij Flandriæque incolæ multis patriæ inundationibus natali solo expulsi, pannorum conficiendorum artem, Anglorum genti tunc prorsus incognitam nouamque in Angliam attulere: eo enim tempore Angli agriculturam, pecuariam & militiam maximè exercebant: Belgæ autem & Flandri soli, pannos totius orbi suppeditabant: lana saltem ex Anglia ouibus abundante allata: vtex mutuis Anglorum & Belgarum contractibus, ciuitatum quoque tam Anglicanarum quam Belgicarum priuilegijs vetustissimis patet. Sic ut autem hac tempestate Flandri leuidensium, subsericarum, vulgo Bayen & Sayen dictę, aliarumque vestium præparandarum artem in Angliam inuexere, regionemque valde populosam reddiderē ita Hollandi, Zelandi, Brabanti cæterique artem piscatoriam aliaque opificia varia non tantum Angliæ, sed & superiori Germaniæ, alijsq; regionib⁹ communicauere, easq; cum populis tum quætibus diuitijsq; mirū in modum auxere: Necessitas enim & paupertas folertes ingenij magistræ, ad artem industriamque humanum genus, vt varijs terrarum oris exempla docent, acriter instigare nunquam desinunt.

Albanus artificia opificia que ex Belgio suæ crudelitatis causa transfert.

Artificia opificiaque ex Belgio in Angliam translata.

Artes variæ ex Belgio in alijs regionibus.

Pecunia ex Hispan. in Angliam reiicitur.

Interea Albano non parum negotij Angliæ Regina facessit. Cùm enim Albano pecuniæ ex Hispanis frequenter mari mitterentur: accidit id temporis, vt magna quædam nauis Cantabrica, & quatuor minores, assabres vulgo dictæ, 200000. pistoletis aureis onustæ præmiatoribus nautisque militaribus Principis Condæi in Gallia eas hostiliter persequentibus, ad Angliæ portum tandem adactæ impulsæque fuerint: Postulat Hispaniæ Regis Legatus,

Dominus

Dominus Gueraus Deſpeſius literas tuti itineris ab Angliæ Regina, vt ſine periculo, terra aut mari armatis copijs Antverpiam perducantur: idque concedit Regina: Verùm interea dum Dominus Gueraus amplius certiuſque ab Albano reſponſum exſpectat: reſciſcit tandem Regina hanc pecuniam non ad Hiſpaniæ Regem, ſed ad Genuenſes Italos mercatores pertinere, & Albanum eam in ſuos vſus, neceſsitate cogente, conuertere ſtatuiſſe: idque metuentes Itali mercatores, Reginam pecunias hat portius retinere malebat. Mos eſt autem Principibus, neceſsitate vrgente, ijs omnibus quæ in ſua iuriſdictione inuenium, hiberè vti: & quia hæ pecuniæ ad peculiares mercatores, non ad Hiſpaniæ Regem ſpectabant; ait ſe eas, cum Italorum mercatorum bona gratia, mutuo ſumere velle: proinde fiduciaria cautione theſaurum ad terram deferi, & à Gallorum violentia, qui ſe eam inuaſuros minabantur, conſeruari imperat. Sumulatque naues, quarum maxima ciſtulas quinquaginta nouem nummis, quos Hiſpanicos Regalicos vocant, repletas continebat, theſauro fuerunt exoneratæ, legatus id ocyus Albano renunciat. Albanus autem, neque Prouinciarum Conſiliarijs conſultis, neque vlla veterum contractuum inter Belgas & Anglos ratione aut deliberatione habita, iubet Antverpiæ aliiſque locis, in Anglos mercatores manus inijci, eoſque in Anglorum domo captos retineri, & à militum cohorte ſeruari 24. Decembr. anno 1568. adhæc eorum naues & bona omnia vbique conſcribi quæ etiam poſt vendita in proprium commodum conuertit: nequaquam præmeditatus plurimos Regis Hiſpaniæ ſubditos & clientes in Angliæ regno eſſe, qui multo plures naues & facultates in Anglia, quam Angli in Hiſpania habebant: In Hiſpania etiam, Albano per literas inſtituente, mercatores omnes Angli eorumq; bona retinentur. Hæc vbi fama in Angliam venit, Anglj Reginæ permiſſu, ſecuritatis indemnitatiſq; cauſa, mercatores Belgas Belgarumq; bona retinent ac ſequeſtrant: naues quoq; plurimas, cauſa nautis tunc adhuc incognita, è mari in portum adductas ſibi ſeruant.

Ao. 1569.

Mercatores eorumque bona vtrunque in Belgio & in Anglia retinentur.

Albanus hæc animaduertens, maximè autem plures naues, merces & mercatores in Anglia quam in Belgio huiuſmodi turbis retineri, litemq; de pecunijs hinc prorſus recruduiſſe, feſtinatò Chriſtophorum Aſſonuillium Conſiliarium in Angliam Legatum mittit, qui Reginæ coram ſuas rationes aperiat. Regina Aſſonuillium, quod nullas auctoritatis literas à Rege adferret, neq; audire, neq; tanquam à Duce Albano Legatum agnoſcere vult: ſed vt cum ſuo Conſilio agat decernit: quod cum in mandatis non haberet Aſſonvillius, facere recuſat, itaque non exauditus diſcedit. Regina verò per ſuos ei ſignificari iubet, ſe ſumma quidem iniuria affectam, bello tamen, niſi Albanus vlterius pergat, nequaquam decernere ſtatuiſſe: idem quo que poſt Hiſp. Regi non ſine grauibus de Albani præcipiti inconſiderantia quærelis ſignificat.

Dumque generalibus huiuſmodi rationibus manuumque iniectionibus negotiatio vtrinque ceſſat, Anglj pannis Hamborgam miſsis, mercaturam mutato foro inſtituunt. Albanus prid. Calend. Aprilis 1569. publico edicto commercia cum Anglis prohibet, ne quis ſcilicet merces auehat, aduehatue ſub pœna confiſcationis earundem, donec aliter prouiſum fuerit: præterea ne naues mari committantur, niſi milite, tormentis & armis ſatis munitæ. Vtque tale inter dictum acrius executioni mandetur, perſcrutatores & accuſatores quibus media confiſcationis pars cedat, conſtituit: & hi quidem omnes Angliæ exules, quod iniquo admodum animo tulere Angli. Inter eos præcipuus quidam V Vilhelmus Parckerus vicarium habebat Doctorem Storyum, virum ſenem, vtriuſque iuris doctorem, olim Maria Regina imperante in Anglia Inquiſitorem, qui aut egeſtate aut maleuolentia impulſus, huic tam vili officio, quod vix Belgarum quiſquam obire voluiſſet, ſe in Belgio dediderat: fuit autem à Parckero ſuo heroaliiſque Anglis (qui ea conditione reconciliationem impetrarant) probè deceptus: præterea nauis, quam Anglicarum mercium præda opima onuſtam ſeni perſuadebant: cumq; eam ſedulo perſcrutari vellet, naui ocyus includitur à Cornelio Eyckio nauta Berg-ſomeo, eius negotij conficiendi cauſa ab Anglis conducto: idque vt patriam ab extraneo huiuſmodi perſcrutatorum & quadruplatorum genere in Belgio nunquam antea viſo liberaret, libenter præſtante: velis itaque ſubito tenſis in Angliam Storyus vehitur: & tanquam rebellium conſpiratorumq; contra Reginam patriamque Corypheus, ſententia lata, ſuſpendio publicè ſtrangulatur.

Doctor Storyum naui inclusum ſumma ſagacitate in Angliam vehitur, ſuſpendio publicè ſtrangulatur.

Menſe Octob. 1569. Hiſpan. Rex Chapinum Vitellium Cetonæ Marchionem, cum Doctore Fonckio & Secretario Torreo, retentas pecunias recuperandi, & manuum iniectiones vltrinq; tollendi cauſa, in Angliam legat: verum nihil hic impetrant: cùm neq; iniurias reparandi, neq; in poſterum cauendi aut ſanciendi mandatum haberent: quod & Regina 13. Cal. Ian. ſcriptis ſignificat Regi.

Chapinus Vitellius fruſtra in Angliam legatur.

Albanus his de cauſis vehementius commotus, longè acriora edicta decernit, Anglorum pannos & merces prorſus omnes excludere volens: iubetque ſingulos ſuas naues atque merces in Anglia retentas deferre & indicare, quaſi amiſſa Belgarum bona Anglicanis in Belgio retentis compenſari cupiens.

Digitized by Google

An. 1569. Anno 1571. Franciscus Halewinus Swenigeni Dominus, cum Thoma Fiesco mercatore Genuensi in Angliam legatur, vt merces & pecunias in Anglia retentas, cautione aut fideiussione præstita recuperent. Sed frustra ea res fuit. Hinc Albanus pannos & reliqua Anglorum bona omnia Fernando Friaso mercatori Hispano alijsq; mediocri pretio vendit: idem in Hispania quoq; factum: omnia autem in regium fiscum redigunturmercatoribus, qui hinc compensationem sperabant, summopere murmurantibus atq; indignantibus.

Excluſis itaq; è Belgio Anglorum pannis cum Hamburgi non sat copiosè distraherentur, præcipuè quod tunc Anglia ijs valde abundaret, quandoquidem maxima populi pars hinc quę ſtum faciebat. Regina vt vulgi murmura in suo regno compeſcat, anno 1572. Bloyſij nouum cum Gallis fœdus à Marischalco Montmorencio confirmatum init, idq; satis firmum & amplum, mutuo vtrinque auxilio promiſſo, etiamſi religionis causâ bellum oriatur: quandoquidem eo ipſo tempore Rex Carolus cum Auraico de Belgij imperio acceptando agebat. Hac noua conuentione, Anglis fora nonnullis Galliæ locis determinata, cum amplis priuilegijs, immunitate ac libertate vectigalium, mercimoniorum etiam firma ſecuritate & cautione, in aliorum quoq; Principum iurisdictionibus. Verùm fœdus iſtud homicidijs execrandis, Lutetiæ eodem anno 1572. die D. Bartholomeo ſacra perpetratis, labefactatur, ac irritum prope red ditur: Angli enim perfidiam timentes, Gallis ægre fidem habuerunt.

Fœdus inter Anglos & Gallos iuxta Bloyſij.

Proinde anno 1573. menſe Aprili, res eò perducta eſt, vt negotiationes & commercia inter Anglos & Belgas, duos annos, dummodo interea temporis controuerſia non determinatur, permiſſa fuerint: Anno autem ſequente, ſcilicet 1574. à Rege in Anglia m huius rei causa miſſi. D. Syvenigamus, & M. Ioannes Boyſchotus Conſul & Aduocatus Fiſcalis, omnibus ad calculum reductis, rationes conficiunt: Mercatores quidem Angli computatione exhibita declarant ſe recepiſſe centum et vndecim librarum millia & ſeptuaginta ſex, ſolidos ſedecim, denarios vn decim Anglicanæ ſiue Sterlingæ monetæ, pro mercibus, nauibus atque debitis ad Regis ſubditos, præcipuè Belgas, ſpectantibus: exceptis rebus deprauatis, corruptis, perditis, furto ablatis, paucis quidem paruo, plurimis multo tatis, pro valore, venditis: tametſi damnum duplo magis æſtimarum: pro conſeruatione & cuſtodia eorundem bonorum mercatores expenſas computant librarum vndecim millia, vel circa monetæ Anglicanæ. Albanus Regis Hiſp. nomine in Belgio receperat ſexaginta & quatuor librarum millia: alijautem in Hiſpan. eiuſdem nomine librarum viginti & vnum millia, & ſeptuaginta ſex: ſolid. xvii. denar. xi. ſterl. quæ ſimul computata tenent 85076. lib. 17. ſolid. 11. denar. monetæ Anglicanæ ſterlingæ: ad hæc oſtenſis publicis præfecti computationem exhibent ſeptem millium librarum ſterling. ſumptibus extraordinarijs, pro bonorum cuſtoditione expenſarum. Singulis autem ſimul æqualiterq; deductis, præter omnia damna, vtpote naues deſtructas, ſal in nauibus liquefactum, oleum, vinum, fructus, poma, aliaq; ſubrepta, corrupta, diſſipata, conſumpta: Anglici mercatores ex Regis Philippi ſubditorum mercibus cæteriſq; bonis diuenditis, plus alijs receperunt viginti duo millia librarum ſterlingarum: libra ſterlinga circiter decem florenis Belgicis, vel tribus & tertia parte coronatis ſolaribus Gallicis æſtimata. Hęc autem viginti duo librarum ſterlingarum millia, ducentis florenorum millibus & pluris multo taxata) quæ damnis omnibus ſupputatis, adhuc ſuperarent Anglis, in Regis vſum & nonnullis mercatoribus Belgis, pro quibus Angli mercatores ſtapulæ fideiuſſerant recuperatoribus numerari debere conſtituitur. Id quidem Belgis mercatoribus damna paſsis ſummopere diſplicuit, maximè quod reſtantes hæ pecuniæ eis generatim vniuerſęque in compenationem non darentur: grauiter itaque conquæruntur de mercatorum Anglorum Londinenſium auaritia, de ſumma vi & iniuria Belgis illatâ: quod miſeros carcere, concuſsionibus violentis vexarint, imò Religionis causa profugos, viduas quoque & pupillos affixerint, eorumque bona deferri & tradi voluerint, cùm tamen ſatis ſuperque alias haberent: eaque nunc tandem non dominis proprijs reddiderint, ſed ſummo hoſti Duci Albano tradiderint: tametſi mercatoribus nonnullis damnum pro quibus mercatores ſtapulæ fide iuſſerant, vt dixi, partim compenſatum fuerit. Ita demum anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, duodecimo Calend. Septembr. Eriſtonæ in Anglia, controuerſiæ inter Angliam & Belgium diremptæ certis quibuſdam pactis: contractus quoque & commercia vtrinque confirmata ad normam diſceſſus à colloquio Brugenſi. Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, non ſine magno Regni Anglicani commodo, & ſummo laudatiſſimæ Reginæ honore, vtpote quæ nihil libi ſeruare voluerit, ſed retenta omnia bona mercatoribus ſuis Anglicanis in compenſationem reliquerit: placideque cum dominis retentarum pecuniarum, vnde primò orta controuerſia, tranſegerit. Belgæ autem mercatores alijq; Regis ſubditi nulla vnquam ratione à Rege aut Albano impetrare potuerũt compenſationem grauiſsimi damni, viginti vaſis auri, ſiue ducentis mille florenis, imò pluris, omnibus ad calculum exactè reductis, æſtimati.

Controuerſiæ inter Anglos & Belgium compoſitæ.

Nunc ad Albani intentionem ſtudiumque reuertamur, qui ſuæ defenſionis & ſecuritatis causa

causa Auraicum in Gallia detinere moliebatur. Cùm enim iam Anglis inuisus esset, amicitiam in Gallia augere statuit: & quia Bipontinum Auraicumque Condeo & Religionis professoribus auxilio in Galliam venisse cum exercitu sciret, Regi Galliæ subsidio mittit Comitem Petrum Ernestum Mansveldium cum viginti quinque Hispanorum & Germanorum peditum cohortibus, & duobus equitum millibus: Rex mense Martio, per fratrem in prælio Condeum opprimit interficitque: Condæi filius & Rex Nauarrus bellum nihilominus gerere pergunt. Cùm autem Hugonotæ fruſtra Pictauium Ducis Bipontini exercitu obsedissent: prælium 5. Non. Octobr. committitur prope Montcontourum: cæsi hic Hugonotæ: Germani pedites plerique omnes interfecti: Germanos autem equites Comes Ludouicus Nassouius cæterique militum Præfecti & tribuni è prælio saluos fere omnes reducunt. Regij quoque magna clade affecti: inter hos cæsi Marchio Badensis, qui antea Auraico militarat, tunc verò Regis partes tuebatur: & Belgæ plurimi vtrinque stipendiarij. Mansveldius quem ab Albano missum diximus, in brachio graue vulnus accipit: Lanoius capitur, sed pro Philippo Strotzio dimittitur. Princeps Auraicus paucis ante prælium commissum diebus, per mediam Galliam in Germaniam, duobus socijs comitatus, secreto profectus, non sine graui periculo, egestate & mendicitate iter suum confecit.

An. 1569.

Albanus Regi Gall. auxilia mittit.

Prælium prope Montcontourum in Gall.

Anno 1569. mense Maio, Papa Pius Quintus Ducì Albano tanquam strenuo Ecclesiæ Romanæ Catholicæ defensori ac propugnatori, per Legatum dono Bruxellam mittit gladium deauratum, & galerum valdè pretiosum solenni ritu consecratum. Hinc Hispani & aulica omnis familia Bruxellæ decursionibus ludicris, alijsque ludis militaribus magnificè triumphant.

Pius Quintus Pont. Albani munera mittit & decorat.

Eodem hoc tempore idem Papa Pius Quintus Elisabetham Angliæ Reginam, hæreticæ ac prauæ Religionis causa, diplomate excommunicat, & à Romana Ecclesia abdicat: omnibus prætensis regnis, dominijs, dignitatibus & priuilegijs eccidisse declarat: Nobiles, clientes & subditos omni iuramento, fidelitate, officio & obedientia eximit absoluitq;. Verùm quia hæc agebantur tempore quo Albanus victoriæ causa honorificè admodum decorabatur, & lis adhuc inter Regem siue Albanum, & Anglos erat: omnia velut incitamenta irritamentaque machinationum hostilium contra Angliam æstimata, sed alijs negotijs superuenientibus, impedita fuere: itaque parum his Bullis & excommunicationibus Papa profecit. Sacerdotes nonnulli Catholici Romani, & Nobiles qui Bulla in Anglìam allata populoſque promulgata, seditionem mouere nitebantur, Reginæ iussu apprehensi, alij carcere, alij capitis pœna, velut proditores multati.

Anglia Regina à Papa Pio V. excommunicatur.

Maximilianus Imperator, hoc anno, varijs sæpe querelis postulationibusque captiuorum & profugorum Nobilium aliorumque Belgarum auditis, rem eo tendere perspicit, vt ex vno bello aliud oriatur, non sine grauissimis, quæ longa bella proferre solent, damnis: rogatus autem à multis principibus pacisque amantibus viris, fratrem Carolum Archiducem in Hispaniam mittit cum instructione querelæ cuiusdem Regi indicandæ: sed fruſtra: Rex autem scripto, postea superiori Germanica lingua typis edito, respondit.

Maximilianus Imperator Carolum Archiducem fratrem, fruſtra in Hispaniam Belgarum causa mittit.

Hoc etiam an. 1569. Morisci siue Saraceni in Hispania, præsertim autem regni Granatæ montana loca habitantes rebellionem faciunt, quorum pars Christiani fictitij pars palam legis suæ Mahumetanæ obseruatores, omnes tamen præcipuè ipsi milites, extra Hispaniam proficiscentes, vbique veri Hispani habiti existimatique. Moliebantur quidem iugum excutere, & dominum, quod eorum patres prædecessoresque octoginta ab hinc annis habuerant, recuperare: verùm à Commendatore Maiore Castiliano, & D. Ioanne Austriaco, armis, dolo, simulatione, in seruitutem miserè redacti sunt.

Morisci siue Saraceni in Hispania victi.

Albanus hoc anno intestini in Belgio belli fructus carpere, ingentesque indictiones & exactiones prouincijs imponere, decernit, centesimi nempe quarumcunque facultatum, & decimi perpetuo duraturi quarumcumque rerum quæ in prouincijs venderentur: vt autem huiusmodi inceptum commodius effectum reddat, dissentiones ac discordias inter prouincias fouere molitur; controuersia iam suborta quid vnaquæque contribueret. Veteri enim exactionum soluendarum more, Flandria tertiam partem postulatę pernisseque summæ pendere tenebatur, Brabantia quartam, Hollàdia quartam eius quam Flandria sola dabat, Artesia & Hannonia singulæ sextam, similiter & reliquæ prouinciæ. Huiusmodi diuisioni nimis inæquali, sese Brabanti & Flandri opponunt, & eam quidem vsurpatam dicunt tempestate veterum bellorum contra Galliarum Reges, cum Artesia & Hannonia hostibus nimium vicinæ parum præstare in contribuendis indictionibus possent: nunc autem temporis, partem tertiam & quartam admodum esse grauem ac difficilem duabus prouincijs. Contra Artesiani, Hannontenses, Insulenses, Duacenses, Orchienses, Namurcenses & alij veterem consuetudinem seruari debere contendunt. Harum controuersiarum ac difficultatum occasione, Albanus decimas, de quibus sequenti libro dicemus, totis viribus promouere atque vrgere, inuitis prouincijs machinatur.

Albanus exactiones imponere molitur Belgis.

Mos vetus exactionem soluendi tenendi.

Digitized by Google

An. 1570. Cùm autem exequtiones & pœnæ causa Religionis, rebellionis, aliarumque delictorum, in Albani statuta, maximæ plurimæque occurrerent, hinc publici etiam ministri in munijs suis obeundis grauissimè peccauerunt, malis æquè ac bonis tum amicitiæ tum auaritiæ causa dimissis, cælatis, innocentibus nocentum loco mulctatis, nominibus in iudicum sententijs mutatis, &c. Proinde Albanus Mense Februario Ioannem Gronelsum, Spellam vulgo dictum, Latrunculatorem capitaliumque rerum prætorem; hominem valde crudelem, cuius opera & exequutione millia aliquot hominum morte multata fuerant, cum duobus ministris criminum huiusmodi consijs affinibusq; suspendio publicè necari mandat.

Spella Latrunculator suspendio mulctatur 1570.

Albani & nouorum Episcoporum leges atq; decreta.

Anno 1570. Albanus nouas leges Ludimagistris, Typographis & Bibliopolis statuit: Decreta quoq; Concilij Tridentini aliaq;, exequutioni mandat. Noui etiam Episcopi, habita Mechliniæ Synodo, decreta edunt.

Comitia Spiræ.

Mense Maio 1570. Comitia Spiræ indicta ab Imperatore Maximiliano II. Hic profugi exulesque Belgæ typis impresso supplice libello, & longa miseriarum narratione grauissimas deferunt querelas, præcipuè autem Comites Culenbergensis & Bergensis. Domina Hornana, Dominus Batenburgensis, pluresq; alij Cæsarij Imperij Clientes. Imperij quoque Principes & Ciuitates multi proponunt, & vt Religion. pax exactè obseruetur orant. Eius quidem labefactandæ causa inauditam in Belgio tyrannidem grassari, & extraneas nationes radicari exiſtimant: vnde & Maiestati sacræ Cæsareæ, toti Imperio, maximè autem vicinis, timor, damnum, exitiumque imminere flammamque vlterius se propulsaturum, constet: quandoquidem non Religionis tantum, sed & facultatum diuitiarumque causa hæc omnia fieri exploratum sit. Ipsum autem Belgium, quâdoquidem Imperatori Germanorum, iure feudi obligatum, & contributionibus si non immediate, saltem mediatè obnoxium sit, debere etiam cum cæteris Germanici Imperij regionibus & ciuitatibus, religionis pace & Imperatoria protectione tutelaque frui: proinde rursus insistendum proponunt, vt Hispaniæ Rex, modò Germanorum amicitiam & vicinitatem colere cupiat, omnem persequutionem auertat, neq; subditos contra conscientiam cogat, aut Religionis causa domo possessionibusve pellat: cum politica cõcordia toti Christiano orbi imprimis sit necessaria. His autem libellis & postulationibus, quod Ducis Albani siue Belgij Legati acriter contradicerent atque teſtato reclamarent, nihil omnino hic actum est.

Delictorũ venia generalis promulgata Antwerpiæ.

Rex Philippus ne Belgij Regiones funditus deuastet, verùm Catholicos in libertatem asserat, atque de vita & fortunis (delicto amissis, sententia Madrilij 26. Febr. 1568. sanctæ Inquisitionis monitu ac consilio à se lata, vt supra dictum est) securos reddat: vtque populum ad contribuendas decimas facilius pertrahat. 16. Julij generalem delictorum veniam Antverpiæ promulgari iubet: Huius rei causa Albanus ante vrbis Antverpianæ basilicam construi facit insignem Scenam gradibus scansilem, rubris pannis vestitam, ac pulchre tectam: collocatur hic thronus regius, in eo Albanus spectabilis tanquam Rex sedet, astantibus nonnullis proceribus, gradibus & foro satellitum & stipendiariorum militum ingenti caterua munitis: hoc apparatu celebris remissio recitatur promulgaturque, cuius summa hæc erat: Quandoquidem complures illecebris, simplicitate, curiositate, & iuuenili temeritate inducti grauiter deliquerint, qui ad frugem redire cupiant: Rex Catholicus, Pij Quinti Pontificis Maximi summâ clementiâ sinum gratiarum matris Romanæ Ecclesiæ patére intelligens, sibi quoque propitium benignumque Deum in dies singulos sentiens, idemque omnes Principes capesſere exoptans, ad hæc propriæ indolis bonitate, & proborum subditorum eorundemque maiorum feruitijs & obsequijs sibi præstitis, summo quoque erga suos amore permotus, delictorum omnium gratiam, Ducis Albani consilio, decreuit facere, & subditos potius amore & clementia, quàm rigore & inclementia regere, neq; vllam occasionem patrium solum relinquendi aut depopulandi dare, &c. idque certis moderationibus & præscriptionnibus, ita vt singularem veniam impunitatemq; petere, cis necessarium non sit. Verùm enimuero quicunque turbis & seditionibus præteritis quocunque modo in placita, decreta, edicta, peccarunt, is quidem pœnitentibus peccatum condonabitur, ea lege atque conditione, vt intra duos menses post huius remissionis publicationem, syncerè obedientiam, professionem, palinodiam & omnium hæresium abiurationem exhibeant, fœque salutarem pœnitentiam, qualis à deputatis Pontificia auctoritate statuetur, humiliter accepcaturos atque adimpleturos promittant.

A venia gratiaq; exclusi.

Ab hac venia gratiaq; excluſi omnes concionatores & doctores Catholicæ Ecclesiæ Romanæ aduersarij, & quicunq; eos introduxerunt aut introduci curarunt, atq; scienter hospitio exceperunt, præterea omnes consistoriorum siue conciliorum consortes, & Diaconi, quique tales hospitari, aut domi suæ versari permiserunt: insuper omnes incendiarij, iconoclastæ & demolitores monasteriorum, templorum, imaginum, altarium, locorum sacrorum, &c.

Hinc etiam excluſi omnes proscripti, omnes authores, seductores, & Coryphæi rebellionis, qui contra sanctam Rom. Religionẽ, dignitatem & authoritatem Regis, quietem Prouinciarũ, fœdus

Digitized by Google

fœdus siue bellum supplicem aut eiusmodi alia quæcunque scripta subsignarunt. An. 1570.

Præterea qui cum rebellibus socia arma postremò sumpserunt, aut ijsdem commeatu, pecunijs, contributionibus auxiliati fuerunt: quiq; viua voce aut scripto, aut quomodocunq; cum ipsis contra Reg. Maiest. hostiliter egerunt.

Insuper omnes Magistratus, senatores, consiliarij publicis officijs præfecti, Gubernatores, syndici siue pensionarij, secretarij, ciuitatũ aduocati, procuratores, apparitores, lictores & publici ministri: qui, q̃ non tantũ delinquentes punire, sed & alijs exempla esse debuissent, grauio rẽ quàm cæteri pœnã meriti sunt: Postremo omnes hæreticorum socij, sectatores, fautores: exceptis tantummodo eorum nõnullis, qui si proscripti non sint, & coram se purgare, aut absentes libello supplice veniam impetrare cupiant, id quidem intra semestre tempus licebit: verùm huic negotio diligentiam rationemq; adhibendam.

Ad clariorem autem huius negotij intelligentiam, ne quid Regiæ Maiestatis iuri hinc derogetur, definitum est, ne ij qui venia hac fruentur, vlla ratione exigant debitum, actionem reditum à Rege, regio ærario, aut dominio, vt vocant, aut bonis fisco regio addictis, aut ad Regem spectantibus, neq; à Statibus siue Ordinibus, ciuitatibus, communitatibus, sine certa licentia intra trimestre spatium impetranda.

Quod ad Status siue Ordines, Ciuitates, Collegia, Sodalitiaque Belgij attinet, si quid ab his peccatum, id Rex nominatim excipit sibique reseruat, vt pro ratione pretensorum priuilegiorum, quorum prætextu deliquerunt, disponat, aut alioqui pro suo arbitrio agat. Verùm si qui iuris formula se purgare velint, seque submittere recusent, id quidem agi permittit coram suo Vicario generali Duce Albano, &c.

Hæc autem venia multo ante, anno scilicet præcedente, 16. Calend. Decemb. à Rege Madriti concessa, octo mensibus retenta fuit, vt vel sic maiore cum auiditate acceptaretur: verùm populo neque grata neque iucunda admodum, speculi vice, quo suam deformitatem contemplabantur, habita fuit, quod quidem antea ægre potuerant credere: hinc factum vt parum tranquilitatis huiusmodi gratiæ produxerint.

Albanus disciplinam militarem valde seueram asperamque in Germanos quosdam sub Comite Ladronio militantes id temporis exercuit; qui in præsidio Valencenensi collocati seditionem excitarant, suosque Præfectos aliquamdiu captos detinuerant ob non numeratum stipendium: sedatis turbis, delictaque omni verbis ac scriptis condonato, Antverpiam euocantur: postquam eo veniunt, iamq; castro vrbis propinquant, vndique ab Hispanis peditibus & equitibus cinguntur: præcipui seditionis auctores ex acie instructa euocantur, & arma deponere compelluntur: eorum quadraginta quatuor suspendio, gladio, aliisq; pœnis ante ipsum castrum plectuntur. *Seditiosi milites Comitis Ladronij puniuntur.*

Elisabetha Reginâ, an. 1568. statim post Caroli Hispaniæ Principis mortem, subito defunctâ, relictis duabus filiabus; quam quidẽ mortẽ vi illatam suspicabantur Galli: Philippus Hispaniæ Rex Annæ Austriacæ Imperatoris Maximiliani, sũaque sororis filiæ coniugium experit: Romano Pontifice, ob consanguinitatem nimis propinquam, solutionem à legibus concedente: ea res compluribus, maximè ijs qui de pontificia potestate ambigebãt, absurda valde visa est. Mittitur autem Anna Austriaca, futura Hispaniæ Regina, à patre Imperatore in Belgium hoc anno 1570. & à Duce Albano splendide admodum excipitur: atq; 4. Calend. Septemb. Antverpiam, cum duobus fratribus natu minimis Alberto & Venceslao Archiducibus, solenni apparatu ac triumphali pompa, pro vrbis amplitudine, introducitur: postea per Somæ bergam in Zelandiam venit, inde cum maxima classe 7. Calen. Octob. vlterius tendit: Angliæ Regina per sui regni marinos tractus nauigantem, cum octo amplis regalibusq; nauibus, D. Caroli Hauvardi gubernatione deduci curat: Itaque faustis auibus in Hispaniam classe appulit, Regique nupta multorum filiorum filiarumq; breuis æui, genitrix fuit: obijt ipsa anno 1581. Regina certe insignis, gratiosa, suique mariti amantissima. Maximilianus aliam quoque filiam Carolo nono Franciæ Regi nuptui collocauit, quæ ei filiam statim defunctam peperit. *Anna Austriaca caper Belgiã in Hispaniam venit & Philippo Regi nubit.*

Hoc anno 1570. multis inundationibus, Luna silente, Belgium obrutum fuit. Festo die omnium Sanctorum tanto pelagus ferbuit æstu, vt vesperi circa horam nonam aquæ extra alueum Antverpiæ excreuerint pedem altius quam exundatione anni 1530. qua tunc septuaginta duæ paræciæ perierunt: & duos pedes altius quam exundatione anni 1552. excreuissent: quæ multo magis, nisi aggeribus ruptis nouam vrbem aliaque loca inuasissent, & cellaria Hypogeaque prata vallesq; intra & extra vrbem latè implessent. Hinc pecora & homines innumeri miserè submersi: Oosterwvela, Kilia, Hoboca, aliaque loca plurima prorsus inundata: naues aliquot onerariæ grauesque, inter quas quædam valde vasta, 150. vasorum capax, in Anglicanam actam impulsæ. Summo damno tota passim ciuitas horribili hac exundatione affecta. Detrimentum in mercibus marina aqua corruptis æstimatum centenis florenorum millibus, & amplius: in structuris Reipub. Antverpianæ, vtpote cataractis, actis, crepidinibus, vrbis muris, publicisq; ædificijs, *Inundationes maximæ in Belgio.* *Damna grauissima Antwerpiæ ab inundatione.*

Digitized by Google

An. 1571. ficijs, centenis quoque vt minimum millibus. Inundatione hac ortum incendium apud Osterlingorum basilicam: quod, conflagratis duabus tantum domibus, facile, ob aquarum abundantium præsentem copiam, exstinctum fuit: miserabili id quidem euentu ortum: cum enim puella quædam oues 150. à submersione conseruare, ouile intrare cum laterna satageret, ipsa quidem sæuis submersa vndis, laterna autem cum ardente candela vndarum impulsu in stramen agitata fuit, hinc subito vires cepit flamma.

Zelandi quoque casu hoc acerbo miserè concussi vbique locorum, maximè autem Romerswalæ, Bergæ, &c. Sasttinga prorsus submersa, ita vt perneceſſe fuerit, vndique naues ocius eò mittere, ad miseros homines, quorum maxima pars in aggerum & arborum cacumine consternati consedebant, eripiendos atque alendos. Regio V Valachriæ satis quidem contra fluctuum impetus munita: cortinæ tamen salariæ aquarum violentia suis locis dispulsæ. Suydbeuerlandia longè grauiora tulit. In Hollandia etiam integri ferè Pagi transportati, vt Catvvicæ & alibi. Hispani hanc omnium simul diuorum certam vindictam esse dicebant, vtpote qui die suo pandiculari iconomachiam acerrimè vindicare voluerint: verùm Belgarum, qui diuos ecclesiasque nequaquam vindictæ auidos credunt, longè sincerior hac de re fuit opinio.

Profugi Belgæ bellū classi præparant.

Hoc anno profugi exulesque Belgæ classico bello se primùm dedunt: ita vt non tantum vulgarium & siluestrium, sed & aquatilium Geusiorum fama nomenque iam volaret. Hiā Principe Auraico constituti conductique. Primi omnium fuere D. Olhainius Hannonienſis, Ioannes Broeckius Amsterodamenſis: post hos Gulielmus Fiennius, vir equestris ordinis, Lumbresij dominus, Bartholomeus Entenius, Brederodius nothus, Egmondius Hollandus, Embilius Gādenſis, filius Ioannis, pluresque alijsi naues quascunque Belgium petentes capiunt, aut redemptionis, pretium numerare cogunt: vndique per mare, intra & extra Belgicas ditiones, Rupellam, Emdam, Vliam, & Angliæ oras vsque hostiliter grassantur. Albanus contra hos, naues præsidiaria mittit paruo cum vtilitatis fructu. Tandem autem cùm D. Lumayus ex Marcea Nobili familia his quoque socius iungeretur, vires que indies crescerent: Albanus grauiter apud Angliæ ginam conqueritur, quod præcipuè circa Angliæ portus, aggeresque, & prope Douram se continerent, ibidemque & commeatum emerent, & spolia venderent: propterea Regina, Philippi Regis Hispan. gratia, eos sui regni limites exire imperat, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo. Hac potissimùm occasione & necessitate coacti Brilam inuasere, vt pòst narrabitur.

Castrum Louensteynium capitur.

Hermannus Ruyterus Buscoducenſis, olim mercator boarius, vir summæ audaciæ, duobus comitatus socijs, circa Christi diem natalem, castrum Louensteynium, Bommeler verdæ in angulo insulæ cuiusdam magnæ (quam Mosa & V Vahalis prope Gorchemium efficiunt) sito cepit, captumque retinere confidenter ope paucorum militum nititur, donec auxiliares copiæ quas clam tecteq; eò nauigare sciebat, subtidio venirent: verùm gelu, glacies & aquarum abundantia plurimis locis tranſitum sub pontibus impediunt. Albani legatis vt se dedat postulantibus nullamque subsidij ſpem superesse declarantibus, audacter id se facturum negat: itaque obsidioni cingitur; admotisque tormentis bellicis arx quatitur: magnanimus interim bellator viriliter se defendit, & hostili mulitudine propius irruente, in atrio quodam castri acriter resistit, aditis omnibus puluere tormentario conſperſis, romphæaque ingenti strenuè manibus vibrata plurimos sternit, tandem quoque sternitur ipse: cunctis virilem hominis animum summopere admirantibus. Occisi caput Buscumducis delatum, & patibulo publicè affixum in cognatorum amicorumque suorum contumeliam. Sociorum circiter septendecim capti, eorum plurimi Antverpiæ suspendio necati, duo rotæ tormentis excruciati. Constiterat autem Hermannus (vt quidem existimant) rem arduam bello tentare cum Comite Bergenſi, qui militum numerum ex Ooſtlandia præstolabatur, sperans se auxilio aliquot nauium præsidiariarum è mari, amnibus potiri posse: verùm clandestina consilia, maxima parte celata occultaque manſere.

Cyprus insula à Turcis capta. Fœdus sacrū, vulgo sanctæ Ligæ.

Non longè me euagaturumm puto, si hic alia quædam paucis etiam narrem. Cum Turca hoc anno 1571. Venetis Cyprum insulam eripuisset, ac duas metropoles Nicosiam & Famaugustam vi domuisset, Pontifex Romanus, Rex Hiſpanus, Veneti, & Italiæ Principes sacrum fœdus (vulgo sanctæ ligæ appellatum) contra Turcam ineunt, copiasque nauium, triremium & militum simul iungunt: Pontifex sub Marco Antonio Columna triremes 12: Veneti sub Sebastiano Venerio triremes 108. quinqueremes 6. & magnas naues duas: Rex Hiſpanus sub Ioanne Austriaco fratre notho triremes 81. & naues magnas 20: reliqui etiam Principes pro suo quisque facultate ingentem copiam conferunt: fuere itaque cum triremibus Melitenſibus simul omnes numero triremes 208, triremes magnæ 6, uaues magnæ 25, Liburnicæ siue celoces 40: iisdemq; dispositi milites Itali 12000. Hiſpani 8000. Germani 3000. præterea 3000. voluntarij gregarijq; variarum nationum, inter quos plurimi Belgæ tam Nobiles quam alij, qui tumultus tempestate ſque ab Hiſpanis in Belgio excitatas vitabant: insuper nautarum, seruorum & mancipiorum ingens

Copiæ nauales fœderatorum Christianorum: triremes 280. milites 26000.

Digitized by Google

gens numerus. Architalassus potentissimæ huius classis fuit Ioannes Austriacus, cuius ætatem adhuc iuuenilem gubernabat Ludouicus Requesensius Commendator maior, qui pòst Belgarum Gubernator factus, in Belgio è vita migrauit. An. 1571.

Nauales hæ copiæ simul omnes congregantur prope Corcyram 3. Non. Octob. 1573. eodem tempore quo Turcica classis 300. triremium nauium que Naupacti, vulgo Lepanti, confidebat, iamque Turcæ iussi animatique Christianos oppugnatum veniebant Prid. Non. Octob. prope ipsas arces. Christiani animis dextrisque hostem inuadere parati Cæphaleniam insulam petunt: iamque classes vtrinque improuiso altera in alterius aspectum veniunt prope Echinades, vulgo Cuzelaria insula dicta: Christiani insula cito relicta spatiosum mare petere accelerant, partiunturque in classes quatuor: dexteræ præsidebat Andreas Doria, nauibus viridi vexillo insignitis: sinistræ flaui vexillo, Augustinus Barbarigus Venetus: mediæ, Ioannes Austriacus, cæruleo: in postrema acie Marchio Sanctæ Crucis, vexillo albo. Accincti, & à militiæ præfectis probè instructi monitique milites præcipuè à Ioanne Austriaco, qui scapha nunc ad hos nunc ad illos vectus, tandemque ad triremem prætoriam reuerlus, cum Turcicas classes vix bombardæ iactu abesse prospicit, statim tormento ingenti disploso classicum cani imperat, vexillaque bellica erigi, quorum vnum Crucifixi effigiem, alterum Virginis Mariæ, tertium fœderatorum insignia arma continebat. Austriaci prætoriæ naui aderat à dextris suprema Pontificis triremis, à sinistris Venetorum, postea Genuensium in qua Princeps Parmensis, deinde Sabaudorum in qua Princeps Vrbinas: extrema claudebant, ad dexteram triremis præcipua Melitensis, ad sinistram Lomelina, in qua Paulus Iordanus Vrsinus: maximas autem has triremes sequebantur aliæ subsidiariæ. Ventus primo Christianis, pòst verò, mari tranquillo, Turcis contrarius. Circa meridiem incœptum prælium à parte sinistra hic strenuè admodum decertante Ochiali Christiano abiurato, Turcarum omnium facilè bellicosissimo, tres Venetæ triremes inuaduntur capiunturq; & Augustinus Barbarigus bombardæ ictu læthale vulnus in oculo accipit, indeque moritur: In medio, vbi Austriacus, Columna & Venerius præfecti, tormenta ænea simul omnia ter, quater, quinquies exonerata, dira strage Turcas plurimos sternunt. Altitudine nimia triremium, tormenta Turcica, extra vltraque Christianorum classes, vt plurimum volitantibus globis, male dispolita fuere, maximo Christianæ militiæ bono. Post hæc prætoriæ naues, quarum vtraque (exceptis seruis) quingentis, & amplius, militibus munitæ, congrediuntur: in Turcæ Austriaci triremem ad ipsum vsque nauis malum irrumpunt, verùm ocyus expelluntur: mox Ali Bassa Turcarum Architalassus, triremi capta, interficitur: confestim & aliæ, ipla etiam postrema acies, debellatæ superantur. Solus Ochiali cum triginta aut quadraginta triremibus euadit: Tres, & amplius, horas hic atrocissimo prælio vsque ad vesperam certatum. Postridie recensito exercitu, compertum, octo Christianorum millia occubuisse, inter quos viri aliquot comprimis nobiles, & strenui militiæ præfecti: Turcarum verò triremes, tum maiores, tum minores ducentæ, triginta à Christianis captæ, plurimæ etiam submersæ: Turcarum autem cæsorum 20000. captiuorum millia sex. Christianorum è Turcica seruitute ereptorum millia duodecim: Turcarum classibus tormenta ænea ablata, & victoribus æqualiter distributa numero quadraginta. Turcici exercitus duces fuêre hoc bello, Generalis Ali bassa, Armetbeyus Præfectus Ianitserorum, Assambeyus Barbarossæ filius cum filio Caracosa ambo rerum maritimarum præfecti: præterea Gubernatores Euboiæ, Mitylenes, Chios, Alexandriæ, Rhodi, Tripolis, &c. cum Mustapha Celebi, quæstore. Capti in prælio filij duo Generalis Alibassæ. Hæc quidem victoria mirum in modum Christianis profuit: nea enim non obtenta, crudelissimo bello Christianam Rempub. vexasset Turca.

Insigne prætorium nauale christianorũ contra Turcas.

Christianorũ victoria insigni.

Albanus omnia pacata domitaq; in Belgio existimans, nihilq; aliud ad prouincias seruituti Hispanicæ paulatim & commodè subijciendas ratus, quam perpetuam decimarum & vigesimarum (instar certi annuique reditus) exactionem, vltra extraordinarias indictiones, quæ nouis sensim vsitatis, imponi exigique possent ad præsidia alenda ac retinenda, quibus eæ quæ adhuc deesse videbantur, perfici & rebelles posthac reprimi queant: quandoquidem neque centesimæ ante sexennium communi consensu permissæ, quæ vicies centena florenorum millia singulis annis conficiebant, neque aliæ exactiones aut confiscationes ei sufficiebant: tamen munere fuo defungi, ac rude donari, ob senectutem à Rege petit, aliumque in locum fuum subrogari: quandoquidem iam satis gloriæ & honoris consecutus sibi videbatur. Itaque Dux Midinacæli Gubernator constituitur, atq; sub finem anni in Belgio exspectatur.

Albanus mittere suos desiungi, & in Hispaniam reduci curat.

Abitum verò parans Albanus, ad perpetuam rei memoriam in medio castri, quod Antverpiæ exædificarat, trophæum, statuam scilicet æneã supra stylobatam lapidis cærulei, adscensu duorum aut trium graduum sibi erigi curat: hæc autem artificiosissime facta conflataque fuit à Iongelingho, ex æneis aliquot tormentis Ludouico Comiti, prælio Iemminghensi in Frisia ereptis: longitudine & forma Albano perlimilis: stabat hic fusilis Dux prorsus armatus ac cataphractus, capite nudo, brachio dextro versus vrbem Antverpiam extenso, tanquam recon

Albanus trophæum sibi erigi curat.

ciliator

An. 1571. ciliator, ostendens innuensque se omnia superasse ac deuicisse. Statuæ duæ æneæ sub pedibus prostratæ, designabant (Aria Montano interprete) Belgij duos Ordines, Nobilitatem videlicet & Populum siue ciuitates. Ecclesiasticis integris seruatis: habebant duæ hæ statuæ brachia plurima, tenebantq; manibus supplices libellos, crumenas, malleos, fractas secures & faces, quibus omnia quæ moliti fuerant designabantur: pendebant ab auriculis scutellæ geusiorum siue mendicorũ, & à collo pera, vnde serpentes & colubri prorepebant: aderant & laruæ: quibus fallitas, malitia, auaritia & mendicitas notabantur. Anteriori stylobatæ lapideæ parti insculptum: FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBAE DVCI, PHILIPPI II. HISPANIARVM apud BELGAS PRAEFECTO, QVOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIBVS PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA, PROVINCIIS PACEM FIRMARIT, REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISSIMO POSITVM.

A Dextro stylobatæ latere, opilio placidè cum ouibus ad pascua tendit, lupi & leones fugiunt, bubones vespertilionesque auolant, aurora surgente malaque suo fulgore discutiente: cum inscriptione ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ id est *Aurora auerruncans mala*: huic autem Auroræ Albanus seipsum comparabat: A sinistro, ara & thymiama: hac inscriptione: DEO PATRVM NOSTRORVM: inferius PIETAS: his addita trophæa, victoriæ signa, arma instrumentaq; bellica. Infra ipsam statuam inscriptum: IONGELINGI OPVS EX AERE CAPTIVO. Erant autem huiusmodi simulacra duo, à Iongelingo Belga, arte summa conflata: quorum alterum, quod in Hispaniam mittere statuerat Albanus, tertio aut quarto pòst anno, Commendatore maiore Belgium gubernante, amotum fuit.

ARGVMENTVM. Lib. IIII.

ALBANVS *citrà Prouinciarum consensum vi exactiones instituit decimi & denarij contributionem vrget. Lumaius cum exulibus Ertelam mari occupat. Vlissinga & bona Hollandia pars ab Albano deficiunt: Classem Portugalensem, maiorem q. partem classis Ducis de Medina cæli capiunt. Ludouicus Nassouius auxilio Gallorum montem Hannoniæ expugnat, quam Albanus obsidet. Auraicus cum exercitu in Belgium reuertitur, Fratri ferens suppetias. Interea auxiliares Gallorum copiæ cæduntur à Genlisio ductæ, & Laniena Parisiensis perpetratur, quæ terrorem omnibus incussit, obquam Auraicus etiam illinc discessit, atq; ita mons Hannoniæ Albano cessit. Mechlinia ab Hispanis in expectatõ expugnatur fœdeq; ac crudeliter diripitur: Oppidum Goes obsessum, cui Monsdragonius peditibus suis per aquam subuenit. Middelburgum à Zelandis arctè pressum. Albani filius terribili modo Zutphaniam & Nardam occupat: vbi dum crudelissime sese gerit, occasionem dat Harlemensibus vt extrema pati statuant, potius quã in eius manus veniant: Mox ergo fuère obsessi, dum q. illis subuenire studeut Lumæus & Batenbergicus profligantur. Tandem extrema fame coacti, hostium arbitrio se permittunt, qui præsidiarios ad vnum omnes crudeliter mactarunt. Albanus naues armat quibus Middelburgenses commeatum ferat. Contra has Zelandi atroces pugnas nauales sustinent, victoresq. euadunt ac in obsidione fortiter perstitunt. Arcem Rammekens capiunt, tandemq. Middelburgum subiugant. Alcmaria ab Hispano frustra obsessa. Casimirus Albani puluerẽ tormentariũ in Germania incendit, Albanus Bossium cum classe emittit, qui captiuus Hornam ducitur. Leyda tum prima vice in vanum obsidetur. Ludouicus Requesenius Belgicis prouincijs præficitur. Albanus discedit, grauiter à Belgis criminatus.*

Hæc fiunt spatio 2. annorum præsertim sub Albano.

LIBER

DIximvs superiore libro, Ducem Albanum, ante suũ ex Belgio discessum, prouincias noua perpetuaq; decimi nummi exactione onerare constituisse: nunc quibus id modis effectum reddere mo'itus fuerit, à principio narrabimus.

Cùm anno 1568. Principe Auraico, eiusq; fratre Comite Ludouico superatis ac fugatis, stipendia militibus exsoluenda, noua q; agmina in Germania superiore constituenda essent: suæ victoriæ fructus edere, atq; ingenium, potentiam, auctoritatem cõquerendis pecunijs, & exactionib. perpetuis indicendis ac stabiliendis prorsus applicare decreuit Albanꝰ: prospiciebat enim ab exulibus, fugitiuis, infensisq; Belgis, graues turbas seditionesque adhuc imminere. Statuit proinde cõcilia Ordinum Belgij Bruxellam conuocare, atq; in Regis vsum ac gratiam, exactiones centesimi nummi omnium bonorũ mobilium & immobiliũ, præterea decimi omniũ mobilium, & vigesimi omnium immobilium, quæ venderentur, nullo temporis spatio aut termino delignato, audenter postulare atq; indicere.

Exactionem decimi, vigesimi & centesimi nummi.

His postulationibus auditis, consilia Ordinum, priuatum & quæstoriũ, summas difficultates ac perturbationes huiusmodi centesimi nũmi causa an. 1556. fuisse exortas, Albano referũt atq; exponunt: quandoquidem populus ægerrimè ferat, si quid quisq; in arca habeat, aut possideat, reueleturaut palam fiat. Quas etiam difficultates exactio decimi & vigesimi (quã *Alcauala m* Hispani vocant) sit paritura, multis argumentis declarant: in primis quod res noua atq; inaudita, grauis ac magni momenti, plena quoq; laboris, molestiæ ac negotij, præcipuè in colligendis ac cogendis pecunijs, fit futura, ob dolos fraudesq; vendentium, & ingentes sumptus, mercedes ac stipendia huiusmodi collectioni præfectis danda: præterea etiam summopere incommoda ac damnosa Belgij Prouincijs mercaturam exercentib. quandoquidem negotiationes & commercia huius causa mox hinc alio traducerentur, & opificia quæcunq; in Prouincijs multo cariora fierent, quæ proinde carius extra eas vendi necesse esset: eaq; potissimũ occasione habitatores, incolas ac Prouinciales in alias regiones migraturos, ibiq; sua artificia exercituros, in Belgio autem artificia atq; opificia admodũ pauca, emolumẽtaq; exigua fore. Addunt insuper exempla, quibus manifestè probant, quanta ex his exactionib. sit caritas oritura: quandoquidem multa opera, antequã ad plenam perfectionem perduci queant, in ipsis materijs quinquies, sexies, imò septies decimas sint solutura: vtpote panni, leuidensæ tapetes, & id genus alia: primo quidem in emptione lanæ, deinde fili, tum & textura, tinctura, & postremò mercatura: huiusmodi autem negotiationes cum extraneis frequentissimas fore: & exactiones in ingentes pecuniarum summas procul dubio abituras, maximè si opus ipsum multũ materiæ requirat, & sæpius vendatur, & ad nudinas vehatur. Vicinos insuper suas quas in Belgiũ aduehent merces, ob huiusmodi tributa, cariùs vendituros, grauiterq; etiam de ijs conquesturos: quin & fœderatos ægerrimè laturos, atq; dicturos mercimoniorum aucta tributa repugnare fœderibus ac contractib. olim initis: & legibus ac constitutionib. veterib. vectigalium ac tributorum in prouincijs Belgicis negotiari liberum licitumq; esse.

Difficultates cõ tributionum x xx. & c. nummi propositæ.

Albanus contrà allegat, huiusmodi tributa leuia ac facilia fore, si emptor Regi decimum soluat nummum, & sibi nouem referuet: quod si sufficiens emolumentum suæ Maiestati inde proueniat, Prouincias & Ciuitates hac ratione liberari atque exonerari facilius posse omnibus suis difficultatibus, debitis, vsuris, fœnoribus, & alijs quamplurimis oneribus, vtpote tributis in libras, in capita, canonibus quoq; oblationibus, indictionibus, vectigalibus publicis, reditibus & obuentionibus Regi exsoluendis. Regem autem, nili debitæ contributiones ac collocationes præstentur, stipendiarijs militibus neq; satisfacere, neq; prouincias protegere posse. Se quidem Carolum Cæsarem V. piæ memoriæ, audiuisse conquerentem, has Prouincias Belgicas ægerrimè ac difficillimè ad contributiones soluendas perduci posse: plurimum autem Principis auctoritati detrahi, si vectigalium contribuendorum permissio à populo impetranda sit: hinc eundẽ Carolum multa ac varia æquitati parũ consentanea postulata, ac priuilegia concedere sæpe coactũ fuisse. Addit insuper, nouas arces, ac munitiones construi debere. Consumptis quoq; & deficientibus regijs reditibus, obuentionibus & vectigalibus, necessariò perpetuum aliquod tributum pendendum esse, ne nouorum tributorum constituendorum difficultatibus Ordinum proceres quotidiè molestentur. Hinc agricolis ingens accessurum leuamen: nullum in Ecclesiasticos & Nobiles; sed in solos mercatores & opifices redundaturum omne onus. Pollicetur insuper se prouincias exactionibus multo grauiorib. exoneraturum, nempe frumenti, carnium, vini & cereuisiæ, hanc quidem decimarum indictionem se existimare populo commodissimam & facillimam: talem contribui in sua vrbe Alba in Hispanijs, atq; inde quotannis quadraginta aut quinquaginta ducatorum millia in suum vsum colligi.

Respondet Albanus ad difficultates propositas.

Digitized by Google

An. 1572. Ad hęc respondent Consiliarij generaliter, Præses autem Viglius Zwichemus singu'a riter: In huiusmodi negotio perpendi debere, cuiusq; Prouinciæ conditionem, proprietatem & naturam. Hispaniæ quæstum non consistere in commercijs aut opificijs, sed in fertilitate & amplitudine agrorum & Regionum. Belgicas autem Prouincias multo minores & angustiores, cõ sistere potissimum in commercijs, opificijs, artificib. Hispaniam montes & Maria tantũ habere vicina: Belgij autem vicinos circumiacentes cõmercia, opificia & artificia ad se pertracturos, dummodo exactionib. aut vectigalibus nouis grauentur. Eaq; potissimum de causa Philippum Burgundiæ Ducem, Belgicæ prosperitatis ac salutis auctorem, prudenter imprimis olim curasse ac prouidisse, vt cõmercia quàm liberrimè exercerentur, annonaq; iusto satis pretio semper venderetur: ea oia liquido satis patere ex contractib. fœderibus & pactis cum Anglis alijsq; vicinis eo tempore initis, priuilegijsq; insuper concessis, quibus extranei mercatores ad commercia in his prouincijs exercenda, alliciebantur atq; inuitabantur. Contra verò noua hæc vectigalia ac onera huiusmodi optimis constitutionib. prorsus obstutura, extraneos mercatores eliminatura, imò intraneos, vt alio cõmigrent, impulsura. Quod verò ad nouas arces exstruendas attinet, id alia fieri ratione debere, qualem nempe facultates & pecuniæ postulabũt. Potius consultiusq; veteres arces limitaneas conseruandas ac tuendas, quam nouas construendas esse. Ad perpetuæ autẽ exactionis postulationẽ respondetur: Subsidia exactionesq; in Belgio solere concedi & contribui, pro rerum necessitatib. & contribuentiũ facultatib. Subditos tempore pacis nequaquã ita emulgendos, vt tempore belli nihil superfit quod vlterius contribuere queãt. Quod verò ad agricolarum leuamina attinet, respondetur; eos neutiquam subleuandos, vt onus omne in ipsos solummodo ciues & mercatores recumbat: D. Pauli altare non ita insternendum ac contegendum, vt D. Petri inde detegatur. Albanum autem, ex Alcanali siue decimis vnius suæ ciuitatis Albæ, tantam pecuniæ summam quotannis conflare, mirum ipsis videri, nihil omninus ei hac de re gratulari.

Respondent Consiliarij Albano.

Replicat Albanus.

Contra, Albanus pertinax propositiq́ue tenax, ait se hanc exactionem statuisse non procul Thionuilla, antequam in Belgij prouincias veniret, tuamq́ue mentem tunc D. Barlaimonto & Norcarmeso exposuisse: proinde necessario obediendum, & Ordinibus, vt consentiant, persuadendum affirmat.

Postea Ordinum proceres conuentum Bruxellæ agunt, difficultatibusq; omnibus exactius perpensis, non admodum inuitos se ad centesimum nummum semel tantùm soluendum præbent, ne autem decimo grauentur rogant, eiusq; colligendi ac contribuendi summas difficultates exponunt. Verùm Albanus hoc responso nequaquam cõrentus, eos dimittit, ea lege, vt argumenta gratiora & ampliora, absq; vllis cõditionibus, instantionibus, aut moderationibus, ad ferant. Prouinciæ autem, postquam rem omnem relatu delegatorum intellexerunt, difficultates scrupulosq; multo grauiores proponunt. His de causis Albanus ad Prouinciarum Gubernatores scribit, postulata curari ac præstari mandat: se æqua moderatione difficultates maxima parte adempturũ; &, si quid inde damni aut detrimenti opificijs & mercimonijs eueniat, exactionem ex auctoritate sibi tradita prorsus adempturum, deleturumq́ue promittit. Nonnullis Prouincijs, si consentire recusent minatur potestatem sibi à Rege traditam, summo iure rigoreq; agendi: quandoquidem Rex ipse hanc exactionem contribui velit ac iubet: quin & insuper ijs pristinas turbas ac seditiones exprobrat: delictumq; hoc, decimarum solutione luendum contendit. Cùm Hannonienſibus Artesianis & Namurcensibus, in quos nullam seditionis culpam conferre poterat, per Barlaymontum & Norcarmesum blandius agit, vt faciliores se in consentiendo præbeant: nempe non tam decimarum exequutionem, quam obedientiam & benuolentiam, qua Regiæ Maiestatis honos reparetur, exigi ac requiri. A ijs Prouincijs metus incutitur, nisi consentiant, & contribuant, Albanum milites præfidiarios recusantibus, ciuitatibus impositurum. Idque dum metuunt Louanienſes, ocyus ad eum deprecatores mittunt, qui multis precibus & intercessionibus, ciuitatis summam semper fidelitatem, testantur, & totius Academiæ exitium hinc imminere declarant: hac ratione præfidiarij eo missi reuocantur.

Artes, promissa, & mina Albani ad decimi numi consensum extorquendum.

His demùm alijsq; id genus artibus, occasionibus, & conditionibus extorta quodãmodo fuit Ordinum delegatis exactionum consensio. Promittebat enim Albanus se difficultates oẽs singulatim moderaturũ: proinde singulæ Prouinciæ libellũ supplicem suarũ querelarũ exhiberẽt. Atq; hanc potissimũ ob causam, in consensus scripta formula rationes additæ fuerunt, ob quas hæ decimæ exitium perditionemq; mercaturis & opificijs, & excidium Prouincijs allatura viderẽtur, eidemq; formulæ præterea insertũ, hãc permissionẽ concessionemq, ideò potissimũ factã, q́ regẽ ita velle ac iubere, liquido affirmaretur: & q́ Albanus, se rẽ oẽm optima fide sic moderaturũ, vt Resp. in quæstu, negotionib. & opificijs nihil prorsus dãni int paliura promisisset.

Conditiones quibus decimarum exactio permittitur ab Ordinibus Belgij.

Vltraiactenſes dictas conditiones planè recusant: nihilominus: ingentes aliarum contributionum summas offerunt. His quoque concordes se præbent iunguntq́ue Brabanti.

Verùm

Verum enimuero Albanus promissis suis omnia rata firmaque fore confidenter reputat: maximè cum Hannonienses, Artesiani & Namurcenses certis conditionibus ac legibus consensissent, vt saltem alios allicerent: reputabant enim se liberos fore à tanto exactionum onere: at se miserè illusos, postmodum manifestè declararunt. An. 1572.

Vltrajectenses mandata & postulata Albani parere recusant, alias tamen maximas contributiones offerunt. Ijs se iungunt Brabanti.

Itaque Dux Albanus centesimi nummi collectionem exequutioni mandat, interea dum rationes decimum colligendi ineuntur. Difficultatibus autem exactiùs perpensis, consultiſsimum reputat aliquamdiu supersedere, vt interea temporis iniqua indecensq; consensionis extortæ forma obliteretur. populiq; memoria elabatur: magistratum senatumq; interim vbiq; locorũ pro suo arbitrio mutaturus. Proinde alias conditiones adfert, nempe se contentũ vt loco decimi & vigesimi, bis millies mille aureos, singulis annis, 6. annorum spatio ad veterem taxationis normam soluant. Cumq; decimi nũmi exactione ingentem thesaurũ se cõflaturum, antequam aliqua necessitas vrgeret, speraſſet, alium adhuc (vt suæ auaritiæ satisfaceret) centesimum exigit, quatuor nempe millies mille aureos: verùm cum ne hæc quidem exactio succederet, bis mil lies mille exigit quotannis ad duos annos: moliturq; hæc omnia, vt tanto facilius contributionem decimarum consequatur: non ignarus difficile admodum esse huiusmodi exactiones ad veteris taxationis normam colligere. Vnde euidenter satis patuit, eum finitis duobus annis, mense Augusto 1577. constituisse talibus technis decimas imperare atq; extorquere: sciebat enim se summa gratiam apud Regem, & insignem laudem apud suos Hispanos initurum, Regis vectigalia & canones in Belgicis prouincijs tantopere augendo atq; promouendo. Toto autem horum duorum annorum spatio, collectionem ad veteris taxationis vsum, vituperare nõ destitit, quod sciret populo inde notum esse quantum Regi contribuereturus: eaq; imprimis de causa huius taxationis rationem, tanquam nimis difficilem atque incommodam auersatus est.

Albani decimas promulgari iubet cũ moderatione.

Hoc rerum statu transactis iam duobus annis, Albanus pridie calend. Augusti, 1571. iubet decimi & vigesimi numni exactionem promulgari, addita moderatione quadam quam satis idoneam sufficientemq; pro suo arbitrio existimabat: hac mercatori extraneo merces inuehenti primæ venditionis immunitas, & liberè rursus euehendi facultas concedebatur, dummodo transactio proprietate neutiquam mutata, fieret: permissum præterea vt pro mercibus semel tantum decimę soluerentur, cum venderentur, vel cum extra prouincias veherentur, nempe in postrema venditione, vt etiam frumenta, fruges, fructus terræ & pecora in Belgicis prouincijs nata, prima venditione essent libera: vt hac ratione agricolis animus addatur, agrorumq; cultura promoueatur: atq; hæc quidẽ omnia tanquã experimenti & specieminis cuiusdã loco tentãda.

Verũ neq; promulgatio neq; moderatio Prouincialibus placuit: reputabaturq; violenta quæ dã tyrannis Ducẽ enim moliri hoc modo Prouincias diuitijs spoliare, populũ exenterare, atq; ad extremã paupertatẽ redactũ patria expellere: quandoquidẽ & salus & quæstus omnis Prouinciarum à mercimonis & negotiationibus prorsus dependeret: nempe cuiusuis generis materijs & mercibus aduehendis, emendis, operi accommodandis, rursusq; euehendis: hinc & diuites & pauperes terra mariq; lucrum sectari ac quæstum facere: quibus omnibus si decimæ imponerẽtur, infinitam innumerabilemq; fore exactionis summam, non sine prouinciarum grauissimo damno atq; exitio. Belgij enim populum pecunias potissimum suppellectili, vestibus, linteis, telis, cimelijs alijsq; rebus pretiosis impendere, & nationes quascunq; ornatu ac cultu superare: eorumq; supellectilem non necessariam, sed ad ostentationem, cultum ac voluptatem tantummodo comparatam, facilè omnem aliarum nationum necessariam supellectilem valore vincere. Cumq; hanc adeo grauem exactionem populo summopere displicere, & bis mille chiliadũ, loco decimarum, solutionem annuatim, sufficere, multis argumentis declaratum esset Albano, dixit se in Hispanijs summopere vituperari ac infamari, quod decimarum solutionem non esset exequutus: hanc enim exactionem Regi inprimis placere: proinde Ordines non esse tantopere sollicitandos: se, velint nolint alij, ita iubere ac velle. Obstinatum autem se omnibus modis præbuit, neque auerti à proposito potuit vllis rationibus, quas sane multas regis consiliarij prouinciales, præcipuè Viglius, Schetsius & alij qui summa cum laude prouinciarum causam defendebat, prudentissimè adferebant: Nempe prouinciarum Ordines non absolute decimas permisisse aut consensisse: imò hinc periculum imminere, ne centesimus nummus secundæ exactionis recusetur. His dictis exasperatus Dux, iratè respondet: Neque bene neque verè ab ipsis dictum, Ordines non consensisse: frequentique iuramento affirmat, se decimi nummi exactionem obtenturum & exequuturum: Prouinciarum interitum imminentiaque pericula parui facere: etiam suæ vitæ periculo incepta conficere & perfequi velle: Consiliarios qui Regiæ Maiestatis subditos contra animabant atque instigabant, tanquam rebelles habendos: additisq; insuper minis, contumelijs & iniurijs grauissimis, asserit hinc Regiæ Maiestatis celsitudinem, honorem, auctoritatem, existimationem prorsus dependere: subditos hinc exemplum Principes illudendi, promissa non seruandi, fidemque fallendi sumpturos. Se effecturum vt huiusmodi recusationem iudices sanguinarij rebellionem reputent, & culpæ reos,

Leui Belgij consiliarioru. Viglij, Schetsij, & aliorũ.

Albani ira ex assumis minantia ac dira verba.

An. 1572 eorumque fautores omnes capitis ſupplicio puniant. Ipſis omnibus generaliter, Flandriæ autem Ordinibus ſpecialiter gratiam ingentem factam: quandoquidem non minorem quàm Egmondanus & Auraicus, ob delictum in Regem, pœnam ſimul omnes eſſent meriti. Se proculdubio confiſcationis iure in Regis commodum multo plura potuiſſe conquirere (ſi pro tradita ſibi poteſtate eo vti voluiſſet) quam hac decimarum indictione. Prouinciarum & ciuitatum prætenſa Priuilegia, præcipuè lætum Brabantiæ introitum ſe floccipendere: quandoquidem hæc omnia, æquè atque Traiectenſes, delicto amiſiſſent, irritaque reddidiſſent. Ad hęc Albano reſpondent nonnulli, huiuſmodi priuationis ac pœnæ declarationem & ſententiam debere præcedere: idque non ſine maximo periculo fieri poſſe. Replicat Albanus ſe potius paſſurum in fruſta conſcindi, quàm prouinciarum promiſſa non præſtari.

Legati ab Ordinibus in Hiſpaniam miſſi, ab Albano reuocati, tamen proficiſcuntur.

Ordines perſpecta Albani ſententia ac peruicacia, ineunte anno 1572. ad Regem in Hiſpaniã conſultò mittunt: Albanus Legatos reuocat, & mortis pœnam, ſi proficiſcatur, minatur: nihilominus in Hiſpaniam perueniunt: verũ antequam hic aliquid certi ſtatueretur, vicißitudines mutationesq; in Belgio, Briela, Fliſſinga, & alijs locis captis Albanoq; ademptis, euenerunt.

Mutatio in Belgio oriur.

Nihilominus molitur interea obſtinatè decimarum indictionem exequi, adminiſtratorib. ad hoc conſtitutis: & primo quidem Bruxellæ rem tentandam exiſtimat. Commoti Bruxellenſes tabernas & officinas ſuas omnes claudunt, neq; quicquam vendere volunt, ne decimæ inde exſoluere teneantur: piſtores panem, ceruiſiarij ceruiſiam coquere recuſant: hinc mox turbæ ingentes oriuntur, populuſq; quodammodo ad deſperationem redigitur. Proinde Albanus vi-

Violentia Decimas vrdecimas exturqueat.

olentius agere, & menſe Martio 1572. præcipuos ciues Bruxellæ, ſuis conatibus præcipuè reſtentes, in ædium ianuis, niſi merces vendant diſtrahantque, ſuſpendere ſtatuit.

Iamque ſatellitibus & carnificibus, vt diræ huic exequutioni ſe accingant mandatur, ſcalaſque & laqueos parent. ac proxima nocte exequendis curiæ decretis ſtremam dent operam: cum ecce eodem ipſo die nuntium de Brilæ vrbe à Comite Lumeio capta adferrur. Profectò Brilæ amiſſio ſatis Albanum docuit, longe præſtitiſſe, portus bene munire, populumque clementius tractare, quàm omnia pro Imperio proteruè agere, & ſubditos aſperrimis tributis vexare, maximè cùm prouinciæ tam ingentem ac grauem pro ſua facultate ſummam offerrent.

Exactio 10. & 20. nummi omiſſa.

Itaque tandem, his de Geuſiorum irruptione nuntijs, decimarum & vigeſimarum exactio fuit omiſſa, tametſi poſt ſæpe adhuc tentata.

Supra diximus exules profugoſque nautas & maritimos quoſdam ex belgio, mari ſe commiſiſſe. Hi Ducibus nonnullis Nobilibus alijſque patria pulſis, viam ſui damni recuperandi quærunt: accidit paulatim ingens numerus eorum qui patriam à tyrannide præclaro aliquo facinore liberare ſtatuerant: itaque creſcente indies multitudine, hoſtes ſuos in Hollandia, Vlia, Texela, Emſa, vbique locorum direptionibus incurſionibuſque diuexant: ſeque potiſſimum in Angliæ ſinibus, portubus, maritimis montibus, Doueræ & locis vicinis continent: inter quos & Auraicus Princeps, tanquam Architalaſſus conſcriptos habebat milites, qui prædæ quintam partem impetrabat acciebatq;. Proinde Albanus Angliæ Reginam ſollicitare non deſijt, vt hęc prohiberi imperet: iniquum enim eſſe & contra fœderis inter Angliam & Belgium initi conditiones, vt Regi rebelles hoc receptaculo excurſionibus perpetrati palam & apertè admittantur. Regina, quanquam non ſatis cum Albano conueniret, tamen Martio menſe omnes ſui regni ditiones portuſque egredi imperat: ſubditos etiam commeatum eis vendere prohibet. Hac neceſſitate Geuſij diſcedere, & rem arduam, cui antea impares ſe ſemper reputarant, fortiter aggredi tandem fuére coacti.

Geuſij Aquatici Angliam exire iubentur.

Geuſiorum Aquaticorum Coryphæi.

Erant autem aquaticorum Geuſiorum Coriphæi Comes Guilhelmus à Marcka, Lumæi dominus, Guilhelmus Bloyſius Trelonij dominus, Svvetenij dominus, Lancelotus Brederodius, Egmondanus quidam, Bartholomæus Entenſius: Flandri, Iacobus Cabelliaus, Anthonius Riuius, Guilhelmus Grauius Gandenſis, Iacobus Martini Flandriæ præſidis filius, inſuper Ruychauerus, Marinus Brantius, Roybollius, Ioannes & Lochus Abelij, Iacobus Hennebertus, multique alij. Hi quadraginta nauibus partim magnis, partim paruis, præcipuè cælocibus, bene inſtructis, Angliam relinquunt, & Dourâ Hollandiam petunt, Enchuſam vſque: hic nauem inſignem Antverpienſem ex Hiſpania mercibus pretioſis onuſtam, & aliam quandam Biſcainam capiunt: deinde vento parum adſpirante. In Brilam Inſulam ab oppido ipſo ſic dictam, vbi Moſa & Rhenus pariter in mare confluunt, alacri animo tendunt: hic claſſem ad litus appellunt, vrbem Brilam oppugnant, portam puluere bombardico incendunt, muros ſcandunt, & vrbe potiuntur feſto die palmarum, ipſis Cal. Aprilis: captam ſtatim totis viribus muniunt.

Brilam vrbē capiunt Geuſij Calend. April.

Albanus nuncium de Brila capta ocyus allatum parui facit: nihilominus Comiti Boſſuo mandat, vt cum decem Hiſpanorum cohortibus, qui circa Traiectum erant, Geuſios expellat. Hiſpanis aduenientibus, antequam arena potiri poſſent, celeriter occurrunt Geuſij. Geuſiorum

Digitized by Google

Geusiorum classe visa, Hispani propius accedere nequaquá ausi, maris æstu eo adhuc loci vbi consistebant decrescente, festini in proximam littoris oram naues deducere fatagunt: mox hoste instante, per lutum fugere coacti vndiq; cæduntur, naues incenduntur: eorum nonnulli euadunt, Dordracumque confugiunt, vbi eis introitus negatur: inde Roterodamum petunt: hic nequaquam omnibus simul intrare, sed cateruatim viginti aut quadraginta numero transire conceditur: ægerrimè id ferunt Hispani, vtpote ciuitatibus leges constituere, ipsi nullas seruare consueti: tandem cùm conditiones congregatim paulatimque transeundi acceptassent, vi per portas magno impetu irrumpunt, introitus occupant, resistentibus ciuibus: vrbem denique furebundi inuadunt, ciues circiter ducentos interimunt, vrbem diripiunt quinto Id. April. post hæc Delfshauam capiunt ac præsidio muniunt. Crudeli hoc facinore mirum in modum exacerbati Hollandi. An. 1572.

Hispani Roterodamū eruendis delitiosissimè insudant.

Albanus Vlissingam Zelandiæ oppidum, vbi arcem ædificare cœperat, necessario muniendam reputat: itaque eò ex Brabantia octo Hispanorum cohortes mittit. Iamque ipso Resurrectionis dominicæ die festo, octauo Aprilis, hospitiorum designatores summo mane in Curiam ciuitatis venerant, vt Senatus consilio & auctoritate hospitia designarent: quandoquidem præsidiariorum militum copias classem cum Pacieco castrorum præfecto conscendisse aiebant. Hic rumor simul ac ad populi aures peruenit, quorum maxima pars die solenni Paschatis, sacræ confessioni, missæ audiendæ, & præparationi ad fynaxim more Catholico Romano vacabat, statim ingens oritur commotio; decimarum enim exactio animis turbatis adhuc in hærebat: itaque ocyus templo relicto ad curiam accurrunt, vbi designatores cum Senatu agebant: ciuis ciuem, animosa cohortatione incitat, & altis vocibus, se Hispanos nullo modo admittere velle, conclamant: cumque mare oportuno Hispanorum classem aduenire vident, statim ciuitatis iuniores nautæ ad tormenta ænea accurrunt, ex armamentario arma capiunt, & bombardas in portu contra aduenientes dirigunt, vt illico discedant signo dato: nec mora moniti Hispani abitum parant, & Sonnæ bergam petunt.

Vlissinga ab Albani deficit.

Erat in vno oppido Middelburgo cohors vna Valonum præsidiariorum, quorum media pars, cum signifero Vlissingæ collocata, metu tumultus Vlissigam relinquunt, & Middelburgum fugiunt. Paruo post tempore Antverpiâ Vlissingam naue oneraria aduehitur Paciecus Hispanorum præfectus, socijs famulisq; aliquot comitatus, putabat enim suos vrbem intrasse: Pacecum ciues apprehendunt, scriptis ac mandatis quæ habebat, perscrutatis & lectis (ex quibus præcipua suspicio orta) se defendere, ac vndique ex Brila, Anglia & Gallia, vbi tunc Comes Ludouicus erat, auxilia petere vnanimi consensu decernunt: tandemque nuncio eorum, quæ Roterodami ab Hispanis patrata erant audito, ipsum præfectum Paciecum, quamuis Albano Duci sanguine iunctum, cum nonnullis suorum suspendio publicè necant: & arcis iacta quædam defossaque fundamenta, aquarum vi inundant: ac materias, lapides, calcem, pecuniam suo vsui necessitatique applicant. Eyvoutus Perfilius (alias Capitaneus VVorstus) Antverpiâ secreto pulcrem bombardicum, reliquaque bello necessaria aduehit: itaque simul hostiles iniurias arcere constituunt. A Lumæo Comite Marckæ militum numerus (à profugis in Anglia ampla cohors suorum collecta, & armis omnib; apparatu bene instructa, Duce Bernardo) à Comite Ludouico Hieronimus Tserartsius nobilis Auræ Auraicæ, tanquam Gubernator, cum Domino Haulteyno suo Legato, & Gallorum militum aliquot copijs, eò summa diligentia mittuntur. Vlissingenses quidam nautæ, cum nauibus præsidiarijs aliisque bellicis mari Geusios quærere & persequi ab Albano iussi, redeunt, & ciuibus conterraneisque suis se socios iungunt.

Middelburgū Albano seruat Beauuoysius.

Middelburgum cohorte militum præsidiariorum, munitum, Dominus Beauuoysius ex familia Lanoya Duci Albano seruat: Vlissingenses multis persuasionibus & pollicitationibus allicere studet: Armudam militum ingenti præsidio à Duce missō munit, tueturque. Camphera autem vrbs, vbi totius Zelandiæ armamentarium, in quo apparatus, omnes tormentorum & machinarum bellicarum asseruabatur, Vlissingensibus fœdere iungitur: atque hoc modo tota hæc insula diuiditur.

classem ex Portugallia capiunt Vlissingenses.

Primo quidem Vlisingh enses nauibus omnibus Zelandiam eò loci intrantibus tantum tormenta & instrumenta bellica adimunt: postea autem aliter constituunt. Classem ex Portugallia aromatibus varijsque mercibus prætiosis, pecunijs quoque onustam capiunt, exonerant, vendunt, fuæque defensioni omnia applicant: hinc non tantum mercatorum ex Anglia alijsque regionibus, sed & militum Anglorum ingens numerus spe lucri & stipendij eò confluit: his auxilijs Subburgo & agris inter Vlissingā & Middelburgū potiuntur: tandem vero hostilibus Middelburgensiū viribus coacti, aggeres rumpunt, quidquid erat agrorū inundant, vrbesque Vlissingam & Cāperam fossis, aggeribus ac sepimentis muniunt: Flandriam excursionibus vexant: vrbem Brugensem, in qua non paucos habebant fautores, sibi tradi, fecialī inter nuncio postulant.

Digitized by Google

An. 1572. Sed quia res suas parum adhuc vident dispositas, rem tanti momenti non audent aggredi. Diripiunt autem omnia circumcircà Monasteria & templa, quibus datur potiri. Quin etiam discurrentes in Suydbeuelandiâ, proximam Selandiæ Insulam, Tergoam ciuitatem occupare conantur, quàm, vt postea dicemus, frustra cinxerunt. In Schaldia vrbs Ziricæa cum vniuersa Insula, ab ipsorum partibus stetit.

Dux Medinaceli venit in Belgium magna Classe quæ dissipatur.

Interea Dux Medinacælius, iam dudum ex Hispaniis in Ducis Albani locum exspectatus nouus Belgij Gubernator, 10. Iul. inchitur nauium classe non aspernenda, sub qua nõnullæ quoque numerabantur naues Belgicæ, qualis erat Bauonis Eyvoris, Iohannis de Moyr Flisingensis, & aliorũ, omnes secundis appulsę ventis, nec tale quicquã suspicantes, donec iã essent Belgio proximæ. Aduehebant illi secum duo plus minus nouorum militum Hispanorum millia, cum nauigijs aliquot grandioribus, quibus omnibus in Selandiam nauigandum fuit. Plurima tamen minora Biscainica, Assabres illis nominata, cum Duce Medinacælio, eiusque militibus, Sclusam vsq; peruenêre, licet non sine periculo & damno. Quicquid autem reliquæ vexêre naues, id omne detentum est Flisingæ, exceptis quibusdam saltem militibus, maioribus nauigijs vectis, quorum pars euasit Mittelburgum, pars submersa perijt. Assabres autem illas numero viginti, (sperans harum & suorum nautarum Hispanicorum viribus compescendos à se Selandos) Dux Albanus subitò bellicis instruit armis, cum alijs: eumque in finem è Mechlinia viginti tria tormenta Metallica, cum multis, plaustris, nitrato puluere & globis tormentarijs probè onustis, eò mittit. At miles Flisingensis, obuiam illis in Flandria factus, vectoribus superatis 16. Iul. Tormenta & plaustra in suam potestatem redacta Flisingam deducit. Nihilominus Albanus id dãni floccipendens, alia mittit tormenta, Assabribusq; instructis, suos, Sclusã soluentes, & valido nauigantes vento ad Castrũ Rammekense, alias Scburg appellatum, ablegat, qui quidem amissis duab. tribusve, quas Flisingenses in itinere adorti seduxere, tormentisq; suis perforatas fundo dedere, eo peruenêre. Sed interea temporis, dum cæteræ sub arce constitutæ morantur, Euo Petrus VVorst, alias vulgari Selandorum lingua nuncupatus **Capttein Worst**/ Flisingensium Admiralius, vir probus & integer, reiçi; naualis peritissimus, quanto potest conatu & vi eas adoritur, fusq; nauiculis & scaphis fortiter assixas expugnat, nihil obstante crebro, simul ex arce Rammekensi, & ex ipsis Assabribus, in ipsum coniecto grandine globorũ. Hic omnes non confosi, nauium tabulata transilientes, nando se ripæ sistere coguntur. Et quia non datur facultas eas auferendi, Vulcano committit tam fœroci, vt è 21. vel 22. ne quidem vna remanserit superstes: facinore supra modum audaci & periculoso. Flisingenses proprias naues, castri tormentis submersis, deferentes, tantisper vitæ suæ consulunt in proximis, dum, quod instituerant, perficissent. Atque hoc pacto Dux Albanus & nauibus & nautis suis Hispanicis exuitur.

Euo Pet. Flisingensis Nauarchus exuit naues Hispanicas ante Rammekensia.

Dux autem Medinacælius vnà cum filio suo, videns hanc rerum Belgicarum conditionem & statum, aliam, & quidem ampliorem, quàm ipse haberet, commissionem, ad earum Gubernationem certò sibi persuadens requiri, regimen detrectauit, eoq; nomine satis excusatus, ab eo suscipiendo dimissus est.

Batani ab Hispanis deficiunt.

Mox Ciuitates Batauicæ (quod Lumæo Comiti Marchiæ maiores quotidie Brielæ nascerentur copiæ) quod latrocinium Roterodami patratum singulis ciuitatibus in Hispanica præsidia concitaret nasceam, (quam postulatus numus decimus exaggerabat) quod idem Lumæus durius in diem Hollandos præmeret: quod hostilis denunciatio Flisingensium in Hispanos innotesceret: Princeps Auraicus exercitum in Germania conscribere: Comes Bergensis cũ Copijs in itinere esset, ac tandem Ludouicus Nassouius è Gallijs appropinquaret, omnes vna post alteram, non modo desciscunt, sed etiam hostes Hispanorũ & eorum numi decimi se declarant, Comiti Luminæo se coniungentes, qui quotidiè literas ab Auraico accipens, per modum prouisionis Hollandiæ Gubernator ab illo constituitur, Dordracum, Gouda, Arx Goricumensis, Loeuensteinium & Schonhouium vi ad assensum adiguntur. Dordraco D. de Boxtel Gubernatore præficit Auraicus. Amsterodamũ verò Hispanorum adhærens factioni, pertinaciter in proposito perstitit: contra quàm sæpè molitus aliquid dictus Comes, sed non satis caute, nihil promouit: quod postea plurimi sanguinis humani profundendi causam præbuit.

Amsterodamum Hispanorum partes quitur, vicinus deficientibus.

Batani Septentrionales cum Enchusamensibus ab Hispanis deficiunt.

Septentrionales verò Hollandi, Enchusam Metropolim suam secutæ sunt, quæ, metuens ne classe bellica, quam Amsterodami fabricandam iusserat Albanus, obrueretur à vicinis 10. Iun. aduersus Hispanos opem petijt, Albani militem quoq; comeatus causa quotidiè in vrbem vltro citroq; commeantem, mandato excludens, & Buschusium nauibus præfectum detinens captiuũ. Cuius exemplum postmodum Alcumarea, Hornum, Edamum & Medenblicum ciuitates imitate sunt.

Itidem & Frisia.

In Frisiam quoq; prius in fugam conecta Noblitas irruptionem fecit, nimirum D. de Nedervvormter & Iodocus Comes Schovvenburgensis, qui à Sneco, Bolsvvarto & Franikero oppidis admissi sunt. Casparus verò Robles Portugalensis, D. de Billy, ab Albano illuc missus, à Leo uardensium,

uardensiam, Harlingensium, & Stauerensium vrbibus intromissus est. Doccum etiam occupatur quidem, sed idem mox per VValones recuperatur. Similiter arx Stauerensis à Geusijs quidem cingitur, is autem in fugam pulsis, oppidum ei annexum diripitur. An. 1572.

VVilhelmus Comes Bergensis in Geldria sibi quoq; manu quadam comparata, Comitatum Zutphaniæ cùm ciuitatib. Dotecomio, Duesburgo, Harderv vico, Hattemio, & Campena obsidione subegit: in Transisulana verò Regione Svvollam, Hasselt & Steenvvick; ac in Tvventa Goerium & Oldenselium occupat. *Nec non & Geldria cum vicinis provincijs.*

Auraicus accepta ex Hollandia, Selandia & Gallijs aliqua pecuniæ summula, diuenditis; vel portius oppignoratis Landgrauio & alijs, proprijs hæreditarijs; ditionibus, veluti Siegen, &c. alterum iam in Germania colligit exercitum, 7000. equitum, & 14000. peditum, cui primarios Duces præficit Ernestum de Manderstoo, Comitem de Barby, & Henricum fratrem: quem ini to iam dudum cum Galliarum Rege fœdere, & traiecto 8. Iul. Rheno, in Geldria lustrauit. *Altera Principis Auraici expeditio.*

Fœderis istius cum Galliarum Rege pangendi authores fuerant Ludouicus Comes Nassouij & Admiralius Galliæ cum nonnullis alijs reformatæ Religionis professoribus, Carolo 9. Regi persuadentes, oblata tam insigni occasione, bellum hoc è Gallijs in Belgiũ diuerteret: non posse reperiri remedium commodius, Regnum suum ab omnibus vitiosis belli humoribus repurgandi, & in pace retinendi. Quorum persuasionibus Regis Consiliarij non adstipulabantur solum, sed ipsi quoq; Regem vrgebant. Qui cum & ipse grauiter suspicaretur, sororem suam, Hispaniæ Reginam, quæ viuens etiam parum regaliter ibi tractata fuisset, de industria sublatam nec sui iuris aduersus Hispanos illos, qui subditos eius sub Rybalto Capitaneo in terra Florida, in citeriori parte procul à Mexico disitos, internecione deleuerant, persequendi vel potiundi spem videret: Ludouicum Nassouium secretò Rochellam, Limogas, & postea Fontenebelleauum euocat, cum eo transigit, & Auraico fratri scribere iubet, ne Reconciliationis cum Hispaniarum Regæ conditiones, à Cæsare tum temporis illi propositas, quantumuis cum certificationibus suis tolerabiles & vtiles appareant, accipiat. Præterea cõuentum hic est inter illos, vt Galliæ Rex eam Belgij partem, quæ Galliæ est finitima, ad Rheni terminũ vsq; ditionibus suis annecteret, Hollandiam verò, Selandiam, Frisiam & Vltraiectũ Auriacus retineret sic tamen, vt Auraicus militem conscriberet è Germania, Regis verò frater natu minimus Dux Alenzonius, & sub eo Admiralius, in Belgium ipli, bellum gesturi, proficiscerentur. Hæc sunt quæ de hoc fœdere in lucem sunt prodita: cuius in vsum videtur etiam apparata in Bruagia sub Philippo Strozzi & Barone della Garde classis bellica; quemadmodum & actio illa cum Ioane Galeasse Fregoze, de 200. ducatorum millibus, à Duce Florentino huic fœderi commodandis, sed; hoc officio ab expeditione contra Sienam liberando. *Authores & causæ fœderis inter Galliæ Regem Carolum nonum & Auraicum. Capita pacis inter Galliæ Regem & Auraicum Principem.*

Ad maiorem huius pacti certitudinem Rex præterea nouum, idq; firmũ fœdus cum Angliæ Regina pangit, vt mutua sibi præstet auxilia, etiam si alteruter in negotio Religionis sit aliuandus: quod valde solenniter per Marischallum de Montmorenzi fuit confirmatum. Simili modo confœderarat etiam sibi Germaniæ Principes. *Fœdera inter Gallia, Angliã & Germaniã.*

Huius confœderationis firmamento freti Ludouicus Nassouiæ comes, Ienlisius, & D. de Lanoue, Montem, Hannoniæ Metropolim, vrbem validis è cyneo lapide muris, turribus, propugnaculis, alijsq; munimentorum generibus, profundis item & latis circumcirca fossis insigniter munitam, astu capiendam sibi propofuerunt, clanculum agentes cum quibusdam in ea ciuib. inter quos erat Antonius Oliuierus, caduceator & pictor, alijsque, exiguo tamen profectu & commodo. Astus autem erat huiusmodi. Mandat Ludouicus militibus quibusdam astutioribus vt varijs de causis in vrbem se recipiant, inter quos decem vel duodecim plus minus, Oenopolarũ more vestiti, sub vesperam diei præcedentis in diuersorium quoddam quasi pernoctandi gratia se conijciunt, cuius hospitem quali aliud agẽtes interrogant, quanam hora manè reuladatur vrbis porta, habere enim se in itinere currus aliquot vino onustos, quos optarint ante lucẽ delatos in vrbem Respondet hospes, recludi sub horam quartam, veruntamen si tantoperè malint aperiri maturius, Ianitori Xeniolum aliquod offerant. Egregij illi Oenopolæ postera die, oblato custodi pecuniæ munusculo, portam summo mane redimunt aperiendam: ea aperta, Ianitorem verberibus in terram prosternunt, & clauibus illi ereptis, suum Comitem Ludouicũ, oportunè statim accurrentem intromittunt. Ingressi circiter 40. simul cum cæteris huius dolt conscijs, & fautoribus ciuibus, libertatem ciuibus oblatam plenis buccis proclamant, aduenisse nunc auxiliatorem Principem Auraicũ, ipsos ab Hispanica seruitute, & postulato ab eis numo decimo liberaturum: atque ita per vrbem discurrentes, vniuersam talibus replent clamoribus quasi numerus eorum adæquasset millesimum, & præcipuas plateas rum angulos prædijs suis muniunt: si quis ciuiũ fenestram vel ianuam aperit, in eum statim collimantes globulis tormentarijs reprimunt. Tandem cum iam ad horas aliquot is sic hoc libertatis suæ præconium continuassent, nec reliquæ militũ cohortes, in sylua forte fortuna deuiantes, ad manũ adessent: ipse Comes Ludouicus obuiam eis excurrens, tandé inuenit, eosq;, vix quidé, feliciter tamen adhuc *Ludouicus Nassouius Montes Hannoniæ occupat. Stratagema Ludou. Montes Hannoniæ occupantis.*

Digitized by Google

An. 1572. introducit, prioribus interim fere rursus expulsis. Eorum, quos adducebat, erant circiter 400. vel 500. equitum, quorum plurimi militem à tergo sedentem vehebant, omnes sic delassati, vt ordine militari in foro disposuiti, humi procumberent. Mox occupant portas, arcem, domum ciuicam, vrbemque in suam redigunt potestatem die Maij 24. numero eorum quotidie ex Gallijs & aliunde se augmentante. Armorum, munitionumque cum quadam pecuniæ summa, in ipsa vrbe satis superq; inuenére, comeatum verò per exiguum, Cæterum reliqua omnia in ordinem necessarium redigunt, suspectos ciues armis suos exuunt, vltroneos verò & fauentes armant, seq; ad vrbem conseruandam & defendendam parant.

Valle Cygnorum occupatur, sed rursus deseritur.

Tales astutiæ plures in diuersas ciuitates sub limites Belgij sitas, excogitatæ quidem fuerunt, sed frustra. Veluti in Bappalmas & alias, quæ non succesſerunt. Vallecygni succesit quidem satis feliciter, Lanoue cum Domino de Famars in vrbem recepto, sed illo Montes profecto, hic verò maiorem militis obedientiam desiderante, eodemque die (malo eorum omine) Ioanne de Mendoza cum suis equitibus in vrbis arcem ingresso, fautores eorum animis adeò sunt deiecti, vt quilibet arcis timore perculsus, se declararit erga eos parum beneuolum, Castellanis statim eo nomine cristas sumentibus, ita vt Dominus de Famars post dies aliquot cum suis coactus fuerit vrbe excedere, armata manu portas petens, tanta comitante vulgi caterua, vt multi intra portam compressi suffocarentur.

Apparatus bellicus Albani ad recuperandos Montes.

Dux Albanus verò, harum defectionum nuncia satis parui pendens, præter Montis in Hannonia occupationem (quam initio sibi difficulter passus est persuaderi, quòd non ita pridem certior esset factus de Ludouico Nassouio paucis ante diebus adhuc Parisijs in Pilæ lusu conspecto) licet vbique præscripsisset ordinem resistendi, præ cæteris tamen amissionē Montis ægerrimè tulit, & quamuis se ob odiosam numi decimi exactionem, numorum præsidio nudum vndiquaque bello videret impeti, nihilominus tamen copias suas euocauit, tres VValonum cohortes de nouo conscribi iussit, & equites in Germania colligere curauit, quin & veteres de more turmas Cataphractorum Belgiæ, vulgo Bendas nominatas, denuo armari, Vasallosque regios, publicatis vbique literis euocatos, equos ad officium Regi debitum præstandū conscendere iussit. Denique, certò sibi persuadens, Montes, introitum & portam esse Gallorum, reliquas irruptiones omnes serè contemsit, & ad hunc excludendum omnem operam & industriam suam vnicè contulit. Interim verò dum ipse reliqua ad eam rem necessaria procurare laborat, Filium suum Frederichum 4000. plus minus peditibus, tam Germanis & VValonibus, quàm Hispanicis stipatum, eò mittit, cum 400. equitibus è Cataphractis ordinarijs, quibus Dominum de Noircarmes præfecerat; ei mandans, vt Montenses à victu inuehendo, maioribusque copijs introducendis prohiberet, inter ea se maiorem ei manum auxilio subinde missurum.

Frederichus Albani F. Montes obsidet.

Filius itaq; Frederichus Toletanus sub finē Iun. Montes Hannoniæ petit, ad vrbē castra metatur, & erigit munitionem vel aggerem in Cœnobio Bethleem appellato, non obstante quotidiana cum eò Montensium velitatione, vbi vtrinque magna certatum est constantia, oppidanis erumpentibus, & frumenta, fœnum, aliaque pecudum pabula inuehentibus, his verò idipsum impedire conantibus. Rourarius sese cum Gallis quibusdam in Cœnobio Espinleu, aggeribus circumuallarat, quibus eum Hispani conantes expellere, ipsi non sine damno repulsi fuére. Idem omnes industriæ neruos eò contulit, vt cum ciuibus aliquid moliretur, ab eisque in ciuitatem cum suis reciperetur. Gallicorum equitum 30. qui sese in ciuitatem penetraturos arbitrabantur, Binchæ à Rustico quodam seducti, in hostium manus inciderunt, quorum 17. crudelem secretorum Inquisitionem perpessi, Rypelmundę ad equile partim suspensi, partim confossi vitam finientes in Schaldim proiecti sunt, lato in eos edicto, ne quis eos inde retrahere, sepulturæq; mandare ausit.

Ienlisij infeliciter remissi exercitus.

Ludouico Comiti & suis hic operæ pretium visum fuit, vt Dominum de Ienlis in Gallias legarent, non solum vt Regem de omnibus redderet certiorem, verum etiam maiores ab eo copias peteret, quibus variabilem fortunæ suæ fauorem vlterius exploraret, hucusq; sensissent beneuolam. Ienlisius Regem reperit admodum benignum, nec grauatæ maioris exercitus conscribendi potestatem sibi facientem. Ipse etiam Admiralius, cui rerum summa erat commenta, ex omni nationum genere, vtriusque religionis hominum, exercitum ibi collegit 4000. peditum, & 200. equitum grauiorum, cum duabus equitum turmis leuioris armaturæ, sub quo Baro de Renti nouem, Dominus de Ieumelles octo, Berenguarille sex militarium signa ducebant. Ianisacus exploratoribus, Beauieus verò & alij equitibus præerant. Hi Belgium versus primum se mouent 7. Iulij, Admiralius, & ipse Comes Ludouicus, Ienlisio scripserant, vt per Cambresiam iter suum institueret, seq; Principis Auraici copijs adiungere niteretur, qui cum exercitu iam esset in itinere; Montes sufficienti & satis numeroso præsidio posideri, ideoque tenui satis commeatu instructos, commessatoribus, non indigere. Subueniat igitur potius Auraico, qui desideret auxilium in traijciendo Mosa, aduersus præsidia Ciuitatum in eò aduersatum, transitum illi prohibentia. At Ienlisius eis respondit, se rectà Montes petiturū, vnde pòst

si videa-

Digitized by Google

si videatur, progredi posſit vlterius. Pergit itaque ab eo loco cum exercitu, incolis vbique loco- An. 1572.
rum satis moleſtus, tandemque Boſſutum præteriens, Quienrengium, Montibus ſeſquimiliari
diſiſtum pagum, peruenit. Infidelibus autem viarum monſtratoribus deductus, demumque per
anguſtam quandam viam in dumetum intra multas arbores perlatus, (vbi ſe ſperarat fore ma-
ximè ſecurum, quod multo plures haberet pedites, quàm equites) ad explorandum iter cen-
tum præmittit equites, ſequente eos cum ſuis Rentio, & hunc Iumella. Ipſe verò, vnà cùm Rein
grauio, Ianiſaco, & alijs, velut excubiarum illi agendarum gratia, tergum claudebat, ne ab ea
parte, à qua ſola ſibi metuebat, hoſtes exercitum adorirentur. At contrarium accidit. Cum ete-
nim eorum qui præceſſerant, nonnulli iam ex anguſtijs egreſſi, progredientem è ſylua quadam *Ieuiſſi vlla*
equitum turbam conſpicerent metu perculſi pedem retraxerunt. Quod videntes equites Ca- *dea.*
taphracti, ſub Imperio Domini de Noircarmes militantes, in eos irruunt, ſicut & pedites Hi-
ſpani in Rentianos pedites, qui propriorum equitum fuga conſternati, ſimiliter fugam arri-
piunt verſus proprios pedites, ipſos quoque in fugam vertentes, priuſquam hoſtem vidiſſent.
Habuerant Hiſpani ruſticorum armatorum vltra tria millia, qui de longinquo conſpicientibus numerum plus æquo videbantur augere. In fuga deprehenſi omnes ab agricolis eo loci cæ
ſi ſunt, tum quod vetus illis cum Gallis intercedit inimicitia, tum quod per tranſitum eorum graui moleſtia fuerant in eos exacerbati. Cæſa autem ſunt ibi pluſquam mille ducenta, inter quos Rentius, Reingrauius & alij, cum multis Belgicæ nobilitatis viris vita ſunt priuati: vtpote, Dominus d'Olhain, qui fuga Montes perlatus, in vrbe vitam cum morte commutauit; præterea quidam ex Taffiniorum familia, etiam Nicolaus Du pre, Attrebas, qui cum alijs Belgis, Nobilibus pariter & ignobilibus captus, ſtatim ſuſpendio ſtrangulatus interijt. Iumelles & Ienliſius cum alijs capti ſunt, quorum ille diu poſt ab Hiſpano quodam è Caſtello Tornacenſi liberatur: hic verò in arce Antverpiana captiuitati mancipatus, intercedente longo temporis interuallo, ſine præcedente morbo, manè repertus eſt ex animis. Schonvvallius etiam captus, Oudenardum deducitur ignotus, vbi tandem, vrbe à Geuſijs occupata, priſtinæ reſtituitur libertati. Beauveus ea nocte, fauente vſus fortuna, deuenit in Abbatiam Eſpinleuenſem, à Poyeto Capitaneo in eam ſuſceptus. Poſtera die centum pluſininus Sclopetarij Montes delati, in eamq; recepti vitæ diſcrimen euadunt.

Interea Dux Albanus vndiquaque ſibi iuſſerat conſtari exercitum, per Ducem Holſatiæ, *Apparatus*
Erichum Brunſchvvichenſem, Franciſcum Saxonem, Archiepiſcopum Colonienſem, & com- *bellicus Alba-*
plures alios. Statibus Belgij præſente Duce Medinacæli, die tertio Auguſt. Bruxellis congre- *mi in Belgio*
gatis mandans procurent pecuniam. Nam Regem illi tantum ex Hiſpanijs miſiſſe decies cente- *an. 1572.*
na florenorum millia, idque totum eſſe, quod inde queat exſpectari. Sibi verò ſalendum & ſti-
pendijs ſuſtentandum exercitum duodecim Legionum vulgo Regimenta, militum Germani- *Copiæ Albani*
corum, cum ſignis Hiſpanorum quinquaginta. VValonum & Belgarum cétum quinquaginta; *magnæ cum-*
equitum Germanicorum millia decem, cùm tribus equitum Cataphractorum, & duobus inſu- *rabiles.*
per leuiorum equitum millibus, præter claſſem bellicam, omnis generis tormenta, arma, machinaſq; ad expugnationem neceſſarias, quib. omnes ſuos fretus hoſtes duorum Menſium ſpacio omnib. prouincijs ſe profligaturum temerè at confidenter auſus eſt polliceri. Neceſſe igitur eſſe, pecunias præſtent, vnde tanto exercitui ſtipendia ſoluat, præſcribens eis quotannis bis mille florenorum millium, vel, quod idem eſt, vicies centenarum millium florenorum ſolutionem.

Non ita diu poſt, ipſe quoque Dux Albanus cum vniuerſo ſuo exercitu bellico, ſecum vehens viginti quatuor tormenta magna vulgo Canones, & octo Colubres, Montes petit, ſequente eum Duce Medinacæli, Arſchotano verò Duce Bruxellis relicto. Eo peruenientes, validiſſimo ſe circumcirca vallo vel aggere cinxit, tam contra Montenſes, quàm aduerſus exterorum, impetum. *Albanus ipſe Montes profi-ſciſcitur.*

Interea verò nullum non mouet lapidem, quo vel amicorum vel pecuniarum, vel perſuaſione denique interceſſione, Galliæ Regis de pace nuper cum Hugonotis inita propontum immutet, vel ſaltem diuertat, & langueſaciat. Qua in re Rex Hiſpaniarum quoque, Dictatoris ſui Pontificis Romani conſilijs & inſtinctibus vſus, obtinuit quod eius rei gratia miſerit in Gallias Cardinalem Alexandrinū. Sed præter cæteros in Gallia fautores, omnes vno ore Guyſiorum familiam, vniuerſorum in Gallia Catholicorum caput & ſigniferam, in hunc modum ſunt cohortati: perpendendum ijs eſſe diligenter, quam eos dedeceat, Hugonotis tantam permitti poteſtatem, & in eum authoritatis gradum apud Regem Galliæ inſinuationem, vt eum contra Regem Hiſpaniarum Catholicum, vnicum Catholicæ Romanæ Religionis fulcrum, antiqua fide & affinitate illi coniunctum, in omnem denique euentum auxiliatorem fidiſſimum, ad arma prouocent. Econtra verò quàm ipſis futurum ſit honorificum, ſi patratum in patrem ſuum mortis facinus in Admiralio, vnico Galliæ perturbatore, omniſcia fronte, & aduerſariorum ſuorum anteſignano, per occaſionem poſſint vlciſci. Harum cohortationum calcaribus Guiſij iam

Digitized by Google

An. 1572. iam dudum ad cædem segnes, eò sunt perducti, vt Latronem repererint, qui Admiralium in media Nuptiarum solennitate Bombardæ globulo transfigeret. Quod nihil nisi meras suspiciones, & noua diffidia inter partes non ita pridem conglutinatas gignere potuit, ad Regis propositum frustrandum vel euertendum sufficientiâ. Qua in re Dux Albanus, tanquam in immobili victoriarum suarum fundamento visus est acquiescere, veluti futuræ cædis & consequentis post eam Lanienæ Parisiensis conscius, ac author eius certissimus. Quod ab ipso Rege Galliæ, eò modo & forma, qua plurimi prodiderunt Historici, præmeditatum & proprio motu inuentum vel conclusum non fuit, sed casu verius, contigit. Nam si transfixus Admiralius statim exhalasset animam, proculdubio gens omnis Hugonotica Parisijs effugisset, iam verò contrà, eo viuo permanente, & spe reualescendi concepta, honoris gratia diutius ibi commorari cogitur. Quorum postea moræ, tanquam fundamento, pars eorum aduersa purgationis suæ prætextum inædificare conabantur, quod Hugonotica factio facinoris in Admiralium designati vltionem contra Regem eiusq; Catholicos instituerit.

Hispani auores cædis Admiralij & Lutetiæ Parisiensis.

Auxiliti secundo in Belgio aduentu cum exercitu.

Dum hæc aguntur in Gallis, Princeps Auraicus, qui iam è Germania Belgiũ versus se mouebat cum exercitu, vt supra retulimus, Rheno traiecto, lustratoque propè Duisburgum exercitu, quarto Augusti. Ruremundam in Mosæ ripa pulchre constructam ciuitatem, impetu in eam facto obtinet: vbi mox in Spirituales, & præsertim in Lindani noui Episcopi libros & supellectilem satis insolenter & fædè sæuitur. Albanus quidem, Mosæ transitum illi præcludere tentans, vbiq; locorum suos in eius prohibitionem iusserat esse intentos. At verò Auraicus nihilominus eo loci præteriens, Louanium deuenit, quod se primo Septemb. simpliciter eius fidei tradidit, quemadmodum & Niuellæ cum plurib. alijs huius vicinæ locis. Mox etiam Mechlinia & Dermunda, stratagematibus Arnoldi, Domini de Dorpe, Auraici partibus adiunguntur. Mechliniæ custodiendæ, Dominus Bernardus de Merode, Dominus de Rummen vna cum equitibus nonnullis Teutonicis; Dermundæ verò Dominus de Dorpe relinquitur. Oudenardum Flandriæ oppidum, industria Iacobi Blommart Capitanei circumuenitur. Sub finem Augusti. Auraicus etiam Montes versus contendit. Dum enim rerum suarum in Brabantia fatagit, cædisque Parisianæ Tragœdiam percipit, varijs ex ea cum consiliarijs & equitum Magistris, suspicionibus & curis diuexatur.

Ruremunda, Louanium, Niuella, Mechlinia, Dermunda, Oudenardum, ab Auraico capiuntur.

Hoc in loco (Lector beneuole) operæ precium nos facturos duximus, si quæ Parisijs in solennitate nuptiali & hymeneo coniugali, Regis Nauarræ & Margarethæ Sororis Regis Galliarum inauspicatò & nihil minus, quàm hymnicè gesta sunt, eò quod ad Historiq nostrę seriem & lucem non parum conducunt, perstringamus.

Cum igitur post initam inter Regem & Hugonotas postremam in Gallia pacem plurima celebrarentur spõsalia vel nuptiæ, An. 1570. Rex ipse matrimonio sibi iunxit Maximiliani Cæsaris filiam: Admiralius Comitissam de Entremont è Sabaudia: Princeps Condæus filiam Ducis de Neuers, familiæ Cliueanæ: Admiralij autem filia nupsit Domino de Teligni. Sunt etiam tractata & definita quædam sponsalia, inter Margaretam Regis sororem, & Principem Nauarræum per Regem, & Nauarræ Reginam, Francisci primi Galliarum Regis ex sorore neptem, quæ paulo post Parisij, nuptialem instituens apparatum moritur, per Italum quendam, vt multi suspicabantur, chymothecis venenatis sublata, verisimilius autem pleuritide extincta. Dies nuptijs celebrandis præfinitus erat 17. Augusti. quo omnes isti præcipuæ Nobilitatis in vniuersa Gallia viri cùm sponsis suis matrimoniali vinculo initiantur à Cardinale Borbonio, ante summum Lutetiæ Parisiorum templum, Cæremonijs Ecclesiæ Romanæ prætermissis.

Cædis Parisijs An. 1572. patratæ Historia.

Matrimonia multorum in Gallia Procerum.

Margæ. Regis soror Nauarræo despon sata.

Dum igitur nuptialibus epulis, lusibus, & triumphis sequens tansigitur hebdomas, Admiralio diuersæ veniunt ab amicis per litteras admonitiones, vt sibi caueat; Verendum enim aiunt, ne vel tempus, vel locus, vel populi denique frequentia damnum aliquod vel incommodum illi conflent. At ille Regi suo potius confidendum duxit, planè persuasus, tam ad Regni vel Regionis, quàm Religionis firmamentum, id ponderis habiturum plurimum. Rex enim illi promiserat, se peractis festis nuptialibus, de reformatorum quærelis, & expeditionis Belgicæ negotio deliberaturum, pro qua iam tum plurimæ res ad eam necessariæ Regis nomine conspiciebantur præparatæ. Ea de causa fidas necessariorum commonitiones, quas è beneuolentia & humana curiositate progressus arbitrabatur, vilipendens, Deo sese totum concredidit, magis respiciens causarum tam necessariarum & salutarium determinationem, quàm suæ ipsius vitæ conseruationem. Dum igitur Augusti. die 22. qui erat eius septimanæ dies Veneris, è Senatu ad Pilæ lusum deducto Rege, qui cum Guisio & Telignio certamen inierat, circa meridiem se domum recipit, forte fortuna Latro quidam Montreuellius ex insidijs locatur, è fenestra quadam Sclopeti genus longiusculum collimatum in eum explodit, legentem inter eundum literas, quas manib. tenebat, iaculando illi præscindens dextræ manus indicem, finistrumq; trajiciens brachium. Quo facto insidiator confestim, illic relicta bombarda, veredis, quos Challus aulæ Guisianæ præfectus ad fugam illi comparârat, aucto eius fuit, & in Belgium (vt putatur) se recepit

Admiralius Parisijs Sclopeto transfigitur.

Digitized by Google

recepit. Idem ille Latro prius inseruierat Domino de Mouij, quem & ipsum auersum globulo tormentario perfidè traiecerat, sed tandem meritas perfidiæ pœnas luens, ipsè quoque paucos post annos ab eiusdem Mouij filio. Anno 1583. Parisijs in propatulo confoditur, etsi eius confessor quoq; statim post actum à Latronis satellitibus, semper ad sui defensionem iaculatores quosdum secum trahebant, vita fuerit priuatus. An. 1572

Admiralij ex Mouij percussor tandem confoditur.

Admiralius igitur hoc pacto læsus, ostenso, vnde in eum collimatum erat, loco, petit vt Pilules Capitaneus Regi rem omnem referat: atque ita multum debilitatus domum deducitur. Rex autem, securus cum Guisio pilam agens, cùm patratum in Admiralium scelus perciperet, proiecta in terram, quàm manu tenebat, reticulo, vultum deiecit, animoque non leuiter perculso, cubiculum suum petijt.

Admiralius læsus visitatur à familiaribus.

Mox Admiralius ab amicis Nauarræo, Condæo, Marischallis, Cossæo & Dampuilleo, aliisque nonnullis inuisitur, vulnera ei inflicta à Chirurgis obligantur, index incularibus è cuticula dependens præscinditur. Interrogatus quos ipse suspicetur huius in se sceleris authores, & percussoris conductores, respondit, neminem sibi præter solos Guisios eo nomine suspectos, licet pro certo non ausit affirmare: addens se iam dudum è sacris literis habere persuasissimum, neque hostes, nec ipsam denique mortem esse metuendam, scienti, hos omnes præter mortem temporalé, vel potius beatam in Domino, cui se totum concredidisset, requiem nihil incommodi sibi posse inferre, Denique nullam rem sibi magis esse cordi, quàm si Regis ante obitum ad extremum alloquendi facultas illi denegetur, cui quædam haberet referenda, quæ scire eius multum interesset.

Hinc rei indignitate commoti Nauarræus, Condæus & alij, Regem accedentes querelam illi suam proponunt, dicentes, Non satis fidam vel securam moram sibi Parisijs videri, petentes, vt bona Regis venia sibi liceat excedere. Rex vicissim de facinoris insolentia multum conquestus, consolabatur eos, iurciurando protestans, se tanta seueritate in authores eius animaduersurum, quanta satis superque & Admiralio, & omnibus satisfaciat. Adstans illi Regina mater, & ipsa magnam patrati sceleris indignationem præ se ferebat, ea molestia per hoc Regem affectũ prædicans, qua sine meritis pœnis dimissa, propediem futurum sit, vt nemini vel in aula tutò versari, necin lectulo suo securè cubare liceat. Quid multis? iubentur statim inquiri vel è fuga ad supplicium retrahi parricidæ. Quinetiam Rex ipse simul cum Regina matre hac ipsa die prouinciarum Gubernatoribus, & apud exteros Principes Regia procurantibus negotia Commissarijs seu legatis rem gestam scribunt, eos in authores inquirere iubentes, si forsitan eò profugerint. Tam sceleratum enim piaculum exquisitis omnigenum suppliciorum generibus iustissimè expiandum.

Rex Admiralium visitat.

Paulò pòst, sumpto breui prandiolo, Rex, Regina matri, fratribus, Galliæ Marischallis omnibus, (excepto Montmorentio qui aberat) Duce Montpencerio, Cardinale Borbonio, Duce de Neuers, Gonzaga, Comite Retio, Domino de Thore & Meru Montmorentij fratribus, & alijs nonnullis Comitatus, Admiralium adit, beneque memor, quod Admiralius eius expetiuisset secretum alloquium, præter matrem, Telignum, eiusque vxorem Admiralij filiam, (postea verò Ducissam Auraicam) cum alio quodam, qui istharc conscripsit, reliquam Comitatum omnem conclaui excedere iussit. Ad lectulum perueniens summas egit illi gratias Admiralius, pro suscepta ad eum visitãdum molestia, & honore per hanc visitationem regiam ad ipsum redeunte; quem Rex vicissim consolatus, bono iubet esse animo. Mox Admiralius inquit, tria se habere propositionum capita, de quibus Regem certiorem facere percupiat, antequam exhalet animam.

Colloquium inter Admiralium & Regẽ 3. capita continent.

Primùm erat de beneuolo & semper officioso erga Regem animo suo, Deum Opt. Max. insuper in testem prouocans, eumque Rogans, (cui, tanquam summo iudici horum suorum vulnerum doloribus propediem se putet sistendum) ne vel minima erga eum vtatur misericordia, si quid in hoc fallat, mentiaturue. Se quidem ab aduersarijs sæpè traductum, & totius Regni Gallici perturbatorem accusatum: sed experientia consequenter meridiana luce clarius comprobandum, omnes Galliæ miserias vnicè ex toties ab ipsis contra pacta conuentaq; violatis Regiæ Maiestatis. Edictis promanasse. Eapropter se rogare Regem, in eiusmodi veros Regni sui perturbatores, in posterum durius animaduertat.

1. De Admirali erga Regẽ beneuolo & officioso animo.

Alterum erat de negotio Belgico, Maioris eius Regio de stemmate prognatos, nunquam nactos esse tam insignem sui commodi in Belgio quærendi occasionem. Ipsum scire quàm bellæ & populosę Ciuitates Belgicæ amicitiam eius expetant, & Gallorum se fidei & imperio subijcere cupiant. Hanc tam obtabilem occasionem se videre ab aulicis Regijs parui fieri, nec non à multis rideri, Regique tantum non è faucibus, quasi eripi. Non ita pridem Ienlisij copias ab Albano per proditionem circundatas, magna ex parte cæsas & profligatas: vnde videat, nihil tam secreto in Consilijs suis haberi, quin Albano significetur. Quamobrẽ Regem diligenter secũ cõsiderare iubet, quid tandem de negotio Belgico boni queat exspectari, si secreta Regis eiusque

2. De expeditione Belgica

Digitized by Google

An. 1572. que fratris per Conſiliarios regios apud exteras & hoſtes ipſorum diuulgentur; eumq; ad maiorem in ſuſurrones animaduerſionem cohortatur.

3. De pacis Edicto firmiter defendendo.

Tertium ad pacis Edictum ſpectabat. ad quod inuiolabiliter conſeruandum, Regem commonens, talibus vſus eſt verbis: Ipſum Regem non ignorare, quoties hoc pacis Edictum in promiſſum & iureiurando confirmatum ſit, multis exteris Principibus & Nationibus in eius tribus adhibitis, qui iamdudum non ſatis poſſint mirari leuitatem Gallicam, vſq; adeo perfidam, vt proprium iuſiurandum tam ſacroſancti datum, ideo ludibrioſque ducat. Paucis antè diebus in Champania Galliæ prouincia; haud procul ab vrbe Troieſiana conſtitiſſe, vt, dum obſtetrix quædam infantulum nouiter in mundum progenitum, & in Pago quodam eius vicinię (loco ab ipſa Mateſt. regia ad hoc deputat) ad Reformatæ Religionis præſcriptum ſacro Babtiſmate initiatum, matri Puerperæ referret: proruperint in occurſum redeunti Pacis oſores & Regni perturbatores aliquot ex inſidijs locati, qui infantulum, huius mundi lucem vix dum Intuitum & obſtetricem vna cùm vniuerſo fœminarum ad id officij præſtandum conuocatarum, comitatu, trucidarint. Conſideret igitur eam tyrannidem Rex, ſecumq́ue reputet, quid honeſtatis laudiſue per vniuerſam Galliam ad Regem ſuum redire poſſit, ſi ad eiuſmodi ſcelera tam neſarię patrata conniueat, nec meritas in ea pœnas exerceat.

Facinus crudele infantis recens nati & Babtiſmo redimiti occiſi cum obſtetrici & mulieribus.

Ad hæc Rex Admiralio reſpondens, ad primum quidem refert: Se de ipſius fide & animo beneuolo nunquam dubitaſſe: quem etiamnum agnoſcat Vaſallum fidelem, virum bonum, & prouidum Galliæ Principem, quo non ſit in toto ſuo Regno fidelior, melior, aut circumſpectior. Quod ſi aliam de ipſo concepiſſet opinionem, non facturum fuiſſe, quod iam fecerit.

Ad alteram propoſitionem de rebus Belgicis, ne verbum quidem fecit, quod vel aliorum interuentu, vel Matris præſentia prohiberetur.

Ad tertium inquit, ſe nihil aliud moliri, quam vt promulgatum à ſe pacis Edictum ſtrictè ſeruetur, quem in finem iam denuò per vniuerſum Regnum ſuum emiſerit legatos, adſtantis Reginæ matri teſtimonio id confirmans: quæ ſtatim ſubijciens, Veriſimum eſt, inquit, Admirali, quouis locorum in eum finem ſint delegati, Commiſſarij. Verum, inquit Admiralius, ſed de eo hominum genere, qui quinquaginta Coronatorum millia polliciti ſunt his, qui mihi caput adimerent. Tum Rex, Ne indigneris, inquit, mi Admirali, parce vulneribus tuis, pacatoque ſis animo: Dolor enim hic iam in te, facti verò dedecus in me redundat. Sed iuro ego per mortem Dei, hoc facinus in te deſignatum, in ſempiternam rei memoriam punitum iri; enarrans deinceps informationes ad inquirendum parricidij deſignatorem à ſe datas. Quem cum Admiralius ſine dubio non admodum procul hinc putaret reperiendũ, Rex & Regina mater ad Admiralij puluinar capita ſua declinantes, neſcio quid ſecreti cum eo communicarunt. Ad petitionem diſceſſus reſpondit Rex, quemadmodum & Comes Retius cum Telignio, conſultum videri, vt in omnem euentum metuendi plebis Pariſienſis tumultus ſeſe curaret deportari in aulam, *au Louure*, vulgari Pariſijs ideomate cognominatam. Id autem Medici vnanimi conſenſu diſſuadebant omnes, allegantes, eſſe vulneri a quietem requirentia, motumq́ue auerſantia: vniuerſam Pariſiorum Lutetiam non eſſe metuendam, modò Regi res ſit cordi. Tandem Rex & Regina mater auebant videre globum illum, quo fuerat impetitus, deq; vulnerum conditione ſciſcitabantur. Videntes autem globum & ſanguinem, quærebant, Nunquid etiam ſanguis copioſè è vulneribus defluxiſſet? Ad extremum Rex fatetur, ſua quidem ſententia nullum extare in totius Mundi vniuerſo virum, hoc Admiralio vel cordatiorem vel conſtantiorem.

Vidaſium de Chartres ſuadet Reformatis fugam.

Poſt Regis diſceſſum, ſuccedunt Nauarræus, Condæus, Vicedominus Carnutenſis, & alij, Admiralium viſitantes & ſolatio ſuo ſubleuantes; ſimul etiam conſultantes, quid facto opus ſit. Inter hos Carnutenſis id dabat conſilij, vt omnes abſque mora Pariſijs diſcederent: id modò videri initium Tragœdię ſubſecuturæ, ſi diutius morentur. Alij contra iuris perſecutionem à Rege exſpectandum ſuadebant, quibus Telignius animo tam præfracto adſtipulabatur, quaſi Regis animum coram introſpexiſſet.

Poſtridie Rex denuò ad viſitandum Admiralium miſit legatos, per quos, propoſitis de ſeditioſorum quorundam Pariſienſium inſolentia querelis, ad cuſtodiendam Admiralij portam, ſex petunturè ſatellitio regio Stipatores. At verò Rex, ea Pariſiorum ferocia, quæ mox patronos ſuos coram Rege reperierat, exacerbatus, loco ſex Loteranorum, Coſſeinium, ſo. Sclopetarijs munitum Admiralij portæ cuſtodiendæ præfecit. De cuius Coſſeinij præfectura nuncius Admiralij magnum concipiens mœrorem, quòd Coſſeinium illum capitaliter Admiralio ſciret infenſum; nihil tamen audebat contradicere. Coſſeinius autem ſine mora cohortes ſuas in proximas ab ædibus Admiralij domos ad excubias diſpoſuit. Quin & Hugonoticæ partis primariæ nobilitati in proximis circumcirca iacentibus ædibus, ad Admiralij pleniorem defenſionem, habitacula ſua aſſignantur.

Eodem

Digitized by Google

Eodem die ijdem Hugonoticæ Nobilitatis Primates ad Consilium capiendum rediêre, vbi plurimi in eam discessere sententiam, vt vna cum Admiralio Parisijs discederent. Multi verò contra, videndum potius an Guisios vrbe mouere possint, & ipsi iuris sui æquitatem à Rege exspectent, ne discedentes hunc diffidentia offendant. An. 1572.

Hugonotæ statuunt manere Parisijs.

Interim nihilominus & ipsorum pars aduersa seorsum sua frequentauit conuenticula, puta Guisius cum suæ factionis sequacibus: quorum hic intererat sibi prospicere. Senatus Regis, in quo multos habebant tautores, perpendens quanta subsecutura essent incommoda, si Rex criminis in Admiralium admissi vltionê exercere vellet in Guisios (in hoc non instinctu proprio, sed Hispanicę Regis consilio quasi fulcro nixos) mente iam pręuidebat, hanc rem sine cruento bello componi non posse. Quapropter futurum, vt Regi necesse sit, alterutram sibi deligere partem, præsertim cum iam videant Hugonotas ad iuris sui præfectionem paratos. Iam verò minimæ leuis momenti fore Regi consultationem, vtrum veteres amicos Catholicos ob vnicum crimen deferere, vel ad partes veterum inimicorum hæreticorum defendendas transire malit. Alij putabant rem non esse tanti ponderis, maleficos iurè puniri posse, qui fortassis Guisij non essent. Hæ opiniones Regi, Reginæ matri, & fratribus sunt propositæ, quibus Guisiorum & Regis Hispanici fautores persuadebant, consultissimum fore, si Reformatæ Religioni deditos obruat, antequam se, commissi in Admiralium sceleris vltionem prætexentes, armare possint (coq; pacto Regis Hispaniarum, alioq; sibi metuendi, gratiam recõciliet) coram Pontifice deniq; & alijs Principibus Catholicis magnam pietatis & politicæ prouisionis opinionem sibi comparet; Catholicamq; Religionem reducat, & per vniuersum Galliæ Regnum constabiliat. Alioqui, bello ciuili coorto, (quod oriri necesse sit, vbi contrariæ partes in arma ruant) & Religionis, & Regiæ Maiestatis authoritatê pessum iri. Quamobrem authores sunt Regi, vt instans bellum caute, dum adhuc in manu eius sit, opprimat vel impediat, antequam irrumpat; occasionem & fortunam, quam tempus largiatur, dum liceat, arripiat, inimicos suos, quos iam manibus oportune teneat, vna internecione omnes deleat, seq; ab ijs liberet. adhæc præcedentes iniurias simul vlciscatur omnes; capitibus enim sublatis, non esse quod metuat in posterum quicquam turbarũ in Gallijs posse moueri. Facti turpitudinem apud Reformatę Religionis Reges & Principes facile posse purgari, vel in ipsos Hugonotas transferri, si dicantur aduersus Regem eiusq; domum conspirasse, de quo iam dudum auditæ ex ijs essent minæ tam atroces, quàm possent à quoquam excogitari.

Reformati Parisijs. Rectores aduersarij statuunt eos opprimere.

Rationes quibus persuadetur Rex ad Lanienam illam Parisiensem.

Hæc omnia Regi sunt inculcata, qui difficulter initiò tantum facinus sibi passus est persuaderi, per ætatem satis adhuc imperitus (quantumuis à teneris in bello & sanguine educatus) ad aliquid de re tanti discriminis & momẽti statim statuendum. Res Belgicę lubricum eius animum adhuc aliquandiu torserunt, considerantẽ totius expeditionis in Belgiũ suscepte impensas, quarum omnium iacturam facturus esset, in cædem Hugonoticam consentiens. Interea non cessatur per totum diem Saturni persuasionibus ad introducendam crebro eius iacturæ huius obliterationẽ. Quid multis? in mediũ prosertur modus & ratio, quib. abortiuus iste fœtus in lucẽ sit edendus. Tandem, varijs cogitationibus perplexus, & mordacibus curis diu multumq; exagitatus Rex, referentibus Medicis, nuncijs, vulnus Admiralij esse sanabile, nec vllo mortis periculo coniunctum (vnde concludebatur ipse facinoris in se designati vltionem expetiturus, quo deniq; futurum sit, vt nihilominus Regis de rebus Belgicis propositum infringatur) seram sub vesperam consensit, vt ea ipsa nocte quod animo decretum esset, in actum produceretur, ordine & modo iã ante definito, existentib. ad hoc maximè idoneis Guisijs, Duce de Neuers, & alijs priuatas inimicitias aduersus Reformatos gerentibus, vel ipsorum bonis inhiantibus.

Rex in tedet Hugonotarũ tandem consensit.

Itaque ann. partæ salutis millesimi quingentesimi septuagesimi secundi Augusti vigesimo quarto die S. Bartholomæo sacro, manè hora tertia ante lucem, campanarum pulsu signa ad lanienam ordiendam eduntur. Confestim Cossejnius, è Regis Satellitio datus Admiralio custos, portam Admiralij pulsat. Intromissus cum suis quicquid reperiunt, gladijs scisq; confodiunt. Vnde clamor lamentabilis ad superiorem contignationem perlatus, mouit superius agentes, vt lanuis suis pessulos obderent, cistisq; à tergo congestis obfirmarent, ita vt lanionibus illis aliquandiu fuerit laborandum in ædibus vndiquaq; superandis. Admiralius cum suis, audientes tumultum & Bombardarum sonitum, satis diuinantes quid rerum ageretur, ingenua procidũt, Deo se commendant, atque ad mortem præparant. Ipsemet Admiralius è lectulo in paumentum locatus, togaque nocturnali vestitus, Merlino Concionatori suo mandat, clara voce preces dicat, omnumque spiritus Dei manibus commendet. Deinde suæ quemque vitæ consulere iubet; sibi enim nihil eos opitulari posse, se omnia sua, gratiæ diuinæ commisisse. Atque hæc omnia vultu proferebat imperterrito. Itaq; hinc inde discurrentes, & summas ædes ascensu superantes ministri, noctis beneficio nonnulli vitæ periculum euadunt. Interim Cossejnius ad lanienam conductus Centurio, arcis & seruandi laminis remotis, in Admiralij cubiculum latronibus suis comitatus irrumpit, cuius nominatim satellites erant Sarle-

Lanienæ Parisiensis.

An. 1572. boucius, Attinius & Besma Germanus, infelix V Vittenbergæ fœtus, Guisij mancipium, qui, vl-
dens Admiralium ponè lectulum sedentem, ex ipso quærit, nunquid ipse sit Admiralius. Cui
Admiralius trucidatur. Admiralius. Sum, inquit, is ipse. Quid multis, paucis præterea verbis aduersus eum factis, homi-
nem occidit. Paulò pòst Dux Guisius Aumale comitatus, Admiralij domum ingressus, perce-
pta eius morte ex area stans inferius superioribus acclamat mortuum è fenestra deijciant. Cu-
ius iussis obtemperans statim Sarlebouicius vix dum mortuum in subiectam proijcit aream. Ibi
Guisius strophiolo cruorem iacenti detergens, inuisam sibi agnoscit faciem; atque ita cor-
pus exanimè pedibus calcatum relinquens, alio se cum Comite ad cædem festinans contulit.
At verò præcursorum & pedissequorum turba subsequens, vestibus ex tum cadauer, nudumq;
per cœnum platearum trahunt, retrahuntq;. Tandem caput præsciditur, & Romam, vt multi
asseuerant, mittitur. Deinde sic capite truncatum pedibus è patibulo suspenditur in monte
falconum; vnde ad extremum noctu sit reptum sepulturæ traditur. Comes Rochefocaultius
etiam in lectulo suo trucidatur. Marchio Reuelius solo vestitutis indusio, ad fluuium fugiens
à Butsio d' Amboise consanguineo suo interimitur. Telignius, qui hisce nuptijs matrimonio
sibi iunxerat Admirali filiam, à multis aulicis conspectus, à nullo tamen cæditur, omnibus
ob nimiam eius cum Rege familiaritatem ab illius læsione deterritis: veruntamen ab ignoto
tandem confoditur. Plurimi verò Nobilium, qui tam in Nauarræi Regis habitaculo pernoc-
tauerant, inter quos numerabantur Baro Perdilliamus, Centurio Pilles, D.S. Martini, & alij,
armis suis nudati, à Regij satellitij Capitaneo exturbantur; iamq; ad aulæ portam fuga perlati,
in conspectu Regis desuper prospicientis trucidantur. Atq; ita deinceps, quicquid vsquà Hugo-
notici nominis aut Reformatæ Religionis hominum repertum, viri pariter & fœminæ, senes
& iuuenes, nobiles & ignobiles, omnes per vniuersam ciuitatem cæduntur, occisi plenis curri-
bus ad fluuium deportati in aquas deijciuntur, cæsorum numero multa superante millia.

Verum enimuero, quod nimis breue temporis interuallum non pateretur de singulis huius
facinoris circumstantijs certum quid definiri, vel accuratiorem in omnibus ordinem & mo-
dum præscribi: multi etiamnum Hugonoticæ gentis Nobiles & ignobiles, alioquin similiter
trucidandi, à sicarijs regijs fortè per obliuionem prætereuntur. Inter quos erant Vidasmus de
Chartres, Comes Montgommerius, Dominus de Fonteney, Dominus Caumontis, Perdillia-
norum vnus, Beanoius la Nocle & alij, quibus habitacula sua ab altera fluminis ripa, in subur-
bio S. Germani fuerant assignata. Isti omnes, ea nocte de suorum clade nihil experti, in vtram-
Hugonotarū nonnulli incolumes euadūt uis auriculam securi dormiunt, nec quicquam percipiunt, donec iam Phœbus claro lumine ter-
ras illustraret: imò tam atrox facinus difficulter sibi persuaderi sinunt, donec hostiles ad cædē
paratas facies sibi vident occurrentes. Continuo igitur in pedes se conijciunt, & fuga vitæ
consulunt: quos Guisius mox diu infectatus, frustra persequitur.

Rex minatur Nauarræo & Condæo. Rex Nauarræus, & Princeps Condęus ad Regem citati sistuntur, qui talib. in eos intonat ver
bis (Se posthac vnicam tantum Religionem in Regno suo toleraturum) quamobrem, si vitam
& facultates tueri velint, ad Missam in posterum audiendam se præparent.

Absentia Mō morentij fratres suos & amicos quosdam cæde salnat. Marchio Montmorentius & Dampvillæus fratres, isthoc inauspicato die Parisijs non erant.
Ideoq; horum aduersarij duos ipsorum reliquos fratres, Marchionem de Cossæ & Biron, cum
alijs nonnullis, inter Hugonotas referre vel occidere non audebant. Nam de ictu in Admira-
lium certiores redditi, ad sceleris istius in Guisijs vlciscendi negotium opem suam obtulerant,
sibi nimirum persuadentes, Regi se gratum in hoc præstituros officium. Quod ipsum Guisijs
occasionem præbuit, eos; commouit (ne videlicet totum abominabilis istius dedecoris pudo-
rem & odium in se suam; posteritatem deriuarent) vt Regem interpellarent de toto hoc ne-
Guisius Regē cædis auctorē facit. gotio in se recipiendo, publicèq; declarando, suo iussu cædem fuisse patratam: Guisijs interim
magnam ergà quosdam particulatim humanitatem simulantibus: dum videlicet, exempli gra-
tia, vitam Domini d' Acier, postea in ducem d' Vsez creati, defendunt: cuius tamen frater in il-
la cæde trucidatus occubuerat.

Post cædem emittit Rex literas ad prouinciarum Gubernatores, regiorumq; negotiorum
procuratores apud exteros Principes agentes in hanc primùm sententiam, Quod Guisij cum
suæ factionis sequacibus, se inuito, Admiralium & Hugonotas reliquos trucidarint, ita vt sibi
quoq; satis exhibitum fuerit negotij, ad propriam, fratrumq; suorum Nauarræi & Condæi vi-
tam in Aula defendendam. Mox alias dat literas in hunc sensum scriptas, Quòd Admiralius
cum cæteris eius farinæ Reformatis aduersus Regem & fratres eius Nauarræum & Condæum
conspirauerit, ideoq; cæde necessario fuisse sic anteuertendos, quicquid gestum sit, expresso
suo mandato gestum esse, &c. Atq; horum mendaciorum, tam splendidorum, confirmando-
rum causa, duo magni nominis viri, puta D. de Bricquemault, natu maximus Ordinis eques, &
Dominus de Bricquemault & Cauagnes suspecti. Cauagnes Nauarræi Cancellarius, captiui, tormentis examinati, & tandè palam suspensi fuere,
quasi conspirationem illam confessi; quam tamen ad extremum vitæ terminum pernegaue-
rant. Vsq; adeò inconsideranter hic temporis defectu actum est.

Quis

Quin etiam literæ per totum hinc inde Regnum à Rege sparguntur, quibus totam vbique Hugonotarum progeniem raptim iubet obrui & necari: quarum iussis, quibusdam in locis summa cum sæuitia est obsecutum, præsertim Rhotomagi, Lugduni, & alibi, idque in eum finem, vt hoc pacto omnes per vniuersum Galliarum Regnum Reformatæ Religionis assecla semel obruerentur, & instar vnanimi internecione è medio tollerentur, inhibitis vbique ipsorum Concionibus. An. 1572.

Etsi verò isthæc sæuitia Reformatis vbiuis locorum Ecclesijs magnum incussit terrorem, ita vt multi fugam capesserent: plurimi tamen adeò se fortiter illi opposuêre, vt Dei potius prouidentia, quàm proprijs viribus nixi, secundam & quidem tollerabilem à Rege Pacem impetrarint: experientia palam conuincente, persecutione & cædæ tam cruenta, diuini nominis gloriam & Reformatę Religionis decus non modò nihil decreuisse, sed pulcrius etiam & latius enituisse.

Cedes Parisiana Reformatam Religionem magis promouit, quàm labefecit.

Isthæc autem laniena Parisijs in Hogonotas exercita, magnarum in rebus Belgicis mutationum causam præbuit. Princeps enim Auraicus & Geusij hinc facile sentiebant, se Gallorum ope & auxilio hoc pacto destitutum iri. Quapropter Auraicus, vt ante retulimus, perlato ad eum in Brabantiam cædis nuncio, metuens, ne per hoc animi suorum, præsertim Gallicorum, flacceserent, hostem suum rectè impetendum, eumque, si propitium sentiret Martem profligandum censuit. At verò Dux Albanus, cui prius metuendum fuerat, ne totius Galliæ viribus sub Alenzonio Duce, Regis fratre, & Admiralio, obrueretur, suo iam metu liberatus & plane refocillatus, nec quicquam exspectans hostile præter id quòd coràm videret, ad Montes, Hannoniæ ciuitatem, exercitum suum tantum validis circumquaque vallis & aggeribus muniens, omnesque viarum accessus custodijs obsidens, pugnam cum hoste planè detrectandam duxit, certò persuasus, Auraicum sine stipendiorum solutione, quàm frustra iam è Gallijs exspectaret, non diu illic commoraturum.

Cedes Parisiana rerum Belgicarum statum mutat.

Auraicus igitur, qui cum exercitu Montib. aduentans, hoc propositum Ducis Albani metuebat, Henricum fratrem, Nassouiæ Comitem, quatuor equitum turmis Albani copias nec opinantes aggredi iussit, qui fratris imperio parens, tanto nisu vel impetu in eas ruit, vt, disturbato earum ordine, eas intra vallorum suorum aggeres reprimeret, putaretur que eas etiam ex aggerum vallis exturbaturus fuisse, si peditibus rem fuisset aggressus. Hoc facto pugnæ præludio, Auraicus vniuersum exercitum suum, hoste aspiciente, in summo collis vertice ad molas ordine militari disponit, eumque sic quatuor horarum spacio continens, Albanum ad pugnam inuitat, plurimas interim tormentorum sphærulas in ipsius castra contorqens. Nihilominus Albanus sententia nihil immutata in proposito perstitit, tormentis tamen explodendis Auraico par pari retulit, licet exiguis ab vtraque parte detrimentis. Tandem secundum fossas quasdam dumeto vestitas, Archiscloperarios aliquot ad velitandum emisit. Quo permotus Auraicus iussit pariter & rogauit suos, vt hostem aggrederentur, ad eum à suscepta sententia dimouendum. Quod ipsius Auraici ductu prudenter faciebant, ad ipsas vsque fossas & vallorum tumulos, quibus Hispani iacebant reconditi, appropinquantes. Quos Hispani consertim Sclopetorum multitudine excipiunt, paucos tamen occidunt, plures lædentes, præsertim equos.

Auraicus Albanum profligare minitur.

Verùm, quod Auraicus, importunitatem loci & noctem ingruentem considerans, nullos secum adduxisset pedites, nihil ferè memorabile consecutus est, præter honestum ab hoste regressum: castra deinceps mouens Quevraing, non ita procul à S. Gelain (vulgo sic dicto) dissitum Pagum, vbi neque ad edendum neque ad bibendum quicquam offendit, totius viciniæ commeatu ab Hispanis absumpto.

Postridiè Princeps Auraicus in fluuiolo ad S. Gelain delabenti, pontem sternere in animum induxerat, quem quotidie vltro citroque commeans, fratrem suum de singulis faceret certiorem, vlteriusque cum eo caperet Consilia. At vero Dux Albanus, emissis rectè secundum fluminum ripam mille vel mille ducentis Hispanis, eius conatum repressit.

Hoc eodem tempore eidem Albano accreuerunt adhuc plurimi equites Germani, ab Isenbergio Comite, Colonienssium Archiepiscopo, & alijs, qui eius exercitui quotidiana dabant incrementa, adducti: adeo vt in vniuersum habere putaretur duodecim Hispanorum & VValonum, totidemque Germanorum millia, præter indigenas & veteranos equites. Præter hos habuit equitum Germanorum quatuor millia & quingenta, sub conductu Ducis Holsatiæ, Ducis Brunschvvichensis, Francisci Saxonis & alijs, quorum singuli cum copijs suis quotidiè exspectabantur. Auraico interim à fratre veniunt literæ, quibus centum ab eo petit equites, ad viam quandam ipsorum opera vi superandam: simulque significat, interiores adhuc pulchrè animatos ad Hispanis resistendum. Quo audito, Auraicus omnes suas copias ad prędictas molas reducit, quibus ordine conuenienti dispositis, iterum quinq; horarum spacio stans in acie, hostem opperitur, atque ad conflictum proritat. Sed nihil proficiens, ordine seruato

Episcop. Colon. equites Albano adducit.

Albani potentia ad monstr. Hæresin.

An. 1572 digreditur. Eum igitur hoc pacto digredientem videns Albanus, suis commodis seruiens, eius viciniæ locum aliquem editiorem occupat, quem præteriens pòst Auraicus, ibi cum inuisit, habens ad latus fluuiolum ad sui defensionem. Quapropter Albanus ilico aliquot aridorum lignorum & culmorum fasciculos sibi ministrari, ignemque grandiusculos excitari mandat, ad quos constituta fossorum multitudine, flammarum lucifique ministerio, tormentis in altum locandis aliquot fossas & latibula iubet effodi, quibus Auraico, illic ipsum adoriturò, gratuletur aduentum, persistens nihilominus in proposito, relicto fossarum, tutamine nequaquam ad cominus cum hoste decertandum progredi. Quod accidit. Dum etenim Auraicus eò loci denuò se conspiciendum præbet hosti, hoc vel illo stratagemate vel velitationis occasione suis eum latibulis proritare satagit, Albanus nihil aliud contra, quàm tormentis horribiliter explodendis ab alto in eum detonat. Hinc igitur satis explorato Ducis Albani pertinaci proposito; nonnulla etiam orta Gallorum, quos Regis nomine secum habuit, in exercitu murmuratione, Ninellas Auraicus castra mouere statuit, priusquam maiores fortassis excitarentur tumultus. At Albanus eum tam pacificè dimittere nolens, proxima nocte ex insidijs illi locauerat centum viginti pedites Hispanos, cum octingentis equitibus, secundum duos illos viarum accessus, vsq; ad Hispanorum castra pertingentes, vltra quos proximè tentoria sua fixerant Auraici pedites Germani, post hos proximè locatis V Valonibus & Belgis. Ista igitur Celtiberorum sic emissa multitudo, primam Auraici Germanorum legionem inferius, iuxta fluuiolum, ad pedem collis, in cuius summitate vel iugo commorabantur equites, adoritur, bombardarum ictibus in subsidiarios ipsorum socios delatis, in quos similiter impetu facto, trucidant quicquid viuum reperiunt, priusquam sese legio posset armare. Tandem verò, plurimis hostium occisis, pedem retraxere, paucos admodum suorum desiderantes.

Eius strategema.

Alb. Auraico Legionem obruit de nocte.

Auraicus fratrem liberare nequiens Montes relinquit.

Hanc cladem perpessus Auraicus, postridie Montes deserens, alio se contulit, postquam fratrem & Gallos in vrbe obsessos de omnibus fecisset certiorem: significans illi, impossibilem esse ipsorum ab Albano liberationem. Consultum igitur sibi videri, vt vitæ suæ conseruandæ gratia post perpessum vnum atque alterum assultum, res ad pacificationem deuolui patiantur. Ipse verò Mechliniam descendit in Brabantiam, vbi aliquamdiu cum exercitu quieuit. Tandem, relictis illic aliquot equitibus, vlterius ad Rhenum progressus est; quo Orsoi traiecto, exercitum dimisit non sine magno vitæ periculo, propterea quod eum pecunia deficeret, qua stipendia (quæ perfidis Galliæ promissis fretus, militibus soluenda promiserat, quamprimum in Hannoniam peruenissent) solueret. Licet igitur varia miles eius iniret consilia de ipso vel detinendo, vel in manus Albani pro redimenda solutione tradendo: præualuit tamen apud honestos equitum præfectos hominis innocentia. Quibuscum tandem quàm potuit benignè pacisc ens, de stipendiorum solutione transegit: exercitusque derelicto, Delphos in Hollandiam concessit.

Exercitum periculosè dimisso in Hollandiã se proripit.

Historia obsidionis & deditionis Montium.

Ad obsidionem verò & defensionem vrbis Montensis quod attinet, supra retulimus, Albanum triginta duo tormenta metallica maiora secum adduxisse. Ac primum quidem Bertimontis Suburbium occupauit: vnde tamen ab obsessis fuit repulsus; ita vt suis in eo vix tantum daretur temporis, quantum ad id comburendum ijs erat necessarium. Sed triduo post denuò illud inuasere, factisq; in eo latibulis, in eius meditullio sedes fixere, templo, ad se tranflato, propugnaculi loco ad pleniorem sui defensionem abutentes. Mox meatus suos subterraneos extra suburbium cœptos, ad viam lapidibus stratam vsque continuant, & hinc ad ipsum portæ propugnaculum, vulgò Rauelin nuncupatum. Verum quo diuersas habeant semitas, duos præterea meatus ad aquaticas Ciuitatis fossas in hunc deriuant, vt omnes in vnũ coeant, ad eorum extremum latibulum quoddam muniminis instar effodientes, quod omnis generis materia stipatum communiunt. In hoc ab eo tempore deinde per puteò aliquod militum præsidium occultauere, quorum ope fossarum aquis per suos cuniculos deficcatis, vel alio deriuatis, commodius deinceps ciuitatem impugnarent. Quam fossarum deficcationem tamen nullo modo efficere poterant, quod Ludouicus Comes certum Sclopetariorum numerum melioris notæ, è Regione locauerat, qui fideliter eius materiæ, quæ continebat aquas, perruptionem vel impulsionem prohibebant.

Deinceps Albano visum est obsessos ea priuare commoditate, qua vsque potiti fuerant, iuxta Monasterium Espinleu, vbi non solum ipsi ex vrbe vltro citroq; commeabant, sed etiam vehiculis ad importandas res necessarias vtebantur. Est autem Cœnobium illud, ædificium vilis admodum structuræ, & ciuitatem egressis quamprimum obuium. Id D. Poyetus, qui Rouraio duce Hispano rum rebus damna dare consueuerat, id oneum fecerat 150 Stipendiarijs in eo locandis. In hoc igitur euertendũ, Albanus 4. tormenta bellica dirigit, idq; 54. ictib. penè totum solo æquat. Quapropter Poyetus id deferendum ducens, retrocedens, simulq; cum hoste velitans, ad vrbem magis magisq; appropinquat, idq; cum ministerio gerrarum quarundam, vel

vel verius cadorum terris oppletorum, in eum finem prius lithoſtroto impoſitorum, tùm equitum & Sclopetariorum nonnullorum, ipſi ex vrbe in auxilium accurrentium. An. 1572.

Pòſt hæc Albanus captiuum quendam in vrbem mittit, qui obſeſſos de cæde Pariſiana certiores faciat. Ipſe verò omnem ſuam induſtriam huc confert: primum vt illis per meatus ſuos eruptiones omnes præcludat; tormentis muros benè quatiat, ac demum omnia ad impetû in vrbé faciendâ neceſſaria præparet. Tormenta ſua in tres diſtribuit ordines, quorum ſex in excelſiori loco conſtitutis, ictus perditos (vt vocant) in Ciuitatem fecit, in eum finem inuentos, vt obſeſſi à defenſione arcèantur, ac terrefiant: magna interim inferens Ciuitati damna. Reliquas duas tormentorum partes circumcirca in ſupradictum portæ Bertimontanæ propugnaculum, quod & portam & Cortinas ſeu latera, & foſſas palliauit, vel obuelauit, erexit. Tres primi dies abhinc, ijs propugnaculis & turribus demoliendis conſumpti ſunt, qui propugnaculum & murorum Cortinas ei adhærentes quoquo modo prætexerent. Quod eò diuturniùs illi præbuit negotium, quòd omnia calce admodum tenaci materia prædura, & ſaxis firmiſſimis fuerant exſtructa. *Albanus tormentis quatit Montes.*

Similiter duorum dierum ſpacio quatiebat, ipſam portam Bertimontanam tormentis decem, duabus turribus innitentem, quas ambas ſuperius vndiquaque perforauit, viſuique penetrabiles reddidit: inferius autem quatere non potuit, eò quod propugnaculum pedes earum ſuo tegmine defenderet. Id verò propugnaculum erat munitiſsimum, muraliſque materia præcellenti firmiſsimum: atque horum cuilibet portæ vnum erat adiunctum. Obſeſſi præterea ſuo meatui, quem Albanicorum meatibus oppoſuerant, aliud quoddam munimentum impoſuerunt, quo mediocrem Sclopetariorum numerum occultare poterant, acceſſum ad foſſas prohibentium, ſicubi propugnaculum portæ dirueretur; ſimulque vetantium, ne meatus hoſtium in oppoſitam aperiretur. His omnibus poſthabitis Albanus nihilominus foſſarum copia, omnis generis materia & inſtrumentis in hoc comparatis eò profecit, vt tantum terræ inijceretur, quantum ſufficeret ad ſuos, vtcunque in ipſas foſſas prouehendos; ſtatuens eas omnino ſiccare, ijſque deſiccatis commodiorem oppugnationi vel inſultui viam ſternere. Ita autem ſic ad inſultum faciendum deſtinatas, Albani molitiones videntes Montenſes, Mœnia ſua, quà nimirum ea ſuſpicantur debiliora, ictuumque minus patientia, grandibus ab interiori parte, Fulcris & erectis in altum munitionibus ſtipant. Albanici, octonis ab vtroque, tam à læuo, quàm à dextro latere collimatis tormentis, portæ. Propugnaculum tandem in puluerem redigunt, nudo reſtante meditullio, in quo ipſorum antagoniſtæ Gerrarum propugnaculis vtentes agebant, ex eo nihilominus, quoad per exiguam loci commoditatem adhuc liceret, hoſtem irruentem repreſſuri. Inter alias turres Bombardarum explosionibus hic tentatas, etiam turris S. Andræana, craſsiſsima, & è materia duriſsima, puta. Saxis & ſilicibus conſtructa, numeranda venit: in quam licet horribiliter aliquamdiu deſæuirent Albanici, nihil tamen profecère, præterquam quod eam ſic perforarunt, viſuique peruiam reddiderunt, vt obſeſſorum ſocijs in ea diutius tuto verſari minime licuerit. Qui huic incommodo mederi ſatagentes, vmbraculum quoddam à tergo turris in fulcro illic erecto expandendum excogitarunt, quo maiorum tormentorum quinque poſuèrunt, quibus Hiſpanos maximis damnis affecerunt, ſperantes inſuper, eorum vſum in vrbis oppugnatione multo maiori cum vtilitate fore coniunctum. Eiuſmodi adumbraculo, in ea quoque munitione, quam ab altera parte Bertimontanæ portæ in altum extulerant, quinque tormenta bellica obuelarunt: quod Albanus, quicquid laboris & induſtriæ tormentorum eius præfecti huc impenderent, dimouere non potuit. Ithæc tormentorum exploſio integrum durauit menſem, non ſolum in hunc finem ab Albano inſtituta, vt omnia vbique demoliretur oppugnationis obſtacula, verum etiam vt obſeſſis animos deijceret, eoſque ab eruptionibus vltrà faciendis deterreret. Verùm illi, rebus ad obſidionem neceſſarijs, puta copijs, nitrato puluere, globiſque tormentarijs probè inſtructi, tormentorum tonitrua paruipendebant, tam peditibus quàm equitibus ſuis erumpentes, quoties in rem ſuam fore confidebant. Nobilis quidam Gallus, nomine Berlettus, octodecim Sclopetarios ſecum trahens, ac per oſtiolum ſeu clauſuram foſſæ prorumpens, primas Hiſpanorum excubias tantis viribus incautas obruit, vt metu territi aggeres ad ſui defenſionem factos deſererent: ipſe verò in eorum fatellitium vel ſubſidium irruens, 25. vel 30. trucidaret. Verùm à cæde redienti, globulus in lumbos adigitur, cuius dolore poſt extinctus in vrbe moritur. *Eruptiones Montenſium.*

Interea temporis Oppidani varios omnis generis materiarum apparatus procurant, quibus Mœnium vulneribus medeantur, puta Culeos, lana, ſtipandos, ſectos, ſaccos, & ſimiles res in eiuſmodi rupturis reficiendis vſitatas. Nec non ad portæ propugnaculum ſua quoque remedia conuehunt: ita vt omnia propediem priſtino robori reſtituerentur. Dominus Lanouæus,

An. 1572. centum Nobilibus, mediocri lancearíorum numero, & lectis quibuſdam Sclopetarijs adiutus, impreſsiones defendendas recepit. Præterea alios Sclopetariorum quinquaginta in id conſtituendos ordinauerat, quod de portæ propugnaculo reſiſteret: ducentos verò in meatum hoſtili meatui oppoſitum, ad pleniorem locorum circumquaq; defenſionem, deputauerat.

Albanus igitur videns ſe per eorum, quæ diximus, impedimentorum interuentum, ad exhauriendas vrbis foſſas peruenire, ijſque deficcatis ſuos ad impetum faciendum adducere non poſſe; ſcaphas aliquot thoracibus ſuis munitas, & feneſtris, per quas tormentis proſpectus daretur, inſtructas fieri curauit, quibus aliquam Sclopetariorum multitudinem imponere meditabatur, quorum ope tandem ad impreſſuras mœniorum, vel alio ſe per aquas penetraturum ſperabat. Ad portæ verò propugnaculum, etiamnum aquis ſuis circumfuſum, quo commodius penetraret, idq; vi expugnaret; pontem ſublicium, aſſeribus conflatum, ſunib. vndiq; colligatum, & aliquot vini cadis inſtratum excogitauit.

Cauſæ deditionis Mouſienſium.

Hæc erat obſidionis conditio tum, Cùm Princeps Auraicus, vrbem liberare nequiens, cum exercitu diſcedens Montes reliquit, vt diximus. Vnde plurimæ difficultates intus exortæ ſunt. Primùm ciues, neſcio quid quiritabantur. Gregarij milites, præſertim Catholici, non ſolùm animis fracti brachia remiſere, verum etiam palam Ducibus ſuis reſponſantes murmurarunt, dicentes, ſe potius Mœnia tranſilire, quàm diuturniorem obſidionem perpeti velle. Quinetiam ipſi Duces animis haud leuiter erant perculſi, cùm propter cædem Parijſijs in tot Nobiles & Principes viros patratam, tum verò vel maximè propter perceptum Principis Auraici, in quo vnicè acquieuerant, ab vrbe diſceſſum: omnibus interim non leui inter ſe diſſidentia diſſectis. Quapropter Ludovvicus Comes, & ipſe æger, ægritudine ex indignitate rei & mœrore præſertim contracta, ad pacificationem res deuoluere ſtatuit. Cuius inſtituendæ iam pridem Dux Albanus fuerat auidiſſimus, ob non pœnitendam gloriolam hinc ad ſe redituram, quòd vrbem tot & tantis Ducibus, atque Copijs inſtructam, tam exiguo temporis ſpacio, tam paruo negotio, ſine notabili ſuorum detrimento, ad deditionis neceſsitatem redegiſſet. Quamobrem deputatis vtrinque Commiſſarijs, qui ab Albani partibus erant, Dominus de Noircarmes, cum Domino de Vaulx, Domino de Liques, & de Goingnies; à partibus Montenſium, Dominus de Soyecourt, Lanoue, Dominus d'Elcourt & Cormont: tandem in Caſtris 19. Septemb. An. 1572. huiuſmodi pacto litem dirimunt; vt omnes in vrbem aduenæ ea relicta egrediantur, tam Ludouicus Naſſouię Comes, quàm alij, videlicet Galli, Nobiles & milites gregarij, non ſolum pedites, verum etiã equites, vnà cũ miniſtris & ſuppellectili, puta armis, equis, ſarcinis & apparatu: exceptis tantum gregarijs Belgis, quibus nulla concedebantur arma, præter gladio & pugiones, Ciuibus etiam, qui arma ſumpſerant, excedédi quidem dabatur facultas, ſed ſine armis, non tamen abſque ſarcinis & vehiculis. Ab Eccleſiæ Romanæ Placitis diſſentientibus, huius ciuitatis ius & inhabitatio in poſterum adimitur. Omnibus autem in genere, quo cuiuſque ferat animus, liber, nulla aſque infeſtus moleſtia promittitur diſceſſus: ita tamen, vt ſancte prius omnes pollicentur, ſe nulla poſthac arma aduerſus Hiſpaniarum vel Galliarum Regem (niſi forte ſui quiſque Regis nomine) ſumpturos: exceptis ad hoc iuramento Comite Ludouico, alijſque Germanis & Anglis. Ad extremum verò, ad pleniorem huius pacti, fidem & ratificationem, primùm ab ipſo Albano, deinde à Duce Medinacælio, Don Frideriche, & Comite Barlamontio ſubſignatur. Diſcedentibus adiungitur inſuper iuſtus equitum numerus, ad eos in itinere bona fide cuſtodiendos, traditis in ipſorum manus quatuor Nobilib. videlicet, Domino de Vertain, Baronæ d'Ambignij, Domino de Bettencourt, & Domino de Potelles, tantiſper ipſos comitaturis, donec Ludouicum quidem Ruremundam: cæteros verò in Galliam proficiſcentes, ad Arborẽ de Guiſe in Gallia ſiſterent. His quatuor Nobilibus in ſui ratihibitionem dati ſunt obſides ab oppidanis quatuor illi deputati Pacificatores, qui ſe cum Domino de Mons, D. de Noircarmes dedere iubebantur, dum prædicti quatuor Nobiles à deductione cæterorum redirent, &c.

Conditiones deditionis.

His ita concluſis & fideliter viactum productis, Galli in ſuam Galliam, Ludouicus Naſſouiæ Comes, Moerſam & inde in Naſſouiam redijt. Albanus autem pro more ſuo Ciues Montenſes ijs modis, quibus tractari meruerant, tractauit. Antonius Oliuerius & alij primates, hanc tempeſtatem præcipientes, ante contractum ratum exceſſerant.

Hocigitur pacto cædis Pariſianæ beneficio nactus occaſionem Dux Albanus, Auraici Principis exercitum reprimendi, & ad diſceſſum cogendi, ac Montes denique recuperandi; tum res ſuas ab hac Galliæ parte in tuto locandi, ſeque iam totum ab omni metu refocillandi, quem priùs ſuccubiturum dixiſſet: equites ſuos Germanos (quod ad hyemem anni tempora vergerent) dimiſit, puta Archiepiſcopum Colonienſem, Duces Brunſvvichenſes, & Holſatum, cuius equites diu poſt, ob non numeratam ſtipendiorum ſolutionem, eò loci vagati ſunt. Reliquos imperio filij commiſſos Mechliniam delegauit, ad eam cum cæteris ciuitatibus, quæ deſciuerant, vi recuperandam. Ipſe verò Traiectum ad Moſam, & inde Nimegium, Dux Medinacælius autem Ducis buſcum conceſsit.

Albanus exercitu partim dimiſſo, reliquos ad vrbes defectinas recuperandas mittit.

Quòd

Quòd cum audiſſent Præſidiarij ab Auraico Mechliniæ relicti, ſentientes vulgum maleuo- An. 1572
lum,& per hanc Albani felicitatem metu conſternatum;vrbem deſeruerunt, quemadmodum & Dermundani,ſe nimis inualidos putantes. Poſtridiè verò, qui 2. Octobr.erat,dum Mechlinienſes Clerum ſuum ſolito Proceſsionis ordine diſpoſitum,ad Pacem cum Albano pacifcendam,obuiam illi emittunt, ſubitanea militum irruptione ab omni parte obruuntur. Nec enim per apertas tantum portas,ſed & vltra muros ſeſe ingerunt,ciuiumque bona miſerandis modis diripiunt,direptione ſic ad res vilißimi quaſque precij deſcendente, vt eius ſimiles admodum paucæ contigerint. Nec enim tantùm argentum,pecunias, veſtes,aliumque magni precij mundum;ſed & ſpondas,menſas,ſcamna,ſellas,ſcrinia,liſtas,aliaſq; res fabrefactas rapiebant. Quin etiam raptos Carbones, effoſſos ceſpites, (vulgo Torff appellatas) & ligna denique ad ignem deſtinata vendebant: inuentis illic etiam oportunè nauiculis, quibus omnem illam prædam, niſi ad extremum redimeretur quadrantem, Antvverpiam & aliorſum diuendendam deportabant,

Mechlinia ab Albani militi bus obruitur & miſerè expilatur.

Sed heus tu, caue ſacrilegos hinc nomines Hiſpanos, quin potius prodigioſam gentis,audi liberalitatem & in ſacros vſos prodigalitatem. Neque enim totam hanc prædam ſibi retinent,ne quid erres,ſed magnam eius partem in erectionem domus Ieſuiticæ Antvverpianæ,vulgò (Domus Aquenſis) nominatæ dedicant. Cæterùm vt ſummatim perſtringam, extremarum inſolentiarum nullus hic ſuit modus,in rapinis,in cædibus, in adulterijs & ſtupris. Quin ipſæ virginum Cœnobijs deuotæ,ab his deuotis non fuêre tutæ: nullis denique ſacris nec prophanis parcitum:præda in vniuerſum quadringentis florenorum millibus æſtimara. Furore tandem deferueſcente Dominus de Sueuigem Gubernator illi præficitur.

Expilatio miſerrima Mechlinienſium cædes in ædificationem domus Ieſuiticæ Antvverpianæ

Sed quod id æquo crudeliùs actum putaretur cum ciuitate proba, Catholica, & erga Regem ſemper officioſa;Dux Albanus cauſarum ſuarum declarationem edidit,quarto Octob. Muytij in caſtris datam, propè Mechliniam: Mechlinienſes receptorum è ciuitate ſua militum accuſans,qua iamdudum Regis præſidiarios arcere, Auraicoque Principi viam ſternere fuerint meditati,cuius militem ſolenniter receperint,ſtipendiaque ſoluerint. Tùm quòd Regis aduentante exercitu, Prælidiarios Auraicos armis non obruerint, quod illis factu fuiſſet facillimùm, hoc vſis argumento,quòd prædis & farcinis onuſti conſtituiſſent excedere. Præterea,quòd tormentis in copias ſuas explosis aliquot milites extinxerint, ſeque de præfidiariorum fuga non ſatis tempeſtiuè fecerint certiorem. Suo igitur merito deprædatos ait,illis inſuper denuncians, ſe præter expilationem hanc contra ciues illos aliquanto rigidius proceſſurum, quemadmodum & contra cæteras vrbes, quæ defecerint,quibus exercitus Regij poteſtas incumbet exſpectanda.

Ad excuſandam quodam modo crudelitatem in Mechlinienſes, Albanus cauſas eum typis diuulgat.

Eodem tempore ſimul etiam promulgauit,vt rebellantium,& eorum,qui rebellionis accuſatis opem tuliſſent,aut quoquo modo tale aliquid auſi fuiſſent, facultates & debita annotarentur,omnibus & ſingulis denuncians, vt tridui ſpacio indicent, quæ bona, quæ debita,quæ rura prædáue rebellium, quo loco ſita vel nouerint, vel ipſi poſsideant,vel rebellibus debeant;dupli pœna in illum decretą,qui ſciens quicquam reticeat,aut ipſis Rebellibus debita ſolua:tindicibus aſsis quadrante delegato,reliquo verò penes Regis officiarium remanente.

Mechlinia deinceps Dieſtum caſtra mouet Albani exercitus, quod quia oppidum belli impatiens,non direptum eſt,ſed quadam pecuniæ ſummula direptionem ſuam redemit. Inde in Geldriam perrectum eſt. *Dieſtum.*

Interea tempris Dermondani quoq; præſidiarij vrbem ſuam deſerunt, quæ deinceps pacem ſuam 8.florenorum millibus cùm Hiſpanis pacificitur. *Dermũda.eo Oudenardum in Hiſpanorũ poteſtatem redigũtur.*

Adeundem modum multarum aliarum vrbium exemplo deſperantes etiam Oudenardici, ciuitate ſua fugientes,malè prius tractaris,aliquot clericis vel ſacrificis, quorũ etiam nonnullos ſubmerſerunt,Oſtendam ſe contulére, vbi maior militum pars nauigio ſeſe ab imminente periculo liberauit. Verùm Embiſes Gandauenſis,Iohannis poſtmodum famoſi,filius,naui ſua in fundum illiſa,imminens captiuitatis periculum deuitare volens,in Mare ſe præcipitem dedit. quo ſubmerſus perijt. Reliqui verò Capiranei,Iacobus Blommartus Guilhelmus Grauius Gandauenſis,Anton. Rinæus & alij,tutiori via in Selandiam penetrare ſperantes, noctu in domo quadam, iuxta viam circundati, ſuique deditionem detrectantes,ædibus incentis concremati. ſunt.

Circiter hæc anni 1572.tempora,inſolens & noua ſeſe conſpiciendum præbuit Stella,quę nec in Cometarum,nec in fixarum ſtellarum nummerum potuit referri. Viſa eſt aliquamdiu incla reſcere:poſtea tamen lumine paulatim decreſcente euanuit. Albanus eius portentum demiratus,Cornelium Gemmam,qui præter alios ea de re ſcripſit,ſententiam rogauit. *Stellæ nouæ prodigium in Belgio conjectatus.*

Priuſquam verò de exercitu ſub Fredericho Albani filio progreſſu loquamur,repetemus, quæ interea temporis in Selandia geſta ſunt. Hieronymus Tſeratius, Hiſingenſium Gubernator, mediocriter magnam iam collegerat militum multitudinem, ex diuerſis hinc inde re-

Digitized by Google

An. 1572. gionum locis in Selandiam confluentem: puta nouem Anglorum vexilla, quibus Humfredus Gilbertus eques auratus præerat, & plurimos Gallos, à Creito Colonello multis Ducibus huc translatos. Inter hos orta est quædam suspicio, de Ciuitate ab alteutris in suam potestatem redi-

Milites Flisingæ, collectus tumultuatur, non sine ciuiū periculo & suspicione.

genda, re non admodum vero dissimili, coorta aliquando eam ob causam intra muros Flisingenses magna Anglorum seditione, pecunias inclamāte, quorum tamen insolentia Gallis mox similiter in arma ruentibus, & numerata pecunia, compressa est: quemadmodum & postea Gallorum quoq; furor coercitus. Quapropter hisce militum copijs alibi necessario suit vtendum Flisingensibus. Iam antè verò, vt diximus, excursionem fecerant in Flandriam: spe concepta, de se partim in Montes Hannoniæ conijciendis, vel alijs ciuitatibus quibusdam tentandis, sed successu frustrati sunt. Deinde spe & promissis allecti, iterùm Tergoas, Suytbeuelandiæ, (insulæ intra Scaldim & Hontam sitæ, & ab Oceano Insula VValachris profecta) Metropolim descenderunt. His ipsis promissis freti, etiam prima vice descenderant, sed tormentis ad eam rem necessarijs domi relictis, audientes militem Antverpia ad se repellendos aduentantem, re infecta remeauerant. Quamobrem Tseratius postea, constituto Flisingæ Gubernatore Baillæo, Smitio Domino de Barlant, nouem tormentis militaribus instructus eò redit. Tergoas Ciuitatem in solo humili vlginosoque reperit, mœnijs quidem probè munitam, sed propugnaculis destitutam; portis vilibus & fossis non admodum latis. Præter ciues intus erant duo tantum militum præsidiariorum signa, quorum alterum Hispanorum, alterum Flandrorum, Destituebatur etiam grandioribus tormentis. Gubernator eius erat Hydro Pacieco, liberationis suæ spem in vnam Antverpiam figens. Tseratius quàm primùm fossas suas fecit, tormentis collimandis stationes designauit, muroque duobus in locis statim diruit. Ad quarum impressionum alteram, iuxta portam Principalem, viginti quinque passibus latam, milites Anglicani & Galli, media nocte impetum in vrbem tentarunt, dum Creitius Colonellus, Gallis suis adiutus, alterum latus scalis transscendere niteretur. Sed his nimis curtis existentibus, mœniorumque rupturis satis fortiter defensis, retrocedere coacti sunt. Vnde discordia coorta studijs diuulsi sunt, deque apparatu in Brabantia contra se comparato certiores facti, obsidionem soluere statuerunt. Etsi enim Insulam totam bellicis triremibus vndique circundederant: audiebant tamen ab Albano huc delegatum Christophorum Monsdragonium, veteranum, reiq; bellicæ gnarum Hispanum, qui viginti VValonum vexillis stipatus, per aquas vadosas transiens, Balneum & Aggerem submersarum terrarum prætergressus, pedibus in Insulam deuenit, facinore longè gloriosissimo & omni fide maiore. Quamobrem Tseratius discessum maturans, tormenta sua nauibus festinanter imposuit, excubias interim agentibus Anglis aliquot & Gallis, in quodam propugnaculo. Verùm ad extremum, dissidio inter ipsos glisscente, (cuiusmodi incessitatis casu, nullus libenter finem claudit) eorum penè ducenta cæsa fuere, antequam naues conscendere possent. Quod accidit 20. Octob.

Tergoæ secundam obsessæ.

Monstragonium Tergoas liberat, seditionibus in Insula transientibus, secumque victoriæ debitis.

Tseratius igitur hanc ob causam, omnibus inuisus, quinetiam colusionis cum hoste accusatus, in Hollandiam ad Auraicum se Principem contulit: vbi de accusatorum suorum iniuria conquestus, impressis, templorumque valuis vbique affixis literis, omnes ad Auraicum Dominum & magistratum suum citans, eius se iudicio stiturum præmittit, ad extremum protestatus, se, in priori honoris sastigio perseuerantem cuilibet æquo iudici satis fore defensum, si certo multarum septimanarum spacio nullus accusatorum ad ipsum conuincendum compareat. Sed præter ipsum nemo comparuit, licet plurimi in sua persistentes sententia, ipsum inhabilem, id est, inidoneum, nec sufficienti experientia præditum iudicarent, ad tantum regiminis onus sustinendum, in quo tot tamque diuersis hominum nationibus esset imperandum, quarum quilibet Nobilium se tali suo imperatori vel parem, vel certè non inferiorem reputet: tam arduo rerum negotio veteranis etiam Ducibus & imperatoribus plus satis difficultatum & laborum facessente.

Tserati Gubernator proditionis insimulatur.

Iustificatio Tserati.

Mors Tserotij.

Verùm isthæc iustificationis vel purgationis ratio, Tseratium ex odio semel in ipsum concepto, minime liberauit, sed contrà fuit illi causa exitij. Cùm etenim Gertrudisbergæ præsidarijs præesset militibus, vbi milites ipso inuito infeliciter hostem aggressi, ac partim cæsi essent, concitato tumultu, illum confoderunt. Cuius criminis rei postmodum in Hollandia pœnas luerunt cohors. Trillonis Capitanei exauthorate.

Britanni & Galli è Selandia in patrias suas redeunt.

Paulò pòst ingruente hyeme, Angli in Angliam vt plurimum rediere: Galli verò diuersis opinionum sectis dissecti, in Galliam post cædem Parisianam reuocati sunt.

Flisingenses in mari belligerantur.

Interim Flisingenses omnem suam operam nauant in Mittelburgensibus omni ratione coarctandis, terra quidem persodiendis aggeribus, aqua verò, omnium vndique fluuiorum aditus, nauibus vbique dispositis præcludendo vel infestando, quò tandem ipsos famæ coctos ad sui deditionem compellant. In quem finem plurimas naues bellicas, tam mari quam fluuijs seorsim idoneas fabricarunt. In Oceano nemini licebat nauigare vel pyraticam exercere, nisi vel ipsius Auraici Principis, vel Statuum bona venia, permissuq; instructo. Qui quid mercium importa-

Digitized by Google

importabant, continuo id Curiæ Admiralitatis, id est collegio iudicum, ad omnes causas, nauigationem tam maris quàm fluminum quoquomodo spectantes, dijudicandas ac decidendas ordinatorum, significare cogebantur. Deinde, cognita per hos & pronunciata mercium spoliatorum integritate, vel iuste capta, fas erat Mercatoribus eas diuidendi, soluto prius salario Regioni vel iurisdictioni inde debito. An. 1572.

Mari præsertim vtebantur paruo quodam nauium genere, Pyraticas Fliteborhen ipsorum lingua vulgò nominatis, à quadraginta ad centum, & centum quadraginta dolia magnis, quibus sex vel octo, vel decem, vsque ad viginti tormenta, plerunque è ferro fusa imponentes, cæsque tot fere viris munientes, quot doliorum æstimabantur: vel, (quod eodem recidit) pro quolibet pundo maiore vulgo Laſten in Belgia vsitato, binos viros in naues dabant. Ita verò naues omnes, humilibus foris & tectis vel operculis probæ munitæ, catenisq; ligatæ, circa malos sua quæque valla seu latebras ad Sclopetariorum protectionem comparatas habebant, lingulis fere nauibus, singulis & propriis Sclopetis vtentibus. His demum nauigijs innumerabiles naues hostibus suis ereptas Fliſingam introduxerunt. Quapropter eò res redijt, vt Mercatores merces suas Belgicis nauibus non amplius auderent committere; sed ad hos decipiendos Belgicarum loco vterentur Gallicis vel Britannicis. At Fliſingenſes & hoc postmodum subolentes omnes naues ab Occidente aduentantes adoriebantur, atque hoc vel illo stratagemate expiscari nouerant: num Hispanicas vel hostilium Belgarum merces veherent, necne. Peregrinas dimittebant. Sed quænam essent peregrinæ, ex interceptis literis, vel vectoribus nautarumue locijs, humaniter tractatis, solutilq; eorum naulis vel impensis, certiores fiebant. Negotiatio Antverpiana tum temporis per Dunkerkium, Calesium, Rhotomagum, & vlteriores quosdam portus exercebatur.

Descriptio nauium a Fliſingenſibus immaturi vſitatarũ.

Ad Mittelburgenſium obsidionem nauibus vtebantur maioribus, Hulcis nimirum, vt appellant, & similibus. Ad omnes verò omnium vbique fluminum transitus obsidendos vel infestandos, magnas plerumque Stlatas seu galeatas vel Boieras, vulgo vocatas, rudentibus instructas, quas Kromſteuers nuncupant, vsurpabant. Atque hæ foros vel tabulatum habebant omnino planum & humile, à prora ad puppim vsque. Ad vtrumque mali latus binos Colubros vel tormenta magna ad conquassandas vrbium muros comparata, eaque prælonga, constituerunt super additis in puppi & lateribus sex vel octo vel decem denique aliorum tormentorum generibus. Ista verò omnia reticula quodam. Ceu tecto à fronte ad calcem erant obuelata; in apice mali galea vel specula armis probè munita. Harum Stlatarum vel Liburnarum vsus erat in fluuijs angustioribus. Quod enim latis planisque substratæ essent carinis, ideoque aquarum ferè superficiei tantum innatarent, facili se negotio circumquaque vertere poterant. Vniuersæ verò huic Classi & eius Epibatis vnus præerat Admiralius Luo Petrus Worſt, pro VValchrenſibus, vir integerrimus, reique maritimæ scientissimus, præ cæteris denique fortissimus, & rerum sincerè expediendarum studiosissimus, Hispanis denique maximè metuendus & inuisus. His plurima aggrediebatur insignia facinora, idque feliciter; qualis erat combustio Aſtabrum Hispaniarum sub arce Rammekenſi, quam superius retulimus. Sed insignis ille vir, quod esset valetudinarius, immatura morte suis præripitur, summo cum omnium luctu, eique substituitur Admiralius Boudewinus Ewontz, qui & ipse breuis erat vitæ. Ziriczææ suum quoq; habebant Admiralium, sicut & Campverenſes suum, omnes Admiralio generali subiectos, qui post obitum Maximiliani Burgundi, Marchio Campverentis, Dominus Beurenſis fuit Comes Hornensis, ab Albano capite truncatus, cui postmodum succeſsit Princeps Auraicus.

Deſcriptio nauium ad ſtatum inſulandos à Fliſingenſib. adſciſcatarũ.

Luo Petrus VVorſt & Boudewin Admiralij valetudinarij.

Hic fuit ſtatus rerum Selandicarum per totum annum 1572. quod nimirum præcipua eius Insula VValachria esset bipartita, Fliſinga & Campvera ciuitatibus Auraici partes sequẽtibus, contrarioque aduersus Mittelburgum Metropolim, magnum illum pagum Armuidenſem & arcem Rammekenſem, studio dedi tis: liquidem Fliſingenſes cum Campverenſes tria illa loca ab Albano præfidijs obfirmata, omni commeatu priuare nitebantur: eò quod maritimi plerique generale in Hiſpanos odium conceperant, ideoque maris & fluminum dominium sibi acquiſierant. Id autem in Hiſpanos odium eam ob causam tam erat capitale, quod hi soli maritimis viderentur omnium in sua patria motuum & calamitatum authores. Quamobrem quicquid vsquam Hiſpanorum in eorum manus deuenit, id aut continuo suſpenſum suſfocarunt, aut binos & binos simul colligatos Fliſingæ è propugnaculo viuos in mare dedere præcipites: Albanicæ tyrannidis exemplum in hoc immitati, vel potius officium, quòd ei proprium erat, mutuati; nam & ille temporibus illis omnes suos hostes, tanquam Deo & Regi rebelles, vbiq; locorum suſpendit.

Videns autem Selandos tam dociles & accuratos suæ immanitatis imitatores, paulatim mitior factus ab instituto nonnihil deſtitit, quo nimirum interdum alium alio redimeret. Nobilium simul & ignobilium hiſce temporibus suſpenſorum, submerſorum, aliisque mortis generibus ab vtraque parte affectorum numerus, omni fide maior est. Insula Scaldia cum Ziriczea Metro-

An. 1572 Metropoli Auraico fauebat; Suytbeuelandia verò cum Tergoa, Albano. In hoc igitur rerum ſtatu hos aliquantiſper relinquemus, vt nimirum Albanus Mittelburgum commeatu introducto liberare ſtudeat. itaque ſuperior euadere nitatur; antagoniſtis eius id impedientibus: quàrum rerum gratia plurima mari & aquis prælia contigêre, vt inferius referemus, poſtquam res in Hollandia ab exercitu Ducis Albani, cui Frederichus Albani filius imperitabat, geſtas commemorauerimus.

Iſte igitur Frederichus Toletanus, Albani filius, Dux exercitus à patre conſtitutus, Brabantiam relinquens, in Geldriam conceſit, vbi quamplurimæ ciuitates, quæ paulo ante ab eo defecerant, claues ei ſuas obtulêre, ſingulis in vicem ſe cum eò reconciliare certantibus. Tantus terror è cæde Pariſiana, deditione Montium, & direptione Mechlinienſium mortales vbiuis locorum occuparat, vt Auraicarum partium ſtudioſi, animis planè deiectis, conſilio & re prorſus deſtituti, & quaſi metu in ecſtaſin quandam rapti viderentur. Cuius rei euidens nobis exemplum præbet Zutphaniæ eiuſdem nominis & Metropolis & Comitatus; ad cuius ciuitatem Metropoliticam benè munitam, & opportuno ad Iſalam loco ſitam, præſidiarijs denique militibus probe ſtipatam, cum peruenißet cum exercitu Frederichus 21. Nouemb. tormentiſque diſpoſitis eam quatere cœpißet: ſequenti die præſidiarij cum ciuibus quibuſdam metu & diſcordia in tranſuerſum actis, vrbe relicta fugiunt. Poſtridie igitur Hiſpani vrbe potiuntur, ciuibus quidem dedere ſe percupientibus: ſed Hiſpanus miles animaduertens Præſidij fugam, vltra glaciem, munimenta, & muros, & Ceptas mœnium, impreſsione irrumpit, vt prætextu per vim expugnatæ ciuitatis fas ſit eam diripiendi. Id quod fecerunt, cædentes interea quicquid vſquà hominum fuga nondum elapſorum repertum, viros pariter & fœminas, quorum etiam magnam multitudinem in Iſala ſubmerſerunt. Quin & præſidiarios quoſdam cum Capitaneis nonnullis è fuga retractos, pedibus in patibulum ſubegerunt, prætendentes, quòd contra iuramentum ſemel præſtitum, arma in Regem geſsiſſent. Hic igitur iterum omnigena belluinæ ſæuitiæ ſpecimina præbuerunt, quingentis plus minus internecione deletis. Quòd priorem vicinis vrbibus & populis terrorem ſic ingeminauit, vt omnes vbique ciuitates libentiſsime ſeſe viderentur dedituræ, modò ſpes fuiſſet contractus ſatis tolerabilis & fidei: idque eam præſertim ob cauſam, quod vrbs tanta, tam & ſitu & natura loci probè munita, tam deniq; copioſo præſidio inſtructa, quæ, vt ſpes erat, Albani victricia ſigna aliquandiu eſſet retardatura, tam expugnatu facilem ſeſe præbuiſſet.

Zutphania capta & direpta.

Comes Montenſis è Geldria, & Schouenburgenſis è Friſia fugiũt, Albani victoriis plus æquo territi.

Hoc eodem terrore perculſus etiam Comes Bergenſis, vná cum Comitiſſa ſua, liberis, & corrafis, quæ ſecum ferre poterant, bonis, cum militibus ſuis fuga ſibi conſuluit, derelictis omnibus ſuæ iuriſdictionis locis, inglorius in VVeſtphaliam fugiens. Id ipſum quoque fecit in Friſia Iodocus Comes Schouenburgenſis: vbi Snekenſes etiam Dominum ſuum de Nedervvorter, priùs à ſe vocatum & magna ſolennitate introductum, eadem de cauſa carceri mancipatum cuſtodiuerunt.

Nardæum inclita ſedißimæ trucidatu ſum dium conſolatur.

Zutphania nouus belli Dux Frederichus Nardum Hollandiæ vrbeculam progreditur, quæ ſperans exercitum aliò tranſlatum iri, non quidem tantum ad ſui deditionem feſtinarat, quantum fortaſsis potuiſſet. Veruntamen ſuas vires minimas perpendens, vltrò in eius fidem ſeſe tradidit. Dux igitur in vrbem ingreſſus, alicubi cum his, quos voluit, diuertit. Ecce autem, dum ciues in nouis hoſpitibus humaniter tractandis & exhilarandis occupantur, tympani pulſu per vrbem proclamatur Ducis mandatum, iubés, vt omnes ciues & incolæ in facello Pandochæi publici compareant, ibi illis promulgatum iri, quid cuique ſequendum fugiendumúe ſit. Eo loci congregatos egregius Dux omnes iubet interimi, ipſe, ne Ducis nomen ei non conueniat, Conſulem quamprimum confodiens. Cuius deinceps imperio ſatellites eius obſecuti, eò fœuitiæ proceſſerunt, vt nullus omninò elaberetur: eodem tyrannidis Herodianæ exemplo poſt etiam in ſexum muliebrem & plurimos liberos deſignato, omnibus Hiſpanicæ libidinis generibus prius in ipſorum corpora perpetratis. Oppidum direptum & incenſum, totum flammis conſumptum eſt 30. Nouemb.

Hac cæde inſignis Amſterodamum caſtra mouet, vrbem ab initio huc vſq; Hiſpanis fauentem, vbi cum Comite Boſſuio, Oberſteinio, Domino de Hauercourt, Noircarmes & alijs belli anteſignanis deditionem & claues omnium reliquarum vrbium ſibi offerendas opperitur: ad quod ciuitates tanto ſperat fore promptiores, quanto maius augmentum terrori ſuo, quem hactenus ſibi tam ſenſiſſet vtilem, in Hollandia per famam de fœuitia in Nardenſes ſtatuta, acceſsiſſet. Verùm nimius ille terror apud plurimas in deſperationem vergens degenerauit. Exercitu igitur ad viam Harlemenſem aſcendente, continuo populus Harlemenſis ſibi metuens, in omnia vitæ ſuæ tudandæ media intentus, quid facto opus ſit diligenter deliberat. Ea autem in deliberatione Senatus in diuerſa ſententiarum ſtudia ſcinditur. Audita verò & concepta ex literis, quas Paſtor ſeu Præpoſitus Cœnobij fœminæi alicundè acceperat, ſpe veniæ & reconciliationis cum Frederichо reliquæ, modò quamprimum eius inſtituerentur petitio;

nonnulli

Digitized By Google

nonnulli hanc viam salutis amplexi, clam reliquis ex vrbe delegant, Amsterodamum ad Frederichum 3. Decembr. Theodoricum Frisium, veterem vrbis Consulem, magnæ authoritatis virũ, & Christophorum Schagiensem cum Pensionario Adriano Assendelfensi. Cæterum reliqui, qui isthuc salutis iter non satis tutum suspicabantur, eodem die, vlterius hac de re consulturi; iurare vrbis Collegia sagittariorum coegerunt: vbi VVibaldus Ripperda, Nobilis Frisius, vrbis Gubernator; Lanselotus Brederodanus, itidem Nobilis, Adrianus Ianssenus, vrbis Prætor cum Stuyuero Ciuitatis eo tempore Consule, Ciuibus considerandum proponunt, quid de gratia impetranda sentiendum sit. Quam enim fallax & parum firma sit Albanicæ veniæ promissio, ex vicinarum vrbium periculis luce clarius introspici. Iam verò Auraico Principi, tanquam Prouinciarum administratori, se iuramento esse obstrictos, cui se stare velle profitentur, nihil dubitantes, quin & ipsi, tanquam viri honestatis amantes, idem facturi sint. Se quidem iamdudum paratos ad extremam sanguinis sui guttam pro ciuium suorum & vrbis salute profundendam. Quamobrem si & ipsi sic animis sint affecti, id nunc ore libero pronuncient. An. 1572.

Oratio Ripperdæ Gubernatoris Harlemensium ad ciues, vt desistant ab obsidione Albani.

His & similibus verbis ad persuadendum diserte prolatis, auditis, Ciuitatis Collegia vno ore proclamant, se corpora simul & facultates pro communis patriæ salute impensuros. Ideoque legationem & ad Principem Auraicum, & Lazarum Mullerum ex tempore faciendam eon stituunt, (quarum ille Delphis Batauorum, agebat; hic verò in aggere nouo militem conscribebat, vna Germanorum legione, decem signorum militarium, comitatus) ad auxilium ab eis contra Frederichum petendum. Mullerus igitur nocte proxime sequente Harlemum versus ascendit, postridieque ad vrbem peruenies, quatuor suæ Legiones vexilla intromittit, quibus Legatum suum, seu loco tenentem, vt vulgo vocant, Steinbachium, Colonellum, præfecerat, cum Centurionibus Christophoro Vadero, Lamberto VVirtemburgensi, & Martino Spruisio: ipse verò cum reliquis sex signis Harlemum prætergressus, Batauorum Lugdunum progreditur. His receptis, Harlemenses statim, remotis è templis imaginibus, ad reformatæ Religionis præscriptum Conciones instituunt, atque ita cum Reformatis facere decernunt

Harlemum Auraici præfidiarios recipit.

Interea Christophorus Schagensis cum Quæstore Assendelfio, Amsterodamo redeunt, promissione Frederichо facta de ciuitate in potestatem eius tradenda, Theodorico Frisio Amsterodami relicto. Hi duo igitur statim in captiuitatem deducti, tandem Delphos ad Auraicũ mittuntur Principem: vbi Assendelfius tam huius quàm aliorum criminum illi intentatorum causa, vigesimo quarto Decemb. morte mulctatur: Christophorus verò Schagiensis in captiuitate moritur.

Mox Hispani Spaervvoum appropinquant. Quapropter Harlemenses confestim trecentos viros, tam è stipendiariis militibus, quàm ciuibus collectos, Sparendamum emittunt, quibus præerant Martinus Spruysius, Centurio Michael, & Gerhardus Verlaensis, ad id ab Hispanorum occupatione conseruandum; quorum vallum seu propugnaculum situm erat in tramite vel aggere, cui insistentibus Frederichi copijs iter erat faciendum. Præterea adiungunt illis fossores aliquot, quorum opera celsiorem illic aggerem perfodientes, totam viciniam aquis inundent. Qua re dum illi sunt occupati, nec multum adhuc fodiendo profecerunt, incauti ab Hispanis obruuntur, & re infecta reprimuntur; quicquid aggeris illi ligonibus diruerant, id omne per rusticos ab Hispanis restauratur, ingruente paulo post tam atroci gelu, vt omnes eius viciniæ fluuij, inter quos Sparus & Tya sunt præcipui, prædura glacie consisterint. Cuius occasione motus Iulianus Romerus, Hispanorum Dux, Sparendamum per glaciem à fronte simul & à tergo inuadi iubet. Cui licet oppidani fortissimè sese opponerent, tuisque tormentis maxima clade hostem afficerent. Hispani tamen vi irruperunt. Quod videntes oppidani, fuga vitę consulunt, quantumuis Harlemenses illis opem laturi binis militiæ vexillis, quorũ vnum erat ciuium, alterum gregariorum militum, sed ferò accurrerent. Præter multos Hispanos cæsos, occubuit hic Martinus Spruysius, ab Harlemensibus emissus Capitaneus.

Hispani Spaerendamum inuadunt.

Dum hæc aguntur Sparendami; Principis Auraici, nec non & Aulæ, Batauicorum que Statuum nomine, Harlemum peruenit Dom. de S. Aldegunde, qui nono Decemb. congregatis in vnum ciuitatis Collegijs, reliquisque vrbis membris, monstrato Ciuibus necessitatis telo, retulit, quo pacto Theodoricus Frysius suis transactionibus ciues suos in pactum fœdifragum pellicere nitatur, &c. Suadet igitur ipse, vt tempori seruientes, vel alium deligant Magistratũ, vel refixis & antiquatis legibus veteribus nouas condant: authoritate Administratoris & Curiæ Batauici in hunc finem eo missus: ad extremum rogans ciues, vt è suorum numero octo creent Consules, & quatuordecim Scabinos, de quorum numero bipartito, posterioribus anno sequenti rerum habenæ committantur. Quod accidit. Consules enim creati sunt, Nicolaus Verlanensis, Iohannes Vlietensis Nobilis, Gerhardus Stuyserus, & Petrus Kiesius, cum septem adhuc Scabinis & decem Senatoribus, qui rerum Gubernacula deinde capescentes, omnes res ad vrbis defensionem necessarias constituerunt.

pergla cieni inuadunt.

Deincepſ

An. 1572. Deinceps vndecimo Decemb. exercitus Frederichi tormentis alijsque rebus ad obsidionem necessarijs instructus, ante Harlemũ sua exit tentoria, numerans Hispanorum militum vexilla triginta sex, VValonum viginti duo, Germanorum octodecim, cum equitibus octingentis, ad quos confluebant quotidiè complures alij. Eò peruenientes, continuo factis fossis & erectis in altum aggeribus, suis acquisiuit latibula, direxitque in muros tormenta, admiratus incosideratam in resistendo temeritatem vrbis, vtpote imbecillis & amplæ, cuius mœnia fossæque magna ex parte more veteri essent constructa. Sed ciues ea, quantum licuerat, communiuerant.

Decemb. octodecimo, quatuordecim tormentis 46. 40. & pauciorum librarum pondo globos explodentibus, portam Crucis eiusque propugnaculum sexcenties octuagies icit, eiusque porticum seu vestibulum sic disiecit, vt eius ruinæ Ciuibus viam ad propugnaculum interclauderent, eosque ad meatum subterraneum eò ducentem, noctu sub porta faciendum, damnumque omnis generis ruderibus magna diligentia refarciendum, cogerent. Postridiè similiter portam S. Iohannis, cum prædicto monimento sexcentis septuaginta quinque ictibus flagellauit: quibus reficiendis oppidani nouum vallum erigere cœperant. Sequenti Decemb. 20. postquam iam ad meridiem vsque tormentis mœnia perculissent, sufficientesque ad oppugnationem impressiones fecissent, impetum in vrbem fecêre, militibus gregarijs pontes quosdam ad trasmittendam propugnaculi fossam comparatos, humeris suis apportantibus, dispositisque cateruatim, in latebris suis, Sclopetarijs, ad repellendos á vallorum & mœniorum propugnatione ciues, locatis. Verúm his iam octodecim signorum numero in oppugnatione occupatis, Harlemenses è munimentis suis ad portarum latera constructis, catenas tormentis maioribus impositas in eos contorquent. atque ita primos violenter ab oppugnationis impetu repellunt. Sed eò nihil obstante, recentibus militum vexillis impetum restaurant Hispani: quibus iterum tanta sese vi opponunt oppidani, globis tormentarijs extorquendis, pyrobolos circulosque pice & flammis ardentes eiaculando, vt eos denuò repulerint, tantamque stragem in eos ediderint, vt recedentes, vrbis fossas mortuorum & armorum plenas reliquerint. Hic plurimæ magni nominis Hispanorum animæ Orco demissæ sunt, cæsis vltra viginti militum Præfectis, aliisque Nobilibus. Vnde magnus obsessis accreuit animus, præsertim quòd viderent ciues suos se non minus fortes præbentes in propulsandis hostium assultibus, quàm ipsos præsidiarios. At Hispani iam pridem victorijs assueti, tandem in se reuersi, suffosionibus, subterraneis meatibus, rem postea sunt aggressi.

Harlemũ tormentis quatitur.

Impugnatur sed frustra.

Hispanis igitur adhuc in obsidione Harlemensium occupatis, Princeps Auraicus & Comes Marchæ, omnibus suis copijs coactis, medio inter Lugdunum & Harlemum itinere, Hillegemi nimirum pago quodam, castra metari cogitantes, vndecim iam vel duodecim plus minus militum signa sibi acquisiuerant. Quò quamprimum esset peruentum, Comes Marchæ, nihil minus cogitans quàm hostem tam breui tempo ris interuallo tantum collegisse virium, octo equites ad explorandum hostis animum & consilium emisit. At hostis horum aliquot intercepit ex quibus de Comitis & Auraici proposito certior factus, statim emissis equitibus sexcentis & quinis peditum millibus, eos adoritur 13. Decem. tanta celeritate, vt dicto Comiti, huius exercitus Duci, vix suppeteret tempus sese armandi, suaque sex Germanorum vexilla, totidem Belgarum & Anglorum signa, cum centum quinquaginta equitibus in ordinem redigendi: quibus tamen vt cunque dispositis hostem excipit. Verùm eius eques se tantis hostium viribus imparem agnoscens, & initio difficulter prospiciens, quòd crebra ingrueret nix, magna ex parte cęditur priusquam cladem suorum benè animaduerteret. Fugam igitur arripiens secum traxit quamprimum Bremenses, vel Germanos pedites, cum plurimis cęterarum nationum militibus; vt Comes se cum suo satellitio derelictum & in magno periculo constitutum animaduertens, post duos, quibus insidebat, equos, tormentarijs glandibus transfixos, vix euaserit incolumis. Animosi quidam vexilliferi, inter quos erat Iacobus Martini, præsidis Gandauensis filius, fugam suorum præpedire volentes suis stationibus firmiter adhæsere suisque vexillis sua implicuêre corpora, ac in ipsis confosi vitam cum sanguine honorificè profuderunt. Ibi in ipso conflictu simul & fuga, vita exuti sunt homines circiter sexcenti vel septingenti. Inter captiuos erant Baptista Treuir & Iohannes Keller: quos ambos Hispani altero crure è patibulo sic suspenderunt, vt caput cum altero pede deorsum vergerent. Pro Baptista redimendo Comes bina Coronatorum millia spoponderat, cum nouendecim præterea Hispaniæ farinæ militibus captis reddendis. Sed tam splendido λύτρῳ nihil proficiens, hos nouendecim quoque quamprimum suspendio necari mandauit.

Cladem Comitis Marchensis ad pagũ Hillegem.

Hanc cladem perpessus Auraicus, nihilominus, collectis vndique copijs suis, Sassemum, intra Lugdunum Batauorum & Harlemum situm viculum, sua fixit tentoria, vnde postea omnis generis res ad vitam sustentandam necessariæ Harlemum immissæ, cum multis militibus VValonicis, Gallicis, Angliacanis & Scoticis, sub diuersis Capitaneis, putà Christophoro Guntero, & Schram-

Obsessi Harlemenses Auraicum nihilominus

Schrammio Brunſvvichenſi, Germanis: Cucio, Vehemio, Margatino, Ardenna, Caſparo Sõheio, Parilio, Seminade, Balſurio, Gallis, VValonibus, Scotis & Anglis; cum Tferatio, Haultini, Roſengio, Bordeto, Commiſſarijs: quorum omnium numerus inuicem additus, quindecim conſtauit vexilla, præter quatuor illa Germanorum iam pridem immiſſorum. Atque hi omnes ferè gladiei beneficio ſunt introducti, omnibus fluminibus & ſtagno Harlemenſi frigore concretis. Plurima quoque carpenta ſeu trahæ, frumento, puluere nitrato, aliiſque rebus ad obſidionem neceſſarijs onuſtæ, indies hinc ſunt inuectæ; quibus Harlemenſes inſtructi conatibus Hiſpanorum prudenter admodum reſtiterunt, magniſque cladibus affecerunt, quotidiè in ipſos prorumpentes, vt nullus ferè dies ſine aliqua cum ipſis velitatione præteriret. Et quia quadraginta vel quinquaginta plus minus equites intus habebant, anteuertentes Hiſpanorum aliquot intercipiebant, ex quibus introductis hoſtium conſilia & meatus ſubterraneos ſub aggeres vrbis inſtitutos cognouerunt. Inter alias autem, quas fecerunt, eruptiones, haud poſtremo loco memoranda venit illa, quæ 25. Martij contigit: qua, mille viris excurſione facta, impetum in Germanum Frederichi militem in altu Harlemenſi dederunt, omnesè propugnaculis iuis ſic propellentes, vt eorum quingentos vel ſexcentos partim cæſos, partim verò ſubuerſos vita priuarint, reportantes inſuper ab illis nouem ſigna caſtrenſia cum quinquaginta fere beſtijs; tandemq; trecentis tentorijs & tabernaculis igne conſumptis, magna præda, & ſpolijs onuſti in vrbem remeantes.

Eruptio Harlemenſium in Hiſp. 25. Martij.

Verum enimuero Frederichus Toletanus non obſtante tam bellicoſo Harlemenſium præſidio, nec hyemis ſæuitia, nec denique annonæ in caſtris ſuis caritate, quibus omnis commeatus vno Amſterodamo & quidem via peranguſta adferri oportuit, tine victoria nequaquam diſcedere ſtatuit. Quapropterà quotidianis conquaſſationibus vrbis non deſtitit, ſed continuis tormentorum explosionibus afflixit non modò propugnaculum Cruciſportæ, cum porta S. Iohannis ciuſq; munimentis & muris ab vtroq; portarum latere conſtructis; verum etiam domos, Monaſteria & templa. Quinetiam quotidianis vallorum ſuffoſsionibus & cryptis ſubterraneis vrbem indies tentauit; in quem finem parens Albanus iiii triaſtonorum millia ex Epiſcopatu Leodienſi miſerat, quorum pauci admodum Leodium rediere, tam ſclopetorum torminibus, quàm ſolarum ruinis transixi & ſuffocati. Iſtis verò cuniculorum ſpeluncis ab Hiſpan. factis, Harlemenſes mirabile, quoſdam meatus oppoſuere, quorum decem vel duodecim incenſo nitrato puluere ſuperas ſuſtiarunt in auras. Quinimo omnia damna de die tormentorum vi mœnibus ſuis illata, noctu reficientes, nouos aggeres, munitiones & Propugnacula, ad cornutæ ſeu dimidiatæ Lunæ ſimilitudinem erexerunt: quorum præ cæteris videndum fuit illud, quod Cruciſportæ adiunxerunt, ad modum craticulæ trabibus proceribus affabrè contextum & nitricatum, rudere veteri ſimoque equino repletum: quibus operibus perficiendis tam diuites quàm pauperes tam ſenes quam iuuenes, tam fœminas quam viros manus adhibere oportuit. Reperta eſt etiam in Harlemenſium gynæceo prudens quædam & honeſta Matrona vidua, annos nata quadraginta ſex, nomine Kennavv, quæ tanquam fœminei ſexus Dux, cæteris mulieribus in rebus pro neceſſitate gerendis præiens, multas res in hoſtem præclarius quàm pro ſexu muliebri cum nonnullis alijs geſsit, in habitu fœmineo animo plusquà virili haſtam, ſclopetum & enſem Amazonum inſtar, in hoſtem contorquens,

Kennam Virago apud Harlemenſes.

Toletanus igitur, poſtquam eadem illa loca ſuperius indicata denuò quadraginta dierum ſpacio tormentis verberari mandaſſet; quatuor Hiſpanos rerum experientia poſſentes, nimirum Rodericum Porelium, Lodonem, Artayonem, & Begerram ſigniferum, bis ad viſitandas mœniorum impreſsiones ablegauit, ſcire cupiens quo loco & pacto per eas vrbs poſſet impetr. Qui redeuntes illi retulere, impreſsiones factas, ad altitudinem contignationis domus nondũ eſſe aſcenſu ſuperabiles, licet Portæ, Propugnacula & muri ſic ſint diuti, vt impreſsionum maxima, feneſtram ducentos pedes latam præbeat, vbi vel manus conferere liceat cum hoſtibus oppidanis, non ſolum laterum munimentis, ſed & loco, locandis ad latera in fuſi defenſionem copijs, ſatis capaci, deſtitutis; conſtrictis inſuper ſolidiſsimè ſolarum aquis. Quapropter Frederichus proximo mane, qui fuit Ianuar. 30. ante lucem irruptionem in vrbem tentare ſtatuit, ſuis imperans, vt armis candida ſuper inducant indulia, quorum beneficio per tenebras diſcurrentes inuicem dinoſcantur. Deinde altiorum Monſdragonũ militum vexilla, præter duo VValonum millia, & ſeptem ſub Bolveilero militantium Germanorum ſigna, de nocte in Hiſp. caſtra conuocauit, vt ſimul cum Hiſp. vrbem adorirentur. Reliquos verò in ſuas quaſq; latera diſpoſitos glandibus eiaculandis oppidanos à defendendis mœniorum rupturis arcere iuſsit. Ad extremum, omnibus nationibus ad virtutem commonefactis, ordinatis vbiq; ſapienter rebus, Capitaneis demum conuenientibus locis aptè diſpoſitis; magno quidem impetu & vi, ſed ſecreto admodum conatu, altoque ſilentio iuſſa capeſſunt; pars, per ipſas portas, aſcendentes, ſupuratiſque muris & propugnaculis vrbi prius imminentes, quàm ciues id reſciscerent. Tandem verò id tubolfacientes qui inter ambas illas portas agebant excubias, haud plures 40. vel 50.

Commoditas ad impetum faciendum in Harlemẽſi.

Impugnatio Harlemi 31. Ian. fruſtra ſuſcepta.

Digitized by Google

An. 1573. vel 50. numero, ilicò arreptis primùm armis clasicum cecinére, eosq; qui muros conscenderant, deturbauére. Continuò Ciuitatis Sagittarij cum præfidiariis, focijs auxilio accurrentes, Hiſpanorum inſolentiores mœnijs ſuis depulére. Sed eò nihil obſtante oppugnatio exterius redintegratur. Ecce autem doloſum Harlemenſium Stratagema. Cùm hoſtium plurimi Cruciſportæ propugnaculum, tormentis deraſum, iam conſcendiſſent, nec tantum ſupra, ſed & infra & circumcirca magno numero fræquentes conſiſterent: illi cryptam, huius munimenti fundo ſecreto iam ante inædificatam, nitratoq; puluere & alijs præterea materijs conſtipatam incendunt, & quàm plurimos melioris nota Hiſpanos, qui cum ſignis ſuis & ponè propugnaculũ conſtitére, in cælum euehunt, plurimos etiam ſuffocantes: cæteros verò, qui hanc ſuorum ſtragem proximè adſpiciebant, animis ſic deijcientes, vt ne vnus quidem auſus præterea fuerit pro pius accedere. Hæc autem crypta ſic flammis exploſa, raptim in reliquos irruptione facta Ciues ferro ſimul & Sclopetis tranſfigunt quicquid contingere poſſunt, tormenta ſua inſuper exone rantes in exercitum ad portam S. Iohannis ordine militari diſpoſitum, quem præſertim tormentis maioribus magna clade affecerunt. Innumerabiles in hoc congreſſu ceciderunt Hiſpani, tam nobili loco nati, militumq; præfecti, quàm milites gregarij; ſicut & ex cæteris nationibus omnibus quamplurimi. Permulti etiam grauiter læſi: oppidanis vix plures quàm decem deſiderantibus. Ex eo tempore Frederichus Dux de Harlemo vi expugnando deſperans, viſo Præfidiariorum in eo militum forti ac fido ad reſiſtendũ animo; poſthac ad alia media, quibus ipſum coërceret, animum applicare cœpit.

Harlemũ per glacies ſuperficiem trabis inuecto Commeatu ſuſtentatur.

Ecce autem mirabilem fortunæ caſum. Dum hæc ab illa vrbis parte geruntur, ab oppoſito eius latere, per glaciem, carpentorum 80. vel 90. omnis generis commeatu & armis grauatorum introducuntur: quod durante gelu difficulter illis prohiberi potuit, vnde vnius menſis interuallo plurimis rebus tam ad obſidionem quàm ad vitam ſuſtentandam neceſſarijs Harlemenſes adiuti ſunt. Verùm quòd iſte commeatus quamlibet multis, ad alendam tantam hominum multitudinem parum proficeret, Harlemenſes triremes aliquot, aliaſque naues fabricarunt, quibus vterentur gelu mitеſcente, & aquis tepore reſolutis. Sed & Princeps Auraicus Lugduni Batauarum Corbitas aliquot naueſque galeatas ædificari fecit, præfecto illis Admiralio Marino Brantio, quibus deinde, præter duo metallica & decem ferrea tormenta, aliaſque armaturæ ſpecies Leidis emiſſas, Harlemum illatum eſt frumentum & alia commeatus genera.

Pugnæ nauales Harlemi habitæ.

Verum nec non & Dux Albanus Amſterodami naues aliquot exſtruxit, præfecto illis Comite Boſſuuio: inter quas vtriuſque partis naues plurima prælia naualia in Harlemenſi lacu decertata ſunt. Tandem vero Hiſpani tot vallorum latebras ad aquas & medio inter vrbem & ſtagnum loco effodére, vt oppidanis fluuius vulgò Spart præcluderetur. Auraicarum nauium ſtatio erat in ipſo lacu, ad oſtium Tonnę, quarum vectores & ipſi propugnacula ſibi in littore fecerant. Ab altera parte, in oſtio Fuyckij fluminis conſtitére claſſes Amſterodamenſes vel Hiſpanicæ, ſimiliter factis ad ſui defenſionem in ripa latibulis: è quibus indies vtrinque prorumpentes, belli præludia faciebant; claſſes verò tormentorum ſulminibus inuicem decertabant. Auraicorum claſsis autem tranſitu potiri minimè potuit, Hiſpanorum aggeribus inter ipſam & vrbem exſtructis excluſa. Quin & oppidani ſuas etiam habuére foſſas, extra vrbem in hunc finem factas, vt earum præſidio vel tutamine, & ipſi ad naues, & naues ad ipſos, vltro citroque tutius commearent, pecudeſque ſuas in paſcuis illic errantes commodius defenderent, tantiſper, eas etiam eò loci alentes, dum cæteris fame conſumptis, vnam haberent reliquam, nimirum ad duodecimam vſque Iunij, ex quo, præſidiarijs hoſtium aggeribus iamdudum intercluſi, cunctiſq; rebus ad vitam traducendam neceſſarijs planè priuati, grauiſſima premi ceperunt inedia.

Agger Dieme renſi perfodi tur ab Enchuſenſi, ſed fine profectu.

Enchuſani quidem aliquoties aggerem Diemerenſem, Zuderſeam ſtagnum & Amſtram fluuium à lacu Harlemico & alijs aquis diſcriminantem (vnicam viam omnis commeatus Amſterodamenſibus terra aduentantis) perfodere conati ſunt, ſperantes, ſe per huius aggeris rupturam in lacum Harlemenſem & alias aquas penetraturos, ſed quoties hoc conati ſunt, toties ab Amſterodamenſibus re infecta repulſi ſunt, licet iam vallis ſe munire cepiſſent. Ab iiſdem etiam ad Oudekerkium, non ita procul ab eo loco diſſitum pagum, aliquot Auraicorum militum ſigna cæſa ſunt, vbi inter alios militum centuriones trucidatos, vita exutus etiam eſt Antonius ille Oliuierius Montis Hannonici ciuis, de quo ſupra: cuius caput nono Maij, affixa illi ſchedula, vltra vallum in ciuitatem Harlemenſem traiectum fuit. Eius percuſſori præſtituta fuerant quatuor florenorum millia, ob facinora, Montibus aduerſus Albanum deſignata.

Hinc initio facto, dum iam Hiſpani munitionum Harlemicarum pedem calcantes, ita cominus vrbem obſiderent, vt alterutrum alloqui, & haſta ſeſe mutuo contingere poſſent; plurima in alterutrorum opprobrium & indignationem fecerunt. Decimoſexto Ianuario

iterum

literum caput quoddam in Harlemenſium munitionem proiecerunt Hiſpani, additis literulis ſignificantes vel ſimulantes, id eſſe caput Philippi, cognomine Regis, militum præfecti. Quod tantopere vſit Præliatorios Harlemicos, vt citiſſimè currentes, duodecim captiuos è cuſtodijs adductos ſtrangularent: quorum capita, barbis, cæteriſq; crinibus more Geuſico raſis, cado incluſa, in Hiſpanorum caſtra deuoluerunt, adiuncta illi ſcheda in hanc ſententiam: Duci Albano pro ſuo numo decimo, illi nondum ſoluto, ob quem nimirum Ciuitatem Harlemenſem ob fidionem cinxiſſet. Quapropter ne quid in poſterum iure poſſet conqueri, ſe nunc illi, reditus annuii loco, mittere etiam vndecimum. An. 1573.

Vigeſimo ſeptimo Maij, cùm Hiſpani ælurum, id eſt, aggerem cæteris celſiorem, ſpeculæ loco perfecciſſent; veſperi patibulum ei inædificarunt, è quo ciues quoſdam & milites, qui pridie nitrato puluere onuſti in vrbem conati fuerant illabi, hos quidem collo, illos verò pedibus, promiſcue ſuſpendentes, mirabile ſimul & miſerabile Harlemenſium oculis ſpectaculum præbuerunt. Quo exacerbatus Harlemenſium miles gregarius, & ipſe in munimento quodam hoſtibus adſpicientibus patibulum erigit, & continuò currens, quendam M. Lambertum, & M. Quirinum vrbis olim Conſulem, cum Vrſula eius filia virgine veſtali, ab hoſtium fuoco parcentibus ſtantes, ſimiliter & Grunentuy chium, cum quinq; militibus, vno puero & ſacrificio, adductos, inuitoq; Magiſtratu laqueo ſuffocatos necat, Monacham verò cum V Valone quadam ſubmergit. Nec his contentus, ad plures in vrbe aduerſam partium ſuſpectos capiendos properat. Atq; ſic ab vtraq; parte captiui quotidie ſuſpenſi, inhumaniter confoſſi & trucidati ſunt; quod magnam hominum multitudinem contriuit. *Crudelitas Hiſpan. & Harlem. alterutrâ ad iram prouocandi gratia in captiuos exercita.*

At verò Dux Albanus, exercitus defectum quotidiè ſupplens, copioſum numerum recentium Hiſpanorum & Italorum, nec non & Legionem della Liga cognominatam, cum diuerſis præterea V Valonum & Germanorum copijs eò miſit: quorum ibi plures violenta morte diperiére, non tantum oppugnationis feruore, velitationibus, eruptionibus, & cryptarum explo ſarum ruinis oppreſsi, verum etiam frigore, fame, & omnis generis morbis extincti, quàm cuiquam videatur credibile & fide dignum. Inter alios magni nominis viros ſcloperi fulmine tactus obijt D. de Noircarmes, Hannoniæ Gubernator; itidem & D. de Creſſoniere, ſummus Tormentorum præfectus, ac Gubernator Greuelingenſis, alijq; complures Belgicæ Nobilitatis Heroes, præter multos Italorum, Hiſpanorum, aliarumq; gentium magni nominis viros. *Alba magnas ſtrages Harlemi paſſus quotidie nouos ſubſtituit milites.*

Ita igitur ſupra modũ vehemẽs & cruenta fuerit obſidio, tamen Harlem obſidione durãte, nullam ſuarum cladem adeò magnam accepere, licet Hiſpani in ſuo feruore improbè perſiſterent, ſuſtilandis quotidiè meatibus ſubterraneis, oppugnationibus particularibus, tumultibus & irruptionibus, quibus quoquo modo vrbem incautam obrui, vel ſaltem labefactari poſſe putabant. Innumerabiles cuniculos in terræ viſceribus factos puluere pyrio in æthera ſuſtulerunt, quemadmodũ & oppidani vicißim. Quin & plurimos pyrobolos, i globos ignitos, in vrbem immiſere: quibus tamen minus ei nocuére, quam frigidis illis prægrandibus, maiorum tormentorum tonitru explosis, quibus multi mirabiliter vita ſunt exuti. Harlemenſes Bombardarum crepitus indies numerantes, decem millium trecentorum & ſexaginta ictuum, in vrbem ſuam factorum, numerum collegerunt. *1050 illis Harlemo tormentis ingeſtis.*

Propugnaculo cuidam vi occupato ælurum vel ſpeculam Hiſpani inædificauerant, vnde tormentis ſuis creberrimè in vrbem detonantes maxima dedére damna non modò turribus, ſed & ædificijs Ciuitatis. Sed huic ælurò quatuor inſuper impoſuére malos, è quorum pinnaculis ſuſpendére ædiculam ſuperius & à tergo patentem, quatuor reſtibus in auras ſubtractam. Huic indiderant aliquot Sclopetarios, ad transfigendum deſtinatos, quotquot in vrbe per plateas liberè conſpicerent oberrantes. At oppidani perfrictis iaculando domunculæ funiculis, ea ab vna parte deiecta, milites in ea agentes in terras effudere. Quapropter Hiſpani aliam deinde erigentes, cohleis eam in altum ſuſtuleruntſed & illa tormentis oppidanorum perforata, ventorum flatibus tandem deturbata corruit. Præterea, cum iam Harlemenſes duodecim illa tormenta ſibi miſſa accepiſſent, inter quæ duo erant metallica, illis à Lugdunenſibus Batauorum donata; ijs exploſis quinq; hoſtium tormenta in dictu æluro ſtantia perfregerunt.

Quantumuis autem arctè tandem obſiderentur, ſuas tamen Harlemenſes inuenére rationes, quibus Auraico Principi & Statibus Batauicis ſuam ſignificarent indigentiam & rerum angustias, indies verſus Fuyckium fluuium noctu dimittentes, qui corbes columbis refertos (quæ pipiones ſuas excluſuræ ouis Harlemi inſederant) ſecum ferebant: quarum deinceps vnamquãlibet Auraicus cum Statibus conſultans, quando ipſis integrum viſum fuit, dimisere, alligata ad poplitem ſchedula, cera alijſque vinculis probè munita. Illæ dimiſſæ quamprimum cortes ſuas repetiere, vbi illis obſeruatis & captis ſchedas demſerunt Harlemenſes. Vſi præterea ſunt & alijs ſignorum rationibus, vtpote vexillis & ignibus è turrium pinnis potrigendis & oſtendendis, literularum acceptionem vel aliud quippiam ſignificaturi. *Columbis in bellatorum locos miſſis Harlemenſes.*

An. 1573. Deficientis pecuniæ neceſsitatem ſubleuarunt vſu laminæ cuiuſdam argenteæ, Ciuitatis inſignibus notatę, cuius precium vix dimidium eius valorem æquabat, pro quo numerabatur, addita Ciuitatis promiſsione, fore, vt vrbe liberata defectus omnis exactè ſuppleretur. Itidem & reliquæ Batauiæ & Hollandiæ ciuitates pecuniæ valorem intenderunt, Dalerum Philippicum ſeu regium 35. ſtuf. in poſterum 40. ſtuf. æſtimantes: atq; ita cæteras quoq; monetas ſecundum ſuam quamq; proportionem.

Argenti lamina pecuniæ loco vſi Harlemenſes.

Ab initio obſeſsionis ſuæ Harlemenſes quidem de commeatu & victu commodum conſtituerunt ordinem: ſed ſperauerant eum multo copioſiorem aquâ inuectum iri, quod interpoſitus hoſtium aggeribus & Amſterodamenſium nauigijs fuit impeditum. Quamobrem ineunte æſtate propter magnam in ea hominum multitudinem, tanto omnibus generis commeatus defectu laborare cœperunt, vt ſingulis militibus in Iunio vnica panis triticij libra fuerit dimenſa: Ciuibus verò, cum vxorib. liberis, & ſeruis, nihil præter Montæcas, id eſt, Muſtaceos & Popęna è Canabei ſeminis farina piſta comedere licueritidonec tandem non ſolum ab equis ad aſinos, vt habet prouerbium, ſed etiam ad canes, ad glires, ad feles, ad omnis generis pelles, herbaſq; virentes, & quicquid tandem per gulam traijci potuit, deuentum eſt.

Fames atrocitas Harlemi.

Cùm igitur tanta prę̃merentur fame, vt multi famis crudelitate necarentur, obſidionemque diutius tolerare nequirent (diuerſis rationibus Auraico Principi id ſignificarunt) qui pro tabellario columbæ vſus miniſterio, illis octauo Iulij Lugduno Batauorum reſcripſit, Se liberationis periculum facturum verſus ſaltum Harlemenſem: quapropter tumultum aliquem hoſtis fallendi gratia concitarent, verſus Fuyckium fluuium. Nullum enim aliud reſtare remedium. Quamobrem vltra duo Soldatorum & ciuium millia totam noctem, inductis ſuper arma candidis indulijs, præſtolantur, vt aduentanti liberatori ſuppetias ferant.

Auraicus Harlemum liberare & alere nititur.

In hunc igitur finem Auraicus quidem diligenter omnes belli copias congregari iuſſerat, præfecto illis Batenburgio, quibus acceſſerat etiam non contemnenda multitudo iuuenturis Batauicæ, è cuiuſlibet vrbis ciuibus collectæ, ſed nulla rerum experientia per ætatem prædita. His comitatus Batenburgius cum quodam carrorum, commeatu onuſtorum, numero, noctu progrediens ſaltum Harlemenſem petit. Sed aduentanti obuiam procedunt reſiſtuntque Hiſpani cum tota penè Albanenſium Caſtrorũ, vi copias ipſius in Mannepat (vulgari lingua ſic dicto loco) cædentes & profligantes. Ipſe Batenburgicus è ponticulo quodam coactus decidens, animam ibi exhalauit, cum Domino Cłœtingenſi, Carlonio, & alijs. Hanc ſuorum cladem quamprimum per Columbam tabellatricem Harlemenſibus ſignificauit Auraicus. Quinctiam hoſtis nouem ſigna Caſtrenſia, ab his reportata, ipſis ſe vſenda propoſuit.

Dominus Batenburg. cum alijs cæſus.

Harlemenſes ſtatum vrbis relictæ exteduere.

Videns igitur deſperata ciuitas Harlemenſis, Frederichum ad pacificationem minimè propenſum, qua præſidiarios in armis ſuis vrbe deſerta liberè pateretur egredi; tale conſilium init, vt omnes, quotquot armis eſſent idonei, viri, armata manu erumperent, conſcenſiſq; nauibus & ſcaphis ipſos præſtolantibus ilicet elaberentur, relictis in vrbe vxoribus & liberis. Verùm vxores id ſubolentes, liberos raptim ſecum trahentes, tam confuſo ad portam confluxerunt ordine, vt viris nullibi daretur facultas penetrandi: quòd ſanè fuit miſerabile viſu. Ideoque fugam, hac vici præpediti, procraſtinare coacti ſunt, in noctem proximè ſequentem. Poſtridiè verò, qui erat Iulij decimus, conſtituerant, vt ſeptem Sclopetariorum vexilla præcederent, & quaſi viam ſequentibus ſternerent: intermedio ſequente Senatu, Senatorum vxoribus & liberis; quorum tergum mox clauderent ſagittarij vel præcipuæ dignitatis ciues, ſimiliter vxoribus & liberis ſuis comitati: ſequentibus hos omnibus omnino ciuibus, quibus vnà fugam arripere liberet: extremum verò locum occuparent octo vel nouem Stipendiariorum ſigna, quæ defertis impreſsionibus, mœnijs & ſtationibus, cæteris omnibus quaſi in ſubſidium & clauſulam à tergo ſuccedentes adhærerent. Sed & hoc conſilium ſuo ſucceſſu caruit, cum propter hoſtem, qui ad impetum faciendum ſe videbatur præparare, tum propter literas è ſaltu ab hoſte miſſas, quibus ſe in gratiam aiebat recepturum, quotquot hominum in vrbe eſſent. Cuius dictis ſtatim fidentes Germanorum militum præfecti & Præſidiarij, à ciuibus deſciuerunt.

Turbæ & confuſionem dat excedendi propoſitum.

Vndecimo Iulij ſub veſperam, quatuor vel quinque VValonum vexilla porta Schalviskeria ſecretò elabi tentarunt, inter quos multi fuêre præcipuæ notæ ciues: qui omnes, deſertis muris & ſtationibus ſuis, extra ciuitatem iam conſtitêre. Verùm quòd & hoc facerent admodum confuſi & perterriti, nec haberent qui pontes ſternerent, cæteroque apparatu neceſſario deſtituerentur; quilibet in ſuam ſtationem redire coactus fuit, non ſine tumultu: maximo interim in periculo ciuitatem relinquentes, cui metuendum erat, ne, dum hi rerum incerti tumultuantur, hoſtis mœnia tranſiliret. Poſtridiè manè denuò aliquot milites gregarij, ciues & fœminæ veſtibus ſexum diſsimulantes, omnes animis perculſi, ad portam cucurrêre. Magno fœminarum & puerorum numero ſtipati: quæ ibidem

Digitized by Google

Ebi inulcem valedicentes quaſi in mediam ruiture mortem, ſupra modum flebile & lamentabile ſpectaculum videntibus exhibuerunt. Sed & hunc conatum ſucceſſu ſuo priuauit ſpes pacificationis à deputatis iniectaad quam Germani milites erant propenſiſsimi. An. 1572

Sequente Iulij 12. ſub veſperam, Pacificationis pactum ratificatum eſt, intercedentibus Stein bachio, Chriſtophoro Vadero & Roſonio Centurionibus, præſentibus ambobus Conſulibus & aliis, de Ciuitate hoſti dedenda. At Roſonius pacto non ſatis acquieſcens, eiq; ſtare nolens, ſignificauit id VValonum & Belgarum Capitaneis, non ſatis tutum arbitratus ſpe & metu gratiæ Ducis Albani vrbem tradere. Quapropter illi ponticulum ſubtrahentes, deputatos ad pacificationem arbitros intromittere nolunt: qui poſt alibi illapſi, plurimas, eaſque ſatis æquas pollicitationes hoſtis de conſeruandis omnibus in vrbe propoſuerunt: quas nonnulli tantum ad Germanos, Scotos & Britannos, veluti peregrinos, reſtringebant: nonnulli verò ad omnes extendebant. Diſſentientibus verò omnibus, maior numerus vociferabatur, Frederichum ducem plus gratiæ declaraturum, quàm quiſquam de illo ſperaſſet. *Reconciliatio Harlemenſiũ cum Fredericho Albani filio.*

Poſtera die 13. Iul. militibus & plebi, tympanarum pulſu congregatis, proponitur quæſtio, Malintne ſpe & metu gratiæ Ducis Albani, in vrbe perſeuerare, vel armis nudati ciuitati cedere? Cui reſpondentes proclamant, Se potius permanſuros in vrbe, Albani promiſsionibus fretos, de quibus Germani, Britanni, & Scoti ſibi videbantur certiſsimi: plurimis etiamnum eius diei manè adportam collectis & vi perruptu ris, modò Pontificibus fuiſſent inſtructi. Sed hac ratione tandem perſuaſa fuga deſtituntur.

At verò Bordérus, vir nobili loco natus & Gallus, qui & obſeſsis Hannonię Montibus interfuerat, promiſsionibus de ſpe & metu Albanicæ gratiæ perceptis, crudele præſentiens hoſtis propoſitum, qui iam pridem ſemel enunciaſſet, huiuſmodi hominum genus nulla ſe velle miſericordia proſequi: famulum ſuum quam potuit diligentiſsimè rogauit, vt eum tormenti glandine traiectum interimeret. Cuius petitioni famulus poſt multas & varias tergiuerſationes tandem obſecundauit. *Bordérus Nobilis à miniſtro ſuo vult ſclopeto traijci.*

Interea deditionis pactum concluditur, pro ciuibus æquum ſanè & tolerabile: continens nimirum, vt vitæ & direptionem bonorum ſuorum ducentis aureorum millibus redimerent, exceptis 57. Ciuibus nominatim deſcriptis, qui videlicet primates vrbis fuerant, & ad rerum gubernacula ſederant: datis inſuper à Duce ad maiorem rerum fidem tabulis patentibus, ſeu literis condonatorijs. Conuentum fuit etiam, vt huius ſummæ dimidium præſenti pecunia perſoluerent duodecim dierum ſpacio: reliquum verò poſt elapſum tsium menſium inter uallum. *Lytro quoq; pacem & condonationem culpæ mercatur Harlemen ſes.*

Conſequenter ciues & milites Belgici, depoſitis armis, in aliquot templa cum vxoribus ſuis, ſecedere iubentur. Eodemque die panis bipondium ſex viris diſtributum eſt. Poſtridie Germani, Britanni, & Scoti quoque, armis in ædes ciuica exutis, in aliquot Monaſteria ſe recipere coguntur, vbi illis quamprimum vigiles ſunt deſignati. Eodemq; die magna ex parte Hiſpani cum Fredericho Toletano eiuſq; Conſiliarijs intra ducti. Omnes verò vrbis præfecti & anteſignani capti, extraque ciuitatem de ducticiues autem diuiter coacti, ad citò proferendas ſuas pecunias, ſi vitam tueri vellent. Proxima die Iulij 15. trecenti plus minus VValonum milites præſidiarij in foro partim ſuſpenduntur, partim capite plectuntur. D. V Vibaldus Ripperda, vrbis Gubernator, 16. Iul. vnà cum legato ſuo ſimiliter capite mulctatur: Steinbachij Concionator ſuſpenditur; ducenti verò quadraginta ſeptem milites in ſtagno ſubmerguntur. Inſequente decimo ſeptimo rurſus aliquot Præſidiarij decollantur. Poſtridie iterum trecenti, inter quos ciues nonnulli, qui conati fuerant effugere, truncantur: quibuſcum etiam Simon Simonis Concionator vitam profudit. Vigeſimo deinde Iulij Lancelotus Brederodanus, Roſonius & Quæſtor Brielenſis truncatis Capitibus Schoteni necantur: ſicut paulò poſt reliquorum Capitaneorum & Signiferorum octodecim, cum reliquis VValonibus, Scotis, Britannis, & Gallis, penè trecentis. Intercedentibus deinde aliquot diebus, 19. Aug. demum milites nonnulli, qui hucuſque in Xenodochio ægrotantes decubuerant, in ipſius Hoſpitalis littore capitibus plectuntur. Præfidiarij munitionis in Fuylij fluminis oſtio factæ, quaſi per obliuionem in paciſcendo præteriti, vt illis miniſtraretur cibus, fame enecantur. Septimo Aug. Germanorum militum circiter quingenti, cum ſuis præfectis, Hiſpanico comitatu ſtipati, vrbe educuntur, triremibus in perpetuam ſeruitutem addicendi. Sed hi fauente vtentes fortuna, dum Oudekerkium perueniunt, beneficio & ope Bruchhuſianorum aliorumq; militum Satellitib. ſuis erepti priſtinæ reſtituuntur libertati. Hoc modo omnes Harlemi milites vnà cum Præfectis & ducibus ſuis vita priuati ſunt, paucis admodum exceptis, qui fugam ſecreto arripientes elapſi ſunt. His annumerandus venit Balfurius Scotorũ Capitaneus, qui, quia promiſerat aliquâ in vitam vel perſonam Principis Aurrici, ad ipſum è medio tollendum, machinationem, dimiſſus fuit incolumis. Qui idipſum pòſt Auraico Principi coràm confeſſus, ſe, ſine aliqua conſcientiæ labe vel merſu, præmiſsis tam flagitioſis & impijs minimè obſtrictum reputauit. *Militum Harlemici ſuſpenſio, decollatio, ſubmerſio.*

Digitized by Google

An. 1573. Isthæc autem Harlemi septem mensium obsidio, licet Hispanis in victoriam cederet; ipsorum tamen reputationi nonnihil detrahens demonstrauit, ipsos non esse inuincibiles, cæterisque Batauiæ Ciuitatibus satis temporis largita fuit, res in omnem cuentum præmeditandi, sequeadfirmiorem resistentiam præparandi; idq; vel eò magis, quòd Harlemo potiti milites tumultuati, sunt inuice m diffidentes ob participationé pecuniæ ab vrbe numerandæ, lite tã atroci, vt Capitaneos & præfectos suos abigerent, & debitam illis obedientiam detrectarent, donec numeraretur pecunia. Quod dissidium sex fere septimanarum spacio durans, vix tandem solutis stipendijs consopitum fuit. Adeò vt hac æstate iam transacta, fero ad obsidendam Alcmariam castra mouerent. Cuius historiam referemus inferius.

Episcopus Harlemensis, D. Godefridus Amerlæus, Templo D. Bauonis Harlemi de nouo initiato, in eo missificat 15. Aug. duce Fredericho Toletano præsente.

Res in Selandia gestæ.

Relata hactenus obsidione & occupatione Ciuitatis Harlemicæ, referemus deinceps quid interea tempo ris alibi quoq; gestum acceperimus, vt nimirum in Selandia, vbi Flissingenses & Campveræi Mittelburgum, & Armuydam cum arce Ramekensi classibus suis bellicis obsessas tenebant, vt supra relatum est; idq; tam arctè, vt, nihil, vel admodum parum, inuehi posset. Insula penè tota exhausta, deuastata, & inundata. Plurimæ in ea velitationes habitę sunt, pro obtinendo loco aliquo editiore, vt exempli gratia, pro Suburgo, habitatione Maximiliani Burgundi, quondam Admiralij, & domini de Vere: quæ tandem flammis iniectis combusta fuit. Flissingenses, sicut & Mittelburgenses, extra in aquarum aggeribus fossas & valla ad sui protectionem acquisiuere: quod alterutrum impedire conabantur: Ad quas D. de Cattem, VVakene & Capelle tormento percussi obierunt.

In hyeme naues aliquot Dordracum petentes, & in Clœndro frigore constrictæ, ab Hispanis dispoliatæ sunt, earumque vectores omnes trucidati & suspensi: à quibus Romersvvalium quoq; diripitur.

Mirabilis audacia Flissingensium.

Flissingenses iam vbique fere aquarum imperio potiti, 14. Ianuar. Anno 1573. ad Antvverpiensium portas vsque delati, octo naues illis ereptas secum abducere ausi sunt. Quinimò nonnulli ipsorum, in ipsa Antvverpia è lectulis suis noctu quosdam homines suscitatos, inuitos ex vrbe se comitari, nauesq; suas secum conscendere coegerunt. Quod inter cæteros accidit cuidam Iodoco Scretario, de quo Flissingam deducto precium pro sui redemptione extorserunt.

Ad eundem insolentiæ modum etiam Bauonis Euontij Admiralij, qui Euoni Petri VVorstio successerat, filiolum Antvverpiæ ex ædibus Prætoris, vbi tenebatur captiuus, media luce ex vrbe ad naues suas deduxerunt.

Apparatus Albani ad liberandum Mittelburgum.

Dux Albanus igitur Mittelburgum armata manu liberaturus, misis vndiq; in circumiacentes Regiones, videlicet Galliam, Daniam & Ostlandiam literis, nautas in auxilium concitat: sed præter paucos quosdam Bremenses, nihil assequitur, Flissingensibus vbiq; gentium amore simul & honore præualentibus. Omnes ergo naues, quas assequi potuit, modò essent idoneæ, reparari curauit tam Montibus ad Zomam & alibi, quàm Antvverpiæ: multas etiam de nouo fabricari iussit. Torrenta, quibus armarentur, è cunctis ferè ciuitatibus per vniuersum Belgium adduci imperat. Admiralium eis præficit Santium Dauilam, arcis Antvverpianæ Præfectum, cui totius naualis prælij summam commisit. Interea verò rationibus subtiliter excogitatis iterum atq; iterum nauiculam vel schapham frumento, & alijs commeatus generibus oneratam, Armuidam immiserunt.

Varij conatus Hispanorum, pro Mittelburgo vitlare sollicitando.

Prima vice, prout retulimus, liberationem plena vi fuerant aggressi, viginti duabus scilicet Assabribus illis seu lembis Hispanicis, quas Hispanis refertas, ab Admiralio Euone, cognomento Worst / infra arcem Ramekensem fortiter expugnatas & exustas supra diximus.

Altera verò vice, nimirum 10. Octob. An. 1572. quinquaginta septem nauium classe bis mille viris instructa Antvverpia & aliunde eodem se quidem conferunt: sed propediem repelluntur, amissa vna nauibellica, vna triremi, & vna qua commeatum vehebant.

Sub finem Februarij, An. 1572. Santius Dauilanus denuò plus minus quinquaginta nauium classe, quarum multæ erant prægrandes, Antvverpia secundo flumine Neusas vsque descendit, non obstante periculosa magnarum illarum nauium Charybdi, quos Flissingenses, interclusa nauigationis gratia, lapidibus à dirutis quibusdam Monasterijs huc adhibitis grauatas, intra Lilloum & Ordama in fundum demerserant. Non ita procul à Neusis obuiam illi fiunt Zelandi, vbi per dies aliquot tormentis aduersus alterutrum fulminatum est, & inter alios Sclopeti fulmine tactus Arietta Hispanus obijt. Tandem in fugam conuersa eius classe, maiora nauigia Antvverpiam, minora verò Montes ad Zomam recurrere: vnde postea nouam spem penetrandi concipiunt, sed iterum repulsæ redire coactæ sunt. Ordami munimentum erexerunt, idque tormentis ac Præsidarijs munierunt Hispani, ad intercipiendum Zelandis eò loci transitum.

Sant. Dauilanus Mittelbur

Post, sub 21. April i Bremensium nautarum copias aliquot nacti, Santius Dauilanus ingenti

nauium

nauium bene instructarum classe denuò Mittelburgum versus vela ventis committit, non mo- An. 1573.
dò armorum vi terribilis, sed etiam ordine conuenienti dispositis nauigijs superatu difficilis.
Sed vento vsus parum secundo, nimirum subsolano, Breskinum defertur, è regione vrbis Flis- *Eam ex parte tantum victa infernit.*
singensis situ viculum; vbi à fronte simul & tergo infestatus, Flisingensiũ nauiũ classe Biervlieto
allabente obruitur, amissis grádiorũ & præcipuarũ Corbitarum vel Gabearum quinque, inter quas erat præcipua Elephas nomine. Prælium illud fuit admodum sanguinolentum: omnes etenim vectores vel cæsi vel submersi sunt: inter quos etiam Dominus de Blicqui. Prælio finito, manus, brachia, pedes, crura, intestina, frusta denique carnium sportis collecta fuerunt, nauibus, macellorum propius quàm nauium faciem referentibus. Vsque adeò crudeliter maiorum tormentorum fulmina in homines desæuierant. Reliquæ Santij naues, pugna adhuc durante, licet haud indemnes, Mittelburgum euasere, nonnullis earum in itinere demersis & exustis. Vbi exonerato quẽ attulerant commeatu, naues suas mercemonijs, alijsque rebus vectores replent, & comitante illos Domino Beauoysio, è familia Lanoia oriundo, in Iunio redeunt, denuò sex, vel septem naues à Flisingensibus abductas amittentes. Beauoysius deinde, Ducem Albanum visitaturus, Neomagium profectus est, à quo gratijs illiactis, beneficiũ ob rem bene gestam illi magnificè rependitur, totiusq; naualis expeditionis imperio perquam honorifico condecoratur.

Beauoysius igitur, iniuncti sibi muneris partes fideliter acturus, exstructis præter veterem Classem alijs quibusdam nauibus, quinto Augusti, iterũ Antverpia, octoginta nauium tam mi- *Zelandi arcem Rammekensem obsident.*
norum quàm maiorum, Classe instructus Zelandiam petens digreditur. Ecce autem eodem die Zelandi arcem Rammekensem occupant, subitanea obsidione eam tam terrà quam mari cingentes, allatisque tormentis atrociter verberantes, ac denique Castellanos, Scloperarijs, è sublimibus Hulcarum suarum speculis, dum intumescerent aquæ alluentes, desuper iaculantibus, à sui defensione prohibentes, nec non ab vna parte eam suffodientes. Accidit autem, vt eodem die, quo cingitur arx, Præfectus cum Chirurgo Mittelburgum se contulerint, & interim eius Legato sorte fortuna in brachium scloperi glandine percussio, & multis alijs præterea grauiter læsis (qui omnes verebantur ne Medico destituti morerentur) animis plane deiecti sunt; actandem, parum admodum regiminis inter se animaduertentes, apparatuque necessario, nec non & animis ad resistendum vel meatus contrarios opponendum destituti, 5. Augu. hostibus arcem dedidére.

Quapropter Beauuoisio statuendum fuit vt alia parte Mittelburgo subueniret. Itaque Flis- *Beauoysius circumnauigato Rompotio Mittelburgo subuenire nititur.*
singam classe prætervectus, in Oceanum Germanicum delabitur, in quo, directis ad dextram proris Insula V Valachræa, cuius ambitus in vniuersum septem putatur includere miliaria, cir-
cumnauigata, Rompotium insistens, Mittelburgo appropinquaturus redit: vectores esque suos, Zelandis nihil tale metuentibus, minoribus nauigijs ripæ sistit in Matris virginis Poldrùm (vulgò nominatum locum) maioribus Dieselingæ non sine periculo relictis: Atque ita allatum commeatum terra vltèrius prouectum à tergo Mittelburgo suppeditat, etsi non omnem, propter interuenientes difficultates & impedimenta. Tandem relicto illic in littore Christophoro Monsdragonio, Hispano, veteranoque militum tribuno, cum quindecim militum vexillis, paulò pòst subito inde soluens (hostium enim impetum metuebat) ex Oceano in ostium delatus, aduerso flumine reuertitur, etsi non absque nauium aliquot amissione. Minorum nauigorum serè quadraginta, postmodum Montes ad Zomam ablegat, quas inde Armuydam remittere constituerat. At Zelandi ea bellicis nauibus, ad Bomerekium stantibus, intercluserunt, sedulò iam de ratione Montium ad Zomam scalis conscendendorum & subito occupandorum cogitantes decimo Sept. sed successu frustranturi sicut & Hispanos, qui Ziriczeam similiter circumuenire meditabantur, spes sua fefellit.

Ergo Mittelburgũ nondũ sufficienti victu instructũ fuit, eò quòd hac postrema vice viriũ defectu, omnem, quem asportabant, commeatum, introducere nequirent, tum quòd in itinere tres præcipuarum nauium amiserant, quarum vna proprio puluere tormentario incensa conflagrauerat: altera, vi tormenti cuiusdam in ea explosi rimam agens aquas hauserat, triginta viris atrociter læsis: tertia, nauis elegans & noua, vado illisa, harenis superinductis suffocata fuerat. Hæc vltima exstructa erat, iussu & coactione Ducis Albani Antverpiæ, à prudentissimo vigilantissimo & præcellentissimo quodam Mercatore, Egidio Hoffman nomine, qui arte infandum hoc Belgarum cum suo Rege dissidium, aliam ibidem ædificauerat, sed grandiorem & multo elegantiorem, quæ & ipsa malis auibus Oceano se committés, prima nauigationis vice in harenas Selandicas impingens, perijt.

Priusquam verò huic de obsidione Mittelburgi historiæ finem imponamus, enarrabimus etiam quo feruore & quantis difficultatibus, hoc bellum à Selandis & Batauis gestum sit, qui, postquam hanc obsidionem non modo infracto animorum robore & fortitudine, sed etiam ineffabili sumptu iam fere biennij spacio sustentassent vel aluissent, hic tandem Colophonem

Digitized by Google

An. 1574. eius exſpectarunt, in quo vt ſuperiores euaderent, hoc demum opus, hic labor fuit. Zelandorum primus Gubernator fuit Hieronymus Tſeratius Bredanus, cui, quod ad tantum regimen eſſet parum idoneus, remoto ſucceſſit deinde Smittius Dominus de Bacrland: cui demum ſubſtituitur D. Carolus Boyſotus, vir præclarus & eruditus, Nobilis Brxellenſis. Campveris imperio præerat Dom. Iohannes Iunius Antverpianus. VValacrienſium Admiralius initio fuit Euo Petrus, vulgo dictus, Cartecin Worſt/ qui non diu ſuperuixit, quem admodum & eius ſucceſſores, videlicet Bauo Euontis, & Iohan. de Moor, qui ſphærula bombardica tactus obijt. Poſt hos Admiralius creatur Dominus Ludouicus Boyſotus, Caroli Gubernatoris frater. Scaldiæ Inſulam ſuum quoque habuerunt Admiralium. Sub iſtorum Nauarchorum imperio extremam eamque omni fide maiorem operam nauarunt Zelandi, quo Mittelburgenſes inedia domitos ſibi ſubiugarent; eius rei cauſſa corpora ſimul & facultates periculoſe exponentes. Deſtituti interim pecuniæ neruis, quibus claſſem bellicam ſuſtentarent, Claſsiarijs ſtipendia ſoluerent, commeatumque prouiderent; ad piraticam exercendam, tanquam ad ſacram anchoram, neceſsitate redacti, quicquid ſuſpectum in Oceano oblatum fuit, arripuere; nauarchis, præfectis nautiſq; ſuis interim ſepiſsimè nihil in nauibus ſuis cibi nec potus habentibus, præter arengas & limpidam ſeu vilem cereuiſiam. In Oceano non modo Hiſpanorum, verum etiam Italorum merces fiſco ſuo, vel direptioni addixerunt, eò quod hi belli ſe facerent participes ſuppeditandis ad obſidionem Harlemenſium militibus, confœderatorum impenſis S. fœderis, qualis erat Tertia della Liga cognominata: Itidemq; magna ex parte diripiebant naues in Flandriam contendentes. Pro neceſsitate ſæpe etiam ſine reſpectu, quorumcunq; poſſeſſorum ſibi vendicarunt omnia, quibus potiri licuit, prædam deinde vendentes, ſuamq; inopiam tantiſper ſubleuantes, dum Statuum Batauicorum & Zelandicorum ſententijs & literis ad reſtitutionem vel ſolutionem compulſi ſunt: ita quidem vt earum mercium multas ac ferè omnes interim ante finitum adhuc bellum honeſtè perſoluerint. Aliquoties ſanè pecunijs reliquiſq; belli neruis vſq; adeo nudi extiterunt, vt animos planè deſponderint, obſidioniſq; inſtitutum deſerere conſtituerint: ſed ſingulis vicibus commodum oblatis mirabiliter nouis medijs, ad inſtitutum redière. Exempli gratia: Cum aliquando certò ſtatuiſſent excubijs deſertis ab inſtituta obſidione planè diſcedere, niſi intra præſtitutum ſtatæ dieiterminum è Batauia vel aliunde certas ſuppetias nanciſcerentur; eiuſq; rei gratia M. Petrum de Ryckæ, Baillium Hiſſingenſem, virum eximium ablegaſſent, promiſsione illi facta, tantiſper ſe adhuc perſeueraturos in propoſito, & neceſsitatis acerbitatem deuoraturos, dum ille ab Auraico & Statibus Batauicis rediret; hic verò in Hollandiam perueniens, non modò nullas pecunias nec commeatum pro ſuorum Claſsiarijs, ſed & Batauos ipſos propter obſidionem Harlemi & alias cauſas rerum anguſtia laborantes reperiret; inſuper etiam ab Auraico, audita Zelandorum promiſsione, ad ipſius reditum ſe perſtituros promittentium, æquo diutius detineretur, qui illum ad fiduciam in Deo collocandam cohortabatur, fore enim vt is per temporis oportunitatem prouiſis medijs, auxiliaretur: ex improuiſo ſpargitur rumor, ex Oceano Hliſsingam illatas eſſe aliquot naues Glaſto, alijſq; mercimonijs onuſtas, quibus præſentis neceſsitatis telum excuſſum eſt. In hoc tanto rerum omnium defectu & anguſtijs vulgus nautarum & Claſsiariorum, nihilominus tam declarauit animi fortitudinem, quantam hic Lectori deſcribimus. Nam ſi fortè eorum nauium aliqua, vel aduerſo ventorum flatu delata, vel vado illiſa in hoſtium redigebatur poteſtatem; incenſo proprio puluere tormentario, ſæpiſsimè ſeſe vna cum hoſtibus ſuis concremare, quàm crudeli hoſtium ſuorum gratiæ ſupplices fieri maluerunt.

Gubernatores & Admiralij Zelandorum.

Commendator Maior Mittelburgum liberare conatur.

Ad extremum verò, cùm iam per varios fortunæ caſus, in Annum partæ ſalutis 1574. obſidionis negotium prouexiſſent; duriſsimus tandem mucro illis rodendus ac deuorandus offertur, tum nimirum, cùm, poſt Albani in Hiſpanias diſceſſum, Commendator Maior Requeſentius domandi Leonis Belgici capeſſens habenas, primumq; fortitudinis ſuæ documentum hic exhibiturus, totis claſsiis & copijs ſuarú viribus aduolat, magna rerú fretus experientia, quòd Dom. Iohanni Auſtriaco, nauali prælio cum Turca decertanti (vt ſupra relatum eſt) gubernaſſet. Vnde non minima laudabilis iſtius victoriæ, & laudis inde naſcentis ad eum deuoluta portio, illum ad tantum honoris faſtigium euehendum commendauit, vt ſummus à Rege Leonis Belgici Gubernator conſtitueretur. Hic, duabus vijs ſimul inſiſtens, hyemis & tenebroſarum noctium opportunitate adiutus, alterutra certè Mittelburgum deuenire ſperabat: ſic nimirum ratiocinatus, ſi maioribus nauigijs Antverpia ſoluens ſecundo flumine per Huntú, minoribus verò Montibus ad Zomam egreſſus per Scaldim deſcendens in VValachræam penetrare conaretur, Zelandos proculdubio vtrobiq; non poſſe reſiſtere. At Princeps Auraicus hunc eius conatum præſentiſcens vel metuens, in Zelandiam ſe contulerat, prouiſurus, ne quid ea detrimenti pateretur.

Hic vltimum in Zelandiam conatus, ſupra modum vehemens fuit. Summus maiorum nauigio-

bigiorum Admiralius erat Santius Dauilanus: D. enim Beauoſius diem ſuum iam obierat. Huius naues erant prægrandes, tum nautis ſimul & claſſiariis militibus pulchrè inſtructæ munitæque. Minora nauigia, vulgò dictæ Boyers Cromſteuen & Hueden/ erant, tormentis & militum copijs bellè armatæ. Prætoria erat ſtipatus viris centum octuaginta: huius verò vicaria centum triginta. Vniuerſa maiorum nauium claſſis conſtabat nauigijs triginta duobus, vel tribus, præter eas, quibus commeatum vehebant. His imperitabat, tanquam Admiralius Iulianus Romerus, tribunus veteranus, miles Hiſpanus. Atque hæ Montibus ad Zomam ſtabant expeditæ ad velificationem & Mittelburgum liberandum. Hoc autem eorum propoſitum erat; vt Santius Dauilanus maioribus ſuis nauigijs Antwerpia ſolutis per Hontis fluuium delatus, vſque in conſpectum Inſulæ VValachrienſis deſcenderet: eodemque tempore hoc idem faceret Iulianus Romerus, Montibus Zomenſibus ſoluens, & per Scaldim ad calcem Suytbeuelandiæ defluens, ibique ambós ſe conſpiciendos præberent: certò ſibi perſuadens, Zelandos, hoc bipartitæ claſſis ſtratagemate deluſos, vtrobique ſimul hoſtem depellere minimè valeturos, ſed alterutris ferè neceſſariò tranſitum relicturos; qui deinde in VValachræam Inſulam delapſi, Mittelburgo cómeatum ſuum miniſtrent. Sed Deo aliter viſum fuit, Auraicus enim cum ſuis Nauarchis & Claſſiariorum præfectis, per ſpeculatores ſuos de hoc ipſorum conatu certior factus, vel ipſe tale quippiam cogitans, alterutram harum claſſium adortri ſtatuit, priuſquam ambæ mutuas ſibi ſuppetias ferre poſſent: ſuam quoque claſſem bipartiens, cuius nauigia maiora, ſed malè munita, anchoras ſuas fixerunt à fronte VValachrææ in apricum. Maior enim & quidem alacrior militum pars cum Ludouico Boiſeto Admiralio erat, plus minus nouendecim vel viginti nauibus completis: qui 28. Ian. claſſe per Scaldim aduerſo flumine aſcendentes, aduentum hoſti gratulaturi procedunt, quem ad Lodieshoekum anchoris ſuis fidentem offendunt, ſed viſis Zelandis, raptim anchoras ſubtrahentem, ſeque ad pugnam feſtinanter parantem; idque in ipſius noui Gubernatoris conſpectu, qui Nobilium & aulicorum ſuorum agmine ſtipatus, ſtans in Promontorio Montenſi decertantes adſpiciebat. E veſtigio Zelandi magnis animi feruoribus Hiſpanorum claſſem inuolant; ſed eorum prætoria continuò pro felici nimirum aduentu tormentarij ſulminis ictu ſubter Galeam vel tectũ per Claſſiariorum copias contorto percutitur, plurimis in ea læſis & occiſis: inter quos nominatim fuit ſummus claſſis nauclerus, nomine Schotus, cui alterum crus (nondum ſanato, quo in eo laborauerat, vulnere Peſtilentiali exiſtente adhuc in eo foramine perpetua ſanie ſtillanti) abripitur. Quo tamen ictu nihil obſtante, idem Schotus officij ſui partes gnauiter obijt, haſtam manibus in hoſtem contorquens. Vſque adeò Patriæ ſalutis amantes & ſtudioſi erant Zelandi. Eius gener vel affinis Nicolaus Neolai etiam ſclopeto tormentario ibi tactus eſt. Quin & ipſe Admiralius Muſquetti genere altero lumine priuatur: eamque ob cauſam ab Hiſpanorum Prętoria attractus, eiuſque naui affixus, ſatis magno in periculo verſari viſus eſt. Multi enim Hiſpanorum iam in ipſius nauim tranſcenderant. Verùm alia ſuarum nauium ad opem illi ferendam aduolat. Interim & reliquarum nauium vnaquæque hoſtilem ſibi nauim adſtringit: atque ita ad tempus dubio Marte fortiter vtrinque pugnatur, donec Iuuenis quidã, Soetlandi è VValachræa oriundus, ſtans in ſpecula ſummi mali nauis Prętoriæ Zelandorum, tranſilit in Galeam Prętoriæ nauis Hiſpanorum, victiſque in ea hoſtibus, vlterius aſcendens, è ſupremo mali pinnaculo tollit vexillum, eique ſe inuolutum in eandem hoſtium nauim demittit, cui ſuarum partium plurimi ſeſe iam ingeſſerant. Quo ſigno ſublato, Hiſpanorum plurimi deſpõderunt animos, putantes Prętoriam ab hoſte victore captam. Quapropter Zelandi tandem ſuperatis maioribus Hiſpanorum nauigijs decem, ea ſeduxere, reliquis partim combuſtis, partim in fugam conuerſis. Horum decem, quatuor Fliſsingam, & quinque Campveram perductæ ſunt. Plures quam mille viri in hoc nauali certamine trucidati & demerſi, ab vtraque parte obierunt: inter quos D. de Glimes Hiſpanici Nauarchæ vicarius, & Octauius Perenotus cum multis alijs præcipuæ Nobilitatis Hiſpanis. Ipſe Admiralius Iulianus Romerus, per quandam tormentorum feneſtram repens, lembocq; ſe raptim committens periculum euaſit. Nullis omninò viuentibus hic parcitum, ſed omnes, quotquot reperti, licet aureis fulgentes torquibus, in hoc Martis furore Neptuno litati. Vſq; adeo feruens bulliebat Zelandis circum præcordia ſanguis.

An. 1574

De Hiſpanorum claſſe & victoria Hiſpanicâ.

Zelãdi naues Hiſpanicas ad Montes Zomenſes eximpromptu adoriuntur.

Horribilis pugna naualis Zelandicorum cum Hiſp. ad Montes Zomẽſes.

Eximia fortitudo Iuuenis cuiuſdã Zelãdici.

Hiſpanorum clades.

Interea Santius Dauilanus cum altera claſsis parte maiorum nauium eodem tempore deſcendit in conſpectum Inſulæ VValachręæ, Breſkinum ſcilicet: vbi, cum alteram claſsis partem non animaduerteret, anchoris iectis aduentum Iuliani Romeri opperitur.

Princeps Auraicus hoc eodem tempore de claſsis ſuæ, quæ Montes ad Zomam petens, aſcenderat, ſucceſſu admodum ſolicitus, metuens, ne Santius Dauilanus interea fortè penetraret, rebus conſtitutis, in conclaue ſuum ad preces ſeſe contulerat: vbi oranti ſubitò nuncius quidam refert, Santium Dauilanum anchoris ſuis fidentem viſum eſſe aduentare. Quo nuncio magna perfuſus lætitia, quòd aquarum refluxum iam habituri eſſent contrarium, actis Deo gratijs

Digitized by Google

An. 1574. surgens, propediem ascendit promontorium Flissingense, vnde Daulanum anchoris stantem ipse à longè prospexit, nihil penè dubitans de suorum ad Montes Zomenses victoria: de qua mox per ipsas naues hostibus ereptas & læsos suorum classiarios (inter quos Schotus nauclerus paulò pòst vitam cum morte commutans) certior est redditus. Santius autem Daulanus, Iuliani clade percepta, metuens ne & ipse inuaderetur, & detrimentum aliquod acciperet, quàprimum aduersum fluuium ascendens Antverpiam redit, de liberando Mittelburgo prorsus desperans. Interea Mittelburgenses magna pressi fame, mactatis & consumtis omnibus equis, canibus, felibus & gliribus, placentas & panes è leni aliorumque leguminum seminibus pinsuere, edentes subinde mazas, è quibus oleum erat extortum. Cuderunt etiam monetam nouam, auream simul & argenteam, quadrangularem, Dalerorum & semidalerorum, stipendijs militum soluendis, cuius alterum latus hanc habuit inscriptionem, D. R. P. F. MONDELB. 1572. cuius integer sensus hic esse putabatur, *Deo Regiq; Populus Fidus Mittelburgensis.*

Atra fames Mittelburgenſium.

Mittelburgi Auraico dedi tur.

Quapropter hanc suorum cladem Mittelburgi percipiens Tribunus Monsdragonius, Mittelburgum & Armuydam vnà cum munitionibus & tormentis suis Auraico Principi hisce conditionibus dedere statuit; vt ipse militesq; Prælidiarij armis suis induti, farcinisq; grauati vel comitati excederent, cum omnibus sacrificis, Monachis, commeatus procuratoribus, Sclopetarijs, nautis, Commissarijs, & omnibus deniq; quibus illinc discedere liberet, Zelandis in Flandriam vsq; naues & fidelitatem itineris illis præstantibus: ita tamen, vt ipse Monsdragonius fidem [illegible]dare cogeretur vltrò redeundi in captiuitatem, nisi duorum mensium interuallo è captiuitate liberaret D. Philippum Marnixium, D. Montis S. Aldegondæ, Iacobum Simonis Centurionem, Italum quendam machinarum bellicarum peritum artificem, nomine Citadellam, Guilhelmi Angerensis militum præfecti Vicarium, & quinto demum loco Iohan. Petteinium, militum quoq; tribunum. Hæc ita contracta & pacta sunt decimo octauo Feb. postquàm in actum producta captiuis liberatis. Atque hoc pacto Princeps Auraicus totius Insulæ VValachrienses dominum eum toto in Oceanum imperio consecutus est. Qui postea Armuydam, prius pagum vndique patentem, & iam sic deuastatum, vt præter vnam illam, in qua militum Præfectus egerat, nulla domus restaret ianuis & fenestris suis integra (tam sunditus omnia milites vrgente necessitate combusserant) reparauit, nec tantum muris & portis, sed etiam propugnaculis muniuit, & in Ciuitatem erexit.

Armuyda fit è pago ciuitas

Magna mul titudo exoticorum & stipendia sua de federatorum militum Belgium depopulantur.

Finitis hic tandem duabus illis diuturnis obsidionibus, Harlemi & Mittelburgi, operæpretium nobis facturi videmur, si porrò res quasdam per hunc An. 1573. obiter referamus. Quarum prima sit, Quòd miseriæ Prouinciarum Belgicarum quotidie ingraueſcerent, irruentibus vndiq; nationibus peregrinis quamplurimis, videlicet Hiſpanorum, Italorum, Burgundiorum & Germanorum, qui malè perſoluti & exiguis diſciplinis coerciti, regiones expilarunt, easq; deuorarunt, conſequentes vbiq; deuaſtationes efficientes.

Magna inãdatione fluui in Belgio magno illo gelu Anno 1573. ſoluto.

Acerrimo illo gelu in Ian. Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, per inſequentem teporem ſoluto, tanta vis aquarum vbiuis locorum in Brabantia extitit, vt Mechlinienſes in ſuperioribus ædium cubiculis habitare cogerentur. Louanij inundatio duas vrbis portas & penè trecentas ciuium domos diruit: multos ciues ſubmerſit, & plurimis plurimum damni attulit.

Anabapti ſtæ virtuſque ſexus capti exuſti, linguis compreſſis & vſſulati.

Antverpiæ in vno conuenticulo 37. & Bruxellis eodem die 17. Catabaptiſtæ comprehenſi, pòst ex mandato Ducis Albani, poſtquam magnis torturæ ſupplicijs affectos ad prodendos ſuæ ſectæ complices adigere tentauerat, diuerſis temporibus exuſti ſunt. Quos ad ignem ituros linguas ſuas intra duas ferri laminas, cochleis ſuis poſtea comprimendas protendere oportuit: quarum exterius prominens extremitas deinde candente ferro ſic adurta fuit, vt hac intimeſcente particula, lingua nequiret relabi: idque hanc ob cauſam, ne vel ad ignem euntes, vel palis affixi quicquam loquerentur. Idipſum etiam Reformatæ Religionis profeſſoribus accidit, licet ſine diſcrimine omnes, veluti perduellionis conuicti magno ſubinde numero mortis ſupplicio adiudicarentur.

Megema direpta.

In Febr. occupauêre Bommelenſes, quibus Theodoricus Haffenſis Gubernator præerat, Megemam ciuitatem, quam direptam rurſus deſeruêre. Cæterum plurimæ diuerſæq; molitiones huiuſmodi ab vtraq; parte præmanibus fuerunt quotidiè.

Comes Marchiæ à Batauis accuſatur inſolentia coràm Auraico.

Durante adhuc obſidione Harlemenſi, Bataui coram Auraico Principe accuſarunt Comitem Marchiæ, Lumæ Dominum, quòd gubernationis prætextu, magnam pecuniarum vim à Subditis extortam corraſiſſet, intolerabilemque inſolentiam cum ſuis exercuiſſet. Inter quos Romanè Catholici præ cæteris magna illi crimina intenderunt de perſonis quibuſdam Spiritualibus, vtpote ſacrificis & Monachis, crudeliter ab ipſo, Egmondani Comitis mortem & ſimiles iniurias vlciſci volente, trucidatis. Quorum omnium internecionem etſi nemo ſanus comprobaret,

Digitized by Google

probaret, nullus tamen miserius occidit omnibus, quam Cornelius ille Musius Cœnobij S. Agathæ Pater, vir prouectæ iam ætatis, Poëta insignis, nec minus literatus quam charus omnibus, quem in Hagensi via interceptum & Delphas Batauorũ deductum, dictus Comes noctu suspendit. Quapropter eum plurimis huiusmodi accusationibus obrutum, Status Hollandici tantisper detinuere captiuum, dum Auraici Principis intercessione pristinæ restitutus est liber tati, licet omni authoritate publica spoliatus. Quo in loco rebus eius constitutus, ipse se è Batauia in Hollandiam, ex Hollandia verò in Germaniam porrò se contulit, vbi tandem An. 1577. vel, 1578. vitam cum morte commutauit. An. 1573.

Mons Gertrudis consenditur & occupatur.

Sub finem Augusti. die nimirum 28. Batauî ductu, Domini Poyeti Galli oppidum Montem Gertrudis inuaserunt & occuparunt, vbi Cohors V Valonum (Hispano ibidem Capitaneo subdita) ciuitatem infeliciter custodiuit. Quibus omnibus ferè cæsis, Hieronymus Tseratius vrbi Gubernator præficitur, à suis non ita multò pòst ibidem trucidatus, vt supra relatum est.

Maxim Imp. Regem Hispanum cum Belgio reconciliat.

Imperator Maximilianus pro singulari sua & Cæsare digna in homines clementia, hic iterum perturbatissimi Belgicarum Prouinciarum status miserius, omnes neruos cò intendit, vt Philippum Hispaniarum Regem ad tolerabilem cum hæreditarijs suis ditionibus pacem inire dam permoueret. Nec non & Auraico Principi persuadere conatus est, vt tranquillitati studeret, forè certò, vt bona ac Iurisdictiones suas, etiam pacem colens, recuperaret, aut certè assignationem alterius in Germania ditionis, erepta minimè inferioris, impetraret, vel Comitatũ Charoloysium, &c. Verùm apud vtrumque laterem lauit, quod Rex quidem responderet, se perstiturum eo in proposito, quod ipsi per Carolum Archiducem Austriæ, Imperatoris fratrem natu minimum (eadem de causa ad Regem in Hispanias, An. 1569. delegatum, validissimisque persuasionibus instructum) rescripsisset; quod Regis responsum postea præsto commissum in publicum prodijt: Princeps Auraicus autem prætenderet, se hoc in bello non spectare priuatum quoddam sui commodum, sed fidele & debitum Regis seruitium, ac Prouinciarum salutem, cui inseruiendæ contra Hispanorum tyrannidem, & professione, & iuramento suo obstringeretur, &c. Nihilominus Imperator, pro Christiana sua ad pacem stabiliendam inclinatione, à proposito non destitit, sed eo acrius ab vtraque parte tantisper obtestando institit, donec Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, res ad Pacificationem Bredæ peruenit.

Alcmaria ab Hisp. obsessa, & reconcessa deserta.

Hispanis, Harlemi murmurantibus, præsenti pecunia reconciliatis, sex Legionibus, Germanis & V Valonibus non annumeratis, Augusti 21. castra mouerunt Alcmariam, elegantem Septentrionalis Hollandiæ ciuitatem, per Harlemi deditionem initio quidem metu admodum perculsam, sed prudentia & fortitudine Iacobi Cabelliaui & Ruychauerti animosum & laboris egregiè patiens nactam præsidium; ideoque ad resistendum sese præparantem, dum illi adhuc Harlemi in diuersa rerum studia dissecti tumultuantur. Toletanus Albani filius, quam primum fossas collimandis in vrbem tormentis aptas fieri curauit (quibus perficiendis Harlemenses è Ciuium suorum corpore trecentos illi subministrare oportuit fossores) sæpius quidem vrbis deditionem plurimis & quidem blandis pollicitationibus tentauit: at illa vicinarum periculis facta cautior, lubricis eius promissis fidem habere noluit. Hostis igitur, dispositis proximè ad vrbis mœnia viginti tormentis grandioribus, quadraginta ferri librarum pondo simul explodentibus, 18. Septemb. ab ortu Solis ad vesperam vsque numeratis binis ictuum millibus & triginta sex, muros verberauit, eodemque insuper die à porta Frisia & turre rubra, tribus horis integris, in multam vsq; vesperam fortissimum fecit impetum, vento simul & fumo fauente vsus. Sed prudenter à ciuibus & Præsidiarijs repressus, cessit non sine magna suorum clade, in quos oppidani & tormentis, & circulis ardentibus, & lapidibus à fœminis & pueris magno numero allatis, eiaculabantur, omnibus intus vno ardore ad repellendum hostis impetum suarum rerum satagentibus. Exterius hac vice cæsi æstimabantur sexcenti, læsi verò trecenti: inter quos erant plures quam 40. officiarij & primarij militum præfecti, è folis Hispanis: Oppidanis vltra 30. vel. 40. suorum non desiderantibus; qui præterea Pontes ad impetum in vrbes faciendum necessarios, & vini cadis instratos, hostibus ereptos introrsum detulerunt. Deinde Septemb. 20. octingentis ictibus denuò Ciuitatis mœnia impetierunt Hispani, iamque ad impetum rursus tentandum parati, pontes suos munitionibus vrbis injciendos aduexerunt. Sed his, oppidanorum eiaculationibus ita perculsis vel perforatis, vt hausti is aquis fundum petere occiperent, ab impetu prohibiti sunt, oppidanis impugnationem sui hanc ob causam exoptantibus, quòd eorum vxores ollas & ahena flammis imposuissent, vnde factis è pice circulis ardentibus & similibus operibus ignitis, irruentibus aduentum gratularentur. Ex eo die Hispani cristas prius sumtas deinceps ponere cœperunt, & Alcmariæ expugnandæ spem abiecerunt. Quapropter post, ingruente pluuia, quæ Regionem inundabat, tormentis suis paulatim ablatis, 10. Octobr. Anno 1573. vrbe desessserunt, quæ Deo pro clemente sui liberatione

Hisp. impetus in Alcmariã recutitur.

Hisp. obsidionem soluunt Alcmarea.

gratiar

An. 1573 gratias egit. Cuderat etiam Alcmarea, in hoc rerum ſtatu neceſsitati ſeruiens, monetam ſtanneam, quam poſtea, in fugam coactis hoſtibus, in argenteam commutauit.

Caſimirus & Chriſtophor. Duces Palatini pulueremformentariam & Germania Albano miſſum eximunt.

Circiter hæc tempora nitrati pulueris aliquot plauſtra è Germania in Belgium Albano à fautoribus miſſa deſcenderunt, quibus in aprico quodam & ab hominum frequentia remoto campo obuiam facti Duces Iohan. Caſimirus & Chriſtophorus Palatini, fratres, Frederici tertij Electoris filij, curribus exoneratis & vnà cum equis aliorſum deducere iuſsis, depoſitum in terras pulueremigni currente ſuccenſum Vulcano dedicarunt. Quod ipſorum facinus cum percrebuiſſet apud omnes, nec non & querelæ quædam ad Imperatorem delatæ ad aures eorum peruenirent: Caſimirus ſcriptis ad Cæſarem literis factum non ſolum fatetur, verùm etiam eius patrocinium ſuſcipit, allegans inauditam Ducis Albani tyrannidem hactenus in Belgio exercitam, & in poſterum ſubminiſtratis huiuſmodi medijs crudelius exercendam, quæ non modò in inferioribus Germaniæ partibus, ſed & in ipſis Imperij viſceribus iamdudum ſentiatur, præſertim verò in Prouincijs Rheno finitimis, quas ea maximo quotidiè damno affi ciat, tam militis eius crebris per eas peruagationibus, prædis, & omnis generis mercium ac rerũ ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum peſſundationibus, quàm intercipiendis & prohibendis mercaturæ exercitijs hactenus vſitatis. Adhæc neminem latere, quid monſtri alat Albanus, modo res illi ex animi ſententia ſuccedat, conſiderantem cor illud eius ſemper in Imperium & Nationem Germanam, præſertim verò in Proteſtantes, maleuolũ. Incredibile verò, ipſum Hiſpaniarum Regem, qui vſque adeò ſerenum & clementem Principem præſe tulerit, iam præcipitem ferri ad interitum Subditorum ſuorũ, eorumq; vicinorum, quorum erga ſe beneuolentiã ſingulis certior reddi poſsit. Imò ipſam quoq; Maieſt. Cæſareã recenti adhuc tenere memoria, quid & quoties in Comitijs alijſq; conuentibus Imperij prouincialibus actum ſit de remedijs, quibus in inferiori Germania belli incendium reſtingueretur; vbi ipſemet Imperator, expoſita ſui pro Belgis apud Regem interceſsione, cæteris Imperij Proceribus ſpem feciſſet, fore, vt iſtæ S. Rom. Imperij querelæ tandem aliquid ponderis apud Regem eſſent habiturę. Quo nondum effecto, res quotidiè in deterius prouoluendæ viderentur, ſi liberum permitteretur Albano, ad exercendam Turcicam in homines fæuitiam, miniſtros ſimul & munitiones vel arma è Romano Imperio accerſendi, quòd omne pacis ſtudium illi auferret potius quam afferret, metuendumque protinus foret, ne iſthoc Belgij diſsidium, bellum multo crudelius, in ipſis Imperij viſceribus concitet. Quapropter ſummiſsè ſe ſperare, nec Maieſtatem ipſius Cæſaream, nec quenquem reliquorum Imperij Principum patriæ amantium, miniſtri quippiam de ipſo ſuſpicaturos, qui pulueremillum, cuius vſus honeſtioribus negotijs ſeruire potuiſſet, ob cauſas hic citatas igni conſumſerit: Deum Opt. Maximum in teſtem prouocans, quod id neque inuidia, nec inſolentia nec Maieſtatis Imperatoriæ vel Regiæ contemtus ſed inprimis ad præcauendam in poſterum ſanguinis innocentis vlteriorem profuſionem, & grauiorem Belgarum calamitatem auertendam; tum verò vel maximè, vt maiorem Imperio præberet occaſionem, vicinos ſuos, Regis Prouincias incolentes, acrius cohortandi, vt ſperatam iamdudum cum Rege pacem maturent, pro qua & ipſius Maieſtas Cæſaria etiamnum cum Rege agat, à ſe factitatum ſit. Quod factum, à Principe adhuc iuuene pacis ſtudio & patriæ ſalutis amore patratum, operæprecium ſibi viſum Imperatoriæ eius Maieſtati liberè fateri, vt eo, tanquam edito virtutis ſuæ ſpecimine, demonſtraret, quibus defendendis ipſe ſemper ſit paratus, optimam ſpem mente conſpiciens, ac ſimul etiam atque etiam omnes orans, ne quis illi hoc factum vitio vertat, vel in malam partem capiat. Heidelb. quarto Idus Octobris, Anno 1573.

Cæſim. Palatini ſui patrocinium ſuſcipit.

Quod factum Caſimirus citatis cauſis excuſat, ſeſque eo tem Imp. purgat.

Poſt occupationem Harlemi diligenter ſecum perpendens Albanus, quam vtilem in obſidione operam mari mediterraneo ſibi præſtitiſſent Amſterodamenſes, rerumq; experientia iam edoctus, oram maritimam cæterarum Regionum tutum eſſe propugnaculum, quo ſaluo, & ipſe ſint inexpugnabiles: hanc quamprimum ſibi ſubiugare in animum induxit: tum quidem adhuc ſperans, ſe Mittelbuegenſes Antverpianarum & Montenſium claſsium miniſterio liberaturum, Zelandos oppreſſurum, & Batauos Amſterodamenſium ope ſubacturum, eò quòd hi non ſolum fortiter à ſuis ſtarent partibus, verum etiam quod exacerbati eſſent in Enchuſanos & Batauos Septentrionem incolentes, qui promontorium fluminis, ipſorum vrbem influentis, Tya nomine, merſis ſub vndas aliquot nauibus & erecto in ripas aggere prælidiarijs benè præmunito, ipſorum in Oceanum egreſſum interclauſiſſent, vnde ipſorum ciuitas, quæ prius cæterii in negotiatione prædominari conſueuerat, omni Mercaturæ exercitio priuata fuerat. Eapropter Albanus naues aliquot prægrandes omnibus rebus ad pugnam neceſſarijs probè inſtructas, numero circiter triginta fabricari iuſsit, Admiralium eis præficiens Comitem Boſſuium. Harum principaliſsimæ nomen erat INQVISITIO, in honorem Inquiſitionis Hiſpanicæ, cuius introductionis impediendæ cauſa, prout Hiſpani interpretabantur, Regiones bellum ſuſceptum gererent.

Inquiſitio, nauis, ædificatur eui contramaximos præficitur Comes Boſſuius.

Hzc

Hæc nauis perelegans, triginta duobus tormentis metallicis grandioribus benè instructa, præ ter nauras & Nobiles, ducentos ferebat milites præsertim Hispanicos, quibus Corquera præerat Capitaneus. Hac vectus est etiam Comes ipse, familia sua, nec non & Domino Gruningensi, & multis alijs minoris notæ Proceribus, Nobilibus, ipsorumq; domesticis stipatus, qui omnes ôuantes magna solennitate Amsterodami conscenderant. Atq; hi solutis anchris ilicò nauigantes, mersarumq; sub vndis nauium Scyllam feliciter prætergredientes, Australi stagno, vulgò Zuderzee, tum commodum per aquas copiosè defuper influentes & Aquilones solito tumidiore (quam ob causam etiam Præsidiarij, qui aggerem in angulo Tyæ tenebant, stationem suam coacti fuerant deserere) atq; ita liberè in mare iam dictum penetrantes, sine mora Enchusanos & cæteros Batauos reperiunt obuios, tormentis explodendis quotidiè inuicem velitantes, donec tandem Octob. 11. cùm iam omnia ad pugnam essent deuoluta, suumq; commodum animaduertissent, in Enchusanos impetum fecere; qui & ipsi non minus robus suis benè prospexerant, ascitis in auxilium binorum istorum signorum militarium mediétatibus, quibus Iohan. Cornputius & Nicolaus Ruychauerus præerant Capitanei, quorum hic ipsemet in nauim Batauorum Prætorium ingressus, ille verò cum cæteris copijs in littore manens prospexit, vbinàdubius belli casus suppetias postularet. Quid multis? Enchusanorum Admiralius raptim Comitis Bossuuij Inquisitionem primus adoritur, eamq; attractam expugnaturus detinet, vbi ab vtraq; parte magnus belli seruor & martis vehementia cooritur, Hollàdis interim plurimas ollas calce plenas è malorum suorum speculis vel galeis in Hispan. oculos desuper torquentibus. Atq; sic aliquandiu dubia victoriæ spe decertatur, donec aliæ duæ naues Enchusanorum Admiralio suppetias latura accelerant. Interim reliquæ Hisp. naues pleræq; omnes à cæteris Batauicis Amsterodamum versus in fugam retorquentur. Vna nauium Hispanicarum principalior, qua Capitaneus Vesch ferebatur, tormentis perforata fundo dimittitur, secum submergens quotquot vectorum illi se commiserant. Duæ cæteros hostibus eripiuntur. Tres quatuorue cæterarum fundo illisæ, & in fuga retardatæ, ab Enchusanis obsessæ, facili negotio expugnantur. Ipse Comes Bossuuius pugnans perseuerauit tota hoc tempore pomeridiana, cum sequenti nocte & postera die 12. Octob. ad meridiem, indesinenter cum hoste confligens. Tandem videns hostem nouis auctum copijs, se verò non modo à nemine adiutum, verum etiam à suis, desertum, & nauim suam fundo affixam; Corqueræ, Præfecti militum Hispanici consilio vsus, virtúq; conferuationem cum hoste pactus, sese dedidit. Hornum igitur cum omnibus, qui eius se naui crediderant, in captiuitatem deducitur, in qua ad generalem vsq; Pacificationem Gandauensem permansit. Cæteri primariæ Nobilitatis cum illo viri erant, Dominus Gruningensis, VVeldamus Hagensis, Iodocus VVemensis Brielæ oriundus, Gerhardus Pinsenus, Gereboutus VVarvvikensis, Flander, Romerus Quesnoius, Numanus Hagensis, Blyenburgus Dordracensis, Iohan. de Mola, Blomenthalius & alij, cum prædicto militum præfecto Hispanico, &c. Plurimis visus est hic Comes Bossuuius hanc tam difficilem Prouinciam insolentia quadam potius, quàm spe Enchusanorum prælio superandorum fretus suscipere, ne videlicet ab Albano eiusq; Hisp. timidus vel pusillanimis haberetur Belga, quales nimirum ab illis omnes Inferiores iudicabantur, hac ipsorum despicientia multum augescente per generalem Enchusanorum Amsterodami contemtum; vbi fama erat, ipsorum naues vt plurimum ligneis, ijsque pictis, & ad metum incutiendum formam tormentorum simulantibus Bombardis instructas, &c. Nihilominus ipsorum tormentis, Amsterodamensium opinione ligneis, tetrò in puppi sub tegmine nauis, vbi Comes ipse cum cæteris pugnæ primoribus, geminis asseribus (inter quos, lectos, vestes & pallia sua inferserant) præmuniti steterant, vestimenta illa & pallia, quibus vnicè se à tormentorum fulminibus protexerant, post deditionem reperta sunt tormentarijs glandibus referta, ijsq; multoties traiecta & visui pertuia.

An. 1573.

Atq; hoc pacto Ducis Albani propositum impeditum optato caruit successu: qui & ipse tum temporis Amsterodami propter seditionem populi in periculo versabatur non contemnendo, quod ipsum eo eratacerbius, quòd Præsidiarios vrbi milites imponere conatus fuerat.

Dom. de Monti S. Aldegondæ capitur.

Soluta obsidione Alcmarienſi, Exercitus Hiſpanicus ſub imperio Franciſci de Valdez Centurione Hagam proficiſcitur, inde verò in terram Moſæ conterminam; Scluſam vſque, vbi munimentum occupat, quorum conatibus dum ſe Dominus de Monte S. Aldegundæ, qui tum aliquot militum copijs imperitabat, opponit, obruitur, profligatur, & ipſe tandem capitur, quamlibet ſeſe ſub aquis & arundinibus occultare, vitæque conſulere ſtudet, vnà cum Iohanne Petteinio militum præfecto: qui ambo demum, vt ſupra relatum eſt, per contractum deditionis Mittelburgiæ, per Monſdragonium, æſtate ſequenti, non ſine magnis difficultatibus libertati reſtituuntur.

Lugdun. Batauorum obſidio. ne receptum.

Vndecimo Octob. Hiſpanorum factio, ſupradicto Franciſco de Valdez Duce, Lugdunum Batauorũ, tum quidem omnib. reb. ad diuturnam obſidionem ſuſtinendam neceſſarijs ſat male inſtructum nihilq; tale cogitans, ex improuiſo cinxêre, idq; eam præſertim ob cauſam, quòd ſci

An. 1573. rent Batauos,tantillis non valere viribus,quibus ipſos alicubi locorũ profligare poſſent. Circ ter hæc tempora apud eoſdem Batauos chalcographia in publicum emiſſæ ſunt. Auraici Principis & Statutum in Hollandia & Zelandia nomine,literæ quædam,in modum libelli ſupplicis ad Regiam in Hiſpania Maieſtatem datę,quibus recenſuere Ducis Albani & Hiſpanorum eius vim & tyrannidem, annexis aliquot infelicis huius belli cauſis: petentes in Religione conſcientiarum libertatem,in Politia,auitorum patriæ priuilegiorum conſeruationem,& ab exteris & peregrinis Nationibus quibuſuis liberationem: ſub finem omnes vbique Principes & Monarchas implorantes, vt commiſeratione moti,teſtes ipſorum erga Regem obedientiæ & fidelitatis oblatæ dignentur eſſe,eos ad extremum obnixè rogantes, vt hunc ſuum libellum ſuppli cem ipſi Regi in manus tradant,ne forſitan à maleuolis interceptus,& occultatus in Regis conſpectum non veniat, quod plurimis ipſorum Supplicationibus & miſeriæ demonſtrat ionibus hactenus acciderit.

Ad eundem modum typis prodiderunt etiam alias literas, general ibus Belgij Statibus inſcriptas, quibus eas cohortantur, vt operas ſuas conferant ad Regiones priſtinæ felicitati & libertati propediem reſtituendas: quibus nos recenſendis ſuperſedentes,curioſum Lectorem ad ipſarum excuſa exemplaria relegamus.

Interim dux Albanus quã petierat dimiſsionem à gubernatione Leonis Belgici, ex Hiſpanijs conſequitur,iam tum propter diuerſa rerum gerendarum infortunia, vt videbatur, malè audiens. Præcedente Octo.6. redierat etiam in Hiſpanias dux Medinacęlius, qui corã adſpecto Regionum ſitu & conditione cum vniuerſo belli ſtatu, rerum Belgicarum adminiſtrationem detractarat. Quapropter Rex ſucceſſorem Albano ſubſtituit Ludouicũ Requeſennium, è familia ducis Seſſani prognatum, Gubernatorem Mediolanenſem, natione Hiſpanum, magnum Caſtiliæ Cõmendatorem, qui 14. Cal. Decembr. Bruxellas aduenit, quo ſe quoq; eodem fere tempore contulerant Albanus ipſe cum filio Fredericho Toletano vniuerſas rerum habenas de manibus in manus illi tradentes.

Ludo. Requeſenius nouus Belgij Gubernator Bruxel las ingreditur

Nouus iſte Belgij Gubernator viſus eſt in mandatis habere à Rege, vt maiorem in adminiſtratione clementiã & lenitatem oſtenderet, quã dux Albanus, cuius propriæ rigiditati omnis rerum infelicitas adſcribebatur: licet & hic malè ſatis audiret, de Mauris in Regno Granatenſi inhoneſtis ſtratagematibus & dolis, quàm bonum imperatorem decẽti fortitudine ſubiugatis. Veruntamen celebris illius naualis contra Turcam prælij victoria. in quo domino Iohãi Auſtriaco iuueni præfectus fuit Gubernator, priorem turpitudinis labem quodammodo eluit, vel potius obtexit.

Albanus regalis in Hiſpa. Belgium, quod pacatum acceperat, bello plenũ reſignans.

Albanus aũt,poſtquam Requeſennio rerũm gubernacula reſignauit, vna cum filio Fridoricho 4. Non. Dec. anno 1573. Bruxellis egreſſus in Italiam ſe cõtulit. Prouincias Belgicas, quas ante ſexennium pacatas à Gubernatrice Parmenſi receperat, bello plenas Succeſſori reliquens: cuius in Hiſpanias reditus à multis putabatur Regi fore inuiliſsimus; ſed contrariũ declarauit euentus, ipſo cõtinenter in ſolito coram Rege authoritatis & honoris faſtigio permanente, vt qui Regij mandati & inſtructionis limites nunquam fuiſſet prætergreſſus. Nos verò, quo Lectorum, ſi qui forte penitius & ſpecialius res ab Albano per rigorẽ geſtas cognoſcere cupiunt, auiditati ſatisfaciamus, operæprecium nos facturos duximus, ſi quid ipſius aduerſarij de ipſo tum temporis ſparſerint & impreſsis literis diuulgarint, hoc loco ſuccinctè recenſeamus.

Crimina Albani inuen ara. 1. Tyranni in America exercita.

Primò accuſabatur vnicus auctor omnis illius magnę & miſerabilis deuaſtationis magnarũ illarum in America vel India Occident. Regionũ ſimul & incolarũ, hiſtoria Lectori ſupra modum auditu terribili & luctu abominabili, de rebus Hiſpanorũ illic bello geſtis, ab erudito quo dam Hiſpano, Monacho Dominicano, Chiapæ Epiſcopo. Fr. Bartholo. de las Caſas vel Caſans, Hiſpanicè conſcripta, & an. 1552. apud Scbaſt. Trugillum Hiſpali typis in lucem prodita; quem Hiſtoriographum, fidei Rom. Catholicæ æmulatorem maximum, ipſi vidimus, ex Indijs hanc ipſam ob cauſam huc profectum, vt Regem & Imper. Regis parentẽ, hiſce de rebus faceret certiores, licet oleum & operam miſer perdideritt. Deinde in ſimulabatur inſtigationis & conſilij Imper. Carolo. V. vnicè ab ipſo dati, vt ann. 1546. expeditionem belli in Germania ſuſciperet, quæ huic Cæſari, aliàs inuincibili, plurimas difficultates vel moleſtias, & damna ann. 1552. attulit, vitæque ſinem multiplicibus curis accelerauit. Tertiò illi quoque adſcribebant. quod eius filio Hiſpaniæ Regi, in negotijs Belgicis ſemper auctor fueritad res fæueriter & rigidè gerendas, ſeſeque vt plurimum Belgij maleuolis antefignanum præſiterit; & quo cõmodius, quod cupiebat, confequeretur, ſimultates & diſſidia inter Hiſpaniæ Principem Carolum, & Iohannem Auſtriacum, cognatum eius naturalem, & alios ſeminarit. Tum quod licet dehgnatus iam belgij Gubernator, inſtructiones nactus ſuo cerebro per omnia conformes, odioq; ſuo in Belgas inueterato, per acceptas ab inferioris Germaniæ prouincijs, Regem ſuũ in ipſo reuerẽtibns, & promiſſa Gubernatricis de Parma reſpicientibus, multò benignius & amicius exceptus fuerit, quàm ipſe vel ſperarit vel optarit: (nam Ducilla Parmenſis, omnia illa, quæ iam facta infecta

2. Incendium belli pro Reli. in Germania.

3 Tyrannis in belgio, dã ſem per Regi autbor fuit ad res regidiſi me gerendas.

infecta fieri nequirent, planè obliterata percupiens eò quòd quilibet Belgarum erga Regem suum officiosè & fideliter in sedandis tumultibus elaborasset, non deficientibus illis interim medijs, quibus Albanum, si voluissent, arcere potuissent, pollicita fuerat, exteras nationes sua apud Regem intercessione revocatum iri) nihilominus, Belgium ingressus, omnes quam primū immunitates & priuilegia Prouinciarum cum constitutionibus ordinis aurei Velleris, & Diplomatibus Vniuersitatis Louaniensis, in quorum omnium conseruationem ipse Rex solenniter iurauerat, decreuerit & promulgarit amissas, ipsas verò Prouincias consequenter nihilo minus tractandas, quàm Regiones nouas & bello nuper subiugatas, quas pro arbitrio gubernare Regi fas esset. Huc pertinet & illud, quod aiebant, feritatem in homines beluinam, quam in ipsos Regis subditos fidelissimos, qui facultatum & laterum suorum obiectu diadema illud Regium Regis capiti impositum sustinuerant, Albanus exercuerit, fuisse tantam, quantam nullus vnquam Phalaris, nec Nero, nec Pharao, nec Herodes, nec quisquam alius Tyrannus Ethnicus excogitare potuerit. Hanc ipsum declarasse suis expilationibus, deprædationibus, exterminationibus, persecutionibus, deuastationibus, vinculis, arrestationibus, excommunicationibus, proscriptionibus, & bonorum confiscationibus: imò etiam in hominibus, tam Nobilibus, quàm ignobilibus, diuitibus pariter & pauperibus, senibus & iuuenibus viduis & orphanis, viris, fœminis, & virginibus, cuiuscunque tandem ordinis essent, deniq; tabilibus & hactenus inauditis tormentorum supplicijs, afflictionibus, cremandis, sufflagendis, suspendendis, capite truncandis, dissecandis, rota contundendis & trucidandis: adeò vt in malitia gloriatus in mensa sedens, & in eum ser. nomen incidens, aliquando dixerit, se sanè diligentem nauasse operam in eradicandis hæresum Zizanijs, qui circiter octodecim hominum millia, sex tantum annorum spacio, quo Belgij gubernaculis assederit, Carnificum manibus tradiderit necandos, exceptis illis, quos ipsius miles per bella, per odia, & cædes priuatas neci dederat, quorum numerus minimè censeri potest exiguus, licet Vargæ, Albanici Conciliabili Sanguinarij Præsidi adhuc nimis videretur exiguus, qui cum Albano Belgicis excedens prouincijs quiritabatur. Nimiam misericordiam Belgas reddere deteriores, quæ misericordia talis tamen erat, vt cuiuis Ciuium hoc opus hic labor esset, sua bona contra nimiam Albani & militis eius auaritiam, coniugem & filias contra impotentem ipsorum libidinem, & vitam denique contra cruentam ipsorum sanguinolentiam turari vel defendere. In quem illi semel odium aliquod conceperant, eum neque generis nobilitas, nec diuitiarum affluentia, nec vitæ integritas, nec vlla denique præteritorum officiorum, memoria redimere valebat. Quo referendum venit & illud, quod Albanus, sine vllo respectu Iurisdictionum & ordinariarum in singulis prouincijs consuetudinum, tam in Criminalibus quàm Ciuilibus causis, ad bonorum Confiscationem (Conciliabulo suo sanguinario soli commendatam) quoquo modo spectantibus, cunctis iudicibus iudicandi potestatem sic inhibuit, vt nec Ecclesiasticus, nec Politicus ordo, nec viduæ, nec Orphani, nec ædes publicæ, siue Leprosis, siue Orphanis, siue Spiritu Sancto, vel ipsi Sacrosanctissimæ Trinitati dicatæ, iusta & hypothecis antiquissimis confirmata debita quotannis à confiscatis proscriptorum & neci traditorum bonis exigentes, vllam solutionem consequi potuerint: ipso ea omnia ad se rapiente, nulla tamen onera vel incommoda illis incumbentia sustinere volente.

4. Barbarica crudelitas in Belgas.

5. Rapina bonorum de quibus Leprosi, viduæ, Orphani &c. in suis Nosodochijs viuebant.

Inuentum etiam tandem est, quod vsus fuerit opera falsatiorum, & subornatorum testium, quod Tornaci apparuit in Regis officiario Martino Hutino, qui postea eo nomine mortis supplicio affectus rem omnem palam fecit.

Horum bonorum fisco, Regis addictorum & annotatorum, omissis pensionibus, quotannis inde surgentibus, victima singulis annis octaginta centena florenorum millia, vel octo miliones summatim conficientia, Regi tandem transmisit: vt nimirum crudelitatem suam vtilitate palliaret, atq; ita popularem in Hispanijs auram aucuparetur.

octo millio. nes eius confiscationes quotannis con fecerunt.

Eius iniustæ & inauditæ exactiones vel census, quorum præter confiscationes superius memoratas alium post alium misero popello indixit vel iniunxit, fuere prægrandes; qualis nimirum erat numus centesimus ante sexennium à subditis comprobatus & solutus, 12 miliones flor. conficiens: qualis item erat numus vigesimus, imò & decimus, quos petijt, & re ipsa exigendos voluit in omnibus bonis, fixis simul & mobilibus, quinetiam in omnibus emptis & venditis mercibus, sine vlla cum Consiliarijs & Statibus citeriorum Regis Prouinciarum prius inita consultatione; neque id de lucro vel excessu Contractuum tantum, ne quid erres, sed à parte rata omnium venditionum; quorum soluto recepta omnem negotiationem omnia opificia, & omnem industriam, quibus incolæ plerique omnes, res ad vitam traducendam necessarias acquirunt, pessundidillet, & Prouincijs expulisset. Quorum exactionem & solutionem ille nihilominus omni sæueritate & rigore protrudere, & in effectum producere conabatur, nisi bello fuisset præpeditus, licet eorum loco illi quotannis à Prouincijs numerarentur vicies centena florenorum millia. Quid multis? vnicus Author & causla extitit,

6. Exactiones inauditæ quarum vna sola cet. nam centesimi, in sexennium 12. millones florenorum confecit.

An. 1573. cor Rex cum Prouincijs sibi subditis, intra sex eius Gubernationis annos, quingentas & viginti florenorum myriades profuderit.

7. *Iniustamercium Britannicarum aere flatio qua Belgae 12000. florenis vnius festiuè priuat.*

Mercatoribus Anglicanis, Antverpiæ negotiantibus, quos odio Religionis Belgio libenter exterminatos vidisset, ex improuiso merces abstulit, quarum precium sexies centena florenorum millia putabatur æquare, idq; sub prætextu pecuniæ in Anglia sibi detentæ, quam postea euentus docuit eius nequaquam fuisse: qui nihilominus Regi scripsit, vt idem faceret in Hispanijs, non consideratis vicissim Belgarum in Anglia negotiationibus, quibus hac Britannicarum mercium arrestatione multo maior ibi pecuniæ summa periclitabatur; per hanc de pecunia retenta contentionem vltra semel millenas & ducenties mille florenos. vel, quod eodem recidit, centum & viginti myriades florenorum amittentibus, quas serenissima Angliæ Regina Subditis suis in damni accepti recompensationem refudit. Belgis ne numo quidem vel ab Albano, vel à Rege vnquam reddito, oblato, vel promisso, licet post ratioem vel ratificationem Mercatorum nomine initam, viginti Myriades, vel ducenta florenorum millia, quibus accepta Britannorum summa summam Belgarum exsuperabat, receperint. Et licet Regij Reginæ exemplum intuerentur, nihil tamen priuato Mercatori damnum patienti obtulere, sed potius (quod procrastinatione causæ decidendæ damnum quotidiè creseceret) plurimis multo ære alieno obstrictis, ansam præbuere fugiendi, & Creditores fallendi, non sine vniuersali Prouinciarum detrimento.

8. *Denoratio Prouinciarũ per milites, cui nulla solutio stipendia, ab incolis aerarium.*

Insuper Prouincias miserè pressit & deuorauit, tàm multis & inutilibus militum copijs, quàm interius sitarum Ciuitatum præsidijs. Hispanis suis, sicut & Germanis, sæpenumero viginti octo mensium interuallo nulla soluit stipendia: vnde SERVITIO, quod vocant Ciuitarum incolas expilauit, quos vel Hispanos eius alere, vel si vellent immunes euadere, redemptionem huius seruitutis ab ipso, vel ab eius filio numerata pecunia impetrare oportuit.

9. *Supina negligentia in disciplinamilitari. Facinora militis Albanici per disciplinã dissolutam & insolentiam defignata.*

Deficiente stipendiorum solutione, neglecta disciplina militari, suis militibus omnis generis petulantias & insolentias, minis, verberibus, prædis, expilationibus, honestis matronis constuprandis, in miseros Regis subditos exercentibus connixit. Plurimos pagos elegantissimos, veluti Catvvicum in littore maris, Santfortum, Alfenum & alios, ferè totos in cinerem redegerunt; multas ciuitates expilatas, incolis internecione deletis, depopulati sunt. Vltraiecti quoque & aliarum vrbium occupationem improuisam, & deprædationem sibi pollicentes. Quæ Tornaci, Vallecygni, Ipris, Traiecti ad Mosam, Dauentriæ, Mechliniæ, Oudenardæ, Dermondæ, Nardæ, & alibi ab illis per insolentiam designata nouimus, auditu sunt abominabilia. Bruxellis breui gubernationis eius curriculo centum & triginta ciues diuersis temporibus, cruentis Hispanorum manibus iugulati perierunt. Gandaui in moto de industria ab Hispanis tumultu, 60. vel 70. ciues simul, & deinde innumerabiles iterum viri pariter & fœminæ ab illis trucidari occubuêre. Similiter Ipris, dum Concionatorem quendam, morti adiudicatum catharmatis instar è medio tollunt Hispani, 22. ciues glandibus tormentarijs transfixi, vita sunt exuti, læsis non annumeratis. Tornaci, orto intet Castellanos & vrbis Præsidiarios dissidio, in quo duo tantum Hispani orco demissi, illico *Spania Spania* exclamantes, quindecim plus minus Ciues insolenter trucidarunt: vbi quoque magno inhiantes thesauro, meridiana luce in domum viduæ cuiusdam, nomine Potrier, irrumpentes, viduam cum filia & nepte, luce priuarunt: cuius sceleris designatoribus nulla fuit atrocior irrogata pœna, quam de loco in locum translatio. Insulæ vrbe admodum Romanè Catholica, quod Hispanus quidam æquo falcior à viro & duobus eius vicinis prohiberetur à stupro coniugi castæ inferendo: similiter more solito *Spania Spania* vociferantes, ipsum maritum & ambos vicinos captos, tanquam rebelles & seditiosos ad magistratum pertrahunt puniendos, vrbis incendium comminantes, niti quamprimum pœnas talibus dignas infligant. Quorum minis exanimati Iudices, duos eorum suspendio, tertium verò virgis cedendum adiudicare coacti sunt.

In Pagis, Castris, & vrbeculis multo crudelius adhuc sæuitum est: vbi tam honestæ mulieres, quam virgines compressæ & violatæ in ipsorum maritorum & parentum præsentia, quos Hispani coegerunt, isthæc sua scelera coram adstantes & inuitos intueri, & si quis illis se opponere conabatur, illico clamantes *Spania Spania*, iugularunt omnes. Fœminis grauidis ventres dissecuêre, fœtus eorum in vtero trucidantes. Maritis viuis excoriatis, eorum pelles tympanis suis obduxerunt. Alios ignibus exiguis exustulârunt, vel ignitis forcipibus tantisper discerpserunt, donec animas exhalarent, aliaque plurima in homines beluinæ crudelitatis scelera designarunt, idque non tantum quotidiè, sed etiam impunè, Albano sciente, volente, & conniuente. Quinetiam cruciatibus & exquisitis irritamentis ansas ad rebellionem populo dare studuerunt; idque se quæsituros, desideratibus, & diligenter capturos plenis buccis arroganter confessi sunt, vt eo sub prætextu prouin-

10. *Irritatio plebis ad inusitata excogitata, quæ prætextu rebellionis magnã ea supprimat.*

prouinciarum diuitias raperent, & populorum in ijs frequentiam exinanirent; quemadmodum prius in America & India egerant, honestioribus rationibus ad obtinendas victorias & superandos populos, impotentes & imbelles. Quid multis? Deprehensum apud captum Flissingæ Paciecum Catalogum tam Nobilium, quam præcipuorum Ciuium, ex Albani mandato diuersis in ciuitatibus, Anno 1572. ad introducendum violenter decimi numi censum subitò iugulandorum, quis nescit? Quantam hominum stragem Nardi & Harlemi contra pacta & expressam clementiæ promissionem Frederichus Albani filius, parentis nomine ediderit, milites omnes ad rebelles vsque præcursores & calones internecione delens, lippis & tonsoribus notum est. Exanimatorum ibi corpora merè nuda, non sine mulierum & virginum prætereuntium impudenti scandalo, tota die nocteque iacentia, remouere, quid dicam sepulturæ mandare, non iussit. Quo factum, qui Ciuitatem illi tradiderant, triremibus in perpetuam vitæ miseriam deportauerat. Eos verò, qui Harlemi in ripa Fuyckij fluminis ad auertendos hostis conatus disposti fuerant, fame necuit, prætendens, se vitam non cibũ illis promisisse. Deuictos ciues Harlemenses ad fossas & cuniculos seruiliter effodiendos Alemaream ire compulit, quo citius ciuis conditioni fatis onerosæ finem, quo tamen potiri non potuit.

An. 1573.

11. *Molestatio defunctorum impetrat.*

Sæculo nihil tam honestum vel sanctum reperiri potuit, quod Hispanus iste violare & quasi pedibus conculcare sit reueritus. Nulla fuit vnquam, quantumuis barbara Natio, quæ non aliquam saltem honoris & reuerentiæ mortuorum detulerit sepulturæ: At Albanus, in opprobrium & contemtum Deiac totius humanæ naturæ, plurima defunctorum corpora, licet iam dies aliquot & temporà terræ mandata fuissent, refossa, & ad patibulum raptata suspendit aut concremauit, allegans non causam vt caussam, quod scilicet sine confessione, pœnitentia & sumtione Sacramenti, vita excessissent: vera existente causa, vt ipse mandatis suis conformiter, ipsorum bona ante iure videretur mancipare.

12. *Dissolutio Matrimonij.*

Matrimonia quoque, vnicum ciuilis societatis fundamentum, omnis amoris & pacis vinculum, ac prosapiam denique omnis inter homines honestatis gradum, debito & solenni prætertim personarum consensa constantem, & expresso Dei mandato insolubilem, ipse dissoluit, quòd partes in Reformatorum Ecclesijs, hæreticis nimirum, essent initiatæ, (nisi denuo in Ecclesijs Romanæ Catholicis copularentur) quod à multis factum est: vt nimirum hoc pacto formosas & diuites fœminas militibus suis ad prædam subiugaret.

13. *Naturalis pietatis amicitiæ origine naturæ iuxta.*

Quid multis? omnem amicitiam & pietatem, quam homo homini naturam debet, hic extinxit, & quam hominem ex homine fatalit, id quepalam, vita priuans vxores, quæ maritis, & liberos, qui parentibus in extrema rerum omnium necessitate vnico subuenerant obulo subuenerantimo qui multis literis eos saltem consolati fuerant. Traiecti occisus est parens, quod filium à diuturna peregrinatione tandem redacem excepisset hospitio vnica saltem nocte. Alius quidam morte affectus est, quod egenti cuidam viduæ, cuius vir Religionis gratia fuerat interemptus, nonnihil frumenti subministrauerat in Eleemosynam. Alius, quòd aliquid pecuniolæ cuidam amico transmiserat in Angliam. Plurimis fœminis prædiuitibus facultates suæ fisco sunt addictæ, & ipsæ ad extremam inopiam, imò ad stipem statim petendam redactæ, quod maritos suos domorum suarum parietibus recepissent.

14. *Anabaptismi pacis osor.*

Cæterum sacratissimum Baptismi Sacramentum quoque prophanauit, rebaptisari iubens liberos iam pridem in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti palam baptizatos, sed ab Hæreticis scilicet: pugnans cum Decretis Ecclesiasticis, Concilijs, & omni iure, Diuino pariter & humano.

15. *Superbia in erecta sibi Antwerpia Roma.*

Tandem, quò superbiam & insolentiam suam toti Mundo propinaret conspiciendam, perpetuum eius monumentum Antverpiæ fixit, tanquam alter Nabuchodonosor ipse sibi in arce statuens imaginem ex ære, Nobilitatem & Status prouinciarum pede calcantem. Quo quid ignificatum voluerit, penes Lectorem esto iudicium. Eodem pertinet, quod promulgans Antverpiæ frequenti foro Pacificationis cuiusdã formulã, soliũ Regiũ, in honorem Magistratus, Principis vel Domini sui à Prouincijs pro consuetudine opponi solitum, conspurcauit, in contemtum Regiæ Maiestatis seipsum illi imponens, quòd à nullo vnquam prouinciarum Gubernatore prius factitatum fuerat.

16. *& prophanatum tabernaculum regis.*

Hæc sunt summatim ea, quorum à Belgis, tam Romanæ Catholicæ, quàm Reformatæ Religioni deditis, reus actus fuit Albanus post suum in Hispanias discessum. Qui nihilominus feliciter in Hispanias perueniens, gratia simul & authoritate apud Regem quidem valuit, sed apud populum non item. Quod satis apparuit tum, cum ob filij sui Frederichi sponsalia, à suo ipsius sultitiæ ministro Bulloa, Carnificinæ officio (vulgo dem amptder Rhodn Rhut) quondam in Belgio præfecto, in custodiam traditus est, applaudente vniuersa vulgi multitudine. Postea verò semper intimus perstitit Regis Consiliarius, cum quodam Iohanne Idiaco, Albanici ingenij per omnia gemello. Tandem Portugalensis expeditionis à Rege constitus Imperator, Vlisipponi, anno 1582. die 12. Decem. animam exhalauit.

Moritur male gnæ prædium Asturiæ in Portugal. Ao. 1582. 12. Decembr.

An. 1574.

Descriptio personæ Ducis Albani.

Albanus statura fuit procera corpore macilēto, robustis tamē membris. Incedebat erectus, facie oblonga & macra, oculis profundis, intuitu vultuq; severo ac torvo, pectore fusto. Magnus aulicus, insignis dissimulator: Omnib. vbiq; odiosus, quod erga Inferiores alios quē sibi pares valde difficilem & superbum semper se præberet, nimis magnificè de seipso sentiens. Magnus belli Dux, summa q; in re militari præditus experientia, non modo reliquos suos Hispanos in ea professione superans, sed nulli sui temporis externarum nationum cedens. Qui in tempore saueriſsimam disciplinam militarem exercuit. Magno iudicio in exercitu ducendo, castris ponendis, destinandis q; hostibus, quia vtplurimum bellum defensiuum gesserat. Quod ad personam eius, audax fuit, nec metuens periculi, nunquam tamen exercitum generali prælio committere voluit sine magna prærogatiua, semper sub dominis suis Carolo V. & Rege Philippo maximis ipsorum difficillimis q; in rebus, summo in loco inseruiuit, militans pro eis in Italia, Hiſpania, Gallia, Hungaria, Germania, Belgia & Africa. Hoc demum deplorans, quod nunquam Turcicum vidisset exercitum. Nullibi minus gloriæ adeptus quam apud Belgas, & melius prudentius q; se gerebat aduersis quam secundis in rebus. Hæc & alia de eo scribit Hieronymus Conneſtagius in Hiſtoria Gallica.

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci.
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

ARGVMENTVM. Lib. V.

VBI Ludouicus Requeſenius gubernacula ſuſcepiſſet Ludouicus Naſſouius iterum è Gallia auxilium petit, vbi morte Regis interueniente, expectatione ſua fruſtratur. Hinc ad Mokerheydam interficitur. Hiſpanus miles victor Antuerpiam veniens, ſeditionem ibi commouet, & ingentem pecuniam pro ſtipendio extorquit. Zelandi armatam claſſem Ludouici Requeſenij, ad Lilloum ſuperant. Hinc expeditio eius in Northollandos succeſſu caruit, quemadmodum & promulgata ab illo delictorum per Belgium venia. Leyda à Valleſio obſeſſa miraculoſe beneficio aquæ terram eſt maris inundantis liberatur, Vvorkomium & Lerdam ciuitates à Vitellio captæ, milites Valdeſij ſeditioſi Traiectum inuadunt. Turca Regnum Tunetanum expugnat. Interceſſione Imperatoris Bredæ de Pace agitur, ſed fruſtra, idq; etiamſi conditiones Hollandis eſſent plauſibiles. Bura, Oudewatera & Schoenhouia à Requeſenio gubernatore, Crimpen verò ab Auraico occupatur. Reliquiæ Hiſpanicæ claſſis, quæ Dunkerkam appulerant inutiles reddita. Deliberatio per Hollandiam & Zelandiam de externi alicuius Principis protectione expetenda, quam Regina Angliæ recuſat. Inſula Schaldia vulgo Scouvven in hoſtium poteſtatem venit. Cierixea obſeſſa, & poſt nouem menſes oppreſſa. Hiſpani nouas ſeditiones mouent. Chapinus Vitelli & Ludouicus Gubernator moriuntur. Hinc Concilium Status Rempublicam adminiſtrat. Diſſidia & iurgia inter Angliam & Zelandiam. Pax in Gallia, cuius beneficio Princeps Auraicus ſuum Principatum recuperat. Facta hæc 2. annorum ſpacio & paulò amplius. Sub Ludouico Requeſenio.

LIBER

LVDOVICVS REQVESEN. MAG. COMEN. REG. CAST. RE. M. CON. GVB. ET CAP. GENERAL.

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

POstquam igitur Albanus 2. Dec. An. 1573. Belgio excesserat; succedès illi nouus Gubernator Ludouicus Requesenius nouo se milite ex VValonib. & Germanis conscripto, nec nõ & Nautis (quorum plurimos etiam ex Anglia allexit) stipauit. Quinetiam Pilotas quosdam (quos magnæ cuiusdam Classis ex Hilpania introducendæ gratia paratas tenuit) conduxit, Mittelburgo tum quidem nondum à Flissingensibus occupato, veruntamen paulò pòst, sicut superius retulimus in primo Requesennij conatu parum feliciter cedente. Simul etiam sollicitauit Status de subministrandis pecunijs, sed ne teruncium quidem illi optantes. Ex Hispanijs tamen & Italia nonnihil obtinuit. Militem verò, cui iam pridem multa debebantur stipendia, non modo parum commodum, verum etiam inuitum ad res gerendas & rebellem expertus est.

His temporibus Auraicus Princeps secreta cum Hispanis & alijs quibusdam communicauit consilia, de munitissima Antverpiensium arce occupanda: sed ea per conscios male fidos præmaturè in lucem prolata, causa mortis extitere quibusdam, eam ob rem deprehensis & supplicio affectis. Similes machinationes quidem fuere plures, sed frustra. Talis etiam erat militis Requesenni, Gertrudisbergo per dolum inhiantis, sed repulsam passi: Anglis petentibus annuit Princeps Auraicus; vt nauigijs & mercimonijs suis aduerso Scaldi Antverpiam conscenderent, qui per obsidionem Mittelburgi diu intercluſi, iam velut aues nouæ, conspecti sunt illis appellere 15. Aprilis.

In Gallijs patrata iam præter exspectationem mirabiliter cæde Parisiensi, vt supra relatum est; Carolus Rex, Regnum suum ab Hugonoticæ gentis contagio, vel Reformatæ Religionis fermento prorsus repurgare volens, Sancerras & Rochellas obsidione cinxit: ac Sancerras quidem horribili fame ad deditionem coëgit; cum Rochellanis verò quod non solum parum proficeret, verùm etiam præter magnam in castris annonæ caritatem, grauem quotidiè in exercitu iacturam pateretur, tandem interpesione fratris Henrici Ducis Andegauensis, & Legatorum Polonicorum, à quibus hic eius frater in Regem erat electus, pace pro ipsorum statu tolerabili stabilita, obsidionem soluit. Deinde, fratre in Poloniam profecto, denuò visus est cum Principe Auraico & Ludouico Nassouiensi Comite sua communicare consilia, & vetus institutum suum de rebus Belgicis persequi, tradens illis per Marischallum de Retz, ad conscribendum pro se militem, ducenta plus minus aureorum millia. Quin & in sui seruitium equitum Magistros in Germania per Galeazum Fregosum interpellault, & duo Gallorum millia è Metensium, Toulensium & Verdunensium præsidijs, euocata, ad alibi sibi seruiendum destinauit, Traiecto ad Mosam, Antverpiæ, & alijs locis antiquitus cõtrouersis subitò capiendis inhians. Talia quidem & similia instituta, de quibus hominum vulgus nihil certi potuit experiri, fuere præmanibus: verùm Regis Hispanici in Gallia fautores ad ea omnia perturbanda & in nihilum redigenda, facilè reperiere remedia, disseminatis inter partes suspicionibus, & reformatis persuadentes, hunc bellicum Regis apparatum in ipsorum capita dirigendum. Dux Alenzonius, Regis frater natu minimus, videns Guisios authoritate pollentes, & Regem, post fratris in Poloniam discessum, plerunque valetudinarium: sibi quoque authoritatem aliquam comparare studuit. Quod animaduertentes Guisij, necesse habuerunt prospicere, non modò quo pacto Regis Hispanici commodis inseruirent, verum etiam quomodo suam ipsorum in Gallijs dignitatem tuerentur. Intelligebant enim Ducem Alenzonium fauere familiæ Montmorencianæ, ipsis infensæ; quia stipatus vel adiutus facilè sibi posset magnum sequacium numerum acquirere, Rege Nauarræo & Principe Condæo, tum adhuc semicaptiuis, nihil magis in votis habentibus vel optantibus. Interim Reformati, diuersos hosce conatus aspicientes, maturè sibi prospiciunt, & arma diuersis in locis capessunt. Quamobrem metueus Regina mater, ne quid incommodi sibi nasceretur ex istis inter partes actionibus, communicatis cum Guisijs consilijs, ægrotanti persuadet Regi, Montmorencianæ familiæ fratres & alios inijsse conspirationem, eretum illi Regnum Alenzonio fratri tradere volentes. Mandat igitur Rex suis, vt vnum Montmorenciorum fratrem, Marischallum Dampuillæum in ditione sua Languedocensi capiant; cui us captiuitas non succesit. Parisijs autem cepit Marisahallum Montmorencium, Montmorenciorum fratrem natu maximum, cum Marischallo Cossæo. Quin & ipsi Regis fratri Alenzonio Parisijs octauo April. custodiendo statutæ sunt in aula vigiliæ, quemadmodum & Nauarræo, discinctis ab eorum lateribus gladijs, & ministris remotis. Multi tamen fuga elapsi sunt.

Rex Galliæ varijs ch Auraico & Ludouico Nassouio de rebus belgicis consulat.

Noui tumultus in Gallijs

Dux Alenzonius capitur, & eius mini. stri occidun tur.

Verum

Digitized by Google

Verum nonnulli Alenzonij familiares, inter quos fuerant Hannibal Comes de Coconas, & Dominus de la Mole, deprehensi, post acerrimum examen tandem cum alijs capite plexi sunt, tanquam studioſi rerum nouarum, qui Regis fratri conſuluiſſent, vt furtim Gallijs excedens Ludouico Comiti Naſſouienſi ſeſe coniungeret, qui iam Regijs adiutus copijs iuſtum duceret exercitum. Quod quidem etſi verum erat, vt poſtea compertum fuit; contrarius tamen Guilionum conatus, Regis Hiſpanici rebus in Gallijs promouendis intentus, magnam Procerum in Gallia partem commouit, vt cogitationes & vires ſuas ad generalem Regni reformationem intenderent, cuius rei caput & Ducem Alenzonium conſtituere decreuerant. Atq; hi ſeſe Malecontentos vocitabant. Sed ijdem à Regina matre & Guiſio obruti diſturbatique ſunt. Inter quos Princeps Condæus iunior fuga elapſus eſt in Germaniam, cum Thore, Meruque Montmorenzij fratribus. Comes Montgommerius, Columbirius, & alij in Normandiam deuenerunt, vbi collecta militum manu S. Loum & alios locos occupant. At verò Montgomerius ex improuiſo oppreſſus & in oppidulo quodam, Damfron nomine, cum ſo. circiter viris captus, Columbirio & alijs profligatis, Pariſios deducitur, vbi Regis morte nimis rigidè adhuc à quibuſdam perpenſa, capite mulctatur.

An. 1574.

Malecontenti in Gallijs exorti.

Paulò poſt moritur ipſe Rex ipſo die Pentecoſtes, 30. Maij, cuius obitus alios deinde motus genuit. Interim Ludouicus Comes ad bellum ſe præparans, ob cauſas prædictas deſtituitur, primum à Rege, deinde etiam ab alijs, qui multas & fauorabiles illi promiſiones quotidiè fecerant. Cùm igitur copioſum equitum & peditum collegiſſet exercitum, caſtra metatus intra Traiectum & Aquiſgranum, Vlpeni nimirum, exſpectans Regis è Gallia literas, vel conſilium, ſecum habens Chriſtophorum Palatinum, Frederici Tertij Electoris filium, & Henricum Naſſouienſem fratrem natu minimum; Traiecto ſtratagemate quodam occupando operam dedit. Sed eius Præſidium viribus nimis auctum Ludouici fautores & milites expulit: Nihilominus dubio Martis fauore ſæpius cum illo velitatum eſt. Interea verò temporis dum hic aliquandiu moratur Ludouicus, oportunitatem largitur Commendatori militis ſui congregandi & aduerſus eum emittendi: qui ſoluta obſidione Lugdunenſi, quæ iam aliquandiu duraſſet, & collectis vndiq; præſidijs è Batauia, Friſia & Geldria, exercitum eò mittit, præfectis illi Santio Dauilano, Iullano Romero, Monsdragonio. & D. de Hierges, licet admodum inuitis, & pro ſtipendiorum ſolutione murmurantibus, illis tamen certò promiſſo, poſtquam hoc vnicum ſaltem officiolum præteritis ſuperaddidiſſent.

Carolus Cal. hæ Rex iuuenilis.

Cæterum Ludouicus Comes de Gallorum fide & auxilio deincepsplanè deſperans, rerum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum penuria coloci preſſus in Geldriam ad Principem Auraicum fratrem ſeſe conferre ſtatuit, cuius auxilio ſe Moſam fluuium alicubi tranſiturum, & in Brabantiam penetraturum ſperabat. Quem in finem Auraicus in vnum coactis militibus & nauigijs ſuis, Inſulam Bommelenſem aduerſo Moſæ flumine aſcendens ſuperauerat: vbi VVardenburgenſe Caſtrum cepit, & flammis abſumſit.

Ludouicus Naſſouius in Geldriæ prouincia ad Moſam fratris Auraici operas ſuſcitat eius.

Caſtra mouit Ludouicus 11. April. qui fuit ipſe dies Paſchatis, ducens, vt putabatur, quatuor plus minus millia equitum, & ſeptem vel octo millia peditum. Surgens autem aliò quidem ſe profecturum ſimulauit, verùm ſubitò Neomagium tetendit, vt ipſum ex altera Moſæ ripa Hiſpani iam frequentes inſequebantur, farcinas ſuas cum copijs auxiliatricibus, nauibus, ſcaphis & ratibus ſecundo flumine demittentes, quo ipſum anteuerterent, & tranſitum illi interclauderent, obuiam illi facti intra Mouacum & Neomagium, vbi viarum ingreſſus occupabant, & Ludouico intra duo flumina Moſam nimirum & Vahalim iter ſuum includebant. Geſta ſunt hæc 13. April. Hiſpanis quotidiè plures copias auxiliares exſpectantibus: qui circa veſperam leuioris armaturæ equites aduerſus Ludouicum emittentes, conatus eius explorare, & vires exercitus tentare conantes, repererunt eum ex itinere deſeſſum, & in pagis circumiacentibus quærentem, vbi pernoctaret & caſtra figeret. Ludouicus verò, qui & ipſe cum nonnullis equitum Magiſtris & paucis quibuſdã equitib. ſpeculandorũ hoſtiũ & locorum gratia egreſſus erat, obuiam factus iſtis emiſſarijs Hiſpanorum equitibus, ſtatim eos adoritur, & multis cæſis cæteros in fugam conuertit, capto Laſſone eorum præfecto, magni Caſtiliæ Commendatoris nepote, quem noctu Dilleburgum deduci iuſſit in captiuitatem. Poſtera die per huius victoriolæ felicitatem & fortunæ blandimentum elatiores facti Naſſouienſes, criſtas ſumsére, latius hinc inde palantes quàm par erat, hoſte tam propin quo. Ipſe Comes Ludouicus cum fratre, & Chriſtophoro Palatino Bauariæ Duce, ſiue perperam informati de traiectione Moſæ, vel augmento virium Hiſpanicarum, vel alio modo deluſi, certè hoſtem ſuum floccipendentes, eo die ſecuri nullum exſpectarunt impetum: ſed ipſi magno commilitio præcipuorum in exercitu virorum & Sclopetariorum Gallicorum ſtipati, vinandi gratia proceſſerunt hoſti obuiam, quem adhuc tranſitu Moſæ credebant occupatum, exigua diſpoſitione ad ſubſidium aliquod in caſtris relicta. Ecce autem, nihil tale exſpectantibus obuiam procedit hoſtis, firmo propoſito, cunctiſque viribus admodum violenter in eos irruens. Cum quo, quòd Naſſouienſes non minus trepide ſe illi op-

Parma in Campo Mun. hic

pone-

An. 1574 ponerent, pugnatum eſt aliquandiu fortiſsimè vario Martis fauore, Hiſpanis acerrimo Naſſouienſium impetui non ſemel cedentibus, eoque fere profligatis & in fugam coniectis. Verum quod Naſſouienſium numerus eſſet exiguus, ab Hiſpanis tandem totus penè circundatus, & ſic vndique impetitus, facili negotio in fugam conuerſus eſt. Nihilominus præfectorum nonnulli perruptis fortiter hoſtium ordinibus in caſtra ſuorum penetraſſe videntur, clariſsimum canentes vniuerſum peditum & equitum exercitum in arma concitaturi, cui diu multumque blandientes, vt equeſtri Nobilitati & reliquis in magno periculo conſtitutis, illicò ſuppetias ferrent, nihil profecere, quātumuis feueros & ſerios ſeſe præberent militibus nullum tam ſubitaneum periculum exſpectantibus, ideoque & tardè & inuitò arma capeſſentibus, quinetiam ſtipendia poſtulando incumbens vitæ diſcrimen minimè prouidentibus. Interea verò, dum illi cunctantur, Hiſpani magna fortitudine & celeritate in caſtra irruentes, ac in his, parum munitis, propter angustiam loci, paucis reſiſtentibus, omnes profligarunt admodum inordinatè diſcurrentes, nonnullis etiamnum inermibus. Vnde magna clades committitur, tam in procuratores commeatus, quam in milites gregarios. Reliqui, diuerſis in locis adhuc pugnantes, ſuorumq; ſuppetias exſpectantes, videntes tam confuſam ipſorum fugam, ipſi quoque, vbi cuique licuit, vitæ incolumitatem quæſierūt in locis aquoſis, nemoroſis & pauluſtribus, in quibus multi ſuffocati, multi quoque ab Hiſpanis circum obſeſſi flammis exuſti ſunt. Atque hoc pacto plenam victoriæ palmam obtinuerunt Hiſpani. Ipſe Ludouicus cum fratre ac duce Chriſtophoro, inter pugnandum procul dubio equis ſuis deturbati & cæſi ſunt, quemadmodum ex ſignis quibuſdam probabiliter colligitur, vel in palude quadam ſubmerſi perierunt. Ipſorum enim corpora inter cætera cæſorum cadauera reperta non ſunt. Variæ verò fuerunt hominum opiniones, varijque rumores de illis ſparſi quibuſdam aſſeuerātibus illos adhuc ſuperſtites alicubi commorari: ſed temporis diuturnitas nihil horum comprobauit. Huius victoriæ decus maxima ex parte tributum eſt Domino de Hierges; inter Hiſpanos verò Santio Dauilano. Galli Naſſouienſes, qui in prima ſteterant acie, & pro virili ſua hoſtis impetum fortiter ſuſtinuerant plerique periculum euasere, Hiſpanis ſeſe, ipſis relictis, ad ingentem in caſtris exercitum, à quo plus periculi metuebant, conuertentibus: qui deinde iuxta Rhenum ſeſe recolligentes, aſſcito Nobilium quorundam ſodalitio, arcem Kerpenſem principis Auraici nomine occuparunt: quam Traiectenſes illis denuò aſtutijs eripere conati ſunt, ſed fruſtra, amiſsis inſuper equis triginta. Paulò pòſt, dum Hiſpanorum & Italicorum milites aliqui ad S. Vitum tranſeunt vel luſtrant, iſti quoque Kerpenſes, impetu in eos facto, multos trucidant, & 137. ſecum captiuos deducunt,

Galli à fuga in campo Monachico reſtituti arcē Kerpenſem occupant.

Præterea hærebant adhuc in Archiepiſcopatu Treuirenſi ſedecim Gallorum vexilla, quæ ſeſe, nouis in Gallia tumultibus exortis, Ludouico Comiti coniungere ſtatuerant: ſed eius clade percepta, propè Argentoratū obuiam facti Hannibali, Comiti Emſano, qui binas militum Legiones ibidem conſcripſerat, ipſum cum aliis militiæ præfectis profligant & in fugā vertunt, ereptis illis omnibus armis, adhuc in plauſtris iacentibus. Atque hoc pacto illius in Belgium aduentum aliquandiu retardarunt.

Hiſp. poſt victoriam in Campo Monachico deficientibus ſtipēdijs tumultuātur.

Hac igitur inſigni in Campo Moraco prope Neomagium 14. April. obtēta victoria, quàm primum Hiſpani pecunias flagitarunt, quas illis Santius Dauilanus victor ſtatim promiſerat numerandas. Ijs autem deficientibus, continuò tumultuantes præfectos ſuos abegerunt, rupriſque militiæ ſignis, vnanimi conſenſu ſtatuerunt, omnes ſeſe conferre Antverpiam. Quod cum 19. April. ſignificatum eſſet Frederico Perenoto Baroni Renailio & domino Champigni, vrbis Gubernatori; diſpoſitis per vrbem vigilijs eorum inſolentiam anteuertit. Habens autem in vrbe præter quatuor Germanorum ſigna, quibus non multum fidendum erat, quod illis quoq; multa deberentur ſtipendia, quatuor vexilla Vvalonum ſui Colonellatus, in omnem euentum ciuitatis Guildos & Sclopetarios armari iuſſerat, certiorem faciens interim de toto hoc negotio Commendatorem Bruxellis, opem eius in vrbis defenſionem flagitans, ſi forſan Hiſpani in vrbis arce degentes, tumultuantibus arcis poſtico tranſitum in vrbem concederent & ipſis (quod probabile erat) propter iam diu procraſtinatam ſtipendiorum ſolutionem malè contentis, ideoque probabiliter cum exteris in vrbis direptionem conſpiraturis. Quapropter author erat etiam Commendator, vt aut iſtos Caſtri præſidiarios, alijs ſubſtitutis, transferret, aut ſibi poteſtatem faceret valli vel aggeris aduerſus arcem eiuſque cum vrbe iuncturam vel aditum, intermedio intra caſtrum & vrbem loco adhuc apertum ſeu liberum, erigendi, præſertim quia Santius Dauilanus Caſtelli præfectus in ciuitatem ſeſe præberet admodū iniquum & inſenſum. At Commendator Requeſentius initio minimè videbatur velle credere, Hiſpanos eò proceſſuros inſolentiæ: veruntamen 24. April. tandem ſeipſum contulit Antverpiam, vbi Champigius illi ſuaſit, vt arcem occuparet, eamque in ſuam poteſtatem redigeret, debito Regi officio & ciuitatis incolumitate omninò id poſtulante. Verūm Commendator prætenſo

ea in re

ea in re nescio quo periculo cessabat; de ciuitate verò faccis lana repletis, & alijs munitionum generibus aduersus arcis iniuriam munienda, respondebat: Minimè decere Gubernatori rationem monstrare, arcis inutilis reddendæ; se isthæc rectè curaturum: sperans authoritatem suam maiorem apud Hispanos habituram pondus. Ideoq; quam primum legauit Santium Davilanum, vt commotos tumultuantium animos dulcibus multarum pollicitationū blanditijs sedaret: quem Hispani non auditum, insuper, vt ipse referebat, coegerunt, vel ipsos ad aciem Antverpiensem deduceret. Ad quam venerunt 26. April. hora diei vndecima, qua Champignius in domo ciuica iussu Commendatoris cum Quæstoribus publici ciuitatis ærarij agebat, vt 400. aureorum millia mutuo sibi darent. Qui percepto Hispanorum aduentu, quamprimum milites suos arma capessere iussos ad arcem misit, & eorum irruptionē prohibere iussit, rem præsens præsenti statim significans Commendatori, qui quòd quam primum quæreret è quibusdam, quo minus sclopetis impeterent irrumpentes, causam præbuit Champignio, vt Capitaneis suorum Domino de Wers & Sterck/ mandaret, vt collimatis bombardis eiacularetur in illos, qui iam numero 30. vel 40. in apertam inter arcem & vrbis mœnia loci interuallū prodierant irrupturi. Veruntamen Requesentius ipse equo quamprimum aduectus, conspectos iaculantes vetuit, mandans insuper Champignio, vnà cum milite suo & Germanis abiret, ne quid hinc tumultus in vrbe gigneretur. Quòd etsi Champignio mirum videretur, man dato tamen generalis Gubernatoris obediendum erat. Interim Hispani, expletis partim ciuitatis fossis, & aggere nonnihil derasō vel æquato, per arcis iunctūram vel interstitium, quo mœnia ciuitatis eum arce nondum cohærebant, sine vllo Commendatoris respectu turmatim irrumpunt: qui propterea stomachari, sese excusare, vrbi beneuolum simulare, & præsente Chiapino Vitellio culpam in alios transferre occipiebat. Ad quod Champignius, consultissimum sibi videri, inquit, vt cum suis in nouam ciuitatem digressus, nautarum de classe, quæ illic stabat, manu se firmaret, quod sicut dixit, etiam fecit.

An. 1574.

Hispa. tumultuantes Antverpiam occupant.

Champignius Hispanos ab irruptione arcere mittitur.

Hoc itaque pacto omnes simul ingressi, ordine se militari disposuerunt Hispani in apricum, quod vrbem & arcem inter medium disiungit, & obsessis omnibus viarum aditibus Commendatori significarunt, si quid cum ipsis agere vellet, propius ne accederet, quam ad S. Georgij cœmiterium. Verùm nihil præter verba & promissiones ex ipso audientes, continuò exclamabant DINEROS, & VVALONES FVORA, id est, da nummos, & VValones vrbe dimoue. Interim vrbs in maximo versatur metu, omnibus periclitantibus, ne vna internecione omnes delerentur, plurimis etiam vrbe fugientibus. Quandoquidem verò isthæc tragœdia inprimis memorabilis, multique similes ab Hispanis tumultus in Belgio concitati accidere, hanc vnam inter cæteras paulò fusius & particularius enarrabimus.

Hispani per arcem intromittuntur ad Antverpiā diripiendam.

Seditiosi Hispani tria circiter millia numero, cum promptam stipendij solutionem à Commendatore non impetrarent, vlterius, acie instructa, in vrbem, pōtem Meranum versus contendunt: horribiles strepitus, sonitus, tumultus tympanorum pulsu & scloporum boatu excitant, crebra vociferatione stipendij solutionem, & VValonum discessum exclamant. Ipse vrbis Gubernator Champignæus, cui maximè insensi erant, iam in nouam vrbem in ædes Hanseaticas Oosterlingorum confugerat, & suppellectilem pretiosiorem è sua domo asportari mandarat: eius autem magnam partem inuadunt seditiosi: ædes, senestras, ostia, magno impetu diruunt, rūpunt, perfringunt, eumq; latronem Viliacū ignominiosissimè prosequantur. Sub vesperam lassi ac famelici, ponte Merano relicto, in forum tendunt, ipsum forum & Basilicam siue Curiam ciuitatis occupāt, passim viginti, duodecim, decē simul in proximiores opulentissimorum ciuium domos, vbi culinam opipare instructam sciebant, irruunt, nulla deliganatoris hospitiorum auctoritate, nulla personarum habita ratione: hic opiparè comessantur. Tota autem nocte ingentem clamorem, rumorem, tumultum, strepitum tympanis, sclopis, edunt, instar Cacodæmonium bacchantur, grassantur per plateas, ostia ciuium furente impetu pulsant, tintinnabula vestibulorum trahunt cōcutiuntque, tanquam ciues omnes trucidaturi, ædesque spoliaturi: ciuibus viris, fœminis, pueris metum pauoremque horridum incutiunt, neque quiescere, neque somnum capere sinunt: vnde & mulieres multæ grauidæ abortum fecere, multæ etiam nimia perturbatione vita excessere: eaq; de causa, postridie cum vrbis portæ paterent, mariti plurimi cum vxoribus, prolibus, familia; facultatibus omnibus relictis, discessere. Eodem hoc vespere Hispani Electum quendam, tanquam principem, ex suorum numero delegerunt: is in vrbis Curia manebat: hic tympanis omnibus complosis edicunt promulgantque Hispanorum dominorum militum nomine, vt Gubernator Champignæus cum suis VValonibus stipendiarijs vrbe exeat, nisi vi expelli velit: edictumque ipsi Gubernatori certo nuntio significant: respondet is, se id nequaquā facturū: verùm, si idem à Requesentio Gubernatore generali iubeatur, consultè deliberaturū. Hac occasione motus Champignæus Gubernator, vigesimo septimo Aprilis die, summo mane milites suos omnes conuocat, pontes aditusque omnes in vrbem nouam vallis, propugnaculis, carris, curribus, faccis, lana fartis, alijsque

Champignæus cum suis militibus cōfugit ad ædes Hanseaticas.

Clamores Hispanorum.

Hispani Electum sibi creant, ex suo-

An. 1574. aliisque rebus obſtruit ac munit: naues præſidiarias rebus neceſſarijs optime inſtructas ſibi ſociat, defenſioni totus incumbit, fretus comprimis auxilio Hamſtedij Archithalaſsi vicarij, & nautarum, qui VValonibus militibus fœdere iuncti hoſtem Hiſpanum inuadere imprimis appetebant, de ciuium ope ac bona voluntate nequaquam dubitantes. Interea Chiapinus Vitellius, & Monſdragonius, tumultuantes Hiſpanos ſedaturi, vltro citroque fruſtra commeant, Hiſpanis *VValones fuerta, fuera villacos* continenter conclamantibus. Tandem Commendator, tumultus (vt quidem videbatur) ſedandi cauſa, Gubernatorem Champignæum cum VValonibus vrbe exire iubet: partet Champignæus cum ſuis Ekeram & VVilmerdonckam cõtendit: mox Hiſpani ſeditioſi portas vrbis omnes occupant, præſidijſque muniunt: Senatui claues adimunt: tumultuantur, diſcurrunt, graſſantur, ſclopis diſplosis tonant: vt miſeros ciues huiuſmodi inſolentijs perterrefactos, ad contribuendas, cogendaſque pecunias in ſtipendij ſolutionem, faciliores promptioreſque reddant: eaque potiſſimum de cauſa tunc temporis in curiam vrbis magiſtratus conuenerat. Hiſpanus quidam Ieſuita vir magnæ auctoritatis, eos concione ſalutari commonere, & quam grauiter deliquiſſent, quot abortuum, tanquam homicidæ, cauſas præbuiſſent, aliaque nefanda patraſſent, proponere incipit: verùm concionem incipienti obſtrepunt: an pecunias habeat quærunt: nihil bonis verbis aut concionibus hic opus eſſe clamant: denique multa vociferatione, & frequenti tympanorum ſonitu, loquentem obtundunt & tacere compellunt. Interea ditiores aliquot ciues in curiam ciuitatis conuocantur, ſinguli cenſentur, horum alij duo, alij tria, alij quatuor florenorum millia, quibus Hiſpanis ſeditioſis ſatisfiat, numerare iubentur: quorum multi probè liberaliterque contribuerunt; tam eccleſiaſtici, quam ſeculares. Poſtea ſignificatur Electo, vt diribitorium, vbi ſtipendium ſuis numeretur, deſignet: iubetque Commendator eos ſuo nomine acriter argui ac obiurgari de nimia inſolentia ac intemperantia: quibus non tantum magiſtratui, ſed & ſuæ auctoritati in primis ſit derogatum: prohibetque ne de nocte huiuſmodi turbas amplius excitent. Reſpondent: poſtulationem querelamque ſtipendij cauſa iuſtam & æquam eſſe: ſtipendio ſoluto omnes ſe obſequentiſsimos offerunt: neque vllos poſt hac tumultus nocte excitaturos pollicentur.

Hiſpanis conciunculus Ieſuita.

Die vigeſimonono in forum omnes ſimul conuocantur: hic Electus vir inprimis induſtrius & eloquens; quantumuis miles tantum gregarius; è Curiæ roſtris egregiam ad ſuos oration nem habet: commemorat vim & iniuriam ciuibus factam, quod hoſpitum cibo & potu contenti non fuerint: hortatur que vt ſe modeſtius poſt hac gerant. Acclamant omnes, iure agendum, & haſtis præpilatis huiuſmodi ſceleſtos obijciendos. Iubetur poſtea, vt ex ſingulis tohor tibus duo deputentur qui cum Marchione Vitellio agant, & poſtulata ſcripto exhibeant. Effectum Id reddunt, & ſtipendia tam defunctorum quam ſuperſtitum ad vnum vſque obolum exigunt. Chiapinus Vitellius decem menſium ſolutionem præſente pecunia, quinque autem laneis, lineis, fericis pannis offert: reliquum mercatores Antverpienſes literis confectis, numeraturos duabus vicibus. Verùm cùm deputatis hæ conditiones minus placerent, ſe ſocijs hæc relaturos reſpondent. Itaque huius rei cauſa in forum omnibus rurſus conuocatis, Electorin Curiæ feneſtram, tanquam in podium, reclinatus, quod Marchio proponat, exponit. Tum horribili vociferatione contra clamant: *Todo todo, dieneros & non palabras*: hoc eſt: Prorſus & omninò: pecunias, non verba. Electus ſilentio indicto, ſcitè admodum & acutè eos reprehendit: omnes ſuæ maieſtati rebelles, & mortem meritos aſſerit: quod regiã vrbem Antverpiam intrarint atque occuparint, non tanquam amici, ſed tãquam hoſtes: vrbis etiam muros & mœnia violarint: præterea Gubernatorem præſidiumq; vrbis à ſua Maieſtate ibidem conſtitutum expulerint: multa enormia facinora, à ſua Maieſtate quanquam inulta relinquenda, patrarint: ſuam nihilominus Maieſtatem ſe humiliter ſubmittere, & conditiones tales offerre, quales & genibus flexis, manibus complicatis accipere & læti debeant Deo gratias agere pro gratia præſtita. Si verò pertinaciter obſtinateque perſeuerent; quouis ſupplicij genere dignos ob rebellionem iure puniendos. Ad hæc palam teſtatur ſe poſt hac nequaquam ipſorum Electum velle eſſe: vi coactum id muneris obire, & tanquam captiuum in Curia detineri ac ſeruari: ſe neq; caput rebellium vocari, neque in rebellium, ſeditioſorum, obſtinatorum fauorem loqui cupere: quod ſi ipſum hoc munere recuſent abſoluere, ſaltem glande traijciant & ilico occidãt, rogat: ſe enim Electi officio nequaquam fungi velle, iterum atque iterum teſtatur. Verùm orator hac ſua concione nihil proficit: loquentem ſeditioſi clamoribus interpellant: primam cantionem *todo, todo todo* ingenti clamore ingeminant iterantque, laſsi tandem raucique multa in noctem vſque vociferatione. Nocte tota inſtar Cacodæmonum diſcurrunt, graſſantur, portas & oſtia multo fragore quatiunt, ædium tintinabula trahunt, rumpunt, ſclopis feneſtras traijciũt: ciues miſeros quàm maximo poſſunt metu perterrefaciunt, contumelijſque afficiũt: *fuera fuera villacos* clamant boantque: alij alios inſtigant: modeſtiores hypocriſeos inſimulant: ſimul facinora patrare cogunt, ne vni magis quam alteri patrata imputentur, ita tamen vt à potentioribus coacti non videantur: ſi quem minus vociferantem aut tumultuãtem vident, hunc

Oratio Electi.

Aſtutia Hiſpanorum.

Digitized by Google

hunc tanquam ſuſpectum, ſimul vociferari, tumultuari, graſſari, pulſare compellunt: vt ſic ſal- An. 1574.
tem generalis fiat excuſatio.

Aprilis vigelima nona die tota, amplius ciuitatis conuentus celebratur: cumque Commendator à ciuibus quater centena florenorum millia præſentem pecuniam exigeret, reliquum autem ſe erogaturum, & vaſa ſua argentea cimeliaq; quæ Bruxella adferri iuſſerat, pignori oppoſiturum diceret; ſumma hæc à ciuibus conquirenda conficiendaq; decernitur, ſingulis aliquid conferentibus, vt hoc modo ab hoſpitibus tam importunis ac inſolentibus tandē liberari quæant, quorum gula (calculo facilè inito) quotidiè pluris quam ſex florenorum millibus conſtabat: cùm nihil nili merum bibere, & recens elixas aſſaſq; carnes edere vellent: opulentiſſimas enim ædes occuparant: ita vt neque Epiſcopus, neque Marchio, neque Conſul, neque Eccleſiaſticus, neque ſeculáris quiſquam opimæ conditionis, immunis aut exemptus fuerit: adeò ædes & culinas bene inſtructas, non alias ſectabantur. Erat autē totius debiti triginta ſex menſium ſumma, mille chiliandes.

Die trigeſimo April. mane, tympani pulſu ſimul omnes in forum conuocātur: hic Electus eos rurſum è feneſtra Curiæ altiore, admodum clementer ac benignè affatur: literas ab ipſis ad ſe ſcriptas è ſinu profert: ad eas reſpondet: continebant autem non tantum poſtulata, verum etiam grauiſſimas minas, & præcipitium è feneſtra, ſi in fauorem partis aduerſæ, vel verbū vllum hiſcat, & non omnia in commodum dominorum milium Hiſpanorum eloquatur. Reſponſio quidem Electi admodum fuit artificioſa ac blanda: verùm parum ſeditioſos permouit: nihil enim aliud quam *Dinero & todo*, hoc eſt, pecuniam eamque omnem exclamant. Tandem venit Santius Auila Arcis Præfectus, is ſe in feneſtra exhibet: rogat ſ. menſium ſtipendij loco contenti eſſe velint laneis, lineis, ſericis mercib. eo pretio quo in tabernis venduntur, æſtimatis, reliquum verò promptis pecunijs ſoluendum. Hæc quidem benignius attentiuſq; audire cœperunt: non tamen omnes: alij autem alios vt ſimul conſentiant, hortantur, Auilæ & Electoris blando ſermone molliti. Si, inquit Electus, veri Hiſpani, & boni obedientesq;ue Regis ſubditi haberi velint, oblatis annuant: qua ratione ſe tam difficiles præbeant, vt Regi rem gratam faciant, quærit: Regi adeo clementi, qui eos tanto tempore ſuſtentarit, ſouerit, chariſſimos fidelisſimoſq;ue ſemper habuerit, omnemque ſpem ſuam in eos collocārit. Hæc pluraque alia cum dixiſſet, tandem vnanimes acclamant, fiat, fiat: ſe his mercibus contentos, Regis gratia, quamquam laneis, lineis aut ſericis nequaquam opus habeant: itaque pactum initur, multis id ægrè ferentibus ac ſtomachantibus. Continuò leſuita quidam Hiſpanus ciſtam inſtitoriam ſub pergula Baſilicæ ciuitatis adſcendit, concionem habet; quàm grauiter peccarint, quantam Hiſpanico nomini ignominiam patratis inſolentijs & violentijs inuſſerint exponit: vt delicta confeſsi, ſacram euchariſtiam ſumant, antequam vrbe exeant, hortatur & iubet: poſtremòrogat, cibo & potu in menſa à ciuibus apponendo contenti ſint. *Hiſpanorum arrogantia.*

Verùm cum 8. Maij Cōmendatoris maioris iuſſu & auctoritate proponeretur, promiſſam plenam ſolutionem, moderatione adhibita, in tempus magis idoneum differēdam: hac re illicò grauiſſimè commoti atq; exagitati, rurſus, vt antè, diſcurrere, tumultuari, vociferari, ſclopis iaculari, tanquam fanatici ac furioſi occipiunt: edictū per totam vrbem promulgant, quo omnes chiliarchos, prætores caſtrenſes, militiæ præfectos (vtpotè qui gregarios milites facilè perti aherent) vrbe intra duas horas, niſi præpilatis haſtis obijci velint, exire iubent. Erant autem imprimis offenſi Iuliano Romero: hoſpitabatur is ea tempeſtate cum decem aut duodecim ſtrategis & præfectis militiæ prope Ianum mediū, quam Burſam vocant, in ædibus Hoſnagli: hunc prouocant, laceſſunt, portā frequentibus ſclopis imperunt: Iulianus vim metuens in ſuperiora domus confugit: poſtquam verò furor reſedit, eum ieiunum cum ſuis vrbe exire permittunt: ſolos Alferos liue ligniferos retinent, cui calculum rationemq; ſubducant: hæc die 8. Maij ſunt acta. Nono autem, tota nocte rurſus tumultuantur: præſidiarij enim Arcis tunc quoque ſeditioſi conſpirarant, & arcis Præfectum claues tradere coegerunt: quin & Electum, & lictorem maiorem elegerant, exemplum ſeditioſorum in vrbe ſequuti. Mane Chiapinus Vitellius arcem verſus tendit turbas compoſiturus: cūm in pontem vſque veniſſet, Electus colloquium petit: Electum Chiapinus in ponte relinquit, & viterius in arcem tendit. Electus conſeſſum à quodam milite Saluctiera nomine, qui ſe Caſtigatorem Flandrorum quoque nominabat, ſclo potraijcitur, & in arcis foſſam præcipitatur: idem quoque lictori maiori euenit: tum reliqui ſibi conſcij ſubterfugiunt: itaque ſeditio in arce ſopitur. *Præſidiarij caſtri Antuer pienſis conſpirant.*

Die vndecimo Maij, cum iam pannos pro ſtipendio quinque menſium reciperent, Commendator impreſſas typis demonſtrationes mittit, quibus declarat, facultates deeſſe, quibus plenè ſatisfacere queat: ipſorum præcipuè culpa; quòd negotiationem & permutationem emporij perturbent atq; impediant: rogat proinde amanter, 8. aut 9. menſium ſolutione contenti acquieſcant: ſe multa adhuc pecunia opus habere, qua æquitatib. ſub Duce Erico Brunſ vicēſi, & alijs qui iam in Regis prouincijs aduenērant, inſuper duab. aut trib. legionib. Heluetiorum

An. 1574. & Italorum ſatisfiat: quin & minas quodam modo addit, modoſque diſidij inter eos ſeminandi quærit: hinc rurſus ſummopere exagitati, multo rudius & violentius quam antea noctę tota tumultuantur: apprehenſum militiæ præfectum Frăciſcum Bodedilleum indignis modis excipiunt: edicto etiam publico mandant poſtulantque Saluatierram, qui arcis Electũ occideret, tradi, vt ſupplicium de eo ſumant. Sub mediam noctem omnes Meram verſus cõtendunt: alij alios ex ædibus pellunt: cum primus Electus tanquam ſuſpectus & Regi nimis addictus, officio dimouetur, & aliuseligitur: quem paulò poſt pro labore atque officijs ignominioſe pœna baſtonadæ ſiue ſuſtuarij mulctarũt. Die 12. Maij, ſummo mane, ex ciſtis inſtitori, ſaltare in foro ante curiam conſtruunt: hic ſacrum celebratur: quo peracto mutuam fidem dant, & Electo obedientiam ſurant: promittunt ſe niſi plena ſatisfactione acquieturos: diligenter excubias vigiliaſq; acturos, & ne dolis præueniantur curaturos: eadem omnes inſigni ſolennitate, multis adhibitis ceremonijs, iurant: & ſcripta curia affigunt: erigunt etiam patibulum quo furta coerceãtur. Quidam eorum par linteaminũ furatus, eaq; de cauſa apprehenſus erat: quærit Electus, ſacro iam finito, qua pœna reus afficiendus eſſet: clamant omnes, ſuſpendio. Tum Electus, crimen ſibi videri leuius, ait: fidiculas (quas ſtroppecordas vocant) ſupplicio ſufficere, acclamãt omnes: fiat. Hæc iuſtitiæ norma ciuibus Antverpienſibus valdè placuit: ea enim factum eſt vt furta raro admodum (quod tamen in huiuſmodi turbis mirum) commiſſa fuerint. Abeo tempore à tumultuationibus grauioribus ceſſatum eſt. Pacantur itaque tãdem partim pecunia præſente, partim arte & ſagacitate. Contulerunt autem ciues præter culinarios ſumptus, quater centena florenorum milliareliquum ſuppleuit Commendator: intenti fuerunt numerandis recipiendiſque ſtipendijs in trigeſimum vſq; Maij, diem nempe pentecoſtes. Vidiſſes mox genus hominum ſuperbiſſimum, pretioſiſimis veſtibus, ſegmentis aureis & argenteis ornatè, ſpecioſè ingredi, ſeque magnificè per plateas oſtentare. Tum omnium delictorum veniam à Cõmendatore generali impetrant: ea in cathedrali templo, ſolenni ſacro confirmata, triũphos in ponte Merano celebrant. Talem hæc Hiſpa. ſeditio exitum habuit. Electus autem & ſeditioſorum præcipui conſiliarij paſsim deprehenſi, pœnas, oportunitate data, dederunt.

Iuſtitiam admiſtrãt Hiſpani ſeditioſi.

Ciuitas Antverpiana confert in Hiſpanorũ ſolutionẽ quater cente naflorenorum millia.

Hiſp. delictorum veniã dat.

Poſtea in Hollandiam mittuntur Hiſpani, Ley dam vrbẽ obſeſſuri. Die ſacro Pentecoſtes interea dum Cõmendator & Hiſpani ſacris ſolennibus & triumphis intenti, pompa & veſtium ſplendore ſeſe oſtentant, Zelandorum præfidiariæ naues in Schaldim vſque cõtendunt: & Fliſſingenſes & Zerickſeani obuiam veniunt. inter Saftingam & Lilloam, vbi Commendatoris naues præfidiariæ tam minores quam maiores triginta plus numero, ſub Adolpho Hamſtedio Archithalaſi vicario, tunc ſtabant tanquam in ſtatione ſatis tura, & ripis, propugnaculis, vallis optimè munita: ſimul omnes bene inſtructæ, & ad Moſæ flumen occupandum, Hollandiamque cum his Hiſpanorum agminibus inuadendam apparatæ. Has Zelandi tempeſtate idonea, & maris fluxu ſecundo aggrediuntur, Bombardis impetunt, harpagonibus affigunt: vndecim præcipuas inuadunt & capiunt. præfidiarios milites & nautas occidunt, ſubmergunt, neque vlli parcunt: reliquas ad quas, refluentibus iam aquis, peruenire non datur, quibuſcunque poſſunt modis obſident, vt proximo maris æſtu eas capiant: interea verò obſeſſi præſidiarij fuga ſibi conſulere tentant, cymbis vecti altiora ſubmerſarum inſularum loca petunt. multi autem ab hoſte mox capti ſubmerguntur, multi fame pereunt, capti aliquot referuantur, plurimi autem occiduntur. Hoc infortunio Hiſpanorum trimphus, pompa, faſtuſque omnis interturbatur: plurimi enim eorum ſplendido admodũ veſtitu inſignes eo ocyus mittuntur, & bellicabullati in luto, limo & paluſtribus arundinetis manere coguntur, vt eos qui hoſtium manus euaſerant, ſeruare; & Zelandicarum nauium curſus, ne propius vrbem Antverpiam accedant, impedire laborent. Zelandi hoc conflictu quindecim nauibus hoſtium potiuntur, quinque violento Bombardarum impetu ſubmergunt, tres flammis conſumunt: centum & duas Bombardas ex metallo, plurimas ex ferro, ipſumque etiam Hamſtedium captum, in Zelandiam auehunt.

Zelandi Hiſp. claſſem inuadunt prope Lilloam.

Hollandiam Septentrionalem inuadere conatæ Cõmendatoris copiæ cadũtur ab agricolis.

Tunc quoque temporis, Commendator Hollandiam Septentrionalem inuadere conabatur, inſtinctu & opera Amſterodamenſium: miſit autem eo circiter duo Germanorum millia, qui ab Egmonda & alijs locis per aggeres iter ingreſſi prope Aſſendelſtum in varios tractus diuerſis turmis diuiſi tendunt, vt agricolarum concurſus & coitiones interturbarent: pauci enim admodum, aut nulli tunc temporis in hac regione milites erant. Veniunt itaque Germani Pormerendam & Vlpendamum: quos agricolæ paſsim impetunt, obruunt, trucidant, & fugientes, vagos, incautos perſequuntur nauigijs longis, ſumma aquarum commoditate. His iuncti circiter nonaginta præmiatores, contis haſtiſque longis inſtructi, & foſſas tranſilire imprimis habiles, hoſtes ſtrenuè perſequuntur, ſexcentos plus minus occidunt, & circiter trecentos Hornam captiuos adducunt.

Vtebantur autem præmiatores, non tantum contis & haſtis, verùm etiam ſcalpellis, quæ cingulo allegata à tergo geſtabant. Vlpendami verò quadringenti, & plures

Germani

Germani occidduntur, & in fossis sepeliuntur: ita vt ex duobus millibus pauci admodum euaserint. Ita hi duo commendatoris conatus in Meridionali & Septentrionali Hollandia infeliciter successerunt Pentecostes ferijs. An. 1574.

Tertium quoque parum feliciter in Hollandia tentauit, Leydamque vrbem obsedere curauit consilio atque opera Francisci Baldesij Tribuni Legionum Lombardorum, VValonum & Germanorum numero circiter octies mille. Venit hic cum exercitu 6. Maij matutino tempore cingunt vrbem, præcipuè ea regione qua Amsterodamum itur: eodem quo ante modo, vallisse muniunt, præterea viginti duo propugnacula construunt, proxime aditus in vrbem, & aquas, vt commeatu obsessis intercluso, famem ciuitati inferant: intellexerant enim à quibusdã, qui vrbe relicta desciuerant, parum ciuibus esse frumenti: quandoquidem magna pars in agros pagosque fuerat auecta: neglecta quoq; annonæ procuratio, partim in instructu eorum qui clam Hispanis fauebant, partim etiam temeraria quadam oppidanorum confidentia, qua hostis vires vili pendebant, neq; eum rediturum existimabant. Quia verò hęc Leydana obsidio 5. mensium inprimis memorabilis, & obsidionis solutio miserabilis fuit; eam, paucis quibusdam hîc præmissis, amplè satis narrabimus.

Rex Hispa. vt nouo Gubernatori & populo Belgico rem gratam faceret, & exactiones postulatas facilius à subditis impetraret, aliam gratiam iuue veniam generalem ex Hollandia in Belgium miserat, datam Madrili octauo Martij, Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, cuius publicatio, ob Hispanorum seditiones protracta & procrastinata, postmodum Bruxellæ fecit. Iunij, mox quoque Antverpiæ è pegmate ante ciuitatis curiam eius rei causa constructo, promulgata fuit: hac remissione Rex condonabat prouincijs, ciuitatibus, contubernijs, collegijs, & singulis suæ Maiestati subditis, quascunque defectiones, rebelliones, rapinas, violentias in Deum, Dei Ecclesiam, & Regiam suam Maiestatem, ab anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, in illum vsque diem commissas: restituebat præterea omnes & singulos bonæ famæ integroque nomini (nonnullis, qui nomine appellarentur, exceptis) iubebatur autem omnibus qui à Romana Catholica religione defecerant, delicta peccataque sincero corde & constanti animo in sinum & obedientiam matris sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ effundere atque deponere, remissionem quoque delictorum, & excommunicationis in quam inciderant, impetrare ab ijs qui huic officio, auctoritate sanctæ Ecclesiæ præficerentur: & postea verum Romanum Catholicam religionem constanter colere atq; obseruare. Ea autem gratia fruerentur non tantum illi, qui tunc temporis sub Regis obedientia degebant, verum etiam qui adhuc hostes inter hostes versabantur: qui nisi intra duos menses post huius gratiæ promulgationem se Regis imperio submitterent, extremum rigorem exspectarent, pœna delictum superante. Absoluebantur quidem omnes & singuli, etiam iure condemnati: verùm bona in Regis vsum iam applicata, confiscata permanebant, nisi reus legitimis testibus probaret se vbiq; & semper catholicè vixisse. Ordines quoque prouinciarum, ciuitates, contubernia, collegia, sodalitates hac gratia donantur, & in integrum restituuntur, ea conditione, vt postea vitam in stituant secundum leges ab ijs, quibus Regio nomine id muneris committeretur, statuendas: quæ ad rationis & necessitatis normam, ius & æquum vnicuique præstent, & suę Maiestatis erga subditos animum & amorem euidenter declarent atq; testentur, &c. Hæc gratia generalis, solennitate ac cautione insignia Commendatore promulgata, parum commodi aut fructus protulit. *Gratia generalis ex Hisp. in Belgii ruinis emittitur Regis nomine*

Conditionet & argumentum gratiæ generalis.

Eodem mense Iunio, Prouinciarum Ordinibus Bruxellam conuocatis, Commendator postulationem pecuniarum bis mille Chiliadum annuatim, præterea centesimum nummum, & alia vrgere non destitit: negantur autem ei hæc postulata: conquerunturque subditi grauiter de stipendiariorum militum petulantijs ac insolentijs: adduntque Prouincijs, post multas easque voluntarias contributiones, commoda nulla, sed incommoda damnaque plurima contigisse: neque vlterius contribuere in Prouincialium esse potestate. Ordinum quoque Proceres, Prouinciarum statum Regi epistolis significari rogant: eumque in Belgio coram videre exoptant. *Ordinum procerum conuocatur exactionis contribuendarum causa.*

Hac æstate classis armata apparatur in Hispanijs, sub Petro de Merendas, qua Hollandia & Zelandia debellentur: Nauarchi Amsterodamenses, Angli, alijque ex varijs Regionibus maximis sumptibus conducuntur, qui classem in Belgium vehant. In Angliam quoque mittuntur D. Sveuichemus, & Boyschotus Consiliarius, vt litem ob bona vtrinq; retenta dirimant: supputationes etiam atq; rationes, de quib. supra diximus, expediant: præterea tutum commeatum, portus omnes Angliæ liberè præternauigandi, à Regina impetrent: qua libertate concessa, D. Sveuichemus multo tempore ad occidentalem Angliæ plagam moratur, classem præstolatur, ei necessaria administraturus: verum frustra: exspectata enim non aduenit: ipse quoq; Petrus de Merendas paulò post vita defungitur, postquam Mosæ occupandæ consilia non successerunt: Interim Zelandi suæ defensioni contra hostes Hispanos prospiciunt. *Classis in Hispanijs apparata frustra exspectatur.*

Digitized by Google

An. 1574. Cum Leyda siue Lugdunum vnà præcipuarú Hollandiæ vrbium, iam secundo, vt diximus, obsideretur, Princeps Auraicus decem Anglorú cohortes, sub Chiliarcho Eduardo Chestero, præsidiarias ciuitati destinat, vtque frumenti & annonæ rationem habeant, ciues monet: conqueriturque quod suo consilio minus ob-dientes, frumenti copiam non habeãt: nihilominus tuis rebus prudenter consulant, fuæque defensioni prospiciant hortatur, & tres saltem menses obsidioni resistant, interea se suppetias laturum: mendicos quoque & ciuitati inutiles, missos faciant. Angli autem quos in vrbis præsidium destinatos diximus, propugnacula cataractæ Gaudanæ, munimentumque Alphense semimiliari ab oppido situm custodiebant: per quæ loca hostes vltraiecto venientes transire debebant: qui cum cataractam Goudanam oppugnarẽt, strenuè à Stratego Sainsforto repelluntur: verum pedites ab Hispanis equitibus vi & verberibus compulsi adactique ad expugnandum locum, non destiterunt obsessos maximo impetu inuadere: donec Angli fugientes propugnaculum relinquerent. Alphenses quoque suã munitione exeunt, & socijs succurrere properant: sed serò: fugantur itaque præsidiarij, sed non sine Hispanorum clade. Quinque verò aliæ Anglorum cohortes suum quoque propugnaculum, nondum prorsus absolutum, parumque ab omni parte firmum, hostem nequaquam exspectare ausi, relinquunt: hos Hispani aggrediuntur: cumque Leydenses, leui quidem prælio diù veliterati, neminem autem cadere aut occumbere prospicerent, dolum persidiamque suspicantur: velitatione finita, Angli propius vrbem veniũt: Strategus cum aliquot præfectis intromittitur: initur in ciuitate consilium, vt si hostis potentior eos inuadat, ocyus sub portam Haghensem, vbi præcipua tormentorum bellicorum vis stabat, confugiant: si autem signum militare è porta tolli videant, mox ad latus alterum deflectant: ciues enim tormenta omnia protinus in hostem explosuros. Verùm id consilij Anglicis agminibus nequaquam placuit: simul ac enim rem omnem à suis legatis intellexerunt, statim signis erectis se ad hostes, defectione facta, contulerunt: à quibus, pacto inito, blandè quidem & honorificè principio excipiuntur: verùm paulò pòst ab equitum turmis cincti iubentur fomites funaliaque ignita extinguere, & postridie arma deponere: mox optimis vestibus cimelijsque spoliantur. Circiter triginta duo, inter quos Strategus Cromvvelus & alij militum præfecti Belgæ & Angli, in oppidum consugiunt, & ab oppidanis intromittuntur. Multi postquam socios tam crudeliter ab hoste excipi vident, euadere meditantur, & in altas desiliunt fossas, in quibus miseri submerguntur. Nonnullos Hispani seruant, & fossorum & cunicularium munus obire cogunt: paucis permittitur mendicata stipe per Flandriam in Angliam redire. Cùm euentu tam infausto nullos ciuitas Leydana haberet præsidiarios milites: ciues colliguntur, & mercede ad militiam conducuntur sub Strategis D. Ioanne Duynenuordæo, D. Ioanne Douza Nortvvikę domino, Andrea Schoto, Bartholomęo Hauiko, Nicolao Theodoro Montfortensi, & alijs. Magistratus & Nobiles, cum D. Theodoro Bronckhorsto Commissario consilia ineũt de munitione vrbis & annona: numerantur in tota vrbe centum & decem plus minus mensuræ siue lastæ frumenti; &, inutili grege dimisso, quatuordecim hominum millia: designatur vnicuique in duos proximos menses quotidie semilibra panis: constituuntur leges de pomis & fructibus, de lacte non vendẽdo, nisi butyro priùs inde coacto. Erant in vrbe pecora plusquam septingenta, ea singulis diebus extra vrbem in pascua dimittebantur, audito bombardarum sonitu aut classici cantu, ocyus in vrbem consugere assueta. Alebantur in stabulis equi circiter nonaginta. Certatur frequenter leuibus prælijs, quibus Hispani sæpe ex suis munimentis & aggeribus, ciuium summa alacritate & strenuitate pelluntur. Constituerat Baldesius extremam famem ciuitati inferre. A Baldesio, à Comite Rocheo Ferdinando Lanoyo, nouitio Hollandiæ Gubernatore, à D. Liquesio Harlemi Gubernatore, & aliquot ciuibus qui vrbem reliquerant, obsesi multis epistolis solicitantur, maxima clementia & gratia, libertate; ab omni præsidiariorum onere promittitur: summa Regis potentia plurimum extollitur, ciuium autem & Principis Auraici, omniumque fœderatorum prorsus deprimitur: multum quoque gloriæ & laudis, infamiæ verò aut dedecoris prorsus nihil percepturos ciues, si vrbem dedant: maximè quod præsidiarios milites nullos habeant. Hæc aliaque multa, non sine summa eloquentia, perfuadendi ratione, largaque pollicitatione ab hoste proponuntur. Obsesi aliquando pura charta, in qua nihil aliud descriptum, quàm *Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.* aliquando acribus acutisque verbis respondent. Die verò vigesimosecundo stant in mœnibus, & altis vocibus hostium exercitui acclamant: Vos famem, extremam ciuitati inferre molimini: vrbem nullo modo obsidione liberari posse existimatis: nos canum & feliũ edones vocatis, verùm longe erratis, nullus nobis cibus deerit quamdiu canes latrantes & vaccas mugientes in vrbe audieritis, quod si tandem nimia famæ annonæque penuria vexari nos contingat, habemus quisque sinistrum brachium, eum edemus, dextrum autem seruabimus, eo tyrannos sanguinariumq; gregem à nostra vrbe propellere conabimur. Si verò Deus nostris delictis offensus, nos in vestras manus incidere permittat, à cuius singulari bonitate aliud exspectamus & speramus: nequaquã tamen à sancte

Obsidio Leydæ siue Lugd. Batauorum.

Propugnaculo cataractæ Goudanæ Angli expelluntur.

Anglici cohortes Anglica ad hostem defciunt prope Leydam.

Ciuitatis in vrbe Leyda.

Leydenses epistolis ad deditionem solicitantur.

Eximia & masculæ Leydensium responsio.

Dei

Dei verbo deflẽctemus, neq; patriæ libertatem defendere desistemus: quin potiùs nos ipsi nostram vrbem incendio delebimus, quàm vobis eam vsui esse, & nos in seruitutem redigi patiamur. Sic demum præstare mori, quàm vestram sanguinariam crudelitatem in corpora & conscientias vllo modo tolerare. Ad hæc ciuium vxores confidenter maritos animarunt: affirmabant plerique, satius esse domi fame perire, quam potestati tyrannorum se dedere: exempla crudelitatis recentia Nardæ, Zutphaniæ, Machliniæ, Harlemi, altis mentibus reposita manere. An. 1574.

Ne verò rei numariæ aliqua esset difficultas, chartacea moneta 28. & 14. stuferorum, in priore obsidione cusa, vtuntur: quam ab obsidione liberati in argenteam mutarunt, cum inscriptione vnius lateris. *Hæc libertatis ergo.* & alterius: *Deus seruet Leydam*: alios præterea nomus signarunt literis quibusdam compendiarijs hac significatione. *Numus obsessæ vrbis Lugduni sub gubernatione illustris. principis Auraici cusus.* *Chartacea moneta Leydæ.*

Interea dum obsessi valde soliciti frequentissime ad Principem Auraicum & Proceres Ordinum scriptis epistolis (quas per occulta viarum tabellarij deferebant) subsidium postularét: decernunt Procerum Ordines (sicut & ante iussum fuerat) omne fœnum, stramen, frumentum in vrbes conuehendum: paratò damno fata & agros inundari posse, vt hac ratione Leydenses obsessis succurrerentur. & protinciarum prompta voluntas, atque non contemnenda potentia demonstretur. Præterire enim terrarum inundatione damnum fexcentorum milium florenorum pati, quàm patriæ libertatē & Dei verbum amittere: potius corrumpēdos, quam prorsus amittendos agros: omnes itaque vnanimiter consentiunt, cataractas aperiendas, aggeres Mosæ & Ysalæ perfodiendos, agros inundandos, & maris fluxum atque refluxum in firmam aridamque terram permittendum: vt sic nauigijs Leydam vsque perueniatur, & obsessi liberari queant. *Egregium & firmè decretū Hollandorum de liberanda Leyda, inundationibus.*

Huius rei causa constituuntur delegati, ijsque plena potestas datur cataractas omnes aperiendi, & aggeres multis locis perfodiendi. Aduocantur ex Zelādia Admiralius V Valachrię, Ludouicus Boysotus Buarti Dominus, & Adrianus V Vilhelmus Zirickseæ Admiralius. Hi cum octingentis nautis veniunt, fuisque nauibus aduehunt plusquam centena fusilia ænea multa ferrea, plurimaque minora tormenta. Prope Roterdamum alijsque locis ducentæ plus minus nauiculæ planis carinis, instar nauium actuariarum erant apparatæ, quæ decem, duodecim, quatuordecim, fedecim tonnis quaque parte remigabantur: harum vnaquæque duo tormenta ænea maiora, à parte anteriore: & sex minora, à lateribus; insuper & quæ multa alia bellica instrumenta vehebant: his nauiculis impositi nautæ Zelandi, genus hominum rude, agreste & formidabile, vulneribus, characteribus & incisuris insigne, alij altero pede, alij altera manu inutili, varijs naumachijs in Zelandia lasciue delitati, nihilominus tamen ad nauales pugnas officiaq; nautica aptissimi: conceperant hi mente duo inprimis studia, nempe patriæ libertatem detendere, & Pontificis atque Inquisitionis tyrannidem auertere: nonnulli in pileis lunas dimidias argenteas gestabant, cum inscriptione: Potius Turcici quam Papistici: qua significabant, Papam non tantum corpus, sed & conscientiam vexare; promissaque minus quam Turcam seruare. *Descriptio classiariorum & equitatus Zelandorum.*

Hocagmine & apparatu instructi Archirhalasij, ex vrbe Delphensi nauigant cum Barone Noyellesio, D. Carnesseo & Bocharto, Gardeo, Duranto, Catenillio, Ladeyero, Creyto, Grenubultramo, Ciradello, Herrio & alijs tribunis & centurionibus eorumq; cohortibus: hos comitantur Cornelius Nicolaus, Admirali, Elisingensis vicarius, & Iustus Morus, & Philippus Asselierius armamentarij tribunus: præterea Commissarij siue delegati Ordinum M. Petrus V Vastelus Consul Machliniensis, M. Cornelius Brunckhorstius, M. Henricus Duystus, & alij. Aduectę ingentes naues frumentariæ, ijsq; impositæ tormenta muralia, solidis firmisq; plancis; quas veteribus retibus madefactis stiparant munita. Erat & operis structura quædam insignis, Arca Delphensis vocata: nauis nempè è nauibus duabus simul iunctis compacta, quæ neque velis, neque remis, sed intra constructis rotis, quas duodecim viri torquebant, promouebatur: vndique clausa, & contra bombardæ minoris impetum satis munita: suprà stabant aliquot tormenta bellica maiora: poterantque hac machina, tanquam propugnaculo, quinquaginta nautæ prælidiarij, quocunque tuto commeare, & hostium oppugnationi resistere. Hoc apparatu versus aggerem limitaneum, à Rota flumine primò nauigant; propugnaculisq; occupato constructis, aggerem perfodiunt, atque inde Soetemeram petunt. Hispanos qui leuibus prælijs eos aggrediebantur, bombardis vtrimque impetunt, & terga dare cogunt. Hic nauta quidam, Hispani cor è corpore exscissum, dentibus firmis auidisque momordit, morsumq; in terram proiecit: vt eleganter sequentibus versibus descripsit Janus Dousa, ciuitatis procurator. *Strategi missi ad liberandam obsidionem Leydam.*

Lugdunum cingit Batauorum miles Iberus,
A Batauo contra, cingitur ille mari.

Digitized by Google

An. 1574.

Non opus eſt gladijs, ferroq; rigentibus armis,
Solo pro Batauo, belligerantur aquæ.
Iactūr am pecoris, Batauus quam fecit & agri:
Humano decies ſanguine Ibere lues.
Mercator ſapiens tamen haud mercabitur vna,
Hiſpani generis corpora mille, bonè
Macra caro eſt, nuper cum cor guſtaſſet Iberi,
Reſpuit, & canibus nauta vorare dedit.
Deſeruere agros Batani, & Naſſouius heros,
Nullos enim fixos, abſtulit hoſtis agros.
Inuenit ratio ſine ſanguine pellere longè,
Hoſtiles q; manus, Heſperiumq; iugum.
Tolle metus, Hiſpanus fuge, & ne reſpice terras,
Pro quibus Oceanus pugnat, & ipſe Deus.

Cumque autem pons Soetmeranus tranſeundus eſſet, vbi circiter triginta Hiſpanorum cohortes vallis probè munitæ, ſtationes agebant, eos maioribus tormentis abigere conantur, ſed fruſtra: cùm magna nauis frumentaria prægrandium tormentorum violento impetu dirumpertur: magnam nihilominus hoſti cladē intulerunt: perierūt hic præfecti Catenillus & Guilereſſeus, & ſeptem ſtipendiarij, cymba inuerſa ſubmerſi. Cùm verò Caurus ventus ab occaſu æſtiuo 18.19. & 20. Decembr. ſuo flatu aquas auxiſſet, iamq; V Vaſterlus Conſul eximia ſua induſtria perſpexiſſet nequaquam opus eſſe ſub pontem tranſire, ſed inter Soetermeram & Benthuſas per viam Seghvvartenſem patere, mox tacitè cum 50. nauibus actuarijs, & 70. militibus ſtipendiarijs eo tendit Archithalaſsi vicario cum reliquis in obſidione ante pōtem relicto: hinc metu perculſa Germanorum ſuperiorū agmina Benthuſæ præſidiaria, propugnaculis relictis, Soetemerā confugiunt: Ladrierus Tribunus cum 50. ſtipendiarijs relicta propugnacula ſtatim occupat. Creytus quoq; militum præfectus cum arca Delphenſi & tribus cohortib. eadem via in Soetermeram venit. Admiralijatūt vlterius Benthuſam circiter miliare vnum nauibus tendunt, & leuibus præliis in ipſo itinere cum hoſtibus, qui munitas domos & propugnacula relinquebant, decertabant: & in latius æquor Svvytam verſus veniunt, ſeq; ampliſsimè ſuis nauibus tam actuarijs quā alijs expandunt, ſpectandoſq; Leydenſibus præbent: tum maiora tormenta explodunt: idem quoq; faciunt Leydenſes, qui 7. proximè tranſactis diebus nihil prorſus de ijs audire aut percipere potuerant: alacres nihilominos ſtrenuoſq; ſe præbebant, quanquam alimenti nihil præter carnes vaccinas & equinas ſupereſſet, pane omni prorſus abſumpto. A die 14. Sept. diſtributa fuit ſingulis huiuſmodi carnium macilentiſsimarum felibra: plurimi ſeptem hebdomatibus nihil omnino panis guſtarant: tantaq; fuit ſames & penuria, vt canes, feles, mures delicias reputarent: mirandas famelicorum cocturas referre longum eſſet: quidam pampinos & vitium folia cum ſale & amylo edebant: multæ ex arborum & fruticum ſolijs & frondibus deliciæ: diuerſa ex pyrorum ſolijs fercula: radices & braſsicarū caules lacti aquato intriti, tergora exuuiæq; pecorum, victus fuit communis: nobiles dominæ catellos ſuos Meliteos edebant: cortices, putamina, piſcium cutis ex fimetis corraſa auidiſsimè deuorabantur: ex oſsibus vaccarum, equorum, canum, aqua coctis alimentum ſuccumq; eliciebant atque exſugebant famelici: puerpera quadrante libræ panis biſcocti ſingulis diebus victitabat, fœtu propemodum in matris vtero inedia perēunte. Vendebatur libra butyri 15. ſtuferis, radix edulis ſtufero, canis braſsicæ ſemiſtufero pomum aut pyrum totidem. Licitabatur ſaccus tritici centum florenis. Tolerabilior autem erat potus difficultas: menſura enim cereuiſiæ ex auenæ ſiliquis coctę, areolo ſiue quatuor minutis vendebatur: quidam domi potulentū liquorem ex ſiliquis ſiue glumis grani decocti, ex abſynthio, ruta, & lupo ſalictario parabant: nonnulli aquam aceto mixtam bibebant.

Maxima fames Leyde.

Peſtis & mors Leyde.

Ad hæc penuriæ mala acceſsit quoque peſtis, & morbus ex nimia fame contractus: hinc obſidionis tempore ſex hominum millia exſtincta: ciues fame exhauſti, debiles, ægri vigilias agebant: inde domum redeuntes ſæpè vxorem & proles morte abſumptas inuenerunt. Fœminæ aliquot nobiles, olim delicatæ ac voluptuoſæ, dira fame exſtinctæ. Mortuus quidam in platea inuentus, rigidus atque erectus ad Conſulis ianuam collocatur: vt hoc exemplo monitus Conſul miſeris ſuccurrere curet. Macilentæ genæ, cadaueroſæ facies, & nutantia genua, ſummæ miſeriæ manifeſtiſsima ſigna edebant.

Murmura & ſubæ Leyde.

Ex hac tanta inopia, turbæ, murmura & diſſidia in ciuitate etiam oriuntur: verùm ijs qua potuit diligentia, occurrit Bronckhorſtus Commiſſarius, maledicorumque ora, ſæueritate ac rigore

rigore obtuerunt: eo autem mortuo, plurimi, potiſsimum religioni Romanæ addicti, audentius obloqui, turbaſq; excitare cœperunt: quorum conatibus eximiâ prudentiâ ac prouidentiâ D. Iacobus, & D. Iohannes Dooſthanus, alijque conſtantes vrbis præfecti, Conſules & Senatores, maturè reſtiterunt. Cumque die quodam quindecim ciues nomine trecentorum aliorum, vt dicebant, in Baſilicam ciuitatis veniſſent, cibumque poſtulaſſent, quorum etiam partes fouere alter conſulum videbatur, cùm palam teſtificaretur, ſe nequaquam mortis ciuium occaſionem præbere velle, dicti vrbis præfecti, æquis rationibus ac cauſis propoſitis eoſdem placidè pacarunt. Detecta quoque fuere clancularia quædam conſilia, quibus vi & armis magiſtratum cogere meditabantur, vt oblatas ab Hiſpano veniæ ac remiſſionis conditiones acciperent & comprobarent: verùm cum huiuſmodi multa ſæpius molirentur, magiſtratus à muliere quadam ſingulis vicibus præmonitus, maturè, antequam aliquid exſequi poſſent, parata ſemper arma habuit. Horum nonnulli Conſulem Petrum Adrianum adire auſi, ei penuriam extremam periculaque maxima, non ſine grauiſſimis quærelis & minis exponunt, vt eum ad incundum cum Hiſpan. pactum inducant: ille autem breuiter & aptè admodum reſpondit, ſe tidem quam ſuraurarat, ſeruare velle, Deo fauente: ſi quid commodi ex ſua morte ſe comparaturos exiſtimaret, perinde ſibi eſſe, ab ipſis an ab hoſtibus interficiatur: cùm ſemel moriendum ſit: ſe iuſtè ac bonæ fuæ cauſſæ conſidere: diſcindant lacerentque, ſi velint, ſuum corpus, illudq; inter ſe partiantur, dummodo prodeſſe ac ſufficere queat. Hoc reſponſo à Conſule accepto pudefacti diſcedunt.

An. 1574.

Fidem ſeruare ſuam, ſe conſtituit.

Hic ciuitatis Leydanæ, antequam ab obſidione liberaretur, ſtatus fuit. Cumq; tandem poſtremæ carnes eſſent diſtributæ; Princeps Auraicus certior factus, ſimulac ex morbo conualuit, in caſtra venit: placuit ei ordo atq; apparatus. Verum deficiebant adhuc aquæ: vix enim vltra nouem pollicum menſuram vndæ terras texerant: cùm naues actuariæ ſeptemdecim aut octodecim pollicum altitudinem requirerent: & Boreas aquas ab aggeribus ſuo flatu auertebat vſque ad vigeſimum octauum diem Septembris. Conſtituit itaque Auraicus modum, altam viam, quam templi viam vocant, qua nauigari non poterat, perfodiendi: ſi verò proximus maris æſtus ſatis aquarum non ſuppediteret, aliud ineundum eſſe conſilium, nempe vt triginta aut quadraginta cymbis tacitè panis aduehatur in vrbem: qua in re Grenuus præfectus operam ſuam vltro lubenſq; ſe ſtatim obtulit. Scibant quidem certò, inundationes plurimas hy emis aduentu fore: verùm vlterius exſpectare nequaquam ſinebat ciuitatis neceſsitas atque egeſtas extrema. Mox hæc conſilia Leydenſibus (nuncia columba quam poſtremi nuncij ex vrbe portarant) ſignificantur: præmonenturque vt ſibi caueant, ne hoſtes, commeatum initar amicorum aduehendo, vrbem doloſè inuadant. Hoc nuncio allato, non parum recreantur obſeſsi: maximè autem cùm Caurus ventus fluctum æſtuarium promouere inciperet, quem tanquam Dei angelū, ſuæq; libertatis nuncium reputabant: cùm quoque paulò poſt Africus aquas abundanter per agros Leydam verſus ſumma vi impelleret, quanquam Hiſpani flumina multis locis obſtruxiſſent. Admirallius ſimulac aquam antea vix nouem pollices altam, ad viginti octo pollices hoc marino æſtu excreuiſſe videt, conſilio habito, ſuadet per viam illam altam quæ in templum ducit, vlterius naugandum: quod ſi aquæ nonnihil deficiant, decem aut duodecim viri robuſti ex quáque naui excant, eam leuent, totiſque viribus promoueant. Approbato hoc conſilio, Admirallius vterque, ſecunda die Octobris, cum viginti quinque nauibus actuarijs velificat: Hiſiingenſis Boyhus cum Centurione Gardeo ſiniſtrum latus Sœtervvoudam verſus tenet: Zirickleanus autem cum Citadello, Bultramo, Paulo, Durantio, alijſque dextrum. Vicarius rerum maritimarum, cum Noyelleſo, Carneſo, Boucharto, Herrio, Gremio, alijſque præfectis Svvitam verſus vergit: Machinarum autem Cómiſſarius cum nouem aut decem nauibus actuarijs Northæ manet, & rei machinariæ commeatuſque curam habet. Archithalaſſi nocte media, ad templi viam cum cymbis circiter viginti, quibus ingens foſſorum & cuniculariorum numerus vehebatur, veniunt: ſuoſq; hoſtes vtrinq; vallis munitos propellunt: ipſi relicta propugnacula inuadunt, valliſq; fortioribus muniunt, murices quoq;, vt hoſti reditum oppugnationemque impediant, frequentes ſpargunt. Hac templi via potiti, eam duobus aut tribus locis perfodiunt, tranſitumq; apparant, per quem plus quam centum naues commeatu onuſtas traducunt: duæ autem errore viæ in hoſtium manus incidunt. Atque hæc quidem omnia ſtrenuè & intrepidè agunt, hoſtibus procul non ſine magno metu conſpicientibus: neq; in hoc actu tam periculoſo amplius quam quinque aut ſex perierunt. Cùm verò vlterius Meysbruggam verſus remigantes in frequentibus hærerent vadis, nautæ naues humeris portant. Interea multi nauibus vlterius vectibombardarum impetu ſtrenuè Sœtervvoudam oppugnant, & domus aliquot incendunt. Poſtquam verò Hiſpani è munitionibus quas multas hic habebant, naues actuarias matutino tempore appropinquare, & vndas pedis menſura accreuiſſe vident, perterriti ſpem omnem abijciunt. Valdeſius cum ſuis mox omnes Sœtervvoudæ munitiones atque

Veniſ liberat de Leyde nunci, & inſtrumenta.

Baldrenius Hiſp. ſuc.

Digitized by Google

An. 1574. aggeres relinquit, festinanterque tormentis bellicis relictis aufugit: Alonsus Lopes Gallius cum septem cohortibus subsequitur: & Voorschootæ viam quam ante altiorem fecerât, simul properantes ineunt. Hæc fuga quia tardius Admiralijs nunciata fuit, factum vt paucæ naues actuariæ in tempore venerint, & hostibus viam præcluserint: verùntur in fugam Valdesij milites, quos nautæ Zelandi, nauibus relictis, vadisque transcursis, acriter longis & rubiginosis pugionibus inuadunt, circiter ducentos occidunt & submergunt: impedimenta, vina, commeatum, & reliqua à fugientibus hostibus relicta capiunt.

terwoudam relinquit.

Summæ difficultates in liberâda Leyda ob propugnaculum Lammeum.

Admiralij per Soetervvoudam maiora tormenta bellica in Papenmeyram vehi curant, quibus vastum propugnaculum Lammeum oppugnetur, quod, cùm per alia loca altiora tractus non pateret; formidabile admodum erat, vtpotè ad aquas Delphenses situm, forte, atque optimè munitum gerris, sepimentis, loricis, tormentis bellicis & militibus præsidiarijs, difficillimè superandum aut transeundum sine dira clade. Significant quidem Principi Auraico has omnes difficultates: addunt nihilominus conflitutum esse, propugnaculum istud postridiè duobus tormentis maioribus concutere, ad alteram canalis siue aluei partem; non sine magno periculo: eo quod Hispani ex Lâmeno propugnaculo, & alio quodam non longe disiito, horrendum in modum tormentis tonarent, & septem viros vna iaculatione simul interemissent: declarant præterea Auraico, etiam si muri ingentè ruinam suis machinis faciant, difficillimum tamen fore introitû, cum tam exiguo militû numero: periculum nihilominus intrepidè sacturos: & si expugnatio non succedat, æquo id laturos animo, donec aquæ abundantius alluant, & tam per agros planos, quam per canales nauigari queat.

Baldeſ. & ſui metu pericuſi, propugnacula relinquunt.

In tantis difficultatibus ac periculis mirum in modum Leydensium ciuitati fauit Deus; & hostium corda adeo perturbauit, vt cum oppugnationis apparatum solummodo prospicerêt, 5. Non. Octob. nocte ingens firmumq; illud propugnaculum Lammenum, nimio metu perculsi reliquerint, tormentaque bellica in fossas abiecerint: idem quoq; alij qui Leyderdorpam & vicina propugnacula custodiebant, aduenientibus nequaquam resistere ausi, fecerunt.

Leydenses, ad quos Cal. Octob. scriptum & missum, per columbam nunciam, erat epistolium, quo breuibus significabatur, vt eruptionem in hostem ex vrbe facerent, id postridie sero admodum acceperant: hinc factû, vt Admiralij cum nihil perciperent, vrbem hosti deditâ existimarint: verùm postridie saluam adhuc vident, postquam ciues magnanimitatis fiduciæq; indicia signis suis militaribus erectis edere conspiciunt: erant enim obsessi summopere exhilarati cum Soetervvoudam cõflagrare cernerent: promulgantq; statim edictum, vt fœminę & pueri procul à mœnibus absint, viri oés armipotentes armati ad suas excubias veniant, naues & cymbæ omnes à canalibus vehantur. Primores atq; præfecti vehementer ciues verbis animantes; Post hoc propugnaculû, inquiunt, est panis: quid vobis videtur, eumné inde auferemus, an fame moriemur? acclamant omnes, potius velle propugnaculû manibus, vnguibus, dentib. diffringere ac cõminuere, acclamam fame perire. Die Oct. 3. mane percipiunt propugnaculum Lammenum ab hoste relictum, indicante id puero quodam, qui nocte animaduerterat, hostes funes igniarios gestantes, eadem simul via abire, neq; reuerti: proinde exoriête die petit puer exeûdi & visendi veniam, dimissumq; sequitur, ciuium iussu, vir conto siue venabulo lógo munitus: puer propius relictum propugnaculum accedens, signû edit pileo: verùm ciues rem ita esse nequaquam credunt, donec virû cum venabulo quoq; propugnaculum præterire cernunt, idq; Admiralijs primò nunciât. Mox Admiralius Leydens. Gerardus Lænus cum ijs, quib. præerat, præmiatorib us ex vrbe Lâmenum versus tendit, & ad duas naues actuarias explorandi itineris causa missas venit. Tum via instrumentis, quæ in promptu erant aperta, Boysotus Archithalassus propius vrbis portas venit 3. Octob. die, matutino tempore circa horam octauam, cum prima acie: paulò pòst sequitur Archithalassus Zirickæus cum postrema. Spectaculum profectò fuit & miran dum, & miserandum, postquam Archithalassi aduentantes, panes & haleces ex nauibus vndiq; populo promerent, videre ciues famelicos auiditate quasi insatiabili ita haleces crudas deuorare, vt plurimi inde in morbis graues inciderint, & languentes interierint.

Leyda liberata.

Archithalassi autem simul ac in vrbem venerunt, cum stipendiarijs & ciuibus ædem sacram adeunt, & omnipotenti Deo, qui mare in continentem immiserat, corde atque animo gratias simul agunt: absque vlla etiam mora Principi Auriaco, qui tum Delphi serat, mirabile hoc Dei Opt. Max. opus literis significant: Princeps post prandium hora secunda in concione sacra literas accipit, quæ longe aliud, quam quod eodem die ante prandium intellexerat, nunciabant. Finita autem concione, iubet à concionatore epistolam publicè legi, & Deo hîc gratias à populo agi: idem quoque mox in omnibus alijs ciuitatibus & templis præstatur: quin & paulò pòst lætitiæ summæ signa festis ignibus, æramentorum sonitu, & bombardarum tonitru vbique eduntur. Archithalassi postquam ciuitati commeatum suppeditarunt, ocius victoriam prosequuntur, fugientesque hostes vbicunque locorum possunt persequuntur. Baldeüus eodem die cum suo exercitu discedit, propugnacula omnia, tugurijs, centorijs non inensis,

Deo gratiæ agunt ac ſumma religione pro liberatione Leydæ.

incensis, relinquit. Naues actuariæ Amsterodamensium, quæ ab altera vrbis parte erant, statim etiam fugâ capiunt, & propugnacula Cagæ & Oudevvaterę, Goudanam quoq; cataractam, aliaque munimenta numero viginti duo deserunt, suorum in hac obsidione circiter mille, aliorum verò qui Archithalassis militabant, non vltra quadraginta desideratis. An. 1574.

Miraculum insigne, Deique summi opus euidentissimum in Leydanæ vrbis liberatione visum est: eadem enim nocte qua hostes vastum illud propugnaculum Lammenæ deseruerãt, pars muri vrbis cum sepimento inter Coportam & Burgondicam turrim in viginti fex decempedarum latitudinem corruit, ingentemque aperturam vltro fecit: quod quidem si nocte secunda præterita euenisset, qua hostis (licut à virgine quadam sacra oppidanis significatum erat) mœnia scandere tentarat: profectò de totius ciuitatis salute actum fuisset: ter maximus autem ille, qui omnia regit, Deus, ciuitati suam virtutem ac gratiam hac vice manifestè satis ostendit: nam id quod ad vrbis perniciem vergere videbatur, hostes maximo metu exanimes protelauit, vtpotè qui ruinæ impetum fragoremque audientes, oppidanos erumpere atque in ipsos impetum facere existimarent. *Pars muri vrbis corruit, vnde hostes perterrefacti.*

Aliud præterea memoratu dignum restat, nempe, postridiè, quarto scilicet Octobris Euronotum incepisse flare, postea autem Boream valido impetu aquas ex agris propulisse, suoq; officio in Hollandiæ commodum probè functum fuisse.

Auraicus postridiè Leydam venit, ciuibus, quod adeò strenuè, fideliter atque constanter, absque vlla extranea eorum militum ope, in obsidione tam arcta se gesserint, immortales gratias agit, ordinemque rerum posthac gerendarum constituit. Decernitur vt circumiecta vicinaq; oppida, pauperibus atque egenis Leydæ ciuibus, qui longo tempore nihil lucrati, omnia sua consumpserãt, eleemosynas contribuerent: huius rei causa delegati aliquot viri inprimis probi ac fideles curribus & nauibus ciuitates circumeunt: atque in vna vrbe Delphensi, carnis, casei, butyri, lardi, argenti, duorum dierum spatio, ingentem copiam, mille florenorũ pretium excedentem colliguut: vnde quidem inter ciuitates amicitia vehementer coaluit. Ciues Leydenses & Ordines Hollandiæ, Archithalassos & Strategos aureis torquibus, aureisq; numis, quibus rei gestæ memoria continebatur, honorificè donarunt. *Eleemosynæ pauperibus Leydenſibus collatæ.*

Interea dum Leyda obsidebatur, Commendator alium exercitum prope Bomelam, Gorcomium & Louesteynum habuit, quo aliquid præstari posse sperabat, sed frustra: erant enim hic loca omnia optimè munita: & Balfourus Chiliarcha septem Schotorum cohortes non procul inde dispsuerat, vt hostium conatibus tam vi armata, quam aggerũ demolitione resistere possent. Hispani autem VVorcomiam è regione Gorcomij, vltra Mosam, tormentis concusserunt: erant hic in præsidijs quinque militum cohortes, quibus tandem significabatur, vt si locum minus munitum defendere non possent, discederent: quod non sine graui periculo & damno fecerunt, desideratis suorum circiter centum quinquaginta.

Marchio Chiapinus Vitellius, cum quindecim Germanorum, & aliquot Hispanorum cohortibus, Leerdamum Comitis Burani oppidulum obsidione cingit, oppugnauit, & vndecim horis, maioribus tormentis duodecim mœnia verberauit, atque arcis propugnaculum euertit: ita vt duæ cohortes præsidiariæ, illud dedere circa Iulij initium coactæ fuerint, ea conditione, vt cum armis exirent: postea quoque Hueckela, Aspera & Liefueldo potitus est: tum VVorckendami propugnaculum vnum, alterum è regione, ab altera Mosæ parte, prope Gorcomium construxit: catena vltra Mosam tensa, transitum vltra Bomelam & Mosam clausit: verùm Auraici milites breui propugnaculum vtrumque cœperunt, & cathenam Dordracum euexerunt. *Leerdamũ capitur.*

Paulò pòst Hispani vrbem Delphensem dolo capere meditantur, quorundam qui in ea erant, arcano fauore: verùm illi ipsi quos fautores existimabant, exitium eius moliebantur, iamque cuniculos & machinas igneas apparauerant, quibus aduenientes exciperent: cùm autem portarum claues mox in promptu non essent, & pons subductilis, difficulter admodum demitti posset, impedimentaque alia occurrerent, Hispani dolum sentientes abeunt: abeuntes ipsi Delphenses tormentis sclopisque serò nimis, petunt.

Duodecimo die Decembris sexaginta & amplius naues præsidiariæ militibus refertæ versus vrbem Antverpiam tendunt ex Zelandia cum Archithalasso Zierickseano, & propugnaculum quod Ordammæ Hispani habebant, audenter præterlegunt, quàm proxime vrbem accedunt, intra teli iactum. Videbantur hi aliquid consilij clàm iniisse cum aliquot equitibus & peditibus Ghertrudebergensibus contra ipsam vrbem, in quo complures arcanè federatos habebant: verùm ciues & præsidiarij à captiuo quodam centurione Schoto, vt quidam existimabant, præmoniti, contra hostium insidias sese munierunt: quare intellecta, Zelandi, dispositis aliquot in vrbem bombardis discesserunt. *Zelandi ſtatim Antverpiam capere machinantur.*

Postquam Baldeus cum suis ab obsidione Leydana destitit, & Hagam versus iter instituit, à suis agminibus vituperari opprobriisque impeti cœpit: quibus cum aliquot mensiũ stipendia deberentur, *Baldeo militum ſedi-*

Digitized by Google

An. 1574. deberentur, ex ſuis Electum, nomine Ioannem Blancum, præfecti loco conſtituũt, Baldeſiũ captum detinent, Strategoſque propellunt: ab Electo ſcribi ad Gubernatorem generalem,

Eo ſtipendij cauſa.

Commendatorem, literas curant, quibus debiti ſtipendij ſolutionem intra decem dies poſtulant: alioqui ſolutionem aliundè quæſituros, & facilè nacturos, atque eadem, qua ſocijantea Antverpiæ, arte vſuros. Poſtquam autem intra decem dies ipſorum petitioni ſatisfactũ non fuit, ocyſimè ex locis Moſæ vicinis, Stuyſa, Leytſeno, Damo, Voorſchotena, Valckenburgo, & alijs, tam peditum quam equitum circiter ſeptem millia, præcipuè Hiſpani, coëunt, & ex Suytlandia verſus Harlemum & Amſterodamum profecti, cum harum vrbiũ portas ſibi clauſas viderent, inde ad vrbem Vltraiectenſem octauo Decembris veniunt, hic ſolutionem certam fore ſperantes: ſed breuiſ. D. Hiergio, Floyono, & ab ipſo Baldeſio, Regiæ Maieſtati rebelles proclamantur, coſque tanquam hoſtes, vbique locorum impunè occidere plebi permittitur. cui quidem operi cum Vltraiectenſes ſe admodum faciles præberent: vehementer commoti Hiſpani, ſtramen, picem, ligna & puluerem bombardicum, portæ V Vertanæ incendendę admouent: hinc ciues ſubitò erumpunt, ſeditioſos propellunt, & circiter quinquaginta interficiunt. Die 17. Decemb. ſummo mane ante ſolis ortum, Electi Ioannis Blanci opera ac ſtrenuitate, conantur portam D. Catharinæ ſcalis inuadere: iamque nonnulli porta potiti quoſdam excubitores trucidarant: mox ciues accurrunt, eoſdemque ſumma alacritate expellunt. Electus Iohan. Blancus, qui ſe in vrbẽ, etiã vitæ ſuæ periculo intraturũ iurarat, poſtquã ſtrenuè pugnando ſuas partes egerat, interficitur à ciuibus, qui tanto feruore Hiſp. impetere pergebãt, vt arcis Vrdeborgæ præſidiarij Hiſpani, laborantibus ſuccumbentibuſque ſuis conteraneis aliquid ſaltem auxilij præſtare cupientes, conſultiſſimum reputarent exploſis tormentis maioribus ciues deterrere: ita tandem ciues deſiſtere coguntur: cæſis circiter 200. Hiſpanis: Hiſpani quoque partim pacati diſcedunt.

Seditioſi militeſ Traiectellum vrbem mutare moliuntur.

An. 1574. inſigne rerum mutarum euentus.

Eodem anno 1574. dum hæc in Belgio aguntur, obijt Imperator Turcarum Selimanus: obijt Galliarum Rex Carolus nonus, cuius frater Henricus Poloniæ regnum, ne regni Gallicani coronam amitteret, reliquit, & in Gallias properauit. Mortui quoque Dux Florentiæ Coſmus Medices, & Gudebaldus Dux Vrbinatum.

Turcarũ Imperator, non ignarus belli in Belgio Turcicarũ regnũ aggrediũtur.

Veneti poſtquam vident ſe ſolos ab Hiſpanis & Italis propugnaculi loco Turcis opponi, parumque auxilij à fœderatis præſtari: cõſtituunt pacem aliquo pacto comparare: quam Turca facilè permiſit: hinc enim ſe commoditatem maiorem ſuperandæ Africæ ſiue Barbariæ ſperabat: eiuſque potiſſimum rei cauſa inducias cum Cæſare Maximiliano pepigerat: non ignarus, Hiſpanum feruenti admodum zelo & obſtinato, ac crudeli animo in Belgio bellũ gerere: rem omnem probè eductus à ſuis exploratoribus, qui Bergas, Harlemum, Middelburgum, Leydam, aliaque oppida cum obſidente exercitu, picta ei tranſmiſerant, vt liquido ſatis patuit ex epiſtolis quibuſdam interceptis, eorum potiſſimum opera ſcriptis, quibus mandatum erat, Auriacum quibuſcunque modis eo pertrahere, vt auxilium à Turcis peteret. Turcarum Imperator cui orbis Chriſtiani ſtatus optimè erat cognitus, cùm nequaquam dubitaret, quin Hiſpani furioſa obſtinatione contra Belgarum populum ſæuire perſeuerarent, atque eo bello prorſus intenti, ſuo conatui minus reſiſterent: ſtatuit regnum Tunetanũ inuadere: inde commodius cum ſuis triremibus Italiam, Hiſpaniam & inſulas hoſtiles oppugnaturus: inſtruit itaq; 160. triremes ſub Ochyalio Architalaſſo, Apoſtata Chriſtiano, Italo: præterea naues prægrandes triginta, maximis militum agminibus munitas, quibus præerat Synan Baſſa: hi ſimul in Africam ſiue Barbariam veniunt, & regnum Tunetanum oppugnant, quod tunc temporis Regis nomine gubernabat Gabriel Serbellio, vir rei militaris peritiſſimus, qui etiã cum Duce Albano in Belgium profectus, arcis Antverpienſis aliarumque formas deſignarat: idem inter oppidum Thunetum & propugnaculum Goletanũ, fortiſſimo optimoq; opere caſtrũ conſtruxerat, quo Turcis facilimè reſiſti poſſe ſperabat, donec ſuppetiæ auxiliaque à Rege, & à D. Ioanne Auſtriaco, qui eius rei cauſa tunc in Italia erat, ſuppeditarentur. Verùm Synan Baſſcha ſimul acad litus appulit, vndique vicinos Mauros, qui religionis & aliarum rerum cauſa Turcis erant addicti, colligit: eorumque auxilio vrbem Tunetam ſexdecim tormentis bellicis labefactatam expugnat: deinde ipſam etiam arcem, quam Serbellio, vt reliqua propugnacula defendere facilius poſſet, reliquerat, inuadit: tum Goletæ fortiſſimum munimentum, cui quidam Petrus Carrera Hiſpanus pręerat, obſidione cingit, tormentis ſexaginta continenter quatit, &, quamuis ipſe Serbellio tribus vicibus bis mille auxiliares milites miſiſſet, Turca tamen inſigne Golettæ propugnaculum capit, præſidiarioſque omnes, exceptis circiter duodecim, trucidat. Interea Serbellio in Hiſpaniam & Italiam ad D. Ioannem Auſtriacum ſcripti ſepiſtolis, ſubſidium petit. Auſtriacus ſe cum ſuo exercitu mari committere non auſus, vtpote Ochialli ſtationes metuens, auxilium ab Italiæ Principibus rogat. Reſpondent Italiæ Principes, ſe nihil in hoc contra Turcas bellum contribuere poſſe: quandoquidem quilque infeſta Turcarum arma timeat, eaque potiſſimum de cauſa ſibi pecunias & milites ferueat.

Thunetũ. Goletæ propugnacũlũ, reliquumque regni à Turca capitur intra 36. dies.

Hinc

Hinc Serbellio in nouo, munito, vaſtoque ſuo propugnaculo inops relinquitur, tantummodo præſidiarijs 1500. munitus, quorum ope, vt potuit, hoſtium violentiæ reſtitit: verùm vallis, ſepimentis, aggeribuſque omnibus tormentorum vi dirutis, Turcæ propugnaculum inuadunt, omneſque ad internecionem crudeliſſimè cedunt: Serbellionem viuũ barba raptant, & cum ſuorum circiter quatuordecim, captum, Conſtantinopolim mittunt. Turcæ toto regno Tunetano & alijs munitionibus, propugnaculis, arcibus, intra dies triginta ſex, Iunio & Iulio menſibus potiti, Goletam, & vaſtum illud propugnaculum diruunt ſoloque æquant: ipſumque portum tantummodo in nauium defenſionem ac ſecuritatem muniunt. Ita Philip. Hiſp. Rex inſigne hoc regnum amiſit, quod pater Carolus ſumma cum laude ſuperarat, Turciſque eripuerat, eoſque capto, Italiam, Hiſpaniam inſulaſq; multas munierat, ſecuraſque à Turcarum inuationibus reddiderat, qui nunc toti ferè mediterraneo mari dominantur: quam ob rem Rex Hiſp. tandem inducias à Turca petere coactus eſt. Hæc calamitas in primis Hiſpanorum nimiæ Belgas vlciſcendi libidini imputatur, vtpotè quibus pecunias & milites ad Belgas debel landos potius mittere, quam Tunetano regno prouidere opemque ferre, placuit. Gubernatores, Regis nomine, in Italia, vtpotè D. Ioannes Auſtriacus Regis frater, Dux Cæſanus, & Cardinalis Granuellanus Neapolis Gubernator, cuius inuidia hoſtiliſque conatus in Belgicas prouincias ſemper vehemens fuit; hujus iacturæ perditionisque culpam vnus in alium transferebant: imprimis autem Auſtriacus Cardinali id imputabat, vtpotè ſuæ Gubernationis locis omnium proximo. Paſquillus autem Italorum omnium nomine hanc canit cantiunculam: *Lagotta del Duca di Ceſa, la paletta di Don Iuan, & la bragetta del Cardinal, hanno perſo Thunis, & la Goletta.* hoc eſt, Podagra Ducis Cęſani, ſphæriſterium ſiue negligentia D. Ioannis, & ſubligar ſiue libido Cardinali-, Tunetum & Goletum perdiderunt. Turca hac, quam ſuæ potentiæ adſcribebat, victoria confidentior, dum vlterius orbem Chriſtianorum magno apparatu inuadere meditatur, in morbum incidit, mortemque obijt: eo autem mortuo magna mox rerum facta eſt viciſſitudo. An. 1574.

Tempore Leydenſis obſidionis, & ante, mentio frequens facta eſt componendæ pacis: præcipuè autem hac de re egerunt D. Noircarmeſus, Traiecti decumbens ex vulnere in obſidione Harlemenſi accepto, & D. Aldegundus captiuus, qui mandatis acceptis, de hoc negotio ad principem Auriacum ſcripſit. Poſt prælium autem Mockerheydæ commiſſum, Commendator maior detrahi Maieſtati Regiæ ratus, ſi Rex pacem cum ſuis ſubditis & rebellibus tractaret; ſupplicibus libellis agi debere exiſtimauit. Decimoquarto Iunij D. Champigneus vrbis Antverpiæ Gubernator, ad Ludouicum Boyſotum Zelandiæ Gubernatorem ſcribit, & per veterem amicitiam obteſtatur, negotium ſerio agere velit: hic in Hollandia id effecit, vt Aldegundus ad Auriacum mitteretur, & de captiuorum permutatione & pace ineunda ageret. Ordinumque Hollandiæ & Zelandiæ ſententias audiret: cumque literæ ad Champigneum ab Ordinibus miſſæ, formam minus illi placentem cõtinerent; Aldegondus vlterius inſtitit apud Hollandiæ & Zelandiæ Ordines, vt ſupplici libello rem omnem declarantes, poſtularent: idque præſtiterunt nomine Ordinis equeſtris, nobilium & ciuitatum Hollandiæ & Zelandiæ, atque fœderatorum, vtpotè Bomelæ & Buræ: Ordinum aut religionis nulla peculiare facta mentione: & Duce Albano grauiter accuſato, formula debita rogarunt, vt ſua Maieſtas extraneos Prouincijs valde nociuos, & inimicos abire iubeat, atq; Ordinum generalium Belgij conſilio, rerum omnium ordinem conſtituat, ſe ijs quæ conſtituerentur ſubmiſſuros. Hic libellus Montforti oppido Hollandiæ ab Aldegondo, Champigneo fuit traditus. Champigneus autem poſtea 13. Auguſti Antverpia ad Doctorem Iunium Veræ Gubernatorem ſcribit, libellum hunc ſupplicem quam remittebat, curiæ parum fore gratum, quod vt Rex arma deponat, poſtularet, & milites Regi militaturos, ab Ordinum Proceribus pro ipſorum libitu colligendos, præſcriberet. Ad ſingulos autem huius epiſtolæ articulos reſpondit Iunius: fuerunt-que omnia hæc typis edita atque promulgata. Poſtea autem menſe Octobr. Aldegondus ſuæ libertati ex captiuitate reſtitutus, negotium, ope quorundam aliorum eo vſque promouit, vt Doctor Leoninus cum literis aſſertorijs ad Principem Auriacum, pacificationis formulã conſecturus fuerit miſſus: præterea locus, dies, delegatique viri conſtituti; potiſſimum ſedula continuaque opera Cæſaris Maximiliani Herois pacis amantiſſimi, qui vt à Rege pax impetrari poſſet, ſeduló inſtitit: atque Comitem Guntherum Swartzenburgum, & Comitem Hoghenloium intercedendi cauſa in Belgium legauit: qui cum vltro citroque ſæpius commeaſſent, id tandem præſtiterunt, vt Martij menſis initio, Bredæ, Brabantiæ oppido, comparuerint à Com

Principia pacificationis in eunde inoppido Bredano.

Cæſar Max. pacificationi ſtudet.

Delegati vtrinq; ad pacem conficiendam Bredæ.

mendatore generali Belgij Gubernatore delegati Comes Rochius ex nobili Lanoy orum familia, D. Ratinghemus, Arnoldus Sasboutus præſes, Carolus Sufius, D. Elbertus Leoninus, &c. à Principe Auriaco, Ordine equeſtri, Nobilibus & Ciuitatibus Hollandiæ & Zelandiæ, atque fœderatis, nempe Bomela & Bura, (obſidibus ſecuritatis ergo datis) D. Iacobus Doeſtenus, D. Aldegondus, D. Carolus Boyſotus, D. Arnoldus Dorpius, Ioannes Iunius. M. Paulus Buſius, Leydenſis

Digitized by Google

An. 1576. Leydensis ciuitatis synoicus, & Nieueltus Dordracensis oppidi prætor, &c. Cum hi 2. Martij
de 1576. conuenissent, & vtrinq; quanto desiderio pacem exoptarent, expoſuiſſent; iamq; Hol-
landi, Zelandi, eorumque fœderati inſiſterent, vt ad ea quæ de extraneorum diſceſſu, & Ordi-
num generalium commentu ac concilio poſtularant propoſuerantque, reſponderent: interro
garum hic Regis nomine fuit, quos extraneos reputarent, & quos Ordines generales nomina-
rent: reſpondent declarantq;, eos reputari extraneos, qui intra ſeptendecim Belgij Prouincias
nati non ſint, Ordineſque generales cenſeri ac nominari talem Ordinum conuentum, qualis
Caroli quinti Imperatoris tempore, cum filio Philippo Regi Belgicas Prouincias reſignaret,
conuocatus fuit.

Die autem decimo quarto Martij, Regis delegati & ore & ſcripto ſummatim exponunt, du-
rum valde ipſis videri, milites Hiſpanos qui Regis, non minus quam Belgæ, ſint ſubditi, & Re-
gi eiuſq; maioribus ſemper fuerint officioſiſsimi, præcipuè obſequijs in Belgio præſtitis, extra-
neos reputari. Regem quidem, pacificatione planè peracta, nequaquam conſtituiſſe Hiſpanos
in Belgio diutius quã neceſsitas ſit poſtulatura, relinquere: iniquum proinde atq; indecens pror
ſus eſſe, ſuam Maieſtatem vlterius aut ſolicitare aut vrgere: quandoquidem id ad ſuæ Maieſta-
tis diminutionem, quam ſeruari velle teſtati fuerant, vergat. Quod verò ad concilia Ordinum-
que conuentum attinet, ſuæ Maieſtati placere, vt rebus omnibus ſedatis atque pacatis, Ordines
conuocentur ac conſulantur in negotijs, quæ ad Ordinum cognitionem ſpectant, quæque ipſis
præſentibus tractari ſolent: verùm ad ipſorum arbitria nequaquam ea eſſe referenda, quæ à
ſumma iuriſdictione, voluntate, & diſpoſitione ſuæ Maieſtatis dependent, de quibus ſua Maie-
ſtas aut ſui Vicarij conſulere poterunt concilia ad id inſtituta, nempe Prouinciarum, & Sena-
tuum atque Magiſtratuum ciuitatum Belgicarum, cùm neceſsitas poſtulabit. Cùm verò Ordi-
num conſuetus difficilis ſit atque incertus, & longum tempus poſtulet, neque, antequam arma
ſint depoſita, celebrari queat, Rex, vt facilius ad pacem perueniatur, Hollandis, Zelandis & alijs
omnium priuilegiorum, legum & conſuetudinum reſtitutionem, ſicut antè fuerunt, dummo-
do in ijs aliquid ſit mutatum, offert: præterea omnium hac tempeſtate perpetratorum facinorũ
veniam & obliuionem, atq; contumaciarum, ſententiarum, iudiciorum, exſiliorum, confiſca-
tionum aliorumq; id genus actorum abolitionem pollicetur.

*Articuli rati-
ficationis à re
gestandis
& Zelandis
propoſiti.*

Bona vtrinq; erepta, quæ adhuc exſtabunt, talia, qualia erunt, dominis ſiue hæredibus reſti-
tuentur.

Captiui omnes vtrinque abſque redemptionis pretio liberi demittentur, tam Comes Boſ-
ſuyus, quàm alij quicunque: quæ autem ſoluta ſiue numerata erunt, ytra, ſoluta manebunt.

Princeps Auraicus, Equites, Nobiles & Ciuitates, quaſcunque prouincias, vrbes arces & mu-
nitiones, naues, machinas bellicas, & alia omnia ſuæ Maieſtati adempta reſtituent. Et quicunq;
hac belli tempeſtate ædes, fundos, facultates, reditus Eccleſiaſticorum inuaſerunt, omnia quæ
adhuc exſtabunt, in eorundem vſum reſtituent, abſq; vlla fraude.

Rex planè vult vt Religio Catholica Romana generaliter in omnibus ſuis Prouincijs, li-
berè & ſecurè, abſque vllo impedimento aut obſtaculo ſeruetur atque exerceatur, non aliter
atque eo tempore, quo in Prouincijs inauguratus, & iuramento confirmatus fuit: ſicut & tunc
temporis, & nuper etiam Ordines ſe & manere & mori in eadem Religione velle, liquidò teſta-
ti ſunt.

Iis verò qui poſthac, vt antè, Catholicè viuere nolent, Regia Maieſtas permittit, ſemel tan-
tum, hac nempe vice, vt extra Prouincias Belgicas abeant, & ea quæ habent bona, vendant,
idque intra tempus conſtitutum ſiat: interea verò nullum ſuæ Religionis exercitium, aut ſcan-
dalum faciant.

Quod ad ſecuritatem ſiue cautionem attinet; quamquam ſuæ Maieſtatis verbum, & literæ
aſſertoriæ cautionis cauſſa mittendæ ſufficere deberent: ſi tamen his contenti non ſint, quam
præterea velint ſecuritatem cautionemque habere ſignificent, vt de ea Regis nomine delibe-
retur.

Delegati alterius partis, ſcripto à Principe Auraico, Comite Culenbergio, Ottone Egmon-
dano, & alijs Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ deputatis, ac ſocijs, Ordinum ritu conuocatis,
ſubnotato, in hæc verba, vigeſimo ſecundo Martij, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuage-
ſimo quinto reſpondent.

*Reſponſio Or
dinum Hollan
die & Zelan
die.*

Se in poſtulationibus perſiſtere, nempe vt extranei, ob enormem crudelitatem, proteruiam
ac improbitatem in Belgio perpetratam, diſcedant: ſatis ſuperque compenſata iam eſſe Regi ab
ipſis præſtita officia, cùm iam diuites & pecuniosi ſint factiſ: illud idem ob occaſiones multo mi-
nores anno 1569. in conuentu Ordinum Gandaui habito, poſtulatum, impetratum, peractum
que fuiſſe. Se neutiquam negare, Hiſpanos alioſque ſubditos eſſe Regis Hiſpaniarum; non au-
tem Ducis Brabantiæ, aut Comitis Flandriæ, Hollandiæ, aut alicuius prouinciæ Belgicæ contra
quas nimis inhumaniter atq; crudeliter ſe geſſerant: cùm primo aduentu, Belgis ſimul omnibus

hæreſeos

hæreſeos & rebellionis crimen obiecerint: vt liquido patet, tum ex Hiſpanicis libellis cum ipſius Regis gratia & priuilegio impreſsis, palam editis ac diuulgatis: tum etiam ex epiſtolis & inſtigationibus magni Commendatoris, & cuiuſdam Ioannis diſonæ, ad ſuam Maieſtatem ſcriptis, quibus vbique propalatum fuit, Belgicas Regiones & prouincialium facultates Hiſpanis à Rege datas eſſe: quo quidem prætextu quoduis violentiar ũ & facinorum genus perpetrarunt: ſicut Gandauũ, Tornacum, Antwerpia, Machlinia, Lira, Buſcumducis, Dauentria, Vltraiectũ, Roterodamum, & aliæ ciuitates, in quibus hoſpitati fuére, euidenter teſtantur: ita vt iam Belgæ maiorum ſuorum augurio vera eſſe ſentiant, quibus prædictum fuit, Belgicas regiones tandem affinitates & neceſsitudines cum Hiſpanis initas, miſerè deploraturas. Quiſquis autem huiuſmodi Hiſpanos, qui oppida, caſtra, prædia, bonaq; Belgij inuadunt, coemunt, ſuaq; vendicant, vlterius in prouincijs ferendos aut retinendos cenſet, is profectò nihil aliud quàm ſubditorum animos à Rege auertere machinatur: ijs autem auerſis, nullus Princeps ſuos, niſi ſumma cura, anxietate, & tyrannide quadam regere poteſt; mutuo amore ſtudioque vtring; prorſus ademptis: quod vt quam longiſsimè abſit à ſua Maieſtate, faxit Deus: cùm ſuæ Maieſtatis authoritati, nomini ac indoli prorſus ſit contrarium. An. 1559

Quòd ſi Hiſpanorum officia & commoda Regiæ Maieſtati ſuiſq; maioribus in defendendis Belgarũ prouincijs præſtita, cum damnis & incommodis ſuæ Maieſt. & prouincijs ab ijſdem varie illatis, conferantur: manifeſtiſsimum profectò fore, Hiſpanos plus damni quàm vtilitatis attuliſſe: neque illorum operas aut officia vllo modo conferenda cum fideliſsimis obſequijs officijſq; in commodum atq; amplitudinem ſuæ Maieſtatis à Belgicis clientibus & prouincialibus ſedulò exhibitis: vtpote qui grauia inprimis diutinaque bella contra Gallos ſuſtinuerint, vt ipſorum ope Hiſpanus Medionali, Neapolis, aliorumque dominiorum poſſeſsionem retinere poſſet. Liquidò omnibus conſtare Belgarum viros nobiles, atque alios prouinciarum indigenas victorijs, ſuæ Maieſtatis nomine, prope Quintini fanum, Grauelingam, aliiſque locis ſedulam comprimis operam adhibuiſſe, vitam & fortunas periculis expoſuiſſe, animamq; effudiſſe. Carolo etiam V. ſuæ Maieſt. patri operas fideliter præbuiſſe, in quicuſcunq; expeditionib. propè Algeriam, in Africa, Italia, & aliis Regionibus longinquis: Attamen Hiſpanos anno 1520. viris nobilibus & prouincialibus Belgicis noluiſſe aliquam in Hiſp. adminiſtrationem permittere: cùm tamen multo ciuilius, humaniùs & modeſtiùs ibi ſe gererent, quam Hiſpani in Belgio. *Obſequia à Belgarum populo ſuis Principibus præſtita.*

Hollandos quidem & Zelandos neceſsitate vrgente, ſuiq; defendendi cauſa extrancos milites, Gallos, Anglos, Scotos, Germanos, recepiſſe: receptos verò nulli ſe adminiſtrationi aut præfecturæ immiſcuiſſe. Germanos autem nullo modo tanquam extraneos reputari debere: quandoquidem prouinciæ Belgicæ ſemper Imperij Comitatus ſint habitæ: conſtituiſſe nihilominus & hos & extraneos quoſcunq; dimittere, vbi viderint eorum auxilio non amplius opus fore.

Quod verò proponitur, Regiam Maieſt. Hiſpanos in Belgio non diutius quàm neceſsitas exigat, & prouinciales ſerant, retinere decreuiſſe, id vt ſua Maieſt. præſtare velit, obteſtantur, vtq; eò quibuſcumq; modis flectatur, inprimis ſtudent atque optant.

Verùm quòd ſua Maieſt. videatur velle differre conuentum Ordinum generallum, donec omnia ſint pacata, atque eoſdem velle conſcribere & redigere intra certos limites, fruſtra id fore: Ordines enim generales, quamdiu Hiſpani in Belgicis regionibus arma & gubernacula retinebunt, haud facilè ſimul conuenturos ex traditæ formula: præſcripto: quandoquidem hinc liquidò pateat machinatio, quæ ad Ordinum conuentum, poteſtatem & officium reſtringendũ apparatur: cùm hæc ſe tã late debeant extendere, atq; prouinciarum communia negotia ſaluſq; poſtulant, quandoquidè penes ipſos horũ præcipua ſit cognitio atq; experientia, proinde ex huiuſmodi ſcriptõ nihil aliud poſſe colligi, quam aduerſarios clàm atq; tectè moliri prouinciarũ & Ordinum priuilegia, & auctoritatem ſucceſſu temporis diminuere, vt nempe tantummodo illis vtantur in exactionum & ſubſidiorum conſenſu ac permiſſione, tanquam ad Id obligatis: quod ſi facere recuſent, vi cogant, & obedire compellant ſuæ Maieſt. expreſſo mandato: ad normam conſilij ac ſcripti D. Franciſci Dalanæ, qui olim ex Gallijs ad Dominam Parmenſem ſcripſit, prouinciarum proceres è medio tolli, Ordineſq; & prouinciales depauperari debere: quod & nuper Dux Albanus facere incepit, idemq; nũc adhuc callidè agitatur atq; procuratur opera ac inſtinctu illorũ, qui nunc gubernacula tenent: qui cum timeant ne celebri debitoq; Ordinũ conuentu iniqua gubernatio, ambitio, auaritia reliquaq; vitia detegantur atq; arguantur, Regis amplitudinẽ honoremq; prætendunt: cùm tamen hæc omnia à prouinciarũ ſalute dependeant. *Libertas & officium Ordinum generalium.*

Reliquos quidem articulos, ſi eis interpretatio neceſsaria addatur, aliquo modo tolerandos eſſe. Verum exactè perpenſa reſtrictione & conditione de tradendis prouincijs, vrbibus, & munitis locis Hollandiæ & Zelandiæ, ſimul etiam nauibus, machinis bellicis, & alio omni apparatu, videri profectò hic fallaciam intendi fabulæ de bello inter lupos & oues, quæ incautæ canes defenſores ſibi que inprimis auxiliares, lupis tradidere.

Principem Auraicum & Ordines iniquè atque immeritò tanquam rebelles & Regiæ Maieſtatis

An. 1575. ieſtatis hoſtes haberi: cum eiuſdem auctoritati neq; nocuerint, neque detraxerint: quin potius magno Regis cómodo prouincias, vrbes, prouinctalium vitam & fortunas, vxores & proles ab Albani hoſtium q; reliquorum tyrannide defenderint: pateriq; hoſtes expellere multo labore multaq; difficultate conati fuerint, idque palam ſemper declararint: neq; vllo pacto aut arma contra Regiam Maieſtatem ſumpſerint, aut ſe à ſua Maieſtate auerterint, alienarint, aut eidem repugnarint: ſed eiuſdem maieſtatis nomine, vnà cum alijs prouincijs fœdus inierint, initumq; ne ſeruauerint, nunquam verò animũ habuerint, aut ſecularium, aut Eccleſiaſticorũ hoſtium bona eripiendi aut detinendi: quod cum conditionibus ſiue articulis dictis inſeratur, nihil hinc boni colligendum videri: maximè cùm ex reliquis conditionibus, potiſsimum de con ſeruanda religione Romana, aut patria prorſus relinquenda, appareat, ipſorum religionem hæreſim iudicari, & ipſos tanquam hæreticos haberi, quamuis nullam aliam præter Catholicam Apoſtolicam religionem, ſacris Euangelijs prorſus conſonam, amplectantur, eidemq; firmi ac conſtantes adhæreant, neque aliud quàm inſignes manifeſtoſq; errores Deo odioſos reijciant: vt ſic Deo quæ Dei, & Regi quæ Regis ſunt, reddantur.

Proinde liberè atq; ingenuè fateri, nullo modo conſultũ videri, oblatos articulos cum conditionibus atq; reſtrictionib. huiuſmodi approbare: oẽs iam ſatis edoctos eſſe exemplis Comitum Egmondani & Hornani, præterea D. Montigni & aliorum: ſatis quoq; perſpectas eſſe cre bras ſecuri ratum promiſſarum, & fidei datæ iuratæque præuaricationes & violationes.

Nullo etiam modo poſſe fieri, vt tanta hominũ reformatæ Euangelicæ religioni addictorũ multitudo, prouincias exeat, & patriã charam relinquat. Innumeros profectò eoſdemq; probos & ſuæ Maieſtati in primis fideles ſubditos, non ſine maxima ſuarũ fortunarum iactura (quas neutiquam abſq; grauiſsimo damno, etiamſi emptores ſufficiant vendere poſſent) errabundos in peregrinas abigere regiones, multo fore durius & inclementius, quam 3. aut 4. Hiſpa. millia, (quorũ maxima pars iam acquiſitis in Belgio opibus referta) in Hiſpaniã mittere: quandoquidem prouincialium abitus maximam populi raritatem, & opificij atq; nauigationi marinæ ingens dãnum detrimentumque ſit illatura: hinc autem potiſsimum ſalutem proſperitatemque totius Belgij dependere. Notiſsimũ enim eſſe, olim, exilio ac fuga prouincialium, ob ſæuiſsima decreta horrendaſque exſequutiones gliſcente, artificia opificiaque præcipua ex Belgio in alias regiones fuiſſe tranſlata, non ſine magna obſequiorũ & vectigalium ſuæ Maieſtatis diminutione. Quod verò conditionibus de facultatũ venditione additum ſit: hac vice tantum, neq; vltrius hinc ſatis intelligi, aduerſarios decretorũ & inquiſitionis cauſa religionis exſequutionem iterum meditari: vnde profectò & nouæ in prouincijs turbę orientur, & tãdem magna coronæ pars Regiæ Maieſtati adimetur. Proinde Principem Auraicum, Ordines & Ciuitates cupere, vt hæc declaratio ac præmonitio æqui boniq; conſulatur, vtpotè ex bono zelo erga Regiam Maieſtatem & prouincias profecta: rogare etiam Deum Opt. Max. vt Regi & Delegatis aliud conſilium, iudiciumq; inſpiret.

Seuiſſimè decreuit contra reformatos, opificia & artificia ex Belgio in alias regiones tranſlata.

Regii Delegatorum reſponſio.

Ad hęc ſcripta, Regis Delegati 1. Apr. 1575. ſcripto quoq; reſpondent, & ſcriptum præcedẽs carpunt, tanquã nimis rigidum ac durũ in illos cum quibus pacificè eſſet agendũ. Addunt præterea, Regem poſtulata impleturum, & Hiſpanos, pacatis tranſactis, negotijs omnibus, dimiſſurum: modo Hollandi & Zelandi extraneos ſuos milites quoq; miſſos faciant. Improbant inſuper negantq; Hollandiam & Zelandiã Comitatus Imperij vllo modo reputari. Dicut etiam, excuſationis cauſa veriſimile nequaquam videri, Cõmendatorem maiorem, ea quę dicta fuére ſcripſiſſe. Admittunt quoque ſecundum poſtulationis articulum, nempe, confecta pace, Ordinum generalẽ couentum. Quod verò ad tradendos ciuitates, arces, munitiones, naues & machinas bellicas attinet, dicũt ſe ſumoperè mirari, quorſum fabula de lupis & ouibus adducta vergat: quandoquidem huiuſmodi traditio non exigeretur, niſi certa firmaq; cautione prius oblata: cuius nullam prorſus mentionem fecerant: offerruntq; præter verbũ Regis, quod vnicum ſufficere merito deberet, ſufficientem cautionem ac ſecuritatem; qualiacunque etiã proponerent aut peterent: aſſeruntq; ipſos prouinciarũ Ordines ſingulatim ſeparatimque conuentioni & Regis promiſsioni ſuam auctoritatem interpoſituros, & magno ſigillo ſignaturos: præterea ſi neceſſe ſit, vt promiſſa à Cæſ. Maieſt. & alijs Principib. conſanguineis confirmẽtur, curaturos.

In religione verò, Regiam Maieſt. ne apicem quidem aut iota concedere velle: verùm ijs qui diſcedere volent, permittere ſpatium ſex menſium; dummodo interea ſe modeſtè & abſq; offendiculo gerant; quo facultates ſuas quanticunque poſsint, vendant: præterea etiam 8. aut 9. annorum tempus, quo ſuis bonis fruantur, dũmodo ea Catholicis Rom. adminiſtranda tradãt atque cõmittant. Regem certè populi diſceſſum ſumopere dolere: verùm quod ſi alijs accommodare nolint, id nequaquam Regi, ſed ipſiſmet imputandum eſſe. Abitum aũt liberum hac tantum vice, neque vlterius, permitti certis de cauſis: ne poſt hac occaſio detur amplius religionem mutãdi, turbas & offendicula inter ciues excitandi, atq; ipſi iuſtitiæ hoc modo illudendi.

Regem nequaquam dubitare, ſi extranei concionatores & conſiſtoriorũ ſiue ſynodorum

collegæ

collegæ & alij nonnulli, qui turbis concitatis, prætextu quodam ademptionis priuilegiorũ, has nouitates primi introduxerũt, reſipiſcant, aut ex prouincijs diſcedant: quin populus probè inſtructus atq; edoctus, mox ſit acquieturus, & Regis voluntati obtemperaturus: quandoquidem Rex illos ab infortunijs & malis omnibus conſeruare; & ab Hiſpanica inquiſitione, cuius introducendæ nunquam animum habuerit, tutos reddere ſatagat. An. 1575.

Die 4. April. Delegati Principis Auraici, Hollandiæ & Zelandiæ, menſem vel amplius ſibi dari petunt, vt interea prouincijs & ciuitatibus hæc ſcripta, quæ ſeparatim in nonnullos, præcipuè extrancos, culpam omnem transferre videbantur, oſtendant: & reſponſum legitimè ſubſignatũ reportent. Cupiunt inſuper literas tuti itineris pro legatis, cum Comite Svvarzburgo qui iam abitum apparabat, ad Cæſarem mittendis: interea; obſidũ ſe reditum exſpectare aiũt. *Dilationẽ petunt Principis & Hollandiæ delegati.*

Comes etiã Svvartzenburgus ad Cõmendatorem maiorem ſcripſit ex vrbe Breda, 6. April. ſibi eſſe mandatum à Cęſare, vt legatos nonnullos adducat, ex quibus ea, quę ad pacificationem ſpectant, audiat intelligatq; et eoſdemque nihil dolosè aut fraudulenter in itinere acturos ſpopondit Comes. Hæc dilatio ab Auraici & fœderatorum delegatis poſtulata, partim fuit conceſſa: verùm tuti iteneris aſſertio, ad Gubernatoris & Commendatoris maioris arbitrium relata. *Comitis Svvartzenburgi diſceſſus, & ſcriptio.*

April. die 6. Comes Svvarzenburgus Delegatis vtrinq; Bredam miſsis valedicit, exponitq; moleſtias & labores à ſe ſuſceptos atq; exantlatos fœdulis interuentionibus, tam apud Cõmendatorem maiorem Regis nomine Gubernatorem generalem in Belgio, quàm apud Principem Auraicum, Ordineſque Hollandiæ & Zelandiæ, ad inteſtinam diſcordiam dirimendam, incendiumq; inimicitiarum extinguẽdum: & quanquam parum adhuc ſit præſtitum, & religionum diuerſitas maximè fuerit impedimento; eos tamen vehementer ad pacem hortatur: ſpem non prorſus abijciendam, neque pacificationem intermittendam; verùm vtrinq; arma deponenda & inducias in ſex menſes conficiendas conſulit: Cumque religio, dicta reformata, ab vna parte radices adeò firmas egerit, vt tam facilè & citò exſtirpari non queat: conſulit vt induciarum tempore Hollandis & Zelandis ſua religio permittatur: neque religionis cauſa inducię recenſentur: ſe verò huiuſmodi induciarum obligationem arbitrio ac prudentiæ partium committere ait: vtque ſuam iudicium & conſilium æqui bonique conſulant, rogat: aſſeritq; totius Belgij exitium excidiumq; imminere, niſi ab armis ceſſetur, inducięque fiant, vt interea temporis animi concilientur, & pax firma conficiatur: periculumq; eſſe, ne prouinciæ diſciſſæ ac diuiſæ in alterius domini ſiue Principis poteſtatem incidant, aut ſunditus perdantur: ſe quidem; quandoquidem Regi, à quo multa beneficia acceperit, ſit deuinctus; votis omnibus, vt hæc mala auertantur, petere atque optare.

Prætereа reſponſum ſibi intra duos dies à Commendatore dari, & ne ſuum diſceſſum ægrè ferat, rogat: quandoquidem ſatis conſtet, quantis ſumptibus & moleſtijs hoc iter confecerit: quanquam non ſine animi dolore intelligat, ſe huius rei cauſa malam apud proceres quoſdam gratiam inijſſe, atque in grauem ſuſpicionem incidiſſe: proinde ſibi neceſſariò ad Cæſarem reuertendum, vt ſuam legationem deponat: ſe neutiquam dubitare, quin Cæſar, inducijs pactis, omne conſilium, omnemque operam ſit adhibiturus, ad deſideratam pacem conficiendam, vt prouinciæ ſub Regis obedientia conſeruentur, quod quidem hactenus in Regis & ſubditorum gratiam, neque ſumptui, neque labori parcens, ſedulo ac tincerè conatus fuerat.

Svvartzenburgo diſceſſum paranti octauo Aprilis 1575. Commendator Antvverpia reſpondet: & pro ſumptis laboribus, Regi gratiſſimis, ſummas agit gratias: prætereа cauſam, quare inducię ineundæ Regi minus placeant, per ſuos legatos explicat: neque ſe rationem vllam ob quam Rex à propoſito deliſtat, animo cõcipere poſſe, ait: De inducijs quidem in duos menſes aliquid agi poſſe, dummodo à religione in Hollandia & Zelandia ceſſetur, & ij, qui religionis officia adminiſtrant, inde diſcedant, atque in alias regiones commigrent. Sui autem muneris vel officij nequaquam eſſe, rebellibus Regiæ Maieſtati, tutum iter per Regis prouincias concedere: cùm alix vix ſatis multæ pateant: poſtremò Comiti ſœlix ad Cæſarem iter precatur, & Regis nomine ingentes pro opera omni atque labore gratias agit. Similiter etiam Brædæ deputati reſpondent. Itaque Comes Guntherus Svvartzenburgus inde ad Cæſarem Maximilianum proficiſcitur.

Poſtremò Maij die, rurſus comparent Delegati in vrbe Brædа, & 1. Iunij, nomine Principis Auraici, Ordinũ & ciuitatũ Hollandiæ, Zelandię, Bomelæ, Burę, & reliquorũ fœderatorũ, ſcripto tradito declarant, ſe quidem laudare & approbare ea, quæ propoſita oblataq; fuerunt de legibus & priuilegijs in prouinciarũ commodũ & ſalutem conſeruandis: verùm neſcire quorſum tendat ex patria migrandi conditio: reſpondentque ingenuè, nequaquam conſultum videri patriam aut religionem ſuſceptam relinquere: cupiunt autem rogatum Regem, vt miſericordi in dulgentique oculo inſpiciat zelum vehementem, & animos deuotiſſimos fideliſſimorum ſubditorum: atque in cauſa conſcientiæ; cuius Deo ſoli ratio reddenda; iubeat deſiſti ab igne & gladio, quandoquidem ſuis ſubditis atque membris hactenus dire perſequutiones *Declaratio Delegatorum Principis Hollandiæ, &c. in ſecundo actu.*

Digitized by Google

An. 1575. essent illatæ: & innumeri homines innocentes crudelissima morte interempti: pollicenturque in alijs rebus, negotijs atque officijs secularibus debitam suæ Maiestati obedientiam, obsequiaque fidelissima, qualia olim principibus suis defunctis semper exhibuerant.

Quod verò ad oblatæ securitatis clausulas & restrictiones attinet, aiūt se tristissimis exemplis expertos, quales eos totus orbis sit æstimaturus, si vrbes, arces, naues, & machinas bellicas ante extraneorum abitum, & generalem Ordinum conuentum atque consensum, tradant & relinquant.

Vt autem diffidentia omnis prorsus tollatur, & ad initium quoddam bonæ securitatis perueniatur, optimum fore, vt extranei, ad postulationis oblatæ, aliarumq; rerum scripto contentarum normam, abire cogantur: idque eo magis absq; scrupulo aut suspicione fieri posse, quòd Princeps Auriacus, Ordines Hollandiæ Zelandiæ, & alij fœderati, nihil odij, simultatis aut inimicitiæ contra reliquas prouincias habeant; sed earum inhabitatores, vt amicos, conteraneos & fœderatos colant; atq; æquitati rationiq́ue consonas securitatis conditiones offerant: neque hostilicas inuasiones, interea dum extranei abibunt, vllo modo sint facturi, sed omnibus modis promoturi, vt omnium prouinciarum Ordines conueniant, & de restituenda patrię salute, gubernatione, & politia consulant atque constituant.

Hollandiæ & Zelandiæ nihil inimicitiarum cum reliquis Belgij prouincijs.

Atque hæc quidem quamuis sufficere possint ac debeant: vt tamen omnib. modis ipsorum voluntati satisfiat, cupiunt Deo & mūdo palàm fieri, se nequaquā vtilitati aut cōmoditati propriæ, sed potissimū Reip. saluti, prosperitati, quieti & paci studere. Et quamuis plurimi fœderatorum, veræ & Apostolicæ religioni addicti, facultatū & vitæ iacturam pati, potius quam suam religionem vllo modo negare aut transgredi malint; nihilominus tamen esse cōtentos, dummodo Rex postulatum de religione articulū neget: vt & iste, & securitatis articuli, & cōtrouersiæ atq; difficultates omnes, legitimo & generali prouinciarum omnium Ordinum conuentu tractentur.

Causa religionis refertur ad conuentum Ordinum generalium.

Cumq; recedentibus extraneis, direptiones & extorsiones sint cessaturæ, & prouinciæ simul omnes procul dubio cōcordaturæ: offerunt pollicenturq; se quibuscunq; conditionibus æquis cautionū & securitatū accōmodaturos, vt pax & quies seruetur interea temporis dum extranei discedent, & Ordinū conuentus celebrabuntur. Postulant præterea, rogantq; vt syncerè & cathegoricè respondeatur, & articuli omnes aut planè concedantur, aut planè negentur.

Ad hæc & plura alia respondent Regis delegati, Cōmendatorem acta omnia in Hispaniam mittere, & inde responsum exspectare velle. Itaque Hollandiæ & Zelandiæ delegati 14. Iulij 1575. abitū postremò scripto, paucis hic inserto, parant, & publicè suam sententiam declarant.

Delegati Auriaci, Hollandiæ & Zelandiæ abitū sui scripto declarant.

Exponunt, ipsos disceptatores, Regis nomine constitutos, minus syncerè egisse: proinde, vt se coram Deo & hominibus purgent, notū faciunt, & ipsis & vniuersis, quātopere huic bello finem imponere conati fuerint: breuiterq; à principio ad finem vsque omnia acta recensent, à primo supplici libello ad Regem, ad Champigniū missō, vsque ad postremū istud scriptum: asseruntque oblatas conditiones extra omnem controuersiā esse æquas & iustas: quandoquidem Hispanorum & extraneorum exercitu discedente, quietis & tranquillitatis cautionem polliceantur, donec Ordinum generalium conuentu reip. negotia constituantur, quorum iudicio reliquas omnes cōtrouersias de exercitio religionis, de relinquenda patria, & cætera omnia committere sese aiunt: quandoquidem Ordinum præcipuè interfit.

Mirari præterea se dicunt, quod post tam multas dilationes & procrastinationes, tandem, debitæ & cathegoricæ responsionis loco, captiosum, intricatum palliatumq; scriptum tradant, quo sinceram ipsorum oblationem obscurent: præterea post longas & frequentes postulationes, primū viua voce, deinde scripto declarent, non esse ipsorum officij oblata accipere aut recusare: atq; in causa adeo manifesta, æqua ac bona, rursus dilationem & spatium quatuor mensium prætexant, cùm tamen initio pacificationis plenam huius negotij potestatem atque auctoritatem à Rege ipsis datam iactitarint. Satis quidem liquere eos longa, simulata ac dolosa tractatione nihil aliud machinari, quam huiusmodi oblatione ficta, spe vana, & pacis prætextu falso, Ordines & prouinciales suspēsos tenere, lactare, seducere, & sopitos socordesq; reddere, vt sic facilius incautos opprimant, & in perpetuam seruitutem pertrahant; cùm certo sciant Brabantos, Flandros & reliquos, hoc rerum statu permanente, spe breuis miseriæ ductos, quasuis iniurias & oppressiones potius perpessuros, quam vi restituros aut repugnaturos: Præterea quod huiusmodi dilationibus, & palam, & clam dolos sternere non desistant, quibus regiones depopulentur ac funditus perdant.

Cumq; Princeps Auriacus, Ordines & ciuitates fœderatæ facilè percipiāt, nouas huiusmodi dilationes ad prouinciarū perniciem tendere, neq; his actionibus aliud quam nouas turbas atq; exitia prouinciarum strui, ipsamq; pacificationem prorsus recusari; iustā sibi dari occasionem censent, posthac seipsos, vxores, proles, patriā ab iniquis huiusmodi atq; impijs machinationib. quocunq; modo siue per se, siue per suos vindicandi, & Dei gloriam atq; honorē, sui quoq; ac suorum

suorum protestionem, confirmandi: testanturq; Deum & orbem vniuersum, se omnibus modis huic pacificationi operam dedisse, vt vnà cum vicinis prouinciis Belgicis, sub Regiæ Maiestatis dominio, ad Dei gloriam, in quiete, concordia, prosperitate (pace consecta) possint viuere: quod nisi fiat, negotiumq; omne amicè transigatur, Princeps Auraicus, Ordines, Ciuitates, fœderatiq́ue omnes Deum & homines testantur, se omnis culpæ expertes: illos autem inprimis esse in culpa, qui Belgicarum omnium proutinciarum perniciem & seruitutem, Ordinumq; generalium suppressionem & diminutionem moliuntur: vt sic facilius dominium crudele, tyrannidemq; intolerabilem pro libitu in Belgio instituant & confirment: Petunt nihilominus vt simul ac responsum acceperint, illud Principi Auraico, Ordinibus & ciuitatibus significent, vt de legatos ad pacem vlterius tractandam mittant, dummodo tunc eis consultum videatur, & ipsorum fidem, integritatem & constantiam in pace tractanda satis perspectam habeant. An. 1575.

Regis Hisp. delegati ad recessum scripti respondent.

Postquam illud recessus scriptum 14. Iulij in vrbe Bredana Regis Hisp. delegatis fuit traditum: respondent eodem die Regis delegati etiam scripto. Scriptis scilicet traditis multa contineri arroganter atq; elatè dicta: sed quæ & reliquos Regis clientes ijs inique & falsò culpari: iidque euidenter ex scriptis, & oblationibus iustis & sufficientibus, absque fraude aut dolo exhibitis patere: scriptum autem supra dictum tantummodo fundatum esse super dilatione postulata, vt interea res tota suæ Maiestati significeturi: licut in negotijs tanti momenti, etiam contra generale mandatum, iuris & moris esttse quidem huiusmodi scriptum nequaquam comprobaturos aut ratum habituros, aliter quàm ex præscripto supra dicto postulationis: quod vt effectum reddatur, exspectari responsum à sua Maiestate: eo accepto, Regis voluntatem ipsis declaraturos & ad scripta responsuros, vt æquum videbitur. Hac autem formula, & non alia, dicti delegati hoc idem scriptum signari fecerunt, & acceperunt, Deum & homines testati, discessatores Regis nomine missos, promptos faciles q́ue fuisse, neq; discessus aut colloquij sistendi vllam occasionem dedisse: Principem autem Auraicum, Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, reliquosq; fœderatos, huius culpæ reos esse: & maximè quidé, si certiores redditi vt supra dictū est, & Regiæ Maiest. sententiam edocti, ad pacificationé hanc fœliciter perficiendā non cōpareant.

Itaque pacificatio in oppido Bredano inchoata mense Iulio 1575. sistitur & omittitur. In ea autem vtraque pars varijs modis ac rationibus suo studuit commodo: quod tandem quidem Hollandis eorumq; socijs feliciter cessit: qui cum id peterent, quod reliquæ omnes Belgij prouinciæ inprimis desiderabant: nempe dimissionem & refræna tionem militum extraneorum, restitutionē libertatis, auctoritatem gubernandi, integritatem consuetudinum veterum, & libertatem Religionis, eaque omnia Ordinum generalium iudicio committerent: placuit institutum hoc cunctis & maximum illis conciliauit fauorem, tanquam essent veri patriæ propugnatores: vnde euenit vt etiam Catholici Romani iudicarent Hollandos & Zelandos vrgente necessitate solum modo vsos prætextu Religionis, & minimè obstinatos, dum quæstionem de religionis exercitio submitterent iudicio Ordinum generalium, tanquam optimos & legitimos iudices, quid sit ex vsu Reipublicæ. Horum itaque postulata omnes simul promouere sedulo conati sunt: præcipuè autem cum Gubernatore Commendatore Maiore mortuo, Hispani seditiosi atq; discordes inter se grauissimas turbas excitarunt: vnde prouinciales, vt Hispanicum iugum excuterent, necessariò pacificationem, formulæ postulatæ quàm proximè conuenientem, cum Principe Auraico, Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ, aliisq; fœderatis Gandaui inière, anno 1576.

Pacificatio omissa Auraico & Hollandis commoda.

Interea dum pax Bredæ tractatur, Auraicus 12. Iun. Brielæ vxorem ducit Charlottam Borboniam, Ducis Montpencieri filiam, ex nobilissima Regum Franciæ prosapia prognatam, Ducissæ Bolioniæ fororem, quam pater Catholicæ Romanæ religioni addictus in virginem sacrā siue sacerdotem primariam Deo dedicarat: nupta autem Auraico 5. aut 6. filias, nullum autem filium peperit. Genuerat verò Auraicus ex prima vxore, vnica Buranæ familiæ filia, filium maximum natu Philippum Buræ Comitem, quem Dux Albanus inuitum in Hisp. auexit: & vnicam filiam: ex secunda autem vxore, Mauritij Electoris Saxoniæ Ducis filia, filium Mauritium Nassouium, & filias duas: hæc autem Auraici vxor in arce Dresdena, à patruo Augusto, Principe Electore in custodiam tradita, suspicionum quarundam causa, anno 1576. admodum piè & Christiane mortem obijt.

Princeps Auraicus Charlottam Borboniā ducit vxorem.

Hac æstate Commendator per D. Hiergesum Geldriæ Gubernatorem, ciuitatem & arcem Buranam obsidione cinxit: quę quia præter multorem opinionem obsessori traditæ fuerunt, Gubernator, Ordinum Hollandiæ mandato, Goudæ in carcerem mittitur: tandem verò cum multis rationibus se purgasset, liber dimittitur.

Commendator Burā capit

Postea D. Hiergesus Oudevvateram obsedit: erant hic in præsidijs Præfectus Muntenas S. Mari, & Piuckvvertus, cum duob. Schotorum & alijs præfidiariorum cohortibus. Huius obsidionis certior factus Auraicus, summa festinatione Goudam proficiscitur, vt rursus aggerum perfosione & agrorū inundatione hostilē exercitum abigat: quod cū Hiergesus metueret mox

Oudevvateram vicapta & exusta.

Digitized by Google

An. 1575. vrbé & mœnia tormentis maioribus concutit, ruinis muros aperit, oppugnat, & tertio impetu expugnat vrbem: præsidiarij cùm acerrimè resisterent interficiuntur: neq; ciuibus, neq; militibus parcitur: dira clade obruuntur omnes: maxima vrbis pars pulcherrimis ædibus insignis deformatur: hæc Oudevvatere expugnatio facta est octauo die mensis Augusti: cùm Auraicus id quod instituerat, non satis celeriter exsequi posset.

Schonhoua Hisp. occiuntur.

Duodecimo Augusti die, contra Schonhouen Hierghesius cum exercitu tendit: mittit autem eo Auraicus celerrimè D. Gardeum Gallicæ legionis tribunum. Hiergesius Schonhouam vndique obsessam viginti tribus tormentis muralibus verberat, loco quodam parum munito, absque antemurali, munituque difficillimo, eo quod operandi materia in promptu non esset: postquam verò hostis trecentorum passuum ruinam mœnibus intulit, Gardeus primo die oppugnationi strenuè restitit: postridiè autem, vrbis imbecillitate, & ciuium in reparanda muri ruina & aliis rebus, negligentia ac maleuolentia probè perspecta, honestam cum hoste deditionem pactus est: ipse præsidiarij que cum armis & sarcinis exiere. Tum quoque Viana ab Auraici præsidio relicta fuit.

Crimea ab Hispani munita ab eisdem obsidetur & capitur.

Hinc Hierghesi copiæ Crimpam veniunt, Pagumque muris & propugnaculis, instar vrbis muniunt, amnem obstruere meditantur, atque inde Swindrechtam & reliquas insulas, nempè Vornam & Brelam, Dordracum quoque, sicco pede intrare atque hostiliter inuadere: & hyeme, aquis glacie concretis, Gheertrudæbergas, Gorcomium & Bommelam capere, & Mosam Rhenumque amnes occupare. Huic hostili incepto ocyus resistunt Hollandi: aggerem ab altera fluminis parte demoliuntur: vallum hic construunt, & tormentis bellicis muniunt: atque hoc molimine Crimpam simul obsident: eamque die vigesima prima anni sequentis capiunt: Cómendator enim interea temporis Zirickseana oblidione occupatus, suis hoc loco subsidium ferre non potuit. Crimpæ præsidiarijs cum armis abire permittitur, munitionibus & tormentis hosti relictis: atque hoc pacto Hollandi loco imprimis commodo & necessario potiuntur.

Interea Zelandi 20. Iulij prope Rosendalam incendûnt duodecim naues bellicas, recés constructas (vulgus cromsteuas vocat) amnibus insularumque oris nauigandis, præ alijs nauigiorum generibus maximè conuenientes: facile autem Zelandis fuit ignem dictis nauibus inferre: postquam circiter ducenti VValones ex Mondragonis legione, quibus naues custodiendæ fuerant commissæ, hostis aduentum metuentes fugam cepere.

Leydæ in Academiam erigitur.

Huius anni initio, vrbs Leyda, quam Lugdunum Batauorum vocant, in Academiam siue Vniuersitatem erecta, & Ordinum Hollandiæ priuilegijs confirmata fuit.

Hispanica naues Dunkerkæ perennt.

Magna pars classis anno præcedéti ad inuadendam inferiorem Germaniam destinata, hoc anno in Angliam venit: erant autem hæ naues ferè omnes ex eo genere, quas Assabras vulgo vocant, vt ijs Hispani angusta & vadosa fluminum Belgicorum loca traijcerent: cumque in VVichtam insulam peruenissent, mox Anglorum auxilijs Dunkerkam vsque tendunt: vbi, expositis militibus & pecunijs ex Hispania aduectis, cùm hyeme morarentur, naues horrendæ tempestate collisæ confractæque perierunt: ita vt Hispani suis nauigationibus nihil vsquam feliciter exsequi potuerint.

Huic classi auxilium in Anglia impetrandi, & nautas qui Regis in Belgio stipendia mererẽt, colligendi causa, D. Ioannes Boyschotus aduocatus fiscalis à Commendatore in Angliam legatur: qui cum præter alia ab Angliæ Regina peteret, vt Regi Hisp. rebelles Anglia expelleret, Regina id recusauit, summam inclementiam & inhumanitatem reputans, miseros Belgas, qui bellum, vitæ periculum, & vim in conscientiam vitantes, eo confugerant, expellere: allegauitque, se quinquennio elapso, extra suos portus & limites, Regem id postulante, iussisse exire Comitem è Marca, & alios nobiles viros Belgas, qui desperatione hinc concepta, nauibus præsidiarijs Brielam oppidum inuadere coacti fuerant: consulti autem multo Regem tunc temporis ab huiusmodi postulatione desistere potuisse. Nihilominus tãdem literis ad maritimorum limitum præfectos missis, huiusmodi rebellibus tranitum permittere prohibitũ fuit: interdictumque omnibus contra Hispaniarum Regem arma gerentibus Angliæ regnum: nominatim autem Principi Auriaco, cum omni sua familia, Comitibus Culenburgo, Bergano & Marcço: Dominis Esquardesio, Lumbreo, Rumeno, Merodio, Carnesseo, Noyello, Blyonio, Bredamo, Boysetto, Aldegondo, Mansardo, Dorpio Philippo Aao, Hautaino Tempseo, Iunio, & alijs numero circiter quinquaginta.

Belgũ arma gerentib. Anglia interdictum.

Causa autem huius edicti præcipua fuit, quod Doctor VVilsonus Reginæ Angliæ in Belgio Legatus tunc temporis postularit atque impetrarit, vt Angli rebelles, inprimis Comes VVestmerlandus & alij, è Regis Hispan. prouinciis eijcerentur: concessum præterea eidem legato fuerit, vt Anglicæ naues quatuor simul Zelandorum permissu Schaldim Antvverpiam vsque nauigarent: atque id quidem re ipsa præstitum fuit.

Deliberatio Principis & Ordinum Hollandiæ de pace.

Hoc anno 1575. Princeps Auriacus, Ordines & ciuitates Hollandiæ & Zelandiæ cum fœderatis reliquis, postquam neque pacis perficiendæ, neque libertatis aut securitatis conscientiæ à

Rege

Rege impetrandæ spem vllam superesse, sed Regis potentiam summam nimis prævalere perpendunt: aliunde sibi fuisque opem atque protectionem quærere constituunt: Imperiumque Germanicum, Regnum Francicum, & Anglicum in hac deliberatione proponunt. An. 1576.

Ordinem ac protectionem exteranearum Principum.

Ab Imperio quidé, etiamsi olim huic maxima Belgicarũ prouinciarũ pars fuerit deuincta, nihil subsidij sperandum reputauit: quandoquidem Germani Principes, tam religionis, quam aliarum difficultatum causa inter se discordes, alter alteri non bene fidant: & quilque suis diri- onibus in quiete, & concordia seruandis occupetur atque distineatur: neque passuros, vt ipsorum aliquis Germaniæ inferioris dominio potitus reliquos potestate superet: neminem quoq; Germaniæ Principum id oneris suscepturum: metu Regis Hispaniarum, vtpotè qui Cæsarem socerum, & alios quam plurimos Principes necessarios amicosque habeat: longè etiam nimis fore antequam Imperij Principes quicquam conuentu generali in re tanti momenti ac ponderis statuere possint, ob causas partim dictas absque generalibus autem comitijs, in Belgicarum prouinciarum fecuritatem nihil facilè fieri posse à Germanis.

Protectionem Germanorum difficultates.

Nec Franciam quidem, hæreditarium Belgij hostem, vsui fore, tum propter regni Gubernatorum perfidiam atque tyrannidem, tum propter inueteratas inimicitias; portuum quoq; longissimas distantias, negotiationi marinæ (vnde Hollandis & Zelandis præcipuus quæstus) parum commodas, oportunas, aut bene sitas. Franciam intestinis etiam bellis exhaustam: quæ quamuis fnitri aliquando possint, fuspiciones tamen nequaquam desituras. Bellum quoque perpetuum Hollandis, Zelandis & fideratis contra Brabantos, Flandros eorumque socios fore, vtpotè qui bellum perpetuum potius gerere, quam fœdus cum Francis inire volent. Quin & metuendum, ne tandem Rex Hisp. vindictæ sumendæ causa, sanguinariorum quorundam instinctu, permutationem cum Galliarum Rege ineat, & pro Hollandia & Zelandia, Neapolim, Mediolanum, aut alia loca limitanea tradat: quandoquidem lucrum atque emolumentũ pluris apud tyrannos & iniquos Principes fiat, quàm promissa aut iuramenta: Pontificem enim Romanum facilem fore in absoluendo ab huiusmodi iuramentis, maximè cum hæretici habeantur aduersarij.

Protectionem Francorũ inimicitiæ.

Anglorum autem protectionem, quamuis lingua diuersa difficultatem sit allatura; multo commodiorem videri, tum propter religionis exercitium conforme, negotiationem siue mercaturam optime conuenientem, Reginæ magnam terra mariique potentiam: tum etiam satis æquam, absque enormi exactione aut extortione, gubernationem. Quam quidem opem ac protectionem, si à Regina impetrent: futurum vt Brabantis, Flandris difficulter admoduum mercimonia & vitæ necessaria suppeditentur, & Hispanis spes maris potiundi prorsus adimatur: Dania quoque, Suecia, Embda, & ciuitates Germaniæ Hanseaticæ, tali fœdere iungi summopere sint delideraturæ: Quin & reliquæ Prouinciæ simul atque huiusmodi pacto omnem quæstum negotiandique ipsis adimi sentient; huic societati procul dubio se applicaturæ. Ipsa etiam Francia fœdus vna cõtractura. Hostibus autem tanta succurrendi inuicem, & vires tam exiguo temporis spatio conferendi per mare oportunitas, ingentem metum excutient. Imò si cum Anglia conditionibus æquitati conformibus fœdus iniri queat, Reginam procul dubio eiusque successores, vt huiusmodi potestatem & auctoritatem retineat, non tantum regiones in religione, libertate, priuilegijs & immunitatibus conseruaturam, verùm etiam pecunia, milite, alijsque necessarijs iuuaturam: itaq; Angliam & fœderatas regiones diuitijs abundaturas, & quietè, tranquilleque simul victuras.

Protectionis Anglorũ commoditas.

Rebus his omnibus probè perpensis, censent, prudenter, breuiterque certa aliquid statuendum, antequam hostis maiores vrbes, ampliores portus, fortioresque arces inuadere aggrediatur: fortunæ euentus neutiquam amplius exspectandos, quandoquidem neq; pecuniam, neque militem in promptu habeant: populi quoq; malcuolentiam ac seditionem timendam. Itaque communi consilio constituunt in Angliam legatos mittere: eaque non tantum offerre ac præstare quæ ius, ratio & religio permittent, verùm etiam ea, quæ necessitas, lex & natura exigent. Mittuntur itaque Philippus Marnixus Aldegondæ Dominus, Ioannes Douca Nortvicæ Dominus, Guilhelmus Niuellius, Paulus Buisius Hollandiæ aduocatus, Francisc. Mælsenius Doctor, & alij cum mandatis, vt aut fœdus ineant, aut protectioni ipsius Reginæ se committant dedantque, aut se tanquam deuinciant Principi sanguinis Hollandici, ex Philippa, nempe filia Guilhelmi tertij Comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, &c. à cuius Philippæ sororis filio & filia Rex Philippus suam profapiam & possessionis Hollandiæ & Zelandiæ titulum tenet.

Ordines & ciuitates Holl. &c. in Anglia mittunt legatos qui protemptent animum Reginæ Angliæ petant.

Angl. Reginæ legatorum petitiones circa

Elisabetha Angliæ Regina, pacis amans, prudens, prouidaque in primis Heroina, longa deliberatione ac consultatione habita de Hollandorum ac Zelandorum legatione, Hispanorum inimicitia, & Francorum inuidia, maximis quoque ad perficiendam institutum sumptibus necessarijs exacte perpensis, parui delegatorum postulationes pendere visa est, atq; ea potissimum de causa minoris, quod tunc temporis ad Reginam veniffet D. Champignius Antverpiensis vrbis Gubernator, Comnendatoris nomine legatus, eamque blandis sermonibus induxisset,

An. 1575. vt cum Hiſpano pacem habere, neque Belgarum bello ſe immiſcere decerneret: velle nihilominus quibuſcunque modis pacem vtrique parti honeſtam & commodam promouere: cumque ſuæ ſecuritati ac quieti conſuleret, & articulos magnæ ſpei ſibi oblatos perpenderet, eis teſtato vtendum exiſtimauit: ne Rex, rebus Belgicis ſe accommodare recuſans, iniquè ferat, ſi ipſa ſuæ ſecuritatis cauſa Hollandiam & Zelandiam accipiat, antequam Galli perpetui Anglorum hoſtes, eis potiantur. Itaque delegati ſuæ poſtulationis repulſam tunc tulere: permiſſum tamen Hollandis & Zelandis, arma quæcunque, tormenta bellica, commeatumq; ex Anglia vehere, & milites Belgas, Anglos, Schotos liberè conſcribere.

Hiſpani fictis pedibus vſq; in Schouwlandã veniũt.

Tunc temporis, mandato Commendatoris, Mondragonius & Santius Dauila cum Hiſpanorum & Vallonum exercitu ex Brabantia in Annælandam primò; inde, aquarum receſſu, in Philippilandam, inſulã non habitatam Zelandiæ, noctu in Duuelandam perueniunt, & Schouwlandam præcipuam maximamque Zelandiæ inſulam, non ſine plurimorum admiratione, ficcis quaſi pedibus intrant, & inhabitantium indicijs vada & peruia loca paſsim tranſeunt, D. Michaelis nocte feſta, qua multis cælum radijs ignitis lucebat, audenter progreſsi, in Schouva propugnaculum Vianenſe, & alia quædam loca munita capiunt, Zelandorũ nauibus præſidiarijs acriter quidem, ſed fruſtra, reſiſtere conantibus; eò quod ob aquarum refluxum propius accedere haudquaquam poſſent.

Zirickſea obſidetur.

Hic tormentorum æneorum violentia milites militumq; præfecti multi interemptiinter quos Hiedrus Paciecus Gœliæ regionis, ſiue Zuytbeuerlandæ Gubernator: perijt quoque in continenti D. Calorus Boyſotus Zelandiæ Gubernator, nocte obſcura, à fuis, vt creditur, inopinatò, ſclopeti ictu interemptus: quo mortuo, ocyus reliqui fugam cœpere. Hiſpani milites abſque mora, Zirickſeam vrbem, Bomeneam munitionem firmiſsimam, & Vianam cingũt, & itinera obſident: aggerem quoque à Zirickſeanis perfoſſum ſumma feſtinatione obſtruunt, non ſine magna ſuorum clade à Zelandis reſiſtẽtibus illata: portu quoque & aggere, cælis ſuorum circicer quingentis potiuntur. Properant eo Commendator & Chapinus Vitellius Marchio Cetoneus: hi Bomeneam abſque mora tormentis æneis verberari & oppugnari iubent: cumque præſidiarij, diũ reſiſtere non poſſe viderentur, Chapini Vitelli conſilio, aſsiduatormentorum & hoſtium violentia adeo impetitur atque oppugnatur, vt præſidiarijs nullũ edendi, bibendi, dormiendi, ægrotos curandi, læſorum vulnera obligandi, aut mutuas vllas operas præſtandi, imò ne feruentes quidem aſsidua exploſione bombardas refrigerandi ſpatium fuerit relictũ: hinc hoſtis languentes frequentibus globis & continuis oppugnationibus obruens atque defatigans, intro violenter irruit, & obutos quoſque tanto furore trucidat, vt pauci admodum euadere potuerint.

Bomenea vi expugnatur.

Slim Zirickſea & exercitus.

Contendunt inde hæ copiæ ſimul Zirickſeam, vetuſtiſsimam Zelandiæ ciuitatem, præſidijs, commeatu alijſque rebus neceſſarijs ſatis munitam: erat Zirickſeæ tunc temporis Gubernator D. Arnoldus Dorpius, vir imprimis probus ac prudens: hic quibuſcunque potuit modis oppugnationi reſtitit, ſummaque diligentia, extra vrbem, collem ex ſalinarum cineribus longo tempore in vnum locum congeſtis confectum, meridionalem portus partem verſus probè muniuit: ad ſeptentrionalem autem, iugera terræ circiter centum vallo cinxit, reliquis agris, aggerum perfoſsione ſtagnantibus: ita vt exercitui vix alia quam in ipſis aggeribus manendi idonea loca eſſent. Obſidij cauſas differendi meditantur, vt paulatim ſedatiores atque negligentiores reddant obſeſſores: & primò quidem inducias in quatuordecim dies paciſcuntur, eaſdemque poſtea prolongant, & tranſactionem cautè prætendunt, vt interea hoſtibus commeatus deficiat: interea præfecti oppidanos, primò perterritos, animant, duriſsimasq; deditionis cõditiones ab hoſte proponi allegant, & tã extra vrbẽ quã in vrbe loca minus firma muniunt: cumque hinc illicò in Hollandia & Zelandia rumor ſpargeretur, eos nulla neceſsitate vrgente, deditionem meditari, edita apologia ſe purgant: itaque acriter ac conſtanter hoſti reſiſtunt: columbis loco nunciorum, & plumbea pecunia loco argenteæ vtuntur. Vrbis defenſioni inprimis fuêre præfecti Iuſtus Eyndanus, Ioannes Crommus, Boyſius, Nicolaus Bernardus, Nicolaus à porta, Arnoldus Hertzoghus, Antonius Bommelius, Nicolaus Plucketus, Eligius Dindanus, & alij viri fortes ac bellicoſi.

Commendator maior poſtquam vrbem non niſi longa obſidione aut fame ſuperari poſſe videt; ne quid vllo modo inuehi queat, impediendum ſtatuit: aditus omnes, ingentibus palis in fundum adactis, claudit: aquas inter Schouvlandam & Duyuelandam, ſublicis, palis & trabibus, catenarum longo nexu, cingit: locis profundioribus naues militibus & tormentis bellicis probè inſtructas collocat, aditu ex vna in aliam per plancas, tanquam pontes, apparato, vt hoſtium tranſitus facilius abſq; longa mora prohiberi queat: conquiruntur præterea naues actuariæ, ſtilatæ, & aliæ, ad claudendum portum, ne introitus aut exitus per aggeres, aut agros aquis opertos vlla via pateat: excubitores quoque milites in lembis diſponuntur, qui aduectionem quibuſcunque modis impediant: foditur præterea alueus in Duyuenlanda, à Viana ad portum

portum Zirickſeanum vſque recta tendens: vt à nauium Zelandarum excurſu tutiores in agris eſſe queant, tormentorum æneorum maximo numero in aggeribus circa portus paſsim diſpoſito: Tormentis bellicis non tam ipſam vrbem, quam montem cinerarium non procul à portu quariunt, verùm fruſtra. Auraici autem Principis conſilio & mandato Comes Hoghenlonius & Archithalaſſus Ludouicus Boyſotus exercitum hoſtilem fame machinantur enecare: nàues circiter duodecim ante choma Bergoſomenſe, & alijs locis diſponunt, vt commeatum hoſtibus intercludant, & ipſos obſeſſores obſidione premant. Commendator naues paruas præſidiarias plus minus viginti Duynkerckæ apparat: hæ meſe Martio 1576. Brouwershauam verſus contra Zelandos tendunt: earum autem præcipuam, Canem nempe ſiue Vertagum Duynkerckanum, nauem admodum fortem, celerem accelebrem, capiunt Zelandi. An. 1576.

Auraicus machinatur hoſtes obſeſſores fame enecare

Dum itaque tota hyeme, imò octo menſibus continuis, Commendator famem ciuitati obſeſſæ, Auraicus autem exercitui obſeſſori inferre nituntur, Hiſpani manibus & curribus commeatum aliqua ratione conquirunt, ciuitatem verò neceſſaria deficere incipiunt. Ineunt proinde Hogenlolius & Boyſotus varia conſilia, vt vi commeatum inferre queant: idque cum ſemel per canalem ſiue portum tentarent, & prima nocte hoſtium ſcapham vnam exuſſiſſent, duas quoque naues actuarias cepiſſent, orta tempeſtas inceptũ opus perturbauit, æſtu marino prorſus aduerſantur: nocte ſequenti, Hiſpani magnam tormentorum æneorum vim aggeribus imponunt, cymbas duas euertant atque ſubmergunt: hic Zelandorum pauci perierunt, nihil autem contra Hiſpanos hac vice proficere potuerunt.

Fruſtra moliuntur Principes Zirickſeani obſeſſos ſuppetias ferre.

Parum quoque feliciter Zelandis aliud inceptum 12. Iunij 1576. ſucceſsit. Holcas, nauis lata vaſtaq; ſoba Iansena dicta, ſexcentorum laſtorum, ſiue 1200. vaſorũ capax, bellicis tormentis probè munita, corbe etiam ſiue galea in mali faſtigio optimè inſtructa erat, vnde crescente flumine hoſtem Bombardis maioribus & minoribus impetere, & propugnaculis expellere potuiſſent: ſuere in hac bellatores circiter ſexcenti, inter quos Boyſotus Zelandiæ Admiralius: qui poſtquam verſus aggerem Borendammenſem, hoſtes propulſaturi & cõmeatum obſeſsis ſuppeditaturi nauem direxiſſent, eaq; prope aggerem veniſſet, decreſcente aqua vado inhæſit, nimioque hominum, tormentorum, aliorumque onerum pondere grauata, hoſtium, etiam tormentis ſæpius verberata rumpitur: ſub veſperam verò, creſcentibus vndis, aliquantulum reficitur, ſtuppa ſtipatur, & exoneratur: poſtquam autem Hiſpani rurſus in eam tormenta exploſerunt, ictu ſecundo demergitur: periere in aquis circiter trecenti, reliqui vitam ſeruarunt. Boyſotus Archithalaſſus poſtquam aſſeri inhærens multo tempore natasſet, nocte tenebroſa vndis abſorbetur: præter Boyſotum & duos militiæ præfectos, nemo fama aut nobilitate inſignis, aduerſa hac fortuna vitam amiſit, 13. Iunij.

Boyſoti archithalaſſi interitus.

Zirickſeani, quanquam ſcirent ſuis fœderatis non defore, alias contra hoſtem machinationes, his tamen aduerſitatibus perterriti, magnaque omnium rerum inopia laborãtes, animum deſpondent, cùm hoſte de dedenda vrbe agunt, deditionem, opera Gubernatoris Dorpij, & Mondragonij Regis militiæ chiliarchi, trigeſimo Iunij die, poſtquam continuis nouem menſibus potentiſsimo hoſtiũ exercitui reſtiterunt, & ne quid alibi contra fœderatos attentaretur, impediuerunt, confirmant his legibus: Gubernator Dorpius, præfecti militiæ, milites, cum vxoribus, prolibus, armis, bonis mobilibus (vexillis inuolutis, ſunalibus Bombardicis exſtinctis, & tympanis ſilentibus, donec portum tranſierint) euehantur: vna quoque cum ipſis duo cõcionatores, præterea tredecim alij, non ciues, reformatæ religioni addicti. Curet Dorpius Adolphum Hamſtedum claſsis legatũ, ſiue viceadmiralium; biennio elapſo, Lilloæ, ipſo Pentecoſtes die à milite Auraici captum; è carcere dimittendum: alij quoque captiui vtrinque dimittantur, & obſides, ſecuritatis ac fidei cauſa vtrinque conſtituantur: Inita quoque cum ciuibus pactio ſatis æqua, qua diuerſis ſolutionibus centena florenorum millia ſoluere teneren tur; quibus ſanè hoſtis tunc temporis ſummopere egebat.

Zirickſea nonem menſes obſeſſa dedit ur.

Fuit hæc deditio facta, Commendatore vita defuncto, ea maximè tempeſtate qua generalis quædam viciſſitudo imminere videbatur. Nam ob militum, quibus ſtipendia ſoluta non erãt, (obſidione Zirickſeana magno conſtante) inſolentias ac contumacias, Commendator à prouincijs pecunias contentiſsimè exegerat, & poteſtatẽ libi dari poſtularat, pro ſuo arbitrio, & prouincialium facultatibus cenſus tributaque imponendi, & ciuitates eadem ratione qua pagos & agros, taxandi. Exegerat quoque ab Antverpienſibus vigintiocto florenorum millia in ſingulos menſes, quibus Chiliarchi Hannibalis Enſi militibus Germanis (qui tunc Antverpiæ agebant, & vrbi, niſi debita ſtipendia exſoluerentur minas intentabant) ſatisfieri poſſet.

Commendator ſibi poteſtatẽ dari petit, exactiones impo nendi Belgu.

Referebant ærarij Regis & Ordinum negotijs ea tempeſtate præfecti rerum periti Regem mercatoribus Napolitanis Hiſpanis, Italis & alijs maximè Genuenſibus debere plus quam quatuordecim ducatorum milliones, ſiue 420. auri tonnas, hoc eſt, quadringentos & viginta centena florenorum millia. Sed hoc debitum per Pontificis decretum, propter ingentes vſuras fuit diminutum & moderatum præter id debitum, quod tunc milites ſtipendij cauſa exigebant:

Debita Regis Hiſpaniarum.

neque

Digitized by Google

An. 1575. neque id mirum quidem: constiterat enim tunc temporis bellum in Belgio quadraginta duobus milionibus florenorum, siue quadringentis & viginti auri ducatis, præter ea, quæ Prouincijs furtim ablata & vi erepta fuerant: præter grauissima etiam damna vastatis vrbibus, pagis, arcibus, ædificijs illata.

Regi Hisp. quanti bella in Belgio constiterit vsq; ad annũ 1575.

Hæc Regis debita, & maxima pecuniæ inopia, contemptum ipsi Commendatori conciliarunt, eo quod militibus stipendia non numerarentur. Milites præcipuæ autem Hispani, quibus quidem seruitia, hoc est, viatica necessaria singulis hebdomadibus eò loci, vbi agebant suppeditabantur, seditiones vbiq; locorum excitarunt. In Hollandia Iulianum Romerum Strategum multis contumelijs affectum propulerunt atque fugarunt. In Flandria, Oudenardæ, Februario mense ciues ad stipendia exsoluenda vi cogere attentarunt, eorum qui extra vrbem erant, auxilia exspectantes: verùm ciues, D. Sueringij Gubernatoris consensu, inuitos vrbe expulerunt portisq; excluserunt. Idem quoq; alijs Flandriæ locis, seditiosis militibus solutionem violenter exigentibus euenit. Bruxellæ ciues armati eos palatio inclusos detinuerunt, quos agminibus Hispanorum & Italorum vrbis mœnia consecrandere machinantium, opem laturos suspicabantur.

Hispani ob no soluta stipendia seditiones excitare incipiunt.

Interea dum milites vbiq; locorum stipendia tumultuosè exigunt, & vrbs Zirickſæa obsidione cingitur, obsessoresq; stipendium viginti duorum mensium desiderant, & victoriæ spe iactantur, D. Ludouicus Requesensius, magnus Castiliæ Commendator, totius Belgij vicarius, Gubernator, & generalis Strategus, mortem obijt, quodammodo præcipitem ac subitaneam Bruxellæ, matutino tempore, quinta Martij die, febre admodum seruente correptus, & apoſtemate in humero, non sine pestis suspicione, cùm prius scabie, quam pro suo libitu curari volebat, laborasset.

Commendator magnus, Gubernator Belgij moritur.

Obierat & paulò antè Chiapinus Vitellius Marchio Cetoneus, qui in Schouvv-landa pensili vehiculo peraggeres vectus conciderat, corpore admodum ponderosus: cumque inde grauiter læsus Antvverpiam veheretur, in itinere animam exhalauit: vir militaris multo vsu callidus, ingeniosus & celebris valde: verum impudentissimus, omnium religionum irrisor: Regi Hisp. à Duce Florentino ad militiæ exercitium commodatus. Sunt qui suspicentur eum ab æmulis ac maleuolis dedita opera deturbatum ex aggere, eo quod suo Principi quædam in Regis Hisp. damnum significasset.

Mors Chapini Vitellij.

His duobus in Belgio mortuis, Status Consilij proceres prouinciarum gubernationem susciperunt: quæ quidem ab ipso Rege literis ex Hispania ad Antisstites, viros nobiles, & ciuitates prouinciarum scriptis 24. Martij 1576. Madrili confirmatur: fuére autem huic gubernationi imprimis præfecti Dux Arschotanus, Comes Manssveldius, Comes Barlemontius, Viglius præses, Sasboutus Dassonuillius cum alijs aliquot consiliarijs & secretarijs, admissi atq; confirmati qui dem omnes, donec D. Ioannes ab Austria Regis Philippi frater illegitimus, ad gubernandas prouincias mitteretur: huic autem Gubernatorem quidam Hieronymus de Roda, & plures alij Hispani consilio bellico præfecti, se ingesserunt. Hic Belgij fuit status, donec Zirickſæa dedita, Hispani passim seditiones ac turbas ingentes excitarunt, quibus Brabanti se totis viribus opponere coacti fuére, vt ex ijs, quæ post narrabimus, patebit.

Belgij Gubernationē Rex Hisp. committit Consilio Ordinum.

Consilium Status, edictum Regis nomine in Brabantia promulgari tũc temporis iussit, quo extraneis & illegitimè natis officia, siue munia publica administrare, redimere & conducere in Brabantia ducatu prohibitum fuit, ad normam scilicet articulorum læti introitus Ducis Brabantiæ, conformem placito, siue decreto à Carolo V. Imperatore piæ memoriæ, & ab ipso etiam Rege, anno 1561. solenniter sancito: eodem quoque edicto, iussum fuit quibuscumque officiarijs, & Reipub. administratoribus, qui iusiurandum decimo articulo læti introitus contentum non iurassent, illud intra mensem iuraret: quod quidem placitum, ante mortem Commendatoris conceptum, atq; approbatum, tandem executioni mandatum hac tempestate, Hispanos admodum commouit atq; irritauit, ansamq; ac facultatem Brabantis, acrius Hisp. conatibus ac machinationibus resistendi, præbuit.

Edictum in Brabantia contra Gubernationem exterorum & illegitimè natorum.

Cùm verò Princeps Auraicus, & Ordines, ciuitatesque Hollandiæ & Zelandiæ, Insulâ Schouvv-landâ & Zirickſæâ ab hoste captâ, tandem morte Commendatoris Maioris, & generali Hispanorum seditione aliquid boni sperarent, orta propemodum fuit inter ipsos & Angliæ Reginam ingens difficultas atque dissidium, nauigationis marinæ causa. Cùm enim Hollandi & Zelandi iam aliquot annis, nauibus multis bellicis se mari commisissent, tam inopiæ ac necessitatis vrgentis superandæ, quam hostis marina classe valde potentis reprimendi causa, non ausi fuére suas merces in Hispaniam vehere, aut alijs suam operam hac nauigatione locare. aut præstare: quanquam bellum Belgicum Hispaniæ incolas parum commoueret, & non contra Hispaniarum regna, sed tantùm contra Hispanos, qui Belgas in Belgio oppugnabant, geri reputaretur: atque eo quidem æquius ferebatur ab Hispaniæ habitatoribus, quod ipsis commercia cum Belgis summopere necessaria essent, non tantummodo venditionis fructuum, oleorum, vinorum,

lanarum,

Digitized by Google

lanarum, salis, vnde Hispani quæstum faciebant; aut mercium Indicarum, vnde Regi vectigalia suppeditabantur; sed & Belgicorum operum, materiarum & mercium causâ, quæ negotiatores Hispani nauigijs in Indias & alias regiones vehebant. An. 1576.

Cùm autem Hollandi & Zelandi suspicioli, Hispaniæ non satis fiderent, nauigationē quoque & negotiationem quæ penes ipsos præcipuè antea fuerant, iam ab Gallis, Britannibus, & Anglis exerceri, mercatores quoque Antverpienses suas merces Duynkerka, Caletum, & in Britanniam vsque mittere & accipere nauali vectura, nomine actitulo Gallorū aut Anglorū, manifestè maximo suo damno vti ferent; Flisingenses, quorum maximè intererat, mare leuibus aliquot occuparunt nauigijs, quorum alia quadragena, centena, nonnulla etiam centum & quinquaginta vasa, conijnebant; ad hæc quoque tormenta bellica futilia dena, vicena, & plura pro nauium capacitate cum nautarum viror im que marinorum magno numero, quorum singuli scloperum gestabant, glandes explodere peritissimi: hi quoscunque in mari deprehensos, Anglos, Gallos, siue hostes, siue amicos inuadebant, apprehensos in Zelandiam auehebant, & coram Curia Admiralitatis, iure contra eos agebant, & iusta licitaque, an iniusta & illicita esset præda disceptabant; adhibitis ad id demonstrationibus, testibus, pactionibus, epistolis vectorijs, aliisque huiusmodi indicijs: si autem iusta & licita adiudicabatur; quintā partem prouincia Zelandica, in belli vsum, per constitutorem collectorem accipiebat: abiudicata autem, vtpotè ad illos qui hostes nequaquam erant, pertinens; libera quidem dimittebatur, verùm damni illati compensatio aut restitutio nulla aut rara ad nodum accedebat.

Dissentio inter Anglos, Hollandos & Zelandos.

Flisingenses naues bellicas instruunt.

Licium agendarum mos in Zelādia coram admiralitatis.

Cùm autem Galli, & præcipuè Anglihæc tibi à natione longè minore ac viliore fieri molestissimè ferrent, tibi que multa concedēda & permittenda reputarent, quòd contra Belgas bellum non gererent, & de illis bene meriti essent: quod anno præcedente quatuor naues Flisingenses, liberam licitam que prædā quæritantes, aduerso vento, & necessitate coactæ, in portum Plemontheum venissent, & nautæ à nonnullis quibus damnum fecerant, accusati, & iudicis auctoritate retenti, iudicio agere cogerentur, cum itidem se ex Anglia subduxissent, Flisingæ grauiter de tali iniuria conquesti essent; dum viri probi & ciues haberentur, vndè Flisingenlibus hoc male fabuit, quod eorum Curiæ admiralitatis sententiæ in dubium vocaretur, & contra ipsos Reprelalia siue violentas repetitiones fierent, iniqui iudicij prætextu, neque causis, neque excusationibus audiris: quare hanc iniuriam vlcisci statuerunt: itaque anno 1576. multas Anglorum naues mercibus Hispanicis & alijs admodum pretiosis onustas atque optimè instructas capiunt, & Flisingam perstrahunt: naues quoque Anglicas quatuor retinent, quibus Zelandorum consensu licitum erat per Scaldim nauigare Antverpiam: cùm autem quatuordecim simul numero Flisingæ retinerentur, & graues hinc querelæ in Anglia fierent; mittitur in Zelandiam Reginæ nomine, primò quidem Secretarius Curiæ M. Robertus Bealeus, deinde D. V Vilhelmus V Vinterus equestris ordinis vir, cum aliquot collegij mercatorū, quos vulgo auenturerios vocant, delegatis, qui cum Principe Auraico & Zelandis pactum inirent, per flumen Scaldim liberè Antverpiam petendi, & negotiandi, ea conditione (vt Zelandi dicebant) ne quid Angli Dunkerkanis aut Flandris Zelandorum hostibus adiucrent aut aueherent, neque alibi quàm Antverpiæ negotiarentur: quod si quid Zelandi contra deprehenderent, id omne iusta & licita haberetur præda: quod quia alij mercatores secus interpretabātur, hinc graues querelæ & lites ortæ. Zelandi autem reputabant, ob beneficium Anglis, huiusmodi contractu præsertim, æquum esse, vt & Angli ipsis in suis angustijs aliquid concederent, neque naues in Anglia hostili more retinerent.

Flisingenses naues quatuor in Anglia retinentur.

Flisingenses retinēt naues Anglicanas.

Eo autem ipso tempore quo Zirickseæ deditur, Princeps & Ordines Zelandiæ, Middelburgi cum dictis legatis & delegatis Anglorum Reginæ nomine agunt tranigunt, que, vt quatuor naues Flisingenses eo in statu quo tunc Plemontij erant, restituantur, & amicitia vtrinq; feruetur, &c. Nomine etiam mercatorum Anglorum, pactā initur à delegatis, cum dicto Principe Auraico & Zelandiæ Ordinibus, id que 21. Iulij 1576. Middelburgi subsignatur: eo q; pacto Angliæ naues omnes retentæ, remittūtur & discedant liberè, difficultatibus & controuersijs omnibus diremptis: ita vt post hac nullę in Angliæ retentiones, manus iniectiones, aut represalia iudicij Archithalasici Zelandi rata essent, nisi excusationibus prius auditis. Condictumque vt delegati certas ob causas ducenta florenorum millia, parata pecunia, numerarent, quæ Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, intra annum, si pax fieret: aut intra duos, si bellū duraret reddituros promittebant: Præterea in Anglia, ab Anglis, Belgis, & alijs contributionem exigerent in Zelandici belli vsum, quæ facile, vt sperabant in summam 80. aut centum millium coronatorum excrescret: si verò hæc contributio, omni diligentia ab ipsis adhibita, conquiri non posset; darent intra sex menses mutuo adhuc quinquaginta florenorum millia: mitterent insuper Principi Auraico ducentas Bombardas ferreas, futiles certæ magnitudinis, facultate ab Angliæ Regina impetrata: solutionem autem ex dicta contributione acciperent, aut eandem de summa quinquaginta mille florenorum detraherent.

Pactio inter Anglos & Zelandos.

His

An. 1576. His pactionibus tranſactis, Reginæ legati cum omnibus Anglorum nauibus retentis diſcedunt: proficiſciturque vnà, Principis nomine, Capitaneus Deſpontinus, generoſus, quatuor naues Fliſsinganas in Anglia recepturus: quas quidem adeo correptas & fractas inuenit, vt inde

Angli mercatores, Zelãdi promiſſa non ſeruant.

auehi nequaquam potuerint. Cùm verò Anglorum mercatorum delegati, ad initi contractus normam, promiſſa florenorum ducenta millia partim ſoluere cœpiſſent: mercatores Angli qui ſuas naues ex Zelandia in tuto habebãt, mox grauiter conquerũtur de vi illata, & extorto contractu: idque & quæcunque inſuper delegati cum Zelandis tranſegerant, Irrita pronunciãt: Reginam adeunt, atque ab ea naues aliquot præſidiarias petunt, qnibus comitantibus, ſuas naues pannis, lanis & aliis mercibus onuſtas ſecurè Duynkerkam vehant: literis quoque ad ſuos delegatos in Zelandiam miſsis, ne quicquam pecuniæ amplius Zelandis numerent, prohibent: veritiſque ne recuſantes fortè apprehendantur, carceri includantur, aut alio modo à Zelandis moleſtentur vel cogantur; ocyus decem aut duodecim præcipuos mercatores Belgicos, quos Hollandis & Zelandis inprimis fauere reputabant, in carcerem condunt, eorundemque bona detinent: verum paulò poſt, cautione quolibet tempore comparendi præſtita, & ingenti pecunia numerata, liberos dimittunt. Regina, Heroina clementiſsima, ſuorum querelas exaudire, ſubditoſque defendere paratiſsima, mercatorum poſtulationibus; conſilio habito, annuit: reputans tali contractu auctoritati & honori ſuo nonnihil detrahi: extraneis quoque Eccleſijs Londini ſeuere atque acerbè à Senatu præcipitur, huiuſmodi violentam pactionem corrigi, & mercatoribus ſatisfieri curent. Eccleſiæ autem Regiam Maieſtatem mitigarę cupientes, Villerſium Gallicum concionatorem ad Principem Auraicum legarunt.

Dum itaque Reginæ naues præſidiariæ mercatorum naues onerarias per mare Duynkerkam deducunt, vident prope montes arenarios Angliæ, vulgo Duyuen, non procùl à Douera, quinque aut ſex naues Zelandicas hærere, quarum nautæ cum nihil aduerſi exſpectarent, inimi citiarũ contractus initi cauſa prorſus ignari, Anglicam claſſem honoris & ſalutandi gratia accedunt: ſimul ac verò nauarchi & præfecti ad nauium Anglicarum foros oraſque peruenium, ab Anglis ilico apprehenduntur: incauti etiam nautæ præuertuntur, opprimuntur, captique in continentem ducuntur: naues quoque hoſtiliter inuaduntur & diripiuntur: cumque nautarum captorũ numerus maior eſſet quàm vt ali poſsit, plurimi tenuioris ſortis dimittuntur: tandem quoque poſt longam cuſtodiam, nauarchis & naucleris abeundi copia datur.

Interea verò dum Hiſpani & alij Zelandorum hoſtes bene ſperare incipiunt, & maius diſsidium, imò acre bellum inter Anglos & Zelandos omnibus votis exoptant atque exſpectant: Princeps Auraicus, heros inprimis longanimis, prudens & conſideratus, malum iſtud ſapienter præuenit, & Dominum Bartleyum Anglum, Capitaneum ſtrenuum ac probum, cum mandatis & commentarijs in Angliam legat: qui cùm humaniſsimè & commodiſsimè rationes & argumenta expoſuiſſet, Reginam contentam reddidit: itque effecit, vt captiui vtrinque dimitterentur: verùm mercatores Angli, huius diſcordiæ præcipuè auctores, præcipuè damnum ſunt paſsi, tam ob merces perditas, & negotiationes abſque vſuras intermiſſas, quàm pecunias Zelandis ante numeratas. Fuit autem hæc quoque controuerſia, opera ac diligentia Iacobi Taffini, quem Princeps Auraicus hac de cauſa in Angliam miſerat, direpta atque ſedata.

Circa id tempus Bartholus Entenſus Friſo, vir nobilis, qui Auraico his bellis ſedulò ſuam operam præſtitit, aggerem Ooſtmerhornum in Friſia violenter cœpit, eumque, hoſte ſæpius fugato, optimè muniuit.

Turba in Frizia tandem ſedantur.

Commendatore Belgium adhuc gubernante, Gallis reformatæ religionis propugnatoribus vires ſumoperè in Francia creuerunt, ſocietate & auxilio eorum, quos vulgo Malecontentos vocabant, vtpotè quibus iniqua Galliarum gubernatio varias ob cauſas ſumopere diſplicebat: videbant enim, defuncto Rege Carolo IX. vnicum Regis fratrem, Regem Nauarræ, & Principem Condæum tanquam captiuos cuſtodiri: duos etiam Tribunos militares, ſiue Marſchalcos, Montmorentium & Coſſeum ſtricta captiuitate teneri, Marſchalcum quoque Danvilleum in ſummo vitæ periculo, ob inſidiatorum machinationes, verſari. Cumque huic malo, poſt Regis, qui ex Polonia fugerat, aduẽtum in Franciam, nihil remedij adhiberi vident, tandem Regis frater Dux Alenſonius ſagaciter, celeriterque cuſtodum manus euaſit vnà cum Rege Nauarræ: atque interea Princeps Condæus in Germaniam profugus, ingentem exercitũ colligi curat, ſub duce Caſimiro, cui ſe Regis frater, tanquã Archiſtrategus iungit. Poſtquam hic exercitus in Franciam venit, maximumque regno damnũ inferre cœpit, Regis mater quanta potuit diligentia, pacem inter fratres, ſuos filios, & alios, in totius regni commodum fecit: quæ Pariſijs anno 1576. 14. Maij promulgata fuit: Hinc Duci Alenſonio, vnico iam Regis fratri, magna in regno portio data fuit, nempè Andegauorum, Turonum & Byturigũ regiones, cum omnibus eò ſpectantibus. Reformatæ quoque religioni addictis conceſſum ſuæ religionis liberum exercitium, per totam Franciam, abſque vlla oppidorum aut locorum ad religioni addictos pertinentium exceptione: præterquam Pariſijs & tribus circumcirca miliaribus, &

loci

locis duobus tantum miliaribus ab Regis aula distantibus. : Præterita omnia condonata : imò tanquam in Regis obsequium & commodum reputata. Restitutæ vnicuique suæ facultates, dignitates, & dignitates : Restitutæ etiam facultates, dignitates, & famæ ac nominis integritas omnibus anno 1572. Parisijs trucidatis, nempe Ammiralio siue Archithalasso Franciæ : præterea Montgommerio, Montbruno, Briquemauto, Caugnesso, & alijs : Maleo quoque, Coronasso, & cæteris. Quin & acta 24. Augusti, die festo D.Bartholomæi 1572.nequaquam hostilia fuisse declarantur. Comitia Ordinum generalium Franciæ, quibus omnia pacata & quieta redduntur, Blesis decernuntur. An. 1576.

Princeps Auriacus in suo principatu Auraico, & omnibus possessionibus restituitur. Denique Rex religionis reformatæ defensoribus, maioris securitatis ac cautionis causa, octo oppida tradit, vt latius videre est in Gallicis Historijs.

ARGVMENTVM. Lib. VI.

HISPANI vbique seditionem mouentes Aloistum diripiunt, quare decreto Regij Concily Status, rebelles hostesq; publici declarantur. Præcipui quidam proceres è Concilio Status captiui ducti, totumque Concilium reformatum. Interea Ordines videntes Hispanos sibi associare Germanum militem, de stipendio conquærentem se contra eos prouinciali armarunt, vtque se fortius muniant, coacti sunt cum Hollandis & Zelandis tractatum pacis prædæ nuper propositum resumere. Interea Hispani Traiectum ad Mosam spoliant. Concilium Status, vtpote summam rerum iam administrans, Marchionem Haureum cum militum manu Antverpiam, contra Hispanicum arcis præsidium ablegant, qui vallis structis contra Hispanos se muniuit, Mox quidquid Hispanorum hæserat Aloisti, & alibi in arcem Antverpianam conuolat, deque improuiso ciuitatem inuadunt, spoliant passimq; incendunt. & à Germanico milite aduti, magnam ibi cædem edunt. Moritur Imperator Maximilianus. Pacificatio Gandauensis cum Hollandis & Zelandis concluditur, quàm Rex quoque habet ratam. Arces Gandaui, Valencenæ, Groningæ, Cameraci, & vltraiecti, occupantur, & pleraque earum diruuntur. Frisones rebellant Billio & Hispanij. Ioannes Austriacus Belgiũ intrans, Luxemburgum venit, se q; aduersus Concilium Status & Prouincias non bene affectum ostendit. Quapropter illi rebus suis prospicientes, contra iniurias eius se armant, auxilia & exercitum colligunt. Hæc in re Concilio Auraici vtentes. Ad negotia hæc componenda, diu Marchiæ in Famina de pace agitatum, vbi tandem Edictum perpetuum pacis compositum : Contra quod Auraicus (multa Belgas præmonens) est protestatus. Hispani tandem iuxta pacis cõditiones è Belgio proficiscuntur, incoluq; arces ciuitatum tradunt. Hæc facta sunt spatio vnius anni gubernante Concilio Status.

LIBER SEXTVS.

Seditio Hiſpanorũ & VValonum in obſidione Zirickſeana & alibi.

VDOVICO Requeſeno, Commendatore Maiore, generali Belgarum Gubernatore, mortuo; & prouinciarum gubernatione ab ipſo Rege Status Conſilio, vſque in Domini Ioannis, fratris illegitimi, aduentum commiſſa; Zirickſæa quoque iam capta; Regis ſtipendiarij vbique locorum in Belgio debitum ſtipendium, non ſine magno tumultu exigere incipiunt: cùm illi qui Zirickſeam obſiderant atque cœperant, antea ſeditionem minati fuiſſent, niſi ſtipendium ſtatim numeraretur. Maximè autem Hiſpani dira minabantur vrbibus Antverpiæ & Machliniæ; & præcipuè autem Bruxellæ, vbi Hiſpanorum magnus tunc numerus erat. Conſilij Status Senatores & Gubernatores præmoniti, quaſcunque rationes Zirickſeæ, expugnatores & præſidiarios placandi ineunt: iiſque centena florenorum millia, quæ Zirickſeana ciuitas ex pacto additionis debebat, offerunt: Verùm Monsdragonij copiæ, VValones, Zirickſeæ præſidiarij, expulſis ſumma dexteritate ex vrbe Hiſpanis, plurimis etiam occiſis, centena hæc florenorum millia ſibi in ſtipendij ſolutionem dari volunt. Qua de cauſa Hiſpani palàm vbique ſeditiones excitant, Tribunos ſuos & præfectos abigunt, pagos, agros, aliaque loca depopulantur ac deripiunt: relictiſque ſtationibus, munitionibus, propugnaculis, in Brabantiam ſimul omnes rabidè contendunt: in miſſæ celebratione fidelitatem mutuam iurant: in ipſo intlnere ad ſe quoſcunque alios pertrahunt, in primis Lilloani propugnaculi ad Schaldim præſidiarios, qui munitionibus relictis Herétalam ſimul veniunt: ad quos ab Conſilio Statns miſſus Comes Manſveldius, non tantùm veniam perpetratorum omnium offert, ſed & ratam portionem centies mille florenorum à Zirickſeanis, præterea etiam tres ſolutiones, ex ea pecunia, quæ omnium prima ex Hiſpanijs, aut aliundè adferretur.

Seditioſi contrà, plenam ſolutionem, & ſtipendij auctionem, ad hæc etiam ciuitatem aliquam opimam ſibi tradi, donec calculus omnis probè ſit ſubductus, poſtulant: & quia Bruxellenſem vrbem fraudulenter inuadere meditabantur, pollicentur ſe modeſtè ac placidè geſturos, donec ad poſtulata reſponſum accipiant. Interim autem literis Machliniam miſsis, tranſitum per ipſam vrbem permitti petunt, & vnius tantum noctis hoſpitium: verùm Mechlinienſes id negant, cohortum quoque militum poſtulantibus auxilio mittere recuſant: mox Grimbergã, duo vltra Bruxellas milliaria tumultuoſi contendunt: venit hucà Comite Manſveldio legatus Montesdoca Capitaneus, cuius reſponſio ac poſtulata cum eis nequaquam placeret, Aſcham & alia loca prope Bruxellam petunt, vnde Bruxellenſibus dira minantur: cumque Montesdoca rurſus ad eos miſſus pecuniam non adferret, eumque furibundi ſclopetis exploſis abegiſſent, & Conſilium Status fallere conſtituiſſent, Montisdocam epiſtolis ſtatim reuocant, & vt poſtridiè reuertatur rogant, quandoquidem negotium omne cum illo tranſigere cupiant: verùm eo ipſo die, nempe vigeſimoquinto Iulij Aloſtum verſus profecti, oppidum ex improuiſo varijs locis oppugnant, mœnia ſcandunt, nocte irruunt, plurimos occidunt, multa proteruè atque hoſtiliter patrant, & quendam regio officio præfectum ante vrbis portam ſuſpendunt: neq; interim Antverpiæ, Mechliniæ, Bruxellæ minari, & in ciuium ſanguine manus ſe loturos iactare deſinunt. Quibus quidem minis Bruxellenſes exacerbati arma arripiunt, ſeque defendere parati, militem conſenſu & permiſſu Conſilij Ordinum Babantiæ, colligunt, & D. Heſium, D. Gasbeki filium, ex nobili Hornana familia, vrbis Gubernatorem conſtituunt.

Hiſpani ſeditioſi Aloſtum capiunt.

Conſilij Status, Proceres & Senatores tunc temporis Bruxellæ præſentes, poſtquam Hiſpanos ſeditioſos nulla ratione aut æqua cõditione pacari poſſe videt, tandem conſentiente Hieronymo Rhoda Hiſpano, quem, antea ſanguiniarij Conſilij ſenatorem, tunc in Status conſilium aſciuerat Commendator, Hiſpanos hos milites ſeditioſos, & Regi Prouincijſque rebelles declarant: eandemque ſententiam vigeſimo ſecundo Sept. die repetunt: & proximè habitantes prouinciales arma capere, & æramenti aut tympani ſigno ſocijs ad arma vocatis, Hiſpanos inuadere atque oppugnare iubent.

Hiſpani ſeditioſi rebelles Regi declarantur.

Hæ declarationes ipſis Hiſpanorum, Tribunis ac præfectis, nempe Iuliano Romero, Alonſo de Vargas, & alijs, qui ea tempeſtate, præ metu ſe in aula Bruxellæ continebant, nequaquam diſplicere videbantur: verùm Santius Dauila arcis Antverpianæ præfectus, Bruxellam vocatus ad conſilium, rebelles Hiſpanos domandi ac reducendi cauſa, venire recuſat: vnde ſtatim orta

tim orta ſuſpicio, Hiſpanos ſimul omnes conſpirationem machinari: cùm ipſe Santius, tanquam Archithalaſſus, naues præſidiarias & actuarias ex noua ciuitate vehi, & proximè arcem collocari iuſſiſſet: & Tribunos præfectoſque militum Germanorum, qui tunc Antverpiæ erant, imprimis Carolum Fockerum, Georgium Fronsbergum, Ottonem Ouerſteynium Comitem, ciuſque vicarium Iohannem Menshamium in ſuas partes pertrahere ſtatageret. An. 1576.

Ouerſteynius enim nouem Germanorũ cohortes, ex ſua legatione Antverpiæ habebat, qui eò ex Flandria venerant, poſtquam Hannibal Comes Altaemſtenus cum ſuis copijs dimiſſus eſſet, certa pecuniæ ſumma numerata, quam Flandri, vt à Germanis præſidiarijs liberi eſſent, coegerant: quorum ſex cohortes, Hannibale relicto, ſub Cornelio Endano, qui non procul ab vrbe Bruxella natus, ſe Germanum ſuperiorem ſimulabat, ſtipendia meruerunt, earumque duæ Antverpiam venerunt.

Mox alij Hiſpanorum militum præfecti, & Rhoda, exeunt Bruxella, ſe reuerſuros polliciti, & in arcem Antverpienſem veniunt: quin & Santius Dauila nauibus actuarijs, & alijs commeatum aduehi Hiſpanis qui Aloſtum occupabant, iubet: præterea Oliuerium equitibus ferentarijs præfectum, in Brabantiam, præſidijs relictis, euocat: is ocyus cum ſuis, contra Conſilij Status mandata, venit: in itinere autem turmam vnam ſuorum equitum, ſub Falconeto præfecto, per Flandriam prædationibus & cædibus graſſantem, agricolæ infenſi, ad extremos vſque limites è regione vrbis Antverpienſis perſequuntur: Santius autem ex arce vrbis auxiliares eò mittit ſclopetarios, qui octoginta plus minus agricolas interficiunt. *Santius Dauila Rhoda, & alij: Hiſpanis ſe iungit contra Belgij Gubernatores.*

Cumq; Champignius Antverpię Gubernator, Santio cymbas quibus equites ex Flandria amnem traijcerent, negaret; grauiter de eo conquęritur Santius, cùm tamen ipſemet ſufficientes in ſua poteſtate haberet naues, tam actuarias quàm alias: conſiliaque cum Rhoda & ſuis init.

Hic Rhoda, doloſo obſequij in Regis commodum prætextu, ſe Gubernatorem generalem nuncupabat, Regis ſigillum penes ſe habebat, omniaque pro ſuo imperio agebat, non ſine ſummo Procerum Conſilij Status contemptu ac præiudicio, quos tanquam Lutheranos vituperabat: & quibuſcunque modis Aloſtenſium gratiam captabat.

Ex huiuſmodi actis graui orta ſuſpicione, Brabanti, & alij ſuis rebus conſulunt, poſtquam nonnullos Conſilij Senatus ſenatores clandeſtinum cum Hiſpanis fœdus iniiſſe, alios autem placidè has turbas componere velle, reſciſcunt: itaque Bruxellenſes ſuæ ciuitatis defenſioni comprimis intenti, Ordinum Brabantiæ conſenſu, opera D. Glimeſi magni Brabantiæ Baliui, D. Heſei tunc temporis vicarij, & aliquot militum patriæ fidelium, ipſos Conſilij Status Senatores, in ſenatu apprehendunt, verùm maximam partem mox dimittunt; Comitemque Manſveldium, Dominum Barlemontium, Viglium & alios, cum nonnullis amanuenſibus ſequeſtri committunt: & rationes quibus potiſſimùm moueantur, typis edunt; imprimis quod fauore, conniuentia & arcano fœdere ſeditioſos Hiſpanos iuuiſſent: ijs conſilium & anſam Bruxellas hoſtiliter inuadendi præbuiſſent: clandeſtinis quoque conſilijs & machinationibus impedire militum collectionem ſtuduiſſent, quàm tamen paulò antè Brabantiæ Ordinibus aſſentierant: imò ipſimet in ſeditioſorum Hiſpanorum auxilium militum copias conſcribi iuſſiſſent, quibus Brabantis reſiſterent, & defenſionis commoditatem impedirent, donec nouus ex Hiſpania exercitus in Belgium veniret, qui Belgicas regiones tanquam recens ſubiugatas ac debellatas tyrannide violenta opprimeret, populo perpetuæ ſeruitutis, & Hiſpanicæ inquiſitionis iugum imponeret, magnæque ruinæ procerum, & virorum nobilium parti necem inferret, quod quidem ſe facturos Hiſpani iactitarant: præterea palàm teſtantur, apprehenſionem hanc nequaquam in veteris Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, vel Regiæ Maieſtatis præiudicium aut incommodum, ſed in prouinciarum ſecuritatem atque defenſionem contra doloſas ſuſceptiones, & illegitimas gubernationes factam eſſe: nihil quoque Hiſpanis rebellibus mali à Belgis metuendum, dummodo Belgium vi occupare non machinentur. *Conſil. Ordinũ apprehẽdit̃ à Bruxellenſibus.*

Hinc Rhoda, fœderati Hiſpani & Conſilio bellico præfecti, omnem auctoritatem ſibi ſumunt, quaſi legitimo quodam iure, nempe apprehenſis iam collegis. Verùm quia maxima apprehenſorum pars mox dimiſſa fuerat, Conſilij Status Proceres & Senatores eos liberos eſſe declarant: & Marchionem Haureum nuperrimè ex Hiſpania reducem, & Fonckium ſudeueldumque Conſiliarios ſibi adſciſcunt, & conſulentibus conſentientibuſque prouinciarum gubernatoribus & Conſilij priuati ſenatoribus, permittunt Brabantis, quo periculis maturè occurri queat, vt milites ſub D. Lieckerkio & alijs ſtrategis conſcribant, fœdus cum reliquis prouincijs ineant, & quibuſcunque modis ſe muniant. Primò itaque fœdere ſibi iungunt Hannonienſes, Comitis Lalainij & aliorum aliquot virorum nobilium opera; deinde etiam Artezianos, Burggrauij Gandauenſis ſtudio; poſtremò etiam Flandros & alios prouinciales: quo fœdere inito, Hiſpani eorumque fautores & ſectatores omnes tanquam rebelles declarantur, *Proceres Ordinum patriæ ſaluti conſulunt.*

Digitized by Google

An. 1576. armaque contra eos capiuntur, tum odij satis iusti, tum metus ne ab ipsis prorsus opprimantur, causa: hinc etiam accidit, vt Principi Auraico & Hollandiæ, Zelandiæque Ordinibus æquiores fierent, non sine summa commiseratione, vtpote qui se nullam aliam, præter hanc, belli occasione habere, apertè & amplè satis Bredæ declararant. Hinc persuasio & spes palsim orta in Belgio, pacem & quietem prouinciis, Hispanorum agmine eiecto, successuram: facile inter conterraneos controuersiam Religionis causa dirimendam: Regem proculdubio Catholicæ Romanæ Religioni multis iam locis exactæ, reductioni & restitutioni, patriæ quoq; saluti, & quieti studentem, hæc ægrè laturum, maximum esse errorem. Hæc erat vulgi nullis odijs aut affectionibus obnoxij sententia, tam Ecclesiasticis quam secularibus tranquillitatem pacemq; desiderantibus.

Hispani & Germani contra Belgij prouincias manifestè se armãt

Hispani autem harum rerum certiores redditi, sese confestim contra Prouinciales hostiliter admodum armant, suos vndique conuocant, Germanos etiam promissis, Regis auctoritate ac nomine, opimæ quoque prædæ multa spe in suas partes pertrahunt, inprimis Carolum Fockerum, Georgium Fronsbergum, Polvvilerum, & Cornelium Endanum Tribunos cohortibus numerosis instructos: atque hoc quidem pacto, Cornelij Endani duæ cohortes, Comitis Ouersteynij consensu, in vrbem Antvverpiam venerunt, qui Regione Tolana relicta, in itinere Borchtam & Crubekam Flandriæ Pagos diripuerunt. Santius quoq; Dauila nauibus suis præcipuè actuarijs per Schaldim sursum & deorsum vagatur, commeatum intercipit, prædatur atque grassatur: vtque Antvverpiam vrbem angustijs premat, consilio cum suis inito, opera Chiliarchi & castrorum præfecti Valdesij, propugnaculum è Regione Antvverpiæ, in Flandrico traiectu, construendum decernit, quo commeatum omnem ex Flandria Antvverpianis impediat.

Thenis Brabantiæ oppido, Germani milites sub Fronsbergo Tribuno, qui in præsidijs erant ciuibus Thenensibus arma eripiunt. Equites Hispani iunctis Germanorum peditum copijs die 15. Sep. non procul à Visnako pago inter Thenas & Louanium, parte exercitus Ordinũ sub D. Glimeso. cædunt: cùm enim Ordinum agmina nimium suis viribus fiderent, & 5. aut 6. Hispanorum agmina delere tentarent, ab Alonsij Vergæ equitibus insidioſe præuertuntur atque opprimuntur: hoc inflictu multi quoque scholastici & ciues Louanienses, qui spectatum exierant, fuere interfecti.

Niuellæ in Flandria duæ cohortes præsidiariæ ex legione Polvvileri, dum nimis petulanter quiduis pro libitu patrant, expelluntur. Flandri, præcipuè Gandauenses, postquam Hispanos arcis præsidiarios multa proteruè admodum agere, & Aloſtenſibus auxilia ferre vident, maturè suis rebus consulendum rati, metuentes ne ijdem præsidiarij, seditioſorum qui Aloſtum occupabant, auxilio freti, seditiones excitent, vt biennio elapſo Antvverpiæ acciderat, aggerem contra arcem iaciunt, præsidiarioſq; vt arcem relinquant, vi cogere niuntur: Germanorum quoque fortiſsimum præsidium sub Polvvilero Tenermondæ diſpoſitum pecunijs corrumpere studentes: verùm hæc omnia tunc temporis fruſtra.

Flandri, maximè Gandauenſes, sibi cõſulunt contra Hiſpanos arcem præſidiarios.

Interea autem temporis dum Gandauenses aggerem contra arcem conſtruunt, Monſdragonius arcis eiusdem præfectus, vt arcem in qua vxor erat, seruet, ocyus ex Zirickſæa cum magno VValonum suæ legionis numero, eò contendit, Antvverpiam præternauigaturus, verùm quòd iter per Schaldim impediretur, neque ad reliſtendum satis potentes haberet copias, præsidiarij quoque quos Ziriksee adhuc habebat, relicturos se omnia propugnacula, niſi ſtipendia numerentur, abſenti minarentur: quàm potuit celerrimè, qua venerat, eſt reuerſus: nihilominus ijdem præsidiarij relictis poſtmodum propugnaculis ac munitionibus aufugerunt: atque eorum plurimi, tanquam boni prouinciales, patriæq; amantes, operam militarem Ordinibus præſtiterunt.

Triplex bellũ in Belgio.

Hic Belgij fuit ſtatus hac tempeſtate, qua triplici bello infeſtabatur: & quęque pars duplices habebat hoſtes. Duæ autem, nempe Conſilij ſtatus proceres, & Hiſpani ſeorſum ſui purgandi cauſſa rem omnem & Regi ſignificabant, Legato tunc Ordinum nomine, Domino Raſsingenio in Hiſpaniam miſſo. Cùm autem pars vtraque Regis honorem ac commodum prætenderet, Ordinum proceres inſuper etiam patriæ vtilitati, ſuæque ſaluti, vitæ ac ſecuritati conſuluerunt: legatoſque in Franciam, Angliam, Germaniam, & Cliuiam, qui opem, fauoremque poſcerent, miſerunt: ijs autem Dux Alenzonius ſiue Andegauenſis, Regis Franciæ frater, per Dominum Monducetium, Regis legatum, auxilia ſubſidiaque primus tunc temporis obtulit.

Proceres Conſilij Status, & Ordines Prouinciarum, poſtquam Hiſpanos cum Germanis & alijs tumultuoſis ſeditioſiſque fœdus pepegiſſe animaduertunt, conſultiſsimum reputant cum Principe Auraico, & Ordinibus Ciuitatibuſque Hollandiæ & Zelandiæ pacem inire, ad normam pacificationis anno præcedente inceptæ in vrbe Bredæ: tali enim potiſsimum ratione accommoditate, iunctis nempe ſimul viribus, haudquaquã aliter, in hoſtiũ irruptiones reliquas prouin-

Digitized by Google

prouincia impediri posse. Vt autem, quàm sincerè & ex animo pacificationi studeant, & firmæ pactionis ipsum habeant, ipsa re demonstrent, petunt (comprimis quidem Flandri) per D. Auxtium, Comitis Bossui captiui fratrem, à Principe Auraico milites & tormenta bellica, quibus arcem Sandauensem cingant, concutiant & oppugnent: cui negotio Comes quoque Reussius Flandriæ Gubernator suam operam præbuit. Auraicus sine mora Gandauensibus succurrendum reputans, in Flandriam fortia militum agmina, & tormenta bellica mittit: fidei autem & securitatis causa Neoportum Flandriæ oppidum recipit pactione pignori ei traditur. Mox etiam Hollandi & Zelandi eo commeatum quemcunque Antverpiam vehi permittunt: Delegati quoque vtrinque Gandauum mense Octobri veniunt, Pacificationem Bredæ intermissam sedulo repetunt, & multa, quæ post latiùs explicabimus, concordes simul transigunt. An. 1576. *Consilium Ordinũ & Ordines prouincia-rum pacifica-tionem repetunt.*

Interea Mosætraiectici ciues Hispanos præsidiarios, qui sub Tribuno Montesdoca vrbem custodiebant, missos facere studient: eiusque rei causa cum quibusdam Germanorum cohortibus ex Ouerstey ni legione pactum ineunt, quorum auxilio Montesdocam apprehensum custodiæ mandant, & Hispanos VVykam, vltra Rhenum abire compellunt. Verum D. Alonzo de Vargas cum suis equestribus copijs, vnaque D. Ferdinandus à Toledo, Chiliarchus, vigesimo Octobris die ocyus adaduant, vrbemque summa cum festinatione ac fagacitate intrant, magnâ ciuitati cladem inferunt, eamque diripiunt: Germani autem milites, quibus ciues partim fidebant, parum aut nihil resistunt, imò tandem vna quoque prædantur. Quæ quidem res prouincijs omnibus metum ingentem incussit. *Mosæ traiectum, siue Traiectũ inferum ab Hispanis diripitur.*

Hinc proceres consilij Status, & Ordines prouinciarum Bruxellæ consilium ineunt, & vrbem Antverpiam contra arcis præsidia necessario muniendam decernunt: verùm nimis tardè. Champignius enim Antverpiæ Gubernator, anteà, ea nempe tempestate, qua aduersâ rij simul consilia in vrbe inire cœperant, suam operam Consilio Status obtulerat, pollicitus se Hispanorum præfectos, & Germanorum Chiliarchos ad consilia simul ineunda in vrbe congregatos apprehensurum, dummodo sibi & Ioanni Mouffenhamo viro ad id imprimis idoneo, ac fideli id negotij committerent. Verùm Consiliarij Status nequaquam consultum tunc temporis tale quid aggredi reputarunt: Cumque iam agmina militum nouitia, non satis probè armata haberent, Antverpiam miserunt Marchionem Haureum cum viginti & vna cohortib. peditum, quibus se iunxerunt cohortes octo D. Bercoli, septem Comitis Egmondani, tres D. Hesei, præterea tres quæ Namurco venerant: insuper turmæ quatuor equitum, equis publicis merentium, siue Ordinantiarum bandæ, nempe Arschotani, Haurei, Bossui, & Vicecomitis Gandauensis: turmæ quoque sex equitum expeditorum D. Bieuri, vnaque cum illis D. Capresius, horumque omnium tanquam Archistrategus D. Goigniesus. Venit hic exercitus 2. Nouemb. Borgerhoutum, & ad Antverpienses vrbis portam vsque: verùm cum nullum porsus diploma adferrent, Champignius, eos, nisi Consilij Status literas decretumque ostendât, admittere in vrbem negat: vtq; suum sequantur consilium monet, nempe itinera omnia ad ipsam arcem vsque occupent atque muniant, præcipuè Marckgraui-leyam, & hortum Hengstouianum, qui fere ab omni parte fossis aggeribusque septus erat; atque hac commoditate resistant, impediantque quo minus seditiosi ex Alosto, equites ex Mosæ-traiecto, aut aliunde aduenientes hostes intrent. Se quidem commeatum & necessaria quæcunque suppeditaturum ex vrbe: Principem quoque Auraicum, si opus sit, auxilia missurum: quandoquidem nuncium allatum sit, pacificationem Gandaui iam pactam confirmatamque haberi. Palàm autem esse ex literis interceptis, arcis Antverpianæ præsidiarios reliquos omnes Hispanos vndique conuocasse, & ad prædam opimam vrbis iniuisse. Nouem cohortes proborum atque fidelium Germanorum militum sub Comite Ouersteyno, præter quatuor Cornelj Endani, satis esse strenuas atque potentes, ciuium iunctis viribus, ad vrbem defendendam: quatuor autem Endani, quibus minus fideretur, facilè posse compelli, vt vrbe exeant, dummodo id ita fieri Consilio placeat: imò ipsos ciues solos absque præsidiarijs vllis vrbem facilè defensuros contra arcem, dummodo armari & in strategias distribui iubeantur. Se quidem tale quid aggredi hactenus noluisse: ne hinc Comiti Ouersteyno, & suis aliqua suspicionis occasio daretur, quod tanquam parum fideles habeantur. Sex iurata ciuitatis collegia habere arma iam parata: se quoque constituisse, quibus modis vrbem contra arcem vallis aggeribusque in plateis muniat contra tormentorum æneorum ex arce hostiles impetus, & contra quoscunque tam equitum quam peditum assultus: stationes quoque & vigilias satis bene dispositas esse. Verùm cum istud Champignei consilium Bruxellæ indicatum propositumque, Ordinum proceribus non placeret varias ob causas: rursus mandatur, missa agmina, ne extra vrbem opprimantur, esse intromittenda, quandoquidem neque tormenta bellica maiora, neque cunicularios aut fossores haberent, ne fortè sicut ab Hispanis sub Iuliano Romero eadem septimana profligatus erat Floyonus cum suis agminibus, ne ipsis quoque aliquid mali eueniret. *Consil. Ordinũ vrb. Antuerp. contra arcis præsidiarios munienda decernunt.* *Champignij hortum consilium de arce inuadendâ ex-tra vrbem.*

Hoc Ordinum, mandato agmina quæ die veneris ante vrbem venerant, die Sabbathi ante

An. 1576. meridiem fuére intromiſſa, contra ac reputarat conſulueratq; Champignius vrbis Antvverpienſis Gubernator: qui poſtmodum, quod ſuis proſtrationibus commoditas, opportunitaſque vrbem vallandi ac muniendi contra hoſtilem arcem, amiſſa eſſet, grauiter accuſatus, tandé ſententia lata, ſuſpicione omni abſolutus fuit.

Die Veneris, interea dum Ordinum agmina in ſuburbijs agunt, Polvvillerus, Fronsbergus, & Carolus Fockerus Chiliarchi ex arce in vrbem veniunt, & inter Obersteyni milites ſeditiones excitare ſtudent, ſicut & tridio elapſo, cum Polvvillerus diceret Obersteynum vnà quoque fœdus in arce pepegiſſe de Ordinum militibus excludendis, & ciuibus exarmandis: ea autem pactionis formula ſcripta erat Hiſpanicè, quam reliqui Tribuni turbarum mouendarú cauſa, Obersteyno, vt ratam haberet, obtruſerant. Interea quidam Fockeri milites diſſidia quoque ſeminant inter ciues & præſidiarios: cumque hac de cauſa Obersteynus & Champignius ſumoperè commouerentur, quærit Obersteynus, quid ipſi cum ſuis negotij ſit: ſuas legiones curet, & Niuellam proficiſcatur, eamque cuſtodiat, vnde ſui magno cum dedecore fuerant expulſi: cumque alij eum monerent, vt fidem abſque pactione inita ſeruaret, & poſt multa vtrinque conuitia ad verbera ferè ventum eſſet, Obersteyni milites haſtis armiſque in Chiliarchos impetu facto, eos in arcem confugere compellunt. Tum Ordinum exercitus, conſilij Status mandato, in vrbem intromittitur.

Marchio Haureum Antverpiam intrat, vrbem defendit.

Cumque die Sabbathi, ſub meridiem Ordinum agmina vrbem intraſſent, equiribus circa forum equarium hoſpitia deſignata fuére: pedites autem recta arcem verſus tendunt: quod ſimul ac ij qui arcem defendebant, percipiunt, mox magno impetu in vrbem tormentis iaculantur, & eruptione facta, ignes ædibus ciuium inferunt: verùm aduenientibus ſtatim reſiſtit D. Fonteynius cum magno Gallorum agmine, quibus Egmondanus præerat. Mox Hiſpani & Itali mercatores cum rebus ſuis pretioſioribus in arcem confugiunt. Conſultatione habita, Marcho Haureus iubet aggerem cõtra arcem cõfici, quod vt feſtinato fiat, Chãpignius exiguæ horæ ſpatio vndecim plus minus hominum millia in ciuitate colligit, qui fodiant, vrbemque contra arcem quibuſcunque inſtrumentis muniant, maximè ſaccis lana, lupo ſaliçtario, glaſto & id genus alijs mercibus refertis: itaq; aggeres, valla, & propugnacula confici cœpere. Champignius Marſchalcko Goigniefo varios locorum oportunos ſitus, quibus ſtationes diſponantur, monſtrat: vt VValones propugnacula vallaq; cuſtodiant, conſulit, ijſque ex D. Michaelis Abbatia neceſſaria ſuppeditari iubet. Obersteyni agminibus, vt vlterius in vrbem pergant, præcipitur. Verùm ſtrategi & præfecti VValonum, opulentiſſima potius hoſpitia apud ciues diſquirere, quam excubias & ſtationes diſponere ſtudent: hincingens mox orta confuſio: ita munitionum, vallorum & aggerum opera negligenter promouerentur: cumque tormentorum frequentem ex arce impetum valde metuerent: exiſtimarunt opus noctu felicius ac ſecurius ſucceſſurum: verùm arcis præſidiarij nocte tota in vrbem iaculando id impediuerunt.

Negligentia & cõfuſio inter nouos militeſ præſidiarios Antverpie.

Gubernator autem negligentia & confuſione huiuſmodi in propugnaculis conficiendis, & excubijs agendis perſpecta; rebus ſuis poſtridiè melius conſulere, & ciuibus aggerum iaciédorum, & vrbis defendendæ curam committere decernit: magnaque eius noctis parte vnà cum ciuibus occupatur tormentis aliquot in Gladiatorum horto diſponendis; quamuis multi crebris ex arce globis ferirentur; ſperans ijs hoſtium Bombardas facilè rumpi, rotis excuti, atque perturbari poſſe.

Hiſpa. Antv. inuadere machinantur.

Interea Rhoda, Sancius Dauila & alij aduocant ex Moſæ-traiecto D. Alonzum de Vergas, cum Hiſpanicis, Italicis & Burgondicis copijs, turmis nempe equitum circiter mille, quibus iunctæ erant peditum Germanorum cohortes ſex, duæ Fronsbergij, vna Fockeri, & tres Comitis Obersteyni, quas ſpe prædæ, aduerſus Tribunum, ſub quo militabant, pellexerant. Veniunt hi ſimul omnes quarto die Nouébris, die Dominico, mane in arcem: vbi & præſto tunc fuere Iulianus Romerus cum ſuis copijs ex Lyra vicino oppido: aduolarunt etiam ſeditioſi ex Aloſto oppido circiter 2000. ad ſpoliãdam Antvverpiam inuitati: vnde tamen ipſis pluſquam quadraginta coronatorum millia fuerant miſſa: debebanturque adhuc octoginta, & inſuper duorum menſium ſtipendium poſt ſeditionem meritum. Cùm his ſeditioſorum agminibus, quos ipſemet Rhoda paulò antè tanquam Regi rebelles iudicarat, ac promulgari iuſſerat, Antvverpiam hoſtiliter inuadunt, ciuitatem Regi omnibus modis tunc maximè fidelem ac obedientem, iuſſaque Conſilij Status capeſſentem: quandoquidem Conſilio Status prouinciarum gubernatio à Rege commiſſa erat: maximè autem, vt eas defenderent contra illos, qui rebellibus auxilia ferebant, & ſeditioſa Hiſpanorum agmina in vrbem adduxerant, ciuibuſq; quatercentena florenorum millia extorſerant. Chiliarchi quoque Germani Fronsbergus, Polvvylerus & Fockerus, auaritia nimia illecti, fidei datæ contemptores, rebellibus Hiſpanis ſe ſocios iungunt contra Regem & Prouincias, atque in vrbem ſex Germanorum militum cohortes adducunt. Erat præterea in vrbe Cornelius Endanus cum quatuor ſuis cohortibus, qui ab initio fœdus cum ſeditioſis pepegerat: quod quidem & ipſe & alij eiuſdem farinæ ſtrategi in ſuis ad

Fidelitas Antverpienſium, & perfidia Hiſpanorum & German.

Comitem

Comitem Hannibalem Alſtaemſtum literis ſcriptis, & poſtea interceptis iactitarunt: eiq; pro militari teſſera, tenia viridis, qua ab alijs diſcerneretur, conſtituta fuerat. An. 1576.

Prodeunt itaque hæc agmina: Seditioſis qui Aloſto venerant, iubentur, vt verſus templum D. Georgij ſigna ductumq́ue ſequantur Electi: nondum enim omnibus ſolutum erat ſtipendium: his tres Germanorum cohortes ſe iungunt. Verſus D. Michaelis Abbatiam contendũt, Iulianus Romerus cum ſuis: Baldeſus & Moræ-traiecti præſidiarij inter vtroſque. Prope D. Georgij, aduenientibus acriter reſiſtitur, territiq́ue tormentorum crebris exploſionibus hærent. Caculæ autem & meretrices ſtramina, quibus proximæ domus incendantur, adferunt. *Agmina Hiſpanorũ Antverpiam inuadentium.*

Cùm ſub meridiem hora duodecima Marchio Haureus, & alij proceres conſultationibus intenti, agmina in arcem veniſſe audiuiſſent; vix id credere potuerunt: quandoquidem Aloſtenſibus iter per flumen clauſum eſſet, nullos autem habebant equites exploratores, ex quibus quid hoſtis ageret, intelligere poſſent, neque eo die quenquam ad explorandum miſerant: tumultu verò audito, ocyus, ad ſuos quiſque, abeunt.

Contra emiſſarios qui ex arce, explorandi & velitandi cauſa venerant, ſtrenui quidam ciues iuniores tendunt, in planiciem exeunt, tantaq́ue alacritate aduenientes inuadunt & repellunt, vt multi iudicarent, ciues ſuarum rerum ſtudioſos, & ſedentium aditumq́; expertos, ciuitatem multò fortius animoſiuſq́ue, quàm milites extranei, defenſuros. Eaque potiſſimum de cauſa Champigneius equo vectus verſus D. Georgij ædem properat: in itinere & per totam vrbem ciues arma capere, & in forum Boarium, & in Anglorum mercatorum baſilicam ſiue burſam conuenire, iubet: perluſtratis munitionibus atq; vallis cò feſtinare, ordinem conſtituere, Præfectos diſponere meditans: reputabat enim ſe in tanta multitudine, hominum bene armatorum ingentem numerum inuenturum, quorum ſtrenuitate hoſti reſiſtatur. Verùm enimuerò V Valones prorſus ad bellum inepti, rudes, Tyrones, locorum ignari, ſocordes ac negligentes inuenti ſunt. Inde in hortum gladiatorum venit, & tormenta quæ ea nocte ibi diſpoſuerat, magnum damnum arci inferre poſſe perſpicit: hic D. Baudengneo & Verſo, vt ſuorum negotiorum curam habeant, præcipit: dumq́ue vlterius pergit verſus propugnacula & loricas, in ipſa planicie vltra domos, ſit obuiam Cornelio Endana, qui cùm ſe ſuis militibus puluerem nitratum quærere diceret: mox ſuſpicio Champigneum inuaſit: neque fruſtra ſanè. Endanus enim ſuos milites ad auferẽdum ex Abbatia D. Michaelis puluerem nitratum ſæpius mittebat: vt alios re tam neceſſaria ad bellum priuaret: quod quidem poſtea manifeſtè ſatis compertum fuit. *Champigneius ſummam diligẽtiam in vrbis Antwerp. defenſione adhibet, ſed fruſtra.*

Properat Champigneius inde ad plateam quæ Beghinarum vulgo dicitur: hìc de equo deſcendit, & pedes propugnacula & valla luſtratum vadit, quæ quidem parum munita videt: cumq́ue hoſtes emiſſarios ciuium alacritate repelli, & terga dare conſpicit, vrbem vlterius ingrediens, intelligit Hiſpanorũ agmina apprope rare: videtq́ue V Valones irritas glandes ſclopetis in hoſtem iaculari, neque vlterius audere progredi, metu horrendæ tormentorum explosionis ex arce: hìc D. Bereleum affatur, & vt ſedulo ſuam operam præſtare velit, rogat; V Valones quoque vt ſtrenuè ſe gerant ſumopere hortatur: ſed fruſtra, quia neque ipſe V Valones, neque ipſum V Valones nouerant: mox paulum progrediens proſpicit V Valones valla & propugnacula deſerere, & ſimul omnes fugam capere, antequam hoſtiles copiæ propius accedere auderent: currit itaque ocyus per hortum quendam, & Germanorum cohortes quæ in platea Bleydhocka ſtabant, hortatur vt fugiẽtes V Valones reuocent, ſiſtantq́ue: verùm operam perdit: quandoquidem ijdem Germani creberrima ex arce tormenta metuentes in quadriuium confugiunt. V Valones autem vt redeant nullo pacto cogi queunt, cum Ouerſteynij milites ſumma diligentia id præſtare niterentur, & ſtrenuè admodum ſe defenderent. Ipſe Champigneius ſigniferum quendam V Valonem brachio apprehenſum reuerti cogit: verùm idem fugam ilico rurſus capeſſit. Poſtea verſus Ouetam, ſiue littus, prope monetariam officinam feſtiuus venit Champigneius; vnde V Valones quoque, ſtatione relicta fugerant! inde verſus forum equarium abire, & hic ciuium agminibus ſe iungere meditans, nullam eo peruenien di commoditatem inuenit, eo quod & via longa eſſet, & ab hoſte occuparetur: conſultiſſimum proinde reputat ad cohortes Ouerſteynij confugere: verùm per forum ire non audet, metuẽs, ne in manus militum Cornelij Endani incidat, quos à reliquis Germanis diſcernere aut internoſcere non poterat: itaque verſus domum ampliſsimam Ooſterlingorum contendit, quam vt defendat quoſcunque inter eundum conuenit, eò mittit: certò ſciens duas cohortes inprimis fideles ibidem eſſe, ſub Fiernſto & Vincentio Bleykerò ſtrategis: ſtabat autem Fiernſti cohors in procinctu prope Harinck-vlietam: cui quòd vndique hoſtium agminibus cingeretur, auxilium nullo modo ferri potuit.

Hiſpani ex planicie, vallis & loricis tranſſcenſis, in vrbem per quatuor plateas irruunt, plateas quaſdam commodas imprimis occupant, & ædes nonnullas, vt habitatoribus metum incutiant, incendunt: mox plateis plurimis, abſque multo labore, potiuntur, quandoquidẽ neque *Hiſpa. Antvrbem ingrediũt.*

Digitized by Google

An. 1576. præſidiarij alter alteri, neque ciues præſidiarijs fidebant, vnde confuſio ingens & fuga oritur: nihilominus ſtrenuè pugnatur prope hortum gladiatorum, & in magno foro, vbi acriter reſiſtitur, tam in Germanis quibuſdam, quam collegiorum vrbis iuratis ſodalibus & alijs ciuibus, potiſsimùm ex ſummis ædibus & ſenatoria baſilica: in quam Hiſpani ignem injiciunt, foro linario paulò antè etiam incenſo, vnde inter ciues timor ingens ortus. Propè Burſam ſiue Baſilicam Anglorum fortiter quoque repugnatum fuit à ciuibus & à Germanis ſtipendiarijs: ſimiliter etiam in foro Boario: ſed fruſtra: imminebat enim veſper, & vrbs paſsim incendio flagrabat: alij quoque alijs impedimento erant, inſtinctu & machinatione præcipuè militũ Cornelij Endani.

Champignius cùm ad ædes Oſterlingorum, vbi Comitem Oueſteynum reſiſtendi cauſa eſſe intellexerat, peruenire non poſſet, tranſit prope riuum ſiue alueum ante Oſterlingorum ædes, hìc quemq; ſibi fuga conſulere, & plurimos cymbas & naues ſumma feſtinatione conſcendere videt: quod cùm Comes Oueſteynus quoq; conaretur, & de ponte in nauem ſaltu ſe conijcere vellet, à latere nauis delabitur, & grauib. armis indutus ſubmergitur. Cumq; tumultuatio ac perturbatio hìc maxima eſſet, & equites effugere volẽtes ab vna ad aliã portã varie diſcurrerẽt, eo quod omnes clauſæ eſſent, Champignius defendere medatans poſtremum propugnaculũ, Cattenburgum vulgo dictum, equum nactus, properat, equites hortaturus, animaturuſque ad reſiſtendum, quandoquidem ſubſidium ab Auraici & Zelandorum nauibus, quæ non procul aberant, exſpectaretur: ſed hæc quoque operam perdit, nam ſimul ac propius propugnaculum venit, videt hic Marchionem Haureum, ſed milites nullos, videt quoque Fiernſti cohortem ſatis ad certamen animatam, ſed parum potentem ad reſiſtendũ fugam capere: percipit etiam equitatum Hiſpanicum, quod antea neſciebat, vrbem inuaſiſſe: proinde ipſe & Marchio, de propugnaculo demiſsi, ad Principis Auriaci naues perueniunt. Multi equites præcipitanter ex mœnibus in foſſas cum equis deſiliunt: ſtipendiarij, ciues, & quicunque alij varijs modis ſuæ vitæ ac ſaluti conſulunt.

Comes Oueſteynus ſubmergitur.

Ita Hiſpani vrbe Antverpia vi potiuntur, deſideratis ſuorum circiter ducẽtis, inter quos præcipui D. Manuel Cabecha de Vaca, Ioannes de Robles Billij conſanguineus, Damianus Morales, & alij: Fockerus Tribunus vulneratus, proſtratus, pedibus calcatus obtruſúſque iacuit cum alijs nonnullis. Oppidani ſepties mille, plures quidem ſtipendiarij quàm ciues, cæſi, combuſti, ſubmerſi: horum maxima pars ſepulta in duabus amplis profundiſque foſsis cemiterij primarij Diuæ Virginis. Præter Oueſteynum ſubmerſus quoque eſt D. Bieurus. D. Plecius & alij aliquot VValonum & Germanorum militum præfecti cæſi. Deſiderati primates vrbis, Ioannes à Mera, Conſul Antverpiæ, clandeſtini cum Hiſpanis fœderis ſuſpectus: D. Goſvvinus Varichus, Marchio: Ioannes à VVerua, Lancelotus ab Vrſela, Franciſcus Deſpomereaus, & plures alij ex Magiſtratu viri inſignes ac præclari: multi quoq; probi imprimis ac primarij ciues. Comes Egmondanus captus in Abbatia D. Michaelis, à Verdugone: capti præterea Cappreſus & Goigniesius Tribuum nobiles: Serus adfuit veſper antequam per totam vrbem victoriam potiri potuere Hiſpani.

Incendium Antverpiæ.

Hoc tumultu hoſtili concremata fuit baſilica Senatoria, domus admodum auguſta ac magnifica, cui, & ædibus aliquot vicinis, intulerunt furiati Hiſpani: præter muros baſilicæ nihil reliquit flamma, reliquis omnibus exuſtis: inuaſit hoc incendium ilico proximas domus ad rium ſalarium, ſaccarium, butyrarium, & caſearium: platcam pomariam, argentariam, popinalem, & argentarium xyſtum Diuæ Virginis: partem etiam platcæ Tornacenſis & Hochſtratanæ: veteris quoque curiæ ædes ex albo lapidæ recens maximo ſumptu conſtructas: & forum linarium: reputabatur autem hæc igne deformata regio, diriſsima ac inſtructiſsima totius vrbis: erãt enim hìc tabernæ ampliſsimæ, pretioſiſsimis omnis generis mercibus refertæ: quod quidem incendij damnum, tanti quanti direptionis, æſtimatum fuit.

Hiſpani vrbe potiti, opulentiſsimas ſibi quiſque domus, quas occupent, diripiant, redimi faciant, crudeliter inuadunt: fæuientibus nemo ciuium introitum negare audet: primis tribus diebus quoduis crudelitatis genus, quo ciuibus pecunias extorqueant, edunt: poſt autem, quoſcunque inueniunt milites VValones enſibus & ſicis perfodiunt, inhumaniterque interimunt: ciuibus lytro numerato parcunt: eos autem qui diuites quidem videbantur, & ingentem pecuniarum ſummarum paratam non habebant, ſuſpendio, flagellis, vſtionibus, & alijs tormentis ac pœnis afficiunt: ne pueris quidem parcunt. Supellectilem & merces paruo redimi permittunt, quandoquidem nulla auehendi oportunitas dabatur; eo quòd Ordinum exercitus vias omnes extra vrbem obſideret. Parata numeratáque pecunia, quam hic nacti ſunt, æſtimata fuit ab eius rei peritis & expertis, pluris quam quadraginta auri tonnis, hoc eſt, vigeſies centenis coronatorum millibus, abſque cimelijs, vaſis argenteis, aureis, & alijs rebus comprimis pretioſis: tantidem quoque incendij damnum æſtimatum fuit. neque id quidem mirum, cùm in aliquot viduarum domibus ſeptuaginta & amplius florenorum millia inuenerint. pecunias autem pro

Æſtimatio prædarum ciuili vrbi inuectarum.

votis

votis haudquaquam vbique nancisci potuerunt: multi enim qui plus quam ter centena florenorum millia in arcis habebant, paruo se, familiam, supellectilem, & reliquas facultates redemerunt. Stupra pauca per vim fuerunt perpetrata: Prima nocte qua vrbem superarant, lassati, languidi, famelici, & bellico furore perciti, prædationibus nequaquam fuêre intenti: sequentibus autem diebus auaritia eos maximè inualit: verùm mox certis edictis nimiæ rapacitati obuiam itum est: eo quod Ordinum copias, quæ non procul ab vrbe erant, summopere metuerent. An. 1576.

Strategus quidam Hispanus nomine Ortysius, in prædam nactus carcerem vrbis publicum, captiuis singulis lytra imposuit, & tam capitalis quam ciuilis culpæ reos omnes hoc pacto liberos dimisit, etiam Anabaptistas & alios Romanæ Ecclesiæ aduersarios, imò ab furdarum nouarumque prorsus religionū concionatores: hac nempe in rè inquisitionis Hispanicæ autoritate ac permissu considenter vsus.

Nulli mercatorum Hispanorum, Italorum, Germanorum, Anglorum, aut alterius cuiuscunque nationis parcitum fuit. Ex tam opima autē prædaplurimi prædatores parum aut prorsus nihil asportarunt: mox enim in competo celebri, Iano, nempe medio, quæ Bursa vulgo dicitur, mensis & tabulis magno numero collocatis, ad aleæ ludum vndique ventum est: vbi milites etiam gregarij decem coronatorum millia vno die alea aduersa perdiderunt. Cumque periculosum & difficile esset prædam extra vrbem efferre, multi gladiorum, pugionumq; manubria, loricas & ægides ex auro puro putoq; confici, & fandaracha fucari curarunt, vt ea tectè saltem adsportari possent: aurifabri autem suis artibus callidè vsi, cupri & æris media parte auro permixta, direptionis damna, insciis prædonibus, facilè recuperarunt. Multa quidem egregia imprimis raraque facinora, partim necessitate, inuidia & odio in hostes, partim quoque patriæ amore audaces ciues perpetrarunt: magnum Hispanorum numerum domi trucidarunt, prima potissimùm nocte, & spoliata exutaque cadauera in plateas, inter reliqua proiecerunt: haudquaquam enim animus, aut prudentia, sed tantum ordo rerum probè instituendarum cibus defuit.

Ita potentissimum totius Europæ emporium, 4. Nouemb. 1576. captum, partim igne deformatum, prorsus autem direptum fuit ab Hispanis, eorumque socijs seditiosis, Regiæ Maiestatis auctoritate tanquā rebelles iudicatis ac proclamatis: contra quorum violentiam ac eruptionem ex arce, oppidani se non satis munierant.

Huius in Belgio vicissitudinis tempore, Maximilianus II. Imperator pacificationi Belgicæ sedulo intentus, mortem obijt die 12. Octobr. Princeps inprimis prudens, prouidus, probus & pacis amans: diuersarum linguarum, & rerum ad religionem spectantium admodū expertus: qui cum ægrè ferret religionis causa bellum geri, nullū grauius esse peccatum dicebat, quàm hominum conscientias velle cogere. *Maximilian. Imper. moritur.*

Cumque anno 1574. mense Iunio Henricus Valesius Poloniæ Rex, è regno Poloniæ profugus, vt Franciæ corona potiretur, Viennam Austriæ vrbem venisset, Imperator inter alia ei pacem summopere commendauit, ridensque dixit, eos qui conscientias vi cogendo atq; vrgendo, existimant se cælorum regnum meriturosplerunque ea quæ in terris possideant, perdere. Obijt autem hic Maximilianus II. Imper. anno circiter duodecimo sui Imperij, Ratisbonæ in comitijs: reliquit filios sex: Rudolphum, qui antè Rex Romanorum, patre defuncto factus est Imperator, eius nominis secundus, Ernestum, Matthiam, Maximilianum, VVencelaum, & Albertum.

Toto hoc tempore Gandaui celebratus fuit procerum conuentus, qui pacificationem Bredæ inceptam & intermissam repeterent, approbantur Status Consilio, nomine Prælatorum, Nobilium, Ciuitatum & membrorum Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hanoniæ, &c. Huic autem conuentui interfuêre Ioannes Lindæus Abbas D. Gertrudis Louanij, Gislenus Timermanus, Abbas D. Petri Gandaui, Mattheus Abbas D. Gisleni, electus Episc. Atrebatensis: Ioannes Molius Octingæ Dominus, Franciscus Halewynus Swueuegemi Dominus, Carolus Gauræus Frezini Dominus, nobiles equestres: Elbertus Leoninus iuris Doctor & Professor Louanij. M. Petrus Beuræus, Quintinus Pretius: Nomine autem Principis Auraici, Nobilum & Ciuitatum Hollandiæ & Zelandiæ, Ordines sue Status earundem prouinciarum præsentantium, adfuêre Philippus Marnixius Aldegondæ Dominus, Arnoldus Dorpius Temschæ Dominus, VVilhelmus Zuylenus Nieueltus Heeckaertbergæ Dominus, nobiles scutati: Adrianus Milanus, Cornelius Coningus iuris Licentiatus, Paulus Buisius Hollandiæ aduocatus, Petrus Richius Flissingæ præfectus, Antonius Zickelus Zelandiæ consiliarius, & Andreas Iunius Middelburgæ Consul. Hi post longas in vrbe Gandauensi deliberationes vtrinque, intellectis Hispanorum facinoribus, & Antverpiensi ciuitati illatis damnis, aliisq; diris machinationibus; octauo mensis Nouembr. die, certis conditionibus atque articulis pacifcuntur: & pacificationem optimè in vrbe Breda inceptam repetūt: Quandoquidem interea manifestè constiterit, Hispanos indies magis *Delegati ad Pacificationē Bredanā confirmandam.*

Digitized by Google

An. 1576. magis magisque conatos Belgij populum opprimere, perdere, depauperare, & in miseram seruitutem redigere: seditiones grauesque turbas excitare, Gubernatoribus, proceribus & ciuitatibus minari, loca plurima hostiliter inuadere, deprædari, flammis deformare: eam ob causam à Consilio Status Gubernatoribus Regia auctoritate constitutis, hostes suæ Maiestatis, & salutis tranquillitatisque publicæ declaratos: Ordines quoque, necessitate vrgente, Dominorum Gubernatorum consilio, & consensu arma sumpsisse, imò vlteriora mala & totius patriæ excidium auertendi, & inter Belgicas regiones firmam pacem concordiamque stabiliendi causa, decreuisse, iunctis viribus Hispanos, & eorum fœderatos, infestissimos Belgicarum regionum hostes, violentosque vastatores expellere, & patriæ veterem legum, priuilegiorum & consuetudinum, immunitatum & libertatum vsum restituere, vt sopitis turbis, salus & quæstus prouincijs redeat. Proinde approbatione ac consensu gubernationi Belgicæ præfectorum, secundùm pacificationis in vrbe Breda inchoatæ normam ad Dei Opt. Max. honorem, fusæque Maiestatis obseruantiam & obsequium, constituisse ac concluisse inter partes & prouincias perpetuum firmumque fœdus, pacem & concordiam, his quæ sequuntur, conditionibus.

Pacificatio Gandauensis.

1. Primò, Offensiones, iniuriæ, delicta & damna quæcunque, turbarum causa inter prouinciales, qui hoc tractatu comprehenduntur, vbicunq; locorum aut quibuscunque modis facta, condonabuntur, obliuioni tradentur, & tanquam non facta reputabuntur: nulla vnquam illorum fiet mentio, neque inde actio vlla intentabitur.

2. Promittunt Ordines Brabantiæ, Flandriæ, Artheſiæ, Hannoniæ, &c. Princeps quoque Auraicus, & Ordines Hollandiæ & Zelandiæ cum fœderatis, se post hac fincerè & bona fide seruaturos, & ab inhabitatoribus seruari curaturos firmam & inuiolabilem inter prouincias amicitiam & pacem, vt quocunque tempore, & quacunque occasione, subsidia auxiliaque mutua, consilio, opere, facultatibus, & sanguine adhibeantur ad expellendos in primis extra Belgij prouincias milites Hispanos, & quoscunque alios extraneos, vtpotè qui præter omnem æquitatis & iustitiæ normam sint machinati Belgij principibus & nobilibus inprimis viris vitam eripere, prouincialium fortunas opesque inuadere, & populum Belgicum ad perpetuam seruitutem redigere. Vt autem huiusmodi malis facilius commodiusque occurratur, necessaria suppeditentur, & repugnare volentibus resistatur, fœderati socijq; promittunt se paratos promptosque fore ad conferenda contribuendaque omnia, quæ æquitas & necessitas postulabunt.

3. Statim post Hispanorum & reliquorum discessum, resbus omnibus sedatis, tranquillis & securis, curabitur vtrinque, vt Ordinum generalium conuentus celebretur eo ritu & modo quo Caroli V. celeberrimæ memoriæ Imperatoris tempore celebratus fuit, cùm hæ inferiores prouinciæ hereditariæ in Regis nostri clementissimi manus fuêre transfatæ, vt de rebus prouincialium, & generaliter & specialiter, in commune consulatur, tam de religione in Hollandia, Zelandia, Bomela, & fœderatis locis, quam de restitutione arcium, munitionum, machinarum bellicarum, nauium & aliorum ad ipsum Regem spectantium, quæ belli huius tempestate Hollandi, Zelandi, eorumque fœderati inuaserunt: sicut ad Regiæ Maiestatis commoditatem, & prouinciarum salutem ac concordiam imprimis conducere videbitur: neque ab vna, neque ab altera parte vllum contradicendo, differendo aut procrastinando fiet impedimentum in constitutionibus, declarationibus, decretis sanciendis, aut in exequutionibus quibuscunque præstandis. Id autem partes vtrinque planè fideliterque seruatum iri promittunt.

4. Habitatores & subditi vtriusque, cuiusuis status aut ordinis, liberè & securè poterunt vbique versari, ire atque redire, morari & negotiari, mercatorum aliorumque more. Hollandis autem & Zelandis, aut alijs licitum nequaquam erit extra Hollandiam, Zelandiam & loca fœderata, quicquam contra quietem pacemque publicam, aut contra Catholicam Romanam religionem & eiusdem exercitium attentare, quemquam iniuria afficere, verbis aut factis irritare vel offendere.

5. Ne quis reprehensionibus, accusationibus, vinculis, aut alijs periculis molestetur; decreta omnia olim contra hæreses promulgata, criminalia quoque edicta à Duce Albano sancita, eorundemque consequutiones & executiones suspendentur & sistentur, donec ab Ordinibus alitèr super ijs fuerit statutum. Interea verò scandalum nullum fiat.

6. Princeps Auraicus manebit generalis maris præfectus, & Regiæ Maiestatis vicarius in Hollandia, Zelandia, Bomela, & alijs locis fœderatis, imperabitque & gubernabit cum ijsdem qui nunc sunt iudicibus, præfectis & magistratibus, absque mutatione aut innouatione vlla, nisi eiusdem Principis nutu ac voluntate id fiat: seruabitur autem hoc in oppidis, & locis quæ sua Excellentia nunc temporis tenet: donec post Hispanorum discessum proceres Ordinum generalium aliter constituant.

7. Quod verò ad oppida & loca sub Regiæ Maiestatis commissione comprehensa, quæ nunc temporis illi non obediunt, attinet; manebit hic articulus suspensus, donec eadem oppida & loca cùm reliquis Ordinibus se huic concordiæ iunxerint, & Princeps Auraicus ea quæ damnosa videbuntur,

videbuntur, probè disposuerit, tam in causa Religionis, quàm alijs negotijs: ne vlla prouincia- An. 1576.
rum segregtio fiat, verum omnis discordia ac dissentio vitetur.

8. Interim nulla placita, edicta, prouisiones aut legis actiones in dictis prouincijs & vrbibus à Principe Auraico gubernatis rata sint, præterquam illa quæ ab eodem Principe, aut Consilio, Magistratu, & Præfectis locorum fuerint adprobata aut statuta, sine præiudicio, ante dictum tempus, summi suæ Maiestatis Consilij.

9. Condictum præterea, vt omnes captiui dictarum turbarum causa, inprimis Comes Bossutus, liberi dimittantur, absque lytro aut redemptionis vllo pretio: soluto nihilominus captiuitatis sumptu: nisi redemptiones ante harum publicationem sint solutæ, aut pactiones super ijs initæ.

10. Præterea vt viri Principes, domini, equites, nobiles, plebei quoque & subditi cuiuscunque conditionis aut ordinis, similiter vidiuæ dotarij proles, hæredes, vtrinque restituantur, famam & honorem pristinum seruent, possessionem quoque omnium dominiorum, bonorum, prærogatiuarum actionum & creditorum non venditorum aut abalienatorum, in tali statu, quo eadem bona nunc temporis sunt, capiant: quod vt effectum reddatur, omnes contumaciæ, manus iniectiones, occupationes, exequtiones à principio turbarum anno 1566 factæ, tam causa religionis, quàm armorum apprehensorum, & eorum quæ consequuta sunt, scint rescissæ, reuocatæ & irritæ. Omnia quo jure scripta, acta, iudicia, ad has causas spectantia, nihili pendentur, & commentarij extinguentur ac delebuntur, neque alio opus erit edicto, argumento aut munimento, quàm præsenti hoc tractatu, non obstantibus vllis incorruptionibus, iuribus, consuetudinibus, priuilegijs, præscriptionibus legalibus, conuentualibus, consuetudinarijs, localibus, aut alijs in contrarium exceptionibus: quæ quidem in his & alijs causis omnibus ad turbas præteritas spectantibus, cessibunt, neque locum vllum habebunt, vtpotè cùm per præsentes has pactiones (dummodo necesse sit) specialiter abrogentur, etiamsi generalis abrogatio siue præcedente specificatione, ipso iure irrita habeatur.

11. Comprehenditur inprimis, & præsenti beneficio fruetur Comitissa Palatina, vxor quondam illustris Comitis Palatini Electoris, nunc vidua Dom. Bredero. lij, in ijs, quæ ad Vianam, & ad alia loca & bona spectant, quæ dicta vidua, aut ipsius actionem habentibus iure competunt.

12. Similiter comprahenditur Comes Buranus in ijs quæ attinent ad ciuitatem, arcem, & ditionem Buranam, quibus Comes, post præfidiariorum abitum, tanquam proprijs perfruetur.

13. Diruentur columnæ, statuæ, trophæi, & alia signa, quæcunque à Duce Albano in infamiã & contumeliam tam suprà dictorum quàm aliorum erecta.

14. Dictorum Dominorum prouentus, reliquationes & debita, dotalitia, vsufructus, census & redditus tam in Regem quàm regiones, vrbes, & alia loca, quorum solutio pactioq; ante præsentem publicationem cecidit, & tamen non soluta, aut à sua Maiest. aut ipsius actionem habentibus recepta non est, cui quilibet cedet, & sum ex ijs recipere, eoque frui cuique licebit.

15. Verum quicquid tam bonorum hæreditariorum & reddituum, quàm aliorum, à festo D. Ioannis anni 1576. cecidit, & deinceps vtilitatis ius competit, cedet: non obstante quòd confiscationum receptore aut ab alijs recepta sit: fietque in huiusmodi casu restitutio.

16. Sed si prouentus conductionum & reliquationum aliarum præstationum ad aliquot annos Regis nomine, confiscationis titulo, inuasi sint aut occupati: erit quisque totidem annis liber & immunis ab huiusmodi impositio onere: erit similiter quocunque tempore liber ab omni redditu assignato suis finibus, possessionibus aut facultatib. quibus ob præteritas turbas vti aut frui liberum ipsi non fuit: idque pro rata parte temporis, quo huiusmodi impedimentum & incommodum dictas ob causas est passus.

17. Suppellectilis domesticæ & aliarum rerum mobilium vtrinq; perditarum, venditarum, aut quocunque modo alienatarum, nemo quidquam repetet.

18. Quod verò ad res hæreditarias, prædia, domos & redditus, & alia titulo confiscationis vendita aut alienata, attinet: Ordines generales in omnibus dictis prouincis, etiam extra eas dem, constituent commissarios, qui difficultates, si quæ oriantur, audiant & cognoscant, vt aliqua ratione satisfiat, tam proprietarijs, quam emptoribus & venditoribus bonorum reddituumque pro regressu & euictione respectiuè.

19. Idem similiter fiet de prouentu personalium reddituum & obligationum, & de alijs, quibuscunq; prætentionib. & querelis, quas illi, qui damnum dictarum turbarum causa passi sunt, postmodum vtrinque intendere, proponere aut experiri quocunque modo volent.

20. Omnes antistes & alij Ecclesiastici, quorũ Abbatiæ, Monasteria, fundationes & residentiæ extra Hollandiam & Zelandiam sunt, & tamen in ijdem prouincijs sua habent bona, rursus proprietatem & vsum eorundem bonorum habebunt, non aliter atque seculares.

21. Verùm

An. 1576. 21. Verùm quod ſpectat ad religioſos & Eccleſiaſticos, qui in dictis duabus Prouincijs & locis fœderatis profeſsi, initiati & dotati ſunt, & inde abierunt aut abſentes fuerunt, cum maxima pars poſſeſsionum & bonorum ad eoſdem pertinentium ſit alienata, iiſdem poſt hac ſuppeditabitur decens alimentum, aut bonis ſuis frui permittetur pro Ordinum ſiue Statuum arbitrio, donec ad illorum vlteriores prætenſiones à generalibus Ordinibus aliter fuerit conſtitutum.

22. Omnes donationes, exhæredationes & diſpoſitiones inter viuos, vel cauſa mortis, à priuatis perſonis factæ, quibus veri hæredes, dictarum turbarum aut religionis cauſa, à legitima ſua ſucceſsione excluſi, diminuti, aut exhæredati ſunt, virtute præſentium habebuntur irritæ & nullius valoris.

23. Quia verò Hollandi & Zelandi, vt belli ſumptus commodius exſoluant, quorumlibet nummorum aureorum & argenteorum pretia valde auxerunt, ita vt in aliis prouincijs, haudquaquam ſine magno damno ac detrimento erogari queant: conditum eſt, vt Ordinum generalium deputati, quàm fieri poterit citiſsimè, deliberent & generalem modum conſtituant, quo huiuſmodi numorum erogatio æqua ratione fiat: vt hæc vnio concordiaque & negotiatio conſeruari poſsint.

24. Quod autem ab Hollandiæ & Zelandiæ deputatis ſiue delegatis propoſitum fuit, vt totius Belgij prouinciæ generales in ſe recipiant exſoluenda omnia debita à Principe Auraico, in duabus ſuis bellicis expeditionibus contracta; quandoquidem Hollandi, Zelandi, & reliqui prouinciales dediti ſe poſtremæ expeditionis ſumptibus, vt quidem dicunt, obſtrinxerint: relinquetur hic articulus iudicio & arbitrio Ordinum generalium: quibus hæc; reliquis omnibus pacatis, exponentur ac declarabuntur, vt æqua ratione omnia decernant atque conſtituant.

25. Huius concordiæ ac pacificationis fœdere nequaquam comprehendentur, aut beneficio vtentur ditiones aut ciuitates aduerſam partem fouentes, donec ipſo facto ſe huic fœderi iunxerint, quod quidem ipſis, quandocunque volent, liberum erit.

26. Hunc Pacificationis tractatum, poſt renunciationem, ratihabitationem & cõſenſionem, tam Gubernatorum & procerum Ordinum dictarum prouinciarum, quàm Principis Auraici, Ordinum Hollandiæ, Zelandiæ & fœderatorum, in dictis quibuſcunque articulis & conditionibus, & ſimiliter in omnibus illis quę ab Ordinibus generalibus in ſupra ſcriptis, & aliis adhuc decernendis, dicti delegati pro mandato, auctoritate ac poteſtate ipſis data, pollicentur & iurant ſe integrè atque inuiolabiliter curaturos & præſtaturos, vt vtrinque eadem ratificentur, iurentur, ingnentur & ſigillentur ab Antiſtitibus, Nobilibus, Ciuitatibus, dictarum prouinciarum: præſertim etiam ab ipſo Principe Auraico, tam generaliter quàm ſingulatim intra menſem proximum. In teſtimonium omnium quæ dicta ſunt, delegati has præſentes literas ſubſignarunt: Gandaui in curiâ municipali, die 8. Nouembr, anno milleſimo, quingentiſimo, ſeptuageſimo ſexto.

Pacificatio Gandauenſis à Rege Hiſp. confirmata, certis atteſtationibus

Hæc Pacificatio Gandauenſis poſtea à Rege confirmata fuit: quandoquidem Epiſcopi, Abbates & reliqui Eccleſiaſtici, Doctores quoque Louanienſes ſuis literis probabant, & atteſtabantur hunc pacis tractatum (vt quidé prouinciarum ſtatus tunc erat) nihil continere quod ſanctę fidei, aut Romanæ Catholicæ Eccleſiæ nocere, quin potius plurimum prodeſſe poſsit: Conſilium quoque Status teſtimonio declararant, nihil omninò auctoritati, cęlſitudini aut obedientiæ Regi debitæ derogari.

Arx Gandauenſis à Comite Reuxio Ordinum nomine capitur.

Interea dum de hac pacificatione agitur, & Antverpia à milite Hiſpano ſpoliatur, Comes Reuxius Flandriæ Gubernator arcem Gandauenſem obſidet: cumque militares copias, bellica tormenta, & commeatum à Principe Auraico obtinuiſſet, eam ſeptimo Nouembris die, D. Mortæi opera tormẽtis concuti curat duobus locis, ſimul ac Comes Lalainus generalis Ordinum militiæ præfectus, abſente Duce Arſchotano, cum Marchione Hauræo cõ venit: Labefactatis autem mœnibus, præſidiarij Hiſpani, numero tantum centum & quinquaginta, colloquij & de conditionibus deditionis agere cupiunt. Verùm cùm Gardeus ſtrategus eis armorũ auferendorum copiam concedere nollet: tandem D. Mottæus vir alorem pretiumq; armorum relinquendorum promiſit: itaque vita & facultatibus ſaluis deditionem faciunt 11. Nouemb. Chiliarchus autem Monsdragonius, cuius vxor & ſupellex pretioſiſsima in arce obſeſſa erat, ex Zirickſea & Inſulis Zelandicis, relictis omnibus tormentis bellicis, prope muros Antverpianos venit cum paruo militum numero, obſeſſæ arci Gandauenſi ſuppetias laturus, opemq; ab Hiſpanis qui Antverpiæ erant, petit, ſed fruſtra, ijs opem operamque ſuam negantibus. Monsdragonij autem milites dum Rupelmondam ad Schaldim capere tentant, ab Ordinum militibus cæduntur atque profligantur.

Germani quoque milites, Teneramondæ præſidiarij ſub Polvvilero Tribuno, numerata à Flandris pecunia, Teneramonda exeunt.

Valentena vrbs & arx

Comes Kennenbergius Comitis Hochſtratani defuncti frater, & Comitis Lalaini in Hannonia

Digitized by Google

nonia legatus, octo cohortibus militũ, eius cui præerat legionis, munitus paciſcuntur cum Germanis qui Valencenis in præſidijs erant: ſingulis vnum tantũmodo dalerum numerat 12. Nouembr. deinde ciuium auxilio arcem præſidio centum & quadraginta Hiſpanorum munitam obſidet: quam Hiſpani pactione inita relinquunt. An. 1576. *capitur, paciſcunte cum Germanis & Hiſpanis præſidiarijs unita.*

D. Licqueſus vrbis Cameracenſis gubernator Cameraci à D. Ainſio viro nobili ex familia Gaurea capitur: vrbs & arx in Ordinum & Prouinciarum poteſtatem traduntur. *Cameracum Ordinũ traditur.*

Ordines generales, cum Antverpia vrbe capta, fluminis Schaldis nauigatione frui non poſſent, Borchte, qui non longè vltra vrbem pagus eſt, & è regione Ouſtervelæ infra vrbem aggeres in Flandria perfodiunt. & Schaldim flumen eò deriuant, liberamque per agros nauigationem reddunt Bruxellenſibus, Mechlinienſibus, & alijs in Zelandiam vſque, quæ neque ex vrbe aut arce, neq; ex propugnaculo è regione Antverpiæ, vllo modo impediri potuit. Profeſsi autem aggeres poſtmodum fuere reparati.

Ordinum proceres Friſiam, vtpotè pro inciam cõmodè iuxta mare ſitam, ſibi ſeruare ac confirmare ſtuduerunt, quàm Gaſpar Robleſius vir bello imprimis expertus, legioni VValonum præfidiariorũ præfectus gubernabat. Hic homo humili admodum loco natus, Robleſæ nempe, pago quodã Portugalliæ, ad ſummos honores, quectus eſt: mater Regis Philippi nutrix fuerat: ipſe hac occaſione in aula verſatus: longo tempore puer aſſeclaq; Principis Auraici fuit: cumq; gratia ac comitate polleret, forma opibuſq; præſtantem adoleſcentulam in VValonica regione, procerum cõmendatione, vxorẽ nactus eſt: eoq; coniugio ditiones quaſdam, Billyã, Malepertam, & alias quaſdam obtinuit: hinc legioni peditum præfectus, poſtea cõmendatione Comitis Arenbergij multa negotia in Friſia adminiſtranda ei cõmiſſa fuere: tandem Comite Arenbergio, Comite Megano, & Barone Græsbekano vita functis, à Rege factus eſt Gubernator Friſiæ, Græningę, Omlandæ, & Drentæ: quas regiones cum longo tempore rexiſſet & coercuiſſet (habebat enim in ſua poteſtate arces Leovvardæ, Herlingę, Stauerę & nouas Ooſtmahormæ, Lemerſclotæ, Mackumæ, Delfzielæ: præterea etiã Græningam, (vbi anno 1570. arcem firmiſsimã conſtruxerat) iamq; inſtar Regis hic regnaret, omniaq; pro ſuo imperio liberè ageret: eò tandem inſolentiæ atq; ſuperbiæ deuenit, vt Comes Byllius crearì à Rege per quoſdam poſtularet: reſpõſum autem accepit, vt ſe ſuarum rerum finibus contineret, quandoquidem ad ampliores quam meruiſſet honores euectus eſſet. Fuit inprimis magnanimus & ingenioſus: ita vt mirũ videretur hominem illiteratum tanta induſtria valere. Egregius valde in aggerum opere, quos ſuo tempore in Friſia fecit. Durus & rigidus in milites ſtipendiarios: quibus nõ admodum charus fuit, maximè quod cum pecunię ſuſtiſcerent, ſtipendia nõ ſoluerent: idq; conſilio vxoris ſuæ nimis auarę: cuius inſtinctu etiã regiones, quibus præerat, exhauriebat, denudabat, varijſq́ue aſtutijs & exactionibus obruebat: quæ cauſa fuit, vt etiam incolis odioſus eſſet. *Caſparis Robleſij Billy vita, mores, & res geſtæ.*

Cùm verò intelleciſſet viciſſitudines mutationeſq; in Belgio, Ordinumq; Proceres gubernationem contra Hiſpanos arripere: ſtatuit ope legionis ſuæ ſtipendiariæ, gubernationẽ Friſiæ retinere in fauorẽ ac opem Hiſpanorum: quod vt cõmodius efficiat, meditatur ſtipendiarios inducere, vt ſibi iuramentũ fidelitatis in tres menſes præſtent: ſperãs ſe interea Regis animũ de pacis pactione cum Auraico intellecturũ: exiſtimatq; ſe ſtipendiarijs huiuſmodi iuramẽtum rigore ac metu extorſurum: tanta enim erat hominis audacia, temeritas ac impudentia, vt non vereretur ipſemet palàm ſuos multare ſupplicio ſtroppæcordæ, hoc eſt, adſtricti vinculi, imò ſuſpẽdere, ſtrangulare & transfodere. Iamq; quoſdam cohortiũ præfectos, nempe Ferdinandũ Lopes, Monceaũ, Champiũ, eorumq; vicarios pellexerat, & prę ſtito ſacramẽto ſibi deuinxerat.

Talia moliente Billyo, venit Græningam Franciſcus Martin Bruxellenſis, vir doctus & militaris, legatus ab Ordinũ generalium procerib. vt prouinciales & ſtipendiarios ad obediẽtiam & concordiam reducat. Id ſimul ac reſciſcet Billyus, latrunculatori mandat Martinũ apprehendat, & torturæ ſubijciat: apprehenſum & tortũ ipſemet ſua manu grauiter vulnerat. Attamen nihil confeſſus eſt, ſed ex carcere per mediũ (græcam callentẽ linguam) græcè direxit callidè ea quæ in mandatis habebat, ita vt Billyus cum oẽs ſuos tam prouinciales quam ſtipendiarios iura mentũ præſtare iuberet: cumq; 25. Nou. Capitaneo Loſio & alijs id proponeret, oẽs recuſarẽt, & ſuos non eſſe eius animi cauſaretur, quare ira excandeſcens, ocyus ſatellites & præfectos cohortium ad ſe venire imperat: qui cum huiuſmodi ſacramentũ dicere etiam recuſarent, ſeq; Regiæ Maieſtati ab hinc annos nouem iuramẽto addixiſſe, idq; confirmatis animis ſeruaturos aſſerent, cœpit verba minarum plena effundere. Hinc præfecti nonnulli cum ſuis militibus conſtituunt ipſum Billyum potius è medio tollere, quam imperata facere: huc quoque eos maximè inſtigabat cohors Villerſij, quæ tunc excubias agebat: ſciebant enim certo Billyum antequam ſomno ſe dederet, hanc iniuriã quocunq; modo vindicare conaturũ: nec eos hæc opinio fefellit: nam tormẽta æenea maiora, grandine plumborum, glandibuſq; exilioribus impleri iuſſerat, & Capitaneo Lopes, qui iuramento obligatus erat, præceperat, vt cum ſua, cui præerat, cohorte, Loſij agmina ad excubias agendas tendentia inuaderet, & ad internecioné cẽderet. Loſij verò milites *Græningenſes rebellionẽ faciunt, & Billium aliosque militiæ præfectos captos carceri mancipant.*

An. 1578. milites præmoniti, alia via insolita circumeunt, & sclopis glandibusq; probè instructi veniunt in forum ante hospitiũ Chiliarchi Byllei: cumq; ab excubiarũ præfecto monerentur, vt solito more, honoris causa, hic exploderent, simul oés vehementer reclamant, & horrendo tumultu pecunias, quibus pluerem & glandes emant exigunt. Losius suos, vt quod instituerant, perficiant, acriter hortatur: quib. Vilersi cohors ab excubijs rediens auxilio statim adfuit. Lopez qui prope torméta bellica interea exspectabat, tumultu percepto, celerrime suos in forum adducit, vt allos hostiliter inuadant: verum illi postquam socios contra animatos vident, ne sclopis iaculentur acclamant, se enim socia arma lubenter iuncturos, & sacramentum vi extortum neglecturos: hinc Lopez perterritus in domũ pistoris cuiusdam subitò confugit. Itaque omnes simul animis viribusq; confirmati Billyum Colonellum è domo prouocant: is confestim apparet, & pileo manu apprehenso, aperto capite blandè admodum suos affatur, stipendij solutionem, & multa opima amplè pollicetur: verùm his neutiquã pacati, compedibus pedes hominis constringunt, & ferrea catena admodũ crassa ac pondero sa ligatum in curia ciuitatis captum detinent, multaque injuria tum verbis tum factis afficiunt. Inde ira adhuc feruente currunt vlterius in Rysbrockij hospitium: is Billy maximam natu filiam vxorem duxerat, eratq; in administratione prouinciæ vicarius: hunc quoq; apprehensum iuxta socerum collocant. Præterea Champium, Villerium, Monceaum & Lolium præfectos, vnà cum signiferis, captiuos ducunt, partim non inuitos, ne facinus defendere tenerentur: deniq; Electum è numero suorum deligunt: versus VVagam siue trutinarum officinam festinant: hic stroppæ cordam, supplicij instrumentum, demoliuntur, confractum in foro comburunt: altisque vocibus, Viuat Princeps, viuant Ordines, clamant. Franciscum Martinum ab Ordinum Proceribus legatum, vinculis & carceribus maxima cum alacritate eximunt: in forum honorificè adductо, Ordinum generalium nomine, sacramentum fidelitatis iurant: mox quoque eundem cum nonnullis delegatis Bruxellam mittunt, nomine militum & ciuium: suam operam Ordinibus offerũt: alium Tribunum constitui, & stipendia debita numerari cupiunt: deniq; in cuius potestatem oppidum sint tradituri, certiores fieri petunt. Ciues interea perterriti, direptionem quæ qualem Antverpienses & Traiectenses inferiores passi fuerant, metuentes, arcem dirui, & à præfidiarijs onere liberari postulant. Hæc omnia gesta fuere 23. Nouemb. Postridiè milites stipendiarij Christophorum Vasquesium Zutphaniæ Tribunum quærunt, eumque tandem, indice quodam Minorita, inueniũt in monasterio Minoritarum, cucullo indutum, mento & vertice rasum instar monachi: tali habitu indutum in forum producunt, seq; nouum Episcopũ nactos vociferantur: Latrunculatorem, qui in ædes curionis confugerat, in insumibulo absconsum deprehendunt: Præfectum vigilum in Lupanari quæsitum, vestimento sacerdotis indutum, tandem inueniunt: Præterea Capitancum Fernandum Lopez, & Doctorem VVestendorpiũ Friliæ Consiliariũ apprehendunt: Quin & Barnicourtius Delfzielæ, & Starckius Dammæ præfectus cum suis signiferis capti huc perducuntur. Præfecti autẽ arcis Leevvardæ, Bustammante, & Gantouvvæ, & Stauerę, eiusdem quoq; legionis, se stipendiarijs militibus socios iungunt.

Proceres Ordinum his omnibus ex Martino Stella Bruxellę intellectis, statuunt in Friliam mittere Georgium Lalcinium, equitem auratum, Baronem Villæ, præfectum turmæ equitum publicis equis merentium, Tribunum decem cohortium peditum, & auunculi Canonici tranſcriptione inter viuos, recens Rennenburgæ Comitem factum. Huic itaque cõmentaria mandataq; dantur Friſiam sub Ordinibus generalibus redigendi, militibus stipendia soluendi, Pacificationem Gandauẽsem promulgandi, & Billyum reliquosq; captiuos in arcẽ Leevvardam abducendi, qui pòst, Edicto perpetuo Ioannis Austriaci, è carcere emissi fuerunt.

Rennenbergius in Friſij mittitur ab Ordinum Proceribus.

Rennenbergius itaq; tanquam Gubernator in Friliam venit, mandata exequitur, acceptaq; arce Delfzielæ Præfectum hic constituit Aelkeum VVinkelium. Die 15. Martij Groningenses Rennenbergio & Generalitati fidelitatem obedientiamq; iureiurando confirmant: Rennenbergius arcem Groningensem deijci curat, quinque propugnaculis, vt Antverpiensis, sed non æque magnis munitam, quæ à parte vrbis Meridiem & Orientem, in fastigio Drentam spectabat: fuitque tanto feruore diruta, vt etiã peregrini & viatores quicunque, hac transeuntes, suam operam præstare cogerentur: contigitque huic arci idem quod priori. quam Edzardus Oostfriliæ Comes anno 1505. prope eundem locum construxerat, quæ à Groningẽsibus anno 1514. quo Geldriæ Ducem in Dominum receperunt, diruta fuit.

Arx Groningẽsis diruitur.

Edictũ de auferendis argenteis vasis deferẽdis. Vt in. de pecunia cõficiatur.

Ordines generales & Consiliũ Status 12. Dec. Edictum Regis nomine edunt, quo omnibus Magistratibus, Senatibus, Ecclesijs, Capitulis, Contubernijs, Collegijs & Societatib. præcipitur atq; iniungitur, vt intra octo dies post publicationem factam, torques aureos & argenteos, vasa quoque & alia opera ex auro & argento deferant: exceptis calicibus, ciborijs, hierothecis, crucibus, reliquijs, & alijs in vsum Ecclesiasticum consecratis: vt ex ijs pecunia conficiatur: pœna dupli inobedientibus proposita: recepturi pro vncia argenti triginta octo stuferos, & pro vncia auri coronari 22. flor. traditis literis cõstitutionis reddituum, aut numorum in debita formas

Digitized by Google

tã forma: eã tamen lege, vt quicunq; sua redimere cupiat, id dicto pretio numerato faciat: promissa ab Ordinib. mediocri vsura: nomine redditus perpetui siue hæreditarij, duodecim, quatuordecim, aut sedecim; nomine verò redditus temporalis, siue ad vitam vnius quidem sex aut septem; duorum autem octo, nouem aut decem numis constitutis. An. 1576.

Ianua. mense, Schoti Ordinum stipendiarij sub Colonello Balforo, haud longè à Leodio, prope Iupilianũ, in valle aduersum veniunt magno Hispanor. agmini: hunc strenuè inuadũt. Hisp. plurimi cæduntur: reliquiin oppidũ Mosstraiectum confugiunt. Vltraiectenses quoque omnẽ dant operam, vt ab Hispanis, præfidiarijs arcis custodib. liberentur. Hæc arx Vredẽburga, hoc est, pacis conseruatrix vocata, constructaq; eo loci fuit à Carolo V. Imper. postquã Epis. Vltraiectensis summum vrbis & ditionis Vltraiectensis imperiũ Carolo tradidit atque relignauit: vt plurimas partes diuersas, & factiones hic grassantes cohiberet comprimeretque: quæ quidem potissima resignationis occasio fuit. Erat in hac arce tanquã gubernator Francisc. Auilanus cum magno Hisp. numero, quos expellere molièbãtur ciues, adiuti à Comite Bossutio tunc tẽporis à captiuitate Hollandica liberato, Hisp. parum amico, eo quòd dum captus fuisset, ei debitum meritumq; honorem atq; obsequium non præstitissent. Cumq: Hisp. obsidionem apparari animaduertunt. 21. Dec. die D. Thomæ sacro, ex arce in vrbem irruunt, ciues, multos trucidant, & proximas ædes incendunt: idem quoq; nocte sequente aggrediuntur: singulisq; diebus tormenta bellica in vrbem eiaculantur, non sine maximo ciuitatis dãno. Ciues interea quocunq; modo contra arcem vallis fossisq; se muniunt, tormenta bellica disponunt, eamq; obsidione vndiq; cingunt: Hispanos denique inedia angustijsq; pressos arcem dedere & exire 11. Febr. cogunt. Tum ciuitas rursus gubernationi Principis Auraici committitur, & arx diruitur. Eodem die quo Hisp. Antverpiæ cædibus, incendijs & direptionib. sęuiunt, Ioan. Austr. Caroli V. Imp. filius illegitimus, in Belgium, tanquã Gubernator à Rege Philip. missus, Lutzenburgum secretò equis decursorijs celerrimè venit cum Octauio Gonzaga & alijs: itinere per Gallias facto, vbi ignotus Regem Gall. mense accumbentem Parisijs in aula vidit. Mox ad Hisp. qui Antverpiæ erant, & ad Consil. & Ordines generales Bruxellæ scribit. Literis ad Ordines scriptis visus est quodammodo ægrè ferè violentiam iniuriamq; prouincijs illatam, polliceturq; haud impunè hæc facta, dummodo debitam Regi obedientiam præstent, & Rom. Cathol. religionem integram seruent: si verò obstinatè & proteruè agant, se quidẽ tam ad bellum, quã ad pacem munitum atq; paratum. Proceres Consilij Ordinũ primo mirati Austriacũ non propius accedere, aut Bruxellam vsq; venire, summoperè mirantur formulam literarum, ąua ipsis minas intẽdere videbatur, cùm se fuo officio probè functos existimarẽt. Aucta insup suspicio, eò quòd, nisi obsidibus datis propius accedere nollet, haud aliter atque si hostis esset: imò Ordinũ exercitum, aut maximã eius partem pro suo arbitrio ac mandato, securitatis causã habere vellet. Quæ cum absurda atq; iniqua valde Ordinibus generalib. & prouincijs omnibus viderentur, hinc maior suspicionũ multarum occasio orta est, maximè cum viderẽt seditiosos Hispan. primò quidem clàm, postea verò palàm Austriaci fauore ac studio foueri, animari, illumq; accedendi copiam habere: neque ignari essent, quàm perfidè, vt fama erat, cum Mauris Granatensib. Austriacus egisset, & vitæ Caroli Principis insidias struxisset. Venabatur autem, vt ex suis familiarib. intelligi facilè potuit, plenã absolutamque gubernationem, ac potestatem arguendi, reprehendendi, laudandi, approbandi pro suo suorumq; Consiliariorum arbitrio, quæcunq; nuper in prouincijs acta fuerant. Reputabatur enim in Hisp. absurdũ valde, Belgas, qui tanquam recens deuicti, subiecti, & in seruitutem redacti, gubernacula susscipere, & negotia quæ inprimis maiestati & auctoritati regiæ repugnare videbantur, tractare atq; administrare: idq; eo minus ferendum aut permittendum, quod Belgæ simul oẽs in Hispania suspecti essent, imò Lutherani & hæretici haberentur. Ordines generales ad conuentũ Bruxellæ celebrandum conuocati, vtpotè delegati Præsulum ecclesiasticorum, nobiliũ quoque, ciuitatũ & membrorũ Belgicarum prouinciarũ, sub legitima erga naturalẽ dominum & principẽ obedientia, secundum priuilegia, consuetudines, leges & instituta vetera ab ipsis principib. iurata; simul oẽs hanc Ioan. Austr. inceptionem valde absurdã censẽbant: maximè cum ex Hisp. intelligerent, omnia militum Hisp. molimina, atq; acta, nequaquam improba aut iniqua, sed proba, æquaque reputari: imò mulctarũ ac pœnarum loco, mercedes & honoraria ipsis apparari: & ex interceptis literis cognoscerẽt, Austriaco mandatũ esse, vt vbiq; sequeretur instructiones ab Hieronymo Rhoda Antverpiæ, apud Hieronymũ Lopesium mercatorem Hisp. relictas. Rhoda aũt in Hispania profectus, insalutato Austriaco, nec ex colloquio suspicio oriretur: eundem autẽ Rhodam omnẽ rerum Belgicarum administrationem in Hispania habuisse, paulò post compertum fuit. Effectus autem instructionis Austriaco datæ erat, vt blando beneuolentiæ vultu animos prouincialium captaret, vt eorum ope Hollandiam & Zelandiam subigat ac domet, & rebelles pro meritis puniat: interim verò cautè dissimulet.

Vltraiectenses arx obsessa, dedita & diruta.

Ioan. Austria. cum Caroli V. Imp. filius illegitimus in Belgia venit.

Austriacus suspicionis occasionem præbet Ordinibus.

Erat quidem hæc cõmissio siue instructio occulta ignotaq; primò: Ordines tamen genera-

An. 1576. les & Nobiles huius machinationis ignari, ſtatim ab Auſtriaco animis prorſus alienantur, eò q; ſuas actiones immodeſtè inſolenterq; admodum inſtitueret: eaq; potiſsimùm de cauſa ad Principem Auraicũ ſcribunt, virum longa experientia negotiorũ ad prouinciarũ Ordines ſpectantium conſultiſsimum. atq; Belgij membrum, ab eoque conſiliũ putant. Auraicus aũt Nouemb. die poſtremo 1576. Middelburgo miſsis literis conſiliũ dat & reſpondet. Quandoquidẽ Ioan. Auſtriacus Gubernatorum deceſſorum veſtigia ſequi velle videatur; monet vt Ordines cautè ac prudenter agant, auctoritatem ſuam ſeruent, & auaritiæ atq; inſolentiæ Præfectorum à Rege conſtitutorũ reſiſtant, eorum inprimis, qui ſub nomine abſolutæ gubernationis tyrãnidem machinentur. Auſtriacum fictè ac dolosè proponere, ſe Conſilium Procerum prouincialium velle adſciſcere: vt hac arte ſpeciem quãdam bonæ gubernationis oſtentet, omnemq; generalium Ordinum auctoritatem opprimat atque extinguat: Proinde eam firmiter aſſerant, tueantur & ſeruent, dummodo ſuo officio rectè fungi, & ſaluti multitudinis innumeræ virorũ nobilium, ciuium, & totius populi Belgici conſulere velint: quandoquidem prouinciales ſe ſuaque omnia, vitam & facultates, ipſorum fidei, poteſtati atque defenſioni commiſerint, vt à dira vi, oppreſsione & tyrannide vindicentur atque defendantur,

Principũ Auraici Conſiliũ Ordinib. Belgij data cõtra Ioan. Auſtria eiſq; edicta.

Conſulit præterea, ne pactũ aut fœdus aliquod cum Auſtriaco ineant, niſi Hiſp. & extranei oẽs extra Belgicas prouincias abire iubeantur: neq; credant, ſi blandis verbis aut ſecretis ſingularibuſque pollicitationibus promittatur, eos oportuno tempore diſceſſuros, &c. Meminerint Regem ipſum olim cum Belgio abiret, prouincijs promiſiſſe ſe effecturũ, vt Hiſpani intra tres menſes exeant: eos interea tamen plus quam ſeſquianno manſiſſe, neq; diſceſſuros vllo tempore, vt ſatis apparebat. fuiſſe, niſi neceſsitate tandem vrgente, vtpotè cum Hiſpanus exercitus cladem aduerſo prælio Gerbij in Africa paſsus eſſet. Monet etiam ne Auſtriaco poteſtatem vel auctoritatem vllam in Ordinum Belgij militiam, peditatum aut equitatum permittant, niſi tali gladio iugulari, & ad diſcordiam excitari velint.

Brabãtiæ priuilegia.

Vt Auſtriacus oſa prouinciarũ priuilegia cõcedat ac permittat, vtpotè lætũ introitũ, Chartas Cortenbergicas an 1:61. & an. 1320. conceſſas, & à Ioan. Brabantiæ Duce confirmatas an. 1321. aliàs præterea datas Louanij menſe Mart. an. 1354. & Bruxellæ an. 1371. & à VVenceſlao eiuſq; vxore Ioanna Antverpiæ an. 1372. & 1373. & alia inſuper priuilegia multa. Vt id fedulò curẽt, neq; vllo modo negligant, monet, exemplumq; authenticũ exſcriptũ ipſi dent, quærelas omni notiſsimas mundo addant: rogentq; vt ad literam tenoreꝫ formam prouincias gubernet: Regis proculdubio eſſe voluntatẽ, vt ea quæ promiſerit ſeruentur. Quod ſi Auſtriacus recuſet, proteſtentur ſtatim, ipſos prouinciarũ proceres nequaquam rebellionis accuſandos, quod priuilegia ad poſtremã ſanguinis vſq; guttã defendere, tueri ac ſeruare velint. Hęc ſi apertè & liberè eloquantur, & animorũ concordẽ ſententiam planè explicent, proculdubiò breue & abſolutum reſponſum eò citius conſequuturos: id aũt maturè potius obtinendum, quam longis colloquutionib. & ſermonibus negligenter deferendũ, ne interea Auſtriaco rebus ſuis callidè cõſulendi, ſe muniendi, incautoſq; dubitandi, ac ſuſpenſos tenendi, ſpatiũ & oportunitas detur. Huiuſmodi liberè eloquendi rationem, neq; nouam neq; abſurdam, nullo modo indignãdi aut iraſcendi anſam Auſtriaco daturã: quandoquidem ipſi Regi tale decretũ planè & apertè Gandaui pronunciatũ fuerit: ita vt huius ſolius rei cauſa Hiſpanorum abitum promitteret: eiuſque factũ recentem adhuc eſſe memoriam.

Quod verò Auſtriacus tam ingentem militum numerũ in ſui corporis cuſtodiam, qui ſibi iuramentũ præſtent, dari poſtulet, id magnum difficultatẽ eſſe ſignũ: imò ſi huiuſmodi copias ſibi addictas aliquando habeat, mox Ordinib. pro ſuo arbitrio imperaturum, illis leges conſtituturũ, & in eos qui contradicent, acriter animaduerſurũ. Facilè quidem perſpici poſſe, ipſum nihil boni meditari, quandoquidem ſe Ordinũ militibus ſtipare atq; munire, & Ordines munitionibus armiſq; exuere ſtudeat. Aequum & rationi conſentaneum magis eſſe, vt ipſe Ordinibus, quàm Ordines ipſi fidant: vtpotè qui ſemper promptam, liberam atque obedientem voluntatem oſtenderint; nihilominus tamen interim grauiſsima damna paſsi, & ab Hiſpanica gubernatione indignis valdè modis habiti ſint. Quin & illud perpendant, eum qui tanquam Gubernator venerit, velle armata manu intrare, atq; primò cautionem & ſecuritatem ab Ordinibus poſtulare: cùm tamen id cõtra morẽ ac conſuetudinem ipſorũ etiam ſit Principum, vtpotè qui ſemper inermes Ordinib. iuſiurandũ fidemq; præſtiterint, antequam ab ipſis acceperint.

Cogitent præterea maximo apud omnes nationes ipſis fore dedecori, magis ſtudere Auſtriaci animo fatisfacere, quam cõmiſereſcere miſerorum prouincialiũ crudeliſsimè oppreſſorum Mofætraiectì & Antverpiæ, maximè à tali hominum genere, qui Belgij indigenę reputari velint: quorum nonnulli inconſideratè ac temerè id in pacificatione Brædana vrgentes iactitarunt, Regem velle ſuos omnes, non tanquam extraneos, ſed naturales & indigenas Belgicarum prouinciarum haberi: homines ſanè inaudita crudelitate & barbariè ſęuientes. Perpendant exactè cuiuſmodi id alijs ciuitatib. ſit futurũ exemplar: & quid aliud tandẽ ſit ſperãdũ

aut

sperandum aut exspectandum, si in Hispanorum militum potestatem recedant, quàm fuerint temporis diuersa rursus crudelitatis & tyrannidis genera. An. 1576.

Notissimum ipsis esse, quàm ægrè populus tulerit, acriterq; reprehenderit, quod initio arcium ædificationi non restiterint, vnde profectò maxima calamitatū miseriarumq; pars orta: nunc rursus quas non conquerendi sit habiturus populus occasiones, eò quòd cùm iam easdem arces in sua habeant potestate, illas non diruant, & solo æquent ea maximè parte, qua ciuitatibus sunt oppositæ. Id quidem in primis factu esse necessariū, tum vt populi votis satisfiat, tum vt pericula ante passa, & nunc rursus imminentia euadere queant.

Regis iram nequaquam timeant: neq; sibi ipsis etiam blandiantur, existimentq; falsa persuasione, se Regis Maiest. auctoritatemq; haud grauiter offendisse. Reputabit enim Rex vires ipsis defuisse: itaq; omnes eis iniurias ac contumelias imputabat, quamuis iniquè, neq; illarum vnquam obliuiscetur. Id procul dubio ita euenturum: quādoquidem Regis ira satis perspecta fuerit tunc temporis, cùm ei libellus supplex offerretur; & ipsorum plurimi existimarent, quemque pro sua conditione id quod apparabatur epulum gustaturum: quantumuis multa obliuio, venia ac clementia, quarum spe inani fouebantur atq; lactabantur, promitteretur. Principes nunquā huiusmodi rerum obliuiscī, nisi cum vindictæ ratio facultasq; deficit: interim dissimulare, & in tempus idoneum differre. Liquido satis id ex actis præteritis constare, ipsaq; vulnera sanguigem nunc adhuc manare. Exemplo esse inprimis Comites Egmondanū & Hornanum, plurimosq; viros nobiles & ciues egregios, quibus blanda promissa fuere exitio. Hunc Regum morem ijs omnib. satis esse perspectum, qui rerum humanarū experientia essent edocti. Similes fraudes ac minas nunc quoq; procul dubio intentari, quandoquidē ipsa natura satis doceat, eos qui vi, quod volunt, adipisci non possunt, dolis id experiri atq; tentare: haud aliter atque pueri quibus aues & feras fallere ac capere studiū est. Proinde id sibi certò persuadeant, Regē nullas non moliturū technas atque fallacias, quibus eos in casses pertrahat. Hoc vnū inprimis cordati ac prudentes perpendant, quàm ægrè atq; molestè Princeps quicunque ferat sua mandata contemni, suam contra subditos imbecillitatem ac impotentiam omni mundo notam fieri; facultatesq; & vires pro libidine animiq; impetu agendi deficere: interea verò nullū fallacię genus, quo voti compos fiat, negligere aut prætermittere: idque noctes & dies agere atque versare. Summā potestatem hoc peculiare habere, quod aduersitates ęgerrimè ac impatientissimè ferat. Proinde non defutura blandiloquentię inuenta, & rhetorices ornamenta pulcherrima, quibus aduersarij credulorum animos illaqueent, & quæcunque tali instituto conuenire vllo modo possint, persuadeant.

Principia Reipublicæ constituendum ac gubernandi.

Natura Principum.

Rogat proinde, ponderent quam magni hæc res sit momenti: quādoquidem aduersarium valde potentem irritassent; & modus seruare neutiquam possit: alterumq; horum animis proponant; aut miserè succumbendum, aut viriliter restistendum modis ac facultatibus à Deo concessis, satis quidē facilibus & proculdubio profuturis, dummodo concordes vnanimesque suis rebus simul consulant. Quod si eueniat vt Ioannes Austriacus necessitate coactus Hispanos cogat Belgio exire: in primis sedulo cōstanterque curandum, vt priuilegijs restitutis atq; conseruatis hæ conditiones addantur: Ordines Austriaco, Consillum & Status, & Quæstorum disponāt atque constituant. Ordines auctoritatem potestatemq; habeant conuentus liberè celebrandi, bis aut ter singulis annis, prout cōmodum consultumque videbitur: vt quicquid rectè ac legitimè administrandam erit, oportunius, deliberatione habita, disponatur ac reformetur. Arces quoq; omnes dirui, Ordinum proceres curent. Austriacus militem nullo modo absque Ordinum consensu conscribat. Præsidia etiam pro Ordinum arbitrio constituantur.

Hæc quidem pacto cum Austriaco agendū esse: alioqui timendum, ne si eius arbitrio obsequantur, seipsos miserè fallant, & maioris, quàm ante hac vnquam, discordiæ ansam præbeant. Permultos procul dubio, neq; Philippi Regis, neque Ioan. Austriaci verbis fidem vnquam amplius habituros, si Ordinum generalium auctoritatem deprimi aut euerti videant: quandoquidē omnem suā spem in Ordinum sinceritate ac fida protectione collocarint. Se eadē hæc antehac ipsis consuluisse, iamq; quandoquidem tanti sit momenti, his literis repetere, atque rogare in bonam partem accipiant ab eo, maximè qui facultates omnes vitā denique, pro patriæ tranquillitate & communi omnium salute impendere, ipsoque facto promissa præstare velit.

Princeps itaq; Auraicus non tantū consilio Ordines iuuit, sed & milites in Germania colligi curauit. Ordines quoq; suum exercitū collegerunt in Brabantia prope Vvauram sub Comite Lalainio, Burggrauio Gandauensi, & Motteo Grauelingę Gubernat. cum antea, mense nempe Oct. in Franciam Legatos misserint, vnde larga auxilia promissa fuere. Missus quoq; in Angliam Baro Aubignius opem pecuniariam petijt: mox Regina valorem 40. millium aureorū Angelicorū dari iussit, plura insuper promisit: atq; hæc eam præcipuè ob causam præstitit, ne Ordines Belgici necessitate compulsi extraneum aliquod fœdus inirent, aut Francis se committerent: sed Principi suo, Regi Hisp. Philippo, obedientes permanerent, Hispanorumq; dilectum sperarent atque exspectarent.

Ordines exercitū colligunt, & legatos in Franciam & Angliam mittunt.

Digitized by Google

An. 1576. Interea Ordines per legatos & delegatos, imprimis D. Raſsinghenum, Villeruallum, Burggrauium Gandauenſem, & alios qui quotidie vltro citroque commeabant, cum Auſtriaco pactum iniri ſtudent: cumque menſe Decembri Auſtriacus Marchefaminam veniſſet, hic 15. Decembris, quindecim dierum inducias paciſcuntur. Interea Auſtriacus Octauium Gonzagam, & Ioannem Eſcouedum, quem à ſecretis habebat, mittit Antverpiam, Moſætraiectum, & Liram, vt cum præſidiarijs Hiſpanis de diſceſſu, vt quidem dicebat; agerent.

Ordines 21. Decembris ſuos delegatos Namurcum mittunt, exiſtimantes Auſtriacum eo quoque venturum, vt colloquio omnis ſiniſtra opinio atque interpretatio hic tolli poſſit: verùm Auſtriacus eò non venit: ſed 27. Decembr. D. Raſsinghenum mittit, & ab Ordinibus octo adhuc dierum inducias petit, vt interea Hiſpanorum, qui Antverpiæ & alijs locis erant, ſententiam animumque melius intelligat atque pernoſcat: Præterea de ſecuritate & cautione ab Ordinibus ſibi danda, & de obedientia Regi poſt Hiſpanorum diſceſſum præſtanda certior fieri cupit: Dicit ſuo honori nequaquam cõuenire, vt ſe exarmet, & inermis armatæ Ordinum manui ſe committat: Poſtulat proinde, vt & Ordinum militares copiæ ad deponenda arma ſint paratæ, & extranei omnes Ordinum ſtipendia merentes Belgio vnà cum Hiſpanis exeant: Cupit præterea ſcire, qua ſecuritate & cautione, & an terra, an mari, Hiſpani ſint diſceſſuri: Cumque negotia cum Principe Auriaco, & Hollandiæ, Zelandiæque Ordinibus, Ordinum generalium conuentu ac concilio ſint tranſigenda; huiuſmodi concilij locum, & ſuæ perſonæ ſecuritatem cautionemq; declarari ac conſtitui depoſcit. Poſtquam verò Ordinum proceres ex huiuſmodi poſtulationibus, inprimis autẽ ex articulo vltimo intellexêre, Auſtriaci ſententiam nequaquam eſſe, vt Hiſpani diſcedant, niſi negotijs de religione, & alijs cõtrouerſijs cum Hollandis & Zelandis prorſus trãſactis: omnib. tandẽ modis ineſſiſtere atq; vrgere conſtituunt, vt quàm citiſſimè Hiſpani Belgio exeant: proinde vltimo Decembr. vt Auſtriaco quibuſcun que modis ſatisfaciant, quinque inſtrumenta teſtificationum ei per Delegatos tradunt: Duo in membranis ſcripta, multorum Epiſcoporum, Antiſtitum, Abbatum, Decanorum ſiue Archipresbyterorum, & Paſtorum manibus & ſigillis ſubſignata & ſigillata, 17. Decembr. 1576. Tertium à Decano & Facultate ſacræ Theologiæ Louanij 23. Decemb. Quartum à Doctoribus & Profeſſoribus vtriuſque Iuris Louan. 26. Decemb. Poſtremum à multis Epiſc. ſubſignatum, & ad Pontificem Romanum miſſum, religionis ſtatum in Belgio complectens: quibus equidem omnibus declarant, neque orthodoxę fidei, neque Catholicæ Rom. Religioni quicquam, aut detrimenti aut damni vllo modo inferri fœdere pacis, 8. Nouembr. die Gandaui vtrinque inter ipſos Ordines, & Principem Auraicum cum Hollandiæ & Zelandiæ Ordinibus confirmatæ: vtque latius ac manifeſtius demonſtrent, nihil in hoc pacis contractu contineri, quod aliquo pacto Regiæ Maieſtatis auctoritati aut dominio deroget, etiam teſtimoniũ literarum, Dominiorum, Conſilij Statuum, tradunt, quibus Gubernatio generalis totius Belgij eis commiſſa fuit anno 1576. 20. Decembr. Subſig. Bertij.

Ordines offerebant Auſtriaco Louanij, Machliniam, &c.

Calendis Ianuarij 1577. Abbas D. Giſleni, tunc Epiſcopus Atrebatenſis electus, Marchio Hauræus, Burg-grauius Gandenſis, Baro Liedekerckius cum Adolpho Metkerckio, Ordinum deputati, Auſtriaco oppida Louauium & Machliniam, ſuæ commoditatis cauſa offerunt, vt hic acta Luxenburgi inter ſuam Celſitudinem & Conſilium Status Regiæ Maieſtatis, & inter deputatos Ordinum generalium, concludantur, perficiantur, & exequutioni mandantur: vtque ad ſui corporis ſecuritatem, præter cautionem & ab Ordinib. generalibus ſcripto præſtitã, certum aliquem fidelemque virum & ſtipatores in Belgio natos ſibi aſſumat, nunc ſub Ordinibus ſtipendia merentes, qui ei iuſiurandum fidei cuſtodiæq; corporis præſtent, pro ſuo arbitrio: præterea tres aut quatuor obſides è numero Ordinum, aut deputatorum, promittunt, qui ſe præſentes ſiſtant Epiſcop. Leodienſi Principi vicino, donec Pacificatio prorſus tranſigatur, abſoluaturque.

Auſtriacus ad hæc eodem die ſcripto reſpondet, ſe ad Ordinum, & totius prouinciæ ſalutis & pacis ſummo amore, oblata acceptare: ad hęc *Somatophilacẽ* ſiue ſtipatorũ præfectũ D. Hiergę ſiũ cum tribus militum milib. ſibi ſubditis, non tantum ad ſui corporis, ſed etiam ad loci, quem è duobus oblatis electurus eſſet, cuſtodiam dari poſcit: obſides præterea eligit Marchionem Hauręum, Burggrauium Gandenſem, D. Montignium, & Abbatem Gertrudanum, qui in Caſtro Hoyo, Leodienſis Principis cuſtodiæ (vt ſibi promiſſum prætendebat) ſe tradant: his demum conditionibus ſe Machliniæ aut Louanij, vbi vlterius ad concordiam procedatur, manere paratum.

Ordines ad hæc per legatos reſpõdent: Belgicas omnes prouincias ſimul promiſiſſe & ſubſignaſſe, ſe in fœdere permanſuros, bellumque geſturos, donec Hiſpani Belgium relinquant: dominum verò aut religionem nequaquam mutare ſtatuiſſe: eademq; etiam Hollandos & Zelandos ſubſignaſſe, ſalua tamen ſua religione: de qua Ordinibus Generalibus ſtatuere permittunt. Se verò nequaquam permiſiſſe ei obſides eligendi poteſtatem: neque ab eo electis ſe ca-

rere

rore posse: verùm alios nominare cupere, non tantæ præstantiæ quantæ Hiergesius, idque varias ob causas: neque etiam velle, vt Hiergesius stipatoribus præsit. An. 1577.

Verùm si Austriaco placeat in colloquium venire, id liberum concedi Hoyæ in ditione Leo dienſi neutræ parti addictæ, idque numero æquali virorum & sine armis fiat. Quod si graues aliquas ob causas Hispani tam citò Belgio exire non possint, rogant vt saltem in propensi animi studijque signum, Castrum Antvverpiense & vrbem Lyram in Ordinum potestatem sine mora tradi iubeat: alioqui enim neque arma depositoros, neque inducias concessuros: imò eadem loca vi atque armis inuadere paratos. Mittunt ei præterea concordiæ Ordinum Bruxellæ congregatorum huiusmodi exemplum.

Nos subscripti Prælati Ecclesiastici, Domini Nobiles, Magistratus, Senatus, ciuitates, communitates alijque, Ordines Belgij constituentes ac representantes, nunc temporis in vrbe Bruxella congregati, pluresque alij imperio potentissimi & illustrissimi Principis Hispaniæ, suprcmi nostri domini & naturalis Principis, subditi, omnibus tam præsentib. quam futuris notum facimus: Cùm communem nostram patriam Hispanorum plus quam barbara & tyrannica oppressione miserè angi & vexari videremus, moti, adacti & impulsi fuimus concordibus animis congregari, & armis, consilijs, militibus, pecunijs collatis resistere prædictis Hispanis & eorum socijs atque fautoribus, quos suæ Maiestati rebelles, & nobis hostes declarauimus: fuitque postea hæc nostra concordia, conciliatio, pactio, conditione pacis postremò inite, confirmata: idque auctoritate & consensu Consilij Status à Regia Maiestate in generali harum regionum gubernatione constituti. Cum verò concepta meditataque hæc concordia omnem obedientiam, fidelitatem, constantiam & firmum auxilium vtrinque in omne tempus postulet: nos quoque omnem suspicionis, moleuolentiæ, sinistræ interpretationis materiam amotam cupimus, & vt prædicta concordia omni sinceritate, fidelitate & diligentia, promoueatur, confirmetur, præsteturque exoptemus: ne tandem quis subditorum aut incolarum Belgij, non acquiescendi, aut conquerendi, quod ei à nobis satisfactum non sit, occasionem aliquam habeat aut prætendat: IDEO, ac præcipuè vt cautio diligentiaque adhiberi queat, ne quid in communis patriæ, & iustissimæ actionetistimæ huius defensionis præiudicium aut damnum committatur: neùe eorum quæ ad iustam defensionem necessaria, aliquid aut negligentia aut conniuentia prætermittatur: NOS auctoritatis & mandati nostri potestate, vltro citroque, & alio quouis modo, nostro posterorumque nostrorum nomine, promitimus & promittimus bona fide, vt viros verè Christianos ingenuos, honestos, patriæque sinceros amatores decet, inuiolabiliter & perpetuo hanc Vnionem, conuentionem, communem pactionem, retenturos & obseruaturos: (ex qua nemo nostrum simulatione, hypocrisi, coitione, arcana aut factiosa actione, aut alio quouis pacto, se eximere aut segregare poterit) ad sacrosanctæ nostræ fidei, & Apostolicæ Romanæ Religionis conseruationem, ad prædictæ pacis siue pacificationis perfectionem, & ad Hispanorum, eisque adhærentium expulsionem, obedientia suæ Maiestati debita interim semper illæsa: denique ad patriæ nostræ salutem, prosperitatem, quietem: & ad omnium ac singulorum priuilegiorum, iurium municipalium, libertatum, constitutionum, consuetudinum veterumque institutorum obseruationem. Et hæc quidem quibuscunque poterimus modis, pecunia, mille, consilio, facultatibus, vita denique ipsa, si necesse fuerit, conabimur ac promouebimus. Cauetur aût ne nostr ûquisquâ priuatim aut separatim consilia, conuentiones aut consensiones, cum aliquo non fœderato communicet: aut eorum quæ in nostro communi conuentu tractata, deliberata, conclusaúe sunt aut erunt, indicium aliquod quouis modo edat. Omnes autem omnibus ijs quæ generali & communi decreto statuentur, se accommodabunt, atque conformabunt. Quod si qua prouincia, regio, vrbs, arx, domus, ob fideatur, oppugnetur, occupetur, damno afficiatur, opprimeturúe quocunque modo: aut si quis nostrum vel aliorum qui pro patria, patriæ contra Hispanos defensione, alijsúe rebus generaliter aut particulariter strenuè fideliterque se gesserunt, inquisitio ne molestetur, capiatur, concutiatur, damno afficiatur, degradetur, opprimatur, inquietetur in corpore, facultatib. honore, statu, qualitercunq; id fiat: Pollicemur nos modis omnib. prædictis, suppetias et laturos: & captiuorû liberationé, facultatib. virib. violentia promoturos: Qui contra fecerit, nobilitatis, nominis, armorû & status honore priuabitur: periurus, hostis communis patriæ coram Deo & omni mundo habebitur, non sine perpetua infamiæ & perfidiæ nota. Huius autem concordiæ sacrique fœderis confirmandi causa, literas has nostris chirographis solitis subsignauimus 5. Id. Ianuar. 1577. His singulorum chirographa subscripta fuerunt. Inferius Dominorum Consilij Status confirmatio & approbatio appositæ, sequenti tenore. *Exemplum Vnionis Ordinũ*

Posteaquâ suprascripti generalium Ordinum deputati, huius Vnionis & Concordiæ cõtenta, ab Status Consilio Regiæ Maiestatis auctoritate generali Belgicarum regionum gubernationi præfecto, approbari postularunt: Consilij eiusdem proceres & Consiliarij postulatione & rationib. suprædictis exactè perpensis, suprascriptâ Vnionem & Concordiam ex earundem *Approbatio Vnionis à Cõsilio Status.*

Digitized by Google

An. 1577. forma & tenore, pro ſua auctoritate ac poteſtate approbarunt & confirmarunt, approbantq; atque confirmant. Actum Bruxellæ in ciuitatis Curia, præſente prædictorum Ordinum cœtu, 5. Idib. Ianuar. anno 1577. Concilij Status decreto. Subſig. B..r y. Eandem hanc Vnionem ſiue Concordiam auctoritate ſublignata comprobarũt Prælati Vicarij, Gubernatores, Senatus, Magiſtratus, Ciuitates, Tribunalia, Præfecti publicis officijs, Collegia, Capitula, alijſque locorum, municipiorum & pagorum in Belgio Primates.

Poſtquam hæc omnia Domino Ioanni Auſtriaco, Ordinum Belgicorum nomine, declarata fuêre: iamq; animo perpenderet Ordinum Prouinciarumq; ſtrenuitatem ac probitatem, vicinarum regionum ad auxilia ferenda facilitatem & promptitudinem, ad hæc cauſæ æquitatem: iamque complures blandis phaleratiſque ſuis verbis, quibus incautos fallere inprimis nitebatur, fidem nequaquam habere: quandoquidem in Hiſpania & Italia communis opinio, famaque erat de Belgarum ſumma puſillanimitate ac ſimplicitate: quam & Albanus dicterio falſo ſatis confirmarat, cum ſe Hollandos butyro & lacte ſuffocaturos extinctoroſq; iactaret: tandem à noui Imperatoris Ro dulphi, Du. is Cliuenſis, & Epiſcopi Leodienſis Legatis, in Belgium huius rei cauſa miſsis, ad pacificationem inducitur: maximè cùm ſciret Ordines militum ingentes copias collegiſſe, caſtraque (vt ſupra diximus) prope VVauram in Brabantia habere: militesque quoque Hiſpanos vndique ferè obſeſſos inedia premi poſſe: neque ſuis rebus ſatis ab omni parte proſpectum eſſe: itaque conſultè ac aſtutè ſe facturum putat, ſi aliquandiù bello deſiſtat, & Hiſpanos extra Belgium dimittat: meditans hac potiſſimùm ratione, Ordinum fœdera pactaque omnia irrita reddere, & ſe, temporis ſucceſſu, gubernationi ingerere, animoſque hominum, quorum magnam partem ſibi additam habebat, inſinuare, denique fœderatos ad diſſidium diſcordiamque pertrahere: vt ita voti compos omnia pro ſuo imperio agat: neque ei id profectò difficile factu fuiſſet, ſi ſuam hypocriſim tolerantia & longanimitate, rudem inconſtantiam effrænamque impatientiam, fidelidate & conſtantia, odium & crudelitatem virtute & prudentia aliqua, ſaltem palliare notuiſſet. Verùm enimuero plurimi inprimis acuti & perſpicaces, eum arrogantiorem ſuperbioremque, quàm vt ſe erudiri aut inſtrui pateretur; iunioremq; etiam quam vt omnia proprio marte & ingenio rectè exequi atq; componere poſſet, prima fronte facilè animaduertebant: vnde & pulchræ laternæ abſque lumine à rerum peritis comparabatur.

Auſtriacum mulcis rationibus mouet, ad diſcordiam & Hiſpanorum diſceſſum permittit.

Ordines quidem Belgij, vt à milite peregrino tandem liberari poſſent, ad pacificationem præcipuè permouebantur: eodemque præcipuè ſpectabant conſilia & inſtigationes illorum, qui gubernationes & adminiſtrationes Reip. aucupabantur: affirmabantq; Hiſpanorum miſſionem omni ſtudio procurãdam: nihil referre, etiamſi libertatibus & priuilegijs patriæ non exactè ſatisfiat: quod ſi adhuc gerendi, belli animus ſit, id poſt Hiſpanorum diſceſſum multo facilius inſtaurari poſſe: neque commoditates & occaſiones ad hoc defuturas.

Fuitque Dominus Champigneius præcipuus ſeptimi articuli auctor, quo acris in violentos extortores & graſſatores, tam Hiſpanos quam Germanos pœna proponebatur promittebaturque: vt ſic facilius ſtipendij Germanis perſoluendi ratio iniri queat.

Pax Marchæ-famine. Edictum perpetuum.

Partibus vtrinque, vt diximus, animatis, & legatorum Cæſaris, aliorumque Principum opera Deputatis, Marchæ-faminæ ſimul congregatis, pactum ſtatuitur, concluditur & confirmatur prid. Id. Februar. 1577. idemque 13. Cal. Mart. Bruxellæ & Antverpiæ promulgatur: & Edicti perpetui nomine appellatum, nouendecim articulos continet:

His pacis articulis conſtitutis & cõcluſis, Princeps Auraicus & Hollandiæ ac Zelandiæ Ordines, poſtquam ad ſe miſſos examinarunt, hanc ſuam ſententiam, reſponſionem ac proteſtationem edunt: VISIS fidei literis nomine Ordinum generalium, D. VVillervallio & M. Paulo Buſio, Hollandiæ Aduocato, Imperatoris legato præſente, allatis: quibus Principis Auraici, & Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ ſententia rogatur, de Edicti perpetui articulis Regio nomine in pacis confirmationem concluſis: prædicti non potuerunt, non ſummoperè approbare diuinum libertatis & liberationis Belgij à tot miſerijs, Hiſpanorum petulantia & illegitima gubernatione inuectis, zelum, & laudandum de poſtremæ Pacificationis Gandauenſis obſeruatione propoſitum. Verùm articulis attentè examinatis, Ordinum zelo & deſiderio nequaquam ſatisfactum eſſe reputant: tum quod eorum tenore, ius auctoritaſque Ordines generales conuocandi, tectè ei, cui antiquo iure competit, adimatur: tum quod Ordines nouis & ante hac nunquam vſitatis partis ac iuramentis obligentur.

Præterea quod manifeſta priuilegiorum infractio cernatur, ex iniqua Comitis Burani retentione in Hiſpania, hoc maximè tempore, quo de priuilegijs inſtaurandis & confirmandis inprimis agitur: ratione habita priuatæ perſonæ, quæ nihil peccare potuit: idque etiam contra Gandauenſem pacificationem, quæ non ſimpliciter, ſed captiosè approbata ſit: quandoquidem huiuſcertè quædam adſtrictiones fallacibus effugijs obnoxiè inſertæ ſint, Gubernatricis Dominæ Parmenſis captionibus, vnde tanta ſanguinis effuſio orta, haud abſimiles.

Depre

Deprehendunt etiam articulos quosdam (sua quidem sententia) honori patriæ derogare: maximè quòd ijs qui Belgium tam hostiliter violenterque oppressissent, mercedem stipendiaque soluerent: imò cum ijs qui Regis & Belgij Ordinum auctoritate persidi & rebelles declarati, & distinctè, apud Ordines Romani Imperij, huiusmodi criminum accusati fuerant, pacta inirent: denique ijsdem illis, monilia, cimelia, pecunias, facultates, prædas rapinasque, absque vlla contradictione extra Belgium euehere & asportare permitterent. An. 1577.

Reputant quoque non habitam rationem debiti honoris & gratitudinis erga illustrissimam Angliæ Reginam, & Ducem Alenssonium Regis Galliarum fratrem, vtpotè qui in summa angustia ac necessitate eos adiuuandi, imò proprijs facultatibus è seruitute eximendi, animum voluntatemque declararint: æquum proinde esse, eos magis magnificè & honorificè in pacis articulis comprehendi.

Postremò animaduertunt Hollandiæ & Zelandis nulla cautione aut securitate prouisum esse: quod quidem antea Bredæ satis amplè promissum fuerat. quod & Gandaui præstitum fuisset, nisi Deputati verbis scriptisque declarassent, se cum Ordinibus solis, nullisque alijs agere velle, idque bona fide. Præterea nullam his articulis securitatem cautionemue contineri de priuatis hominibus in integrum restituendis, quantum ad eorum bona, status, & gubernationes, in diuersis regionibus localisque citerioribus, & in Burgundia, attinet: cui quidem rei sedulò vacandum esset: quandoquidem tempore pacificationis Gandauensis, quod tunc potestatem non haberent, nihil expressè & speciatim de hoc negotio delignare potuerint. Nullam quoq; hoc contractu aliarum regionum securitatem aut cautionem inuestigari posse: cùm nusquam arcium aut propugnaculorum demolitionis, aut particularis securitatis, remissionis, obliuionisue fiat mentio: quod quidem populo, nuper adhuc Hoyæ manifestis minis perterrefacto, non potuit, non esse suspectum: Hæc tamen inprimis necessaria fore tunc temporis, cum totis regionibus arma deponentur, & Austriaco gubernationis auctoritas confirmabitur. Contrà autem res eò vergere videtur, vt Gubernatores hac tantum vice pro Ordinum arbitrio constituantur: posteà autem omnes securitatis cautionisq; rationes, quibus se contra eos, quos gubernaculis pars aduersa præficere volet, defendere possint, adimantur.

Fuere præterea alij complures huiusmodi articuli, non parui momenti, quos conscribere & transmittere meditabantur eo ipso tempore quo conditiones, iam iam ab Ordinibus ad Ioannem Austriacum missæ, quibus gubernationem acceptaret, eis adferuntur: vnde summopere mirati, & permagni interesse rati, quod scilicet hæc tanta festinatione agerentur, vt regiones quàm citissimè ab extraneis oppressoribus & grassatoribus liberentur: id quoque omnibus votis optant, Deumque rogant, vt res talem sortiantur exitum, qualem patriæ amantes ex animo desiderent.

Quod quidem ad se attineat (quandoquidem frustra de retransacta disputaretur) certo promittunt Ordinibus, se pacem Gandauensem omnibus modis obseruaturos: quod Ordines etiam factoris sperant. Nihilominus vt extraneorum dimissio, regionum pax, veterumque priuilegiorum obseruatio accelerentur promoueanturque: prædictos articulos sublignare nequaquam recusant: modo Ordinum proceribus placeat firmo & irreuocabili decreto concludere, & inde auctoritatem consignatam in forma obligatoria concedere: vt, si Hispani, tempore ex pacto cum Austriaco constituto, extra Belgij fines non discesserint, prædicti Ordinum Proceres omnem cum Austriaco communicandi copiam abnuant, imò Hispanorum abitum vi armisq; vrgeant: neque posthea vllas amplius pacificationis rationes iniri permitant: modò quoque ijsdem Ordinum proceribus placeat, auctoritatem consignatam, obligationemque rursus dare, quibus confirment, se post Hispanorum discessum neque Austriacum neque alios ad gubernationem accepturos, admissuros, aut agnituros, donec omnibus restauratis, etiam articulis quocunque modo patriæ priuilegijs aut iuri contrarijs, aut Gaudauensi pacificationi damnosis, abolitis, satisfecerit: & sua cuique bona tam hic quam in Burgundia restituantur: priuilegia quoque omnia confirmentur: quod quidem tempore pacificationis Gandauensis, Ordinũ Deputatis solenniter promiserant suis literis datis quinto Calendis Nouembris anno 1576. Actum Middelburgi vndecimo Calend. Mart. anno 1577.

Ad hanc Principis Auraici & Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ sententiam, Ordnum generalium Proceres ita respondent.

Responsio Ordinum ad Auraici sensum & protestationem.

Hoc primo die mensis Martij, anno 1577. Domini Ordinum generalium Belgij, viso Domini Principis Auraici & Hollandiæ ac Zelandiæ, Ordinũ scripto de pactione 11. Cal. Mart. 1577. inter D. Ioannem Austriacum aurei Velleris Equitem, & generales Belgij Ordines inita: declarant, suam intentionem semper fuisse & adhuc esse, vt pax Gandaui mense Nouembri proximè præterito inter Principem Auraicum & Hollandiæ ac Zelandiæ Ordines, eorumque fœderatos, & Ordines generales constituta, firmiter retineatur obseruetur que: insuper etiam, quæcunque contra patriæ priuilegia, iura, libertates, consuetudines Belgij, tam generaliter quam particulariter

An. 1577. ticulariter facta aut concepta fuerint, inter alia reparentur, restaurenturque: Se quoque de creuisse stipendiarios omnes milites Hispanos, Italos & Burgũdos viarmisque expellere, nisi constituto tempore, vt pactio ipsa exigit, vtque eis expresso suæ Celsitudinis mandato est imperatum discesserint: neque amplius colloquium aut cõmunicationem de differendo eorum abitu habere. Et cùm prouinciarum præfecti, legati, & militum Tribuni, prædictis se confor mare teneantur: ab eis etiam postulabitur, vt subnotent simile decretum, vnde præsens hæc auctoritas prædictorum Ordinum generalium decretõ, à Brabantiæ Graphiario confecta & subsignata est anno & die supradictis.

Auraic. semmuti, vt pacis contractũ promoueat.

Auriacus vt extraneorum abitum promoueat, & contractus satisfactionem rigore metuq; accelleret, Amsterodami & Vltraiecti solidã gubernationem nancisci conatur: Sparendamum & Harlemum munit: naues suas præsidiarias, Schaldim quotidie vltro citroque peruagantes, sibi deuinctas tenet. Contra Austriacus aegrè hæc ferens, ne Amsterodamenses se Hollandis iungant clam sollicitat: eosque ex Gandauensi pacto, nequaquam teneri id facere, nisi ipsemet velint, proponit. Vltraiectenses quoque illicere conatur, eo maximè nomine, quod ad Hollandiam non spectent, sed singularis eorum sit prouincia: proinde li consilio, auxilio, viribus opus habeant, hæc eis sua ope nequaquam defutura. Verùm incassum nititur Austriacus: voti autem compos sit Auraicus.

Pace coagmentata, Austriacus, omni sua aula curiaque comitante, Louanium venit: hic Hispanos exterosque dimittendi, & stipendia cogendi, quod mercede non numerata discedere nollent, rationes init. Louanij primò, pòst Bruxellæ industria summa popularem captat auram cpulis, festiuitatibus, largitionibus, familiaritate & comitate: ludos tempore pacis solitos instaurat: inter alios certamẽ in plittacos & scopos sagittas dirigendi, vetus quidem ac laudabile præcipuorum ciuium optimatumque in singulis ciuitatibus exercitium, quo concordia foueri, & armorum vsus ad vrbium defensionem toto Belgio promoueri solet.

D. Ioan. Austriaci descriptio.

D. Ioannes Austriacus hoc tempore annos natus circiter triginta, statura fuit mediocris, vir elegans, solers, alacris, lepidus, ingeniosus: verùm inconstans, impetuosus, temerarius & elatus: patefecit tandem simultatem suam immeritam in regiones Belgicas; quod se aspernari videret ob natales illegitimos: sunt enim nothi superioribus & inferioribus Germanis maximè despectui: erat autem natus matre Germana, tunc temporis in Belgio habitante: quàm, quod famæ non esset admodum integræ, hinc in Hispaniam, vbi vitam honestius degat, auehi curat, & nutricem suam ei custodem constituit, quamobrem mater animo fortasse nimis impatiens, alium Austrici patrem nuncupat, eumque Caroli Imp. filium pernegat.

Hispanicastro tradito, Antwerpiã relin quunt.

Adedicti perpetui normam Ioannes Austriacus Hispanos vrbe & arce Antvverpiana exire iubet 13. Calend. April. traditur arx Duci Arschotano, qui VValonibus aliquot militibus stipatus in arcis ponte comparuit, præsente Cæsaris legato. Hic Escouedus Secretarius iuramentum ab eo excipit hoc pacto: Sanchius Auilanus arcis præfectus, magnanimitate quadam castrum ipsemet tradere nolens, Martino Hoyo suo vicario id negotij mandat. Hoyus claues adfert: Arschotanus capite aperto dexteram dat Escouedo, iuramentumque præstat in hæc verba: Ego Philippus Croyus Dux Arschotanus, iusiurandum do, testesque Deum, Mariam virginem, & quatuor Euangelia adhibeo, me hãc arcem Regi Philippo nostro Principi custoditurum seruaturumque: neque eam vlli mortalium, nisi prædicto Regi Philippo, aut suis posteris, sine expresso suæ Maiestatis mandato traditurum. Ad hæc respondet Escouedus: Si quod dicis, feceris, adiuuabit te Deus: sin minus, Diabolus te corpore & anima abripiat. Respõdit circumstans corona, Amen. Post hæc, Hoyus Arschotano claues tradit: pontem versatilem demittit, castrum clausum aperiri, & Hispanum militem exire iubet: ingreditur cum VValonibus Arschotanus. Hispani, quod stipendium ipsis nondum esset numeratum, Egmondanum, Capresium, & Goignieum captos, sex quoque bellica tormenta auehunt: Antvverpia Liram, inde Traiectum superius proficiscuntur: conuehunt abduccuntque, non tantum Belgicarum mulierum & meretricum cateruam, sed & ingentem pecuniarum, cimeliorum rerumque pretiosarum thesaurum: ipsis etiam incolis spectantibus Deoque gratias agentibus: haud aliter atque olim Aegyptij, cum Israeliticus populus commodata idola asportans discederet. quantumuis etiam Germani milites, qui Antvverpiam diripuerant, sub Tribunis Fronsbergo & Fockero, in vrbe manerent, eaque adhuc potirentur.

Hispani è Belgio discedunt.

Philippus Rex Edictum perpetuum confirmat in Hispania 7. Id. April. Belgij Ordines pro missam pecuniam conquirunt, militibusque partim satisfaciunt: ita Hispani, Itali, Burgundi pedites equitesque 11. Calen. Maij Traiectum superius, & arces propugnaculaque omnia relinquunt: capti, Egmondanus, Capresius, Goignieus & alij nõnulli, ab Hispanis: Koblesius Byl-ly Dominus, Valdesius & quinque aut sex alij ab Ordinibus Belgij, vtrinque dimittuntur: demum peregrini omnes, Mansueldio Lutzenburgi Gubernatore itineris securitatem præstante, Lutzenburgum, inde in Italiam, promissis, nummis, thesauris diuites, ouantesque, tendunt.

Austria

Austriacus qui ante Hispanorum discessum Belgij gubernationem obire non poterat, interea Louanij ad eam suscipiendam se instruxerat: itaque cum plurimi viri nobiles eius salutandi causa Louanium venissent, Calend. Maij. 1577. Nobilium caterua comitante, maximo cum triumpho Bruxellam proficiscitur, mediusque inter Pontificis legatum & Leodiensem Episcopum magnificè vrbem ingressus, summa cum gratulatione excipitur: varia lætitiæ signa festis ignibus, triumphalibus arcubus, aliisque solennibus ludis à ciuibus eduntur: & 4. Non. Maij, generalis Belgij gubernator inauguratur, ea lege vt pacificationes & contractus ritè obseruentur &c. Ceremoniæ & honores ei haud aliter ac legitimo Principi præstantur: quandoquidem populus, Regem nunc tandem suorum subditorum misereri, & Hispanos euocasse, quod ante nequaquam credebat, perfuasissimum habebat: & Austriaci gubernatione solidam pacem ac quietem sperabat. An. 1577.

Austriat. Gubernator generalis Bruxellæ inauguratur.

ARGVMENTVM. Lib. VII.

IOANNES *Austriacus commissam sibi rerum administrationem cernens, statim quæ in secretis mandatis acceperat, exequi incipit, & clam cum Germano milite in Belgio adhuc commorante agit, vt primarias aliquot ciuitates arte in potestatem redigant. Verùm intercepta eius in Gallia literæ clandestina omnia eius consilia manifestarunt. Dolo suo iam detecto, ipsemet Namurcum arte præoccupat. Cumq; idem tentaret contra Antverpienses, non successit, arx enim à Bourſio Ordinibus militante est occupata, quemadmodum & mox Berga, Bredæ & Euscoducum. Austriaci copiæ hinc illinc profligatæ à Chãpigneo. Ordines generales ad Regem scribunt, Austriacum accusant. Qui se pacem optare simulat & discedere velle, si certus fiat. Religionem Catholicam & Regis auctoritatem ibi fore saluam. Interea reuocat Hispanos. Ordines contra Antverpianam arcem diruunt, seque ad bellum parant, Principem Auraicum accersunt, quem in Præfectum Brabantiæ (vulgo* Ruwaert) *eligunt. Hinc orta Zelotypia qua moti è nobilitate multi Archiducem Matthiam Cæsaris fratrem accersiuerunt. Sperantes sub eius auctoritate Prouinciarum Gubernationem passim vsurpare. Id vbi suboluit Gandensibus, Ducem Arschotum cum aliis eiusdem factionis capiunt, custodiæq; certæ committunt, Matthias à suis hac ratione desertus, ab Ordinibus generalibus persuasione Auraici in Gubernatorem eligitur. Austriacus hostis publicus declaratur. Ordines cum Regina Angliæ agunt, quæ legatos ad pacem impetrandam frustra in Hispaniam mittit. Ordines generales Archiducem Matthiam summum Belgij Gubernatorem, Auraicumq; eius Vicarium constituunt, idq; certis quibusdam legibus. Cometes visus, &c.*

Facta hæc sunt sub Ioannis Austriaci vnius Anni 1577.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

IOANNES Auſtriacus gubernatione Belgij iam potitus, noua ſtatim belli fundamenta meditatur: veterem Inquiſitorum Hiſpaniæ rationem ac opinionem de Belgio, alta mente repoſtam ſeruat: Belgas nempe Regiæ obedientiæ prorſus ſubiugari, & tanquam debellata deuictaque gens tractari debere: vt religio reformata extirpetur, arceaturque his regionibus: vnde & Regiæ Maieſtatis honorem, & Hiſpaniæ, conſequenterque totius orbis ſalutem dependere arbitrabatur: maximè ob Hiſpanorum cum Belgis commercia, quibus Hiſpania difficulter admodũ, imò nequaquam carere poterat: nihil hic diſcriminis aut negotij ineſſe putans. Plurima defunctorum Gubernatorum errata culpat, eaque ſe facilè correcturum, famamque inde perennem adepturum animo præſumit: homo gloriæ honoriſque inprimis auidus, diſcriminis verò metuſque prorſus expers. *Auſtriacus Gubernator factus, nouum bellum meditatur.*

Vt autem eò peruenire, & prouincias, præcipuè adhuc Romanas Catholicas, ſibi conciliare, populoque ſatisfacere poſſit: Regi, Auſtriaco, & Conſilio conſultum imprimis viſum eſt, militem Hiſpanum ex Belgio euocare, atque ita, ad quem effectum res adduci poſſint, experiri. Sperabat enim Auſtriacus deſiderato & laudabili hoc opere, populi gratiam, & authoritatem inire: præterea generoſos in Germania natales, nomen fratris Regis, victoriarum celebritatem, affabilitatem, comitatem, ciuilitatem, liberalitatem, reliquaſque virtutum ſpecies plurimum prodeſſe poſſe. Verùm enimuerò hominis inconſtantia, impatientia, diù fingendi diſſimulandique impotentia, quibus mens animuſque ſtatim detegebatur, illicò nocuere.

Octauium Gonzagam, Eſcouedum Secretarium; & Baptiſtam Taxſium Oeconomum, alioſq; eiuſmodi complures, quanto poterat numero, aulicæ familiæ ampliſsimæ adminiſtrandæ prætextu, retinebat, quorum maxima pars Belgicis regionibus, gubernante etiam Duce Albano ſemper inimica fuerat: Belgicis miniſtris, nullis aut paucis adinodum, contra ac promiſerat, vtebatur, ijſdemque ſibi omninò addictis: Præbebat ſe familiarem inprimis ijs, quos regionibus offenſos & male contentos ſciebat: intimoſque habebat Comites Barlemontium, Manſueldium, Meganum, Dominos Hiergeum, Floyonium, Hautepennium Barlemontij filios, Aſſonvillium, & id genus alios: hinc Ordinibus Belgij primùm de illo ſuſpicio infecta. Contra Ducem Arſchotanum, alioſque ad Auraicum mittit, ipſe etiam ſua manu literas amabiles officioſaſque refertas ſcribit, ſignificans neceſſe eſſe, vt multa ſimul pertractent, mutuòque conuentionis ſedulò rationem habeant. Auſtriacus etiam Heſeum Bruxellæ Gubernatorem, & alios nonnullos, donis muneribuſque amplis ornat.

Bruxellæ ab Ordinibus Belgij poſtulat Auſtriacus, eadem auctoritate pollere, qua ſui hactenus maiores, Principes alto ſanguine creti: inſuper numerum ſtipatorum pro ſuo arbitrio, vt Pacificatione conſtitutum, ſibi concedi, quibus ſtipatus ab vna in aliam ciuitatem proficiſcatur. *Poſtulationes Auſtriaci.*

Ne particulares Gubernatores ſint ijs ciuitatibus, quibus olim veteri conſuetudine non fuiſſent.

Vt omnes Gubernatores, militum Præfecti, & milites Belgæ, quocunque tempore accerſiti compareant, atque ei tanquam duci generali obediant.

Vt ei generaliter decernere & ſtatuere permittatur, de officijs & negotijs quotidie occurrentibus, dummodo Pacificationi aut priuilegijs non aduerſentur.

Et quia Ordines generales paucis ante diebus catalogum conceperant eorum, quos vt conſilio cœtuique intereſſent, idoneos reputabant: hunc ſibi catalogum tradi poſtulat, vt videat num qui inter eos ſint ſuſpecti, aut non idonei.

Quod ſi forſitan Princeps Auraicus, & Ordines Hollandiæ & Zelandiæ plenè nolint ſatisfacere Pacificationi, ne poſthac vllo modo commercium aut colloquium cum Auraico aut Ordinibus habeant: verùm ſuæ Celſitudini ſe adiungant, vt illos ad pacificationis formulã cogat: vt ſic demum Rex obtineat debitam obedientiam promiſſam ſuæ Maieſtati, aut eius nomine ſuæ Celſitudini, tali reuerentia & auctoritate, qualis alijs Gubernatoribus eiuſdem ſtemmatis, olim præſtita fuit: vt ita eos in optata pace conſeruet.

Præterea, vt ad duos articulos, nempe Regi debitæ obedientiæ & reſtaurationis Romanæ religionis effectum ſtatim perueniatur, poſtulat tempus anticipari, & articulis ſine dilatione ſatisfieri, quamuis eorundem deciſio in generalem Ordinum conuentum relata eſſet.

Digitized by Google

An. 1577 Poſtremo, quod ad Amſterodamenſium querelas attinet, quos Auraicus, vt cum alijs Hollandiæ ciuitatibus ſub ſua gubernatione ſe iungant, ſollicitabat, & arces vrbeſque munire ſatagebat: proponit Auſtriacus Ordinibus, vt contra Auraicum arma ſumant: allegatque Auraici incepta factaque tanti eſſe momenti, vt horum ſolummodo cauſa etiam ex ipſa Italia huc eſſet properaturus. Verùm Ordines hæc quibuſcunque poſſunt rationibus excuſare conantur.

Auſtriacum Regem literis & nuncijs clã inſtigat ad bellum.

Hæc quidem palam hic agebantur: verùm clam Auſtriacus literis & nuncijs Regem ad bellum acriter inſtigat, opera Secretarij Eſcouedi, vt tandem ex epiſtolis in Gaſconia interceptis & ad Auraicum à Rege Nauarræ miſsis patuit: inter has fuére trés ab Auſtriaco ſua manu ſcriptæ Louanij ſeptimo idus Aprilis, duæ ad Regem, tertia ad Anthonium Perezium Regis Secretarium: quinque autem ab Eſcouedo. Miſit has ſimul omnes Auraicus Ordinibus, ſcriptas furtiuis literis, notis ſcilicet numerarijs, quas ſumma induſtria explicuit Aldegondius, & alphabeti ratione inuenta, ſyllabis ac verbis cum exemplari collatis obtulit Ordinibus, ita vt cuiuis liqueret in explicatione nihil erroris aut fallaciæ eſſe: erant autem Auſtriaci manu, plurimis optime cognita, ſubſignatæ: quod & ipſemet pòſt confeſſus eſt, multa cauſatus, maximè autem, quod malè intelligerentur, atq; in peiorem partem acciperentur. Aliæ etiam literæ ad Fromsbergum & Fockerum Germanicæ militiæ præfectos, poſtea detectæ & inuentæ in arcula, quam Fockerus ſumma feſtinatione Antverpia fugiens, reliquerat: vnde omnis ipſorum contra Belgicas regiones conſpiratio apertè ſatis patuit. Fuerunt poſtea hæ literæ, mandato Ordinũ, typis editæ, cùm breui quadam narratione occaſionum rationumque, quibus ſuæ defenſioni contra Auſtriacum proſpicere vrgebantur.

Literæ Auſtriaci ad Regem interceptæ.

Scripſerat Auſtriacus 7. Id. Aprilis ſua manu ad Regem, Belgij corpus nequaquam ſanari poſſe, niſi pars ſaucia abſcindatur: idque nunc temporis fieri debere: orat proinde de pecunijs proſpiciatur, ſine quibus nulla victoriæ aut ſalutis ſpes. Alia quoque, quàm Albanus & Commendator incepiſſent, via aggrediendum, & exiguo eoque bono militum numero vtendum conſulit. Huiuſmodi perſuaſionibus & belli incitamentis Auſtriaci & Eſcouedi literæ ſcatebant. Rationes inſuper, & vias bellum gerendi addebant: nempe non continentes firmaſſe terras, ſed inſulas primo inuadi debere: hanc quidem interceptionem difficiliorem quam Angliæ expugnationem fatebantur: verùm vna inſula, aut vrbe capta alias facillimè ſuperari poſſe.

Prophetia Eſcouedi.

Vtque commodius eo perueniatur particulares controuerſias inter nobiles & populum, cauſa officiorum, & libertatis conſcientiæ, vnde acre certamen oriturum ſperabant, huic inſtituto inprimis profuturas declarant: hoc enim prætextu quoſdam Regiæ Maieſtatis partes defenſuros, ac ita diuiſos, diſcordesque, vtroſque facilius vinci, & alterum alterius opera puniri poſſe: Optant præterea, milites Hiſpanos & Italos in Gallia neceſſariò adeſſe: vt inde citius & facilius in Belgium vocati veniunt. Eſcouedus autem Regi ſcribit, Auſtriacum, niſi à ſua Maieſtate adiuuetur, alio improuisò ac repente diſceſſurum: oratque hanc fratris deſperationem auertere, & præuertere velit: renunciatque, rebus Belgij nequaquam lenitate aut clementia, verùm igne & ſanguinis effuſione mederi poſſe: Nobiles populumque grauiter accuſat, eorum ſcilicet neminem recte ſuo officio fungi, omnes falſam abominandamque tenere opinionem, & ad arbitrium libidinemque, ſine lege aut norma, conſcientia libera, viuere velle.

Hic partim ea, quæ Auſtriacus primò palam & clam geſſit, narrauimus: nunc quid cum vicinis principibus viris, & Germanis militibus egerit, dicturi.

Auſtriacus legatos mittit ad Imper. & Imperij ſeptem viros Electores, alioſque Principes, eos contra Auraicum incitat: eum pacis fractæ accuſat, idq; Ordinibus inſcijs, Auraico nequaquam admonito, excuſatione nulla exſpectata, aut debita inſinuatione præmiſſa.

Legat Burg-grauium Gandauéſem magnifico comitatu menſe Maio ad Angliæ Reginam: Regina quærelis auditis, Auraicum, Hollandos & Zelandos acriter monet, pacificationem obſeruent: minas quoque, ſi contra fecerint, addit. Legato huic mandant Ordines, Reginam roget, vt eis ſummam pecuniæ, qua Germanis ſatisfactis miſsio detur, commodare velit: verùm Auſtriacus huius rei mentionem coram Regina fieri prohibet.

Ordines ſtipendium ſoluere Germanis militibus, eosque dimittere cupiunt.

Ordines Bruxellæ congregati, Auſtriacum commotum, & bellum contra Auraicum renouare velle animaduertunt: id omnibus modis auertere, & conſilium exterorum, qui e adhuc aderant, arcere, Germanos quoque milites, rationibus initis, ſtipendijſque; quæ in multa centena millia excreſcebant; ſolutis, dimittere, enituntur. Germanis ingentem pecuniæ ſummam aliaque multa offerunt: inſtantque Auſtriaco, vt ſedulò intercedat, adiuuetque ea in re Auſtriacus id ſe facturum recipit: imò ſi Germanorum tribuni, præfectique oblatas ab Ordinibus conditiones recuſant, ſe vt expellantur liberè permiſſurum, idque ſtrenuè, etiam cum vitæ periculo conaturum, ſacramento confirmat: Et quaſi id effectum redditurus,

Nonis

Digitized by Google

Nonis Iunij Bruxella Mechliniam proficiſcitur, quo omnes Germaniæ militiæ duces conuenire iubet, eos, vt ſimulabat, ad æquas ſatisfactionis conditiones inducturus. Verùm contra molitur: & Pelliculam veterem retinens, ac fronte politus aſtutam vapido ſeruat ſub pectore vulpem: vtque dolum cautè tegat, ſcribit quinto Id. Iunij ad Ordines, ſe Ordinum & Regionum ſummopere miſereri fingit, & onus ſtipendij militibus ſatisfaciendi, ſine Regis opc. animis difficilè futurum proponit: idque ſe ſæpius quidem, ſed hactenus fruſtra Regi ſcripſiſſe: neceſſarium proinde reputare, dum modo Ordinibus conſultum videatur, Eſcouedum Secretarium in Hiſpaniam mittere, qui quòd rerum neceſſitatem & vulnerum acerbitatem ſatis perſpectam haberet, remedij rationem Regi declaret. Ordines ſummas Auſtriaco gratias agunt, lubenterque prouinciam hanc Eſcouedo committunt: Eſcouedus lubentiſsimè eam ſuſcipit, Ordineſque magna ſpe ingentem pecuniam à Rege impetrandi recreat: qui gratitudinis ergò ei penſionem bis mille ducatorum dare conſtituunt. Verum Eſcouedus contra molitur, pecunias ſcilicet, quibus bellum renouetur, aucupans. An. 1577.

Auſtriacus cùm Mechliniæ eſſet, ciuem quendam religionis cauſa hic gladio cædi iubet: id cum multis abſurdum iniquumq; videretur, ait ſe nequaquam in Pacificationem peccaſſe, quan doquidem nullis, niſi profugis & exulibus, non ijs qui in patria manſiſſent, ea frui conceſſum: & quidem hoc ipſum Epiſcopus Atrebatenſis ſic interpretabatur. *Auſtr. Mechliniæ cùm reſi gionis cauſſa plectì iubet.*

Fronsbergium, Pollvvylerum, Fockerum, Cornelium Endenſem militum præfectos nequaquam vt ſtipendio honeſto æquoque ſoluto è Regionibus Belgicis diſcedant, monet: verùm ſecretò ad nouum bellum gerendum incitat atq; conducit: nihil de ſtipendij ſumma detractum iri, etiam ſi Ordines eos non ſolum ſtipendio, ſed & vita priuare machinentur. *Auſtr. Germanorum abitū ſe promouere pugnit: interrim eos ſibi deuincit.*

Conſilium autem cum eis init, vt quatuor cohortes Germanorum, quæ Antvverpiæ manebant, & quatuor Cornelij Endenſis eò aduenturæ, cum Ludouico Bloyſio Terlonij Domino, Ducis Arſchotani & Principis Chimayæ Legato, atque arcis cuſtodiæ (contra priuilegiorum Brabantiæ normam) vicario, vnanimiter agant, & arcem vrbemque ſuæ Celſitudini ſeruent: idem quoque alias militum Germanorum quatuor legiones præſidiarias ſeduló facturas, locis & oppidis ſuæ cuſtodiæ commiſsis, nempe Somæ-bergæ, Bredæ, Buſciducis, Tolæ, Dauentriæ, Campæ, Ruremondæ, &c. Comitem quoque Barlemontium & filios cum VValonicis legionibus eo induxit, vt illarum duæ Antvverpiam, ſecuritatis maioris cauſa, veniant. Ad Tenetamondanæ vrbis præſidiarias tres cohortes Germanas ſub Polvvylero, quæ à Flandriæ Ordinibus pecunias, vt diſcederent, acceperant: ipſo quoq; ſciente, agente & conſentiente miſsionem obtinuerant, contrariè ſcribit, eoſque manere iubet; verùm milites Auſtriaco longè honeſtiores, id facere recuſant, miſſaſque literas Ordinibus tradunt. *Auſtriacus cellà dè cum Germanorum auxiliis contra Antverpianos.*

Interea Nauarræ Regina, Francia proles, per Hannoniam in Leodienſem agrum proficiſcitur, fontes Spaæ ſanitatis ergò aditura. Huius rei occaſione, viros omnes nobiles, vt magnificentiſsimè heroina deducatur, adeſſe iubet Auſtriacus, inprimis verò Principem Chimayæ ex arce Antvverpienſi, vt ſic Terlonius, cui optimè fidebat, ſolus ibi præſit. Mechliniæ profectus Reginamque deducens, vrbem Hannoniæ Montem inuadere meditatur: verùm rumores clanculum ſparſi id impediunt. Charlemontio, Lutſenburgo, aliiſque locis omine fauſto ſecurè potitur.

Cùmque honorificè deductâ Reginâ, in vrbem Namurcenſem veniſſet Auſtriacus, 9. Cal. Auguſti extra vrbem venatum exit, arcemque obequitans, atque eam, vtpote prouinciæ Gubernator, foris luſtrans, ante ipſius arcis portam Dominum Hiergeſum, Comitem Meganum, Floyonium & Hautepennium fratres filioſq; Barlemontij bene ſtipatos & bombardulis ſclopetiſque naualibus inſtructos conſpiciens, an intro luſtrare velint interrogat, ſtatimque arrepto ſclopo, armiſque oſtenſis irrumpit in arcem, captamque vi ſibi aſſerit, & hunc primum ſuæ gubernationis diem ait. Mox excubias ſuorum militum vbique collocat: & Ioanni Burgondo Froymonti Domino eius loci Gubernatori id nunuſadimit: conuocato deinde hic ſuo conſilio oſtendit binas literas datas 19. & 21. Iulij à nemine ſubſignatas, qnibus certior ſit factus, nonnullos fuiſſe molitos eum Mechliniæ capere, atque in Zelandiam auehere: videbaturque huius fácinoris vel le accuſare Lalaignium, Champigneyum ali oſque. Conqueritur maximè, intolerabiles ſibi contumelias ab Ordinibus factas: proinde velle vt nunc abſolutè ſuæ Celſitudini, ad rationem præſcripti ex Hiſpania miſſi obediatur: quandoquidem iam in ſecuro ſit loco, vnde abſolutè perfectéque prorſus imperare velit. *N. murcum ingreſſus Auſtriacus.*

Poſtridie D. Raſsingemium cum prædictis literis Bruxellam ad Ordines Statuum mittit, mandatque vt D. Heſius vrbis Bruxellenſis Gubernator, & ciues omnes arma deponant, antequam ipſe in vrbem ingrediatur: ſperans ſe hoc pacto ciuitatem pro ſuo arbitrio domiturum, Ordines, nulla interpoſita mora, 25. Iulij Abbate Marolleo, Archidiacono Iprenſe, Buchone Ayata, & Domino Bruſo ad Auſtriacum miſsis, ſupplicant ſuſpiciones omnes: fallis, vt ipſis

An. 1577. quidem videbatur, delationibus innixas, ex animo deleat: pericula autem malaq́; , quæ ob extraordinarium in arcem Namurcensem discessum, & arcis Carolomontiæ inualionem immi-

Ordines Auſtriaco ſecuritatem promittunt

nere possent, suo reditu auertat, seque Bruxellæ sistat: hic ei omnem corporis atque facultatum securitatem, fidemque promittunt, milites etiam adhæc iusiurandum præstituros: Insuper se de scelerataæ conspirationis reis, vt alijs sint exemplo, pœnas sumpturos: atque hac de causa tam accusatores quam accusatos nominari poscunt. vt legitima quæstio de huiusmodi maleficio constituatur. Rogant præterea vt de solutione stipendij & missione Germanorum militum, quam quidem se deiderare adhuc simulabant, agere pergat: permittunt ei etiam præter sagittariorum & doryphororum constitutam custodiam, sclopetarios pedites trecentos.

Auſtriacus ea omnium ante victorium. ait.

Austriacus hanc postulationem parui facit: putabat enim Cornelium Endensem, vt statum fuerat. Antverpiam cum quatuor cohortibus intrasse, & tam vrbem quam arcem in sua esse potestate: idq; Abbati Marollio nimis maturè, encomium scilicet ante victoriam canens, declarat, vt que idem Ordinibus significet, mandat: præterea nouas leges ac conditiones proponit, quas si acceptare recusent, eos læsæ Maiestatis, & rebellionis, imo hæreseos se accusaturum minatur. atque huius rei causa epistolas ad omnes Christiani orbis Principes mittit.

Interea eodem q́; tempore, nempe 28. Iulij, literæ Austriaci & Escouedi, in Gasconia mense Aprili interceptæ, quarum supra mentionem fecimus, ab Auraico missæ Ordinibus adferuntur: quibus machinationes Austriaci prorsus fuerunt detectæ: accusationes nempe contra Auraicum structas esse, vt hinc nouæ in prouincijs discordiæ concitarentur: Namurcum quoque & Carolomontium hac de causa præcipuè capta, vt non procul à Lutsenburgo extranei in Belgium reducantur: Hinc Ordines summis difficultatibus impliciti, nullam Germanos milites missos faciendi viam aut rationem vident, qui præcipuas Brabantiæ vrbes & arces occuparant, imò ipsam arcem Antverpiensem (quod eis ab Austriaco persuasum erat) vnde omnem pecuniæ & munitionis commoditatem præclusam putabant.

Animum has ob causas nequaquam despondent Belgij Ordines, sed festinato, opera quorundam patriæ amantium, persuadent mandantq́; D. Champigneyo, qui suas legiones in Brabantia habebat, vt Cornelij Endensis militibus Antverpiam Austriaci iussu petentibus, iter impe-

Cornelij Endenſis copias ea, ac diſſipat; atq́ Champigneæ militibus.

diat: quod & Domini Verlij eius consanguinei opera effectum redditur, qui obuiam tendens, Endenses copias cædit dissipatque: fuit autem hæc prima Ordinum Belgij contra Austriacum hostilis actio.

Mittunt præterea Antverp. Baronem Liedekerckium, vt ciues in officio contineat, quorum magna pars, secundam vrbis direptionem metuentes, fugam parabant. Liedekerckius cum Guilielmo Konckio & Paulo Touchero, Pontium Noyellium Bourſij dominum, qui vni militum cohorti in arce præerat, vt Ordinibus faueat, inducunt. Hic, cùm Terlonius custodiendæ arcis legatus, præsidiarijs nouum sacramentum, Austriaci nomine proponeret, præcedentis sacramenti fuisque honoris habita ratione, id præstare recusat: idemque præfecti militum & milites plurimi faciunt: hinc autem grauiora veritus Noyellus, quandoquidem Terlonius Germanorum militum partes se defensurum declararat, arce potiri, in prouinciarum Ordinumque vsum, fociorum ope, & Liedekerckij alioru mque consilio molitur.

Itaque Calendis Augusti Noyellius Bourſius milites præsidiarios sub vesperam ad arma vocat, totamque ciuitatem armatam fingit: festinato quatuor cohortes præsidiariæ arma arripiunt: Terloniana autem excubias agebat. Bourſius sua cohorte armata è vestigio alijs Ordi-

Pontius Noyellius Bourſij Dominus arce Antwerpienſi pomitur.

num sententiam declarat, sacramentum que seruandum proponit: itaque cohortem aliam sibi adiungit, tertia adhuc vacillante. Nihil cunctati, Terlonianos obstinato aso resistentes strenuè inuadunt. Terlonium capiunt, & 20. cæsis, plurimis q́; vulneratis, reliquâ cohortem arce expellunt. Contigére hæc Cal. Augusti, vesperi hora actaua: hoc modo arx Antverpiensis Ordinum commodo seruata fuit.

Fronsbergius & Fockerus præsidijs præfecti, rumore turbarum in arce percepto, noctem totam animis perculsi transigunt, maximè quod propositum mentemque præsidiariorum ignorarent: itaque summo mane Meranum pontem occupare cum omnibus suis copijs deliberant: acie autem hic instructa, cùm gratiora suspicarentur, ponte relicto, cum sarcinis impedimentisque in nouam vrbem tendunt: ibi se vallis, sarcinis, vatis, saccis variarum mercium plenis, hac vrbis parte in horreis, ac mercium promptuarijs, in nauibus, maximè autem in negotia torum hospitijs, inuentis se properè muniunt, pontesque omnes attrahunt.

Liedekerckius & vrbis primates, nullum non mouent lapidem, vt Germanus miles vrbe discedat: offerant, quod & ante fecerant, trium mensium stipendium, quadraginta scilicet florenorum millia: vnius quoque mensis mercedem pannum decem florenorum milibus æsti-

æſtimatum: verùm oblata pertinaciter recuſant Germani: hinc ciues ſolliciti perculſique, ne præſidijs omnibus Berga, Breda, Buſcoducis euocatis, vrbem inuadant, ſummopere metuunt: tratque iam fama, Meganum, & Floyonum cum ſuis legionibus, auxilio Germanis aduentare: contra autem, Egmondanum aut Helium non procul abeſſe cum maximis copijs, vt ciuibus opem ferant, diuulgabatur: huc etiam accedebat de arce capta, & de Auraici nauibus præſidiarijs rumor, quo milites Germani valde conſternebantur.

His turbationibus antemeridianum ad promeridianum vſque tempus tranſactum: cùm Domino Liedekerckius & Magiſtratus, Germanos, quos iam territos conſternatoſque videbant, bonorum ciuium, & quinquaginta aut ſexaginta præſidiariorum arcis militum ope, vt armiſque vrbe expellere decernunt. Iamque rem deliberatam effectui reddere, & Germanos, non ſine graui tamen periculo, profligare aggrediuntur: cùm ecce non procul ab Ouſerv vela quatuor Auraici naues præſidiarias cum naue prætoria aduentare vident, Deique prouidentia ſibi auxilio miſſas reputant: hæ duo aut tria ænea tormenta maximo cum tonitru diſplodunt: vnde Germanos in procinctu contra ciuium aciem ſtantes tantus ſubitò horror inuaſit, vt incredibili cum confuſione ac perturbatione extra portas, non ſoluto ſtipendio, fugerint: ſtatimque ciues longis reſoniſque vocibus exclamantes, iubilanteſque portas occludunt.

Ita Dei Opt. Max. auxilio Antverp. mirabiliter metu periculoq; ſecundè depredationis fuit liberata: vrbs cum arce Ordinibus conſtabilita: prædatores atq; violatores non ſine ſummo miraculo, ſtipendijs non numeratis, excluſi. Fronsbergius ad reliquos ſuos milites Bredam, Fockerus Bergoſomam confugit, impedimentis ſarcinisque omnibus relictis: in quibus, præter alia, variæ Auſtriaci ad Fronsbergium & Fockerum literæ, vt ſupra diximus, inuentæ, vnde clandeſtinæ actiones conſpirationeſque omnes retectæ fuerunt. *Fronsbergius & Fockerus Antverpiam cum dedecore relinquunt.*

Dux Arſchotanus cũ filio Principe Chimayo, & fratre Marchione Haureo, Dominus quoque Froymontius magni Burgundiæ nothi progenies, pluresque alij proceres oppidum Namurcum, Auſtriaco relicto, cautè ſagaciterque euadunt, ſeque Statuum Ordinibus iungunt: his quoque accedunt alij complures viri nobiles, & milites ſub Barlemontij filijs ſtipendia merentes, inprimis ſacramenti patriæque obſeruantes, quibus Ordines quàm primum negotia bellica deferunt: Lyramque vrbem præſidijs ſecurè confirmant ac communiunt.

Champigneyus cum quinque peditum cohortibus vnaque equitum turma, arcem VVoudam prope Bergoſomam capit: ipſamque Bergoſomam Brabantiæ ad Scaldim vrbem obſidione cingit, in qua Fockerus erat cum duobus veterum præſidiariorum cohortibus, tertiam recens ſecum Antverpia adduxerat: hic ſtatim tranſigitur ea conditione, vt duæ cohortes veteres præſidiarię debitum ſtipendium conſtitutis diebus accipiant, ſpondentibus id Ordinibus: tertia autem, quæ cum Fockero Antverpianam vrbem diripuerat, vitam paciſcatur: ea quoque lege, vt arma deponant, & Fockerum à quo ſeducti fuerant, captum tradant. Verùm Champigneyus, talem Germanicæ nationi ignominiam inuri nequaquam cupiens, eis arma reddi iubet, contentus, vt apocha chiropraphoque meritum in Belgio ſtipendium fateantur acceptum, ad normam articuli ſeptimi Edicti perpetui. Fockerus autem vinctus Bruxellam vehitur. Alia quadam Fockeri cohors Steenbergę præſidio conſtituta ſe vrbemque pacto dedit. Deinde Champigneyus vrbem inſulamque Tolam petit, magni vexilli cohorte præſidiaria munitam, cui Monteſdoca Hiſpanus antea præfuerat: huc poſtquam Comes Hoghenlous cum Auraicis militibus (erat enim hæc inſula Auraicæ iuriſdictionis) venit, ſtatim in deditionem loca omnia accipiuntur. *Bergoſomenſes pacta ab Ordinibus.* *Fockerus captus vinctuſque Bruxellam vehitur.*

Hinc Hoghenlous & Champigneius Buſcumducis tendunt, vrbem metropolim (quarum quatuor in Brabantia) ſitu loci optimè munitam: hic quoque cum militibus Germanis Oberſteynij, qui 21. Sept. vrbem relinquunt, paciſcuntur. *Buſcumducenſes Ordinibus tradidere.*

Poſtea Bredam, Brabantiæ vrbem, Auriaco proprìam, proficiſcuntur: hic Baro Fronsbergius cum ſex Germanorum cohortibus præſidia agitabat, quarum tres cum eo Antverpia venerunt. Præſidiarij poſtquam vrbe arctè obſeſſa nullam ſubſidij ſpem ſupereſſe vident, Fronſbergium, & D. Kinſeckum, ob quorum fraudes doloſque ſtipendia non tantum differri, ſed & irrita prorſus reddi ſentiebant, catenis puteo alligatos in ipſo oppidi foro tota nocte tenent, ſummoque iure cum eis agi volunt: ac tandem de ſtipendij ſatisfactione cum Ordinibus pacti, vrbem & Fronsbergium alioſque Coryphæos in Ordinum poteſtatem vinctos tradunt, vt perfidiæ pœnam de eis ſumant: verùm poſt compoſitione facta vinculis abſoluti dimittuntur. *Breda vrbs Ordinibus ſe dedit.* *Frõsbergius à ſuis militibus vinctus tradi tur Ordinibus.*

Vt autem cauſarum cardo ſtatuſque exactus intelligatur, operæpretium putaui, Ordinum literas ad Regem 24. Auguſti miſſas hic ſubiungere.

DOMINE.

Literæ Ordinum generalium Belgij ad Regem.

VM omnia ad reſtaurationem, quietemque rerum Belgicarum ſpectare exiſtimaremus: hinc inprimis bene ſperantes, quod Dominus Ioānes Auſtriacus Tuæ Maieſtatis nomine nobiſcum tractaſſet, iamque confirmatio ſubſequuta eſſet, cuius rationes argumentaq; nuper ſignificauimus noſtris literis, quas Epiſcopus Ripenſis, Apoſtolicus Legatus Tuæ Maieſtati reddidit in Hiſpania: quibus etiam rerum noſtrarum ſtatum, & pericula à Germanis militibus imminentia declarauimus. Cumq; de Germanorum ex Belgio diſceſſu tranſigere cupientes, eorum Colonellis præſectiſque ſuæ noſtro nomine ac mandato æquæ, bonæ, honeſtæ conditiones per quoſdā Belgij Proceres eſſent oblatæ, ijs ſe nequaquam accommodare voluerunt Germani: ſed contrà tandem non ſine contemptu declararunt, ſe cum nemine alio quàm cum D. Ioanne Auſtriaco pactionem inituros. Proinde ſuā Celſitudinem ſuppliciter rogauimus, vt pro ſua auctoritate ac poteſtate intercedere vellet: quod & nobis liberaliter annuit: imò cùm iam eius, & Cæſareę Maieſtatis Legatorum auctoritate atque ope hac de re agere inciperemus: eo vſque animum ſuum aperuit Auſtriacus præſentibus noſtris Deputatis, vt palàm promiſerit, ſi tam æquas conditiones à nobis oblatas acceptare Germani nollent, ſe nobiſcum iunctis armis eos ad id, quod æquum iuſtumque eſſet vi compulſurum: quandoquidem nos præter vires facultatelque onerari ſciret: ad hæc, fedula quidem noſtra opera, tenui autem facultate perſpecta, vltro ac ſponte obtulit promiſitque ſe ad tuam Maieſtatem ſcripturum, vt ſumma aliqua pecuniæ, qua difficultates Belgicæ leuerentur, nobis ex Hiſpania concedatur: ſeque eius rei gratia Ioānem Eſcouedum Secretarium in Hiſpaniam ablegare nobis perſuaſit: vnde ſummam ſpē cōfidentiamq; conceperamus, fore vt promiſſa omnia in Pacificatione prædicta exactè atque articulatim obſeruarentur: ipſeq; eadem qua nos ſinceritate ac fidelitate vteretur. Verùm enimuero longe abfuit, vt fructū quem ſperabamus, hinc capere potuerimus: cùm ecce prorſus contrarium nobis improuiſò nunciatur: ipſum ſcilicet Auſtriacum, poſtquam Namurci Heroinæ Vendomæ aduentum gratulatus eſſet, ſubitò arcem Namurcenſem venationis prætextu inuaſiſſe, nonnullis qui præterritarum turbarum tempeſtate ſe Hiſpan. fautores declararant, & ſuperiore anno tantam tamque grauem confuſionem perturbationemque mouerāt, nonnullis quoq; alijs qui vindictæ inprimis cupiditate hoſtilis odij occaſionem captarant, eum inſtigantibus ac comitantibus. Et hæc quidem omnia molitus eſt Auſtriacus Ordinum Cōſilio, à Regia Maieſtate ei conceſſo, clàm inſcioque, quod ipſi Ordinum Proceres omnes nobis affirmarunt. Omnia autem à bona ſpe ante concepta longiſſimè abeſſe, vel hinc ſatis ſuperque cognitum ac compertum, quòd Auſtriacus, cum ei explorata noſtra eſſet ſinceritas, promiſiſſetque ſe in factam nobis iniuriam inquiſiturum, nunc aliam prorſus atque ſui maiores, de harum Regionum ſtatu ſentētiam conceperit. Voluit quidem diſceſſum ſuum excuſare atque palliare ſignificatione ſiue admonitione quadam ſibi (vt ait) per literas facta, quas non ſubſignatas edi iuſſit; de coniuratione in ſuam, & nonnullorum ſuæ factionis, pernitiem: verùm hæc parum verisimilia videntur: quandoquidem neq; huius coniurationis ſuſpectos, neque ipſos accuſatores noſtris Deputatis nominare voluerit, quibus mulctandis cuiuſcunque ſtatus aut conditionis ſint, opem auxiliumque, præterea etiam ſtiparorum ſolito maiorem numerum ad ſui corporis cuſtodiam, ei obtulimus: hæc autem miniſteria obſequiaque oblata recuſauit: ac interim milites pedites equiteſque collegit: vnde quidem veriſimū apparet, eum hanc viam inſtitiſſe, ſuaque incepta longo ante tempore concepta, feſtinatò effectui reddi procuraſſe, maximè quod intellexiſſet quaſdam ſuas & Ioannis Eſcouedi Secretarij Epiſtolas ad tuam Maieſtatem deſtinatas, & in Gallia interceptas ad nos eſſe miſſas, atque è notis numerarijs liquidò exſcriptas: quæ negari haudquaquam poſſunt tam ob ſtylum, quàm ob manum, diuerſis lineis ab ipſomet Auſtriaco ſcriptis: qui nec id quidem inficiatur: hoc ſolummodo ait, eas locis quibuſdam malè exſcriptas. Earundem autem exemplar præſentibus adiungimus, vt tua Maieſtas eò melius de ſingulis inquiere quęat. Interea Auſtriacus clandeſtino arcem Antverpienſem inuaſerat, Gubernatore à nobis ex Pacificationis condicto, donec Ordinum conuentus celebraretur, conſtituto, neſciente: aliumque directè contra Ducatus Brabantiæ priuilegia, contraq; dictam pacificationem ſanctè promiſſam & iuratam, pro ſuo arbitrio ſubſtituerat. Totius autē huius negotij argumentum euidenter ſatis patuit, poſtquam Carolo Fockero capto, plurimæ Auſtriaci Epiſtolæ ad Baronem Fronsbergium & Fockerum ſcriptæ, nobis ſunt allatæ: quibus manifeſtiſsimè declaratum detectumque fuit, Auſtriacum Machliniæ cum Germanis noſtro nomine tractare, ficto vultu ſimulantem, prorſus contrarium tectè feciſſe, atque de ijs ſibi retinendis egiſſe, idemque re ipſa præſtitiſſe: cùm ſuam auctoritatem fidemque, ex pacto in pacificatione expreſſo, ad eorundem dimiſionem conferre, conuentum quoq; Statuum generalium, & veteris Religionis in Hollandia & Zelandia reſtitutionem exercitiumque, quod nos ſummis ſemper votis deſiderauimus, accele-

rare,

rare, omnibusque modis promouere debuisset. Vt autem Germanos facilius induceret impel- An. 1577.
leretque, falso ac iniquè persuasit Ordines illis & vitam & stipendij solutionem adimere velle: multa insuper alia cum memoratis Germanorum Colonnellis machinatus est: vt scilicet aliquot Cornelij Eyndensis cohortes quæ antea cum Hispanis Antverpiam diripuerant, clam latenterq; in vrbem atque arcem intromitterentur, pluraque ad hæc, quæ commemorare longum: Liquet etiam ex vna epistolarum quam Escouedus pecuniæ acquirendæ causa destinarat, Austriacum contra fidei pacificationisque promissa nos prorsus opprimere constituisse. Hinc tuæ Maiestati perspecta facilè erit huius nostræ causæ sententiæque iustitia: quod ipse Escouedus has inferiores Regiones & præcipuos eorum Proceres adeò temerè ac vanè coram tua Maiestate & D. Ioanne Austriaco accusare & aggrauare ausus fuerit: idque absurdè nimis, & longè aliter quàm vnus & alter nobis vultu fronteque blandis ostenderint promiserintque. Proinde à Maiestate fidem iustitiæ iurisque contra Escouedum exposcimus: neque mala hinc oritura, Austriaco (cui vt fideliter nobiscum agere pergat, huius epistolæ exemplar misimus) sed Escouedo imputari cupimus. Quod si Austriacus iniustat, T. Maiest. restificamur ea, quæ illi scripsimus, vt ex nostrarum literarum descripto videbit. Quandoquidem enim præteritis his mensibus in summa necessitate angustiaq; versati sumus, ob iustam populi, iniustarum afflictionum ac calumniarum quibus opprimuntur impatientis desperationem: culpari nequaquam volumus, si progressu infausto, quod quidem summopere doleremus, res in idem aut etiam in maius periculum quod ad Religionem & ad obedientiam T. Maiestati debitam attinet, redeant: postquam negotium à nobis ita deductum restauratumque fuit, vt nisi falsæ calumniæ dolique id perturbassent, magna spes apparuerit statum vtrinq; breui restauratum iri. Breuiter T. Maiestas videbit, cui horum malorum, quæ verissima declaratimus, culpam certo meritoque imputemus: atque hinc, quam fieri poterit celerrimè Ioanni Austriaco statuet mandabitque, vt sequatur sacram hanc intentionem T. Maiestatis, quæ pacis fœdus quod Gandaui cum Principe Auraico, Hollandis & Zelandis iniuimus, præterea Edictum perpetuum quod die 17. Februarij proximè præterito Bruxellæ promulgari iussimus, rata confirmataque habuit: vt vtrunque omnibus suis articulis (quod & Austriacus iureiurando promisit) captionibus dolisque quibuscunque reiectis, effectum sortiatur, ad Belgicarum regionum, Belgarumque T. Maiestatis clientum salutem prosperitatemque, qui & religionem, & T. Maiestatis auctoritatem obseruare, & seipsos inprimis tueri cupiunt ab omni tyrannide ad quam proprij solummodo lucri causa aspirarunt, præcipuè omnes ij, quos Belgio exire iussimus, alijque qui se eiusdem farinæ ac conspirationis declararunt: imperabitque T. Maiestas Austriaco, vt missos faciat & Belgicas Regiones egredi iubeat omnes huius instituti inceptiq;, Deo iustitiæque contrarios auctores machinatoresque: quod ad rerum T. Maiest. salutem prosperitatemque fiat.

DOMINE, Suppliciter Deum Creatorem, vt T. Maiestatem sua protectione conseruet rogamus: nosque omni humilitate & obedientia T. Maiestatis gratiæ commendauimus. Bruxellæ 23. Augusti. 1578. *Subscript.* T. Maiest. inprimis humiles & obedientes subditi, clientes, ministri, Generales Ordines Belgij. *Inferius*, Mandato prædictorum Ordinum, Cornelius VVellemans. *Superscript.* Regi.

D. Ioannes Austriacus postquam harum literarum exemplum ab Ordinibus missum accepitiamque se proposito ac spe arcis & vrbis Antverpianæ potiundæ frustratum, imò alias insuper ciuitates, & Germanos milites amisisse, strategos captos, VValones plurimos sub Barlemontij filijs stipendia merentes à se defecisse, contrà verò Ordines magis magisque indies proficere videretque Namurci subitò opprimatur (quod ocyus fieri Auraicus alij; nonulli Proceres suadebant) timet: ore sermoneque blando vti incipit, & cum Legatis Ordinum de concordia agere cupit: interea autem summa diligentia Hispanos ex Italia euocat: cùm tantum quinque Germanorum cohortes ex Fockeri, & septem ex aliorum strategorum legionibus haberet.

Per Ordinum Legatos (quorum præcipui Abbas Gislenius, Abbas Marollius, D. VVillervallius, Grobendonckius, alijq;) & per Cæsaris Legatos, plurima tunc acta fuerunt: proponebat que semper Austriacus, se nihil aliud quam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ conseruationem, & Regiæ Maiestatis auctoritatem petere, ad quarum normam omnes pacis actiones & pactiones, iura, priuilegia, consuetudines, & instituta dirigi, aptari ac obseruari volebat; his autem duobus articulis condictis, se nequaquam vlterius contractibus quibuscunque obligari, verùm reliquorum omnium interpretationem ad se pertinere reputabat. Dicebat etiam se nescire, quare Ordines suum in arcem Namurcensem recessum ægrè ferant: cùm sua potius prouidentia, quòd tam cautè inimicorum manus euaserit, laudanda esset. Exigebat insuper articulos plurimos suę auctoritati competentes: & potestatem quoscunq; persequendi ac puniendi, qui in Religione offendiculum præberent: vt illi etiam qui veredarios & epistolas in Hispaniam missas intercepissent, suasque literas referassent, scripturamque occultam reuelassent, ad se veniant

De pace agit Ordinum Legatis, cum Austriaco.

Postulata Austriaci.

Digitized by Google

An. 1577. aut in manus suas tradantur: Vt Aldegondus, Theronus, alijque ilicò Bruxella relegentur, vt pote de Deo & Rege pessimè merentes: Vt Princeps Auraicus & Hollandiæ ac Zelandiæ Ordines Pacificationi Gandauensi satisfaciant: Vt ipse Auraicus conciones, scholas & exercitia nouarum sectarum Harlemi, Schoonhouij, alijsque locis ei post Pacificationem traditis, inhibeat: ac inde præsidia tollat: diuersa quoq; loca munire desistat: Seuenbergh æ alijsq; locis noua propugnacula demoliatur: Nieugaltellà arcem reddat: Templa & cœnobia in statum quo Pacificationis tempore fuerint, restituat: Naues præsidiarias circa Amsterodamum, dimittat, & Amsterodamenses sua libertate frui sinat: Nieuportum oppidum quamprimum ad Pacificationis formulam reddat, &c. Quod si hæc facere recusset, obstinatamque rebellionem redintegret, vt Ordines statim se suæ Celsitudini iungant, pariterque Regis nomine Auraicum cogant, vt Ordines arcem Antverpiensem in priſtinum statum ad Pacificationis formulam, Regi restituant: ipse autem præsidium hic pro suo arbitrio constituat: Vt D. Terlonius alijque captiui ad eum mittantur. Hæc omnia si absque mora ab Ordinibus perficiantur, se quoque pro sua parte Pacificationis pacta promissaque omnia impleturum.

Responsio Ordinum.

Ordines generales 12. Augusti, & post, ad singulos articulos respondent: Quod ad Catholicæ Romanæ Religionis conseruationem attineret, omnibus modis huic articulo satisfactum esse: neque amplius in vllo pago, municipio, aut loco concionem aliquam habitam: imò omnes Catholicas ceremonias postmodum maiore Religione & Zelo peractas quam vnquam antea: ita vt Nuncius Apostolicus, Episcopus Leodiensis, & Cæsaris Legati omnino satisfactum Religioni declarent. Præterea quod offendiculum cõmissum. aut pœna capitali, aut alia, pro delicti exigentia vindicatum. Proinde Hollandos grauiter hac de causa conqueri.

Quod ad Articulũ de debita Regi obedientia attineret, huic quoq; vt liquido appareret, à Belgis satisfactum esse, suamq; Celsitudinem omni honoris genere decoratam, & cum ingenti gaudio, zelo ac magnificentia receptam: quantumuis Belgæ tot annis adeò iniquè, inhumaniter, crudeliter, tyrannicè, violenter sint accepti à Regijs ministris, adhuc ipsi Regi licet crebræ graueſque imprimis de ijs quærelæ ad eum sint delatæ) gratiosis ac fauoralibus: haud aliter atque nunc etiam dimissis Hispanis, loco pœnæ septimo Edicti perpetui Articulo constituæ, mercedes honoresque retribuantur. Neque hæc tamen eos, vt voluntatem aut animum erga naturalẽ suum Principem quantumuis suorum miserijs parum condolentem deponerent, commouere potuisse: vnde satis constaret, eos Regiam auctoritatem nequaquam imminuere, sed amplificare voluisse, modò id cum vitæ corporisque confidentia ac securitate, quàm omnibus animantibus miro instinctu indidit natura, fieri queat. Imò multo maiorem perfectioremq; fuæ Maiestati obedientiam præstiterint, quàm Hispani vnquã aut fecerint, aut facere voluerint. Quando enim visum est Hisp. voluisse pati vt ipsorum Reges, arces contra ipsas ciuitates ædificarint, noua decreta pro animi arbitrio sine Ordinũ Hisp. consensu fecerint: leges, priuilegia, iurisdictioneſque patriæ vsitatas ac ordinarias adimere, & nouam ac extraordinariam prorsus gubernandi formam introducere tentarint: politiam, iustitiam & regimen omnino ab extraneis administrari fecerint: tales exactiones indictioneſque, quales Belgæ Philippo liberaliter concesserunt, impetrarint? Denique Regis potestate & auctoritate in Hispanos Inquisitores, Ecclesiasticos & Proceres ritè perpensa: facilè patebit eam longissimè differre ab existimatione, auctoritate & iurisdictione quam in Belgio habuit, & adhuc proculdubio haberet, Belgarum animis eò maximè propensis, dummodo eis bonam firmamq; pacem clementer concedat, patriæque leges ac priuilegia, vt Hispanis in suo regno benignè permittat.

Belgæ longè maiorem obedientiam suo Principi præstant quã Hispani.

Quantum verò ad interceptores & interpretes suarum literarũ: hos, amota omni diffidentia ad eius voluntatem se facilè conformaturos: quandoquidem quidquid factum sit, id necessario & bene factum esse constet.

Aldegondum autem & Theronum alioſque vrbe Bruxella expellere, cum legationis testimonium habeant, vtporè Legati ab Auraico & Ordinibus missi, id quidem iniquum, & Pacificationi contrarium esse: quod si offendiculum aliquod præbeant, aut mali quid committant, eius cupiunt certiores fieri, vt Inquisitione facta, secundum ius fasque iudicetur.

Auraicus & Hollandi atque Zelandi, si quid illorum nomine adhuc satisfaciendum sit, se purgare iustitia & æquitate cupiunt offeruntque: verùm quandoquidem adhuc sub iudice lis sit, reque ab Ordinibus generalibus, suomet consensu, decidi debeat: nequaquam licitum esse putare vlterius vrgere, donec Ordinum generalium sententia decretum sit.

Ordines autem huiusmodi querelas & accusationes eò tantum tendere asserebant, vt discordiæ inter prouincias serantur: quod & literæ Escouedi 6. April. Antverpia ad Regem scriptæ satis indicabant, quibus significabatur, pallium libertatis conscientiæ, Eridos malum, siue discordiæ pomum fore, quo disidia dissentioneſque inter Ordines concitentur, vt alter alterum tandem mulctet puniatque: eoque sua de bello conficiendo sententia indubitanter tendebat, & benè admodum ad institutum supradictis literis contentum quadrabat, vbi Insulas ante omnia in-

inuadendas sit: Imò è primis literis ex Hispania missis & interceptis tempore Pacificationis Gandauensis liquido constabat, præcipuum Hispanorum esse propositum, quindecim prouincijs speciem quandam ciuitatis constituere, vt harum ope & auxilio reliquæ duæ subiungari queant: hisque peractis, laruam omnem deponendam, vindictamque de omnibus male meritis, pro Hispanico arbitrio, lumendam. An. 1577

Consideret præterea, Antverpiensis arcis custodiendæ prouinciam Duci Archotano, & Principi Chimayo tuisse commissam: minimè autem Trelonio, vtpotè qui huic muneri, ratione priuilegiorum Regionis, nequaquam sit idoneus: quid quod Germanorum militum præsidium introducere fuerit molitus, contra Pacificationis conditiones, Brabantiæ priuilegia, & Vnionem ab ipsomet Trelonio iuratam: eamque ob rem dignus qui ad iuris ac æquitatis normam tractetur.

Aiunt insuper Ordines, se pro sua parte Pacificationi Gandauensi satisfeciſſe, obseruantiamque ac reuerentiam Gubernatori ex Pacificatione debitam exhibuiſſe: rogantq; suam post hac gubernationem ad sententiam Dominorum Consilij Status accommodare velit: iuxta patriæ leges, priuilegia, iura, libertates & consuetudines.

Austriacus ea dationes obtendi proponit

Cum his autem articulis Augusto mense missis, literæ testificatoriæ singulis quoq; vicibus mittebantur, vtraque parte palàm declarante ac testificante, le pacem, nequaquam bellum cupere: finiſtrosque casus aduerſæ partis imputandos esse. Austriacus quoque literis ad Ordines 13. Augusti datis, offert, modo sua gubernatio aut persona ipsis non placeat, vt à Rege alium Gubernatorem, sui sanguinis Principem, Regionibus gratum acceptumq; petant: intereaque ab armis cessetur vtrinque. Verùm Ordines cum eum nihil aliud quam temporis dilationem aucupari animaduertunt, vt interea milites ex Gallia, Italia, Germania, aliisque regionibus colligat, & Hispanos reuocet: postremò ei diuersos articulos prid. Non. Septemb. proponit, quos, cum nullam aliam reliquam viam viderent, effectos reddi volunt, antequam vlterius quic quam tractetur: Continebant autem hi articuli debitos consuetosque gubernandi ritus: nempe, Vt omnes Ordinibus suspectos, missos faciat: Vrbes & arces Namurci Carolomonti, Mariæburgi aliasque relinquant, & ijs quibus pacto Pacificationis commissæ sunt, tradat: similiter & regionem Lutzenburgensem: efficiat etiam vt milites Germani vrbes æquis conditionibus relinquant. Et hæc quidem omnia, donec Rex Regionibus de alio Gubernatore sui stemmatis, Ordinibus grato, prospexerit, ad Romanæ Catholicæ Religionis & obedientiæ suæ Maiestati debitæ conseruationem. Si tamen reputet magis vtile regionibus, vt citius discedat, quod & sæpè obtulit vltrò: poterit gubernacula tradere Consilio Status: vtpote quibus, vtæquum est, omnino obedire cupiant, ad diuortum supradictorum articulorum obseruationem. Rogant præterea, ne eos vltrà scripturis oneret, neque indignè ferat, quod ad promouendam iuratæ vnionis satisfactionem oppressis auxilia ferre coacti sint.

Ordines ad Austriacum articulis quibusdam missis, vt discedat petunt.

Scribunt præterea Ordines ad ipsum Regem 8. Septemb. & Austriaci sensum ac imaginationem declarant, quod si licet ob vitæ suæ paratas insidias se Germanis militibus Machliniæ munire statuerit, deinde in arcem Namurcensem confugerit: vnde male de illo suspicati, literas vltro citroque intercipi & haustrari, negotiumq; in statum præsentem per duci curarunt: quod quæ ob eam rem Austriacus se ipse minus aptum gubernationi reputans, missionem à Regia Maiestate post laturum significauerit, vtque idem etiam ipsis à R. M. postulet, petierit: Rogant igitur, etiamsi Austriacus sapientia & dexteritate polleat, vt nihil ei minus ipsis hac vice alium Gubernatorem, Regia profapia natum, non suspiciosum, sed sincerum & regionibus gratum, qui subditos Catholicæ Romanæ Religioni, & suæ Maiestati obsequentiores conseruet, designare velit: neque de obedientia (si etiam in contrarium ei insusurrari possit) quicquam dubitet, dummodo eis nouum huiusmodi Gubernatorem decernat, aut animi sui sententiam declaret: interim verò Consilium Statuum ad Prouinciarum gubernationem sua auctoritate interpolita constituat: id enim ad populum in officio & obedientia continendum necesse in primis esse: quandoquidem onus hoc Ordinibus nimis sit graue. Præterea ne hæc mutatio ipsis imputetur, vtpote qui in veteri Catholica religione, & obedientia R. Maiest. debita, & Imperatori Carolo suo patri piæ memoriæ olim præstita, perseuerare exoptent. Ad has literas nihil responsi, nisi mense Februario proximè sequente per D. Selleſum Ordines acceperunt, vt pòst declarabitur.

Ordines ad Regem scribunt, auxilijs Gubernatorē capiunt.

Circa idem tempus, mense Septembri iterum ad Ordines scribit Austriacus, Regem suum discessum comprobasse, & alium Gubernatorem, qui Pacificationem obseruet, destinasse: se autem Legatos Episcopi Leodiensis, & Ducis Iuliacensis ad eos missurum, vt simul consilium rationemq; arma deponendi ineant. Ordines ad ea respondent 6. Septemb. se lætari, quod Regem ea, quæ ad Pacem spectent concipere audiant: difficulter tamen, nisi re ipsa declaretur, credere: proinde rogare iterum, vt Namurcum Caroli-montem, & Mariæ-burgum reddat: vtque Germani milites æquis conditionibus oblatis discedant.

Post

An. 1577. Post hæc Leodienſes & Cleuenſes Legati venerunt: ſed nihil fructuoſi exequuntur. Cùm verò Ordines Epiſcopum Brugenſem, & D. VVillervallium, vt ſummam ſuæ ſententiæ intelligant, miſſi ſent: iamque propugnacula arceſque demolirentur, ipſumque Auraicum aduocarent, tandem ex arce Namurcenſi ad Ordines ſcribit Auſtriacus poſtridiè Calend. Octob. Se ex iniquis poſtulationibus & actis facilè perſpicere, eos re ipſa non conſeruationi Catholicæ religionis, & obedientiæ Regi debitæ, ſed vtriuſque exitio incumbere: imò ſatis apparere, eos Regi nihil præter nudum titulum nomenque velle relinquere: quandoquidem conſilium quod ſuffragiorum multitudine conſtaret, iam conſtituiſſent. Addit præterea, eos Auraicum aduocaſſe, idque Regem procul dubio ægerrimè laturum: arces quoque ſine ſuo conſenſu diruiſſe: inſuper alia multa deſignaſſe, quæ talis, qualis ipſe, Princeps nequaquam æquo animo ferat. Statuiſſe proinde hæc omnia Regi commonefacere: maximè autem, quod ſe tam inconſideratè erga ſuam Cellitudinem geſſerint, crebras ſimultates exercuerint, ſuamque gubernationem floccifecerint: ac idcirco Lutzenburgum velle proficiſci, ibique vlterius Regis mandata præſtolari: quibus quidè ſi audientes fuerint, bene facturos, & probè debito officio functuros, ait. Itaq; Namurco, præſidiarijs militibus benè munito, abit Auſtriacus Lutzeburgum, vbi milites ſuos colligit, armatq́ue ad Bellum.

Auſtriacus ad Ordines ſuæ ſententiæ ſummam ſcribit, & Lut emburgum petit.

Antverpiana arx diruitur.

Ordines interea ſuis quoque rebus conſulunt, & arcem Antverpienſem, ciuitatis ære conſtructam, amplam, fortem, ſplendidamque in primis, cui paucæ ſimiles, demolirì ſtatuũt: quod per eam in oppidum ſeditioli Hiſpani primum fuerint introducti, qui ciuitati quadringenta florenorum millia in violentæ conflagrationis redemptionem extorſerãt: deinde etiam Hiſpani rebelles, Regis hoſtes, qui vrbem inuaſerant, conflagrarant, ſpoliarant, Regium præſidiũ ciueſque trucidarant: & nunc denuò vrbi periculum inde videatur imminere. Itaq; honorifica mercede, promptis ſcilicet pecunijs & penſionibus, D. Bourſio aliiſque ſtrategis bene meritis ſoluta, arx 28. Auguſt. 1577. ciuibus traditur, ſtatimque ſummo zelo, feruore & ſtudio diruitur, implentur terra foſſæ, deijciuntur mœnia, & muri, ea parte, qua munimenta contra ciuitatem exſtructa fuerant: nempe è quinque propugnaculis vnum & dimidiatum, cum muris, aggeribus, & arcis porta qua in vrbem aditus erat: hiſque ſolo æquatis vrbs augetur. Et operi quidem tanto non ſolùm populus, ſed & plurimi viri inprimis nobiles, quorũ nonnulli etiam reſtaurationis auctores poſtea fuerunt; toto animo ſtudioque incumbunt: ciuis, ruſticus, iuuenis, ſenex, vir mulierque maxima alacritate hoſtilem machinam exſcindunt, complanantque: fuitque procul dubio ingens, & plurimorum dierum hic labor, in tali tantaque arce tunc temporis ab omni ferè parte perfecta.

Arcium demolitiones plurimis locis Belgij.

Arx quoque Gandaui Calend. Septembris incepta dirui: deinde ſubſequutæ, & alijs locis arcium demolitiones, vtpotè Traiecti, Inſulis, Valencenis, ne oppida ex ijs infeſtentur. Seruatæ autem duæ, ſcilicet Tornaci & Cameraci: hæc quidem, quod eam ipſe Gubernator habitaret: illa verò, quod Imperialis vrbs, & limitibus patriæ defendendis deſtinata eſſet: fuit autem, Domino Likio Gubernatore, aduerſæ parti addicto, per Dominum Ainſium Gauranę familiæ in ipſa arce ſuperato, Ordinibus ſeruata.

Ordines exercitum mittunt verſus Namurcum.

Ordines omnem ſuum exercitum verſus Namurcum mittunt, caſtraque prope VVauram in Brabantia, vt Auſtriaco reſiſtant, mittuntur: Lalainio peditum, Burg-grauio Gandenſe equitum, duce: Goignio caſtrorum, Motteo rei machinariæ præfecto: Verùm ijdẽ poſtea bellum contra patriam geſſerunt. Vſqueadeo inconſtantia, lucri, odij, inuidiæ ſtimulis agitata, & zelo quodam religionis plerunque adumbrata, hominum animis dominatur.

Auraicus qui tunc in Hollandia Septentrionali agebat, Ordinibus ſummopere ſuadet, vt tria equitum Germanorum millia conſcribant, quibus Auſtriacum, facultate milites colligendi intercepta, facilè Namurco & Lutzenbergo expellant: verùm Ordinibus conſultius viſum, omnes Brabantiæ vrbes, præterea Campam, Ruremondam, aliaſque prius certò ſibi deuincire.

Balena capta.

Hacæſtate, 6. Non. Iulij, Safftingæ in Schaldi flumine appulſa balena, qualis Flator Latinis, Muler Gallis, Sprutzvval, & VVaterblaſer Germanis dicitur, longa pedes 58. teres rotundaque 34. cauda erat pedum 13.

Ordines generales Principẽ Auraicum aduocant.

Ordines generales, cum cruentas Bellonæ faces vndique incenſas vident, 8. Id. Septembr. Principem Auraicum aduocare ſtatuunt: eoque Ioannem Lindium D. Gertrudis Abbatem, Fridericum Perenotum Ronſæ Baronem, & Champignei Dominum, Leoninum Iuris Doctorem, & Lieſueldium Aduocatum, legatos certo commentario inſtructos deſtinant, qui Principem doceant, rogentque, vt ad amicitiæ mutuæ, & ſecuritatis Regionum, ex pacis Gandauen ſis formula, cõfirmationem, Bruxellam veniat, vnaque cum ipſis, vtpotè Conſilij Status Conſiliarius, pro ſua ſingulari ſapientia, experientiaque & amore erga regiones, in tanta negotiorum difficultate, in commune conſulat ad patriæ ſalutem: Cumque infeſti patriæ hoſtes, generaliter Ordines & regiones, quoſdam etiam ſingulatim accuſent, culpentque tam apud Regem Philip-

Digitized by Google

Philippum, quam alios Monarchas Poteſtateſque, quod omnia hactenus ab eis acta prætenſa- An. 1577.
que nó aliò, quàm ad Principis Belgij, & Religionis Catholicæ mutationem, præcipuè Auraici inſtinctu & perſuaſione, tendant: rogent obſecrentque, ipſe facto ac opere contrariũ probet: vt huiuſmodi mendacia arguantur, reprehendanturque, & omnibus liquido pateat, falsò ſuſpicari, ſe cum Hollandiæ & Zelandiæ Ordinibus aliud, quam eorum, quæ in pacificatione Gandauenſi promiſſa ſunt, obſeruationem meditari: Rogent præterea, ad maledicorum ora obturanda, remque ipſam ſolido argumento demonſtrandam, vt, quandoquidem in locis ſibi poſt modum traditis, Romanæ Religionis exercitium ad Pacificationis Gandauenſis normam admiſerit, idem alijs quoque Hollandiæ & Zelandiæ ciuitatibus poſtulantibus, concedere velit.

Ordines poſtulant Romanæ religionis exercitium in Hollandia & Zelandia cõcedi.

Vt rurſus etiam authoritate conſignata & anthentica polliceatur, neque ſe, neque Hollandos aut Zelandos eandem Religionem Catholicam oppugnari, aut aliud exercitiũ in alijs Belgij prouincijs promoueri permiſſuros, ſicut pacificationis lege cautum eſt: ſed contra omni ſtudio auxiliaturos.

Hos duos articulos cupidiſſimè Ordines à ſua Excellentia petunt: vt ſic ſua præſentia commodius poſthac frui queant: eique reuerentiam & auctoritatem, ob miſeras regiones ab oppreſſione liberatas, optimè meritam, ex animo pollicentur: eumque hæc poſtulata procuraturum effecturumque ſperant.

Rogant præterea, quandoquidem Buſciducis & Bredæ, duarum vrbium nondum ſubiugatarum, reduxio maximi ſit momenti, vt cum ijs, aut armis, aut pactione tranſigatur: Quod ſi milites Germani cum ſua Excellentia tractare recuſent: eam pactionem Champigneio commiſſam eſſe: ſi autem vi armiſque agendum ſit, id oneris Comiti Hóhenloio traditum.

Huic Ordinum commentario ac poſtulato Auraicus ſcripto quoque reſpondet:

Primò gloriam laudemque dat Deo Opt. Max. ſummaſque agit gratias Ordinibus, quod firmam concordemque inierint rationem, mutuę fidei ſecuritatiſque inter prouincias promouendæ, vt vnanimiter generali omnium deſentioni, ad pacificationis Gandauenſis regulam, vacare poſſint: ſperatque eundem Deum, qui eorum animis huiuſmodi concordiam inſpirauit, ſalutare ac laudabile hoc eorum propoſitum, ad generalem prouinciarum, & ſingularem cuiuſque vtilitatem promoturum.

Auraicus Ordinibus reſpondet.

Deinde immenſas eis agit gratias, quod tam ſincerè de eo ſentiant: vtque huic æſtimationi tutò innitantur rogat: & quamuis ea perfectione quam ei tribuunt, præditus non ſit; tamen experientiam, conſilium, operam, facultates, denique vitam & ſanguinem pro patriæ ſalute, & Ordinum obſequio collocaturũ profuturumque; & fidei ac ſpei de ſua integritate conceptæ ipſo opere ſatisfactuſum pollicetur.

Quod autem eum ſtatim Bruxellam venire cupiant: id quidem omnibus votis optare: vt chariſſimam patriam vbi à teneris educatus, videre, & ſocietate ac familiaritate intimorum amicorum fratrumque ſincerè hic frui poſſit. Verùm rogat eos, vt exactè perpendant graue gubernationis Hollandiæ & Zelandiæ onus, & mutuam fœderis obligationem cum vtriuſque Prouinciæ Ordinibus, quæ fide & mutua amicitia vtrinque præſtita, his bellorum ac turbarum temporibus ſummopere creuerit: eamque ob cauſam ſe nihil ardui, ipſis inſcijs aut inconſultis, interea aggreſſum: cupere proinde, iſtud quoque negotium proponi in procerum conuentu Gaudæ, vt communi arbitrio, & conſenſu liberius & cõmodius ſe ad generale officium obſequiumque patriæ præſtandum applicare queat.

Quod verò, ad maleuolorum ſuſpiciones auertendas, argumentũ accuſationi contrarium ab eo edi poſtulant, quo Hollandorum & Zelandorum vota deſideriaque, plenę ſatisfaciendi promiſsis Pacificatione Gandauenſi, euidentius pateant: eiuſque rei cauſa, exercitium Catholicæ Romanæ Religionis in Hollandia & Zelandia cupientibus concedi petunt: Orat obteſtaturque Auraicus, id firmiter de eo ſentiant ſe inprimis deſiderare, vt Pacificatio Gandauenſis perficiatur, obſeruaturque, neque paſſurum eam pro ſua parte vllo modo infringi. Verùm quandoquidem poſtulati exercitij permiſsio in Hollandia & Zelandia, præcipuè ad earundem prouinciarum Ordines attineat, qui ne ea in re nouitas vlla ante Ordinum generalium conuentum introducatur pacti ſunt: rogat, vt diligenter attendant conſideranteque, ſe neque poſſe neque debere ſine conſenſu & arbitrio Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ, nouitatem aliquam permittere: vereri autem maximè, ne ſi hinc turba aliqua oriatur, in ſe culpa omnis transferatur.

Quod autem authoritate conſignata, & authentica promitti poſtulant, neque ſe, neq; Hollandos aut Zelandos vnquã paſſuros, vt Romanæ Catholicæ Religionis exercitium vllo modo oppugnetur, aliudue promoueatur in Belgij prouincijs: Cupit Auraicus promittere, promittitque, tam ſuo quam Hollandorum & Zelandorum nomine, ſe ex pacificationis Gandauenſis pacto nequaquam permiſſuros, vt aliquid contra publicam quietẽ ac pacem, nominatim autem contra Catholicam Rom. Religionem eiuſue exercitium attentatur aut incipiatur.

Et quan-

Digitized by Google

Et quandoquidem nihil imperij vel auctoritatis in Dominos Ordinum Generalium Bruxellæ congregatos, sibi vsurpare aut assumere, sed eisdem omni studio & conatu seruire & auxiliari ex eorum arbitrio, ad negotiorum exequutionem, desideret: Cupit etiam promittere promittitq́ue, se pro sua parte eis potestatem auctoritatemq́ue de hoc articulo statuendi ex propria voluntate & sententia, ad supradictæ pacificationis præscripta, relicturum: neque id impediturum, aut alios impedire passurum: imò adiuturum, vt de omnibus illis qui actu offendiculo, aut quouis modo salutem quietemq́ue publicam inquietare aut perturbare tentabunt, pœnæ sumantur. Postremò omnes suos conatus ad ea, quæ Ordinibus vtilia, & patriæ salutifera videbuntur, conferre cupit: fateq́ue, si quilquam alius, amantem, amicum, fautoremq́; patriæ pollicetur.

Catholicæ Romanæ Ecclesiæ exercitia confirmat Auraicus.

Subsig.

VVilhelmus Nassouius.

Postea, Auraicus cum vxore Carolota Borbonia Bredam vrbem, Ordinibus tunc deditam, venit: & magnificè amanterq́ue à suis ciuibus hic excipitur. Inde, Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ consensu, Antverpiam venit 18. Septemb. ciuibusq́ue armatis aduenienti obuijs comitatus, summa cum lætitia totius ciuitatis vrbem ingreditur. Huc ad eum Bruxella mittuntur Abbates Villersius & Marollius, Baro Fresinius, & D. Cappresius, Ordinum nomine aduentum herois gratulaturi, eumq́ue Bruxellam deducturi: nec diu cunctatus, per alueum sumptuosè recenterq́ue fossum, 23. Septembr. ciuibus Antverpiensibus armatis ab vna ripæ parte comitantibus, Bruxellenſibus verò ab altera obuiam euntibus, nauigatione prospera Bruxellam maximo cum triumpho & honore venit, atque hic cum Ordinum generalium Proceribus quotidiè consultat.

Auraicus in Brabantiæ Vrbe.

Brabanti, cùm bellum contra Austriacum in suam præcipuè patriam redundaret, neque Gubernatorem, sicut reliquæ omnes prouinciæ haberent, maximè quod Brabantiæ Gubernatio semper ad generalem Gubernatorem, contra quem bella gerebant, spectaret: consultum putant particularem Gubernatorem, aliarum prouinciarum exemplo, habere: Itaque Auraicum sibi in Ruvvardum, id est, quietis conseruatorem, 22. Octob. eligunt: eodem ferè tempore Dux Arschotanus Flandriæ Gubernator constituitur. Bruxellę ratio plurimarum rerum gerendarum initur: & qui in Status Consilium ad gubernationem generalem potissimè assumendi essent, consultatur.

Brabanti Auraicum in Ruvvardum eligunt.

Introitus Auraici & Brabantiæ gubernatio, summo populi applausu & fauore statim concessa, grauissimi in Auraicum odij inuidiæq́ue causa, summæ etiam maleuolentiæ & zelotypiæ principium fuit, tanquam Gubernationem generalem & potestatem summam sibi soli sumere vellet: maximè quod auctoritate & experientia reliquis Belgij proceribus præolleret, suaq́ue fides prosperis aduersisq́ue rebus imprimis explorata esset, reliquos etiam generis nobilitate, potentia, longo rerum, tam ad populum, quam ad Status spectantium vsum superaret.

Inuidia & malecuolentia in Auraicum.

Hinc magna præcipuorum Procerum pars, vtpote Dux Arschotanus cum fratre Marchione Haureo, Comes Lalainius cũ Fratre Monrignio, Senescalcus Hannoniæ, cum fratre Burggrauio Gandensi. Comes Egmondanus, Barones Vileus, & Hesius, VVillerualius, Champignelius, Rasingemius, Sveuigemius alijq́ue numero circiter viginti, qui acerrimi Hispanorum aduersarij, strennissimi libertatis Belgicæ vindices, & pacificationis Gandauensis præcipui auctores videri volebant, atq; de his offitijs patria præstitis sibi plaudebãt, Auraici Imperium do minimumq́ue in Belgicarum prouinciarum gubernatione prorsus detrectant, eaq́ue Catholicæ Romanæ Religioni minus cautum esse inprimis causantur. Itaque, alij quidem inuidia, suas affectiones vtilitati patriæ præferentes, alij imperitia, plurimi verò auaritia & ambitione ducti, vnà inter se statuunt: (vt videbatur) Hcouedi propheticam literis interceptis insertã, veram, ratamq́ue reddere: nempe discordias literisq́ue toto Belgio necessarie seminandas. Consultumq́ue reputant, Maelstedium in Germaniam legare ad Archiducem Matthiam Rudolphi Imperatoris fratrem, tertium defuncti Imperatoris Maximiliani filium, qui Commendatore Maiore mortuo, operam suam Ordinibus amicè obtulerat, ne Regiones in extraneorum potestatem deuolucrentur: quandoquidem Regis Galliarum frater suam quoq; beneuolentiam tunc temporis præferebat: Archidux autem Matthias eis præcipuè idoneus visus: Petunt proinde festinationem adhibeat, accelereteq́ue ad Belgij gubernationem, quod vt alacrius faciat, ei multa de gubernatione malè administrata perfudent ac queruntur. Ethæc quidem omnia sine Ordinum generalium consensu fiunt: qui postea palam de tanta audacia grauiter sunt conquesti. Maelstedius mandata strenuè exequitur: perfuadet Austriaco, ocyus vnà in Belgium properet: Itaque 2. Octob. Vienna Austriæ noctu discedunt, iterq́ue commutatis equis faciunt, Domino Danvvitzio, Domino Kalckreitio cubiculario, alijsq́ue famulis paucis comitantibus: atque in Belgium maximis itineribus tendunt, Imperatore fratre, vt dicebatur, inscio, cui hæc nequaquam

Præcipui Proceres Belgij fecere Archiducem Matthiam vocari.

Digitized by Google

quam significarant, quod eum, Regiæ indignationis metu, id nullo modo consensurum certò scirent. Hunc fratris abitum ægrè ferens Imperator, literis absentem vt statim reuertatur monet, sequè scripto apud Ioan. Austriacum & alios purgat. Archiducs autem ipso mense Octob. Coloniam, inde Lyram Brabantiæ vrbem venit. An. 1577.

Archidux Matthias in Belgium venit.

Ordines generales Belgij & Auraicus summopere mirati, de hac tanta insolentia ac audacia, conqueruntur expostulantq; alij nihilominus Archiducem quem accersierant, Gubernatorem generalem Belgij constituere nituntur, summę Auraici auctoritati resistere inprimis volentes: hac enim potissimum ratione Romanã Religionem, & Regium auctoritatem conseruatum iri, maxima cum Regis gratia, proponunt. Verùm cùm Ordinibus, Prouincijs, Ciuitatibus, hęc quo rundam nobilium priuatim seperatimq; facta grauiter displiceren, Ordines quorsum hęc instituta, ambitiohe & affectibus grassantibus vergerent, non ignari, huiusmodi intentionem manifestare ac prequirere summa diligentia nituntur.

Cùm vero Dux Arschotanus Flandriæ Gubernator esset designatus, iamque honorificè cum apparatu & magno militum numero Gandauum gubernationem administraturus, proficisceretur: separata nobilium pars hoc prętextu Archiducem Matthiam in suam potestatem redigere, & in vrbem Teneramondam pertrahere constituerant: sperarantq;, si opus esset, auxilium à militibus qui VVauræ in castris erant sub Comite Lalainio & Burgrauio Gandensem vt sic pro suo arbitrio clauum gubernaculaque liberè tractare queant: verùm Auraicus summa cum prouidentia hanc eis commoditatem præripit: & Lalainij aliorumque fidelitate, securus à militibus VVauræ agentibus redditur: Ordinumque generalium consilio Archiducem in suas partes pertrahit.

Nobilium quorundã malitiosa machinationes.

Cùm autem mense Octob. Dux Arschotanus 23. peditum cohortibus & 300. equitibus, maximoq; nobilium numero comitantibus, magnificè introductus, & tanquam Gubernator Gandaui receptus esset: iamque vrbis Proceres veterum priuilegiorum recuperandorum causa, quæ sibi promissa dicebant, ad eum 28. Octob. venissent: auditus est, flagitatione importuna commotus, effutiuisse, huiusmodi priuilegiorum flagitatores breui tanquã seditiosos puniendos. ipsum quoque Auraicum simul perstrinxisse: statuerat enim populum, quem ab Austriaco subornatum incitatumque suspicabatur, Archiducis Matthiæ aduentu refrenare. Dominus autem Oheyniusalijq;, simul ac hanc machinationem sentiunt, sedulò Dominum Richouium, & Ioannem Embisium reliquosque, vt sibi caueant, multis propositis argumentis monent. Hi ne primo compellentur inuadanturque metuentes, alios præuertere statuunt: populum armant, noctęque intempesta magno tumultu Arschotanum & omne consilium apprehendunt: inprimis Rasingemum, Sveuegemum, Eyrkium, Moscouium, Balicum supremum Gandauensem cum filio, Præsidentem Flandriæ, Iacobum Hesselrum & Ioannem Porteum Consiliarios Flandriæ: Episcopos quoque Brugensem & Yprensem, pluresque alios. Huius autem facti rationem, nobilium, procerum, & populi mandato 9. Nouemb. typis edunt Gandenses. Apprehensos videlicet Dominos nihil prætermquam discordiam dissidiumque Prouinciarum machinatos. Protestationem à Champigneio constitutam, & Svveuigemi manu scriptam, contra Brabantiæ guberationem ipsi Auraico Ordinum Brabantiæ suffragijs traditam, & Ordinum generalium approbatione confirmatam, vt eidem Auraico omnis administratio adimatur: atque inde dissentio inter Prouincias præcipuè verò Brabantiam & Flandriam semenctur. Voluisse etiam manu armata Archiducem Matthiam Imperator. fratrem Teneramondam pertrahere: & Flandriam Brabantiæ infestam hoc modo reddere: ipsumque Archiducem gubernationi generali prouinciarum præficere, insciis inconsultisq; tam Rege quam Ordinibus generalibus: atq; ita notum Status Consilium pro arbitrio instituere. Tentasse prætereà, in vrbem Gandauensem militum copias intromittere, & ciues priuilegijs priuare: eosdem quoque acriter multare decreuisse: & seditionis & rebellionis crimen obiecisse. Bellum quoque contra Auraicum gubernationi Brabantię absistere recusantem instaurare, ideoq; publicas pecunias belli contra Hispanos gerendi causa collectas, Duaci retinere, & nouo bello contra Auraicum insurgi constituisse.

Gandenses Arschotanum cũ omnibus suis consilio apprehendunt.

Deprecatione autem Auraici & Ordinum, Arschotanus, his alijsq; criminationib. non obstãtibus breui è carcere emittitur: reliqui aũt vt laxentur, nullis precib. induci volunt Gandenses.

Arschotanus liberatur.

Ordines generales & Auraicus, Archiducem Matthiam, quòd iam in Belgium venisset, Regique Philippo consanguinitatis vinculo arctè iunctus esset, regionesque Ioan. Austriaci discessu rectore carerent, Antverpiæ magnificè accipere, & de gubernatione ei committenda, spem bonam proponentes, consultare atq; statuere necessarium ducunt. Itaq; 11. Nouemb. Antverpiam magnificè splendideque ingreditur, Auraico & ciuibus pulchre armatis, obuiam euntibus, venientemq; omni honore atq; obsequio decorantibus.

Archiducus Matthias Antwerpiam venit.

Id autem Ordines necessarium inprimis reputabant, metuentes ne exercitus VVauram relinquens, Archiducem (quod Morteus alijsque summopere suadebant) Lirę in suam potestatem pertrahat, deinde Gandauum petat, & captos, quandoquidem à parte arcis diruta facilis

Digitized by Google

An. 1577. in vrbem patebat accessus, vinculis eximat: atque hoc modo gubernatio omnis pro alioru arbitrio administretur muteturque. Et procul dubio hæc omnia euenissent, si Lalainius suiq; consensissent, qui Arschotano nequaquam faucbãt, vt Archiducis fieret vicarius, cuius nutu Rassingemus, Champignius & Svveuigemus; quod Archidux negotiorum Belgicorum planè inexpertus esset; omnem administrationem sibi tradendam, Auraico in Hollandiã remisso, existimabant. Hę machinationes summa Ordinum & Auraici prouidentia impeditæ, maioris in Auraicum odij, & Artheſiæ Hannoniæque ab Ordinibus defectionis, occasio fuere.

Austriacus Belgij hostis declaratur.

Statuunt etiam Ordines, & decreto cauent, ne Austriaco vrbium, arcium, propugnaculorum accessio, aut armorum commeatus, pecuniarum aduectio post hac fiat: eum insuper hostem, & violatorem iuratę pacificationis declarant, ciusq; socios & sectatores ad causam dicendam euocant intra 15. dies: non comparentes, hostes atque rebelles habendos edicunt. Datum Bruxellę 17. Decemb. 1577.

Cõcordia duarum religionũ inita in Belgio.

Concordiam præterea ampliorem ineunt, iurantq; Bruxellæ 10. Dec. subsignatam à Prælatis, Eccleſiaſticis, Dominis, Nobilibus, Senatoribus & Magiſtratibus, iuriſdictionum, vrbium ac ciuitatum, aliisque Ordines Belgij conficientibus atque repræsentantibus: fœdera ante inita arctius sanciunt, ipsamq; Pacificationem Gandauensem confirmant: qua Romani Catholici, Romanę religionis desertores in suam protectionẽ recipiunt pollicenturq; se nequaquam passuros aut permissuros, vt contra eos quicquam attentetur inceptęturue: aut iniuriosè excipiantur, molestentur, vel irritentur causa religionis: sed placidè quieteq; viuendi libertas eis concedatur. Simili etiam pactione Rom. religionis desertores, siue reformati, Catholicos Romanos tam eccleſiaſticos, quam laicos in suam protectionem tutelamq; recipiunt: vt vnanimiter alteri alteros in suis dignitatibus, honoribus, priuilegijs, possessionibus, quibuscunque etiã modis conseruent: & vetera priuilegia, cõsuetudines, iuraque cõmunis patriæ, manu asserant: adempta etiam infractaque recuperent atque restaurent.

Iuramento quoque pollicẽtur pariter, se Archiducem Matthiam fiduciaria constitutione, donec Rex Ordinũ generaliũ cõsensu aliter decernat, in Gubernatoré generalem recepturos, eidemque parituros, ad conditionum & articulorum ei proponendorum & iureiurando confirmandorum formulam, &c. quæ quidem omnia procerum iussu typis fuere edita.

Ordines ad varios Monarchas & Principes mittunt legatos: vt se excusent. Austriacum verò accusent, quod Belgas ad extremam seruitutem redigere moliatur, vt eorum viribus & opibus vicinos opprimat, & victis iura legesque pro suo arbitrio ferat. In Gallia quidem à Rege, fratre, & matre benignè admodum audiuntur, fauores auxiliaq; offeruntur: verùm magis placebant Anglorum subsidia: quorum causa Carolus Philip. Croyus Marchio Haureus, Adolphus Meetkerckius, alijque in Angliam legati humanissimè à Regina excipiuntur: simulque in fœdera coeunt, nempe: Vt Angliæ Regina tam sua quam vrbis & ciuitatis Londinensis instrumenta obligationum, literasq; assertionum, quibus se ciuitatemq; obligent, Ordinibus generalibus suppeditet: vt hac ratione Ordines, vbicunque poterunt, centies mille libras sterlingas, siue ducentos mille Angelotos cogant. Ordines autem indemnitatem promittant, & earum Belgij ciuitatum quas Regina nuncupabit, obligationem tradant: vt pecuniæ post annum restituantur, & Angli ab omni incommodo & fœnore indemnes seruentur.

Marchio Haureus, Adolphus Meetkerckius alijque in Angliam legati fœdus ineunt.

Vt Regina Ordinibus mille equitum, & quinq; millia peditum mittat. Ordines autem post tres menses Londini pecunias expensarũ & stipendiorum à die qua nauem conscenderint milites, numerent: liberale stipendium soluant: finitoque bello suis sumptibus in Angliam exauctoratos remittant.

Huius exercitus Imperator in Ordinum consilium admittetur, vt quæcunque etiam negotia simul tractet consultaque. Nihil momentosi, præcipuè quod ad bellum aut pacem conficiendam spectet, durante hoc bello Ordines absque Reginæ aut suorum legatorum consilio & consensu statuent. Nullum fœdus aut pactum cum aliquo Monarcha aut Principe inibunt, nisi ab ipsa Regina approbetur, eodemque si volet, vnà comprehendatur.

Si quis Princeps, quę Respublica, aut Ciuitas aliquid cõtra Anglicani regni vtilitatem tranquillitatemue, religionis aut alterius cuiusuis occasionis prætextu moliatur: tenebuntur Ordines generales eodem militum numero ijsdemq; conditionibus Reginæ auxilium ferre: neque pacis perturbatoribus vllo modo opem, suppetias aut fauorem præstare, aut præstari permittere: sed omnibus viribus ijsdem resistere.

Si inter Ordines dissidiũ aut discordia oriatur: arbitrio iudicioque Reginæ aut eius auctoritate deputatorum, stabitur. Si mari classem instruere cogatur Regina: promittũt Ordines se 40. naues præsidiarias, nautis, commeatu, armis probè instructas, Reginæ postulanti auxilio missuros, quæ Archithalassi Anglicani imperio pareant hostemq; iunctis armis debellent: idq; Reginæ sumptibus & impẽsis: erunt autem prædictæ naues, vt minimum 40. vasorum capaces: nautarum quoque & militum numerus pro nauium magnitudine destinabitur.

Ordines

Ordines Anglos rebelles, simul ac à Regina rebelles declarati fuerint, intra Belgij limites ne- An. 1577.
quaquam admittent.

Si quando Ordines generales pacem pactumúe cum Rege inire volent, curabunt, vt ea pacificatione articuli hi, aut simul aut partim pro Reginæ voluntate & arbitrio, confirmentur.

Fuit autem postmodum fœdus istud mutatum, nempe, vt militum loco, pecunię in Casimiri expeditionem suppeditarentur.

Angliæ Regina rationem huius fœderis reddere volens, in Hispaniam mense Decembri mittit Dominum Thomam VVilkes virum prudentem, qui Regi declaret: Regina quandoquidé apud suam Maiestatem tanquam belli intestini in Belgio auctrix & nutrix præcipuè sit accusata; atque hinc maleuoli occasionem simultates inimicitiasq; vtrinque struendi captent; statuisse ac decreuisse, suo maxime honori consulendi, & summæ suæ in obseruandis colendisque cum vicinia amicitijs constantiæ probandæ causa, Regi suæ acta gestaque cum generalibus Belgij Ordinibus vere ac ingenuè declarare, eademque Regio suo verbo, coram Deo, hominibus, vicinisq; Principibus ac Potestatibus confirmare rataque reddere: vt sic Regis animum sinistris falsisque huiusmodi suspicionibus, quæ mutuam vtrinq; amicitiam labefactare possent, liberet: atque insuper suum consilium propositumque addere, quo Prouinciæ Belgicæ in perpetua suæ Maiestatis obedientia retineantur, populusq; placidè ac quiete viuat: imò suam quoque sententiam & intentionem adijcere, modo Rex rationibus pacificationis, bonæ ac amicæ suæ admonitioni conformibus, auscultare recuset. *Angliæ Regina missio legatorum in Hispaniam. Regi suæ sententiam declarat.*

Ex suis quidem actis Regi satis notum esse, quoties tam Regem quam Regis in Belgio vicarios, hæc mala imminere, præmonuerit, & occurrendi auertendiq; rationes ostenderit: conscientia satis testatæ, se fidelitatis fœderisq; officio amicè ac probè functam: quo ciuiù cædes, & vrbiù prædarum deprædationes prohiberi, & alienationi discessioni; periculaq; vitari potuissent.

Quod si huiusmodi excusatio, amica adhortatio, fidelisque Principis sermo non sufficiat: sua intuper facta actaque tori notissima mundo, examinanda proponit: nempe, quam sedulo Belgij regiones sub Regis obedientia conseruare studuerit: neque se ijsdé occupandis vnquam ingerere tentauerit: quod equidem alij monarchæ, ti tantæ eis commoditates à maxima populi parte oblatæ fuissent, nequaquam recusassent. Proinde se haud immeritò indignari, quod tam insigne rarumque fidei testi exemplum adeò iniquè & malignè accipiatur.

Sicut autem nihil officij diligentiæque tam apud Regem quam Regis subditos, quod ad pacificationem & regionum sub Regia obedientia conseruationem spectare posset, prætermisit: ita quoq; earundem prouinciarú Ordinibus & Principi Auraico, diuersis missis legatis, nequaquam persuadere destitit, vt arma deponant, pacemq; inter se, atq; obedientiam Regis naturalis Principis, colant, continuentque. Vtque hæc sedulo faceret, secretæ quædá, nihilominus tamen veræ prænonitiones eam commouerunt, quandoquidem conditiones quasdam haud contemnendas à nonnullis à Rege deficere volentibus, quos nominare certas ob causas nolebat, fuisse oblatas, intellexisset.

Enimuerò si huiusmodi persuasionibus precibusq; Belgas ad Regi obediendū non impulisset, atq; in summa necessitate, pecunijs, ad pacificationem cū Austriaco tunc inceptam, promouendā, suppeditatis non iuuisset: Belgæ rebus prorsus desperatis, alterius Principis potestati se subdidissent, aut pecuniæ bello necessariæ penuria, Belgij partē alicui posidēdam tradidissent, qui multis aureorū myriadibus, multisq; hominū cæsorū millibus difficulter expelli potuisset.

Huius autem facti veritatem eò lubentius referebat, quod non solum istud, sed & plura id genus officia sincerè fideliterq; in hoc negotio præstita, sinistrè ac inique interpretata acceptaque fuerint.

Inter cætera verò, calumniam ac criminationem quandam epistola Austriaci, vt ferebatur contentam, & libro ab Ordinibus Reginæ purgandæ causa edito diuulgatam, necessariò defendendam propulsandamq; reputabat: accusabatur enim Auraicum, ne pacificationem ratam haberet, incitasse, auxiliaq; omnibus viribus ac facultatibus promisisse. Hoc autem maximum impudentissimumque fuisse mendacium demonstrabat. Nam cùm Burg. grauij Gandauensis, ab Austriaco missi, relatu, Regina intellexisset, Auraicum Austriaco iniurijam facere, neq; pacificationem, vt quidem dicebat, obseruare velle: ociusq; has ob causas legato ad Auraicum misso, vt æquū tractabilemq; se præstaret, & pacificationē obseruaret, impetrasset, fedulo monuisset, imò nisi omnibus pacis, articulis exactè satisfaciat, minas regaliter addidisset: iamq; viri voluntatem ad articulorū pacificationis obseruationē, tanquam vnicā regionum requiē atque salutē, maximè propensam percepisset. Ordines quoq; admonitos, pacis præcipuè cupidos intellexisset: deniq; pacificationē ab Austriaco, & post à Rege confirmatā audisset, haud aliter atq; proprijs lætata est bonis. Cuius quidē facti integritatē sinceritatemq; Regi satis notā, ad ipsius Regis sententiā iudicium q; refert: confidit q; Regē, virosq; eos probos & animi affectionib. cōmotionibusq; vacuos, iustè ac honestè id à se factū, contrariumq; falsò à maleuolis editu, iudicaturos. Vix aūt

An. 1577. credibile reputat, alium quenquam Principem, qui se tot iniurijs affectum, suaque monita à Rege Gubernatoribusque contempta percepisset, tam amicè fideliterq; tale negotium tractare posse. Nihilominus tamen animum voluntatemque amicos consilijs monitisque iuuandi, haudquaquam sibi defore sperat: id enim, intestino hoc bello grassante, amplitudini atque officio suo inprimis decens honestumq; existimat: quandoquidem antiquissimo fœdere Burgundiæ Ducibus, Regis maioribus ac parentibus, sit sociata.

Proinde quod ad alium articulum attinet, quo Regiæ Maiestati rationes, præsentes turbas sedandi, & prouincias sub Regis obedientia conseruandi, sua quidem sententia cõmodissimæ, declarentur: quandoquidem & pacificationem infractam, & inimicitias grauissimas inter partes esse constet: vnde quidem regionum extrema vastatio, aut earundem à Regis obedientia alienatio tandem exspectanda sit: consultissimum expeditissimumque ad hæc mala præcauenda reputat, vt Rex suos subditos in gratiam sauoremque recipiat, eis veteres libertates priuilegiaque restituat: postremam pacificationem conuenienter fideliterq; obseruari curet: alium Gubernatorem sua prosapia genitum, quem volet, Prouincijs gratum acceptumque cõstituat: vt sic ei omnem obedientiam ex animo præstent, religionem eius arbitratu continuent, omniaque ad pacificationis normam faciant. Hæc autem nequaquam fieri posse, quam diù Austriacus gubernationem sit administraturus: idq; ob summam inter Austriacum & Prouincias diffidentiam: videntur enim prouinciæ, potius alterius Principis Dominiumque protectioni se subijcere, quàm rigorem quem gubernãte Austriaco certò præsagiunt, ferre, decreuisse Prouincias Austriacum infractæ pacis: Austriacus contra Prouincias infractæ pacificationis accusat.

Austriacum fauens Reginæ Scotiæ, ergo Reginæ Angliæ se moliri ac animo inimico.

Auditis autem legatorum relatu, tam Austriaci quam Ordinum cauſis, nequaquam iudex, sed conciliatrix esse cupit: nihilominus delictis criminationibusque vtrinque tectis ac celatis, discordes in concordiam reducere, & parti vtrique officium præstare paratissima.

Quandoquidem autem neque locum, neque modũ vllum reconciliationis ineundæ videat: vnicum quo turbæ ac miseriæ procul dubio hinc sequuturæ caueantur, remedium reputat: vt alius Legatus Regi consanguineus gubernationi præficiatur, cuius moderato regimine turbæ omnes sedentur, sanguinis effusiones auertantur, & prouinciæ, quarum alienatio aliàs liquido euentura apparet, in obedientia retineantur. Si Rex huic consilio se accommodet, talem profecto populi erga suum Principem animum perspicit, vt nulla mutandi principis sit apparitura propensio: dummodo postulata ipsis concedantur, nullæ nouitates proferantur, & pacificationis Gandauensis leges firmiter ac ritè obseruentur.

Sicut autem Austriaci abitum optat, quo & Ordinibus satisfiat, & turbis seditionibusque finis tandem imponatur: ita etiam, iniquo eiusdem Austriaci erga se tam ex literis interceptis, quam clandestinis actionibus ac machinationibus cum Scotiæ Regina, explorato ac perspecto animo, non sine sui status maximo periculo (quod harum literarum latore singulatim multis actis probare poterit) non potest non instare, omnibusq; modis sollicitare, vt Rex Austriacum è Belgio euocet: vt sic vicinitatis atque amicitiæ fœdera pro voto vtrinq; obseruentur: de quibus quidem, homine adeo sibi iniquo atq; infenso Belgium gubernante, nihil certè sperandum existimat: proinde probos imprimis hic vicarios, qui mutuæ amicitiæ augendę magis quam diminuendæ studeant, in stitui optat desideratque.

Hanc commonitionem, ad Prouinciarum sub Regis obedientia conseruationem, & mutuę amicitiæ continuationem solummodo spectantem, Regem nequaquam ægrè laturum sperat, cùm sincerè ingenueque sit facta.

Verùm quandoquidem Austriacus suum exercitum iam paratum, Gallorumq; nonnullorum copias auxiliares in procinctu habeat, quibus Belgarum Ordines, veteres Anglorũ socios & amicos, ad harum extremitatum alteram redigere tentet: atque hinc maximè timeat Regina, ne Ordines antequam Regis animum hoc in negotio satis perspectum habeant, exterorum armorum seruitutisq; periculis resistere volentes, necessitate vrgente, alteri alicui Principi se dedant: vnde periculum præsens nunc quidem Regi, futurum autem sibi posthea immineat. Ipsa quidem Regis cõmodum promouere, propriumque damnum præcauere volens (quandoquidem Ordines, se debitam Regi obedientiã exhibituros, nihil vlterius in religione mutaturos, & Pacificationem Gandauensem obseruaturos certò ei promiserint) prædictas ob causas se eisdem Ordinibus ære & milite auxiliaturam pollicita est: vt sic saltem alienationis exitijque discrimina auertat.

Regina Angl. inregis commodum & propriam defensionem, Belgas ære et milite iuuat.

Quod si hoc suum factum Regi displiceat: integrum vtique sibi erit, palàm facere, Regem statuisse, veterem in Belgio gubernandi, normam infringere, Belgis veteres leges, consuetudines & priuilegia adimere, imò Belgium totum, tanquam armis partum subiugare, præsidijsque exterorum, militum munire: hunc sui proposito esse scopum, quo etiam spectant ea quæ ex Escouedi literis interceptis liquido patuere: quibus significauit, concepta multo facilius contra Angliam, quàm contra insulas Hollandiæ & Zelandiæ effecta reddi posse. Cùm autem hinc

hinc vicini animum erga se regiumque suum statum valde maleuolum infensumque explora- An. 1577
tè sciat. Decruisse, si res eò deueniat, omnes suas facultates, vireſque in vicinorum defenſionem, & sui status conseruationem impendere. At contrà, si Rex æquæ iusteque Ordinum postulationi annuat, eisque Gubernatorem, magis quam Austriacus fuerit, gratum concedat; Ordines verò Regi obedientiam recusent, nouitateſque promisso suæ Maiestati dato contrarias inuehant: se suaarma in ipsos Ordines conuersuram, vtque ad rationem æquitatemque redigantur, auxiliaria Regi omni conatu præstituram.

Interea verò temporis, donec harum rerum certior fiat, consultum sibi inprimis videri, quo Christianorum cædibus abstineatur, variſque negotijs grauibus ac arduis prosperiatur, vt Austriacus Ordineſque inducias pangant: quas si Rex abnuat, Ordines verò annuant: se incepto; quandoquidem & Regis honor, & regionũ salus præcipuè hinc dependeat, nequaquam desituram: sed Ordinibus instituta officia præstituram, vt saltem eos ab exterorum tyrannide defendat, & sub Regis obedientia ita conseruet, ne alteri Principi aut Domino se submittant, dedantue: vtq; eadem opera se suumq; regnum à periculis liquido imminentibus tueatur.

Regina declaratione hac in Hiſpaniam ad Regem missa, parum aut nihil proficit: imò ne ab armis quidem vacationem vllam impetrat. Victoria enim Austriaci, parta, Gemblaci, Regis animum omninò ad bellum accenderat: ansamque aliarum mutationum præbuerat.

Auraicus mense Decembri Gandauum cum fratre Iohanne Nassouio Comite profectus, quarto Calend. Ianuarij, à Gandauenſibus reliquiſque Flandris ſumma magnificentia & gratulatione excipitur Gandaui. Hic quatuor Flandriæ membra & ciuitatem Gandauenſem, cùm potentiſsima ditiſsimaque totius Belgij sit prouincia, ad officia debita reciprocè præstanda, & contributiones voluntarias conferendas hortatur: agit præterea de captorum Dominorum liberatione, sed parum hac in re auditus.

Ordines generales conuocati, Matthiam Archiducem Austraicum, certis articulis conditionibusque præscriptis, Gubernatorem generalem Bruxellæ decernunt: & 16. Calend. Ianuarij Antverpiã ad eum mittuntur Abbas Gertrudanus, Abbas Marollius, Dux Arschotanus, Baro Frefinus pluresque alij, qui gubernationem ad conditionum formulam ei offerant: quam quidem acceptat Austriacus, honesta magnificaq; sumptuum suppeditatione insuper promissa. *Matthias Archidux Austriæ, Gubernator generalis Belgij decernitur.*

Præcipuè autem, quibus Ordines mouebantur, rationes fuere, quod scilicet toti Belgio Gubernator generalis maximè necessarius esset: quodque nobiles qui Archiducem Matthiam accerserant, valde propenso in eum essent animo: quorum nonnulli eum Imperator inscio nequaquam venisse, aut inuito Rege tam diu manere, opinabantur: Regem quoq; licet eum non iniisset, tandem tamen adhuc cõsensurum, maximè quod sanguine ei admodum propinquus, & Catholicæ Religionis valde studiosus esset: multi etiam bellum Austriaci hac ratione magis inuisum odioſumque reddi posse: neque ipsum Austriacum vlterius quicquam hostiliter sine certo Regis mandato tentaturum putabant: formidaturumque ne Imperator cum fratribus, totaque familia Austriaca, hinc aliquid prætendat. Hoc insuper facto, summam Regi fidelitatem declarabant, & à Franciæ Rege, & à fratre Duce Alenzonio oblata, seriò se recusasse probabant: Angliæ etiam Reginæ, cui quæcunque cum Gallis actio suspecta erat, hac ratione satisfaciebant. Inprimis autem Ordines, Matthiæ gubernatione, Religioni Romanæ Catholicæ optimè consultum, vt tunc rerum status erat, putabant.

Vtauté plebi, cuius maximè intererat gubernationis, pacis, belli negotia rectè administrari, satisfieret, Archiducis legatum siue vicarium constituunt Principem Auraicum, cui omnes tutò bellis præsentibus fidere possent: quod eius probitas, experientia atque prudentia satis perspecta ac probata esset. *Auraicum Archiducis Matthiæ Vicarium*

Fuerunt autem Archiduci Matthiæ propoſiti, posteaque iurciurando cõfirmati sequentes articuli: *Articuli Archiducis Matth. à Belgis propoſiti.*

1. Archidux regiones consilio Status gubernabit: ipsi verò Consiliarij designabũtur, eligenturque ab Ordinibus generalibus, Belgij indigenæ, huic muneri inprimis idonei.

2. Omnia negotia decernentur suffragijs & vocibus Consiliariorum: ita vt ipse Gubernator postmodum nihil amplius sit deliberaturus aut mutaturus.

3. Si qui Consiliarij aut palatina officia minus probè se gerant, aut onere difficiliore grauentur: Ordinum generalium postulatione prouidebitur.

4. In negotijs arduis atque magni ponderis ad omnes simul regiones spectantibus, nihil sine Ordinum generalium consensu aget Gubernator.

5. In rebus arduis ad generalitatem attinentibus, vtpotè exactionibus, pecuniarum collectionibus, pacis belliue conditionibus, cũ extraneis Principibus aut populis obligationibus, aliisq; similibus, tenebuntur Ordines generales, antequam certi aliquid constituant, rem totam proceribus & cõmunitati significare: æquum enim est, vt quod omnii interest, ab omnibus quoq; comprobetur & condicatur: quod quidé patriæ priuilegia & consuetudines inprimis postulant:

An. 1578. 6. Ne Gubernator, mandata, placita, decreta magni momenti, nouitates resue insolitas introducentia, sine Ordinum generalium ad id legitimè conuocatorum consilio aut consensu, vllo modo statuat.

7. Breuiter: In omnibus ijs negotijs, quibus naturalis Princeps patriæ, tanquam Brabantiæ Dux, consilium de Ordinum Brabantiæ sententia capere tenetur, ipse quoque Gubernator Ordinum generalium consilio vti tenebitur: Deputati autem prius suis superioribus à quibus sunt legati, rem omnem conuenienter referent.

8. Omnes literas ad Statum prouinciq; aliquo modo spectantes, quas accipiet, tenebitur Consilio Status offerre, vt de ijs deliberetur decernaturque.

9. In Consilio Status nulla negotia grauia difficiliaque, aut ad Ordines spectantia, tractabuntur, nisi Consiliariorum maxima parte præsente.

10. Eiusdem Consilij acta, decreta, factaque omnia annotabuntur atque subsignabuntur.

11. Ipse Gubernator, omnes consuetudines & quæcunque priuilegia institutaque vetera infracta, impedita aut ablata per vim, restituet & confirmabit.

12. Ordinum generalium Deputati simul permanebunt, quam diù ad negotiorum expeditionem peractionemque commodum ipsis videbitur: Ordines quoque generales conuentum, quandocunque volent, celebrare poterunt.

13. Si quod negotium maximi momenti occurrerit ob quod comitia haberi necesse sit: vnà prouincia postulante, reliquæ conuenire debebunt, & poterunt: neque mandatum, imperium aut consensum Gubernatoris exspectare tenebuntur.

14. Ordinibus etiam particularibus vniuscuiusque prouinciæ conuentum agere licebit pro arbitrio quocunque tempore.

15. Pacificatio Gandauensis ita omnibus suis articulis obseruabitur, vt nullo modo aut prætextu aliquid diminuatur aut infringatur.

16. Ne prædictæ Pacificationis interpretatio lites aut difficultates arguta cauillatione, tam in articulo scandali, quàm alijs eadem pacificatione contentis pareat, huiusmodi litigiosorum articulorum interpretatio Ordinibus generalibus legitimè congregatis committetur.

17. Gubernator alios stipatores aut satellites, quàm Ordines pro temporis ratione necessarios reputabunt, nequaquam habebit aut postulabit.

18. Gubernator suumque Consilium ex Ordinum sententia, tam terra quam mari constituent Archistrategum siue Imperatorem exercitus, Archithalassum, Magistrum equitum, Tribunum militum, aliosque tribunos præfectosque primarios belli.

19. Neque pedites neque equites milites colliget extraordinariè: neque præsidia in vrbibus collocabit Gubernator, nisi scientibus & consentientibus Ordinibus: ciuiumque earundem vrbium sententijs prius auditis.

20. Gubernatores Prouinciarum nequaquam constituet sine Ordinum earundem Prouinciarum consilio & consensu. Curabitque si fieri possit, vt ijdem sint eiusdem regionis aut prouinciæ habitatores, atque in ijsdem possessiones & redditus habeant, aut saltem regionibus sint grati atque accepti, vt dictum est.

21. Tempore belli grauissima negotia administrabit exequeturque ad præscriptum Consilij militaris ab Ordinibus designandi.

22. Consilium autem militare nihil quod ad Ordines spectabit, decernet aut statuet, nisi Ordines generales ante primoque omnium certiores reddantur.

23. Gubernator, alijque post eum Gubernatores, priuilegia præsentia futuraq; obseruabunt. Præterea Chiliarchæ, tribuni, omnesque militum præfecti, Regi Domino suo naturali, & regionum Ordinibus iuramentum præstabunt in patriæ defensionem.

24. Obligabunt obstringentque se prædictis his articulis, & præcipuè conseruationibus omnium & singulorum priuilegiorum, legum, consuetudinum veterumque institutorum, vt ea omnia Regionibus restituantur, reparentur, & inuiolatè seruentur.

25. Milites quoque tam Ordinibus & Generalitati, quam Regi naturali domino, iuramentum præstabunt.

26. Assignationes & distributiones ærarij publici & pecuniarum bellicarum fient, quando Ordinibus oportunum videbitur, eorum opera, qui ab Ordinibus huic muneri præficientur: idque in primis ob ingentia inenarrabiliaque onera, quibus suæ Maiestatis fiscus, & prouinciæ generaliter grauantur.

27. Ordines oblata à Regnis & Principibus vicinis, acceptare poterunt, necessitate vrgente, præsertim si bello obruantur. Gubernator autem quæcunque iam acceptârunt, aut in posterum adhuc acceptabunt, rata habebit & confirmabit.

28. Contra eos qui aduersus Ordines & patriam arma sumpserunt, & Ioannis Austriaci partes postremis his turbis tenuerunt, rigore iuris agetur: neque iuris administrationes aut executiones

tiones hac in re vllo modo impedienturne post hac ſtatus aut commodum Reipublicæ ab aliquo petulanti audacia perturbetur. An. 1578.

29. Iurabit etiam Gubernator, ſi eum prædictos articulos aut omnes aut aliquos infringere contingat, Ordines liberos fore ab eius obedientia. Quod ſi eos cogere volet, prædicta infractione non reſtituta aut reparata, poterunt ſecundum Priuilegiorum formulam, iuſtæ defenſionis protectioniſque cauſa, arma ſumere.

30. Arces nondum prorſus dirutæ, ſed iam dirui inceptæ, ſolo æquabuntur abſque contradictione: de reliquis verò, quibus Prouinciæ aliquo modo opprimi poſſe videbuntur, Ordinum generalium conſilio decernetur.

31. Generaliter, nulla præteritorum actorum in poſtremo bello fiet informatio aut inquiſitio: hæc enim omnia generali obliuione prædictæ pacificationis Gandauenſis comprehenſa ſunt, exceptis ijs, quorum articulus ſuperior mentionem facit. Quæcunque autem ab Ordinibus generalibus decreta ſtatutaque ſunt ab eo tempore, quo Ioannes Auſtriacus Caſtrum Namurcenſem inuaſit, rata habebit, approbabitq; Gubernator, neq; vllo pacto contra nitetur.

Archidux Matthias hos articulos acceptauit ſublignauitque: Poſtea per oppidum Mechlinienſe cum Principe Auraico Bruxellam profectus, ingenti cum magnificentia ac triumpho 28. Ianuarij, vrbem læto introitu ingreſſus eſt: atque eiuſdem menſis die vigeſimo publicè in foro Gubernator inauguratus, prædictos articulos, vna cum Principe Auraico, tanquam vicario, ſolenni iuramento confirmauit Bruxellæ.

Auſtriacus contra Ordinibus nunciari mandat, hanc Matthiæ acceptationem Ordinum iuramento, paci, & Regis (vtpote non conſentientis) auctoritati aduerſari. Ordines verò hæc parui pendunt, ſatisque literas multis argumentis munitas in Hiſpaniam mittunt, quod & Archidux Matthias facit, confirmationis à Rege impetrandæ gratia.

Tota hac hyeme in Belgio viſus Cometes, primò multum diuque ardens: apparuit primùm 11. die Nouemb. paulatimque deſijt. *Cometes viſus*

ARGVMENTVM. Lib. VIII.

IOANNES *Auſtriacus Parmenſem cum ſuis Hiſpanis & Italis in Belgium rurſum inuehit: quibus fretus, Belgis bellum indicit. Papa verò crucem ſuam vulgò* cruciatam *contra eoſdem publicè denunciat. Prouinciarum Belgicarum exercitus ad Gembloux ab Auſtriaco profligatur: qui victoriam ſuam proſequens, Louanium, Philippeuillam, Lymburgum aliaq; oppida ſubingat. Ordines poſt multos tandem labores Amſterodamo potiuntur. Baro de Selles ex Hiſpania appellens, pacis conditiones proponit, per quas Pacificationi Gandauenſi derogatur. Imperatori pacis ſtudioſo reſpondent Ordines. Diſſidia in Friſia. Campena & Dauentria à Rennebergio obſeſſæ & captæ. Ordines in Eccleſiaſticis & politicis rebus leges & Statuta edunt. Iuſiurandum fidelitatis ab incolis ſuis exigunt, quod Ieſuita & alij præſtare recuſant. Monachi ſodomitæ in Flandria cõbuuntur. Hiſtoria fratris Cornelij concionatoris Brugenſis. Ordines ad Comitia VVormacientia Legatos mittunt, de q magno exercitu conſcribendo concilium capiunt. In eum finem ad Caſimirum ſcribunt & alios. Simulq; Ducis Andegauenſis auxilium (tractatu ſuper ea re cum ipſo habito) adſumunt. Auſtriacus impetum facit in Ordinum copias ad Rimenaut. Iterum de pace ſed fruſtra agitur. Libertas Religionis vulgo* Religions fried *à Proteſtantibus vrgetur, & neceſſitate quadã belli cogente publicatur. Cui Gandauenſes tamen non aſſenſerunt: Arteſiani & Hannonienſes nullo modo eam ferre voluerunt, qui inde nomen ſortiti Malecontentorum. & mox Meningam muniunt, nec iam amplius ad bellum commune contribuunt. Hinc ſciſma & ſeceſſio inſequuta. Copiæ Caſimiri ad exercitum Ordinum accedunt. Andegauenſis venit Montem Hannoniæ. Ob magnatum inter ſe Zelotypiam vix quicquam operæ pretium ab exercitu geritur. Caſimirus recepit ſe Gandauum. Andegauenſis miſſos facit ſuos milites, quo Malecontenti fortiores euadant. Exercitus Ordinũ ſoluitur. Auſtriacus ad Namurcum caſtris probe munitis moritur. In eius locũ & munus ſuccedit Parmenſis. Atrebatũ fruſtra tentatum. Sebaſtiani Regis Portugaliæ expeditio, prælium & mors in Africa, duorumq; aliorum Regum, qui ſimul omnes in vno tentorio iacuere, vbi captus etiam fuit Princeps Antonius. Hæc facta ſunt an. 1570. ſub Ioanne Auſtriaco & Archiduce Matthia.*

Digitized by Google

MATTHIAS D.G. ARCHIDVX AVSTRIA DVX BVRGVN. COM. TIROL PRO TEMP. GVB. BELGICÆ.

Digitized by Google

DIximvs ſuperiore libro, quibus artibus doliſq; Auſtriacus, vt vetus Hiſpanorum propoſitum, Belgicas regiones domandi, & tanquam recens deuictam prouinciam ſubiugandi, promoueret, ſit vſus, Ducis Albani veſtigijs acriter quidem inſiſtens, ſed fictè ſimulateque magis agens: Diximus præterea quibus ratio nibus Ordines Belgij fuerint coacti ſe munire, atque defendere, ex pacto Pacificationis Gandauenſis, Principis Auraici & Hollandorum Zelandorumque ſocijs armis, ipſumque Auraicum aduocare: cuius apud plebem auctoritas & gratia, inuidiæ apud Proceres cauſa fuit: vnde factum vt Proceres Archiducem Matthiam acceſſuerint: atque deinde Ordines Gubernationem generalem eidem committere conſultum putauerint: Nunc quid Archiduce Matthia gubernante, cum Ioanne Auſtriaco actum, quæ bella geſta ſint, narrabimus.

Exercitus Ioannis Auſtriaci.

Ioannes Auſtriacus conuocatis vndique militibus, exercitum in regione Lutſenburgenſi, Marchæ-faminæ collegit: huc quoque Hiſpani & Itali menſe Ianuario ex Longobardia confluunt, Duce Alexandro Farneſio, Principe Parmenſi, filio Duciſſæ Parmæ, Belgij Gubernatricis, & Octauij Farneſij, Parmæ & Placentiæ Ducis, cuius pater Petrus Loyſius Farneſius, Pauli tertij Pontificis Romani filius fuit: conueniunt & Gallorum copiæ Carolo Manſveldio Comite Duce: Burgondionum quoque Germanorumque agmina: fuitque hic omnis ſimul exercitus peditum millia ſexdecim, & equitum Hiſpanorum atque Italorum millia duo, reliquis non numeratis: Auſtriacus hoc exercitu ſe ſatis munitum exiſtimans, libellum typis edit Marchæ, 25. Iauuarij, 1578. quo bellum indicit declaratque, Romanæ Catholicæ Eccleſiæ, & debitæ Regiodientiæ conſeruandæ, defendendæque cauſa: multa inſuper magnaque largiter promittit Regionibus, vrbibus, nobilibus, pagis & militibus ſuas partes fouentibus. Ordinum etiam nomine Apologia typis promulgatur, qua, quæ ad prædictos duos articulos crimina obiecta ſpectant, diluuntur.

Ioan. Auſtriacus bellum indicit Ordinib. Belgicis.

Auſtriacus miſſis antè ad Imperatorem legatis, grauiter de Archiducis Matthiæ aduentu fuerat conquæſtus: de quo quidem Imperator ſe excuſabat: nunc autem denuò Marchionem Varrabonium ad Imperatorem & Germanos quoſdam Princeps allegat, eoſque rogat, vt præcedentes excuſationes facto aliquo comprobent, & ne miles in Germania Ordinum nomine conſcribatur. impediant, verùm id ſibi ſoli permittant.

Comes Hoghenlous, Ordinum mandato, vrbem Ruremondenſem, ipſumque Polvvilerum Tribunum cum omni præſidio, multis vndique vallis & aggeribus, paruo tamen militum numero, arctè admodum cinxerat, ad ſummamque egeſtatem redegerat: Auſtriacus ſuis inſtructis copijs, obſidionis ſoluendi cauſa eò mittit forti ſatis militum agmine Dominum Hiergeſium, & Draganum Tribunum: horum aduentu perterritus Hogenlous, aggeres ac propugnacula deſerit, diſcedítque cum ſuis: hinc non ſolùm Ruremondæ, ſed & VVeerdæ Brabantiæ vrbi extrema fame preſſæ, commeatu ſubuenitur.

Ordinum Belgij apparatus bellicus.

Ordinum apparatus bellicus lentè admodum procedebat: erant enim Ordines in deliberando ac decernendo tardi, & prouinciæ multæ ac variæ: ſperabantque pacificationem proſperè ſuccedturam. Erant Ordines tunc temporis ſatis certi ac ſecuri de Antvverpia, Somæ-berga, Thola, Steen-berga, Breda, Buſcodicis, aliiſque locis: Arces Antvverpiæ, Gandaui, Vltraiecti, Inſulis, Valenzenis, Ariæ, Bethunæ, Bapalmæ dirui mandarant: Atrebatenſem ciuitatem arcemque concordia ſociarant: Legionibus veteribus Comitis Boſſui, Champignij, Margellæ, Marij Carduini, Montignij, aliorumque ſtipendia exoluerant: ipſiuſque Montignij legio primò Namurcum verſus miſſa, vt prima Auſtriaco quibuſcunque modis impedimentum negotiumque faceſſat: poſt ſubſequutæ & aliæ legiones: ita vt iam iuſtus videretur exercitus, Comite Lalaingo peditum. Burggrauio Gandauenſi equitum generali Præfecto, Goigniciſio caſtrorum Præfecto, & Motteo armamentarij Tribuno. Exercitus hic maximam hyemis partem non procul Namurco ad Martini ſanum in caſtris tranſegerat, vbi crebris velitationibus in præſidiarios hoſtes dimicabant: vrbeculam Bouineſam duobus inde miliaribus, ad Moſam, qua Namur cenſes vrgendi moleſtandique via patebat, capiunt: & arcem Diſpontinam vi expugnant: præterea autem nihil magni momenti: maximè quod Ordines certi nihil, vt diximus ſtatuerent: eorumque plurimi defenſiuum bellum gerendum, neque Auſtriacum impetuoſè inuadendum putarent, & nuncium ſententiamque Regis ex Hiſpania exſpectarent Auraicus verò offenſiuo bello agendum, Auſtraicumq;, antequam maiores copias colligeret, Belgio expellendum conſulebat ac vrgebat: Ordinibuſque exercitu præualentibus, facilius hoſtes primò excludi, quàm poſtea

Digitized by Google

postea eijci posse, demonstrabat. Verùm hoc Auraici consilium, diuersitate opinionum, inuidia ac æmulatione inter Ordines Principesque viros grassantibus, expleri tunc nondum potuit. An. 1578.

Eo quidem in statu res fuêre, cùm sub finem Ianuarij ipse Austriacus Namurcum veniret, copijs suis circumcirca in vicinis agris dispositis, recentesque insigni Bulla Gregorij XIII. Papæ armatis ac munitis, vt perpetuæ damnationis metu sublato, mortis pericula intrepidi adirent: haud aliter atque olim cruciatæ: hoc est, expeditiones contra Turcas, militiæ crucis Christi nomine confici solet. Bullæ autem tenor hic erat.

Gregorius Papa XIII.

Bulla Papæ Gregorij XIII. contra Belgas.

PERPETVAM salutem & Apostolicam benedictionem omnibus Christi fidelibus, qui in regionibus Belgicis militant aut militabunt in castris filij nostri dilectissimi Philippi Catholici Hispaniarum Regis, sub vexillo filij nostri dilecti, & illustris Domini, D. Ioannis Austriaci: Nos studentes saluti omnium animarum fidelium Christianorum, media quibus, auxiliante Deo, salutem vestrarum animarum, & pacem quietemque vestrarum conscientiarum mereri possitis, lubenter concedimus. Propterea de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, fauemus cum omni misericordia, Apostolica authoritate, præsentibus his literis, concedimusq; liberaliter in Domino, tam prædicto D. Ioanni Austriaco exercitus Capitaneo generali, quàm omnibus vobis prædictis, & vestrum singulis pro se, statim atque præsentes ad vestram notitiam peruenient, vt quocunque die vos aut vestrum singuli voletis, confessione & communione peracta, impetretis plenariâ omnium peccatorum vestrorum indulgentiam & remissionem: eandemque prædictam indulgentiam & remissionem omnium vestrorum delictorum etiam in articulo siue hora mortis percipiatis. Volumusque vt præsentes hæ literæ vobis seruiant, semel quidem ad prædictum effectum in vestra vita, & semel tantum adhuc in hora vestræ mortis. Datum Romæ apud S. Petrum: signatum annulo piscatoris 18. Ianuarij 1578. pontificatus nostri anno sexto.

Subsig.

Cæs. Glorierius.

Ordinum exercitus simul ac Ioannem Austriacum potentissimis copijs agrum Namurcensem inuasisse cognouit, loco migrare, & vlterius in Brabantiam tendere instituit, acieſque qua potissimum poterit ratione instruit: Prima dispositæ legiones Montignij & Hezæ: media Bossuyij & Champignij cum tredecim Scotorum & aliquot Angelorum cohortibus: postrema Egmondani, & Marchæi siue Lumeijitaque cum tormentis & machinis bellicis iter ingrediuntur, Domino Goigneio militari Tribuno, Domino Heuræo, fratre Billieulo, alijsque legatis ac vicarijs ductoribus. Castrorum autem præfectus Comes Lalainius, Burg-grauius Gandauensis, plurimique Duces, Chiliarchæ, Tribuni, & præcipui militiæ Præpositi, se aut domi continebant Bruxellæ, aut celebrationi nuptiarum Domini Berselensis & Dominæ Berghensis intererant, magnaque præfectorum & militum pars castris aberant: vnde quidem in ipsos militiæ Duces & Præfectos grauis suspicio culpaque versa est maxime cùm eorum maleuolentia ac inuidia (quod res de Archiduce Matthia statuta pro arbitrio non succederent) satis tunc esset perspecta.

Ioannes Austriacus, Parmensis, & Gonzaga, qui tunc Namurci erant, 29. Ianuarij militum duo millia & amplius, vt leuia cum Ordinum agminibus ferant prælia, mittunt: verùm hi aliquot suorum defideratis acriter repelluntur: duos autem ex hostium numero deprehensos secum abducunt, qui Ordinum exercitum ea nocte Gemblacum versus discedere velle, tormentaque bellica iam auehere, præcipuos autem Duces Præfectosque castris abesse, indicant. Id simul ac resciscit Austriacus, omnè suum exercitū contra tendere, hostiumque machinamenta disturbare, iterque impedire iubet. Goigneius autem alijq; Præfecti, Austriaci apparatu perspecto, nihil cunctati, exercitum instruunt, hostique aggredienti audenter se vndique opponunt, eique inter proficiscendum plurimis locis saltuosis insidias, arborum commoditate, collocant: vnde Austriaci milites ab Ordinum ferentarijs plurimum impediti sæpeque fugati. Ordinum etiam equites in postrema acie, hostium frequentes impetus strenuè propellunt: itaque prima acie lente, absque impedimento, præcedente, simul procedunt. Verùm cum nimio pugnandi ardore Austriaci milites incenderentur, iamque eos à conflictu prohibere aut reuocare difficile videretur, statim Parmensis, & Roblesius, Billij Dominus, validissimo impetu, totis militum copijs, Ordinum equitatum inuadunt, viriliterque propellunt, & per altiorem viam fugant: vnde Ordinum equites, hostium agminibus insequētibus, suorum peditum aciem turbare, perfringere, obterere, necessitate coacti, plurima parte salui euadunt. Interea *Prælij Gemblacensis.*

Austriacus

Digitized by Google

An. 1578. Auſtriacus cum reliqua exercitus parte, poſtremam aciem iam perturbatam diſſipatamque, & mediam non longe inde collocatam vndique inuadit: repugnatum quidem aliquandiu: verùm Auſtriaci equitatus, qui Ordinum equites fuerat perſequutus, rediens, hos quoque obruit, in fugam vertit, plurimoſque cædit, præcipuè Scotos & Anglos, Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ ſtipendiarios in Brabantiam miſſos. Montignius ſocijque aciem primam quæ non procul Gemblaco aberat, ocyus inſtaurare ac munire in hortis ac pomarijs quibuſdam ſatagunt: verùm incaſſum nituntur: tandemque fuga ſaluti ſuæ conſulunt. Auſtriacus parta victoria, vlterius inſequitur, Gemblacum oppidum vſque, quo poſtridiè deditione potitur. Fuere hoc prælio Ordinibus erepta militaria ſigna peditatus triginta, equitatus quatuor: ad hæc tormenta ænea omnia: cæſorum verò numerus exiguus fuit. Capti Goignicus, Heureus cum fratre Balieulo, pluresque alij. Montignius autem, & Scotorum Tribunus Balfourius acriter pugnando incolumes euaſere.

Ordines generales Belgij, Archidux Matthias, & Princeps Auraicus, qui huius cladis tempore Bruxellæ erant, ipſam vrbem Bruxellenſem omni ſtudio ac diligentia muniunt, ſaluamque conſeruant. Putabatur quidem Auſtriacus eam conſeſtim oppugnare velle: verùm quod & tormenta & alia ad tantæ vrbis obſidionem oppugnationemque neceſſaria ei deeſſent, nihil aduerſi armis attentauit. Conſeſtim ex Hollandia & Flandria milites euocantur. Matthias & Auraicus, relicto Bruxellæ Boſſuo, Antverpiam reuertuntur: Machliniam murmurantem, & Liram, ciuium Antverpienſium fido præſidio miſſo muniunt tenentque. Denique præſidijs vbique diſpoſitis, alijſque neceſſarijs, ſumma ſedulitate procuratis, nihil, præter ea quæ dicemus, memoratu dignum Auſtriacus cum victore ſuo exercitu egit.

Auſtriacus victoriã perſequens, multa oppida potitur.

Auſtriacus hoſtium caſtris potitus, ne quem à tergo infeſtum habeat præcauens, Domino Hiergeſo mandat, vt Bouinum oppidum, dum terror metuſque recens, capiat: quod quidem tormentis concuſſum deditur, vita omnibus conceſſa.

Ipſe Auſtriacus cum toto exercitu Louanium tendit, magnum vaſtumque, ſed parum munitum oppidũ: id facile in deditionem accipit, cum præſidiarij pauci, loco relicto, Bruxellam abijſſent.

Thenæ & Arſchotum vrbes Louanio vicinæ, cum eo etiam tranſigunt. Inde Sichenum oppidulum arce munitum aggreditur: erant hic præſidiarij pauci ſub Præfecto quodam Liranæ familiæ, qui dum deditionem recuſant, tandem 22. Februarij, tertia oppugnatione obruuntur, non ſine Hiſpanorum clade: eaque maximè de cauſa, arce tandem etiam expugnata, crudeliter inhumaniterque excepti, contra promiſſum, trucidantur, ſubmerguntur, capite truncantur: ipſe Præfectus alijque nonnulli de feneſtra ſuſpenduntur.

Hinc contra Dieſtam vrbem Brabantiæ, Auraici dominio ſubditam, parum munitam, ducitur exercitus: cùm autem obſeſſi, in loco eminentiori hoſtilia tormenta collocata vident, deditione pacifcuntur. Similiter quoque Levva vrbecula in Auſtriaci poteſtatem venit: vbi exercitus partim reficitur.

Comes Manſueldius, Auſtriaci iuſſu, vrbem Niuellam Gallicis ſuis copijs cingit. erant hic in præſidijs, cum Præfecto Villerio, quatuor peditum cohortes & equites aliquot. Vrbem hoſtes valido exercitu circumcluſam, octo tormentis æneis primò labefactant, & ſtrenuè oppugnant, animosè autem repulſi: ſecundò maxima machinarum bellatorumque vi muros aggreſi crebros impetus faciunt: præſidiarij autem cum hoſtium grauiorem violentiam meuerent, ſociorum verò nullum ſubſidium ſpectarent, maximè quod hoſtilis exercitus caſtra agroſque vndique occuparet, iamque quatuor oppugnationes propulſaſſent, hoſtibus quadringentis cæſis, ſuorumque plurimis ſaucijs, honeſtis, conditionibus vrbem tradere ſtatuunt. Auſtriacus ne ſuos Hiſpanos qui proximè impreſſioni operam impendere debebant, periculo exponat, facilem ſe præbet, & vt vulgares milites gladio & pugione accincti, Præfecti autem equis vecti vrbe exeant permittit: & hæc quidem pacta ab obſeſſis impleta fuere 12. Martij. Gubernator Villerſius egregiam hic laudem ab ipſo etiam hoſte retulit: hoſtis autem neque promiſſa, neque pacta præſtitit: ſed ægrotos ſaucioſque, qui cum alijs abitum accelerare non poterant, crudeliter necauit trucidauitque.

Hinc Reuſſam & Goigniesam exercitu miſſo, ſine mora in deditionem accipit Auſtriacus. Mox quoque Binchium. Binchienſes autem, quamuis nullum haberent præſidium, hoſti reſiſtere audent: & nocte quinquaginta ſclopetarios Montes-hannoniæ, arma ſubſidiaque poſcentes, mittunt: quibus inſidioſe ab hoſtili equitatu interceptis, oppidani ſpe ſua fruſtrati, deiectis animis cum obſeſſore tranſigunt: idem & Beaumontium, Valcourtium, Mabuſa, aliaque multa oppidula vicina faciunt. Chimaia quoque hoſtili impetu ſubitò perculſa fuit: militeſque vrbecula relicta in arcem confugiunt, atque ibi pactum ineunt.

Fanum Gillenij, Hannoniæ oppidulum, penè etiam in Auſtriacorum manus, clandeſtino Epiſcopi Atrebatenſis conſilio inciderat: verùm Dominus Heruiſartus dexteritate quadam introgreſſus hoſtes præuertit.

Ineunte

Digitized by Google

Ineunte menſe Aprili (vt hic ſucceſſum totius victoriæ Ioannis Auſtriaci ſimul ex ordine referamus) Auſtriacus opera Baronis Cheuræuxi & Baptiſtæ Montani clandeſtinis negotiatur cum ſeditioſis aliquot cohortibus præſidiarijs Traiecti ſuperioris, oppidi ad traijciendum Moſam ſitu maximè idonei. Seditioſæ hæ, de quibus loquor, cohortes, ſuum Gubernatorem Dominum Florianum Hornanæ & Gruobekanæ familiæ, virum nobilem, omnesque alios Præfectos cupros oppidis ſeruabant. Ciues ſimulac ſeditioſos milites cum hoſte negotiari reſciſcunt, ſuos ſibi adiungunt, quibus fidelioribus, inter quas nonnullæ Angli, ſe tenuè reſtituunt, plateas, & alia opportuna occupant, valleſque munitæ. Auſtriacus Baronem Cheuræuxium cum quingentis militibus ad ſeditioſos cohortes Guidio deſtinat ſed tardius. Ordinem enim Dominum Florianum Nicolaum Sabatieratum Melchiorem Dominum, peditis & equitum quinque enſeignas, ſub vrbem miſcapthic tunc ſi ſedi ſuos liberat, vtrumque ſecurè recipiunt. Interea opportunè & ſolitis autoribus nec opprimendis, aliis exemplo ſuſpendi & ſubmergi

Poſtea Auſtriacus conſtituit à nonnullis idque præcipuè ipſius Gubernatoris Florennei Florian, vt vrbem Philippi-villam ſine præſidio relinqueret, quæ ſatis munitam, præſidijſque ſatis inſtructam, à Philippo Rege Hiſpaniarum, poſtremis contra Gallos bellis ædificatam, obſidione non expugnat: Florennei autem eo facilius credit Auſtriacus, quod indies exercitui plurima damna percutiebant Prædiarijs inferrentur: quodque ipſe Florennæus Philippi-villæ Gubernator ei vrbem traderet, deditionem præcerte polliceretur: omnem enim commeatus & ſubſidij promotionem ex illis locis diuerti arbitrabatur: verùm quod apud Duces & Præfectos militiæ tanta auctoritate non polleret, vt eos dexteritate aut ſubſidiarie eò inducere poſſet, nihil palam tentare voluit. Cum autem creberrimæ ex obſeſſa iam vrbe in Auſtriaci exercitum eruptiones fierent, & Lotharingorum ſuorum militum aliquot antè etiam cæſi eſſent, veritus tandem Auſtriacus ne hæc interceptio, ſuarum victoriarum finis, partæque anteà gloriæ perditio eſſet, quod Gubernatori promiſſa præſtare non valenti tam facilè crediſſet: omnem operam diligentiamque impendere ſtudet, vt vrbem quam citiſſimè ſuperet, iam certior, diſperſas Ordinum copias iterum multis locis colligi. Itaque foſsis & aggeribus aliquot maxima cum difficultate potitus, ad proximam vſque vrbis foſſam peruenit: nocte geminas & crates vimineas altas erigit, inter has quatuor grandia tormenta diſponit, quibus aggeres & munimenta vrbis demoliatur, hoſteſque à propugnaculis, vnde ſaui ingens iactura cladeſque inferebatur, propellat: hic defodi ſuffodique ſtrenuè curat: ipſe cum Parmenſi & reliquis Ducibus Præfectiſque militum, labori inſudant, faſces aliaque neceſſaria diligentiſsimè ferunt ad miniſtrantque. Obſeſſi, muris & aggeribus oppidi fortiſsimis & maximis ſidentes, intrepidè reſiſtunt, hoſtiles inſultus floccipendunt, crebriſque eruptionibus, tam pedites quam equites, obſeſſorem exercium inuadunt.

Poſtremò Auſtriacus muris ſcalas applicare, ac inſuper quatuordecim tormentis vrbem quatere ſtatuit. Interea nocte quadam D. Gatcus vir inprimis eloquens ac facundus, ad colloquium admiſſus, obſeſſis declarat Regis ſummam potentiam, cauſæque æquitatem, inſignemque Auſtriaci humanitatem, vtpote qui eorum ſtrenuitatem (delicta interim grauiſſima nequaquam ignorans) tanti faciat, vt ſi honeſtis conditionibus (quandoquidem nulla ſubſidij ſpes ſuperſit) cum eo pacifci velint, ſe felicem ſit reputaturus, modo milites tam ſtrenuos ſibi ſtipendiarios nancifci queat: proinde omnibus qui ei militare velint trimeſtris ſtipendij ſolutionem promittit: reliquis qui id facere nolint, liberè abire permittens. Obſeſſi blandiloquentia & promiſſione hac allecti deliberant, conſultant, ſeque iam omnium rerum inopia laborare, equites quoque commilitones, Tibicinem Legatum ab Auraico commeatum ſubſidiaque petiturum reducentes, nocte ex inſidijs à Comite Megano cæſos perpendunt: tandem Gubernatore Florenneo quocunque modo, quaſcunque peraries ſibi ingante, ad deditionem perueniunt: tres cohortes, promiſſo ſtipendio trimeſtri, militiam Auſtriaci acceptant: reliquæ duæ Ordinibus fideles, vrbe excedunt, armatæ, erectis ſignis, 21. Maij.

Poſtea Auſtriacus ægrotus Namurci ſe continet, Parmenſem verò in Limborghenſem agrum mittit. Parmenſis multis hic vrbeculis arcibuſque facilè potitur. Tandem Limburgo oppidulo & arci forti ac bene munito, vnde multa ſuis incommoda inferri potuiſſent, deditionem indicit, nouem tormenta bellica aduerſum collocat, & cuniculos agendi ſuffodiendique apparatum adhibet: hinc ſubito perterritus populus, colloquium cum hoſte abſque mora expoſcit. Parmenſis pauore imbellium hominum percepto perſpectoque, colloquium recuſat. Gubernator bellicoſus, vrbecula relicta, in arcem cum ſtipendiarijs aliquot venit, qui metu quoque ocyus perculſi, animos reſiſtendi abijciunt. Gubernator locum ſitu, armis, rebuſque neceſſarijs ſatis munitum inſtructumque, varijs argumentis declarat, trepidoſque in hoſtem exhortatur: ſed fruſtra: itaque cum Tribuno Mondragonio, tandem inuitus tranſigit,

An. 1648.

An. 1578. libertate Traiectum ſuperius abeundi conceſſa: diſcedituque 15. Iunij, maxima ſuorum militum parte Auſtriaci militiæ ſe dedente. Poſt hæc Parmenſis caſtrum Valchenburgum, oppidumque Dalhemum capit, & acriter in victos ferro ac igne ſæuit: Machinatus inſuper aliquid in Traiectum ſuperius, at Boſſuo præuertente impeditur.

Pars quædam Auſtriaci exercitus ſub Octauiano Gonzaga in Hannoniam profecta, Bruxellas & Montes Hannoniæ vſque excurrit, agroſque depopulatur. Machliniam quoque ſuam breui futuram, Conſiliariorum aliquot clandeſtinis conſilijs, reputat: verùm conſpiratione detecta, & vrbe bene munita, diſcedere non ſine magno ſuo malo cogitur: agros nihilominus prædalidæ copiæ, nemine tunc ruri reſiſtente, hoſtiliter admodum vexant: donec Ordines collectas ſuas vires contrà mittunt: hinc multa loca parum munita relinquere cogitur Auſtriacus: In Brabantia autem, Louanium, Leyvam, Niuellam aliaque oppida retinet: & caſtra propè Thenas ponit, vbi ampliores ex Italia militum copias exſpectat. Interea circa Buſcumducis ſæpiſſimè vario euentu acriter pugnatum eſt.

Hactenus Auſtriaci proſperos ſucceſſus, actaque læta poſt Gemblaci partam victoriam, recenſuimus: nunc quid Belgij Ordines, Archidux Matthias, & Princeps Auraicus interea conſtituerint fecerintque, dicendum. Principio autem de Amſterodamenſis vrbis deditione, qua, poſt dictam Gemblaci cladem acceptam, animi Belgis additi, commodaque maximi momenti oblata fuere, memorabimus.

Amſterodamenſis vrbis ſitus & ſtatus.

Amſterodamum ante Belgicos hos tumultus ditiſſima, potentiſſima, munitiſſima, totius Hollandiæ vrbs, opibus populiſque maximè abundans, ob commerciorum & nauigationum ſummam frequentiam; primò quidem ipſius Magiſtratus, & Minoritarum ſiue Franciſcanorum, quorum præcipua apud populum erat auctoritas, monitu atque inſtinctu, Catholicæ Religionis obſeruationi dedita imprimis fuit: eaque de cauſa principio Hiſpanorum & Albani partes tam acriter fouit, vt hinc, præcipuè Harlemo iam obſeſſo, reliquis Hollandiæ oppidis, & maximè Enchuſæ inimica inuiſaque fuerit: ita vt Enchuſani, Amſterodamenſibus ſocietatem fœduſque recuſantibus, nauigationem ſine mora præcluſerint. Hanc ob cauſam Eccleſiaſtici eiſque deuoti omnes ex omni Hollandia Amſterodamum confugiunt, vrbemque maximo numero complent, quæ quidem miſeriarum & calamitatum Hollandiæ prima origo fuit: maximè cum Amſterodamenſes portis apertis hoſtes admitterent, reciperent, foouerentque. Poſtquam autem ex Pacificationis Gandauenſis pacto, cum Gubernatore tranſigere, eidemque obſequi, & ciuibus profugis libertatem Religionis permittere, atque bona reſtituere tenerentur Amſterodamenſes, nullis rationibus eò induci potuere, crebris magnificiſque Ioannis Auſtriaci pollicitationibus animati. Quamobrem Princeps Auriacus Hollandiæ Gubernator, & Hollandiæ Ordinum Proceres, eos itinerum præcluſionibus aliiſque incommodis refrenare ac coercere conantur: maximè autem cum anni præcedentis, nempè ſeptuageſimi ſeptimi initio, plurima eis benignè obtuliſſent ac promiſiſſent, neque quicquam aut impetrare aut promouere potuiſſent: maximaque difficultas in eo præcipuè conſiſteret, quod ciuibus Reformatæ Religionis, vrbe profugis, Romani Catholici vrbem occupantes exercitium Religionis & ſepulturam mortuorum obſtinatè recuſarent: ſex quoque veteres cohortes præſidiarias in vrbe retinere vellent: ciues præterea reduces ad officia publica obeunda admitti, & ſagittariorum collegia, ciuitatis cuſtodiæ ac defenſioni antiquo more deſtinata, reſtaurari nollent.

Amſterdamū inuaditur fruſtra, vbi Hellingius & Ruychauerus cadūtur.

Cùm autem Auriacus & Hollandiæ Ordines, Ordinum generalium conſilio varias eis conditiones obtuliſſent, neque diſcordiæ finem facere poſſent: tandem Hellingus Tribunus, & Ruichauerus Præfectus militum, vrbem 13. Nouembris anni præcedentis, vi inuadere moliuntur, magnoque militum numero, tribus tantum vexillis apparentibus, vrbem tectè latenterque nauibus aggrediuntur, & porta quadam vi occupata vlterius irrumpunt. Tribunus autem Hellingus cum ciuibus colloquens, vtque arma deponant ſuadens, tormento igniuomo feritur: hinc ocyus ciues cum ſex cohortibus præſidiarijs animos armaque ſumunt, Hollandos audacter inuadunt & vertere terga cogunt: cumque fortè fortuna tonna puluere tormentarij propè portam ignem conciperet, ingenti tonitru perculſi Hollandi, maxima clade accepta expelluntur: ipſe inter alios Præfectus Ruychauerus Amſterodami natali ſuo ſolo, triſti hoc caſu fataliter cadit, rebus præcedenti bello ſtrenuè geſtis nequaquam inglorius.

Amſterodamum deditur certis conditionibus.

Quamquam autem Amſterodamenſibus hæc alea fœliciter, magno hoſtium malo, cecidiſſet, multis tamen varijſq; ſuſpicionibus & difficultatibus intricati, longaque iam terra & mari obſidione cincti, cum hoſte pacifci conſultiſſimum ſtatuunt: itaq; 8. Februar. ann. 1578. pacem ineunt his præcipuè conditionibus: Vt religioni reformatæ addictis liberum ſit extra vrbem conciones habere: & intra vrbem loco prophano mortuos humo mandare: vt ſex præſidiariorum cohortes exauctorentur: alijq; præſidiarij milites 400. aut ſexcenti, ciuitatis cuſtodiendæ cauſa

Digitized by Google

tatis, à ciuitatis præfectis conscribantur: vt vetera sagittariorum collegia restaurentur: & in demortuorum, profugorum, reliquorumque locum, alij absque diserimine substituantur: hæc aliaque plura his similia tunc quidem transacta pactaque, sed non diù seruata fuere. Cùm enim Religionis Reformatæ defensores, alios culparent, quod neq; pactum seruassent, neq; articulo de sagittariorum collegijs satisfeciſſent, sed plurima cõtrarie attentassent, iamq; multi adhuc in vrbe Austriacarum partiũ fautores hostilia indies machinari viderẽtur: oppidani simul iunctis virib. præcipuos Catholicę Religionis Coryphæos, minoritas, sacerdotes, & monachos omnes vrbem exire compellunt: templa statuis imaginibusque vacuant: Reformatæ tantum religionis conciones, durante bello, ad suæ ciuitatis securitatem permittunt, ratione tunc maximè conueniente, & aliarum Hollandiæ ciuitatum institutis conformi: quantumuis enim Vltraiectum, Harlemum & aliæ quædam recõciliatæ vrbes Catholicam Religionem pariter cum Reformata primò retinuissent: tamen detectis tandem hosticis Ecclesiasticorum fraudibus, Catholicam vbique fuspendere, durante bello, necessarium putarunt. His gestis Austriaco incommoda, Ordinibus commoda multa accessere. An. 1578.

Circa idem tempus Ioannes Noircarmeus, Baro Selleus venit ex Hispania cum commentarijs à Rege, & literis 18. Decembris Madriti datis, quibus Ordinum epistolis 24. Augusti, & 8. Septembris scriptis respondebatur. Erat autem responsio talis, vt inde Ordines prædictis suis Epistolis viderentur promisisse in Belgij Regionibus Catholicæ Romanę Religionis confirmationem, atque restitutionem in eundem statum, quo Caroli V. Imperatoris tempore vigucrat. Cùm autem Legatus Sellius id colloquijs & fuorũ commentariorum collationibus mordicus tenere vellet, Ordines de prædictis Epistolis appellarunt: vnde liquido satis apparuit, tale quid ex Epistolis colligi aut intelligi nequaquam potuisse: quandoquidem Gandauensis Pacificationis conditiones semper allegarint: & iuxta earundem normam omnem obedientiam Regi Philippo, sicut olim Imperatori Carolo eius patri felicis memoriæ, præstare cupiuerint Ordines: alioqui enim id effectum reddere impossibile eis fuisset absq; Pacificationis cum Hollandis & Zelandis initæ, atque ab ipsomet Ioanne Austriaco iuratæ, violatione. Verum cùm Ordines ex Sellij actis, & verbis facilè colligerent, neque Regem, neque Austriacum Pacificationem Gandensem ratam habere velle: hanc actionem, belli indictionem reputarunt. Verùm Selleus 18. Februarij Heura ad Archiducem Mathiam scribit: Quandoquidem Ioannes Austriacus literis in Hispaniam missis Regi significauerit, de Ordinum responso in tribus articulis consistente, nempe in Pacificationis Gandauentis obseruatione, Austriaci cum suis militibus abitu, & Matthiæ Archiducis aut alterius, Regionibus grati, & Regis consanguinei, in eius locum substitutione: commodum atque vtile imprimis fore, vt Dux Parmensis inermis ad Ordinum Proceres veniat, & simul coram agant consiliumque ineant qua potissimum ratione Regiones in eum statum quo tempore Caroli Quinti Imperatoris fuerant, possent restitui, dissidiaque tolli: vtque Princeps Auraicus interea se obstrictum sistat in Ioannis Austriaci aut alterius, cui Rex optimè fidat, potestatem. Archidux Matthias & Ordinum proceres huiusmodi propositum nequaquam vtile rati, recusant: maximè cum viderent Principem Parmensem; in quo spem bonam constituerant, quandoquidem matri antea Gubernatrici, honores, officia obsequiaque fedulo semper exhibuissent, & ipse quoque Belgicæ patriæ, ac natali solo, iure ac merito deuinctus esset) se ad Belgium opprimendum, Austriaco comitem sociumq; iunxisse. Itaque hac Sellei actione nihil promotum est: quam, vt omnibus palam fieret, Ordinum Proceres typis edi mandarunt. *Selleus ex Hispania Legationem Ordinibus agit, literas respondet, quæ ad eos missa.*

Cum Cæsarea Maiestas Ottonem Henricum Comitem Svvartzenbergium in Belgium misisset, vt quid Ordines cum Archiduce Matthia alijsque Proceribus in dispendium domus Austriacæ molirentur obseruaret: benignè eis opem auxiliumq; pro suis viribus per legatum obtulit: casumque Belgij aduersum miseratus, se rationes quascunq; maximè idoneas, quibus huic malo mederi queat, fedulò & sollicitè procuraturum promittit: rogans interim, Catholicam Romanam Religionem, & obedientiam Regi naturali Domino ac Principi debitam, in Belgij Regionibus seruare velint. *Otto Henricus Comes Swartzenbergius Cæsaris in Belgium Legatus.*

Hinc Ordinum Proceres occasionem capiunt, excusationem loco responsionis scribendi, atque ad Imperatorem mittendi, quam & typis excusam diuulgabant: continebat autem debitam gratiarum actionem pro suæ Maiestatis solicitudine propensaque voluntate: quodque prædictos duos articulos fedulò ac diligenter ad Pacificationis Gandauensis normam seruassent: quæ ab Vniuersitatibus, Episcopis, & primarijs Theologis, optimoque erga Catholicam Romanam Religionem animatis, ipsius Ioannis Austriaci postulatione, & consilij Regij auctoritate, declarata esset, pro rerum præsenti statu, comprimis Reipublicæ vtilis, & ad Regiæ auctoritatis, & Catholicæ Romanæ Religionis conseruationem commoda ac necessaria: quam Austriacus Regis nomine, & postremò Rex ipse diplomate & sigillo ex Hispania misso, confirmassent, eiusdemque pacificationis leges vbique seruari statuissent. *Ordines respondent Legato Cæsaris.*

Digitized by Google

An. 1578. Vnde quidem Regis authoritas in cordibus hominum, continuis miserijs, & Hispanorum petulantijs, prorsus exanimatorũ ac penè desperantiũ, iam rursus accrescere, & confirmari cœpisset: Catholica quoque Religio à grauiore posthac damno securior reddita esset: quandoquidem eius desertores hac pacificatione sint obligati Ordinum generale statutum sequi, simul ac tempora paulò tranquilliora fuerint. Grauiter autẽ quæruntur, & sigillatim ac prolixè declarant, se quidem suo officio probè functos: Ioannem autem Austriacum simulatis improbisque modis omnia perturbare, vt Regiones in suam obedientiam ac seruitutem redigat, & odium, petulantiam, vindictam in eaſdem exerceat. Se quidem, vt hæc mala auerterent, & prædictos duos articulos conseruarent, pro consueta fidelitate ac obedientia, in Caroli defuncti Imperatoris piam memoriam, & serenissimæ illustrissimæque familiæ Austriacæ fauorem, noluisse deuinciri extraneis Principibus aut Potentatibus, sed cum Illustrissimo Archiduce Matthia Cæsareæ Maiestatis fratre, ipsiusque Regis nepote ac Leuiro conuenisse, eidemque Belgij Gubernationem fiduciariè tradidisse, donec Rex consilio ac consensu Ordinum generalium aliter statuat. quo quidem facto ipse Rex multis de causis lætari delectarique meritò queat: quandoquidem Archidux fideli sua Gubernatione, Catholicæ Romanæ Religioni, & Regis obedientiæ auctoritatique pacificè ac placidè in his Regionibus conseruandæ sedulò studeat: hanc autem commodissimam, & Regi compendiosissimam esse viam, quæ præsenti rerum statu iniri possit: donec ipse alium Gubernatorem, consanguineum, & Ordinibus gratum mittat: quod vt approbare velit, se libellos supplices ad eum, & ad Regem Portugalliæ alioſque Principes misisse, ac sanctè promisisse, se ei obedientes mansuros, & Catholicam Romanam Religionem seruaturos, secundũ pacta fœderaque Pacificationis Gandauensis: Nunc autem postremò D. Selleum cum responſo ad supplices libellos missum ex Hispania, cuius literæ ac commentarij, callida & improba acta Ioannis Austriaci omninò disimularent, ac contra prorsus vrgerent, quasi Ordines suis literis promiserint, se Catholicam Romanam Religionem restituros ac cõfirmaturos eo statu, quo tempore Caroli V. Imperatoris fuisset: id autem nequaquam in eorum esse potestate, sine extremo Religionis periculo, ne scilicet prorsus corruat, si Belgicæ Religiones, præcipuè autem Hollandia & Zelandia, se iterũ duris decretis & Inquisitione vrgeri sentiãt. Quod cùm primæ declarationi, promisioni, honori atque vtilitati Regis directè repugnet: ipsum tamen Ioannem Austriacum nequaquam bello absistere, sed quoslibet debellandi modos tentare, diſsidia discordiasque seminare, pulchro quidem & placido Religionis atque obedientiæ Regiæ prætextu. Proinde Ordinum Proceres habere iustissimas rationes ac occasiones fœdera firmiora ineundi, atq; naturalis defensionis inopia, opem protectionemque aliarũ nationum quærendi, extraneis Principibus se deuinciendi; & à curiosis atque periculosis de Religione disputationibus prorsus desistendi.

Rationes quæ re Archiducē Matthiã Cæsarē fratrem, Gubernationi Belgicæ præfecerim Ordines.

Ratiões quæ re Ordines fœdera cũ aliis natiõibus inierint, Religionem reformatam admiserint, Regem que Hispan. deseruerint.

Nam cum Rex omniũ illorum, qui sitæ Maiestati sedulo fideliterq; operam obedientiamq; præstitissent, imò adhuc in articulis postulatis omnẽ fidem diligentiamq; offerunt ac pollicean tur, exitium quærat, eisq; omnem negotia componendi ac moderandi spem adimat: quid, aliud reliquum miseris, quã vt ad ea confugiant, quæ in extremis huiusmodi difficultatibus iura permittunt, natura suadet, ratio exigit, leges sinunt: nempe arreptis armis suis saluti ac defensioni consulant, duras extraneis seruiendi occasiones propellant, sese, & suas facultates, vxores, proles ab iniquissima crudelissimorum hostiũ immanitate tueantur ac conseruent: maximè cum satis perspectum sit, Ducem Albanum reliquosque harum calamitatum auctores ac procuratores summa apud Regem valere auctoritate, ipsumque Ioannem Austriacum ad horum cõsilia ac iudicia sua præcipuè facta dirigere, vtpotè quibus sanctè promiserit se pœnam acerrimam in hostes, alijs exemplo, statuturum: illosque qui florentissimas Belgij vrbes incendijs deformarunt ac diripuerunt, regiones deuastarunt ac perdiderunt, & manus fidelissimorum atque optimorum Regis subditorum sanguine polluerunt, maximi apud Austriacum fieri, omniaque pro animi arbitrio agere. Quid boni sperandum, cum & vitam & facultates suas videant iudicio crudelissimorum homicidarum subiectas: cumque annis superioribus tot fallacias & simulationes perspexerint, quam securitatis aut fidei spem concipere possent? nullam profectò: nisi ob leuem stultamque credendi facilitatem miseris intricati, omnibus toto orbe Iudibrio esse velint.

Si tamen Cæsarea sua Maiestas, pro singulari quem Ordinibus repræsentat polliceturque fauore, aliquid saltem possit efficere apud Regem, eiusq; animum lenire, & ad misericordiam inducere, vt hostilis hic ignis extinguatur, id opus Deo inprimis fore gratum, & beneficium Ordinibus maximè acceptum fore, quod & memori semper mente tenere, & gratè rependere nequaquam prætermittere cupiant.

Ordinum postulata ad Cæsarem

Interea Cæs. Maiest. submisse supplicant, vt pro genuina sua clementia paternoque fauore miserum Belgij statum restaurare, & signa fraterni animi fauoris, ac studij erga charissimum fratrem Matthiam Austriæ Archiducem re ipsa edere, eique, & Ordinibus generalibus Belgij, tanquam

Digitized by Google

tanquam sacri Imperij membris, fauorem, auxiliumque præstare velit: ad hæc etiam perpendat, vicinum hoc incendium nisi ocyus extinguatur, procul dubio se breui tempore per circumacentes Regiones sparsurum. Maximè autem, vt Cæsarea sua Maiestas, ratione status & loci, quo à Deo sit constitutus, tanquam omnium diſsidiorum & controuersiarum Christiani orbis arbiter & iudex, curam gerere velit, ne Ordinum Belgij iusta bonaque causa, vi aut falsis inimicorum calumnijs opprimatur, &c. An. 1578.

Hoc compendio breuiter comprehendimus ea, quæ Ordines Cæsaris Legato latè pleneque declararunt. Curiosus Lector insuper responsum typis editum legat, cuius incitamento motus Imperator rursum omnes conficiendæ pacis rationes inijt, vt pòst prolixius narrabimus.

Nunc quo in statu res Frisiæ, interea, dum hæc agerentur, fuerint, narrabimus. Dtximus Comitem Rennenbergium Frisiam & circumiacentes Regiones Ordinibus confirmasse: quæ quidem postea Edictum perpetuum pacis cum Ioanne Austriaco initæ acceptarunt. Austriacus autem postquam Namurcum inualit: cùm Rennebergius in Brabantia esset, fœderatos suos, nempe Præfectos curiæ Frisiæ, epistolis instigauit, vt reliquos ad se pertraherent: hi, vt securius sua negotia exequi queant, arcem Leovvaerdiensem inuadunt 30. Auguſt. 1577. verùm eandem relinquere statim coguntur. *Status rerum Frisiæ.*

Billyus Edicti perpetui Pacto è carcere dimissus, omnibut modis gubernatione Frisiæ iterum potiri studebat: Ordinum autem generalium Proceres Ducem Arschotanum Frisiæ Gubernatorem nominarant: verùm quia hic Prouincialibus parum placebat, Comitem Bossium constituerunt: sed cum Prouincialium animi ab hoc quoq; auersi essent, ob facinus olim ab eo Roterodami patratum, tandem assiduis Leovvaerdiensium sollicitationibus Comes Rennenbergius Gubernator & Vicarius constitutus atq; acceptus fuit: hic inprimis studuit milites Bossuij, vtpote sui competitoris, cui parum fidebat, ex præsidijs & regionibus dimittere: tandemq; effecit, stipendijs numeratis, vt munitiones Oostmahornam, quàm Bertelus Entensius hic paulò antè construxerat, Lemmeram, pluresque alias relinquerent, easq; anno 1577. dirui soloque æquari fecit. *Rennebergius Gubernator Frisiæ.*

Vt autem securitate maiori potirentur Regiones, Ordinum consilio rusticos & incolas armis instruxit Rennenbergius, & Præfectos militares Gritenijs, siue vicis, in quos Frisia diuisa est, constituit: postea autem re ipsa compertum fuit, hanc rusticorum militiam pluris costitisse, & minus profuisse quam extraneorum militum: Regionum quoq; Præfectos & magistratus vbique mutauit.

Interea dum Rennenbergius his negotijs occupatur, pars aduersa commodum ex diſsidijs sperans, vetus diſsidium renouat inter Omlandas: nempe Antistites Ecclesiasticos, aulicos, iudices, & populos. Halsamptæ, Marnæ, Middagherlandæ, Huysinghæ Oosteramptæ, Finelingæ. VVesteramptæ, Fiullingæ Oosteramptæ, Langhevvoltæ & Humerschæ ab vna, & ciuitate Groningæ ab altera parte: fuitq; diſsidium, istud primo inceptum anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto. Cumque Omlandenses postrema pacti fœderis scripta Groningensibus renunciarent, iamque ab extraneo hoste liberi prorsus viderentur, odium diſsidiumque feruentius quàm antè exarsit. Cuius quidem culpam nonnulli in Comitem Rennenberghensem transferebant, sed immeritum, vt apparebat: eò autem pertinacius in hac opinione perstillebant, quod Billyus, dum adhuc captiuus esset, Rennenbergio consuluisset, vt Regiones in diſsidijs teneret, dummodo cum auctoritate gubernare vellet. Hæc autem conspiratio nunc tandem palam erupit. Cùm enim Rennenbergius de quibusdam hostium machinationibus, & de Ordinum generalium actis certior per literas esset factus, mox in Cal. Nouemb. Grœningam conuocauit Proceres Ordinum Omlandæ & ipsius ciuitatis Grœningensis: ad quæ quidem comitia Omlandiani magno numero conuenerunt, ignari Cameram Regiam & Ciuitatem Groningam dolos moliri: cumque omnes simul in vnum locum conuenissent, disputationes disceptationesq; oriuntur, antequam Rennenbergius suam causam proponere inciperet: tandem verò pòst longas altercationes, variæ rationes & conditiones pacis ab Omlandensibus propoſ. *Diſsidium inter Omlandenſes & Groningenſes.*

nuntur: Grœningenses autem oppidani, cùm hæ nequaquam placerent, ipsos legatos, antistites, nobiles & syndicos, simul numero 24. apprænendunt & in squalidos carceres conijciunt, auctoritate contempta Vicarij ibidem præsentis, qui id impedire sedulò, sed frustra nitebatur: nec his contenti, propugnaculum Delfzielæ statim dirui volunt, quandoquidem id ab Ordinibus generalibus impetrassent, qui eis omnia quæcunque postularant concessierant: erat enim hæc arx constructa contra pacis fœdus cum Regina Maria Belgij Gubernatrice initum. Proinde Rennenbergius ad strategum Aelkeum VVinckesium scribit, eiq; præstitum iuramentum remittit: ipse autem Aelkeus, nequaquam, nisi conuocatis & consentientibb. Omlandiæ prouincialib. id se permissurum aut facturum ait: cùm verò ei seuerum asperumq; responsum ad hæc daretur, & sui milites pecunijs numeratis eò inducerentur, ipse quoq; consentire cogitur: diruitur itaq; arx a 10. Decemb. 1577. auectis inde 9. æneis, 7. ferreis, & 14. minoribus tormentis. *Omlandenſes Legati Groninganos in carcere conijciunt.* *Arx Delfzielæ diruta.*

Digitized by Google

An. 1578. Ordinum generalium Belgij Proceres de hac iniqua Legatorum Omlādenſium captiuitate certiores facti, eò mittunt 17. Decemb. D. Aldegondium & Doctorem Sillam Secretarium Ordinum, vt controuerſias omnes componant: ſed fruſtra. Maxima autem Omlandenſium Legatorum pars captiuitatem fuga euaſerunt. Omlandenſes alio conuentu VVinſumæ celebratto hanc iniuriam vlciſci decernunt, & Bertelo Entenſio, viro populari atque prouinciali, munus iniungunt conſcribendi duodecim cohortes militum: cumque huic negotio intentus eſſet Entenſius, collectæ eius copiæ diſſipantur menſe Februario 1578. à VValtero Heghemano ſtratego, eò quod abſque mandato Ordinum generaliū conſcriptæ eſſent. Entenſius nihilominus cum aliquot cohortibus Couardam venit: poſtea autem alij nonnulli conſcripti cæduntur à Groeningenſibus, alij ab eo deficiunt, quin & ipſe tandem ab aliquot à ſe conſcriptis, ſibique infenſis apprehenditur, atque in hoſtium poteſtatem traditur: neceſsitate ſumma preſſus, eo quod hic nullum ſupereſſet refugium, munimentum, aut propugnaculum, præter lapideam quandam domum nullis foſsis aut mœnibus firmatam: nam Carolus V. Imper. cum Comiti Benthemio, Religionis cauſa, Linga adempta, ibi ſuos limites conſtituerat: & Rex Philippus Couardæ mœnia dirui curarat, quæ Rēnenbergius poſtmodum reſtauruit. Bartolus Entenſius hoſtibus traditus in maximo erat periculo, vna cum dictis Legatis captiuis, ne capite truncaretur Groeningæ: verùm Archidux Matthias, & Ordinum generalium Proceres interceſſerūt, ab armis ceſſari & controuerſias Auraici iudicio committi iuſſerunt: cumque Groeningenſes Omlandenſium domicilia flammis deformare & diruere minarentur, & incepta quæ diximus malè ſucceſsiſſent, eos deſiſtere coegerunt.

Bertelus Entenſius cōſcribit milites contra Groningenſes.

Bert. Entenſij Couardæ captiuitas.

Rēnenbergius magiſtratū in Frysa mutat.

Rennenbergius interea, magiſtratus vbique mutare pergit: Henricum Oyenbrugium virum nobilem Machlinienſem arci Hęrlinge præficit. Cumque Levvardenſes, nuncio accepto de victoria à Domino Ioāne Auſtriaco Gemblaci contra Ordines generales parta, Ordinibus in promulgando decreto contra D. Ioannem obedire recuſarent, Rennenbergius ſua auctoritate vſus, 21. Martij apprehendi, & cuſtodiæ mandari iubet Igrammum Archelenum, Iovvum Dekemam, Petrum Fritſmam, Focconem Rommartſum, Antonium Lenalium, reliquoſque Conſiliarios, in captiuorum autem locū ſufficit M. Franciſcum Eyſingam, Fecconem Raldam, Ioannem Stenerenum, pluresque alios.

Cunerus Petri Levvardenſis Epiſcopus.

Eodem tempore Cunerum Petri, primum & poſtremum Levvardenſem Epiſcopum apprehendi iubet, eò quod Ordinum gubernationi aduerſaretur. Fuerat hic olim ſacrificus, Logices profeſſor Louanij. poſtea autem Doctor Theologus, & Paſtor Diui Petri, inquiſitorque hereticæ prauitatis factus: tandem exorientibus nouis Epiſcopis, Epiſcopus Levvardæ creatus eſt. Billyus hunc hominem pro ludo iocoque habuerat, eum frequēter ebrium reddere, cum ebrio inſtar laſciuientis vituli ſub menſis, ſedibus, ſcamnis ſaltitare ſolitus: ſed non diù captiuum tenuit Rennenbergius, nam obſidibus datis, in Monaſterium Bergumenſe, rationes quaſdam pecuniarias redditurus mittitur: cumque ei annuè octingenti floreni, quibus ſe familiamque aleret, conſtituti eſſent, Coloniam aufugit, ibidemque mortem obijt.

Rēnenbergius etiā Tranſiſulanæ regionis fit Gubernator.

Interea dum Rennenbergius ſuam Gubernationem adminiſtrat, nonnulli equeſtris ordinis viri & ciuitatum Tranſiſulanarum Primores Ordinibus generalibus addicti, inſtant ſperantque Rennenbergij opera liberari atque exonerari præſidiarijs militibus Germanis Polvvi lerianæ legionis, qui Campæ & Dauentriæ agebant, & manifeſtè D. Ioannis Auſtriaci partes fouebant: poſtulant hi ab Ordinibus generalibus Rennenbergium Gubernationi Tranſiſulanæ Regionis præfici, rationeſque adferunt, Tranſiſulanos ab anno 1527. quo primùm ſe Carolo V. dediderant, ſemper communem cum Friſia Gubernatorem habuiſſe: rogantque ſubſidia mitti, quorum ope Germanos hos præſidiarios miſſos facere queant. Horum poſtulatu gubernatio Tranſiſulana & Lingena Rennenbergio committitur: cumque hæc, die quodam comitiali Ordinibus Tranſiſulanis propoſuiſſet Rennenbergius, maximè parti equitum, nobilium & præfectorum Friſiæ ſummopere placuit: nam multa quæ poſtulabant, abſque vlla difficultate conceſsit: inprimis vt Cancellarius & Conſilium Vollenhoæ à Rege Philippo inſtitutum, prorſus aboleretur. Verùm Svvollenſes ciues, quorum magiſtratus nondum mutatus erat, Rennenbergium recipere ſubterfugiunt: neutri enim parti addicti eſſe maluiſſent: verùm poſt longas tergiuerſationes tandem ſe ſubmittunt. Mox Rennenbergius Germanos Prætidiarios expellere molitur: quod vt facilius præſtare queat, auxilia promittit circūiacens vicinia, præcipuè Hollandia & Friſia: itaque in celebri Procerum conuentu Zurphaniæ 3. Iulij, Comitis Ioannis Naſſovvij inſtinctu & ſtudio, conſtitutum permiſumque fuit, Campam & Dauentriam obſidere cum omnibus Regionum ſumptibus pro rata contribuendis.

Cīpe obſeſſe.

Rennenbergius antequam ſufficiens militum agmen cogere poſſet, Campam ſtratagemate quodam inuadere machinatus fuerat, & nonnullos ſuorum inſtar mercatorum & artificum in vrbem mittere, qui cuſtodibus portæ Venæ iugulatis, ſocios intromitterent: verùm machinationem hanc Licentiatulus quidam, qui Rennenbergij milites in pago Herdenſi viderat, ocyus oppida-

oppidanis indicauit. Proinde VValterus Heghemanus militiæ Præfectus, vallo ante vrbem propè montem carnificinæ confecto, Calend. Iunij obsidionem incipit. Vrbs Campenſis metropolis eſt, vna ex tribus, quas Tranſiſulana regio habet, & ſic quidem vocata ratione Epiſcoparus & vrbis Traiectenſis, cuius Antiſtes etiam hic imperium habere ſolent: quanquam vrbs Campa, vt nunc quidem reputatur, trans Iſalam non ſit ſita, ſed verſus meridiem ad Velauiam, vbi Iſala (quæ à Druſi temporibus Cornu ſiue brachium Rheni eſt) in Zuderum mare labitur: tamen ex veteri quodam canali videtur olim etiam trans Iſalam aut in media Iſala iacuiſſe. Olim, cùm flumen profundius eſſet, inſigne emporium floruit, & adhuc floret, cincta vndiq; altis fortibuſq; mœnibus, magnis turribus lapideis, veteri more, amplis quoque, ſed non admodum profundis foſſis: nulla autem propugnacula habet, præterquam ea, quæ Princeps Auraicus poſt modum extruxit. A parte inferiori ad ripam fluminis inſtar arcus manuarij ſita eſt: flumen hic larum nerui loco eſſe videtur: verſus oppidi medium inſignis eſt pons, fortiſſimis ſublicis in fundum validè adactis firmatus, cui addita ſunt iuga aptiſſima, commodioris nauigationis, & ſumptuum in fundamentis iaciendis cauſa: quorum quædam nonaginta pedes inter ſe diſtantia, tali arte, trabibus in altum faſtigio quodam directis ac cõcameratis, conſtructa ſunt, vt opus ex aëre pendere videatur, neque minus firmum, quàm ſi iugis robuſtis inniteretur. Vrbs habet ſex portas: ſita autem eſt continentem verſus loco admodum humili: hanc partem oppidani quotieſcunque volunt, inundant: mirum autem eſt eos huius obſidionis tempore id non feciſſe. Erant hic in præſidijs, permanſerantque aſſiduè ſex annos continuos, cohortes Chiliarchi Nicolai Polwyleri, & Ioannis Caſpar Farnentij, ſimul circiter 500. Germani. Obierat mortem Caſparus Farnentius, ſucceſſeratque in defuncti locum Ley deckerus antea ſignifer: erat præſidium iſud commeatu rebuſque omnibus bello neceſſarijs optimè inſtructum:

An. 1578.

Campenſis vrbis deſcriptio.

Vrbem obſidione cinxerit Gubernator Hollandiæ Septentrionalis, Theodorus Sanoyus cum cohortibus VVilhelmi VVingardenſis, Arnoldus Duneuordus, Chriſtophorus Teylingenus, Ioannes Renoyus, alijque plures militiæ præfecti. Sanoyus incipiebat foſſorum metallicorum opera prope portum cuniculos agere, vt turrim portę ſuppoſito puluere bombardico ſterneret, nullæ enim ad aggerem foſſæ erant: fuere primi obſeſſores numero tantum mille, non plures.

Obſeſſi obſeſſores crebris eruptionibus & velitationibus, pecudum paſcentium præcipuè cauſa, lacеſſebant, cædebanturque vtrinque multi. Præſidiarij & ciues ſatis conforditer in obſidione ſe continebant: cudebanturque in militum ſolutionem nummi argentei, vulgo clippingei dicti, quadraginta duorum ſtuiferorum integri, medij quoque & quadrantes, cùm hac inſcriptione. *Extremum ſubſidium*: argenteus autem hic materia ex templis & monaſteriis ſumebatur. D. Ioannis Auſtriaci conſolatoriæ epiſtolæ ad obſeſſos miſſæ, quibus ſubſidia ampla promittebat, ab hoſte fuerunt interceptæ: Miſerant & obſeſſi duos nuncios ad Dauentrienſes: inde ſignis bombardarum & ignium reſponſum acceperunt: itaque animoſi tormentorum impetum ab obſeſſoribus præſtolantur. Mox ſex tormentis maioribus Rennenbergij iuſſu Traiecto aduectis, murus inter Caluerheckeram & Haganam portã, ruina trigintà trium paſſuum labefactatur diruiturque opera Thomæ Bothei ſupremi baliſtarij. Magiſtratus vrbis poſtquam foſſam ruinis altiſſimi muri opertam vident, grauiora metuentes, ad Rennenbergium ſcribunt, colloquiumque poſtulant: eo conceſſo, pactum initur, quo Germani 20. Iulij, vita & facultatibus ſaluis ſe vrbemque dediderunt, & non mereri intra tres menſes ſtipendia contra Ordines promiſerunt: tranſactum præterea fuit, vt capti vtrinque abſque vllo redemptionis pretio liberi dimitterentur: & Præſidiarij ſecurè ad limites vſque imperij deducerentur, idque Ordines præſtiterunt. Oppidani autem Vnionis fœdus accipere, & obedientiam fidelitatemque, ſicut Svvollenſes, promittunt. Diſponuntur in vrbe cohortes præſidiariæ militum Vternei, Hottingæ & Mularti. In hac obſidione occubuit Chriſtophorus Telingous, bonus inſignisque ſtrategus, qui cum longo iam tempore ſtipendia meruiſſet, glande in caput adacto prope tormenta concidit. Obſeſſos quidem nullius rei inopia aut neceſſitas ad deditionem coegit: nam partem vrbis diruta, firmiter repararant, neque Germanis præſidiarijs vlla erat cauſa à ciuibus, malum metuendi, quandoquidem eis, Dauentriæ exemplo, arma ademerant: verùm artis militaris non ſatis experti erant, & Caſimiri aduentum, qui cum potenti exercitu Ordinibus auxiliaturus aduentabat, metuebant.

Campa oppugnata.

Campenſis vrbis deditur.

Rennenbergius in capta vrbe rebus omnibus accuratè diſpoſitis, 3. Auguſti Dauentriam contendit cum decem militum cohortibus: hi aggeres & valla conficere incipiunt prope montem carnificinæ, factaque fuit primo die acris velitatio. Antea quoq; duæ legiones Gallorum ſub Caſimiro merentium, quæ non procul Dauentria multo tempore manſerant, oppidanos varijs modis diuexarant, Diepenueenam & Honnepam duo admodum ditia nobilium monialium monaſteria diripuerant, armentaque prope vrbis muros paſcentia abegerant: verùm hæ cum Caſimiro in Brabantiam diſceſſerant. Dauentrienſes longi temporis opportunitate ſe

Dauentria obſidetur.

Digitized by Google

An. 1578. ſatis contra obſidionem munierant, hierocomium & alia quædam domicilia vrbi nimis vicina flammis delerant, multaſque crates viminea terra ingeſta repleta in mœnibus collocarant, idque eo magis, quòd à parte Veluvvæ Heghemanus cum duabus, quibus præerat, cohortibus ciuitati plurima damna diù intuliſſet, exactiones incendiarias in Veluvva extorſiſſet, & triſti clade incolas affeciſſet.

Dauentriæ deſcriptio.

Dauentria Tranſiſulaniæ Metropolis, in occaſu æſtiuo ad monticulum arenoſum, tractu quodam, humilia prata, quæ aquis inundantur, habet. Iſala ipſam actâ labit proximè vrbem. Refert vrbs formam breuis vui, verſus continentem aliquantulum curuata. Sita quatuor miliaribus vltra Svvollam, quinque vltra Campas, ſeſquimiliari infra Zutphaniam: habet foſſas admodum profundas altis muris communitas à porta Bergana ad pontem vſque: circa oram autem latum portum, & Iſalam flumen loco foſſæ: muri vbique alti, frequentibus firmiſque turribus & larga foſſa retro muniti: moles ingens terrea rotunda ante portam Brinckanam, inferius humili paruoque muro circundata: propugnaculum permagnum ab ipſo fundamẽto lapidibus vndique conſtructum in angulo ante pontem Iſalanum, quo etiam obices aquarum in foſsis ſeruantur. Inter propugnaculum & portam Brinckanam turris eſt Norimbergica, admodum magna & alta, vnde montes & quæcunq; circumiacentia facilè proſpiciuntur tormentiſque ſeruiuntur: ita vt hinc obſeſſoribus grauiſſima damna illata fuerint: nullas autem hæc turris foſſas habet: præter exteriorem murum & vallum, ſtructura eſt ingens turribus quoque circundata, verùm abſque foſsis. Eſt autem Dauentria emporium diue, Hanſijs fœdere ſunctum: eratque obſidionis tempore tormentis bellicis, commeatu, rebuſque omnibus neceſſarijs ſatis munitum, verùm pulueris tormentarij non multum habebat. Fuére tunc in ipſa vrbe D. Haurincourtius ciuitatis Gubernator, vir modeſtus admodum, & Auguſtinus Ryckius Rychenſteinenſis militum præfectus, homo nimis crudelis & faſtuoſus, & Michael Segerus Tribunus valde prudens, qui podagra laborans plerunque decumbebat: penes primum nomen, penes ſecundum facta, penes tertium conſilia erant: his vnà aderat Vicarius Ioannis Frederici Schoonauvvi, tunc abſentis & ſublidia procurantis: erantque ſimul circiter nongenti milites Germani, veterani, qui longo tempore ſtipendia meruerant. Ciuium maxima pars vrbem reliquerant, ademerantque prælidiarij ciuibus arma. Rennenbergius vrbem dedi poſtulat, verùm obſeſsi verbis conſolatorijs animati, cùm hoſtiles copias non valde magnas eſſe viderent, reſponderunt, ſe vrbem Regi ſeruare velle. Extra turrim Norenbergenſem iacent aliquot colles, ipſique molæ ſuperſtructæ, foſsis circundatæ, ſed ſine aquis: colles duos Sanoyus 6. Auguſti vallo muniri curat: verùm oppidani tormentorum impetu molas diruunt: hinc vlterius valla conficit verſus Brinkæ portam: interea reliqui militiæ Præfecti aduenlût cum ſuis cohortibus: inter hos Ioannes Vtervvickanus, Ioãnes Eſcheda, & Gerardus VVarmelous, nobiles Tranſiſulani, qui ſuas munitiones ſtatim conficiunt à parte Orientali, montemq; molarem circundant: nec procul hinc ſua caſtra ponunt Cornelius Hanius, Ioannes Schagenus, Mathenesij vicarius: propius riuum Gronſtius, Olthofius & VVeda, Gheldricæ cohortes, quibus præerant Euartus VVagenus, Vitus Raſchornius, & Gerardus Iunius inter Orientem & Meridiem: VVyngardenus autem vltra vrbem proximè Iſalam: Hollandi ſub ipſa vrbe ad Iſalam: Petrus Rueromus cum ſua naui præſidiaria Iſalam ab vltera vrbis parte occupabat. Heghemanus autem vltra Iſalam in Veluvva, vrbis propugnaculum circa extremum pontis habebat, & Calen. Septemb. inſignem Iſalę pontem, cui ſimilis nulla in his Regionibus erat, magis odij quàm com modi cauſa incendit. Die 9. Auguſti 37. tormenta contra vrbem exploſa. Sanoyus conatur oppidanis vſum turris Norenbergenſis, vnde multa clades obſeſſoribus inferebatur, impedire: demoliturque muros, qui latentem acceſſum in turrim præbebant: inferiorem autem turris partem inuadere meditans, iubet cuniculorios & foſſores ab vno monte molari monito ſuffodere ſub ipſam turrim: oppidani ſimul ac proſpiciunt ex alta turri ab hoſte aream effodi, hoſtium cuniculos ſumma diligentia aduerſis foſſionibus circumcirca, ne qua parte errent, excipiunt tandem 3. Octob. obſeſſores adeo prope accedunt, vt quendam ſubterraneo ſpecu haſta in caput adacta occiderent: proinde militum Præfecti eo properãt, ſuffitus venenatos in ſpecu excitant, quibus vtraque pars ad recuperandum anhelitum exire coacta fuit. Poſtridiè rurſus pugnatur in latebris ſubterraneis, & Capitaneis Rychius, hoſtibus expulſis, introitum oſtio ferreo claudi curat. Die 12. & 13. rurſus in fodina fit pugna, obſeſsique opus intermittere coguntur: poſt hæc obſeſſores ad oſtium turris perueniunt, excubitores comeſſantes proſpiciũt: cum verò illos inuadere vellent, quidam cameram (vt vocant) bombardicam apparatam explodit: hinc multi obſeſſorum interempti: poſt longas autem dimicationes cameram vnam auehunt: deinde à parte exteriore ſuffodiunt, quod profectò oppidanis fauſtum felixque fuit: nam turre ſuperata, hoſtis facillimè oppido potiri potuiſſet, quandoquidem turris omnibus propugnaculis multo longior exſtat: cumque hinc maxima damna caſtris inferrentur, iubet Sanoius tectum ſuperius tormentis quati 22. Septembr. diruta autem vna columnarum parte, tectum

Dauentria variijs modis oppugnatur.

tectum postridiè maxima mole commodè exterius concidit, ita vt nemo excubitorum qui intus erant, ruina hac læsus fuerit. Sanoyus à 3. Septemb. die inter hanc turrim & portam Brinckeam, magna rusticorú frequentia fodere terramque aggerere inceperat, vlteriusq; ingerendo in fossam vsque, eam breui implere miditabatur, quod & Turci in munitissimorum locorum obtidione facere solent: quin & propugnacula stationesque fieri curauit, quibus fossores defenderentur, vnde profectò ingens oppidanis metus incussus: proinde cum tanta terræ aggestione se obruendos reputarẽt, magnis copijs 8. Septemb. erumpunt, opus inceptum inuadunt, multos fossores rusticos & milites stipendiarios opprimunt cædúntque, reliquos fugant, propelluntq; in ipsam munitionem: paulò autem pòst ipsemet magna cum clade suorum in vrbem adigunt. Hac eruptione rustici & fossores summopere exanimati & perterriti, se partim subduxerunt: hinc & illud opus & alia multa incepta, rerum facultate deficiente, omissa fuerunt: quanquam illud egregium & militare inprimis esset. Die 24. Septemb. matutino tempore præsidiarij vino, præcipuè cauſtico, inflammati atque animati, per muri aperturam quandam, non procul à turri Nœrenbergensi clàm erumpunt, cum ex alto excubitores dormire perspicerẽt: quod quidem audax incœptum satis felicitèr eis succedit: nam excubitoribus trucidatis, in propugnaculum montis molarij pergunt, & hic quoque sopitos vigiles obtruncant: cohors Rinsvvoude mox fugam capit è proximo molari monte: itaq; reliquos rusticos & milites occidunt, victoriaq; potiti, arma plurima, & cõmeatus nonnihil rapiunt, obuia quæque ſternunt, & igne deuastant: hostes quinque capiunt, quorum vnus ex cohorte V Vede, qui ob frigus in saccum se recondiderat, eodem inclusus in vrbem ab eis delatus est. Interea in castris ad arma conclamatur, statim à V Vingardeno, Ioanne Cunichaino Sanoij summo vicario, Duueuorda, alijsque oppugnantur atque repelluntur. Deduxerant autem hos ex oppido Ytelrichus Schonauvverus, homo intrepidus atq; audax, frater Schonauveri strategi, & signifer Ryckij, & alius quidam Meylenderus, qui paulo ante Gerardum Creytium huius vrbis ciuem & militem veteranum, non sine magna infamia, à tergo glande traiecerat: hic Meylenderus circumdatus cum neutiquam se captum dedere vellet, mucrone interficitur, vnà cum famulo, qui nulla vi aut necessitate coactus in heri sui cadauer procidens, vnà transfossus est, tale fidelitatis exemplũ edere volens: ceciderunt & multi alij, plurimi læsi, reliqui frementes ac dimicantes in vrbem confugiunt, postquam maiores copias instar leonum, ex castris accurrere vident. Verùm prædictus Ytelrichus signifer cum alijs quatuor captiuus custodiebatur, cuius captiuitas Ryckio Præfecto animum prorsus ademit, timebat enim ne Schonauv verus hanc ob causam se negligentiorem præberet in procurando subsidio, cuius rei gratia eum discessisse ante diximus.

An. 1578.

Obsessorum eruptiones.

Factum ridiculum.

Obsessi noctes diesque damna tormentorum hostilium violentijs illata, & alia quæcunque diligenter reparant atque restaurant: ciues, mulieres & pueros laborare tam nocte quàm die compellunt, sclopetis innumaniter impetunt, magnamque iniuriam miseris inferunt: cellaria inuadunt, vina exhauriunt, edulia diripiunt, eaque suis commilitonibus partiuntur: tilias arbores ante fores ciuium, in puluerisbombardici vsum cremandas, violenter ſternunt: quotiescunque ad arma conclamatur, ciues neque in plateis, neque in mœnibus esse volunt, nisi ipsis hic necessariò laborandum sit, alioqui si quos inueniant, transfodiunt. Simul ac hostem extra oppidum fodere vident, aggeribus includi, & fame necari metuunt, turbas plerimas excitant: pauperes quotiescunque, & alios ipsos alioqui vtiles, vrbe expellere conantur: cumque exire recusarent, ad iniquum iuramentum inuitos adigere volunt: ciues, quanquam seruituti iam ferè adsueti, acriter resistunt, cùm tamen arma nulla haberent: intrepidique & tanquam desperantes eorum conatibus se ferociter opponunt: hinc perterriti præfidiarij, 17. Septembr. cum ciuibus pacisc̃untur, nullam vim eis sese illaturos promittunt, ea conditione, vt quisque ciuis puerum aut puellam pretio conducat, qui in propugnaculis cõficiendis operam præsteat: Pecuniam omnem, & argentum quodcunque è templis auferunt, inde pecunias conflunant, quin & postea frumentum & annonam monasterijs adimunt: postremò ciues rursus expellere moliuntur, & pecunias mutuò dari volunt. Ytelrichi signiferi captiui caupa complures vltro citroque tympanistæ mittuntur, vt felicet colloquium fiat, & captiui redimantur: qua quidem commoditate Rennenbergius discordiam in vrbe ferere machinabatur, sed frustra. Cumque varijs sollicitudinibus vrgeretur, & suum munus probè exequi conaretur, plurimis autem indigeret, inprimis equitibus, tormentis bellicis, puluere nitrato, maximè autem pecunijs, & inuidos non paucos haberet, ipse nihilominus summa sua diligentia plurimis incommodis occurrit. Aegrè quidem ferebat Hollandos auocare suas cohortes, verùm post harum discessum aduenit legio Gallorũ D. Maximiliani Estourmeleni sub Antonio Glimesio supremo vicario: venit præterea huc ex vrbe Bredana Ioãnes Cornputus insignis strategus cum ducentis stipendiarijs, qui vrbem Busscoducensem Ordinibus firmiùs subijcere moliti fuerant, sed culpa & errore ciuium frustrati nihil præstiterant. Hic Cornputus miles strenuus, & architectus solers ac ingeniosus Aloſtum muris propugnaculisque firmauerat, atque ea potissimum de causa optatus

Præsidiarij, & nues Duacenſes inhumaniter tractãt.

An. 1578. tatus gratusque admodum nunc huc aduenerat. Proinde 9. Nouembr. mittitur vna cum Villerfio Rinsvvoudæ vicario, & Ioanne Slooto Vollenhouæ Præfecto, vt vrbis loca mœniaque simul lustrent, & qua parte machinis tormentisque dirui facillimè possint, prospiciant: hi reuersi, pontem Berganum, & domos non procùl à portu primò omnium euertendas dicebant, eo quod nulla aut parua admodum esset fossa: & duobus etiam locis labefactandum esse murum prope portum, vt huiusmodi introitu æ des hæ facilius impeti queant: præterea turrim Norenbergensem à parte inferiori qua tenuior infirmiorque erat, diruendam. Verum contrariæ opiniones obstiterunt quo minus hæc effectui redderentur: erant enim quibus vrbem vi expugnari nequaquam placebat: itaq; contrarijs labefactationibus vrbs oppugnatur: neque, etiam si qua parte ruinis patefacta fuisset, oppugnationi operam serió dedissent: quod nonnulli excusare volentes dicebant obsessis tantummodo metum incuti debere, vt eò facilius vrbem dedant: itaq; frustra tot tormenta in mœnia propugnaculaque fuere explosa. Rennenbergius postquam videt obstinatis consilijs impediri, ne vrbs ijs, quibus maximè conueniebat modis labefactaretur aut quateretur, Cornputum rogat, vt fodiendo iter aperiat quo ad muri ruinam perueniatur: respondet Cornputus, se id fideliter conaturum: aliamque adhuc rationem inuenturum, qua oppidanis maior metus incutiatur, quam si tormentorum vi oppugnentur: nempe deriuando defectendoq; aquas ruinę vicinas: in quo quidem opere sedulò perstitit cum Hottinga, vsq; ad obsidionis finem. Ab altera, nempe vlteriore vrbis parte erat Scynco Dordracensis, Zutphaniæ Præfectus, qui 12. Nouemb. portam arenariam locaque vicina tormentis labefactabat, ita vt globi in ipsum vsq; forum peruolarent: diffissum autem maius quoddam tormentum nonnullos suorum strauit. Explosione hac tres totos dies continuata, & ne nocte quidem intermissa, ingentes partes muri dirutæ fuerunt: omniaq; ad expugnationem apparabantur, quanquam accessum commodum nondum haberent: nihilominus Præfidiarij hinc perterriti deditionem meditari incipiebant.

Nouemtrium tormentis vexberare statuunt obsessores

Interea dum vrbs tali obsidione cingitur, nuncius venit, Ioannem Austriacum Cal. Octob. mortem obijsse: id autem obsessi nequaquam credebant, sed subsidia exspectabant, nuntio accepto à Schoonauvvero, qui Carpæ milites subsidio mittendos colligebat: eratque Botdorpæ cladem suorum passus, nihilominus tamen Crentborgæ rursus copijs conscriptis, Lintdorpum prope Ratingenam venit: hinc in castris perturbatio sollicitudoque ingens oritur: consilioque inito, maxima pars in castris, permanendum censet, donec agmina hæc subsidiariæ propius accedant: approquinquante autem hoste, ab obsidione recedendum, quandoquidem equitatu careret, & propugnacula non satis firma munitaque esset: alijs nequaquam ab obsidione desistendum castraue amouenda, sed potius forti aggere munienda, & subsidiarios aduentantes oppugnandos existimabant: fuitque horum opinio tunc potior habita. Cornputus autem Hottinge & Rinsvvoudæ vicarius consultissimum reputabant, quędam propugnacula ante ipsam vrbem firmare, quibus commeatus inuectio prohiberetur: & incolas tam nobiles quam rusticos cum aliquot militum cohortibus hic constituendos, naues quoque præsidiarias atque liburnicas in flumine disponendas: atque tunc agmine valido hosti aduenienti obuiam eundum, neq; exspectandum donec propius vrbem veniat: quin potius in angustijs palustribus & locis idoneis cædendum, aut remorandum: hostem enim prope vrbem obsessam exspectare, periculosum esse: & quicunque id fecere, semper tam ab obsessis quam ab aduenientibus subsidiarijs grauia damna tulere. Hæc sententia castrorum Præfectis, & nobilium ciuitatumque deputatis optima & tutissima visa est, eamque sequi simul constituunt.

Subsidia profligata Botdorpæ.

Obsessores consultant de subsidijs intuendis.

Verùm paulò pòst adferuntur nuntia, Ioannem Stuperum cum trecentis plus minus militibus ex Satrapia Rhenum transijsse, & Lintdorpæ circiter 1100. milites à Schoonauvvero collectos, festinatione atque calliditate summa præuertisse, straussse, fudisse magna parte adhuc inermes: nam paulò antè nauis armorum diuerso genere onusta ad eos missa, fuerat in Rheno intercepta. Consultabant quidem sæpè & variè obsessi, quibus modis erumpere & obsessores inuadere, ipsumque Cornputum non longè à Telonio anteuertere & opprimere possent, multaque his similia machinabantur, quæ breuitatis causa hic omittimus: Tandem verò cum D. Iohannem Austriacum mortem obijsse certo intelligerent, vrbem dedere statuunt: nam sibi à ciuibus, quibus magnam iniuriam & violentiam intulerant, summopere timebant, præterea pulueris tormentarij parum admodum habebant: & Cornputum fossionibus assiduis pergere videbant: peruenerat enim ad exteriorem vsque vrbis loricam, qua perfossa, aquæ deriuari, & cuniculis occultis penetratis, mœnia puluere nitrato immisso prosterni, & latente via ruinæ inuadi potuissent: existimabant itaque se suo officio atque honori militariter satisfeciss e, & cum obsessoribus pacisci cupiebant, quanquam omnes vrbis labefactationes & ruinæ, superatu difficiles, & optimè restauratę essent, ingentesque loricas, & sępimenta militaria satis firma haberent, neque magna fame aut inopia vrgerentur: omnia enim adhuc pecunijs venalia erant in vrbe, & frumenti modius ad summum 10. florenis vendebatur. Scriptis itaq; ad Rennenbergium literis 14. Nouemb.

Digitized by Google

14. Nouembr. inducias petunt: tractatur de deditionis conditionibus vsque ad diem decimum nonum. Obsessi tam ciues quam stipendiarij milites multa audacter confidenterque postulabant, quæ Cornputus non tam facilè concedenda existimabat: nam eos gratiam supplices rogaturos affirmabat, si saltem ei medium diem pro suo arbitrio tormenta in vrbem explodere liceret. Verùm cùm Rennenbergius finem obsidioni facere mallet, pactum initur: præsidiarijs conceditur vrbem exire, complicatis vexillis, & ignitis sunibus bombardicis, sacramento præstito se intra tres menses stipendia non merituros contra Ordines generales, fideiussoribusque datis se nihil damni incolis illaturos: deducerentur autem Bocholtum vsque in fines Imperij, curruſque & reliqua necessaria præparaꝛentur: itaque 20. Nouemb. vrbem exierunt 600. & amplius, viri sani, robusti, & bene armati: vnde ciues maximè gauisi. Rennenbergius mox vrbem ingreditur comitatus turma centum equitum, & suprema cohorte suorum peditum: his iuncta fuerunt Rinsvoudæ, Eschedæ, Mulartl, Schageni & Oltholi agmina: Catholici enim tantùm in vrbem admittebantur. An. 1578.

Articuli deditionis Daventriæ.

Postea ciues timent ne spolientur à VValonum legione seditionem ob stipendia non soluta meditante, qui quotidie portis etiam clausis, per murorum ruinas, præsidiarijs conniuentibus, intrabant & exibant: quos cum Scoti & alij inuaderent ac profligare vellent, Cornputi prudenti deliberatoq; consilio huic factioni occurritur, & honorarium quoddam munus eis datur. Itaque VValones discedunt extra regiones: reliquæ autem cohortes partiuntur, sub Gubernatione Rennenbergij ad Guinderam in Drentha, Linghenæ, Zalantæ & Tvventæ. Rennenbergius paulò post Antverpiam proficiscitur, & publico Prouinciarum ærario vna cum Marchione Haureo præficiturlætusque victor triumphat. Cùm verò frequentes deferrentur querelæ, præsidiarios cum ciuibus Dauentrienſibus non posse concorditer viuere, sed ciuitati non minorem violentiam inferre quàm antè Germani fecerant, Rennenbergius, necessitate vrgente, sex suas cohortes vrbem exire iubet, ea tamen conditione, vt ciues Archiduci Matthiæ, Principi Auraico & ipsi promittant iurentque, se ex vrbis incolis cohortes quasdam instructuros, & generalibus medijs operam daturos: literisque consignatis testentur, eum coactum vi à Prouincialibus, præsidiarios tollere, ex Dauentrienſi & Campensi oppidis, pollicearique; se præsidia rursus recepturos, quandocunque Proceribus ita visum esset: deuincianturque & seipsos & suas facultates firma pigneratione aut reali exequutione: quæ quidem omnia literis consignatis traditisque confirmata fuerunt.

Præsidiarij Dauentriam & Campas reliquunt certis conditionibus.

Supra diximus Groningenses vicinarum regionum Legatos in sua vrbe apprehendisse, & D. Aldegondium & Doctorem Sillam eo ab Archiduce Matthia missos fuisse: postea autè Archidux rem in sua curia disceptari voluit, negotiumq; omne Principi Auraico, Comiti Svvartzenborgio, Liefveldio Consiliario & Iacobo Ymanno commisit: hi 30. Maij quasdam concordiæ rationes statuerunt, easque Archidux 24. Octobris confirmauit, nempè.

Vt partes vtrinque ab omni hostili actione desistant, suas controuersias omnes iuri iustitiæque committant, idque coram Delegatis ex Concilio Ordinum, secreto, aut amplo Machlinienſi, qui eas dirimant finiantque spatio duorum annorum: interea autem temporis Groningenses vsucapione prætensi iuris absque aliquo impedimento fruantur, sicut prius, maximè autem ante annum 1571. Omlandenses autem, liberam quoque possessionem capiant omnium bonorum anteà detentorum: laxentur dimittanturque capti omnes etiam ipse Bertelus Entensius, & literæ, protocollaque omnia reddantur, &c. Exequutio autem huius Rennenbergio commissa fuit.

Concordiæ rationes inter Groningenses & Omlandenses.

Groningenses proximo mense Ianuario, conditionibus his acceptis, captiuos dimittunt, vnaque Bertelum Entensium, cautione data: similiter Omlandenses faciunt, qui vt securiores essent, proximiorem vnionem Traiectensem paulò pòst factam acceperunt: id factum Groningenſes adeò ægrè tulerunt, vt hac sola de causa eandem vnionem obstinatè recusarent: adeò inuidia odiumque vtrinque flagrabat: qua tandem occasione motus Rennenbergius Groningenses obsedit, & quodammodo vi coercuit coegitque.

Ordines generales tunc temporis annates, siue caduca Pontificum Romanorum iura in sacerdotia, suspendunt, eaque Romam mitti vetant.

Annates suspenduntur ab Ordinibus.

Eodem anno circa mensem Iunium natus est Regi filius in Hispania, nomine Philippus, matre Anna Austriaca, Cæsaris Maximiliani, eiusdem que Regis Philippi sororis filia. Infantis parens initialis fuit VVencellaus Reginæ frater, breui post vita detunctus.

Ordines Generales Antverpiæ constitutionem & declarationem nouam decernunt, eandemque 21. Aprilis promulgari mandant: vt Gandauenſis Pacificatio & sequens securitas seruentur: vetant ne quis cum hoste commercia habeat: ne quis in concionibus sermonibusue scandala, conuitia aut probra seditiosa in Archiducem Matthiam, Principem Auraicum, Ordinumue Proceres dicat: vt omnes & singuli in Gandauenſem pacificationem iurent: sperantes, cupientesq; omni conatu Catholicam Romanam Religionem, extra Hollandiæ & Zelandiæ, limites,

Statuta Ordinum de Religione & Pace.

Digitized by Google

An. 1578. limites, incolumem conſeruare, confirmare, tutamq; reddere: vt tunc quidem Belgarum communis affectus animuſque erat: quanquam poſt, violentia ac neceſſitate belli, voluntates ſtudiaque ſint mutata: iniunguntque eadem hac conſtitutione & decreti auctoritate omnibus iuſtitiæ Præfectis, vt iuris rigore, & exequutione agant In eos, qui extra Hollandiam & Zelandiam aliquid attentent contra Catholicam Romanam Religionem eiuſque exercitium, aut alliquem verbis factiue prædictæ Religionis cauſa offendant ſcandaloue lædant: eoſdemque tanquam publicæ quietis perturbatores, aliis exemplo, puniant: ſcandali autem offendiculique nomine, conciones, matrimonia, baptiſmata aliaque exercitia Reformatæ Religionis compræhendunt. Quanquam verò hæc ſanctio conſtitutioque admodum ſæuera, imò maiore cum rigore, quàm generaliter decretum erat, fuerit promulgata: parùm tamen ex Ordinum ſententia vtoroque ſucceſſit. Cùm enim vbique in bello gerendo Hollandorum, Zelandorum aliorumque Reformatæ Religionis virorum fidelitate atque opera imprimis opus ineſſet: & reliquorum præcipuè Gallorum, qui veteris Romanæ Religionis ergò, Auſtriaco valde addicti erant, perfidia negligentiaque indies magis magiſque deprehenderetur: eaque de cauſa Reformati ad publica munia obeunda deſtinarentur (quod & Regi ſignificatum fuerat) quandoquidem hi tum Religionis, cuius conſeruationi vitam facultateſque impendere parati erant; tum chariſſimæ patriæ cauſa, fideles ſe præſtare tenerentur: res tandé eo deuenit, vt Senatus, Magiſtratus, Præfectique publicis officijs, ex Reformatorum numero crearentur: nonnullis autem ciuitatibus, vbi Magiſtratus aut negligens aut contrariæ Religioni nimium fauens, tam facilè officio dimoueri non poterat, delecti octodecim viri præfuêre, quibus tota belli adminiſtratio fiduciariè committebatur, vt Gandaui, aliiſque locis. Bellica autem neceſſitate acrius vrgente, Reformatorum numerus, cum vndique à vicinis Regionibus in dulcem patriam remearent, ita breui creuit, magno Romanæ Religionis malo, vt Archiduci Matthiæ & Ordinum Conſilio ſupplicibus libellis menſe Iunio oblatis, præter Procerum (qui prædictum decretum ſtatuerant) opinionem, ſuæ Religionis liberum exercitium poſtularint. Eo autem, decreto, non tantum graui mulcta cautum fuit, ne quis cum hoſtibus commercia habeat, ne Eccleſiaſtici aut ſeculares in concionibus aut ſermonibus quicquam dicant, quod ad ſeditionem, aut ad reuerentiæ obedientiæve Archiduci Matthiæ Gubernatori, Principi Auraico, & Ordinibus Generalibus debitæ diminutionem, aut ad Ioannis Auſtriaci fauorem aut commodum tendat: ſed inſuper etiam edictum, vt omnes iudices, Magiſtratus, & iuriſdictionum præfecti, etiam Eccleſiaſtici, ſaluis interim priuilegijs, (quò ſic certior firmiorque ſimul omnibus ſecuritas præſtaretur, omniſque ſuſpicio amoueretur) ſolenni ſacramento iurarent, confirmarentque Pacificationem Ganduenſem & ſequentem declarationem ac ſecuritatem: promitterentque Regi & Archiduci Matthiæ Gubernatori fidelitatem atque auxilium, etiam capitis & facultatum periculo, contra Ioannem Auſtriacum eiuſque ſocios, hoſtes publicos: omneſque qui huiuſmodi iuramentum præſtare aut recuſarent aut differrent, hoſtium numero habendos, atque exilio, bonorum publicatione, aliiſque pœnis pro iuris legumq; ratione mulctandos curarent.

Occaſiones mutatæ Religionis in Belgio.

Decretum de non habendo commercio cũ hoſtibus

Ad decreti huius, 22. Aprilis typis excuſi, & ad Pacificationis Gandauenſis, Vnionis, mutuæ ſecuritatis, ac fidei datæ præſcriptum, Eccleſiaſtici aliiſque iurare coguntur. Cùm vero Ieſuitæ, Antvverpiæ aliiſque locis iuramentum præſtare recuſarent, ſeque Pontifici Romani, Ioannis Auſtriaci amico & auxiliatori iuraſſe reſponderent, obſtinateque perſeuerarent, neque Antiſtitum Eccleſiaſticorum Belgarum, aliorumque magnificis ac variis perſuaſionibus ad iurandum induci poſſent, tandem die Pentecoſtes 18. Maij, omnes ſimul extra vrbem, ad actam ceremoniariam deducuntur, & nauigijs Machliniam, inde verò, Auſtriaci mandato, Louanium vehuntur.

Ieſuitæ iuramentum præſtare recuſant, extra vrbẽ Antvverpienſem deducuntur.

Hæc quidem Ieſuitarum ſecta, primùm Duce Albano gubernante radices agere cœpit diuerſis Belgij locis ac ciuitatibus: Emptaque Antvverpiæ ampliſſima Aquiſgrana domo, à Schetorum familia Aquiſgrano Antvverpiam migrante, antè magnificè extructa, ſuis vſibus conuenientiſſimè accommodarunt Ieſuitæ, opimis donati atque ditati prædis ſpoliiſque ciuitati Mechlinienſi ereptis. Cùm enim Ieſuitæ Hiſpanorum militum iniquiſſimam impietatem aque inhumanitatem Machliniæ aliiſque locis perpetratam, publicis paſſim concionibus acerrimè reprehenderent, Hiſpani, propitiatorium ſacrificium, maximam prædæ partem, Ieſuitis obtulere ac dono dedere: præterea etiam in Harlemenſi obſidione aliiſque pugnis ac prælijs Hiſpani plurimi cæſi moribundique teſtamentis ad conſcientiæ vrgentis tranquillitatem conditis, ſtipendia nondum perſoluta, & furta ſpoliaq; Ieſuitarũ ſocietati teſtamento legauêre. Sciebant autem Tribuni Senatoreſque Antvverpienſes, quibus ciuitatis cura commiſſa erat, Ieſuitarum ſectam toto terrarum orbe ſparſam, conſilia factaque mortalium omnia ſocijs renunciare, imò res quaſlibet non tantum ſcriptu dignas, ſed etiam prorſus friuolas, quæ in alijs regionibus, ciuitatibus, cænobijs, imò familijs ac domibus aguntur, vltro citroque literis nunciiſque miſſis ſignificare: id verò Antvverpianæ ciuitatis maximo malo fieri

Ieſuitæ periculoſi in Reipublicæ ſtatu.

vrbis

vrbis præfecti reputabant exemplo, ab aliis Principibus & ciuitatibus, resultas sinistras nec recipere recusantibus, sumptoque maximè ab ipso Cosma Medicis Ducis Florentiæ Heroë imprimis politico & Catholicæ Romanæ Religionis obseruantissimo. An. 1560.

Minoritæ similiter Antverpiæ primò quidem iusurandum simul omnes recusant: verùm viginti, multis persuasionibus inducti, tertio pòst die id præstant: nouendecim verò inter quos Gardianus, renuunt: eaque de causa extra vrbem deducuntur relegantur quoque: hinc grauis inter ciues seditio orta: multis, omnes simul expellendos, efflagitantibus: verum duobus ex seditiosorum numero apprehensis, postea que capite multatis, sedatus est tumultus. Simili quoque modo in aliis ciuitatibus res euenere.

Monachi in ciuitatibus Flandriæ ab Hæreticis expulsi.

Brugis Flandriæ oppido, mense Maio enorme Franciscanorum siue Minoritarum factinus palam factum est à Monachis laicis, qui cum rigide nimis ab aliis tractarentur, nonnullos sodomiticæ libidinis accusarunt: proinde toro gregecapto, extraque cœnobium deducto, & examinato, inuenti qui crimen faterentur. Gandaui quoque idem compertum: hic pro Regionis lege ac consuetudine contra reos iudicio actum est coram ciuitatis magistratu: postea causa cognitionem Curia Archiducis Matthiæ accepit: atque totius negotij discepratione & exequutionem Iodoco Huysmanno, & Egidio VVyttio, prouinciæ Flandriæ consiliariis commisit: lata postremò sententia, Franciscani quatuor & Augustinianus vnus Gandaui publicè exaruntur: nonnulli etiam virgis cæduntur.

Huius tam abominabilis peccati causa, quatuor mendicantium, ordinum Monachi omnes exilio multati, oppido Gandauensi excluduntur. Similis quoque exequutio Lugduni facta: Franciscanis tribus combustis, tribus etiam virgis cæsis, exilioque insuper multatis ob idem crimen. Et hi quidem confessi sunt, abominabilem hanc rem in ipsum monasterium olim ab Italis quibusdam Monachis fuisse inuectam. Adeò execrandæ libidinis causa, olim etiam, Cæsare Maximiliano imperante, eiusdem cœnobij Monachi fuere expulsi.

Historia fratris Cornelij Dordracensis, & quæ illi contigerunt gesta.

In eodem cœnobio Brugensi, hac tempestate fuit Minorita frater Cornelius Adrianus Dordracensis, absurdis incredibilibusque suis concionibus toti Belgio celeberrimus: cuius gesta nonnulla hic paucis referenda putauimus.

Frater Cornelius monastica cuculla, anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, velatus, homo ingenio loquax, facundus, animi conceptus intrepide ac diserte eloqui callens, ilicò eximius venerandusque concionator habitus: frequentissimis suis concionibus spiritualem religionsumque statum, sæculari ac irreligioso, quibuscunque poterat rationibus præfert: paulam cælibatum sexcentuplo ad regni cælorum mercenda præmia commodiorem esse matrimonio perpetuis solicitudinibus & incommodis animæ salutiadiu stantibus obnoxio, auditoribus persuadet, matrimoniali voluptuoso & irreligioso statui, castum, purum, incontaminatum religiosum ad vitam æternam impetrandam, maximè idoneum quotidianis concionibus accerrimè opponit.

Huius Aretalogi multis ac varijs argumentis, exemplis, parabolis, complures honestæ matronæ pellicuntur, & putillanimes, mœstæ, phanaticæque ad Religiosam insaniam rediguntur, innuptæ puellæ perpetuam virginitatem seruare, viduæ secundas nuptias vitare proponunt.

Præcipuæ autem matronæ, virgines & viduæ, (pleraque eximiæ, honestæ, & formosæ) quæ partim conubij & solarij, partim propositæ castitatis causa præceptorem hunc piumq; ætabantur, frequenti confessione peccata commissa in culcatissimum pœnitentes effundebant.

Ipse autem mulierculis singulis & sibimet satisfacere volens, Ordinem Deuotarum instituere meditatur: perplexas matronas consolatur: docetque eas quidem saluari posse, si sollummodo inclinationi siue concupiscentiæ ad naturalia carnalisque coniugij opera, non vsui aut operi ipso resistant: Deum enim opus per se, instituisse: naturam autem id corrupisse ac contaminasse pranis suis affectibus: hos proinde superandos atque domandos, & matrimoniali opere ita vtendum quasi non vtaris.

Cùm autem istud homini, neque possibile, neque conueniens esset, annosis & minus formosis, vt suo pastori, absolutionis impetrandæ gratia, frequenter delicta confiteantur consulit: eas autem quas suarum Deuotarum numero habebat, docet, quandoquidem internis huiusmodi vitijs, in carnali corpore resistere, non possent, corpora ipsa externa pœna siue pœnitentia necessariò castigari debere. Matronis autem anxijs, pauentibus ac lubenti animo consentientibus, seque suæ obedientiæ, haud grauate dediturasq; pollicentibus, præcipit vt singulis mensibus, maritorum consensu, ipsi soli sua peccata confiteantur: postea-

An. 1578. tur: posteaque, temporis successu, confitentibus, iuratæ obedientiæ rigore iniungit, naturales, carnales luxuriosasque omnes cócupiscentias prodigalitates ac voluptates, rudibus apertisque verbis, pudore omne deposito, declarent: vt sic peccatis omnibus & singulis exactè enucleatis, eas absoluere & castigare, ac malis, instar boni medici, mederi queat. Postquam iam fœmineum genus animo conscientiaque trepidum & anxium hæc iussa religiosè capessere videt, vlteriùs tendit, docetque ad occultum luxuriæ siue rei Venereæ peccatum, occultam quoque purgationem sanctamque disciplinam pertinere, mundanis siue sæcularibus hominibus prorsus incognitam, vtpote qui spiritualia ac diuina neque capiant, neque intelligant: offenderentur enim si intelligerent. Proinde silentij fide data, necessarium esse, vt omnes iurent se occultam hanc disciplinam siue secretam pœnitentiam neque maritis, neque parentibus, neque Ecclesiasticis in confessione, neque alicui mortalium vlla ratione manifestaturas aut indicaturas: itaque Deo & diuis in testes vocatis, iureiurando quoque præstito in deuotarum siue disciplinarum numerum recipiuntur. Viduis venustioribus castè viuere cupientibus persuadet, viduarum, quam virginum, plures grauioresque esse oppugnationes atque tentationes: eoque maiora etiam earundem apud Deum merita: certaminis quoque acrioris causa, viduitatem longè superare meritis statum coniugatarum, quibus datum sit voluptatem restinguere. Itaque omnes se occultæ disciplinæ ac secretæ pœnitentiæ submittere, & causa impurarum internarum cogitationum, confessione nngulis duabus septimanis semel coram ipso facta, pœnas dare prorsus necesse esse: iureiurando quoque promittere ei soli confessuras, & clandestinam hanc disciplinam cælaturas: his demum conditionibus ei sanctè deuoras fore, his similibusque modis virgines iuuenculasque blandè pietatis & meritorum prætextu pellicit. Triaque hæc mulierum genera, diebus pro arbitrio statutis, in domum huiusce modi exercitio aptam, à deuota aliqua habitatam, maximè Callæ siue Catharinæ sarriciis, conuenire iubet, in huius enim domum per posticum aditus ei ex suo cœnobio patebat: hic deuotas fasciculos virgarum colligare; & in cellam disciplinariam deferre iubet: summaque verborum grauitate persuadet corpora vestibus nudanda, & ad disciplinam dignè accipiendam præparanda; vt huiusmodi nuditate pudor simulatioque omnis deuincatur propellaturque: tum longa concione habita, instructæ, vestibus depositis, ei virgas in manum dant, & vt corpora peccatis obnoxia castigare velit, supplices rogant: ille magnificentia cæremoniali rem lentè manfueteque exsequitur, certò quodam leuium modiceque lædentium verberum numero: atque ex veterum patrum scriptis, Deum nudatarum pœnitentium humilitatem, quàm verberum duritias malle, aliaque his similia allegat.

Hyeme autem cum nuda corpora frigus difficile ferunt, piæ disciplinæ in magnum puluinar procumbunt, & natibus veste nudatis, disciplinam demissis dat benignus pater: id etiam aliquando æstate ipsa præstat matronis, quibus diu domo abesse non licet.

Fit quoque nonnunquam, vt, patris iussu, deuotæ seniores ab ipsa matre familias disciplinam accipiant. Tandem hic, deuotarum atque clandestinæ fratris Corneli disciplinæ, ordo multis annis seruatus, à duabus honestis puellis Elisabetha Masij, & Catharina Petri reuelatus est.

Hæc Elisabetha, quod simplex, sincera, ætate matura, prudens, proba & consulatoria esset, ægrotis curandis præfecta fuerat: cumque vetulam quandam, extremum vitæ tempus sibi imminere reputantem, curaret: rogat iniungitque ei ægrotæ, vt simul ac ad finem mortalitatis accedere inciperet, minoritæ cucullam in lecto paratam seruatamque, sibi induat, aut si id, non facile fieri posset, brachium saltem aut manum in ipsam cucullam ingerat, vt eo facto, tres commissorum peccatorum partes sibi remittantur, quarta autem in purgatorio expietur. Elisabetha vetulæ anxietate ac solicitudine perspecta, huiusmodi dissuadere satagit: atque morita satisfactionemque solius Christi proponit: quare vetula summoperè commota ac irata, fratri Cornelio, simulac conualuit, de Elisabetha conqueritur: Cornelius Elisabetham grauiter increpat, passimque accusat tanquam hæreticam Erasmianam, Paulinam, &c. illa autem vbique causam suam acriter defendente, his demum turbis disciplina clandestina deuotarum omnibus palam facta fuit.

Postea etiam Catharina Petri, iuuencula formosa, nonnullis leuitatibus ac vanitatibus in fratre Cornelio perspectis, offensa, filia honestæ viduæ, quæ sincera simplicitate se huic deuotarum ordini addixerat, quamque frater Cornelius primò difficulter admodum pellicere, neque prius ad denudandum corpus inducere poterat, quam alias virgines vestibus exutas videret: vnde virginali pudicitia perfusa animoque perculsa, deliquium passa est: Hæc de fratris Corneli leuitate certas ob causas conquesta, huius instituti firma quædam documenta requirit: quæ cum ille, quocunque poterat modo, ex veteribus libris allegasset: puella nondum animo quieta, clandestinæ disciplinæ ampliora argumenta postulat: ille loca quædam sa-

Digitized by Google

dam ſacræ ſcripturæ, quibus flagellorum mentio fit, adducit. Catharina, vt erat acri ingenio, his ſibi nequaquam ſatisfieri affirmat: hinc ira feruens ille, eam quoque Paulinam, Eraſmianam & hæreticam contumeliosè proclamat. Quapropter virgo, rectius inſtrui cupiens, Patrem Gardianum cœnobij Franciſcanorum ſecreta confeſſione conſulit: & ne res palam dedecori vertatur toti cœtui, omnem deuotarum deferit. Hinc ira accenſus frater Cornelius eam anathemate fecit, communitate deuotarum interdicit: neq; hac vindicta exſatiatus quieſcit: ſed Catharinam & Eliſabetham in publica concione acerrimis conuitijs proſcindit. Magiſtratus poſtquam hæc reſciſcunt, puellas ambas in ius vocatas examinant, & rem omnem ante geſtam, ſedula inquiſitione, & teſtium plurimorum confirmationibus diligenter edocti, honorem ciuium matronarum & virginum ſtatuunt tuendum: proindeque apud cœnobij præpoſitum de fratre Cornelio grauiter conqueruntur: qui eum Brugis Ypram relegat, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio. An. 1568.

Tertio poſt anno, nempè 1566. turbis primum in Belgio exortis frater Cornelius, abſque vlla licentia aut miſſione Brugas redit: hic in ſuggeſtu ſacram ſcripturam populo concionaturus textumque expoſiturus, acerrimè in magiſtratus Burgenſes ſuorum geſtorum inquiſitores debacchatur: inquiſitionem, placita, concilium Tridentinum, regiam voluntatem ſtrenuè propugnat: & his de cauſis indies non tantum in Brugenſem magiſtratum, verùm etiam in Ordines generales, Flandriæ quatuor membra, nobiles fœderatos, in ſummos denique Reges, Principes, Dominos, Dynaſtas, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares acerrime inuehitur, non ſine horribilibus in Deum & naturam blaſphemijs: diſcordiæ & ſeditioni ſeminandæ prorſus intentus, ſanguinarius, & vindictæ imprimis cupidus: tanto ſæpè ſtrepitu, boatu, tumultu intonans, vt & canes perterritos ad latratum incitaret: nihil aliud quam ſanguinis effuſionem, flammam, excoriationem, ſuffocationem, deſoſſionem viuorum hominum, grauidarumque mulierum proſciſſionem, infantum ex matrum vteris, ereptionem, & in petras muroſque colliſionem minaciter crepans: Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas, hæreticos, atrociſſimè infectans, idque maxima cum inconſtantia, rabie, atque obſcœnitate: clauſulas ſingulas, verbis pedere, nates tergere, fœdum ſuum podicem concacatum detergere, alijſque dictu turpibus, neque abſque venia memorandis eximiè finit: hominibus ſtercus in ore imprecatur, aliaque huiuſmodi multa temere ac inſanè effutit: omne hominum genus agnominibus ignominioſis irridet: Germanos, quod plærunque ocreas coreaceas geſtent, culos coreaceos: Anglos diabolicos agnominat: tacta vicinorum Principum Nationumque omnium reformatæ Religionis carpit: Magiſtratus præfectoſque Belgicarum Prouinciarum inſeſtè laceſſit, quòd anno 1567. neceſſitate coacti publicas conciones populo vbique permiſerint: tali delicto patriæ priuilegia amiſſa, imò ipſa priuilegia patibulo affigenda proclamat: habitatores Belgij omnes tam Catholicos quam hæreticos, quodcunque afflictionum & miſeriarum genus bene meritos: nonnunquam etiam minatur, ipſum Hiſpaniæ Regem cum ſanctis ſuis Hiſpanis venturum, omnemq; populum Belgicum cathenis vinculiſq; conſtrictum in Indias nauibus anecturum, Turcarumque ſeruituti mancipaturum: his ſimilia multa excandeſcens addit. Breuiter totæ conciones nihil præter meram continuamq; hiſtoriam rerum, Religionis & tumultus cauſa geſtarum, continere percipiuntur.

Videntur quidem hæc incredibilia: ſed Lector rei veritatem ex libris geſtorum & concionum fratris Cornelij opera typographica diuulgatis perſpicere poterit: cuius quidem operis ſcriptor Deum diuoſque & propriam animam teſtes adhibet, ſe ipſiſſima fratris Corneli verba ſedulò ſcripſiſſe, ac bona fide, ex ipſius concionantis ore, annotaſſe: quod vel ſexcenti Brugenſes teſtati ſunt & etiamnum teſtantur. Poſterioribus verò annis, pacificatione Gandauenſi iam confirmata, inſignis hic concionator, concionibus ſuis omnia mitigare, excuſare, tempori ſe accommodare, atque foro vti ſtuduit.

Vt autem huius oratoris concionandi rationes paucis cognoſcat Lector, vnius alteriuſve concionis verba hic breuiter referã. Cùm Auguſtanæ Confeſſionis Doctores quoſdam, nempè Vorſtium, Cyriacum Spangebergium, Hamelmannum, & Flaccum Illiricum ex Germania ſuperiore Antverpiam venille audiſſet: ſummoperè commotus 15. Decemb. ann. 1567 in concione clamat, tumultuatur, fremit, rudit rugitq;. Ba, Mirum quin furore ac ira è pelle mea exſiliam: Ouba, nunc Antverpiam, infernalem illam paludem, diabolicam abyſſum, quo omnia execranda venena, putridaq; inquinamenta confluunt, rurſus noui venerunt proditores, ſeductores, impoſtores, ſceleſti, facinoroſi, ex deteſtandis, abominandis & dãnandis Germanicis regionibus, qui innobilibus his Belgij regionibus, (quæ fideliſſimæ conſtantiſſimæq; in Catholica Chriſtiana religione permanſerunt, donec macilenti, ſicci Germanici coreaci podices fœdũ ac commerdatum ſuum ſupplicem libellum obtulerunt) Confeſſionem Auguſtanam introducere atque inferere meditantur: Ba, vide, quæſo, quàm ſeſtinanter accurrant cum diabolica ſua Cõfeſſione, ſimul ac maledictos Geuſios religionem velle mutare, ſenſerunt: Ba, oportunè

An. 1578. admodum: Au, veſtrum aduentum nos iam diu exſpectamus: Au ba, mirum quare tam diu hæſeritis cum bella veſtra Confeſſione Auguſtana, primo quidem admodum cautè, doloſè, vafrè ab improbo illo condemnato infernali hæretico, inconſtantiſſimo, leuiſſimo, callidiſſimo Philippo Melanthone compoſita, poſteaque adhuc diabolicis infernalibus ſuis venenis ita prorſus corrupto, ac pro hæretico ſuo arbitrio adulterato, vt ea iam Sꝟvingliani, Caluiniſtæ & Sacramentarij ſe tueri velint poſtintǫ̃e: Ba, purgo turpem meum podicum Confeſſione Auguſtana: Ba, tempus adhuc veniet quò ignominioſè patibulo affigetur, & luto ſtercoreque iniecto deſœdabitur Confeſſio: imò Catholici omnes anum oleto commaculatum Confeſſione Auguſtana detergent: Ba, ſic quidem. Rurſus gutture truci intonat: Au Ba, Anabaptiſmus millecuplo melior eſt Confeſſione Auguſtana: Ba, perdat Deus Confeſſionem Auguſtanam: Au, Diabolus auferat Confeſſionem Auguſtanam: Au, quid putatis nos inſanos & dementes? aut à cacodæmone dæmentari velle, atque ad inſaniam redigi ab iſtis coreaceis podicibus, his diabolicis proditoribus, his primis defertoribus, à ſancta Catholica Romana Eccleſia abdicatis? Ba, ego ſanè nunc indies ita oppedam obſtrepamque, vt mille hinc milliaribus rumor de me ſpargatur: Ba, ſit aliquis tam audax qui contra me vel mutire, vel ſe mouere vel buccam oſtentare audeat: Ba, ego equidem ei meos audebo oſtendere dentes, id certò polliceor: Ba, eccos, per quos nunc exagitamur, &c.

Alia quadam vice, nempè 6. Ianuarij, anno 1568. cùm natali die Chriſti anno ſuperiore, de Chriſti incarnatione concionatus, reprehenſus fuiſſet tanquam abſurdè & indigne loquutus de Virgine Maria: hanc ob cauſam vehementer commotus, ac iratus ſuis Catholicis, inquit Ba, quid rurſus inter vos garritur blateraturque, quod dixerim, venerandam ac beatam virginem Mariam, neque cacando, neque mingendo ſuum Deique filium Ieſum Chriſtum edidiſſe? Ba, ecqua re offenduntur hi ſimplices & idiotæ. Ba, Au, nemo eſt mortalium qui venerabiliſſimam beatiſſimamque virginem Mariam, veram Dei genitricem, maiore reuerentia & honore colat, quiq; feruentius iraſcatur, quod hæretici infeliciſſimi noſtri ſeculi, honorem Deiparæ matri conentur adimere, quam vnus ego. Ba, proinde compeſcite labra: finite me ea, quæ ſpiritus ſanctus mihi ſuggerit concionari: nullam ego vos ſectam, nullã hæreſim docebo: auditiſne? Au, quæ hæc veſtra eſt hebetudo, ſtupiditas, ineptia, inſcitia? Ba, videmini ſentire venerabilem virginem Mariam non habuiſſe veram humanam naturam. Ba, cacauit & minxit vt aliæ mulieres. Au, quid putatis eam alimenta ſui corporis naturalis exſudaſſe poris, aut eminxiſſe naribus? Non non, Pater Corneli: ſcimus quidem hoc: verum neceſſe haudquaquam nobis videtur hæc effutire. Ba, non neceſſe? Ba, quomodo ergo, quaue alia commodiore ratione vultis vt execrandis his Anabaptiſtis iniquitatem hæreſimque ſuam demonſtrem, quàm ſi declarem venerandam ſanctamque virginem Mariam omnibus in rebus ſecundum naturam humanam reliquis mulieribus ſimilem fuiſſe, & ſuum Deique filium, vt verum hominem, naturaliter etiam peperiſſe, haud aliter atque cæteræ mulieres ſuas proles pariunt, præterquam quod Maria in partu & poſt partum vera virgo permanſerit. Ba, loqui de humana figura atque natura, cùm res neceſſitaſque poſtulat, liberum eſt & licitum: quandoquidem Dei factura ſine creatura ſit: & quicquid homini accidit, id Dei prædeſtinatione ſit, peccato, quodà nobiſmetipſis habemus, excepto. Ba, audiam quis veſtrum poſthac meas conciones ſit carpturus. Ba, ne aliquis tam ſit audax, vt vel contrà hiſcere ſemel audeat: id equidem conſulo: Ba, macte, ſic quidem.

Hunc ortum, modumque frater Cornelius in omnibus ſuis concionibus aſſiduè obtinuit vſque ad annum 1576. quo ei concionibus interdictum, & cœnobium vt ſupra diximus, perturbatum diſperſumque fuit. Poſt hæc quidem aliquandiu adhuc vixit, ſed admodum miſer, variis morbis excruciatus, & ſordibus ſcatens.

Nequaquam mirabitur Lector, concionatoris huius auditorium fuiſſe frequentiſimum: alij enim deuotæ Religionis, alij inuidiæ & odij contra Reformatam Religionem, quam acerrimè infectabatur, alij ſuſpicionis amoundæ, nempe vt Catholici viderentur, magna pars ridendi & nouitates audiendi cauſa confluebant. Mirum profecto Magiſtratus & Regionis præfectos has hominis ineptias pati voluiſſe. Verùm enimuerò ex ipſarum concionum lectione, liquido patebit calamitoſiſſimus periculoſiſſimuſq; ea tempeſtate Belgij prouinciarum ſtatus: ita vt nemo contra hiſcere fuerit auſus: ea præcipuè de cauſa, quod conciones omnes in Reformatæ Religionis vituperium, & in Pontificiæ Romanæ Catholicæ laudem, atq; Hiſpanicæ Gubernationis confirmationem (cùm ſanctos ſtipendiarios milites Hiſpanos vocaret) manifeſtiſſimè tenderent. Id autem vehementer inprimis admirandum, ipſos Eccleſiaſticos, & Romanos Catholicos, homini brutiſſimo atq; ignominioſiſſimo tantarum rerũ adminiſtrationem exequutionemq; commiſiſſe aut permiſiſſe: quandoquidem coràm Deo & hominibus ſummum dedecus ſit, ſuggeſtum eccleſiaſticum, veritati dedicatum, hominis propudioſiſſimi concionibus, imò mendacijs contaminari: vnde quemlibet cordatum cuicunq; religioni addictum ſuſpicio de eiuſ-

Digitized by Google

de eiusdem religionis integritate facillimè inuadere potuerit, quod eam aptiore aut honestiore propugnatore dignam non reputauerint: erunt enim protulitque articulos complures, quos circumspecti sagaciſque Catholici Romani, potius id temporis silentio prætereundos, quàm manifesta quadam licentia propalandos & laudandos existimabant, vnde quidem euidentissimè patuit, multo acrius Hispanicæ gubernationis quam religionis promouendæ studium fuisse. Proculdubio manifesta fratris Cornelij ineptiarum & nugarum permissio maximam Catholicæ Romanæ Ecclesiæ iacturam intulit: iis enim assidui auditores & deuoti complures commoti, Romana Catholica religione deserta, Reformatæ se addixerunt. An. 1578.

Comitijs VVormatiæ indictis, eò ab Archiduce Matthia & Belgij Ordinibus missi fuere legati solennes, inter quos Dominus Aldegondius, qui Nonis Maij, coram Principum Imperij Legatis & Deputatis elegantem habuit orationem, qua miserum Belgij statum, Hispanorum hostile propositum, Ducis Albani, Ioannis Austriaci aliorumque tyrannidem, & periculum Romano Imperio inde imminens breuiter recensuit: præmonuitque de Albani sociorumque Hispanorum studio ac instituto, Imperiales ciuitates Coloniam, Monasterium, Emdam, aliasque subiugandi, vt sic ignis Belgicus citius faciliusque exardere queat: Rogat proinde, Imperij Principes Belgarum miseriam respicere, afflictisque subuenire: & Ioannem Austriacum eiusque socios, secundum iura ac statuta Imperialia, proscriptione & banno Imperij coercere, & ne quis eos, milite, armis, commeatu vllo modo iuuet, prohibere: vtque Dux Ericus Brunsvvichius, Polvvylerus alijque Germanici militiarum Præfecti ac Duces domum redeant, sub pœna confiscationis bonorum & banni imperialis iubere ac imperare velint. Quam quidem orationem latinè typis excusam longius hic repetere superuacaneum putauimus. *Comitijs VVormatiæ indictis, legatos Belgas ad eos mittunt.*

Scripsit contra eandem Cornelius Calidius Chrysopolitanus apologiam Luxenburgi impressam.

Post prælium Gemblacense, Ordines generales cum Archiduce Matthia & Ordinum Consilio, ex Principis Auraici opinione ac sententia statuunt. Quandoquidem continuatio longi belli (cuius alea semper incerta ac varia) nihil nisi prouinciarum vrbiumque euersionem aceruscidium certò sit aduectura: bellum offensiuum seriò gerendum, & validas copias quæ hostem Belgio expellant, pro Regionum facultatibus conscribendas esse: iamque rationem huiusmodi expensarum sofuendarum accuratè initam: summa scilicet sexcentorum millium florenorum in singulos menses colligenda: præter auxilium militum & nummorum ab Angliæ Regina suppeditandum: Itaque tria equitum & tria peditum millia conscribenda Duci Iohanni Casimiro Comiti Palatino committunt: eiusque delegatis in stipendium militare, Francofordienſibus nundinis quadragesimalibus, pecuniæ summam numerari curant: pauloque pòst etiam in Germania conscribendis tribus equitum millibus Comes Svvartzenburgius, mille quingentis Marchio Haureus, mille VVolmerickhousius, & mille Baro Schenckius: insuper legioni peditum, Tribunus Lazarus Mullerus eadem authoritate præficiuntur. Exspectabant insuper ex Anglia, vt pactum ante cum Marchione Hauregio fuerat, quinque peditum millia, & equitum mille. Verùm Angliæ Regina Belgicarum prouinciarum commodo consulere cupiens, consilium hoc mutarat: quapropter Hauregius Iterum in Angliam missus cum D. Famarsio, hac conditione transigit, vt Regina militum prædictorum loco, Duci Casimiro numeret octoginta angli corum aureorum millia, quibus adhuc duo equitum, & tria peditum millia colligerentur: vt sic satis magni exercitus ductor in Belgium cum potentibus copijs veniret: exiguum enim numerum tanti Ducis celsitudinem minimè decere. *Ordines deliberant de subsidijs contribuendis, & exercitum conficiendum pro Duce Casimiro.*

Hanc Reginæ sententiam, in sui status commoditatem pòst mutatam, prouinciæ Ordines Religioni præcipuè fauentes comprobabant, ratamque reddi exoptabant: Auraicus autem alijque hac in re prudentiores acriter retistebant, seque suspectos Reginæ, Casimiro, alijsque Religionis propugnatoribus hac de causa, vt quidem videbatur, reddebant. Mox remoræ, impedimenta, perturbationes, æmulationes (quod & prædictum fuerat) vndique oriuntur. VValonicæ prouinciæ, & Catholicæ Romanæ Religionis studioli in suspicionem adducuntur. Auraicum, Hollandos, Zelandos, alioſque, Angliæ Reginæ & Casimiri potentia atque opera propoſtuisse, Religionem immutare, prouincias inter se partiri, sibique subiectas reddere, aut saltem Religionis prætextu suam auctoritatem toto Belgio stabilire: & VValonibus Catholicisque Proceribus (quod eos maximè vrgebat) omnem authoritatem potestatemque adimere: quas quidem suspicionum occasiones Auraicus alijque, quocunque poterant modo, auertere conabantur. *Occasiones suspitionum & auersationum in Belgis.*

Hinc prima cum Gallis siue Francis fœdus ineundi nata occasio. Deniq; VValonicæ Prouinciæ suas contributiones has ob causas conferre recusant, multa aduersa moliuntur, alias prouincias inuitas ac difficiles ad contribuendum reddunt, discordiasque seminant.

Postquam rumor de Ordinum Belgij clade, Gembłaci accepta, in Gallias peruenit, Dux Andegauensis Regis Galliarum frater, in Belgium ad Ordinum proceres mittit D. Fongerum,

Digitized by Google

An. 1578. ſuumque Secretarium, qui triſtem belli caſum miſerantes, eos ſolarentur, & ſuæ Celſitudinis præſentiam, luculentaſque auxilij ac ſubſidij conditiones offerrent: quæ cum Ordinibus ſummopere placerent, vbi terius inſiſtendum ratus Andegauenſis, primo eis beneficia liberaliſſimè offert, magnæ incenſus æmulatione ob inita inter Angliæ Reginam & Caſimirum fœdera: itaque inteſtinis Belgarum etiam æmulationibus acriter graſſantibus, benignè tandem auditur. Cumque in Galliam ab Ordinum proceribus miſſi eſſent Legati Baro Aubignius, & D. Manſartus, vt Regi fratriſque gratias agerent, aliaque prouincijs Belgicis neceſſaria tractarent, VValonicæ & aliæ prouinciæ, quæ tunc auctoritate apud Ordines præualebant, cùm Ducem fœdus inierunt, vt ſic tandem & ſeipſos & Gallos ſuſpicione leuarent, & quidquid hactenus factũ eſſet, id omne, ſolummodo prouincias ab Auſtriaci & Hiſpanorum hoſtili crudelitate liberandi gratia, factum eſſe, hoc pacto probarent.

Ordines cum Duce Andegauenſi fœdera tractant.

Andegauenſis Dux Montes Hannoniæ venit.

Interea dum fœderis conditiones adhuc tractantur, ipſe Andegauenſis, animum ſtudiumque ſuum re ipſa declarare volens, Montes Hannoniæ, paucis ſuorum comitatus, venit 12. Iulij: vbi à Comite Lalainio Hannoniæ Gubernatore, & Ordinum deputatis, honorificè magnificèque excipitur. Intereæ tiam temporis ſe Hiſpanis hoſtem ipſo facto oſtendit. Quin & poſteà, cùm Legatos ſuos D. Ludouicum Amboſium Marchionem Reuellæ Baronem Buſſij, & D. Nouæ villeum, D. Monducetum, pluresque alios Antverpiam ad Ordines generales miſiſſet, aliquot ſuorum militum arcem Hauregam obſidione cinxerunt, tormentis oppugnarunt & deditione ceperunt 26. Iulij: idemque Soigniam, Mabuſam, Reuſam oppida deſerta, aliaque vicina loca, pòſt præſidijs muniuerunt.

Memorabile facinus virginis violatæ.

Andegauenſe maiorum militum numerum non procul his limitibus colligente, memorabile facinus in pago Becourtio accidit. Militum quidam præfectus Pontius nomine, Becortij cum ſua cohorte manens, ſe apud hoſpitem agricolam, virum probum, Ioannem Milletum collocauerat: erant Ioanni tres filiæ formoſæ, quarum maxima natu, annorum plus minus ſedecim vt violentiam petulantiamque militum à familia auerteret, ſedula Præfectò Pontio miniſterium honeſtè præſtabat: ille virginis amore captus, dum ſimul epulis accumbunt, eam ſibi coniugem à patre dari poſcit: patre autem modeſtè id recuſante, ſubitò ira excandeſcens, Pontius patrem æ dibus expellit exturbatq; : filiam violat: violatam ſuis etiam militibus ineundam concedit: poſtea menſæ iterum accumbit, filiam aſſidere coactam ludibrijs conuitijſque exagitat: illa violatam pudicitiam quocunque modo vindicare meditans, Pontio, alteri Præfecto aliquid in aurem dicenti, cor, arrepto cultro tranſfixit: ille exanimis ſubitò cõcidit: filia fugam arripit, parentibuſque rem indicat: à militibus autem perſequentibus apprehenditur: arbori crudeliſſimè inhumaniſſimeque alligatur, & ſclopetorum ictibus, à militum turba traijcitur, animamque exhalat. Pater interea domo profugus, ex pagis vicinis ruſticorum validum numerum colligit, qui tam nefariæ ſcelere exacerbati, milites ſimul omnes, cohortes circiter quatuor, ad internecionem cædunt.

Huiuſmodi plura honeſtarum fœminarum, tempore hoc belli, inſignia facta edita fuere. Inter alia, propè Inſulas Hannoniæ, ſimile ſilentio nequaquam prætereundum accidit. Hiſpanus quidam militum præfectus, in hoſpitio quo excipiebatur, filiam cauſidici violare meditans, dum cum materfamilias alij ſacro interſunt, alijq; aliorſum ab eo miſſi abſunt, opportunitatem nactus, ſolæ vim inferre nititur, filia reluctans apprehendit aut propriũ cultrum, aut ipſius Hiſpani pugionem, & homini violento vulnus in lumbos infligit: itaque inuiolata euadit. Ipſe autem cum aliquot adhuc dies ſuperuiueret, generosè pœnitens, factum virgini condonat, &, quod virginitatis tuendæ cauſa tam ſtrenuè certaſſet, coniugem ſibi exoptans, ei omnia ſua bona teſtamento legat.

Conditiones fœderis inter Ducem Andegauenſem & Ordines Belgij.

Andegauenſis Legati ſupra dicti, Antverpiæ 13. Auguſti cum Ordinibus generalibus paciſcuntur, ſequentibus 23. conditionibus.

I. Dux Andeganenſis pro ſuis viribus ac facultatibus auxilium Ordinibus præſtabit, quo ab Hiſpanorum tyrannide & Ioannis Auſtriaci violentia liberentur.

II. Suppeditabit ad bellum, millia peditum decem, & equitum duo, ſuis ſumptibus, trium menſium ſpacio: finietur autem menſis primus in fine eiuſdem menſis Auguſti, idque ob collectionis impenſas.

III. Quod ſi interea temporis bello finis non fuerit impoſitus: ipſe Dux exercitum peditum trium millium, & equitum quingentorum continuabit.

IV. Ordines autem titulum Defenſoris Belgicæ libertatis contra Hiſpanorum, eiuſque ſociatorum tyrannidem, Duci concedent, atque promulgari curabunt.

V. Vt autem fœderati potentia viribuſque augeantur, & amicitia cum Angliæ Regina conſeruetur: inibunt ſimul fœdus cum ipſa Regina, ſociato etiam Rege Nauarræ & Duce Caſimiro.

VI. Ordines reciproca obligatione paciſcuntur, ſe, bello hoc finito, ſimilibus copijs & conditionibus

Digitized by Google

ditionibus Duci auxilium laturos, contra omnes & singulos eum inuadere volentes: præter Imperium Cæs. Angliæ Regnum, alioſque Ordinum fœderatos: quodcunque etiam bellum conſultis conſentientibuſque Ordinibus, ac priuilegijs permittentibus, ſuſcipiat. An. 1578.

VII. Ipſe verò Dux nullum molietur bellum cauſa religionis: Bello autem ſociatis armis Ducis & Ordinum nunc ineundo, ipſe Dux præſens Imperatoris ſupremi nomen & auctoritatem, tanquam Belgicæ libertatis defenſor tenebit, pariter cum ipſis Ordinibus, quorum perſonam geret Ordinum Præfectus generalis, qui Duce abſente, Ordinum nomine ſolus imperabit.

VIII. Prouinciarum gubernatio erit penes ſolos Ordinũ Proceres, & ipſos deſignatos, nempè Archiducem Matthiam, & Conſilium Ordinum.

IX. Quod ad fœdera particularia attinet, vnde diffidentiarum occaſiones prouenire poſſent; Dux promittit, ſe neque fœdera neque amicitias particulares initurum cum prouincijs, ciuitatibus aut mortalium vllis ſine Ordinum generalium conſenſu ac permiſſu. Neque Ordines etiam aliquid in Ducis aut fœderis huius præiudicium facient.

X. Præterea Ordines Generales pollicentur firma obligatione, ſi poſtmodum voluerint alium Dominum aut Principem acceptare, ſe Ducem Alenſonium omnibus alijs prælaturos, certarum conditionum tunc proponendarum pactione.

XI. Huius rei cauſa Ordines generales conuentum intra tres menſes celebraturos, poſt bellum finitum, imò citius, ſi fieri queat: vt hæc certò reſoluantur.

XII. Ordines etiam, vt Duci probè caueatur, ei vrbes promiſſas tradere cupiunt, in quas ſecurè ſe recipiat, ibique ſuos ægros ac læſos curet & foueat: nempè Quennoy um, Landrechium & Bauuaiſium. Si autem Dux hoſti eripiat Marienburgum, Philippi villam aut Binchium, quacunque harum vrbium potiatur, eandem ei loco Bauuaiſij ceſſuram, dummodo id ita ſibi placeat.

XIII. Has vrbes Duci Alenſonio tradi, Ordines literis datis, & diligentia omni adhibita curabunt.

XIIII. Præterea quæcunque oppida, loca, arces vltra Moſam impræſentarium cum Ordinibus non vnita poſt Pacificationem Gandauenſem, veluti Burgundia, & Lutzeburgum armis Ducis ſiue ſolius ſiue ſociorum Ordinum capientur, eadem ſub poteſtate & obedientia Ducis ad vitam manebunt: poſt ipſius verò mortem, vrbes obligatæ & ſecuritatis cauſa eidem traditæ, maſculæ ſuæ proli, & non aliæ cedent: atque hac de re literis & obligationibus certæ cautiones dabuntur.

XV. Vrbes autem, arces, & loca poſt pacificationem Gandauenſem Ordinibus vnita, Ordinibus propria manebunt, ſi quo modo recuperari queant.

XVI. Vrbium verò & locorum nunc reliquis non ſociatorum aut vnitorum, quæ vltrò ac ſponte ſeſe, abſque armis, obſidione, clandeſtinis actionibus, aut pactionibus dedent, mediam partem Ordines Duci permittent.

XVII. Acceptant autem Ordines oblatam à Duce conditionem: vt poſteaquam Duci expenſas, pecuniaſque exercitui alendo pro generali totius patriæ defenſione erogatas perſoluerint, ipſe Dux oppida quibus ſibi cautum fuit, Ordinibus reddat atque reſtituat.

XVIII. Acceptant & aliam: qua Dux affirmat ſe palam hoſtilia facturum (quod & iam reipſa declarauit) contra Ioannem Auſtriacum eiuſque ſocios: Acceptant & huius articuli ampliationem, nempè eum futurum hoſtem omnibus illis, quos Ordines Belgici hoſtes ſuos eſtimabunt aut reputabunt, præcipuè autem Hiſpanos eorumque ſocios: atque ſuper his curabuntur acta publica ſolenniaque typis imprimi, tali formula qualem ipſi Ordines conſtituent.

XIX. Dux non adducet extraneos milites alios quàm Gallos naturales, numero præfixo, exceptis ſtipatoribus ſuis Heluetijs & familia: niſi ſecus ab ipſis Ordinibus poſtuletur.

XX. Dux pro ſuis viribus impediet, ne Gallicæ aut aliæ militum turmæ Hiſpanis auxilio veniant.

XXI. Ducis milites applicabuntur Ordinum defenſioni, ſicut communi conſilio decernetur maximè regionibus Belgicis cõducere. Agunt autem Ordines Duci immenſas gratias ob ſeduſò præſtitam operam, quod iam iam hoſtilia contra Belgij hoſtes delignauerit. Condicitur inſuper ne aut Dux, aut Ordines ſine mutuo communicj conſenſu, pacem cum Rege Hiſpaniarum hoſtibuſq; tractent. Poterunt tamen Ordines intra ipſum menſem Auguſt. certam firmamque pacem pro arbitrio concludere: verùm ſine Ducis, eiuſque clientum, & fœderatorum detrimento: eaq; lege, vt ante finem menſis Auguſti Ioannes Auſtriacus Ordinibus in manus tradat Limburgum, Kuremondam, & Dauentriam, & omnia cis Moſam oppida. Hac autem pace ſimul comprehenduntur Dux, & omnes qui in his expeditionibus & actionibus ſuam operam præſtiterunt: ſimiliter etiam Principes & Potentatus omnes, qui Ordinibus auxiliares fuerunt, nempè Regina Angliæ, Dux Ioannes Caſimirus, &c.

Digitized by Google

An. 1578. XXII. Quod ſi poſtea Duci, cauſa auxilij Ordinibus præſtiti aut præſtandi, bellum inferatur: tenebuntur Ordines totis viribus atq; facultatibus, ei opem ferre, ad normam articuli ſupra memorati. Si autem prædicta pax ineatur, eandem proximè poſt Deum acceptam ferent ipſi Duci: eidemque belli eorum cauſa initi expenſas diſpendiaque perſoluent reſtituentque: & præterea meritas dignaſque ſuæ Celſitudini gratias referent. Interea verò temporis dum de pace ineunda agetur tractabiturque, reliqui omnes articuli memorati omnino rati manebunt, & ſine mora effectui reddentur: neque interim ab hoſtilibus ſactis aut armis ceſſabitur.

XXIII. Acceptant inſuper Ordines, à Duce oblatas conditiones de conſernatione atque incolumitate oppidorum ſuæ Celſitudini tradendorum: vt ciuium & incolarum votis ſatisfiat, tali diſciplina militari inſtituenda, quæ vicinis exemplo eſſe queat: ſe priuilegia, iura, vetereſque conſuetudines ac immunitates nequaquam adempturum: ſed oppida ipſa integra munitaque atque eodem in ſtatu reſtituturum, quo eadem accipiet: niſi ab hoſte oppugnentur intaadanturque: atque hac de re Dux cautione præſtita ſatisdabit.

Actum conſtitutumq; in Conſilio Ordinum generalium 13. Auguſti, anno 1578. Antverpiæ. Subſig. Heuſtin.

Ordinum copiæ caſtra ponunt propè Kimenatam.

Interim Ordinum copiæ vndique colliguntur: equiteſq; Svvartzenburgij & Nobilis Henrici nothi Brunſvvichij, Langſtratam Brabanticam menſe Iulio veniunt: caſtraque ſimul ponunt inter Liram & Heerentalam: his pedites aliquot Hollandi, Angli, & Scoti ſe iungunt. Caſtrorum præfectus deligitur Comes Boſſuius, Maximilianus Hemminlictartus, qui in naui inquiſitoria Hollandica captus, vt ſupra diximus, Pacificationis Gandauenſis pacto liber dimiſſus fuerat.

Decima quarta Iulij exercitum collectum luſtrat militariterque inſtruit Archidux Matthias Belgij Gubernator: ſtatimque foſſis & aggeribus muniendum propè Rymenantam vnanimes decernunt: interea Ducis Caſimiri reliquas copias aduentantes exſpectant, cuius agmen Gallicum, Ductore, D. Argentlieuo, per Flandriam profectum vrbi Antverpiæ appropinquabat. Verùm Galli, quod Caſimirus Dux, vt in Geldriam venienti obuiam tenderent imperaſſet, ad caſtra proficiſci recuſant: magno Ordinum Belgij incommodo: peditibus enim inprimis opus erat prope Rymenantam, ad damnum hoſti Auſtriaco inferendum.

Lanoium ex Gallia euocatur & tribunus militaris conſtituitur.

Decernunt præterea Ordinum Proceres, Principis Auraici, Comitis Boſſui & Burggrauij Gandauenſis hortatu atque conſilio, Dominum Lanouium ex Gallijs euocare, atq; tribunum militarem conſtituere: quod huius æui ſtratigorum omnium haberetur præſtantiſſimus, & belicæ rei experientia verſatiſſimus. Lanouius conditionem, Regulorum Procerumque gratia, lubens acceptat, & ocyus in Belgium venit.

Ordinum exercitum propè Rymenantam valle foſſiſque cinctum, auxerant viris viribuſque vlterius creſcat, inuadere molitur Auſtriacus, copijs potentiſſimis inſtructus, quibus & noui ex Italia milites acceſſerãt: totius exercitus numerus triginta miliũ reputatus, ſimul quinque aut ſex equitum milibus comprehenſis: quorum maxima pars veterani, delecti, & longo vſu in re militari exercitati. Primarius totius militiæ Legatus, Princeps Parmenſis: equitum magiſter Octauianus Gonſaga: caſtrorum præfectus Petrus Erneſtus, Comes Manſveldius: armamentarij tribunus Comes Barlaymontius, aderant & Barlemontij filij, alijque quam plurimi præſtantes & clari nobilitate viri: iunctí quoque alienigenæ complures, inter quos Alonſius Martinenſius Leuianus, Sanchi Nauarræ Viceregis filius, olim nauibus actuarijs Hiſpanicis præfectus. Habebat hic Alonſius cohortem ducentorum circiter militũm, decem ſtrategis maximè expertis inſignem: inter quos Petrus Diegus, Petrus de Mendoſa, Sanchus Leuianus frater, plureſque alij: gerebat ſignum militare nigrum, Crucifixi imagine inſignitum Neapolis à Cardinale Geſnado conſecratum: petierat autem ab Auſtriaco, vt prælij die, primam aciem ducere ſibi concederetur, ſperans rem feliciter pro ſuis votis, vt ante prope Geinblacum ſucceſſuram. Ipſemet Auſtriacus in ſuis ſignis militaribus Crucem cum hac teſſera depingi iuſſit, *in hoc ſigno vici Turcos, in hoc ſigno vincam hæreticos.*

Prælium ad Kimenam.

Ioannes Auſtriacus probè munitus inſtructuſque, poſtremo Iulij cum omni ferè ſuo exercitu propè Arſchotum venit: & ordinum caſtra aut profligare aut ad prælia laceſſere meditatur. Verùm Comes Boſſuius prima Auguſti à ſuis excubitoribus equitibus, duodecim circiter turmas Auſtriacorum equitum, cum peditum acie inſtructa longo continuoque ordine aduentare præmonitus, iuber excubias, ad eum vſque locum retrocedere, vbi quingentos ſclopetarios qui eos à tergo reciperent, diſpoſuerat: hi validis hoſtium copijs ingruentibus, recedere coacti, damnum non admodum graue, quod equites quidam ferentarij eis mox ſubſidio venirent, patiuntur. Hinc Auſtriaci, audacia impetuque feruentiore Ordinum equitatum ſtrenuè reſiſtentem inuadunt, victoriæ nonnihil aſſequuti: Mox verò victis redit in præcordia virtus, ſummaque alacritate Auſtriacos ericeta & campi planitiem relinquere, & ad ſepimenta feneſtaque quædam confugere cogunt. Et quia Boſſuius Anglos quoſdam pedites Tribuni Norreſij le-

reſij legionarios, qui paulò antè in caſtra aduenerant, & Scotorum magnum numerum, ad tuenda ſæpimenta ſenticetaque propè riuulum, verſus ſua caſtra diſpoſuerat: Auſtriaci, quamuis maximis continuiſque copijs ad ea loca occupanda deſtinati, eò perrumpere nequaquam potuerunt. Non ſolùm enim Ordinum milites inſiſtentibus acriter reſiſtebant, ſed & maiora tormenta ænea propius accedentibus diram cladem inferebant. Velitatur ab hora ſeptima manè ad horam vſque ſextam veſperi, cælo feruore nimio ita æſtuante, vt Scoti alijque aliquot milites, exutis veſtibus, induſiorumq; extremitatibus inter fœmora nodatis, pugnarent. Summa profectò cum laude & gloria tantæ hoſtium multitudini in re bellica exercitatiſſimæ hic reſtitere Ordinũ milites. Ioannes Noricius Baronis Noricij de Ricort filius, Anglicarũ copiarum dux hic ſuo ſtrenuè functus eſt officio, vtpote cui tres, quibus vehebatur, equi hoc cõflictu fuere ſtrati. Similiter & Bingamius tribunus, Cãdiſchij legatus: cuius duo fratres hic occubuere. Guilhelmus autem Marcem Notingamienſis Capitaneus, qui hoſtem primo inuaſerat, magnâ laudem meruit. Præterea Scoti ſub Stuardo tribuno alijſque præclaris militiæ præfectis, Galli quoque & Belgæ magnanimiter omnes ſe geſſere. Erat autem ager terræque fundus equeſtribus copijs parum aptus. Itali & Hiſpani quidam milites hoc prælio capti, aſſerebant Auſtriacum & Parmenſem in expeditione hac præſentes fuiſſe, & ſex equitum atque duodecim peditum millia habuiſſe. Auſtriacus eadem qua venerat via recedit, deſideratis ſuorum circiter nongentis: pauciores ex Ordinum exercitu cæſi: inter quos nobiles quidam Germani. Multi culpam victoriæ non prorſus partæ in Comitem Boſſuium transferebant, quod cùm commode omnibus copijs ſimul iunctis grauiſſimam inferre cladem potuiſſet, hoſtem non inuaſiſſet: verùm ipſe, quia ſuum exercitum imparatum, minuſq; inſtructum reputabat, hanc aleam belli tentare noluit. An. 1578.

Inde Namurcenſem regionem petit Auſtriacus, caſtraque ponit in propugnaculo admodum forti, ſupra Bugeum montem propè Moſam, paulò ante optimè munito à machinario Gabriele Cerbellione, milite famoſo: qui & caſtrum Antverpienſe & arcem Tunetanam à Turcis captam, informarat delinearatque.

Arſchotti capitum, direptum & conflagratum.

Burggrauius Handauenſis VII. Auguſti, Ordinum nomine atque auctoritate Arſchotum capit: turma equitum Italorum prædiaria ſub Mutio Pagano, & duæ Germanorum peditum cohortes, hic in præſidijs erant: quorum maxima pars, quæ maturè fugam capere non poterat, interficitur: direpto oppido diſcedunt Ordinum milites, & ciues incolaque vt ſimul diſcedant hortantur. Mox rurſus ingrediuntur Hiſpani, ſuis ſubſidium ferre ſperantes: verum cùm tardius venirent, ira feruidi, ciues crudeliter trucidant: quicquid reliqui ſupererat diripiunt, vrbemque incenſam reliquunt. Louanium autem munire ſatagunt.

Menſe Auguſto Valencenis orta eſt diſcordia inter magiſtratum & plebem: ſedandi tumultus cauſa eò mittitur Dominus Archieſius, cuius aduentu malum recrudeſcit: poſteà Conſiliarius Richardottus venit, diſſidiaque componit.

Propoſitiones pacificationis cum Ioanne Auſtriaco.

Principes Potentatuſque vicini animos Belgarum auerſos ac diſſidentes à ſuo Principe, vnde & malorum exempla & turbarum materiæ pullulabant, quacunque ratione placare, flammam belli extinguere, & pacem componere ſtudent. Miſſi huius negotij gratia in Belgium Legati, à Germanorum Imperatore Comes Svvartzenbergius, à Rege Galliarum, D. Bellieurus, ab Angliæ Regina D. Cobhanus, & D. Franciſcus V Vallingamus equeſauratus, ſuæ Maieſtati à ſecretis, cum amplo magnificoque comitatu. Poſtquam Legati concertantes partes vtrinque ad pacem ineundam ſedulò commouiſſent: Ordinum Proceres poſtulata conditioneſq; primò proponunt: Vt quæcunq; egiſſent poſt Auſtriaci in agrum Namurcenſem diſceſſum, firma rataq; habeantur: & quia Duci Alenſonio integrum menſem Auguſtum condixerant: vt interea temporis Auſtriacus Belgij limites exeat, & arces vrbeſque Ordinibus in poteſtatem, tradat. Vt Archidux Matthias Gubernator permaneat: Omnia ad normam Pacificationis Gandauenſis continuentur effectaque reddantur: Cauſa Religionis, quę cum bello hucuſque ſimul inualuiſſet, Ordinum generalium iudicio committatur, qui vtres tempuſque poſtularet, de ea ſtatuant: Captiui omnes, ipſe quoque Buranus Comes liberi dimittantur: Hoc contractu Regina Angliæ, Dux Alenſonius, Rex Nauarræ, Dux Caſimirus, alijque fœderati ſocij, & Ordinum auxiliarij comprehendantur, &c. Orant autem rogantque Proceres Ordinum prædictos Legatos, Auſtriacum ad has pacis conditiones inducere velint: vt hac ratione Maieſtas Catholica Belgicas regiones ſibi hæreditarias ſeruet, ne ad maiorem deſperationem redactæ à ſua obedientia in perpetuum alienentur. Offerunt inſuper articulorum, ſi qui difficiliores durioreſve videantur, moderationem.

Legati varijs vtrinque perſuaſionibus vtuntur: vtque Ioannis Auſtriaci abitum promouent, allegant pactum cum Alenſonio Duce initum: Ordinum potentiam ac vires vtpote quibus militum maximæ copiæ diuerſis in caſtris, & pecuniæ ijſdem ſuſtentandis in promptu eſſent: ſummo cum honore eum iam diſcedere poſſe, quandoquidem Imperatoris, Franciæ Regis, & An-

Digitized by Google

An. 1578. gis, & Angliæ reginæ interceſſione negotium tranſigatur: & regiones Belgicæ hac potiſſimùm ratione ad verum dominum hæredem ſint redituræ: ipſaq; Religio Catholica Romana ſalua permanſura. Hos alioſque plures articulos Legati variè Auſtriaco & Ordinibus proponunt: coram quoque locuti Auſtriaco Louanij & alijs locis: ſed fruſtra: volebat enim omnino arma ab Ordinibus deponi, & Auraicum in Hollandiam mittiſe alias de pace tractare nolle, nouam Religionem nullo pacto admittendam aſſerebat: videbatur quidem ſummoperè dolere Belgij calamitates, multaque commoda præſtiturus & de pacis conditionibus deliberaturus, ſi inducias inire vellent Ordinum proceres: illi autem id neq; oportunum, neque conſultum rati, aures præbere nolunt. Poſtremò Auſtriacus nouis auctus militum copijs, & certior, Ordinum militibus, neruo belli pecunia deficiente, ſtipendia non exſoluì, reſpondet, Regem omne pacificationis negotium Imperatori commiſiſſe, auctoritatemq; ad hoc abſolutam donaturum: itaque literis ea de re datis, Ordinibus valedicit. Sic pacificatio inſtituta ſterilis & infructuoſa ſitinihilominus hinc pacificatio Colonienſis, de qua poſt agemus, enata eſt.

Quod ad religionem attinet: Catholicæ religioni Romanæ, ob pacificationis Gandauenſis publicationem iam renouatam ſatis proſpectum eſſe reputabant Ordines generales: verùm hac via nihil profecêre: maximè quod populi arbitrio bellum gerendum eſſet ad ſumptus belli ſoluendos: ſi delibus quoque militibus, (quales præcipue Hollandi & religioni reformatæ addicti,) tum Ordinum. Præterea rerum publicarum adminiſtrationibus paſſim præficiebantur religioni reformatæ deuoti: vtpotè non tantum patriæ charisſimæ amore, ſed & religionis ſacroſancto vinculo deuincti; & Dei honorem, propriaq; vitæ & facultatum conſeruationem hinc dependere perſuaſi: quorum plurimi ad publica munia promoti, religioniſque reformatæ promouendæ nimis ſtudioſi, zeli vehementis feruore inconſideratè modeſtiæ limites exceſſere.

Proteſtantium libellus ſupplex porrectus religionis.

Itaque reformatæ religionis defenſores audentioribus animis Archiducì Matthiæ & Ordinibus generalibus libellum ſupplicem totius Belgij incolarum nomine offerunt 22. Iunij: quo declarant teſtanturque, ſe vitam ad reformationis Euangelicæ normam inſtituere cupere: diſceſſiſſe autem ab Eccleſia Romana varias ob cauſas ſatis euidentes ac manifeſtas ex libris & profeſſionibus ſuæ religionis paſſim typis editis: quæ ſanguineo ſuorũ ſigillo vberrimè confignata, grauiſſimis perſequutionibus infeſtata, magis magisque pullulaſſe ac fruticaſſe viſa eſt: maximè Ducis Albani tyrannide, qui octodecim hominum millia & amplius carnificis manu interemit: eundemque Ludouicus Requeſcenius Cõmendator ſequutus infinitam honeſtiſſimi populi multitudinem, & artificum mercatorumque potiſſimam partem, à quibus præcipuè totius Belgij ſalus & fortunæ dependebant, patria expulit & peregrè ſedes quærere cogit: vnde crudelia hæc bella primùm orta.

Exponunt præterea Hiſpanorum propoſitum atque conatum: ſuòſque ab iniuria patria defendendi animos: timere autem ne ſuo officio diligenter ſeduloque functi, facultatumque ac ſanguinis pro ſalute patriæ profuſione, victoria potiti, rurſus in vitæ periculũ pertrahantur: & grauiſſimæ tandem difficultates ſubſequantur, propter abuſum libertatis ciuium & militum, quibus liberi exercitij reformatæ religionis conſenſus permiſsioque minus placeat. Huius exercitij recuſationem eſſe fomitem ſuſpicionum, & rerum plurimarum attentatarum, quæ plurimis proteſtantium nequaquam placeant aut probentur. Præterea Romanæ religioni modis conuenientibus cautionem offerunt, aſſeruntque ſe neque eam extirpare, neque Catholicis Romanis bona aut poſſeſsiones adimere, aut aliquid quod debito bonorum ciuium officio repugnet, facere velle: ſed omnino cupere ſe in communi dedere patriæ defenſioni: vt ſic omnis diſcordia ſopiatur, & pax ſtabiliatur. Se quidem ſperaſſe, Ordines generales aliquid pro tempore conſtituturos in cauſa religionis: verùm id obſtaculis quibuſdam impeditũ, maximè machinationibus hoſtium, aut eorum qui ſperarent, parta victoria, proteſtantes iterum igne puniendos. Proinde etiam rogant, ne iis fidem habere velint, qui pacificationem Gandauenſem reijciunt, & duas religiones in eadem regione conſtare, aut Eccleſiaſticis ſecuritatem poſſe præſtari, pertinaciter negant. Quod ad Pacificationem Gandauenſem attinet, hoſtem quidem manifeſtè ſatis eam infregiſſe: regiones quoque eandem mutuo conſenſu poſſe infringere, moderari, exponere & interpretari ad vtilitatem patriæ: ſe autẽ ne infringatur, poſtulare: ſed vt potius ad formulam eiuſdem, ab Ordinibus generalibus exercitio ſuæ religionis prouideatur.

Quod autem duæ religiones in eadem regione conſtare non poſſent, refellunt, cõtrariumque in libello ſupplici probant exemplis primorum Chriſtianorum & Imperatorum: imò permiſſu quatuor Imperatorum noſtri ſeculi: Regis quoque Franciæ, Poloniæ, magni Turci, Regis Maroquei & aliorum: imò ipſius ſummi Pontificis, Iudæis ſynagogas permittentis.

Quod ad ſecuritatem cautionemque Eccleſiaſticorum attinet: cupiunt ſummopere, vt Ordines generales articulos certos conſtituant, ſe ad eorundem obſeruationem paratiſſimos: ſperare etiam aliquos ſaltem magnates & principes viros promiſſa aſſeruturos.

Cùm

Cùm ad hæc poſtulata reſponſum, ob negotij difficultatem, differre viderentur Ordines generales: prædicti decimoquarto poſt die, nempe 7. Iulij, ſecundò libellum ſupplicem offerût, dubia propulſandi difficultateſque anticipandi cauſa, quòd ſcilicet certa ratio concedendi proteſtantibus promiſſa difficiliter iniri poſſe, & omnia in ſuo ſtatu abſque vlla mutatione permanere debere viderentur. Proinde conditiones quaſdam proponunt, Vt nempe, qui de præuaricationibus cognoſcerent iudicarentque, in ſingulis ciuitatibus, eligerentur è Senatu: aut optimatum præcipuorumq; ciuium certus numerus ex vtraq; religione, quorum iudicijs cõmitterentur omnes iniuriæ & inimicitiæ vtriuſque partis: Vt in quaqua etiam ciuitate aliqui optimatum vtriuſque pollicerentur ſe pacis infractoribus nequaquam auxilium laturos, ſed vt dignè puniantur operam daturos. *Proteſtantium Libellus ſupplex ſecundus.* An. 1578.

Vt omnes Concionatores, Seniores, Diaconi: item Præpoſiti, Decani, Paſtores, Vicarij, Theſaurarij parœciarum idem etiam vtrinque promittant.

Aſſerunt auſi, Deumq; teſtantur, ſe nunquam in animum induxiſſe prælatos, eccleſiaſticos aut Romanæ religioni addictos turbare, aut damno afficere in perſonis, facultatibus aut exercitio ſuæ religionis: verùm id pro viribus velle auertere, & ſi quid tale perſentiſcant, Magiſtratui indicare, vt nuic malo oportunè proſpiciatur.

Pollicentur etiam offeruntque, præcipuos quoſdam ex ſuis conſtituere, qui ciuitatibus ac locis vbi prædicta religio exercebitur fatiſdent, caueantque.

Rurſus quoque promittunt iuxta præcedentis libelli rationem, ſe Principes & magnates quoſdam ſuppoſitaturos, vt ipſorum ſideiuſſoresque pro ipſis eſſe velint: quod etiam ab iis fieri poſtulant, qui profeſſionem contrariam ſectantur. Quandoquidem nihil ardentioribus votis exoptent, quam vt ſub Magiſtratus protectione ſecurè quieteque viuatur, vt & publicæ tranquillitatis infractores puniantur.

Archidux Matthias, Princeps Auraicus, Conſilium Status, & Ordines generales, poſt longam deliberationem, populo ſaltem ſatisfacere cupientes, poſtulationibus auditis, pacem religionis conſtituunt omnibus ciuitatibus eam acceptare cupientibus: quæ neque Pacificationi Gandauenſi repugnabat, neque Brabantiam, Flandriam, Arteſiam, Hannoniam, aut reliquas regiones mutuo deuincichant: ſed cuique liberum permittebatur id quod conſultiſſimum videretur facere. Hollandis autem & Zelandis contra religionem Catholicam in alijs prouincijs aliquid attentare prohibebatur: tendebatque hæc pacificatio tantum ad expulſionem Hiſpanorum & extraneorum: huius enim negotij cauſa perneceſſarium videbatur pacem & politicam vnionẽ confirmare: & tempore belli tam grauis imminente, importunum pernicioſiſimumque eſſe, ſi alter alterum religionis cauſa cogat, moleſtet, perſequatur, expellat aut trucidet.

Hæc pax religionis, medicina multis ciuitatibus, maleuolis nonnullis venenum, imò occaſio fuit ſeditiones in regionibus excitandi: quod & ob hãc & ob alias cauſas grauiter ſe offenſos declararent, vt poſt latius explicabitur.

Antverpiæ, Bruxellæ, Machliniæ, Bergis, Bredæ, Lyræ, Brugis, Ypræ: in Friſia quoque, Geldria, & multis alijs regionibus ac ciuitatibus hęc pax religionis populo ſummopere placuit: danturque his locis templa reformatæ religioni exercendæ conuenientia, alijs quidẽ maturius, alijs ſerius, vt ſeſe offerebat oportunitas. Antverpiæ conceditur Sacellum Caſtri, quod Mohabiticum vocant, & Ieſuitarum, Minoritarum, Dominicanorum, D. Andreæ. poſtea etiam primarium D. Mariæ, & D. Iacobi templum: ipſa autem penetralia ſiue choros, Catholici Romani ad ſui officij exercitium ſeruant. D. Georgij, Carmelitarum, aliaque templa ac loca Auguſtanæ Confeſſionis profeſſoribus aſſignata: quod hi, vt Zvvingliani & Caluiniſtæ, reformatam quoque religionem profiterentur, in præcipuis fidei articulis conſentirent, minuſq; quam nonnulli monachi diſcreparent, præcipuè in ceremonijs eccleſiaſticis, in expoſitione verborũ Chriſti ſuper inſtitutione cœnę, & ſimul propius tendere viderentur ad verum vſum fractum, & finem cœnæ à Chriſto inſtitutæ: de qua pacis amoriſque ſtudioſos obſtinatè digladiari ac rixari nequaquam decet. Bruxellæ alijſque locis templa ſimiliter diſtributa. *Templa reformatæ religioni exercitio conceſſa.*

Bruxellæ autem D. Champigneius, Heſius, Marchio Berghenſis, Glymeſius, alijque quidam fœderati ſupplicem libellum tradunt, quo pacem religionis ac conciones proteſtantium in ea vrbe impediri poſtulant: cauſam addunt, vrbem eſſe regiam, Principumque regionis aulam ac habitationem, poſſe autẽ hac de cauſa huiuſmodi priuilegio ac honore priuari. Populo contra nitente, & huic poſtulationi reſiſtente, ſpe ſua fruſtrantur, & plebis indignationem incurrunt. Ipſe Champignieus, quamuis ante ſedula ſua opera benemeritus de patria, tamen quod Cardinalis fratri admodum inuiſus eſſet, menſe Auguſto cum alijs apprehenditur, accuſatuſque ciuitdem facti, ob quod Proceres nonnulli captiui detinebantur, Gandauum deuehitur opera quorundam ciuium Bruxellenſium, atque in carcerem conijcitur: reliqui autem Bruxellæ liberi dimittuntur.

Tornacum, Inſulæ, aliaque oppida & loca Galliæ, Pacis religioni ſe accommodare meditanturi

Digitized by Google

An. 1578. tantur: verùm mutationes graſſantes, quas narrabimus, impedimento fuére.

Gandauenſium ortus & progreſſus.

Gandauenſium ortus & progreſſus. Ciues Gandauenſes 8. Octobr. 1577. apprehéderant Ducem Arſchotanum & alios quoſdam proceres: quidà procerum autem nimis perteriti, quàdoquidé animis impetuoſis prouiſſam priuilegiorum reſtitutionem exigerent, quod inhoneſtè factũ grauiter viruperabant plurimi, ideo ſine mora ſeaduerſus hoſtiles impetus munire conſultiſſimum reputant: commodum autem oportunumq́ue huic incepto fuit odium populi in monachos mendicantes, quorum aliqui ob enormia crimina, ſupra memorauimus, mortis ſupplicio fuerant affectos. Coryphæi harum apud Gandauentes machinationum fuére Ioannes Imbyſius, Boucleus, Egidius Bourluytius Trieſtus, aliique huius farinæ plures: qui cum neq; religionis, quam ambigue ſimulabant, neque patriæ amore ducerentur, vt euidentibus argumentis manifeſtabatur, religionis tamen ſtatum immutare aggrediuntur, vt hac ratione populum in ſuas partes facilius pertrahant. Creatur populi ſuffragijs ipſe Imbyſius conſul, ſiue ſummus ſenator: homo inprimis glorioſus, ambitioſus, auarus: vtitur maximè conſilio duorum Gallorum Hougriæi & Sarafsini: populoq́ue his auctoribus in furias animato, facinoroſi eccleſiaſticorum bona diripiunt, templa ſpoliant, quanquam Aldegondius nomine ſupremi magiſtratus & Ordinum acriter proteſtando reclamaret eccleſiaſticos, pecunijs adhuc ſaltem ſuſtentarioné deſtinatis, expellunt: atque hæc quidem omnia, tanquam inſtantis neceſsitatis & belli propulſandi cauſa prætextuq́ue deſignant.

Eccleſiaſticorum bona diripiuntur.

Mox quoque aſtu ac armis reliquas Flandriæ primarias ciuitates, Brugas nempe & Ypras, inuadunt, occupant, & gubernacula ſuæ factionis hominibus commitunt: idem in minoribus quoque Flandriæ ciuitatibus, Dermondæ, Oudenardæ, Aloſti alijſq́ue perpetrant: denique gubernationem quatuor membrorum Flandriæ ſibi ſumunt, eamq́ue in populi poteſtatem reuolutam aſſerunt, & equitum peditumq́ue copijs collectis ſibi proſpiciunt: vrbem ſuam Gandauenſem mirum in modum ab omni parte aggeribus, propugnaculis, foſsis, maximis ſumptibus munimunt (eſt enim Gandauum vna maximarum potentiſsimarumq́ue totius Europæ vrbium) ingentem bombardarum tormentorumq́ue futilium copiam, ex cupro, ære, alijſq; templi metallis, campanis, ſimilibuſq́ue materijs conflant: reliquum omne, nempe mobilia bona, æralia quæcunque Eccleſiaſticorum, vili minimoq́ue pretio vendunt: emptores lucro intenti, monaſteria, templa ædificia diruunt, nemora & arbores cædunt ſternuntq́ue, denique horrendis modis omnia vaſtant. His itaque turbis Catholica religio expellitur, ſolaq́ue reformata tota ciuitate inſtituitur, auctoritate ac voluntate eorum tantum, qui religionis paceni acceptare obſtinatè recuſant. Archidux Matthias, Princeps Auraicus, & Conſilium Status diuerſos ciuiuſdem conditionis, etiã ciues Antverpienſes & Bruxellenſes, cõ mittunt legatos, qui tumultuantes ad frugem bonam reducant: verùm admonitiones, teſtificationes ac poſtulationes omnes incaſſum tunc temporis adhibentur: vt latius poſt dicemus.

Artefia & Hannonia opem ſe reſtituturas pollicentur.

Plures huius mali occaſiones fuére: imprimis autem ſcriptum quoddam, quod Ordinum Hãnoniæ deputati decimaoctaua Iulij die typis edidere, quo ad exercitij reformatæ religionis poſtulationem, & ad Archiducis Matthiæ literas, & de pace religionis ſummarium deliberandi cauſa miſſum, reſpondent: quibus acerrimè ſe opponunt, omneſq́; tam primates, quam plebeios his rebus aſſentientes, perfidos declarare videntur: ſeq́ue vitæ ac facultatũ periculo reſiſtere prorſus velle teſtificantur.

Hanc factioſorum cauſam acriter tuebantur Arteſiæ & Hannoniæ nobiles, qui in bellis expeditionibusq; contra Gallorum Reges, primas ſemper equitum turmas colligere ac producere ſolent: atque hac tempeſtate, pacem cum Hollandis & Zelandis initam, vnaq́ue pacificationem Gandauenſem, ſuis meritis, glorioſè adſcribebant: ſibiq́ue potiores partes, atque auctoritatem præcipuam, imò regionum Belgicarum gubernationem. (vulgus quam Principi Auraico eiuſque fœderatis potius committebat credebatq́ue) arroganter vendicabant.

Vtraiectina prouincia.

Generalitati autem ſe neutiquã ſociare volebant, niſi ea conditione, vt non ſolùm Arthefia & Hannonia, tanquam duæ prouinciæ, inter Ordines ſuffragia darent: verùm etiam ciuitates, Valenciennæ, Tornacum & Tornecium. Inſulæ, Duacum, & Orchiæ, & quinta Machlinia, quæ ſimul quinque ſua ſuffragia inter reliquas Belgij prouincias dare ſolent, nunc ſingularia ſinguláe ferrent: imò earum vnaquæque tot & tanta, quot & quanta Brabantia, Flandria & Geldria: cùm tamen hæ ſeptem Gallicæ prouinciæ ſimul ne ſeptimam quidem partem ſumptuum generalium contribuant, quos Brabantia ſoluit ſola, quæ tamen in contribuendo præcipua non eſt, longè amplius enim confert Flandria. Huiuſmodi itaque ſuffragiorum potentijs conſiſi, Archiducem Matthiam audentius aduocarant, ſpe gubernacula Belgij ſub hoc Principe adminiſtrandi, atque hoc pacto Principis Auraici auctoritatem minuendi: verùm Auraicus eorum machinationes prouide intercipit: concilia inceptaque Teneramondæ agendi cum Archiduce Matthia de Flandris & Brabantis in fœdus pertrahendis, irrita fiunt: ipſi Coryphæi auctoreſque cum Duce Arſchotano Gandaui in carcerem conijciuntur. Poſt hæc clades Gemblacenſis accidit:

Digitized by Google

accidit: vnde populus maximè diffidere cœpit, quod Tribuni præfectiq; exercitus, necessitate summa vrgente à castris absentes, prœlio non interfuissent. An. 1578.

Hi itaque animis grauiter offensi ac malecontenti, acriter se paci religionis & tumultuationi Gandauensi opponũt: alijvt hoc modo religionem Catholicam Romanam promoueant, alij vt suis affectionibus, ambitioni, vindictæ satisfaciant: & has quidem occasiones Belgæ plurimi, patriæ amorem simulantes, Hispanicisque studijs imbuti, arripuêre proprij cõmodi causa: inter quos Valentinus Perdieus Mottæ Dominus, Gubernator Greuelingæ, Flandrici Comitatus vrbeculæ limitaneæ, Caleto oppositæ: hîc castris prope Gemblacum expugnatis, armamentarij tribunus fuerat, per Flandriam autem profectus, contumelia ob rem male gestam à Gandauenlibus affectus, Greuelingam venit, oppidum prælidiumque in suam potestatem redigit, quod vt sibi seruare possit, clanculum Regi reconciliatur, literasque reconciliationis à Rege ex Hispania 11. Sep. 1578. Madrili scriptas accipit, cum potestate & auctoritate reliquos eò quoque pertrahendi: cuius quidem negotij auctores impulsoresque fuerunt Abbas Diui Gilenij, Abbas Hannonius, Carlierius Graphiarius, quibus deditio Philippivillæ, Lymburgi similesque fraudes plures assignabantur imputabanturque. *Valentinus Motta Regi reconciliatur.*

Populi VValonicarum prouinciarum, earundemque nobiles ac proceres, quorum plurimi militum tribuni & præfecti erant, prædictas ob causas offensi, multa meditantur, suspicantur atque moliuntur: cumq; iam de copiosissimo exercitu instruendo, quo bellum semel simulque finiatur, eundemque ex Hollandis, Anglis & Germanis superioribus militibus, religioni reformatæ, & Principi Auraico addictis conficiendum, generali assensu constitutum esset, ansam reliquis dederunt cum Gallis & Duce Andagauensi fœdus ineundi: vt hac saltem ratione, Zetopia & iunistra omnis opinio suspicioque tollatur, vanaque demonstretur: maximè cum Andagauenlis Belgicæ libertatis protector, bonus Catholicus Romanus esset: cuius ope maleuolos, si quid attentent, coerceri & refrenari posse, VValoni proceres confidebant.

Dissentionem discordiamque hanc acerbam inter Gallicas siue VValonicas prouincias, & Flandros siue Gandauenses, Dux Matthias simulque Ordines Belgici componere omni studio nituntur, vt sic iunctis armis ac animis hosti resistant: sed frustra: nam factiones odiaq; ita creuerunt, vt ad arma vtrinque ventum sit. Cùm enim diuersæ essent VValonum regiones sub Montignio, Hesio, Capresso, Egmondano, Bourso, alijsque tribunis, quibus stipendia non exsoluebantur, ea maximè de causa quod VValonicæ prouinciæ designatas contributiones subterfugerent, subtidiaque ad generales prouincias non conferrent: tandem eorum agmina quædam in Flandricos agros, maximè iurisdictionis Gandauensis, hostiliter incendijs, latrocinijs, stupris grassantur: atque per omnem hunc Flandricum tractum violentis incendiarijsque exactionibus, intra octo aut nouem menses trecenta florenorum milia (quod numeris rationibusque, postea initis satis patuit) extorquent. Ecclesiasticos Gandauensium limitibus expulsos palàm ac manifestè protegunt fouentque: & nobiles Gandaui captiuos inhumaniter tractari indignantur causanturque. Hæ cohortes Gandauensibus Pater noster *knechten* id est, sphærularum precatoriarum milites; vulgo Male-contenti, quod nomen vltro assumebant: Francis les blanq yeulx, id est, albi oculi, ab ouibus nempe quibus intimo morbo laborãtibus oculi albescunt, agnominabantur Gandauenses de hac iniuria grauiter apud Archiducem & Consilium quæruntur: cumque eis vt rationem militibus satisfaciendi ineant consuleretur atque iungeretur, obstinatè detrectant, & contributionem recusant, nisi prius de grassatoribus & violentijs pœnæ sumantur. Hinc nouas militum copias conscribunt, facemque ciuitatum vndiq; colligũt, homines nullius valoris, quibus contributiones cõsumere, & Sacerdotes, Monachos, sacras virgines, Nonnas, Beghinas oppugnare & expellere, magis quam belligerare placebat. His turbis exercitus potiore peditum parte, & solutione, pecunisque, belli neruis, priuatus est. *Malecontentorum origo.*

Sæpè quidem varijs locis Malecontenti, & Gandauẽles milites inter se velitati: verùm Malecontenti VValones veterani expertiq; militiæ, alios plerunq; superarunt. Gandauenses autẽ validioribus copijs tãdem instructi, hostes extra Flandriæ suæ limites expulerũt, fugientiumq; agmina in ipsam vsq; Insulensem ditionem insequuti, vxorem Glayoni captiuam abduxerũt.

Cùm itaque VValones intra suæ regionis limites à Gandauenlibus inuaderentur, eorum quoque tribuni ignominia quadam ab ijsdem affecti viderentur: captis enim in prœlio aliquot vexillis, inter alia autem ipsius Montignij triumphatu quodam magnoque contemptu humum verrendo fœdè protracto à Gandauentibus, ipsi tribuni ac chiliarchæ causam suorum palàm defendendam suscipiunt: atque hac potissimum occasione in Flandriam tanquam in hostiles terras irrumpunt, & circa finem Sept. magnos potentesque pagos Bellam, Meninas, & alios ad conflagrationis redemptionem cogunt. Meninas ad Lisam fluuium loco, ad muniendũ facili inter Cortracum & Armenteriam sitas vallis propugnaculisq; muniunt: huius instituti auctor præcipuus Montignius Emanuel Lalaingius, locum conquisitum munitionemque sibi vendicat, Meninasque sui belli, quod iam apertè gerere videbatur, sedem facit. *Meninæ captæ & munitæ à Montignio Malecontentorum præcipuo ducè & auctore.*

Digitized by Google

An. 1578. Gandauenſes has ob cauſas magis irritati atque laceſiti, 4. Octob. ſuſpendio ignominioſè necant duos captiuos, Iacobum Heſſelium Conſiliarium conſilij ſanguinarij ab Albano inſtituti, & Viſium Ingelmunſteri Baliuum: hos ſubitò è carcere prodire, & currum forte fortuna prætereuntem aſcendere iubent: atque extra vrbis portas non procul vectos de arbore ſuſpendunt, nulla præmonitione aut ſententia ante lata: coryphæi quidam ſtrangulatorum barbas abſciſſas ſuis pilcis imponunt, atque ita in vrbem reuertuntur. Modeſtioribus ac æquioribus ciuibus alijſque, factum hoc ſummopere diſplicuit: quamuis enim ambo improbiatq; infames admodum eſſent: fuit nihilominus iſtud ſimultatis ac odij latentis euidens argumentum, neq; iuſtitiæ aut æquitati vllo modo conſentaneum. Hinc reliquis captiuis ingens timor terrorq́ue incuſſus.

Poſtulata Archiducis Matthiæ, & Gandauenſium ſe ſponio.

Quapropter Archidux Matthias, Conſilium Status & ciuitatis circumiacentes multis rationibus inſtant, iniunguntq; Gandauenſibus, vt Eccleſiaſticis facultates & exercitium Catholicæ Romanæ religionis reſtituant, neque generaliter (cuius accuſabantur) nobiles expellerent: captiuos quoque locis neutri parti addictis ſiſterent: & ius non violentiam, exercerent.

Reſpondent Gandauenſes 27. Octob. ſe Catholicis templa conceſſuros, & vſum facultatum ac bonorum permiſſuros, ſimulatque omnibus locis & oppidis Belgicarum prouinciarum reformatæ religionis exercitium fuerit permiſſum. Se neque damno nobiles afficere, neque eorum iuriſdictiones violare, aut armis opprimere velle: ſed falſo de huiuſmodi rebus accuſari. Quod autem ad captiuos proceres alioſque attinet, ſe eorum cauſam, vbi hoſtiũ extraneorum vis expreſſa fuerit, diſceptaturos: interimq́ue nihil aduerſi paſſuros promittunt, dummodo Gandauium & reliqua Flandriæ membra, à ſeditioſorum militum ciſque adhærentium violentia ac oppreſsione defendantur.

Curia, cum hæc Gandauenſium reſponſio non ſatis placeret, acrius inſtat, iubetq́ue imprimis, vt contributiones mittant, quo exercitui ſtipẽdia ſoluantur: quandoquidem Flandria tertiam partem onerum omnium prouinciarũ generalium contribuere debeat: verùm nihil ante Chriſti natalem præſtatur, vt infra commemorabimus.

Recenſuimus rationes quibus motiOrdinum proceres in reformatę religioni addictis ſpem fiduciamq; ſuam præcipuè vtcollocarint: quod religionis pace ipſis de vita ac bonis caueri debuerit: & quod Gallicæ prouinciæ diuerſas ob cauſas malè cõtentæ offenſæq;, paſcem religionis, & turbis Gandauenſium, occaſionem ac pallium commodiſsimum arripuerint reputauerintq́ue, ſuis affectionibus & paſſionibus, vt cuiuſq́ue impetus fieret, indulgendi: vnde cõtentiones & noua bella ciuilia orta: de quibus latius agemus, poſtquam quid interea Ordines ingenti ſuo exercitu ſint exequuti, dixerimus.

Prælio prope Rymenantum commiſſo, Ioannes Auſtriacus, vt ſupra narrauimus, Namurcum diſceſſit: nec procul inde in monte Bago loco forti & optimè ſito, munitionibus variis ſe munit: erat autem Auſtriaci exercitus ad quinquaginta peditum, & ſex equitum millia à pluribus æſtimatum.

Dux Caſimirus cum ſuis copijs accurrit in caſtra Ordinum.

Interea quoque Ordinum exercitus creuerat, cui tandem dux Caſimirus 26. Auguſti acceſſit cum ſuis peditum & equitum copijs: occaſionemq́ue & cauſas ſuæ expeditionis typis impreſſas edidit. Diximus ſuprà, primò conſtitutum fuiſſe cum Caſimiro de tribus equitum, & tribus peditum millibus, poſtea autem Angliæ Regina poſtulante, de duobus inſuper equitum, & tribus peditum millibus tranſactum: ipſe autem bona fide atque intentione numerum vlterius auxit, ſimulq́ue ſeptem equitum & octo peditum millia confecit: quibus quidem colligendis & adducendis multũ temporis protractum fuit, ita vt ſerius reliquis in Belgium venerint, non ſine magno damno: maximè autem quod Belgicis limitibus appropinquantes, vlterius tendere, niſi ſtipẽdijs numeratis nollent: cum iam pecuniæ omnes tam ex Anglia quam Belgio alijſque locis ſuppeditatæ tanto exercitui ſoluẽdo exhauſtæ eſſent. Allegabat Caſimirus ſe tantam multitudinem collegiſſe, Belgis gratificandi cauſa, & potiores belloq́ue aptiores deligi poſſe: multaq́ue inſuper cauſabatur, maximè autem difficultatem rei nummariæ, & exercitum opinione maiorem, cauſas longioris moræ fuiſſe. Cùm autem copiæ hæ in finibus Geldriæ longo tempore hæſiſſent, tandem eas Caſimirus ſumma cum difficultate, ſtipendijs necdum ſolutis, vltra Moſam pertrahit Rymenantam vſque in Ordinum caſtra: inde quoque niſi æremilitari numerato recedere nolunt. Pecuniæ autem in promptu non erant, ob Gandauenſium & VValonum diſsidia, quibus contributiones, vt ſupra diximus, ſiſtebantur ac intermittebantur maximè ab Arteſienſibus & Hannonienſibus, quorum defectiones, primam præcipuamq́ue perditionis totius Belgij cauſam atque occaſionem, vehementer incuſabant Ordinũ proceres, maximè quod neque promiſsis ſtetiſſent, neq; datam fidem ſeruaſſent. Flandrica prouincia, vtpotè omnium ditiſsima, in contributionibus potiſsima eſt: ſola enim tertiam partem cum reliquis omnibus ſimul prouincijs confert. Ordinum exercitus expenſæ tunc temporis initatione computatæ, millia florenorum octingenta in menſes ſingulos: verùm neque Flandri

Expenſa Ordinũ exercitꝰ

tertiam,

fertiam, neque VValones ſuam partem præſtabant: reliqui quoque horum cauſa ſegniores tardioreſque comparebant: ita vt totis ſex menſibus tantũ quadringenta ſiorenorum millia cogi potuerint, quorum maxima pars Antverpiæ numerata: imò ex contributionibus omnium aliarum prouinciarũ ſimul, præter Hollandiam, Zelandiam & Antverpiam, intra ſex menſes vix quinquaginta ſlorenorum millia recepta fuiſſe manifeſtè conſtat. An. 1578.

ſingulis mẽſes 400. centena millia florenorum.

Cùm itaque totus exercitus ſolutionem tribus ſeptimanis hic exſpectaſſet, tandem vnius menſis ſtipendio ſingulis numerato educitur, ſub Comite Boſſuo Archiſtratego, Burggrauio Gandauenſe equitum magiſtro, & Lanoio caſtrorum præfecto. Prope Louanium acriter pugnatur, vrbe fortiſsimo præſidio viginti duarum, cohortium tam equitum quam peditum ſub Barone Cheureo à Ioãne Auſtriaco firmata. Deliberabat quidem tunc Ordines de Louanio aliiſque magni momenti locis obſidione cingendis: verùm id neq; conſultum neque opportunũ viſum eſt: erat enim Ordinum exercitus, equitum quam peditum numero maior: contra Auſtriaci multitudine & ſtrenuitate peditũ pręualebãt, equitatui facillimè paruo peditu reſiſtere potuiſſent, quod hæc regio dumeris arboribuſq; ac ſyluis obſita, equitatui inepta difficiliſque eſſet: erant etiam agri pabulo prorſus vacui: ita vt oppidis quinq; aut ſex tantum diebus, quod & facilè potuiſſent, reſiſtentibus, rerum neceſsitas ac penuria, & hoſtilium incurſionum metus, obſidionẽm ſoluere coegiſſent: huc quoque accedebant fluminum periculoſi traiectus, vbi facilè ab hoſtibus inuadi potuiſſent: Itaque decernunt in Gallobrabantiam regionem planam, apertam, & equitatui idoneam tendere: vt hac, potiſsimum via & ratione hoſtiles copias in anguſtum cogant, & ſe Andegauenſis exercitui, quod Binſium tunc obſidebat, iungant. In ipſo itinere, deditione capiunt Niuellas, quinque præſidiariorum militum cohortibus munitas: expugnant inſuper vi Motam caſtrum, Sartum, Genapium, aliaque loca deditione capiunt: inde Gemblacum tendunt, & Auſtriacũ è caſtris proditurum, graſſanteſque, antequam Andegauenſibus auxiliaribus copijs ſocientur, oppugnaturum ſperant exſpectantq́ue. Verùm Auſtriacus, cui longæ Ordinum moræ locum tempuſque ſe muniendi dederant, nequaquam prorepere auſus, tuto loco hærere, Ordinumq́ue exercitui agrorum depopulationem permittere optimum ſuæ ſaluti reputat: iamq́ue eò deuenerat, vt deſperans, Belgium relinquere hoſtium violentia ingruente meditaretur: quod & literis ad Regem paulò ante mortem ſcriptis confeſſus eſt.

Ordinum exercitus ex caſtris educitur.

Ordinum exercitus, poſtquam Auſtriacum cum ſuis, ſe ſub vrbe Namurcenſi tutò continere, neque inde prodire velle, animaduertit, hoſtiles copias adoriri, & in anguſtum cogere ſtatuit: quanquam neque cunicularij, aut foſſores, neque tormenta maiora, reliquaque ad obſidionem oppugnationemq́ue neceſſaria ſufficerent: erat enim ſatis facilis obſidendi ratio, niſi peruerſi quidam patriæ hoſtes, contributiones & commoditates exercitui alendo deſtinatas & promiſſas recuſaſſent ac impediuiſſent, cum populus ſe ſatis voluntarium præberet.

Ordinũ exercitus propoſitum.

Archidux Matthias, Princeps Auriacus, & Status Conſilium, contributionibus conficiendis diligentiſsimè incumbunt, regionibus prouinciiſque communis patriæ calamitates, quæ difficultate rei nummariæ, non ſolutis ſtipendijs, à ſuis militibus vaſtabatur, proponunt, preces, teſtationes, & minas inſuper addunt: ſed omnem operam fruſtra ſumunt: cùm iam multæ prouinciæ, generalia ſubſidia communi conſenſu promiſſa ac permiſſa palàm recuſarent: & ſi quid corraderetur, ſuis vſibus retinerent, propriæque non generali defenſioni impenderent: vnde factum, vt exercitui toto eo tempore ſemel tantum menſtruum ſtipendium fuerit numeratum.

Conſilium militare conſtituerat quidem in Auſtriaci caſtra irruere, ſeq́ue aduenientibus Andegauenſis copijs munire, ac interea Ducem quoque Caſimirum exſpectare: verùm zelotypiæ ac diffidentiæ inter Andegauenſem & Caſimirum, aliaq́ue difficultates ſuborta conſilium interturbarunt.

Dux Andegauenſis Belgicæ libertatis defenſor, ſimulatque ex inito contractu in Belgium venit cum ſuis copijs, Binguim oppidum obſidet, & decimoquarto poſt die tormentis quatit imperat: fit deditio 7. Octobr. ciuibus præſidiarijſq; clementer ac humaniter à victore tractatis: poſtea quoque Mabeugo potitur.

Andegauenſis Binguim & Mabeugum capit.

Interea Landerceum & Quenoyum oppida nulla ratione induci poſſunt, vt Andegauenſes milites recipiant ex contractus formula, cuius gratia Abbas Marollus eo miſſus fuit: quapropter Machlinia & aliæ vrbes ei offeruntur. Montis Hannoniæ ciuibus inieƈta ſuſpicio, Andegauenſem machinari vrbem inuadere: quod quidem certis argumentis vice quadam apparuit.

His diffidentijs nequaquam obſtantibus, Dux Andegauenſis ex conſilij exercitus Ordinum ſententia, Auſtriacum, iunƈtis ſimul vtrinque copijs oppugnare ſtatuit: verùm cum omnibus iam paratis hoſtis poſtridiè oppugnandus eſſet, nunciatur Andegauenſi Caſimirum, qui cum ſuo exercitu in caſtris exſpectabatur, Gandauum eſſe profeƈtum, & quoſdam ſuorum ex

Digitized by Google

An. 1578. castris aduocasse: itaque ad Archiducem & Ordinum Consilium missis Legatis, quærit an illorum mandato id fiat: respondent, nequaquam: sperare autem eo inducturos Casimirum, vt reuertatur & castra petat: & vt idem ipse quoque faciat rogant: promittit Lanouio fe ea conditione in castra venturum: verùm cum videt Casimirum iter ad castra nequaquam meditari, sed suorum complures in Flandriam auocare: constituit & ipse nequaquam castra cum suis adire, tametsi Archidux Matthias, Princeps Auraicus, & proceres Ordinum vehementer instarent, & Casimiri factum se summopere dolere faterentur, seq; ad Gandauenses & VValones mississe, & breui concordiam sperare declararent.

Præterea Andegauensis exercitus grauiter quærebatur, se vbique locorum indignis modis tractari, neque oppida habere vbi ægroti milites recipiantur ac reficiantur. Bingium commeatu prorsus esse exhaustum, se nusquam vbi necessaria emere possint admitti: sed agricolis inuisos, passim in agris palantes opprimi ac trucidari: magnum vulneratorum & ægrotorum numerum, neque deserere, neque castra, Duce Andegauensi non præsente adire, conueniens aut opportunum esse.

Andegauensis suos milites dimittit: dimissi Malecontentis militant, & Gandauenses & Casimiro resistunt.

Proinde Andegauensis optimum ratus, milites dimittere, & sufficientibus præsidijs loca firmare, Rochum Sorbeium Dominum Pruneausi, suum Consiliarium ad Archiducem & Consilium Status mittit, qui eis suam sententiam latius declaret. Conqueritur 8. Nouembris, patrem militiæ, tum initum omnibus quibus oportebat locis non esse promulgatum: quod autem milites à se dimissi, maxima parte Meninas eant militatum Malecontentis VValonibus, id factum excusat quidem, ea tamen ratione probat, quod Gandauenses iniquè faciant, eaque de causa partem aduersam iuuandam ac confirmandam, vt tanto acrius Gandauensium maleuolentiæ resistatur, dissidium que facilius componatur: id quidem se operam daturum offert, & simul ac ad concordiam aut pactionem ventum fuerit, vt Galli sui statim discedant effecturum firmiter promittit. Declarat insuper se intellexisse Ordines pacem cum Rege Hispanorum tractare: id quidem nequaquam cupere impedire, quamuis eorum causa hostis sit factus Regi: sed sedulo pacificationi operam daturum, si qua pacis vera spes in Belgarum tranquillitatem & prosperitatem appareat.

Andegauensis milites exauctorati & dimissi, vt diximus, Meninas præcipuè petunt, & Montignij militiæ adscripti Mortaignam aliaque loca capiunt.

Ordinum nomine Andegauensi promittitur, Ordines, si pax ante Cal. Maij non conficiatur, vlterius cum ipso pactum inituros. Præterea mense Decembri Ordines Dominicum Froymontium familiæ Burgundicæ nobilem virum, & Aegidium Martinum Doctorem, legatos ad Andegauensem mittunt, ei gratias immortales agunt, gratias quoque relaturos & debitum satisfacturos promittunt.

Ordinum exercitus dimittitur.

Interea dum Andegauensis res hoc in statu versantur, Gandauenses, cùm VValones iam maioribus auctiviribus apertè eis hostile bellum denunciassent, nisi debita exsoluant, Ecclesiasticos sine mora in pristinum statum restituant, & captos dimittant; iamque etiam Archiducem, Auraicum & Status Consilium aduersarios haberent, Ducem Casimirum aduocarant, qui spe solutionis hic recipiendæ, libentissimè id iter confecit, & 10. Octob. cum aliquot equitum turmis magnificè Gandaui excipitur: cuius aduentu Malecontenti nonnihil coercentur refrenanturque: ipse autem centum & septuaginta florenorum millia, solutionis stipendiorum partem à Gandauensibus accipit.

Varij hi casus atque euentus inter Gandauenses & VValones, insuper zelotypiæ ac diffidentiæ inter Andegauensem & Casimirum, maximè autem generalium contributionū, quibus alij exercitus debuissent, defectus, portētisimum hunc Ordinum exercitum irritum & inutilem reddidere: ita vt Archistrategus Bossuius & tribunus militum Lanoiū, alijsq; militiæ præfecti nihil consultius reputarint, quam exercitum procul ab hoste deducere, antequam grauiora incommoda & confusionum pericula Ordinibus eueniant. quod cùm rectè laudabiliterque fecissent, mox milites prouinciarum incolas atque indigenas in præsidijs collocant: extraneos autem dimittunt, aut ad loca minus periculosa perducunt, vbi cum eis latius pro opportunitate agant. Fuit profectò factum hoc summæ artis ac industriæ, maximè cum tam ingens extraneorum militum esset numerus, tam difficilis stipendiorum solutio, tam rara, imò nulla, annonæ aduectio. In discessu & dimissione exercitus Comes Hogenlous vrbem VVertam cum arce capit: quam breui amittit. Equitatus Germanicus Thenis, Arschoti, alijsque locis hospitatur.

Ioannis Austriaci mors.

Interea temporis dum Ordinū exercitus castraque viribus, ac armis valida, & hosti terribilia essent, Ioānes Austriacus circa Cal. Octob. in castris suis prope Namurcum ferè subitò moritur peste, vt quidam putant: alij morbo quodam laborantem, tristitiam animique dolorem ingentem concepisse, atque inde mortem accelerasse aiunt: id quod partim liquet ex duabus suis epistolis à tani Legerij domino interceptis, vna ad Principē Melphitanū Andream Doriā, altera ad Pet. Mendosam Genuæ Legatū Hisp. vtraq; in castris milliari ab vrbe Namurcensi scripta,

anno

anno 1578. 16.Sept. quibus grauiter conqueritur de suarum rerum dilationibus, & deliberationibus nimis longis & incertis in Hispania, exponitque qua patientia ac patientia ad resistendum opus habeat: cùm undique hostilibus copijs innumeris cincto itinera præcludantur: necessarioque ad asylum refugium que extremum tibi destinatum confugere cogatur: quādoquidem se viribus imparem aliquid egregij prælio præstare posse desperet: viam qua effugiat vi aperiandam: negligentia atque dilatione res Regis prorsus pessum ituras: postulat denuo à Rege rationem normamque rerum agendarū sibi præscribi, vt Regiæ voluntati, etiamsi succumbat, satisfeciſſe videatur: maximè vereri ne remedia tardius veniant: se neque scribendo, neq; quæritando proficere: cumque iam manus sibi præcisas videat decreuisse, & collum extensum offerre: itaq; Deum sibi auxiliarem inuocat, rogatque vt sui in precibus ad Deum sint memores: adiungit insuper multa alia quæ auidus lector ex ipsiſſe literis à Guilhelmo Syluio typographo publicè editis perspicere poterit: quæ paulò antè mortem scriptæ satis declarant, quam fuerit animo turbatus, homo iuuenis, magnanimus, gloriosus, inquietus, industrius ac ingenuosus: multos in aula Hispanica habebat aduersarios, inprimis Albano addictos, cuius rerum gerendarum experientiam sua industria obscurare volebat. Erat ei à consilijs ac secretis præalijs Escouedus, qui Hispaniam petens in ipso itinere à duobus insidiatoribus scloperi ictu læsus interijt: quæ cædes quamuis in duos Albani filios conferretur, Rex tamen ipse auctor huius facti reputabatur, cui, vt aulici complures aiunt, satis frequens est ministros & secretorum suorum conscios, postquam minus probè suo officio fungi suspicatur, hac arte è medio tollere.

An. 1578.

Literæ Austrij de quæreiarū plena.

Mors Escouedi.

Hic finis, hæc subita mors Austriaci fuit: mortuum corpus è castris vicinis in templum Namurcense celebri cum pompa effertur, inde in Hispaniam deuehitur. Succedit Austriaco Alexander Farnesius Princeps Parmensis, primò quidem Gubernatoris vicem gerens, postea autem à Rege Gubernator confirmatus. Fuit hæc Austriaci mors Belgicis regionibus, pro rerum id temporis statu, valde commoda & vtilis.

Alexander Farnesius, Princeps Parmensis Belgij Gubernator.

Paulò pòst 21. Decembr. feruente febre extinguitur Maximilianus Comes Bossuius, æstate proximæ elapsa Imperator exercitus Ordinum, Archiducis Matthiæ œconomus, & Consiliarius Status, vir acer & industrius in rebus administrandis, cuius mors à pluribus dolentissimè deplorata.

Mors Comitis Bossuij.

Cùm iam VValonicæ prouinciæ hostilia quęque palam ac manifestè prorsus facerent, aliarum prouinciarum Ordines vrbe Atrebatensi, Arteſiæ metropoli, fecurius potiri, Ambrosij Duckij militum præfecti, sociorumq; opera moliuntur: hi magistratum, quod cum D. Capresio hoste, consiliorum particeps esset, apprehendunt: verùm simul ac populum à Capresio & Consilio Artesiensi instigari, seque numero ac viribus impares vident, captos dimittunt: factum vtrinque condonatur perpetuæ obliuioni tradendum: verùm promissis non statur, nam carcere legati aduersarios omnes qui se fuga seruare non poterant capiunt, statimque interimunt: inter alios Gossonium Consiliarium, disceptatorem, virum maximè apud ciues auctoritatis, natum annos septuaginta, expertum, doctumque imprimis: cuius litem tanta festinatione accelerant, vt duas appellationes siue prouocationes spatio sex horarum finierint, cōtra omnem iuris ac consuetudinis formulam: Gossonium & multos alios 26. Octob die dominico, cruciibus incisis multant, nocte, facibus accensis.

Atrebato patiri frustra moliuntur Ordines.

Hoc anno 1578. Cùm Sebastianus Lusitaniæ Rex pulsum Mahometem Regem Fezæ, & Marochæ in Africa siue Barbaria in regnum restituere decreuisset, legionem Germanorū militum in Belgio colligi, & arma, machinas, bellicumque apparatum aduchi mandauit, idque Belgij Ordines generales, amicitiæ colendæ gratia, libenter permiserunt: & eo quidem libentius, quod Germanos missos facere cuperent, vt qui præcipuè hostis stipendia meruerant, & Austriaco fauentes infideliter se aduersus Ordines gesserant.

Sebastiani Lusitaniæ Regis expeditio in Barbariam.

Ex his Germanis, & suis militibus, simul plus minus sedecim equitum peditumq; millibus, pari quoque numero, nautis, lixis, alijsque & Hispanis aliquot militibus voluntarijs, collecto exercitu, Vlyssibona soluit mille & amplius nauibus, tum magnis tum paruis, fretumque Gibraltaræ petit, portumque quendam Hispaniarum Regis, S. Mariæ appellatum, intrat: hic auxilia à Rege Hispa. postulanti promissa præstolatur, actuarias, nempe naues quinquaginta instructas, & milia militum quatuor: verùm longo tempore exspectanti promissa tandem negantur, prætextu Turcici belli imminentis: dissuaderique ei hæc expeditio, neque solùmodo, vt Lusitani aiunt, promissa Rex Hispanus negat, verùm etiam edicto vetat, ne quis suorum subditorum, Hispanorum sub graui pœna in hac expeditione militet. Nihilominus Rex Sebastianus Princeps 24. annorum, iuuenis in primis magnanimus, expeditionem in stitutā prosequitur, rebus bello necessarijs maximo sumptu procuratis, in Africam tendit, ad vnū suorum portuum Tanga nomine appellit, vbi cum omni suo exercitu se recipit: cui post adhuc accesserunt sexcenti aut septingenti Itali milites, sub Anglo Tribuno Stuckleio, qui à Romano Pontifice, ad Hiberniam Reginæ Angliæ à Pontifice excommunicatæ eripiendam missi fuerant.

Digitized by Google

An 1578. Itaque duobus equitum & sedecim peditum millibus, quorum præfecti Lusitani, Germani, Hispani, Itali, maxima quoque lixarum & cunicularium multitudine, viginti etiam tormentis æneis instructus, iter aggreditur, urbemque Alcazabiram petit, Mahometo Rege expulso comitante. Quarto die Augusti Muleius Malucus Morochæ, & Fezæ Rex obuiam ei fit, cum viginti duobus equitum, & decem peditum scloperariorum millibus, tormentisque æneis viginti quatuor. Erat Malleius Princeps industrius, ingenuosus, strenuus, expertus, omnium vicinarum linguarum peritus, in Hispania aliisque regionibus cum Christianis conuersari, eorumq; amicitias non inimicitias venari solitus. A Turca in regnum suum locatus fuerat, quod sibi potius, quam fratri, quem ex muliere Aethiope nigrum æthiopem procrearat pater, deberi prætendebat. Muleius Malucus simul ac suas copias in aspectum Sebastiani Regis Lusitaniæ adduxit, acerrimè ab eo impetitur, imò ter aut quater in fugam vertitur. Verùm Afri sue Barbarici, populi agiles, ac sagaces inprimis ad iterandam pugnam, crebro congressu Lusitanos equites fatigatos, tandem etiam pedites à fronte & à tergo inuadunt: validoque suo equitatu ac peditatu cæde ingenti sternunt. Sebastiani militum pauci admodú elapti, plurimi interempti, reliqui capti: tormenta quoque bellica derelicta. Ipse Rex Sebastianus posquam strenue se defendisset, & equis aliquot quibus vehebatur tormentorum iaculatione prostratis, in recentes celeriter transultasset, tandem verò omnem suum exercitum profligatum & cæsum, seque cum paucis suorum, ab hostibus circumseptum videt, vestem linteam albam in pacis signum erigi iubet: id simul ac Mauri vident, sinistrè accipiunt, existimantque nouæ aggressionis indicium esse: proinde Sebastianum cum suis omnibus subitò inuadunt, opprimunt, cædunt que. Rex Aethiops Mahometus profugus, flumen traijcere nititur, verùm equo vehebatur in limo hærente, submergitur. Inter prœliandum Muleius Malucus ex ventriculo laborans, lactis comesti coagulatione, cum aciebus disponendis, fuisque ad pugnam adhortandis feruenter intentus fatigatum se sentiret, ex equo in currum infirmitate vrgente transfertur, subitoq; hic moritur, victoria potitus. Succedit ei statim in regnum frater Muleius Hametus, qui & nunc temporis adhuc idem occupat. Fuit hic dies celeberrimus cæde ac morte trium horum regum, quorum cadauera Rex Muleius Hametus deferri in tetorium victoris Regis mortui iubet: res profectò & rara & miseranda admodum. Occili cùm Rege Sebastiano, sexcenti, & vltra, proceres, præcipui Lusitaniæ nobiles: inter quos Dux Aueræ, D. Ludouicus Corduanus, D. Damianus Diasius, Egidius Menesses, Georgius Siluanus, Franciscus Portugallus, Constantinus Comitis Santuvale frater, Laurentius Almadæus, Aluarus Perezius à Tomara, Aluarus Siluanus Comitis Portulæ frater, Fernandus Siluanus: Captiui filius Ducis Bargantiæ, D. Edouardus Menesseus, Tribunus militum, & Præfectus Tangerus, ipse quoque D. Antonius Portugallus, filius Ludouici, filij fratris Regis Ioānis, filij Emanuelis, qui cum à multis illegitimus tunc temporis haberetur, se legitimum declarare coram Pontifice & Potentatibus animosè fortiterque contendit, & legitimè electum Lusitaniæ Regem prætendit. Hic Antonius aduerso hoc prœlio captus, à quodam patris sui quendam seruo cognitus, admiranda dexteritate liberatur, atque in Lusitaniam venit: patruo suo Henrico Cardinale, iam à populo in Regem Lusitaniæ electo: hic enim magis quam in alijs regnis aut regionibus, populi suffragia prævalent, recta linea siue progenie à patre in filium successorem deficiente, vtentes etiam lege Salica, fœminium genus excludentes.

Rex Sebastianus Lusitan. in prælio cæsus.

Tres Regis mortui in eorum desultatur.

Antonius Portugallus captus.

ARGV-

Digitized by Google

GANDAVENSES *difficulter admittunt Religionis libertatem & reconciliationem, quæ tamen non fuit diuturna. Casimiro iam in Angliam Profecto equites eius omnes, cum libris saluiconductus Parmensis e Belgio discedunt. Parmensis per Brabantiam iter faciens obsidet Traiectum ad Mosam. Artesienses & Hannonienses multis modis sollicitantur, vt generalitati adhæreant sed nequicquam. Montignius & alij Regi reconciliantur, quos sequuntur & sunt prouinciæ Artesiana & Hannoniensis. Eas ob causas vltraiecti reconciliatio inita. Busseduncenses turbis apud se ortis ad Regem deficiunt. Incertò hoc rerum statu Antverpienses Ecclesiasticos quosdam vrbe sua prohibent. Fœmondanus Bruxellas violenta manu studet opprimere. Brugis etiam conabantur Catholici Romanus vrbis statum inuertere. Traiectum ad Mosam arcte obsessum à Parmensi occupatur. Articulorum pacis Coloniæ tractatæ exitus fuit defectio Artesiæ & Hannoniæ, qua occasione de causa belli agitur. Imbyssius gubernationem suam Gandauensis stabilire conatur, seditionem mouet contra Auracium, & primarios magistratus. Capti proceres è Gandensi carcere pleriq; elabuntur. Auracius eo veniens Senatum Gandensem renouat, atque ita Imbyssius stationem deserit. Parmensis externum militem demittit. Hinc Mechlinienses ad defectionem impulsi. Flandri potiuntur Menninga, & Lanoueo duce alia multa stratagemata bellica feliciter expediunt. Groninga obsessa conditiones accipit. Rustici ibidem desperati male mulctantur. Facta hæc sunt vnius anni spatio sub Archiduce Matthia & Duce Parmensi.*

LIBER NONVS.

ARCHIDVX Matthias, Princeps Auraicus, & status Consilium, postquam vident Casimiri in Flandriam discessu suspiciones ac diffidentias magis magisq; augescere, maximè apud VValonicas prouincias & Ducem Andegauensem, quasi fœdere cum Anglis inito, ratio modusq; regiones simul deuinciendi atque inter se partiendi, vnico reformatæ Religionis prætextu, ab ipsis quæreretur: omni studio nituntur suspiciones tollere, turbas sedare, & malecontentis satisfacere: imprimisq; sua acta iusta liquido probare ac manifestare, & eorum animos ac machinas, qui ab hoste promoti, & Ioanni Austriaco fuere reconciliati, inter quos Motteus & alij nobiles, fuerant, detegere.

Huius negotij ergo Princeps Auraicus constitutus Legatus Teneramundam venit 22. Nouembr. vbi per quosdam sibi & generalitati addictos suam Legationem probè ac sapienter instituit: rogant proinde Gandauenses Gandauum venire velit: deliguntq; dissidij componendi disceptatores D. Ioannem Embisium & Iodocum Coddeum tanquam legum iudices: D. Egidium Baclutium, Iacobum Cabeliaum, partitionum iudices: D. Ioannem Dammanum Ombergæ dominum, Iodocum Triftum, Iodoci filium, & Franciscum Hageum ciuium iudices: D. Ioannem Crucium primarium censorem siue decurionem: Liuinum Caselum, Michaelem Houtenum & Leuinum Heylingum decuriones: M. Liuinum Grauium, & Liuinum Herdeum Liuini filium Lanificij præfectos: cum his diuersorum studiorum ac animorum hominibus, de concordia constituenda agi inceptum est, postquam Auraicus 4. Decembr. Gandauum venit.

Propositiones ad sedandas turbas Gandauenses.

Vtautem Auraici negotia facilius intelligantur, operæpretium est scire, Archiducem Matthiam, Principem Auraicum, & Consilium, status ad sententiam vel rescriptum Gandauensium 27. Octob. supra memoratam, Antverpia 3. Nouemb. auctoritatem consignatam acceptationis, Gandauum misisse: vt scilicet liberum Catholicæ Romanæ religionis exercitium Catholicis, & bonorum vsum fructum Ecclesiasticis in omnibus Flandriæ locis permittant: vt etiam Ecclesiastici modestè fideliterq; se gerant, neq; aliquid contra Ordines machinentur, sub graui pœna. Suam Celsitudinem, Excellentiam, Consilium, Ordinesq; generales sedulò operam daturos, vt reliquæ prouinciæ ad permittendam religionis pacem inducâtur: Libentibus quoque animis acceptare promissa de nobilibus non extirpandis aut diminuendis, prouincijs & ciuitatibus non opprimendis, iurisdictionibusq; non violandis: præterea etiam de captiuis Gandauis ad iuris & æquitatis normâ tractandis, hoste extraneo propulsato: acceptare similiter promissa, se nihil attentaturos interea temporis in damnum aut in fraudem eorundem captiuorum sed per-

Digitized by Google

sed permissuros vt in locis neutri parti addictis asseruentur vsq; ad decisionē diremptionemq; causæ. Prædictos hos articulos omnes, si Gandauenses exequantur compleantq; generaliter in protectionem ac defensionem, contra quoscunq; incursus, impetus & violentias hostiles recipientur: & vt stipendiarij VValones omnes ex Flandria & occupatis locis præsidijsque ad castra abeant curabitur, si id facere recusent, modi vires quibus cogantur, adhibebuntur. An. 1579.

Vt autem Gandauenses ad complendam hanc auctoritatem consignatam suasionibus adhortationibusq; induci facilius possint, à Magistratu & tribunis Antverpiēsibus missi aliquot deputati Gandauum veniunt 7 Nouemb. hi Gandauensibus ample & plene generalem iuratam Vnionem, pluriaq; commoda inde subsequuta proponunt, quæ si modis rationibusq; ipsis promissis obseruata continuataq; fuisset, hostem iam Belgio expulsum aut vltra Mosam fugatum viderent: Impossibile esse exercitum alere sine Flandrica contributione: necessario aliò quin dimitten dum: quod si fiat, ruinam & excidiū Brabantiæ, Flandriæ aliarumq; prouinciarum procul dubio imminere: Exhausta prorsus Brabantia, exercitum mox Flandriam inuasurum. Brabantos autem ad paupertatem redactos Flandris subuenire posse nequaquam sperandum, cum Brabantorum facultates omnes quatuor proximis mensibus generalitatis causa obligatæ sint. Geldrienses pauca præstare, vtpotè qui intra nouem menses 15. florenorum millia, non amplius, contulerint, & ab hoste facilè impediri queant. Frisios longè dissitos, tantum viginti tria florenorum millia intra nouem mēses numerasse. Hollandos & Zelandos longo bello exenteratos, nōn posse, ob graues sumptus aggerum reficiendorum, vltra 25. aut 30. militum cohortes suo ære sustentare. Artesienses & Hannonienses iam pecunias quibus præsidiarijs suis satisfiat, deposcere: imò horum defectionem timeri. Rogant proinde Antverpiensium deputati, Gandauenses, vt se voluntati Archiducis, Principis, & Consilij accōmodent, & curiæ summam pecuniarum qualem extrema rerum necessitas, & patriæ conseruatio postulat, mittant: quandoquidem intra nouem menses illorum nomine tantum 30. & 40. florenorum millia sint cōtributa.

Aduentus Antverpiensium deputatorum Gandauum.

Antverpiensium propositiones Gandauensibus obiectæ.

Decimo Nouembris Andegauensis per D. Bonninetum lubens suam operam Gandauensibus offert, declaratq; eos arbitrum æquiorem candidioremq; se, non facile delectaros ad dissidia componenda: quandoquidem vehementer cupiat inter ipsos & VValones alienatos concordiam constituere: sicut feliciter non minus quàm fideliter in Francia fecerat. Quod ad captiuos attinet, hos debere in suæ Celsitudinis potestatem tradi, vt patriæ defensores, & Angliæ Regina, communi consilio de eis ex æquo & bono statuant.

Andegauensis suam operam Gandauensibus offert.

Vndecimo Nouemb. Deputati ab Archiduce, Principe Auraico, Cōsilio Status, & Ordinibus generalibus, suas quoq; literas Gandauēsibus exhibent, & orationē lōga allegant proponuntq; rationes graues & incommoda plurima: postulantq; vt articulos supra dictos acceptare velint.

Proceres Belgij ad Gandauenses literas mittunt, easq; explicant.

Eodem die D. Dauisonus Reginæ Anglorum Legatus, auctoritate literarum Reginæ, 21. Octob. & 6. Nouemb. scriptarum, declarat Gandauenses toti orbi occasionem dare suspicandi, Reginam velle bellum in Belgio, cuius finem vicini tam opere exoptabant, foueretq; iidemq; imputandum, quod res bellica, cùm superandi hostis spes bona appareret, minus feliciter succedisset: inconsulte etiam & temerè hæc negotia inceptasse, ablq; totius corporis Belgicarum regionum auctoritate aut consensu. Præterea ex actionibus quibuldam colligi: ipsos neque superioribus, neq; Magistratui obedire velle: & hinc quidem quotidiam occasionem sumpturos Ordinibus auxilia ferendi, seditiososque corrigendi ac puniendi.

Regina Anglia Legatus ad Gandauenses.

Caeundum ipsis ne proprij commodi causa, commune omnium prouinciarum commodū impediant, vires hostibus patriæ augeant & reliquorum Belgij membrorum potentiam armaque in se ipsos conuertant: neue amicos extrancos sibi inimicos reddant, vnde generalis omnium perditio oriatur. Et quandoquidem plurimi in suspicionem adduci possent, Ioannem Casimirum (qui Anglorum Reginæ causa in Belgium venit) clandestina machinatione Gandauensibus auxilia laturum: declarat idem legatus suam Maiestatem id valde abhurdum reputare, talemque hac in parte agendi modum prorsus defugere.

Suam Maiestatem intellexisse, spei satis adhuc superesse incommoda difficultatesq; intestinorum bellorum euitandi, dummodo Gandauenses se, vt ratio æquitasq; postulat, petant, & Principis Auraici Ordinumq; consilia sequantur in tribus articulis: nempe Restitutione bonorum Ecclesiasticorum, quæ adhuc restant: Receptione pacis religionis, qua in aliis multæ ciuitates receperant: Collocatione deniq; captiuorum loco neutræ parti addicto, in potestate nempè suæ Maiestatis aut alterius, tali securitate & cautione, qualem ipsi Gandauenses optarent.

Proinde sua Maiestas eis apertissimè declarari vult iubetque, nisi rationibus tam æquis & necessarijs obtemperent, iustissimam hanc futuram causam ob quam se alienet, colque prorsus deserat: rogat ergo animum his rebus diligenter intendant.

Postulat idem Legatus singularem obligationem à Gandauensibus 45. librarum millia ferling, in Reginæ vsum commodumque, sicut Bruxellenses, Antverpienses, Brugenses, Middelburgenses, Dordracenses, Amsterodamenses, Dunkerkenses & Neaportuenses præstiterūt.

Decimo-

An. 1579. Decimo tertio Nouemb. Deputati Bruxellenſium idem quod Antverpienſes, declarant adduntq;, Principem Auraicum apertè demonſtraſſe, has difficultates neutiquá ſuperari poſſe, niſi Gandauenſes ſe generalitati conſocient: negotium iſtud eſſe omnium laborioſiſſimum grauiſſimumq;, vtpotè à quo totius patriæ ruina, & ſuum ſuæq; familiæ nomen, decus, auctoritas maximè in rebellica dependeat: ſe etiam iniuſtiſſimis calumnijs obrui, falſoq; accuſari, tanquam auctor conſciuſq; ſit rerum Gandaui geſtarum: de his ſe ne cogitaſſe quidem vnquá: decreuiſſe autem, Ordinum generalium conſenſu, Apologiam, qua ſe expurget, ty pis diuulgare.

Deputati Bruxellenſes mouent Gandauenſes vt ſe generalitati conſocient.

Cumque ſua Excellentia vtilem imprimis reputet reformatæ religionis progreſſum, vereri, ne vnius ciuitatis importuno zelo, inter reliquas ciuitates ac prouincias diſcordiæ oriantur, & diro hoſti ſimul prædæ fiant, atque ita religio reformata omnino excludatur: iſtud autem periculum, Religionis pace euitari facile poſſe.

Turcam Græcos religionis cauſa dimicantes ac contendentes miſerè oppreſſiſſe. Nullum bellum nocentius inteſtino ſiue ciuili, quod religionis cauſa geritur: maximè cum vtraq; pars intra patriæ limites hoſtem adhuc habeat, qui Catholicæ religionis protectionem, belli occaſionem prætendat: quam profectò V Valones potius ſint accepturi, quam religionis violentam mutationem paſſuri. Rogant proinde, ſe aliis iungant accommodentque, & memores ſint tum communis neceſſitatis, tum etiam fidelitatis vniuerſæ patriæ à Bruxellenſibus præſtitæ.

Poſtremò declarant, Bruxellenſes ſe nulla ratione ab Auraico aut à generalitate velle diuelli, aut ſuæ Excellentiæ occaſionem dare Rempub. relinquendi: cùm neminem mortalium ſciant, præter hunc ſolùm, qui cauſam neceſſitatemq; communis patriæ melius cognoſcat, aut remedia potiora adhibere queat.

Gandauenſium reſponſio ad demonſtrationes Legatorum & deputatorum.

Gandauenſes 18. Nouemb. ad memoratas demonſtrationes dictis Legatis & Deputatis omnibus ſimul reſpondent: Ex conditionibus ac propoſitionibus ſupra dictis nequaquam colligi, ſe aliqua ratione obligatos aut deuinctos eſſe, antequam ipſa ſtipulatio ab Archiduce Matthia, Principe Auraico, Cõilio Status, & Ordinibus generalibus recepta & completa fuerit, hoc eſt, Gandauenſes nequaquam teneri Eccleſiaſticos Romanos reſtituere aut promouere, antequã ſeditioſi V Valones ab hoſtilibus armis factiſq; deſiſtant, & Flandriam relinquant; reliquæ etiam prouinciæ omnes pacem religionis ſincerè ac integrè recipiant: ſimiliter ad alios articulos reſpondent: addunt inſuper ſe ne cogitaſſe quidem vnquam de diuortio: imò lubentiſſimè cupere Archiducem, Principem, & Generalitatem ſumma obſeruantia colere, eiſdemq; debita reuerentia in quibuſcunq; Chriſtianis ac pijs præceptis atque præſcriptis obedire, quandoquidem huius præcipuè rei cauſa, vnanimi conſenſu cum reliquis Flandriæ membris Auraicú Comitatus Flandriæ Gubernatorem elegerint, ob eximias viri virtutes, rei politicæ & militaris experientiam, regionum naturalem notitiam: imprimis autem ob Chriſtianæ religionis profeſſionem, à qua Gandauenſes, diuina fauente gratia, nullo vnquam tempore, neque in vita neq; in morte ſe quacunq; ratione defecturos ſperant: tum etiam ob ſinceram beneuolentiam, & ingenuum amorem à ſua Excellentia proximè elapſis annis manifeſtè ac re ipſa præſtitum.

Curia, poſtquam reſponſum iſtud à Gandauenſibus, non admodum gratum, accepit Antverpiæ, Auraicum Teneramondam & inde Gandauum mittit: is 4. Decembr. Gandauum venit, vt diximus: cumque Deputatis, vt eum audirent, mandatum eſſet, ore & ſcripto has propoſitiones exhibuit.

Propoſitiones principis Auraici Gandauenſibus exhibitæ.

I. Vt Gandauenſes acta acceptationis ſupradictæ recipiant.

II. Ne ab vnione & concordia generali Ordinum deſciſcant, ſed eam concorditer adminiſtrent confirmentq́ue.

III. Ne quid in rebus ad generalitatem totius patriæ Belgicæ, & Comitatum Flandriæ ſpectantibus conſtituatur aut concludatur abſq; conſilio & conſenſu quatuor membrorum Flandriæ.

IIII. Cumq; ante hac parum ordinatè generales contributiones ſint collectæ: vt poſt hac frugaliter vtiliterq́ue collecta pecunia collocetur: & ne vllus ſuſpicioni locus relinquatur, vt modus, ordo, normaq́ue conueniens tam in collectionibus quam erogationibus earundem pecuniarum contributionumq́ue publicarum decernatur.

V. Vt ea quæ ad ciuitatis gubernationem ſpectant, communi conſenſu, ſecundum priuilegia & conſuetudines citra confuſionem adminiſtrentur.

Poſtremò, Celcitudinem ſuam decreuiſſe, actorum præteritorumq́; omnium generalis & perpetuæ obliuionis promulgationem: vt ſuſpicionibus ac ſcrupulis cunctis prorſus amotis, ſecurius tranquilliuſque viuatur, mutuuſque amor reſtauretur.

Rationes perjuſoriæ Principis Auraici.

Hi articuli cum Senatui & Magiſtratui Gandauenſi vt plurimum placerent, variè multumque cum Principe conſultant, quibus potiſſimù rationibus ciuitatis membris perſuaderi queat, Nihil eſſe difficultatis in eo articulo, quod duæ Religiones in vna eademque ciuitate conſiſtere nequeant: id amplè ſatis diſceptatum declaratumque libellis ſupplicibus pro pace religionis, 22. Iunij & 7. Iulij præſentis anni oblatis à reformatæ Religionis deſenſoribus, quibus tantum-

modo li-

modo liberum religionis exercitium poſtulabatur prætendebaturque, cum promiſſione ſecu- An. 1578.
ritatis & cautionis Eccleſiaſticorũ poſtulato hoc exercitio liberè iam conceſſo, æquum quoq; eſſe vt Romanis Catholicis ſimiliter prouideatur atque ſatisfiat: vt vnicuique libera conſcientia Deo omnipotenti ſeruire, eidemque animam puram die nouiſſimo offerre integrum ſit.

De captiuorum Antverpiã, aut aliò, pro Gandauenſium arbitrio, auctione fruſtra diſceptari: quandoquidem ſumptui & oneri ſint ciuitati Gandauenſi. Eos autem in loca neutri parti addicta ſine cõuenienti ac ſufficienti cautione, obligatione, fideiuſſione, nequaquã auehendos.

Non obſtantibus ſupra dictis rationibus, acta acceptationis nequaquam recuſari poſſe: quandoquidem Archidux, Princeps, & Ordines generales quibus, vt pote ſuperioribus & præpoſitis, ex verbo Dei ſit obediendum, ita poſtulent.

Perpendendũ inſuper extrema neceſſitas acriter admodum vrgẽs: vt cædes, incendia, rapinæ depopulationes prohibeantur auertanturque poſſ hac ecum nulla alia reſtet via ſeditioſos VValones domandi, quorum vires vſque adeò accreuere, vt Gandauenſes abſque aliorum auxilio eis reſiſtere nequaquam poſſint: maximè cum Oudenborgenſes paucis hinc diebus grauiter ſint conqueſti, ſe vi coactos equitibus circa vrbem agentibus ſeruitij loco numeraſſe in ſingulos dies trecentas libras, præter debita ſtipendia.

Ad hæc reliqua tria Flandriæ membra palam teſtificari, ſe bellum in Flandria gerere nullo modo velle: ſed generales facultates & communes pecunias alendo exercitui generali contra communem hoſtem prorſus impendendas: præterea minores ciuitates, municipia & pagos regioni ſine iuriſdictione Gandauenſi, ſubditos nequaquam velle ſe ſociare Gandauentibus, abſque trium reliquorum membrorum conſenſu.

Hannonienſes & Arteſienſes iam meditari pacificationem cum Hiſpanis eorumque ſocijs, & ſe hoc pacto à Flandris ſegregare.

Brabantos poſt longas preces declaraſſe, ſe inuitos nolenteſque cogi, parte delecta, Gandauenſium ſocietatem deferere: quod ſi fiat, ſummam Gandauentibus miſeriam, calamitatem neceſſitatemque impendere: quam quidem facile auertere queant, dummodo ſe ſubmittant obedientiæ Archiducis, Principis, Conſilij, ſtatus & Ordinum generalium, qui eos in ſuam tutelam ac protectionem recipiant, atque ab iniurijs & violentijs hoſtilibus defendant.

His aliiſque ſimilibus demonſtrationibus habitis, 16. Decemb. Auraici Principis ſuorumq; ſumma diligentia negotium omne tranſigitur. pax religionis admittitur. Catholicis Romanis diuerſa templa ad ſuæ religionis exercitium conceduntur, iiſdemq; ſupplicationes ſiue proceſſiones intra templorum limites, & Euchariſtiæ per plateas ſine pompa geſtatio, permittuntur. *Gandauenſes reconciliantur, & pacem religionis accipiunt.*

Monachi & Monachæ in ſuis monaſterijs reſtituuntur: Monaſteria cœnobiaque deferere cupientibus alimenta ſuppeditantur pro Magiſtratus arbitrio: quatuor Ordines mendicantes, ne ciuibus ſint oneri excluduntur: Monaſteria quædam ſcholis vtriq; religioni deſignantur.

Ne Religio altera alteri damnum, moleſtiam, offendiculum, verbis aut factis, cantilenis aut picturis, aliiſve modis faciat, prohibetur.

Ne alter in alterius templum intrans, aliter quam ex more ciuſdem Eccleſiæ ſe gerat.

Ne publicis & conſtitutis diebus feſtis opera exerceantur, aut tabernæ aperiantur: vt venditionis carnium antiqua politia & conſuetudo ciuitatis obſeruetur.

Vtrique religioni addicti iurabunt magiſtratui debitam obedientiam & fidem, auxilium quoque & opem in malefics, præcipuè autem harum conſtitutionum præuaricationibus puniendis. Magiſtratus Religionem vtramque in ſuam tutelam ac protectionem recipiet.

Officiales, tribuni, militumq; Præfecti omnes tam præſenti quam futuro tempore, magiſtratus quoque, decuriones, alijq; adminiſtrationibus præpoſiti: ſimiliter concionatores, & ſynodorum reformatæ Religionis patres: capitula quoque, collegia & conuentus, hæc ſe obſeruaturos iureiurabunt. Actum Gandaui 16. Decembr. 1578.

De captiuis nihil ſingulatim ſtatutum: vetitum autẽ ne quid contra eos attentetur: eorumque cauſa in tempus magis opportunum audienda atq; examinanda comperendinatur. His itaque vnanimi conſenſu confectis, Eccleſiaſtici vndique reuertuntur, & Religionis, templorum, monaſteriorum atque bonorum ſuorum compotes fiunt: verùm pactio hæc non admodum diuturna fuit.

Rebus Gandauenſibus melioreiam ſtatu diſpoſitis, Archidux, Princeps, & Ordines, abſq; longiore mora, cum ſeditioſis VValonibus tranſigere, animum intendunt, atq; huic negotio maximè idoneos & VValonicis militib' amicos gratoſij; præſiciũtihi perſuaſorijs quibuſcunq; rationibus vſi, inter alias proponunt, Gandauenſes demonſtraſſe, regionem Gandauenſem vi coactam, graſſantibus VValonibus, intra octo aut nouem menſes, redemptione quadam incendiaria, trecenta florenorũ millia præſentarijs nummis numeraſſe: alias inſuper extortiones, cõtumelias, violentas, exactiones, grauiſſimaq; damna ab iiſdẽ paſſa. VValones contra cauſantur, Religionis pacem recens inuctam Pacificationi Gandauenſi & Vnioni iuratæ repugnare. Hinc *VValones ſeditioſi pacem prorſus recuſant.*

facilè

Digitized by Google

An. 1579. facilè potuit hos quibus cum agebant, alio fundamento niti, & solum modo prætextu quodam palliandi ac dissimulandi vti: atque ab Hannoniæ & Artesiæ proceribus VValonicarumq; prouinciarum Ordinibus, qui clandestinè de reconciliatione cum rege tractabant, fuisse constitutos atque instructos. Mittunt eò insuper Ordines generales Belgij, legatos nomine & auctoritate præstantes, Marchionem Haureum, Consiliariam Meekerckium pluresque alios: verùm operam, vt post dicemus, perdunt. Principes capitaq; VValonum D. Motteus, Capresius, Montignius, Hezeus, similesque nonnulli, Meninas, Casselum & multa suarum gubernationum loca occupabant: his Burggrauius Gandauensis Artesiæ Gubernator, qui equitum Magister in castris Ordinum Belgicorum fuerat, iam recens domum reuersus, socium se iungit. Autores qui hos aliosque ad Regis partes pertrahebant potissimi fuere Episcopus Atrebatensis, Baro Selleus, D. VValhnonius, &c.

Pax religionis iterum rupta Gandaui.

Postquam Gandauenses VValonum militum, VValoni carumque prouinciarum institutа, ambitioni, auaritiæ, dominandi cupidini, odio, inuidiæq; adscribenda, omnino intelligunt: mox coryphæi aliquot ciuitatis, qui suo etiam lucro ex administratione facultatum Ecclesiasticarum nouaque administratione inhiabant, atque hinc faciliùs, si extrema alea infeliciter cadat, sese Regi reconciliaturos certò confidebant, seditionem populi concitant, qua Ecclesiastici 9. Martij expelluntur, templaque vastantur: causam prætendunt, Ecclesiasticos fœdus initum rupisse, Monachos scilicet conciones suas habuisse, in templis parœciarum solummodo concioni designatis & similes. Idem quoque mense Martio Aldenardæ & Teneramondæ fit. Itaque Gandaui commotio posterior priore acrior grassatur: vnde Ordinum consilia negotiaque vlterius perturbantur.

Casimirus in Angliam venit.

Casimirus, quem Gandauum venisse diximus, Gandauo, postquam res, Auraici summa dexteritate, hic fuere compositæ, discessit, cum familia sua aulica, & 18. Ianuarij 1579. in Angliam naue appulit, vbi magnificè admodum à Regina excipitur, & equestrium nobilium periscelide insignitur: tandem arcanis consilijs multis simul communicatis, honorarijs pretiolis, regiaque pensione donatus dimittitur, & reginæ nauibus 14. Februarij Flissingam vehitur: hic suos milites Belgium relinquere primùm intelligit.

Arx Carpensis capta à Parmensis militibus.

Cùm autem Ordinum exercitus mense Nouembri dimitteretur, & Casimiri equitatus peditatusque in Brabantia circa Thinas, Arschotum aliaque vicina loca hybernarent, Princeps Parmensis, defuncto Ioanne Austriaco, Regij exercitus imperator factus, Falckeburgũ VVeerdam & Carpam vehementissimè oppugnari iubet. Erat tunc Carpensis præsidij præfectus quidam, ex Comitis Ludouici Nassauij strategis, nomine Byleus, ciuis Vltraiectensis, filius. Hic cùm ab Octauio Gonsaga equitum præfecto, & Montdragonio, 8000. militum, copijs arctissimè obsideretur, suorumque præsidiariorum plurimi aliò missi abessent, strenuè cum paucis hosti restitit: donec tandem arx duodecim maioribus tormentis toto die oppugnata, & labefactata tribus locis, creberrimo impetu expugnatur 8. Ianuarij. Erant in hoc præsidio tantum quadraginta quinque milites: quorum triginta sex illicò de arboribus proximis suspenduntur: postea etiam reliqui, cum strategi Byleo in arcis porta ignominiosè laqueis suspensi strangulantur.

Casimiri milites è Belgio discedunt.

Reuertitur deinde exercitus Regius Ruremondam, vltra Mosam, capiunt Halmontem, & VVerdtam, præsidiariosque omnes suspendio mulctant, postea pergunt Turnhoutum, Ranstam, & Endouiam: hic quotidie confligitur cum Casimiri equitibus: qui simulac Parmensem cum copiosissimo suo exercitu Arschotum venire vident, seque à valida hostium multitudine sperari ac opprimi, & frustra pecunias exspectare, consilio inito, de discessu cum Parmense agunt: vtque abitus eorum, magno Regis commodo, citius acceleretur, exigunt aliquot mensium stipendia sibi persolui, promittuntque se intra aliquot menses contra Regem stipendia non merituros: dumq; hac spe negligentes discordesque videt Parmensis, repulsam ab eo fuerunt cum ignominia, turpique opprobrio, quod pecunijs conducti, miserum innocentemque populum à quo ante læsi non essent, tam crudeliter trucidarent ac spoliarent: nihilominus literas tuti itineris tandem impetrant, quibus Regis prouincias intra quindecim dies exeant. Ita Germani Belgium relinquunt, bellum infaustum execrantur: agros passim depopulantur ac deprædantur: cum in vrbes nusquam aditus pateret.

Casimirus Flissingæ de suorum discessu certior factus, subsequitur, Archiduce Matthia, Principe Auraico, Consilioque status, qui tunc simul Antverpiæ erant, insalutatis.

Ordines Belgici postquam de Germanorum equitum abitu cognouerunt, pecunias eò mittunt, & duobus aut tribus equitum militibus stipendia vlterius offerunt, si in Belgio sub ipsis moereri, & manere velint: verùm iter iam ingressi, redire recusant. Abit & Lazari Mulleri legio pedestris.

Parmensis cũ suo exercitu Antverpiam tendit.

Parmensis liber & securus ab equitatu Germanico, agrisque circumcirca iam potitus, Antverpiam tendit, & Ioannem Baptistam Montanum cum equitatu præmittit: mox captis aliquot arci-

Digitized by Google

quot arcibus vno & altero ab vrbe miliari, Borgherhoutum proximum Antvverpiæ pagum venit: hic vallo foſſiſque munitiagebant Ordinum milites, quadraginta & amplius cohortes VValonum, Gallorum, Anglorum & Schotorum ſub Lanouio, Argentlieuo, Mouyo, Norriſio aliiſque militiæ præfectis: itaque duabus vt minimum horis leui prœlio pugnatur, multis vtrinque cæſis: verùm cum Parmenſis numero potior eſſet, & Ordinum peditatui deeſſet equitatus, cogunturpugnando retro cedere, ſub vrbis muros confugere, & munitionem relinquere: abeuntes Borgherhoutæ ignem injiciunt: ſimulac ſub vrbem veniunt, maiora tormenta ex mœnibus diſploduntur in hoſtem: quibus perterriti Parmenſes propius accedere non audent. Archidux Matthias & Auraicus interea altis in mœnibus ſtant, prælia ſpectant, ordinemque rerum gerendarum conſtituunt. Factus fuit hic propè Antvverpiam congreſſus ſecundo Martij, Bacchanaliorum die, à mane in veſperam vſque. Cæſi amplius quadringenti, maximè Parmenſes, alij enim defenſioni imprimis intenti ſubmœnibus in procinctu ſtabant. An. 1579.

Poſtridiè Parmenſes, quod commeatus deficeret, Antvverpia diſcedunt: in itinere caſtella prætoriaque quædam capiunt, & flammis deformant. Arcem Grobendouckam Gaſparis Scheti, quatuor tormentis maioribus quaſſatam, deditione captam in cendunt: inde Herentalem verſus iter inſtituere videntur: in hanc vrbeculam Lanoius paulò ante venerat cum militibus aliquot, vt quorſum vergeret Parmenſis, inde proſpiciat, & quacunque ratione poſſet, hoſtiles machinationes impediat. Proficiſcitur autem Parmenſis Traiectum inferius, idque omnibus ſuis copijs obſidione cingit 12. Martij: quo quidem Lanoius maiorem præſidiorum copiam introducere fruſtra conabatur. Huius obſidionis narrationi hic ſuperſedebimus: de VValonicarum Prouinciarum defectione, Vltraiectenſi Vnione, & Colonienſi Pacificatione ante dicturi. *Parmenſis obſidione cingit Traiectum inferium.*

Archidux Matthias, Princeps Auraicus, Conſilium Status & Ordines generales Antvverpiæ præſentes, Arteſienſium, Hannonienſium, & aliorum perſpecta propenſione ex commercio cum VValonibus ſeditioſis in Flandria, menſe Ianuario mittunt eo Abbatem D. Bernardi, Marchionem Haureum & Meetkerckium Conſiliarium, qui demonſtrent, hortentur, poſtulentque, vt in vnione, & generali concordia perſeuerent. Ad hæc deputatis Ordinum generalium alij reſpondent 23. Februarij indignanturque grauiter, quandoquidem hæc poſtulata non ad ſe, qui ſedulò ſemper concordiam & Pacificationem Gandauenſem ſeruarint, ſed ad illos potius attineat, qui eam enormi præuaricatione violarint: ſeque ea de cauſa conqueſtos, Nonis Ianuarij proximè elapſi, ſcripto libello expoſtulaſſe & petiſſe ſibi ſatisfieri, omniaque ad Pacificationis Gandauenſis normam reſtitui: prætendunt inſuper, non tantum inſolentiam effrenem, verùm etiam Religionis, pacem aliaſque nouitates recens introductas repugnare, dictæ Pacificationi & Vnioni, ab omnibus ſimul iuratæ: ſe delicti ac fruſtrationis, neque remedium, neque reparationem vllam poſthac ſperare, quandoquidem intelligant, eos à male agendo nequaquam abſtinere, verùm noua inſuper fœdera in nouæ Religionis commodum moliri: fruſtra proinde prætendi ac poſtulari, vt ſocij permaneant huiuſmodi generalitatis, quæ ad tam enormia connieat, & cum fidei ſacramentique abominandis violatoribus commercium habeat: huiuſmodi hominum ſocietatem continuantes, neque Dei iram, neque Regis indignationem, neque infamiæ labem vnquam effugere poſſe: idque ex Vnionis formula euidentiſſimè patere, quam generoſi, nobiles ingenuique omnes exactè obſeruare deberent, ipſius vitæ etiam periculo. Hoc nihilominus eos ſcire velint, ſe non ſingularem, ſed generalem reconciliationem requirere, quæ æquitati, Pacificationi Gandauenſi, Vnioni & Edicto perpetuò conformis ſit, abſque vllo additamento his repugnante, maximè quod ad ſanctam fidem & Catholicam Romanam Religionem attineat. *Ordines Belgici, miſis legatis poſtulat in VVlanes in Vnione & generali concordia perſeuerent.*

Significant præterea de reconciliatione, ab ipſo Rege optimis, optatiſſimiſque conditionibus oblata: ſeque Regis literas ſeptimo Februarij, Madriti ſcriptas accepiſſe, quibus ſummoperè laudato proposito de ſanctæ Catholicæ & Romanæ Religionis, atque debitæ obedientiæ conſeruatione ac obſeruatione, teſtatur ſe eoſdem literas gratulandi cauſa ſcripſiſſe, ſimulque orat & mandat vt perſeuerent, & vlterius latiuſque agant ac pacifcantur, cum Epiſcopo Atrebatenſe, Domino VValhuone & alijs: ſe ratum habiturum, atq; approbaturum, quidquid hi ex auctoritate mandati Principis Parmenſis conſtituerint: Noluiſſe autem hanc pactionem aggredi, quod propediem, conditionibus ante commemoratis, generalem ſeperarent reconciliationem, idque Parmenſi latius declaraſſe.

Rogant proinde, ne actionem hanc reconciliationis reijciant aut negligant, maximè cum nullæ vlterius bellum gerendi ſuperſint occaſiones, reconciliatione hac oblata: vtque ſiam mentem ac voluntatem hac de re ante decimo ſexto Martij ipſis declarent: deliberentque interea etiam, an omnia reſtituere, & obſeruare velint, ad normam Pacificationis Gandauenſis, & literarum 5. Ianuarij ſcriptarum: poſtremò teſtificantur ſe ſilentium, pro recuſatione

An. 1579. habituros. Simul etiam mittunt exemplar epistolæ Regis, & declarationis super ea habitæ coram Episcopo Atrebatense, Barone Selleo, & D. VValhuone, datæ 13 Februarij 1579. affirmantque asseueratione, Regis intentionem ac mentem esse vt Pacificatio Gandauentis, Vnio subsequuta, & Edictum perpetuum omninò seruentur & exequutioni mandentur tam generatim quam singulatim.

Ordines generales Artesiensibus & Hamonientibus respondent.

Ordines generales 3. Martij ad hæc respondent Antverpiæ: Se nihil aliud prætendere, quam conseruationem Pacificationis Gandauensis, quæ tota eo præcipuè vergit, vt ratio viaque perditionem regionum, concordiæ pacisque studio auertendi, & extraneos milites expellandi ineatur: hunc scopum hanc metam esse. Cumque Hollandis & Zelandis eo potissimum nomine religio sit permissa: nullam nunc amplius rationem superesse, hanc pacem & vnionem rumpendi: præstare autem Religionis paci pro temporis necessitate concessæ, ad quàm ineundam Ioannis Austriaci bellum inuitos compulit, se accommodare, quam iterum propria membra patriæque robora, quorum ope ac subsidio opus habebant, crudeliter comburere ac perdere: consultiusque videri concordiam seruare, quam Escouedi Prophetiam ratam facere. Quod autem ad pacem Religionis permissam attinet, satis superq; se apud Monarchas & principes, vniuersosque mortales excusasse ac purgasse: necessitate coactos id fecisse, ad seditiones cædesque suorum ciuium, ac popularium euitandas: quanquam tempore Pacificationis ea intentio non fuerit, cùm numerus Religioni reformatæ addictorum tantus non esset, cumque speraretur bellum concordia dirimi posse: ita vt pax Religionis, quæ Catholicæ Religioni nihil molestiæ aut difficultatis adfert, vnica via fuerit, Pacificationem inuiolatè conseruandi, vtpotè quæ impertiat cum pace Religionis, ea quæ pacificatio Hollandis & Zelandis concessit, idque pacis, concordiæ, & hostium expulsionis occasione. Proinde rogant vt se obseruationi & conseruationi synceræ pacificationis in principali Articulo, subsistantia & fundamento accommodare; & consilio, animis, Contributionibus ad expellendum hostem extraneum auxiliari velint.

Et quamquam in Pacificatione Gandauensi Hollandos & Zelandos deuinxerint, ne quid in his regionibus in damnum Catholicæ religionis attentent: hoc quidem pacto sibi ipsis nequaquam ademerunt libertatem (necessitate vrgente, & maioris mali euitandi causa) quæcunque constitutiones de Religione inter se componendi, sine captione aut detrimento partium. Sicut & Hollandi & Zelandi, quamuis Ordines generales eadem pacificatione obligauerùt, ne inuitis ipsis, in Hollandiam aut Zelandiam vllo modo Catholicam religionem introducant: hac tamen ratione ipsis nequaquam adempta est facultas aut libertas disponendi, pro suo arbitrio, Catholicæ religionis restaurationem: neque si id per se faciant, hac de causa infractæ pacificationis poterunt rei postulari.

Rogant proinde denuò, ad deuitandum maius malum & extirpationi Catholicæ religionis occurrendum, vt quibuscunque possint modis auxilia opemque eis ferant, se paratos mutua quoque auxilia conferre, neque pensum habere quid in quaque regione de religione, & vita incolarum decernatur: néue se vllis conditionibus pacificationis singulatim sinant ab hoste pellici, sed in iurata vnione maneant, sibique à periurio ac opprobrio caueant. Asseuerant præterea se nihil aliud cupere, quam veram firmamque pacem inire, & præscriptas ipsorum leges acceptare, dummodo omnes simul, absq; vllo religionis discrimine ijsdem comprehendantur: cùm sciant ipsum quoque hostem suos dolos nomine Religionis palliare, vt sic dissidio excitato, diuisos opprimat edemetque. Eaque de causa, se neutiquam à fratribus & socijs fœderatis quorum fideli opera sunt vsi, velle discedere causa Religionis, sed conscientias protestati & iudicio Dei committere: neque fœdus etiam cum suis initum velle deserere, sed mutuas potius partes fouere in bello gerendo, aut pace conficienda, atque hoc pacto Pacificationi Gandauensi satisfacere.

Quod si vnanimi simul consensu id fecerint, neque singulari pacificationi aurem præbuerint, hostem procul dubio & citius & facilius certam firmamque pacem oblaturum. Rogant proinde, vt bono eoque breui responso, mentem suam aperiant: se quidem summopere dolituros, si per imprudentiam aut inconsiderantiam vlterius, cum hoste pacisci pergant, nulla habita ratione generalitatis, & maximè illorum, quorum facultatibus & sanguine protecti, atque adiuti fuere; eosdemque hac tantum occasione deserant, quod Paci Religionis fauere, quam manus sanguine fratrum & popularium contaminare maluerint. Testantur insuper se nullam prorsus ansam præbuisse, sed sedulò intentos fuisse paci, vnioni & concordiæ generali, & hac de causa iniurias plurimas scripto, & verbis illatas patienter tulisse. Hortantur præterea monentque, vt quod æquum & honestum est, faciant, &c. Hæ literæ vtrinque scriptæ, postea amplioribus demonstrationibus præmissis, typis Christophori Plantini impressæ sunt: inde auidus Lector plura, si velit, petat.

Ciuitas

Digitized by Google

Ciuitas Bruxellenſis de ſalute Reipublicæ imprimis ſollicita, D. VVilhelmum Heckenum, vrbis quæſtorem ærarium, & Cornelium Arſenium Secretarium Legatos mittit ad Arteſianos, præcipuos, vt videbatur defectionis machinatores, impulſu atque hortatu D. Odardi Capreſij Gubernatoris Atrebati, & Burggrauij Gandauenſis Gubernatoris Arteſiæ qui quidem Gubernatores, Bruxellenſium Legatos aduenientes maledictis & conuitijs, tanquam fedifragos accipiunt, vtque ocyus abſque vllo reſponſo diſcedant, iubent. An. 1579.

Bruxellenſes ſcitis, a ſuos Legatos mittunt ad Arteſianos.

Demonſtrationibus commonitionibuſque creberrimis, Ordinum generalium contemptis ac neglectis, D. Motteus Greuelingæ Præfectus, qui inimicitias bellumque iam palam verebatur, Malecontentorum coryphæos permouet, inducitq; videlicet Baronem Montignium & alios ad fœdus ſimul ineundum, poſtquam ſe violento impetu inuadi videnti ab acerrimo duce D. Lanoio caſtrorum præfecto, ab Ordinibus generalibus miſſo cum 600. equitibus & 2000. peditibus fœderis autem formula hæc erat:

Nos Emmanuel Lalaingnius Baro Montignius, &cæt. fatemur notumque facimus hodie 6. Aprilis, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, nos fœdus pepigiſſe cum D. Motteo Gubernatore Greuelingæ, nomine Regiæ Maieſtatis, præſentibus interpretibus & conciliatoribus Reuerend. Dominis Epiſcopo Atrebatenſe, D. Selleo, & D. VValhuonio, tam pro nobis quam pro D. Hezeo, idque auctoritate & poteſtate plena ad hoc nobis conceſſa: pro aliis quoque omnibus militiæ tribunis, præfectis, officialibus, & ſtipendiarijs tam peditibus, quam equitibus qui nos ſequuti, ſuam operam obedienter præſtiterunt in Flandria aliiſque regionibus, menſibus his ſeptem aut octo proximè elapſis, peditibus ſcilicet præſentibus, 8000. & quitibus 400. cùm aliquot etiam captiuis, qui ſuæ Maieſtati officium, præſtare ſunt parati, ad formulam ſequentis Sacramenti, nempè, Iuramus ac promittimus, nos Religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam aſſerturos & conſeruaturos, omnem obedientiam debitam Regi exhibituros, Pacificationem Gandauenſem, Vnionem ſubſequutam, & Edictum perpetuum exacte ſequuturos: atque huius rei cauſa fideliter militaturos contra omnes, qui his refragari aut repugnare volent: Promittimus inſuper obedientiam Regis Legato, & Archiſtratego, quemcunque Rex pro ſuo arbitrio conſtituerit: dummodo vnitis Prouincijs, quæ ſimul hoc fœdere coniungi volent ad ſeruandos dictos articulos, gratus ſit & acceptus. Si verò Rex ſatis æquam iuſtamque ſecuritatem ſiue cautionem non præſtet, neque intra tempus ſtatutum efficiat, vt omnes Hiſpani, Itali, Albani, Burgondiones & alij milites dictis Prouincijs nequaquam grati, diſcedant, nequaquam tenebimur hæc promiſſa præſtare, nec quicquam etiam aggredi, antequam dicti Hiſpani & reliqui extranei has Prouincias reliquerint. Hoc autem iuſiurandum à noſtris militibus præſtari curabimus, noſque id ipſum effectum reddere, cupientes, Meninas, Caſtetum aliaſque munita loca quæ tenemus, cum omnibus bellicis tormentis, munitionibus ac præſidijs in ſuæ Maieſtatis manus tradimus, vt ijs, quod vtile videbitur, peragatur.

Fœdus inter Monignium & Malecontentos cum Motteo, nomine Regis Hiſp.

Vtque dictis, militibus ſtipendia exſoluantur, eoque magis voluntarij ad ordinem diſciplinamque militarem ſuæ Maieſtatis commodo ſeruandam, reddantur: Nos Valentinus Pardieus Mottæ Dominus, Greuelingæ Gubernator, &cæt. promittimus Regiæ Maieſtatis nomine, nos ſoluturos, & in manus D. Montignij conſtituturos, ducenta & quinquaginta florenorum millia: nempè quadraginta millia præſente pecunia, ſexaginta quinque millia, intra 6. menſis Maij proximi, & reliqua centena millia, intra 7. menſis Iunij ſequentis. Hac ratione nos Dominus Montignius, noſtros milites toto hoc menſe Aprili & Maio ſequente ſuſtinebimus, &, vt principio menſis Iunij proximi ſtipendia mereri incipiant, eoſdem recenſebimus: Nos autem Valentinus Mottæ Dominus, nomine Regiæ Maieſtatis illos huic militiæ conſcribi, & vnius menſis ſtipendium, intra decimum quintum diem dicti menſis ſolui curabimus. In teſtimonium veritatis nos literas has ſubſignauimus, eiſq; noſtrum ſigillum & inſignia appendi iuſſimus, præſentibus, præter ſupra dictos, D. Burggrauio Gandauenſe Arteſiæ Gubernatore & Archiſtratego, D. Capreſio vrbis Atrebatenſis Gubernatore, & D. Alleneſo militum tribuno. Actum Elitij monte, anno, menſe & die ſupra dictis. Subſcript. Valentinus: literis cara rubra conſignatis: ſimiles quoque ſubnotatæ & ſigillo conſignatæ fuerunt à Barone Montignio, in Mottei manus.

Poſtridiè Montignius, Atrebati in celebri Ordinum Arteſiæ, & Deputatorum Hannoniæ, Inſularum, Duaci & Orchiæ conuentu, declarat, ſe huiuſmodi pactionem cum Motteo iniſſe, ipſumque iuſiurandum eò tantum tendere, vt obſequium Regiæ Maieſtati præſtetur: Pacificatio Gandauenſis, ipſiſque ſubſecuta, Vnio, & Edictum perpetuum exactius ſeruentur: Præcipuè verò, vt Hiſpani alijque peregrini Belgium ocyus relinquant: & firma conſtanſque pax conficiatur.

Hac dexteritate ac ſagacitate Montignius, cum ſuis militum copijs ſe Regi reconciliauit,

Digitized by Google

An. 1579. postquam pecuniæ retinendis & alendis militibus deficerent: neque prædandi vlla amplius via restaret: resistebat enim Lanouius in Flandria acerrimè Malecontentorum incendiarijs, exactionibus & violentis direptionibus: hostemque non procul Dunkercka, alijsq; locis præuerterat, magna parte præstantissimorum Mottei militum cæsa, alijsque in fugam versis. Eanum Omari sequoque Motteo dedidit, quinto Aprilis die. Eo conflictu iunior Mouyus fuit læsus: qui postea Parisijs Montreuelium sui patris & Archithalassi Franciæ interfectorem sua manu confodit: atque hoc modo patris mortem vltus, confestim à Montreuelij famulis glande tormentario traijcitur à tergo.

Montreuelius Mouij & Archibalaßi Franciæ interfector occiditur.

Dicturi de obsidione Traiecti inferioris, & de rebus interea alijs locis gestis, quibus modis constantiores Belgarum prouinciæ propinquiore fœdere atque concordia se munire studuerint: partes vtrinque Pacificationem Colonienſem instituerint: prius VValonicarum regionum reconciliationem explanabimus.

Ordines VValonicarum Prouinciarũ denuò respondent Ordinibus generalibus.

Rebus hoc pacto inter Montignium & Motteum transactis, atque fœdere icto, VValonicæ prouinciæ, primo quidem Artesia, Insulæ, Duacum, Orchiæ; postea etiam Hannonia, deliberatione simul habita, ad Ordinum generalium literas principio Aprilis respondent, se statuisse certam inire rationem, qua prouinciæ ab Hispanis & alijs extraneis militibus (vnde totius mali fons & causa) liberentur: aut saltem experiri vtrum Regis intentio promissis suorum deputatorum conformis sit, an tantummodo fallaciæ ad discordias seminandas struantur: velle proinde suos etiam deputatos ad Principem Parmensem mittere, qui declarent, se adhuc, vt ante hac semper, paratos esse ad Regiæ Maiestati obediendum æquis rationibus, dummodo absolutè satisdet & conuenienter caueat de Pacificatione Gandauensi, Vnione generali & Edicto perpetuo: & negotij transigendi summam potestatem suis deputatis faciller: quandoquidem huius rei causa ipsis denunciatio sit facta, præmissis promissionibus, vt ex Parmensis literis, ad Ordines generales Antverpiæ, 9. Martij scriptis constat. Hos articulos esse sola verasque fundamenta fœderis & obligationis totius Belgij regionum: his impetratis, nihil quod vlterius prætendant, superesse: cùm pacificatio apud Imperatorem incepta, lentè admodum progrediatur, & palam sit, multas reliquarum vnitarum prouinciarum recusare huius reconciliationis conditiones, nisi insuper pax religionis ijs iungatur. Ne autem grauior aliqua difficultas ex hac actione oriatur, statutum esse, quàm primum castra facere, exercitu collecto ex indigenis, quorum opera vtantur contra dictos Hispanos & extraneos, dummodo Belgium relinquere, & vrbes, arces, munitiones in manus indigenarum tradere nolint: hanc fore generalem vniuersarum Belgij prouinciarum salutem: qua vnaquæque prouincia, si volet, liberè fruatur, omnibus ad vnum simul comprehensis, ita vt generalis, non particularis reconciliatio dici queat, &c.

Postrema responsio Ordinum generalium ad dictas Prouinciarũ VValonicarum.

Ad hæc Ordines generales Antverpia respondent mense Aprili: Se quidem ipsorum propositum laudare, quod rationem modumque quærant, quibus peregrini milites; vnde omnis mali origo; dimittantur: existimare tamen periculosam hanc esse festinationem in actione singulari, quandoquidem ea generalem pacificationem, quam eorum rogatu Imperator tractabat, impediat: imò metuere, ne pro pace maius diffidium & crudelitas bellum inter Prouincias excitent: hunc vnicum esse scopum, quo hostis sua consilia dirigat, cum iam videat se voti compotem nequaquam fieri posse, nisi diuisione & discordia Prouinciarum: quo eas pertrahere quibuscunque machinis doliscque nititur: haud aliter atque tempore aduentus Albani: vnde dirum effusionis sanguinis effectum viderant: viderant quoque ipsius Regis ad Rodam scriptas literas: quibus ei iniungit vt dulce canat, donec voto potiatur: idem quoque Ioanni Austriaco mandatum fuerat, qui Hispanorum abitum neutiquam exequi voluit, antequam securior certiorque esset de præcipuis prouinciarum propugnaculis ac præsidijs, & militibus tunc adhuc stipendia mœrentibus, vt breui Hispanos reuocare posset. Talia quoque nuper fuisse blanda Baronis Sellei promissa, qui cum primò conseruationem pacificationis Gandauensis pollicereretur, pòst contrà dicens, asserebat eam pacificationem maximo esse offendiculo, neque eius vllam amplius mentionem faciendam.

Proinde à particulari aliqua pacificatione nihil præter dolum exspectandum, qualiacunque etiam de abitu Hispanorum promittantur: hoc vnum satis esse hosti, si fœderatos separet, & suspensos huiusmodi spe teneat, atque impediat, quo minus interea temporis Traiecto inferiori, nunc obsesso commune auxilium ac subsidium feratur, idque efficiat vt sine suo sumptu ac damno prorsus consumamini, exercitu alendo, castrisque, vt decreuistis, constituendis: nosque vestris contributionibus frustretis: atque hac ratione diffidentias vndique inter reliquas Prouincias augeatis, maximè autem inter illos qui contra suum exercitum, alias partes aliaque fœdera quærere cogerentur: atque hoc modo maiora intestina bella, & Prouinciarum Belgicarum dirum exitium adsferrent. Rogant proinde, singula exactè perpendere velint, memores iuramenti & obligationis quibus se generalitati deuinxerant, nempè

se genera-

Digitized by Google

se generalitatem nequaquam deserturos, sed consilijs & pecunijs adiuturos: idemq; sæpius pro- An. 1579.
mittisse, vt sic insignem prouinciarum concordiam ac potentiam hosti notam faceret: quandoquidem hæc vnica sit via, qua ad securam firmamq; pacem, peruenirí queat: plerunque enim illi qui semper armati sibi diligenter præcauent, faciliorem reconciliationem firmioremq; pacem adipiscuntur, quam qui temerè à socijs fœderatis discedunt, & singularem pactionem ineunt, pacem enim sperantes, sæpissimè in miserrimam seruitutem incidunt, eamque suæ præuaricationis mercedem ferunt: Exempla quoque & historias peruoluant, quæ passim docent, Reges ac Principes, vt regno & auctoritati pristinæ restituantur, solere quidem plurima promittere, postea autem nihil prorsus præstare, maximè suis subditis quos semel rebelles sint experti. Addunt præterea, se summoperè admirari, quòd eorum resolutio ac sententia nitatur in dilatione pacificationis apud Imperatorem tanquam fundamento: quòd etiam Parmensis ad eos scripserit, vt articulos Pacificationis Gandauensis effectos reddant: quodque multæ prouinciæ reconciliationem, nisi pax Religionis simul comprehendatur, recusent: quandoquidem hæc pacificationis dilatio non proueniat ab Imperatore, neque ab Ordinibus generalibus, sed ab ijs prouincijs quæ singularem pactionem inire volunt: quam quia hostis sibi commodam vtilemque imprimis videt, hactenus protraxit, & vsque adhuc omnem generalem actionem de pace apud Imperatorem comperendinat: Neque verùm esse, quod Parmensis suis literis obtulerit effectam reddere pacificationem Gandauentem: quod ex ipsis literis, & ex responso cuius exemplar simul mittebant, manifestè perspicere possent. Reliquas profectò prouincias melius sibi cauisse ac consuluisse, quod neque singularem cum hoste pactionem attentassent, neque de simul introducenda pace Religionis declarassent. Satis quidem compertum, eos à prauis impulsoribus, Escouedi discipulis, instigatos esse, qui prouincias disiungere, & ad bellum Religionis causa animare moliantur: vt discordia glisente alter alterum expellat trucidetque, haud aliter atque olim in Germania, Anglia, Francia, alijsque regionibus. Denuò itaque rogant & orant, vt inter se bene deliberent, & postea deputatos, ad reliquas prouincias vnitas mittant, vt communi consilio ac sententia communia negotia simul constituant definiantque: quin & suos etiam deputatos Coloniam, concludendæ firmæ generalisque pacis causa legari curent. Promittuntque se pro sua parte ac potestate ipsis opem laturos, & ad omnia quæ bona, æqua, & necessaria generali pacificationi videbuntur, accommodaturos: quod & Principi Parmensi obtulerant, vt ex exemplari vnà misso perspicuè palam ipsis fiet.

Ordines numnum exarè, in admonitionis memoriam cuderunt: vna pars continebat strata Egmondani & Hornani occisorum corpora, & fixa palis capita: altera duos equites, & duos pedites dimicantes, cum inscriptione: *Praestat pugnare pro patria, quam simulata pace decipi, 1579.*

His pluribusque huiusmodi declarationibus, atque exhortationibus tam particularibus, quam generalibus vsi sunt dicti Ordines: ipse etiam Auraicus & alij suos priuatim etiam admonuerunt, maximè dubios ac hæsitantes Hannonienses, quibus neque tam citò, neque facilè hæc reconciliationis ab alijs persuaderi potuit: quin & Auraicus eo vsque cum Nobilibus Hannoniæ proceribus, & Comite Lalainio egerat, vt etiam suos filios obsides offerret, donec eorum postulata complerentur: eratque Lalainij Hannoniæ Gubernatoris voluntas eò satis propensa: faucbat enim is imprimis Auraico, eumque patris nomine appellabat: & 19. Aprilis, literas interceptas Alonzij Curielis ad Principem Parmensem, ei miserat, ex quibus fœdus Mottei & Montignij typis excusum in lucem prodijt. Verùm quamuis generalitati faueret: seductus tamen à Comite Mansfeldio, Arenbergio, Montignio, conlanguineis, affinibus & amicis, 23. Maij, cum alijs pacisciturbreui post ictu Lethifero à suo equo læsus mortem obijt.

Comes Lalainium tangit, ipse Malcontentis & maritur, Vvalonica Provincia, Artesia, Hannonia &c. Regi reconciliantur.

Itaque hæc reconciliatio mense Maio facta est inter Episcopum Atrebatensem, Baronem Selleum, & VValhuonium Regis & Principis Parmensis nomine ab vna parte: & inter Ordines procerescque Artesiæ, Hannoniæ, Insularum, Duaci, & Orchiæ ab altera parte: sublignata à dictis tribus Gubernatoribus, Burggrauio Gandauensi, recens à rege Marchionatu Richeborghensi donato, Comite Lalainio, Domino VVillervallæ & alijs deputatis: comprehensa vigesimo octauo Articulis, ab ipso Parmense in castris, obsesso Traiecto, confirmatis, vigesimo nono Iunij, continentibus actorum omnium condonationem & obliuionem, Pacificationis Gandauensis, Vnionis, & Edicti perpetui confirmationem, ad Catholicæ Apostolicæ Romanæ Religionis, & Regiæ obedientiæ conseruationem, & prouinciarum quietem atque prosperitatem.

Articuli reconciliationis Artesiæ Hannoniæ, &c.

Pacti siue reconciliationis huius legibus, Rex, sex septimanis post pacis promulgationem curabit, vt omnes extranei milites Prouincijs reconciliatis exeant, arces, munitiones, vrbesque in potestatem indigenarum relinquant.

Reconciliatæ prouinciæ, sumptibus Regis (subsidio tamen contributionum debitarum à prouincijs suppeditato) exercitum abiij; vlla mora instruent ex indigenis, aut Regiæ Maiestati

Digitized by Google

An. 1579. subditis, qui prouincijs grati sint: ad Catholicam Romanam Religionem & obedientiam Regi debitam conseruandam ac tuendam, secundum Pacificationis Gandauensis & aliarum pactionum normam, &c.

Princeps Parmensis gubernacula tenebit sex mensibus, donec Rex interea alium Gubernatorem constituerit, &c.

Reconciliati orant interceduntque pro Archiduce Matthia Austriaco, vt in gubernatione permaneat, dummodo in prouincias recóciliatas quàm primùm veniat: similiter & pro Comite Burano, vt liber in Belgium reuertatur, atque in Catholicam Romanam religionem, Pacificationem Gandauensem reliquaque pacta iuret.

Reliqui articuli conformes ferè erant articulis Coloniæ propositis, de quibus post dicemus.

Hæc reconciliatio, longò pòst tempore, videlicet mense Septembri, promulgata fuit cum insigni triumpho, festis ignibus, Campanorum sonitu, cantu Hymni, Te Deum, aliisque huiusmodi lætitiæ signis. Extranei autem milites proxima hyeme demum discesserunt.

Hoc modo Artesia, Hannonia, Insulæ, Ducum & Orchiæ à reliquis Prouincijs defecerunt, atque ijs bellum intulerunt: huc ambitio, dominandi cupido, inuidia, simultas ipsos proceres militesque auaritia autem & religio Ecclesiasticos (quorum hic magna copia) imprimis pertraxit.

Tornacum & Cameracum in fœdere generalitatis mancat.

Tornacensis ciuitas & ager Tornacensis, qui simul (sicut & Insulenses, Duacenses, & Orchenses) prouinciæ loco, huius belli tempore, haberi volunt; socij fœderatique Ordinum generalium permanserunt, idque fideli sua opera ac constantia imprimis præstitit Princeps Espinoius, Tornaci gubernator, vir Catholicus Romanus, Burggrauij Gandauensis frater: seruauit hic Ordinibus generalibus non tantum Tornacum agrumque Tornacensem, sed Catholicæ quoque Religionis exercitium: mita tamen vt Reformati suas etiam conciones summa cum quiete & modestia, vsque ad vrbis obsidionem ac deditionem semper exercuerint.

Cameracum quoque, Domini Anilij viri nobilis Gaurenæ familiæ, studio ac industria, fidele, Ordinibus generalibus fœderis vinculo, permansit: cùm tamen situ loci à generalitate prorsus esset seiunctum ac separatum: eaque de causa Valencenenses Coloniæ coram Cæsareæ Maiestatis iudicibus delegatis, Cameracenses reconciliationem vicinorum, nequaquam Colonienses articulos sequi debere contendebant.

Bouchainam vrbeculam Iustus Soetius Villersi Dominus, strenuè quam diu potuit, Ordinibus obsequentem retinuit.

Ordines generales simulac hostem, vt diximus, Prouinciarum diuisionem moliri intelligunt, propinquiore concordia siue contractu Vnionis fecuriores tutioresque reddere Prouincias satagunt: quam vltraiecti, anno 1579. 29. die Ianuarij constituunt atque concludunt. Primò quidem Ducatus Geldriæ, Comitatus Zutphaniæ, Prouinciæ Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, & Frisicarum regionum inter Amisam & Lauversam incepere: postea reliquæ Ordinum Prouinciæ ac ciuitates his se iunxere, consultissimum reputantes vinculo magis propinquo ac singulari deuinciri atq; vniri: non vt ab Vnione Pacificationi Gandauensi adiuncta discedant, sed vt eam firmius muniant, & iniurias omnes præcaueant: neque interim se à sacro Romano Imperio subtrahant.

Vnio vltraiectensis.

I. Itaque dicti omnes simul se deuinciunt & vniunt perpetuò fœdere tanquam vnica tantum prouincia: sic vt testamentis, codicillis, donationibus, cessionibus, permutationibus, pactis coniugialibus, aut similibus separari nequeant: nihilominus cuiusq; prouinciæ, ciuitatis, membri, atque indigenarum priuilegijs, libertatibus, legibus, statutis consuetudinibus seruatis: parati vita, facultatibus, & quocunque modo auxilia mutua præstare, seque contra quoscunque hostes munire ac defendere: nequaquam autem se ingerere mutuis controuersijs, quæ causa priuilegiorum, libertatum, similiumq; nasci possent, nisi tanquam interpretes probi, cócordiæ conciliandæ gratia: lites autem huiusmodi, iustitiæ ordinariæ committent: aut eas ipsimet amica decisione direment.

II. Mutua ope se defendent quocunque euentu, siue sub nomine Regis, siue Religionis, prætextu.

III. Mutuum similiter auxilium præstare tenebuntur, contra quoscunque tum extraneos tum intraneos, Principes & Potestates: verùm huiusmodi auxilia à generalitate Vnionis decernentur.

IIII. Vt autem prouincijs certius securiusque caueatur ac prospiciatur; vrbes limitaneæ & aliæ communi consilio munientur, eius prouinciæ in qua sitæ sunt, sumptibus: quorum mediam partem generalitas suppeditabit: verùm si generalitati consultum videbitur, nouas munitiones conficere, aut veteres mutare, ij sumptus generaliter contribuentur.

Communes

Digitized by Google

V. Communes ſumptus neceſſarij, pariter & æqualiter conſtituentur, colligentur & exſoluentur tertio quoquo menſe, aut tempore, ſi opus ſit, commodiore. Publicani ſiue coactores id officij auctione rediment: colligentq; tributa, & vectigalia vini, ceruiſiæ, frumenti, ſalis, omnis generis pannorum, beſtiarum, agrorum conſitorum, & aliorum, quæ imprimis commoda videbuntur: his quoque ſumptibus communibus impendentur canones, ſiue dominia Regis, oneribus demptis. An. 1579.

VI. Hæc communia ſubſidia atque collecta, communi conſilio augebuntur & minuentur, vt tempus ac res poſtulabit: & ſolum modo communi defenſioni impendentur.

VII. Oppida limitanea quocunq; tempore, decreto & iuſſu Gubernatorum, tenebuntur præſidia recipere, quibus generalitas ſtipendia exſoluet. Præfecti militeſq; ſtipendiarij non tàm generale, ſed & ſingulare iuramentum dabunt iiſdem ciuitatibus ſiue locis. Milites diſciplinæ militari in officio continebuntur: neque à vectigalibus aut canonibus immunes erunt, vt nec ciues: ciuibus autem, hoſpitij militaris merces, à generalitate ſoluetur.

VIII. Incolæ tam vrbium quam pagorum & agrorum, intra menſem annotabuntur, delectuque recenſebuntur ac luſtrabuntur ab anno ætatis 18. vſque ad 60. vt certus numerus inde colligatur ad patriæ defenſionem: donec proxima ſynodo aliter prouideatur.

IX. Nulla inducirnm aut pacis pactio inibitur, nullum bellum acceptabitur, nullæ exactiones aut contributiones pro generalitate conficientur, niſi communi omnium Prouinciarum conſilio & conſenſu: reliqua autem quæ ad huius fœderis adminiſtrationem pertinebunt, decernentur & conſtituentur pluralitate ſuffragiorum prouinciarum hoc fœdere deuinctarum: eademque ſuffragia, more hactenus apud Ordines generales ſolito, colligentur: donec latius de ijs communi conſilio ſtatuatur. Quod ſi contingat, vt prouinciæ de inducijs, pace, bello, contributionibus, vnanimiter decernere non poſſint: negotium omne Dominis Vicarijs ſiue Legatis dictarum prouinciarum vnitarum committetur, vt ſententiam pronuncient: ſi autem horum opera tranſigi non poſſit, aſſument diligentque ſibi aſſeſſores: tenebunturque partes ſententiam dictorum vicariorum ratam habere.

X. Nulla ſociarum prouinciarum, ciuitatum, membrorumue, ſe vicinis, poteſtatibus, aut regionibus fœdere iunget aut deuinciet, abſque dictarum ſociarum prouinciarum, & fœderatorum conſenſu.

XI. Verùm ſi qui vicini, Principes, poteſtates, prouinciæ, aut vrbes ſe concordibus his prouincijs iungere, & huic fœderi dare velint, communi conſenſu ac conſilio recipientur.

XII. Prouinciæ tenebuntur ſe accommodare conſtitutionibus, quæ de re nummaria, ſiue monetaria decernentur.

XIII. Quod verò ad religionem attinet: Hollandi & Zelandi pro ſuo arbitrio religionem exercebunt: reliquæ autem prouinciæ leges Religionis pacis iam conceptæ ſequentur: vel ſaltem generali ſingulariue conſenſu ſtatuent ea quæ ad tranquillitatem ac ſalutem prouinciarum, ciuitatum, & membrorum ſingularium, & ad conſeruationem tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium facere videbuntur: vt vnicuique vita, fortunæ, iura integra maneant: neque id aliæ prouinciæ vlla ratione impedient: quiſque enim ſua religione liberè fruetur, abſque vlla aut perſequutione aut inquiſitione, veluti dicta Pacificatione Gandauenſi ſancitum eſt. Poſt etiam articuli hujus latior ampliorque expoſitio à fœderatis facta eſt Calen. Februarij: nempe à dicta hac vnione nequaquam excludendas prouincias aut vrbes, quę tantum Catholicam Romanam religionem ſeruare volent: verum eaſdem quoque recipiendas, dummodo reliquis articulis ſe obligent, ſeque vt veri patriæ amatores gerant.

XIIII. Cœnobitæ & Eccleſiaſtici, omnibus ſuis bonis in dictis prouincijs reciprocè fruentur, ex ſtatuto Pacificationis Gandauenſis: illis etiam qui relictis ſuis cœnobijs in Hollandiam aut Zelandiam tempore belli confugerunt, alimenta ad vitam ſuppeditabuntur à ſuis cœnobijs tiue collegijs.

XV. Cœnobitę & Eccleſiaſticorum collegiorum in his regionibus alumni, qui iuſſa aliquam ob cauſam ſua cœnobia aut collegia relinquere volent, aut ea relinquerunt: ob iiſdem alentur ad vitam, pro facultatum ſiue bonorum prouentu ac ſtatu. Quicunque verò poſthac ſe cœnobijs dedent, & ea rurſus relinquent, nullis fruentur alimentis; ſed ſi quid attulerunt id aſportare poterunt. Qui verò nunc in cœnobijs aut collegijs veniunt, aut ſe eis deuincient, libertatem religionis & veſtitus habebunt: verùm cœnobiorum præpoſitis alijs in rebus omnibus obedientes permanebunt. Ampliatio tandem Calendis Februarij huic articulo addita eſt: de ijs, nempe qui cœnobia iam reliquerant, aut adhuc relinquerent, & ius ſucceſſionis in bonis parentum, fratrum, conſanguineorum prætendere vellent, vnde lites oriri poſſent, iamque ortæ erant: vt difficultates omnes his de cauſis euitętur, decreuerunt hi fœderati, huiuſmodi litibus ſuperſedendum eſſe, donec aliter à fœderatis, etiam ſuperiorum, ſi neceſſe ſit, auctoritate, conſtituatur ac declaretur.

Digitized by Google

An. 1578. XVI. Quod ſi inter Prouincias diſſenſio aut controuerſia naſcatur, ea à reliquis prouincijs aut ab earum deputatis componetur: verùm ſi negotium ad omnes pariter prouincias attineat, ab iplis vicarijs ſiue legatis prouinciarũ tranſigetur, vt & ſuprà articulo 9. dictum eſt: tenebuntur autem hi partibus litigantibus ius adminiſtrare intra meſem, aut, ſi neceſsitas vrgeat, citius, poſt interpellationem, quæ abſque vlla appellatione, reſtitutione, recognitione, nullitate, &c. continuabitur.

XVII. Fœderati cauebũnt ne extraneis Principibus, potentatibus, regionibus, ciuitatibus anſam aliquam belli inferendi dentiac proinde extraneis intraneiſque ius æquitaſque adminiſtrabitur: adiuuabuntque reliqui fœderati ſimul omnes ſedulò, vt ius bonum ac æquum reddatur, abuſus ab impoſtura auertantur, æquitas ratioque priuilegiorum ſeruetur, &c.

XVIII. Nulla vnitarum prouinciarum, vrbium, aut partium, in alterius onus aut damnum exactiones, vectigalia, commeatus tributa, aut alia huiuſmodi onera inſtituet, neq; fœderatos amplius quam ſuos incolas grauabit.

XIX. Vt autem difficultates quæ oriri poſſent, præcaueantur, fœderati libello ſiue ſcripto conueniente vocati comparere tenebuntur Traiecti die conſtitutò, vt aut communibus ſententijs aut ſuffragijs de rebus publicis decernatur. Non comparentes, decreta huiuſmodi nihilominus rata habere debebunt: niſi cauſa ſit magni momenti, & dilationem ferat, & mulcta ſuffragij perdendi conſtituta iterum appellentur. Illis autem quibus comparere integrum aut opportunum non erit, ſcripto ſuam ſententiam mittere licebit.

XX. Quæcunque oborientur negotia, ea fœderati, rebus omnibus exactè deliberatis & examinatis, ad illos, penes quos authoritas erit, perſcribent: vt ab iiſdem reliquæ prouinciæ conuocentur.

XXI. Si qua obſcuritas aut dubitatio in his inueniatur, vnde controuerſia aut diſputatio oriri queat: interpretatio penes ipſos fœderatos erit: ſi autem ab eis componi non poſſit, dominis vicarijs res committetur.

XXII. Si qui etiam articuli in hoc fœdere ſint mutandi vel augendi, id communi conſilio, haud aliter fiet.

XXIII. Hoc 22. articulo, formula optima ſe deuincunt dictis omnibus conditionibus & articulis, &c.

XXIV. Vtque hæc certius ſanciantur ac confirmentur, Domini Vicarij prouinciarum, & ipſi Magiſtratus, & præfecti publicis officijs cuiuſq; prouinciæ, ciuitatis, & membri, hanc vnionem & fœderis obligationem, ſingulosque articulos, ſingulatim iurabunt, ſe ſeruaturos & ſequuturos, atque vt alij ſeruent, & ſequantur curaturos.

XXV. Iurabunt ſimiliter ſe omnia collegia iaculatorum, fratrias atque ſodalitates in omnibus opidis ac locis hac vnione deuinctis ſeruaturos.

XXVI. Huic literę debita forma conficientur, quæ à Dominis Vicarijs & præcipuis membris ac ciuitatibus ea de cauſa rogatis, ac interpellatis ſigillabuntur, atque ab eorundem Secretarijs reſpectiuè ſubſignabuntur.

Confirmatio vnionis vltra Legatis.

Hæc propinquior Vnio, atque pactio Traiectenſis, à dictarum prouinciarum Vicarijs, ſiue Legatis, nominatim. primò à Comite Ioanne Naſſouvio, Geldriæ & Zutphaniæ Gubernatore, deinde à reliquarum prouinciarum ciuitatumque delegatis, Vltraiecti 23. Ianuarij 1579. & à Gandauenſium deputatis 4. Februarij ſubſignata fuit: tertio deinde Maij à Principe Auraico Antvverpiæ comprobata: idem quoque 11. Iunij Georgius Lalainius Comes Rennenbergius, Tranſiſulaniæ, Groningæ, & vicinarum regionum Gubernator: ſimiliter Antvverpia, Brugæ, Yperæ, Bræda, & aliæ ciuitates vnanimiter præſtitere.

Tumultuatio & defectio vrbis Buſcoducenſis.

Hæc Traiectenſis Vnio, fructus ſperatos prouincijs & ciuitatibus nequaquam protulit: cùm iam multi ſpe pacificationis Colonienſis, quam præcipuè excuſabant, deficerent, ac tergiuerſarentur: in primis Buſcoducenſis ciuitas, vna quatuor principum vrbium Ducatus Brabantiæ, optimè munita & maximi momenti, quòd limitanea Brabantiam à Geldria & Hollandia diuidat: in qua tunc plurimi aduerſæ parti dediti erant: eaque de cauſa Ordines Belgij, & Auraicus eam præſidio munire quibuſcunque modis nituntur: primò quidem blandis perſuaſionibus, poſt arte & dolo vſi: idem quoque moliebantur Antvverpienſes, qui aliquot ſuorum ciuiũ cohortes in vrbem admittendas deſtinarant: verùm hoc inceptum iudex Ioannes Houelius impediuit. Tandem Ordinum generalium mandato, eo mittitur Gubernator Ioannes Hornanus Boxtelius ſumma cum poteſtate & auctoritate, vt omnia conſtituat, dirigatque in maiorem vrbis ſecuritatem, quod dum ſedulo aggreditur, & præfectos rei militaris mutat ac auget, politiamque reſtaurat: pars aduerſa moras ac impedimenta enixè infert, inſtinctu comprimis Magiſtri Henrici Bloymanij, & vrbis præfecti Brechtanæ familiæ, aliorumque antè Magiſtratu functorum, quos odium & priuati commodi cupido acriter vrgebat, dependebantque præcipuè ab Abbate Gertrudano, qui inter alios ab Ordinibus ad pacem cõficiendam conſtitutu-

Digitized by Google

ſtitutus, Coloniam petens, atque iter hac faciens, ſe quacunq; ratione pacem Buſcoducenſibus procuraturũ perſuaſerat. Boxtelius vrbis gubernator difficultatibus iam vndiq; confluẽtibus, morbo languens diſcedit, gubernationemque filio Maximiliano Hornano Lokremi Domino committit. Recepta autem à ciuibus pace religionis, inſtitutum fuit gladiatiorum collegium, inter quos plurimi iuuenes, tum cœlibes, tum alij, quorum magna pars tempore gubernationis Hiſpanicæ vrbe relicta, Principi Auraico militarant: hi pro ſuis viribus pacem religionis aſſere bant defendebantque, & ciuitatem ad fœdus Vnionis Traiectenſis perducere conabãtur: iamque adeo excreuerat odium inter reformatæ religionis propugnatores, dictoſque gladiatores ab vna, & veterem Magiſtratum Catholicoſque ab altera parte, vt ſi quando gladiatorum collegium excubias ageret, alij excubias aduerſas diſponerent. An. 1579.

Tandem cum Vnio exorta quodammodo, inuitis alijs eſſet promulgata, acriter dimicatũ eſt, vtrinque ducentis & amplius, tum cœlis, tum vulneratis. Paulò pòſt Parmenſis Traiecto inferiore potitus, mittit Buſcũducis, impulſu partis Catholicæ, fœcialem tubicinem, qui vrbem Regi tradi poſtulet: hinc vehementius incitati religionis fautores, vrbem præſidiarijs militibus muniendam contendunt: maximè cum non longe inde abeſſent agmina Anglorum, Schotorum & Gallorum Bruxellam petentium, vnde quos vellent deligere poſſent. Alij hos, vtpotè extraneos, admittere recuſant: videnturque potius aſſentire, vt cohortes aliquot Brila euocentur. Poſtridiè, diſſidentia ac metu indies vtrinque gliſcente, proponitur in Senatu, de recipiendo actutum præſidiario milite, aut portis aperiendis, vt qui velint, vrbe exeant, quaſi alijd metuiſſent, aut non prius requieſcuiſſent. Reſpõſitatur: anxijs ac timore perterritis abitum nequaquam prohiberi. Hinc repentina admodum ſit fuga, maximè hominum multitudinis: dum alter alterum commouet, inſtigat, animat ad diſceſſum, vt plerunque in tam ſubitò metu fieri ſolet, quem pars aduerſa aſtutè ac ſagaciter augebat: erat autem fuga eo facilior, quod non longe profugium petendum eſſet, nempe Hedelæ, Heuſdæ, Bommelæ, alijſque locis vicinis. Ita Buſcumducis, vnius partis aſtutia, & alterius inconſiderantia ac præcipite fuga deferitur adimiturque Ordinibus: quandoquidem duæ cohortes Brila aduenientes, intromitti non potuerint, & pars Hiſpanis fauens alijs numero ac viribus præualuerit, reſiſtenteſque, tanquam hoſtes ſtatim vrbe excluſerit, & reformatæ religioni addictos, ſine mora expulerit: Cùm verò ciuitas neutri parti addicta aliquandiù manſiſſet, tandem Principi Parmenſi reconciliatur, & pacem Colonienſem oblatam acceptat: ea lege inprimis, vt militum præſidia admittere inuita, & abſque ciuium vnanimi conſenſu nequaquam cogatur. Poſt hæc ciues plurima grauiaque diſpendia ac damna, in mercibus & alijs bonis commeatu cõductuque, militum auectis & aduectis, & ſæpius in ipſo itinere ab hoſte interceptis, paſſi ſunt.

Amerſuorda rebellio domatur.

Amerſuorda ditioni vltraiectenſi ſubdita, Montforta quoque & Zutphania vrbeculæ ciuibus, vt plurimum Catholicis habitatæ, Vnionem Traiectenſem recuſant. Itaq; Amerſuordæ, vtpotè Traiectenſi vrbi proximæ, primùm domandæ ratio initur, maximè quod aduerſam fœderatis partem acriter fouiſſe, contributiones negaſſe, præſidiarios ac concionatores expuliſſe, & clandeſtina cum hoſte fœdera inijſſe accuſaretur: proinde 7. Martij obſidione cincta, præſidiarios admittere cogitur: mox quoque Magiſtratus mutatur, & religio reformata vi introducitur.

Lanouius Gallicorum & aliorum militum auxilio, ſtrenuè Malecontentis frequenti congreſſu in Flandria reſiſtit. Interea Antverpiæ alijſq; locis opera conquirendis pecunijs datur: vt ijs numeratis, equitum peditumque copiæ colligantur, quibus Traiectum inferius obſidione liberetur: quandoquidem ex Flandria vnde cõtributiones præcipuæ ſperabantur, parum conferebatur: idque ob Gandauenſium intemperantiam, & bellum contra Malecontentos VValones, Arteſianos & Hannonios, hoſtilia quæque manifeſto perpetrantes: proinde reliquas prouincias ingentem pecuniam cõficere neceſſe fuit: qua quidem in re Antverpia optimè ſuo functa eſt officio.

Tumultus Antverpiæ ortus: quo Eccleſiaſtici extra vrbem ablegati.

Hinc Antverpiæ animus vulgi licentia & audacia creuit. Cumque hic Romani Catholici præſentia Archiducis Matthiæ, & aliorum Catholicorum procerum, nobiliumque virorum, & Ordinum, ſe ornatos viderent, 28. Maij ſupplicationem, vulgo Proceſsionem generalem per magnum vrbis ambitum celebrare voluerunt: Magiſtratu & Tribunis diſſuadentibus, roganti-busque, vt potius templi exteriorem ambitum circumeant: horum autem conſilijs monitiſque non obtemperãtes viam extra cœmiterium in plateas aggrediuntur, per locum vulgo *meulengat* dictum: vbi cum excubitores qui ſtationes agebant, mandato præfectorum id prohiberent, viamque obſtruerent. Itali quidem Catholici ſtrictis gladijs viam vi aperire volunt: mox excubitores ſclopetis diſploſis virum & mulierem ſternunt: hoc tumultu, in templum confugitur tanto impetu, ſtupore ac timore, vt alteri alteros peſſundarent, pedibus protererent: mox ad arma conclamatur tota ciuitate, multitudo omnis templo includitur, hoſtilia diraque ab ijs qui extra erant, metuens.

Auraicus

An. 1579. Auraicus rumore percepto, ocyus cum ſuis ſtipatoribus ad templum accurrit, turbamq; ſedare nititur, ſed fruſtra, cum vndique ingentes clamores de ſacerdotibus vrbe expellendis audirentur: poſtquam verò Archiducem anxium perterritumq; ex æde d. duxit, ſacerdotes verò exire prohiberentur: tandem à populo trium horarum ſpatium impetrauit, ne quid interea in illos committeretur: donec Senatus & Tribuni ſtatuiſſent deliberaſſentque. Deliberandi ſpatio vix dum elapſo populus concurrit, poteſtatemque ſacerdotes vrbe expellendi poſcit: Auraico & Magiſtratu id abnuente, mox pro ſuo imperio ac poteſtate omnes Eccleſiaſticos, Canonicos, Sacerdotes, Monachos, numero circiter ducentos viginti, qui ad celebrandam generalem hanc ſupplicationem conuenerant, è templo ad aggerem ſiue portũ ceruiſiarium deducit, & duobus circiter ab vrbe miliaribus auectos detinet, donec tota ciuitas quid de illis ageretur cum primoribus conſultaſſet: poſt multas longaſque in concilio perſuaſiones, cùm Archiduix Matthias de vi illata grauiter conquereretur, & ſe potius diſcedere velle aſſereret, res tota ipſi Archiduci, Principi Auraico, & Ordinum conſilio Satus committitur, vt quod comprimis pro tempore ciuitatis tranquillitati ac commodo conducere videretur, ſtatuerent: itaq; decimoquarto poſt die 12. Iunij, pacem quandã religionis promulgari curant, qua in templis quibuſdam, vbi multitudinis ratio poſtulabat, Eccleſiaſtici quidam reſtituuntur: Monachi autem, Ordines mendicantes, & Canonici excluduntur: adiuncta inſuper neceſſaria quædam, quibus pacificè & tranquillè viuatur, ſtatuta, eo vſque ſeruanda, donec aliter Ordinum generalium, aut totius nationis conſilio decernatur.

Hoc Antverpiæ factum, & Machliniæ ortum diſſidium, imaginumque ac ſtatuarum Vltraiectì è templis detur batio, Malecontentorum animos magis exacerbauit, hiſque potiſſimum occaſionibus plures alios in ſuam pertrahere ſententiam ſtuduerunt: maximè autem nobiles plurimos, nempe Comitem Egmondanum, Deminum Friſinum familiæ Gaureæ, & D. Eourſium, qui paulò pòſt id manifeſtis ſignis comprobarunt.

Egmondanus Malecontentũ ſe exhibet, vrbemq; Bruxellenſem capit, ſed cãde decore expellitur.

Primò omnium autem Egmondanus, qui cum legioni militum, maxima parte VValonũ, ſuppetijs Traiecto inferiori ferendis deſtinatæ præeſſet, Bruxellam inuadere atque ſuperare tentat: habitabat is cum ſorore in vrbe ipſa, habebatque turmam equitum qui quotidie excurrebant: eam legioni peditum, quam 4. Iunij clandeſtino adiucarat, obuiam tendere iubet, tanquam aduentantes explorandi cauſa: ipſe interim cum nonnullis ſuorum ad portam Bruxellanam, verſus quam alij contendebant, manebat: ciues qui eum ſincerè præmouere portamque occludere volebant, impediuntur, ſclopetis inuaduntur atque opprimuntur: portam occupatam confeſtim præfidiarijs ſuis militibus tradit, qui & proximum propugnaculum ſtatim inuadunt: itaque reliquas ſuas copias inſtructas, in forum vſque perducit, forumque omne his circundat, quibus ciues quidam machinationis conſcij ſe ſocios addunt: mittit deinde circiter octoginta qui aulam inuadãt, oppidi parte alta firmaque ſiram: hos Oliuerius Templeus, vrbis Gubernator, triginta circiter militibus ſtipatus propere repellit, quamuis ciuium quædam turba arcano fœdere Egmondano deuincta, ſtrata lapide via aulam peteret, præfidiarioſque milites qui apud eos hoſpitabantur, domi detineret, & ne ad militaria ſua ſigna peruenirent, impediret, ciues etiam reformatæ religioni addictos omni conatu auerteret.

Interea ciues aliquot militeſque ſtipendiarij armis induti, ad portam, qua hoſtis intrarat, accurrunt: propugnaculo confeſtim potiuntur, idque ſtrenuitate ac ſagacitate ſumma ciuis cuiuſdam cauponis Saſſenij qui ſociorum ope fretus, nonnullos dum ientaculum ſumunt, mactat reliquoſque expellit: potiuntur & porta ſtratagemate inprimis inſigni ac memorabili: Tres currus ſimul connexos fœnoque ad terram vſque propendente onuſtos præparant, ita vt illi qui propellebant, à iaculis hoſtilibus tuti laterent: hos ſub ipſam vſque portam protendunt, eò pertractos incendunt, hoſteſque qui portam defendere nitebantur, fumo ſuffocant: inde hoſte ocyus fugiente portam occludunt ac muniunt: interea tota ciuitate armis accincta Egmondanum cum ſuis in foro & locis vicinis circundant, plateas aggeribus & foſſis, ne qua exitus pateat claudunt. Ita hoſtis vndique cinctus ac oppugnatus, & omni ſpe auxilij, commeatu, rebuſque neceſſarijs deſtitutus in foro hæret. Tandem poſt longas vtrinque minas ac preces de tranſigendo ſit ſermo: quo ſanè Egmondanus ſumma neceſſitate coactus ſummopere adſpirabat, maximè cum poſt ridiè mane militum copias Machlinia veniſſe, & portis appropinquare intelligeret, qui iunctis ciuium armis eum inuadere ardebant. Ciues autem cum incendium, deprædationem cruentamque cædem timerent, vt vrbe exeant permiſerunt: itaque non ſine magno metu, poſtridiè eius diei quo intrarant, egrediuntur: cùm Comes ipſe toto eo tempore, etiam nocte, anxius ſollicituſque permanſiſſet eodem loco, eodemque die, quo pater ab hinc annos vndecim capite truncatus Bruxellæ fuerat: quod & ci adeò acriter tunc exprobratum fuit, vt lachrymæ audienti menteque hæc pertractanti exſilierint.

Brugenſis ſeditio.

Hac quoque tempeſtate Brugis ingens orta eſt ſeditio, quod Magiſtratus Gandauenſibus & Yprenſibus ſeruenter inſtantibus, Vnionem Traiectenſem ſeruandam 27. Iulij proponeret: huic

Digitized by Google

huic instituto pertinaciter restituerunt Ecclesiastici, metuentes ne, sicut paulò ante Vltraiecti factum fuerat, vrbe expellerentur. Vetus Magistratus officio dimotus, suam sententiam hac de re dicere requisitus, vnionem hanc prorsus recusat: recusant multi quoque opifices mechaniri rudiores, vtpotè fabri ferrarij, lignarij, coriarij, eiusque farinæ alij, qui fratris Cornelij, (cuius suprà mentionem fecimus) conciones audire soliti, eiusque instigationibus Magistratui vehementer infesti, ferociter suorum opificorum decuriones siue præfectos, qui non consenserant, increpарunt, imò pugnis contusos mulctarunt. An. 1579.

Has ob causas Ecclesiastici & Catholici magis in Magistratum animati, ei significant, præstare multo, vt se Artesienſibus & Hannonenſibus iungant, Pacificationem Gandauenſem seruent, atque ita Regis gratiam impetrent: quam Pace religionis admissa, suæ Maiestatis indignationem vlteriùs incurrant, obsidionem juè à Malecontentis exspectent. Magistratus Franconatum, qui eò animum inclinabant, maximè quod Franconati agri pagique aperti essent, & quotidie à Malecontentis incendia minantibus, & pecunias extorquentibus vexarentur, se huic negotio aduersus magistratum Brugensem immiscet, Catholicisque consulit, vt tribunum pro suo arbitrio ciuibus dari postulent: quandoquidè tunc nullus esset, eò quod Magistratus Brugentis solus militibus à se conscriptis, imperare vellet.

Postridiè Calend. Iulij, hac occasione Catholici audentiores & confidentiores, in arcem curiamque ciuitatis veniunt: atque à Consule Georgio Verbrakelo Outeriuæ Domino furiosè admodum ciuitati postulant, constitui tribunum Hieronymum Molleum V Vatermalæ Dominum: orationemque habebat inlignis quidam Cornelianus sectator. Consul tam subitaneo aggressu perculsus, rem in tempus pomeridianum aut crastinum differri petit, statimque Senatum consilium vrbis conuocat: verùm Catholici moræ impatientes, cum scirent reformatæ religioni addictorum maximam partem concionibus sacris tunc temporis interesse, nominatim tribunum ocyus designari volunt. Consul cùm se importunè vrgeri videt, iamq; ciuibus excubitoribus, à Catholicis qui tunc arcem tenebant, ne eum abire sinerent, mandatum esse intelligit, Hieronymum eis tribunum concedit: qui simul atque tribunatum acceptauit, quatuor vexilla conscriptorum militum ciuitatis sacramento absoluit ac dimittit: octodecim viros officio dimouet, & Catholicos in eorum locũ substituit: vlteriusque omnia pro suo arbitrio mutare, ipsosque militiæ præfectos nouo iureiurando adigere occipit: multa denique insolenter ac proteruè patrat: atque in Gallici concionatoris ædes, hominem trucidandi animo, cum fuorum caterua irruit: concionatore non inuento, vxorem indignis modis excipit, verberat, raptat, humi protrahit, pedibusque conculcat.

Magistratus visa enormi horum insolentia, deteriora metuunt: proinde quatuor suas cohortes recolligi iubent: mox cohortium Strategi, eiusdem Magistratus mandato, sedulò suam operam præstant: Ioannes Vleyschius portam Esselanam vel Aſininam occupat: Reynerus V Vinckelmanus ponte quodam potitus, pontem etiam Esselanum vsque ad ipsam portam præsidio munit: Remigius Aertryckius loca circũcirca macellum & plateam lapideariam inuadit: Anthonius Outermannus pontem Querculanum in platea lanaria: quibus tribus recta in forum via patebat. His se iungit quidam sex vrbis regionum præfectus, cum 200. ciuibus, qui portæ Esselanæ claues adferunt. Catholici mox quoque armis arreptis vbique stipendiariorum concursum impedire satagunt, quos cum vident se vallis fossisque munire, & Ioannem Vleyschium maiora tormenta versus ipsam vrbem dirigere, portamque apertam, ad introducendas auxiliares copias tenere, Magistratus Franconatum auxilijs freti, in arce prædium Catholicorum ciuium disponunt, Magistratumque ciuitatis in curia captiuum detinent, & ne cives religioni fauentes ad stipendiarios fossis vallisque munitos accurrant, impediunt. Cumque hoc modo armati vtrinque starent, de pace agi cœptum: resque eo circa vesperam perducta est, vt Magistratus dimitteretur, & stipẽdiarij valla munimentaque relinquerent: dirutoque V Vinkelmanni propugnaculo, solitæ excubiæ in foro & arce aguntur. Catholici duobus his locis bene munien dis intenti, excubitores nullos ad portam Esselanam destinare potuerunt: nam V Vinckelmannus eo properarat, reliquis hoc vespere in suis stationibus subsistẽtibus. Nouus autem tribunus sibi quoque strenuè prospicit, domum suam communis, & pontes duos proximos, nempe Gruythuysum & Marianum occupat, quo multi Franconates & alij Catholici nobilesque viri concurrunt: vulgus verò se domi continet.

Interim vtraque pars sua auxilia accersit, Catholici Motteum & Malecontentos, qui Roselario vsq; ad dimidiũ miliare prope Brugas omnino venerãt: Magistratus aũt ciuitatis & religionis propugnatores hos alacritate ac dexteritate præuertunt: ita vt ex Ordinum castris 8. cohortes peditũ Scotorum ferentariorũ, & turma 150. equitũ, qui Tournholtum vsque venerant, postridiè summo mane ante horam tertiam, per portam Esselanam vrbem ingressi, ocyus forum arcemque inuaserint, excubijs ciuium subitò in fugam versis. Tribunus quoque Molleus è sua munitione fugit, collo tenus aquis immersus, dum nititur euadere per aperturam quandam in mœnibus

Ordinum milites in vrbẽ Brugensem intrat.

Digitized by Google

An. 1579. mœnibus reficiendam, quem alij conſequuti captiuum deducunt: capiuntur etiam Franconatum magiſtratus, omnes, præter Caronium D. de Schonevvalle, & Nanſium, præterea multi alij ſeditionis auctores, & in Caſtro Sluſiano mittuntur. Verùm paulò pòſt, ciuitate magis ſecura ac ſedata, dimittuntur, templa cauſa ſeruantur, & ſacrificorum maxima pars fuga ſuæ ſaluti conſulit. Catholici autem tranquilli ſecurique permanent, neque eis ſuæ religionis exercitium negatur. Malecontenti verò cum vna hora tardius adueniſſent, neque vrbem intrare potuiſſent, Rolario flammis deformato, Meninas reuertuntur.

Colloquium Franconatii reſtituitur operâ Noelli, Caron & Nah ij.

Brugenſes iam deprehenſis Franconatibus in his ſimilibuſque delictis, magnam ſe cauſam habere exiſtimarunt collegium, Franconatum (quod quartum Flandriæ membrũ repræſentat) abolendi, maioremque partem ditionum Franconatum in corporandi, ſuæque iuriſdictionis faciendi. Quibus non contradixerunt Gandenſes, quod ſibi etiam bonam partem inde ceſſuri ſperarent. Sed Noel Caron Schonvvallius, eodem tumultus die in Curia captus ob literas fidei à Principe Auraico ei miſſas, quas ſeditioſi tum in eius præiudicium interpretabantur, audacior hac occaſione factus, cum collega ſuo, Doctore Nancio Franconatum ſuorum ius, libertatemque propugnauit, qua in cauſa eam porrò diligentiam in aula & alibi adhibuit, vt Franconates priſtinum ſuum ſtatum retinuerint. Quod poſtea ipſi factu fuit facilius, quia Brugenſes, intellecto iam quod Gandenſes & Yprenſes facilè meliorem Franconicæ iuriſdictionis partem ſibi vindicarent, non valde difficiles ſe ipſi præbuerunt.

Traiecti inferioris obſidio.

Suprà diximus Principem Parmenſem Traiectum inferius obſidione cinxiſſe: nunc ſucceſſus ipſos hic referemus. Vrbs Traiectenſis inferior, in Brabantia ad Moſam ſita, verſus flumen longius extenſa, in altera fluminis parte vrbeculæ ſpecié referens, VVycka dicitur, ponte lapideo ipſi vrbi iuncta: vrbs tota vtrinque bene munita mœnibus, muris, propugnaculis, ſapimentis, aggeribus, foſsis: pulchra & ampla, ædificijs populiſque egregiè inſtructa, pars vna ad Regem, tanquam Brabantiæ Ducem, cum certa iuriſdictione; altera ad Epiſcopum Leodienſem pertinet.

Cùm iam Parmenſis obſidionem meditari videretur, fruſtra Lanouius maiores præſidiarias copias introducere conatus eſt. Erant in vrbe mille ſtipendiarij, inter hos quidam Galli, Angli, Schoti, & circiter mille & ducenti ciues bellicoſi, duri ac laboris tollerantes, ſub duodecim ſignis militaribus: erant præterea ad duo ruſticorum millia, qui eo cum vxoribus & liberis confugerant: multumque eſt renuo labore ciuitati obſeſſæ profuerunt: alij foſsis, aggeribus, ſepimentis, alij flagellis frumentarijs ferro cluſis, inſtrumentis ad hoſtem à mœnibus auertendũ præcipuè idoneis, conficiendis intenti. Erat in ipſa vrbe Archiſtrategus vel Tribunus, vir quidam nobilis, non procul inde oriundus, Svvartzenborgius Herleus nomine, cum nonnullis munitionum machinarumque bellicarum peritiſſimis, inter quos præcipuus Sebaſtianus Tappinus Gallus, qui hic multa præclarè, prudenter ac fortiter geſsit. Obſeſsi frequentibus excurſionibus, dimicationibus, tormentorum exploſionibus grauiſsima damna, diraſque clades hoſti, cùm primùm caſtra figere, foſſas & aggeres parare, machinaſque tormentarias diſponere aggrederetur, intulerunt.

Parmenſis ilicò duos pontes Moſæ fluuio imponit, vnum citra, alterum vltra vrbem: Mon dragonius caſtra ſua ad latus VVykæ collocat. Parmenſis nihil cunctatus, circumcirca vrbem, quinquagintaquatuor tormentis, loricas, munitiones, propugnacula demolitur, vt perſpiciat qua potiſsimum parte tormentorum violentia vti poſsit: duo itaque loca oppugnanda deſignat, vnum prope portam Bruxellenſem Leodio viciniorem, alterum prope portam Altam, ad flumen, quo etiam Mondragonius ob altera Moſæ parte ſuas bombardas dirigebat. Simul ac muri tormentis dirruti, apparuit oppugnatoribus nouum vallum, intra ex aduerſo confectum, loricis foſsiſque bene munitum, vbi dimicationes inſultuſque varij crebrique iterantur. Duo hæc labefactata loca eodem die expugnare obſtinatè nituntur: & tam veteres muros, quam noua valla, à mane vſque in veſperam, nono, ni fallor, Aprilis die, horrendum in modum globorum impetu pulſant.

Traiectũ acriter oppugnatur, & propugnatur.

Vna mœnium pars diruta ad Bruxellenſem ſiue Leodienſem portam, datur expugnanda veteri legioni ſiue Tertiæ ligæ, quæ inſigni prœlio nauali contra Turcam interfuerat: huic aliquot Germanorum & VValonum vexilla ſociantur. Altera traditur legioni Hiſpanicæ ſiue Tertiæ Lombardicæ, adiunctis etiam Germanis & VValonibus. His oppugnationi continuæ inſiſtentibus, obſeſſi ex turri quadam prope dirutum vrbis murum, minora quædam ferrea tormenta clauis & cathenis referta, latenterque diſpoſita in hoſtem dirigunt, iſſque funeſtam Hiſpanis cladem inferunt: Cecidére hic Fabianus Farneſius Ducis Parmenſis conſanguineus plureſque alij viri nobiles, qui gloriæ ſtimulis agitati, primi hoſtem impetere contendebant. Hiſpani enim & Itali ſpreta Belgarum ſtrenuitate, nimia æmulatione ac inuidia incitati, gregatim confluebant tanto impetu, vt alij alijs impedimento eſſent, & hoſtilia arma iaculaque nequaquam irrita caderent in confertiſsimam turbam.

Alterum

Digitized by Google

Alterum quoq; latus fortiter oppugnatur, nec minus animosè ab obsessis propugnatur: Hi- An. 1579.
spanis aliquot per cuniculos subterraneos pulueris tormentarij violentia subl atis ac interèptis. Simul ac hęc legio ad mœnia labefactata venit, quidam citato equo accurrit, altaq; voce clamat: *Victoria, victoria S. Diago, il tertio de Lombardia è dentro*, quo significabat alterá vrbis partem captam: edebatur autem huiusmodi clamor, vt animi obsessoribus adderentur, obsessis frangerentur. Post hunc accurrunt duo alij, identidem victoriá exclamantes: eadem vociferatione, alter quoque oppugnatorum locus totaq; castra implentur, sed frustra: erát enim toto exercitu plurimi milites veterani & experti huiusmodi rerum, qui se non facilè credulos præbebant. Postquam aút in fossas peruenerunt, statim ex muri septimentis, tam frequens globorum grando deiactur, vt quotquot propius accedebant, aut illico morti occumberent, aut mortiferè vulnerarentur: plurimi se subducunt, & per tortuosas fossis prorepunt, trepidaque huiusmodi fuga, eorum qui vlterius tendere volebát, animos formidine opprimunt. Vtroq; quo vrbs oppugnabatur loco, flammam improuisè concepit puluis tormentarius, quod milites prope munitiones turbati, parum fomitum funiumq; igniariorum curam haberent. Idem quoque in ipsá vrbe tunc accidit, eodé quo potissimùm oppugnabantur loco: ita vt miserabili hoc casu, multi non sine horribili exclamatione adurerentur atq; exurerentur. Tandem sub vesperam, post frequentes impetus, reliqui superstites ab oppugnatione desistunt, abeuntq;ue. Hic interfecti constante numero ac nomine, Hisp. Capitanei 11. multo plures vulnerati: cæli, igniferi 5. quatuor vulnerib. confecti: multi Domini nomine celebres ac nobiles. Nec minor Italorú interfectorum & vulneratorum numerus, inter quos præcipui, D. Ioan. Mauriquesius, D. Vasco Cugnatus, D. Ioan. Grimaldus, Petrus Gonsmanus, Pet. Pacieçus, Fabius Farnesius suprà dictus, Marcus Antonius Simonettus, Guido S. Georgij Comes, Marchio Conradus Malespina, Petrus Comes Nofrie Mùdeglianus, pluresque alij. Cecidére quoq; plurimi Belgæ nobiles, & gregarij milites diuersárú nationum innumeri. Vulneratorum tanta fuit multitudo, vt in ipsis castris amplum quoddam prętorium tanquam valetudinarium, quadringentis & amplius vulneratis fuerit refectum, quorú plurimi statim mortem obierunt. Ingentem quoque iacturam suorum passi sunt obsessi, maximè cuniculariorum & fossorum, qui tormentis hostiú missilibus horrendum in modú infestabantur.

Pòst, Parmensis ad portam Bruxellens. propugnaculum altum forma plana construit, huic impositis tormentis æneis recta in vrbé per magnam plateam iaculatur, obsessisq; calamitatem atrocem infert, qui nullum metus aut pusillanimitatis signum ediderunt, quanquam tota fossa: interea dum tormentorum vi ex hoc propugnaculo in vrbem fæuitur: terris ruderibus, lapidibus ab hoste repletur, & pacis conditiones satis blandæ proponerentur.

Erant ante hanc portam sepimentum quoddam militare, aggere & fossa bene munitum: vnde per quinque septimanas, maxima strages, frequente varioque impetu, edebatur, ita vt indies vtrinque minimum viginti caderent. Huius sepimenti superandi causa diuersas cuniculorum, ferri, igniú machinas adhibent Parmensis milites: tandem post multas suffosiones subterraneú accessum impediunt obsessis: potiti deinde sepimento loricas inuadunt, mœniaq; superant, ita vt cominus etiam manus conferere possent. In huius vrbis obsidione 22. cuniculi ab expertissimis in arte suffodiendi magistris, Parmensis mandato excauati, in altum profilere, & centeni aliquot milites in vrbem per subterraneos meatos deducti, interfecti fuére.

Ante ipsam vrbem insula quædam in flumine iacet, quam Parmensis inuadere & munire moliebatur: verùm simul ac in eam sui peruenére, tam validum tormentorú ex vrbe impetum perceperunt, & eandem relinquere coacti fuerint. Nouus Comes Barlemontius, machinarum bellicarú præfectus, appellatus viuente adhuc patre, qui nuper obierat: D. Hiergesius, vir multę administrationis, hic quoque in mœnibus globo ictus perijt. *Hierges Barlemontius Comes occiditur*

Parmensis maximam tormentorú bellicorum, quibus in hac obsidione vtebatur partè com modato acceperat à Leodiensibus: cumq; in castris indigeret multis, omnia necessaria ab ijsdem suppeditata sunt: missi quoque quater mille cunicularij, siue fossores subterranei, ex agro Leodiensi, qui totius Belgij reputantur peritissimi. Postea præsidiarios milites vndique conuocat, quibus in demortuorum loca substitutis exercitum auget, completque.

Assidua hæc Leodiensiú auxilia Belgæ oés ægrè tulerút, reputantes ea non solum zelo erga religionem, aut fauore erga Regem, sed potius vindicta & simultate veteri prætari: ob grauiss. *Leodienses auxiliantur Parmensi contra Belgas.*
sima scilicet damna à Burgundionibus Belgisque socijs, olim atrociter Leodiensibus illata: vt neque vindictæ, neq; talionis reddendæ obliti videretur: alij id factum Episc. Leodiensi familia Grosbeckana oriundo adscribebant. *mens.*

Sepimentú ante portam postquá expugnasset Parmensis, iamq; supra portá ac mœnia vrbis firmus maneret, non tantá vlterius vim oppugnádo adhibendá ratus, cuniculis & infestationibus creberrimis animos viresq; obsessis fregit, & assiduo quodam impetu insomnes diuexauit.

Ordines generales, Archidux Matthias, Princeps Auraicus, Status Consilium, toto huius obsidionis tempore, summá diligentiam, vt obsessos liberarent, sedulò adhibuerunt: maximè cùm-

Digitized by Google

An. 1579. non tantum per nunitos missos, per strategum quendam equestris ordinis virum, verùm frequentibus quoq; ignibus, fumis, vexillis, aliisq; signis è turribus editis, quo in statu ciuitas esset, obsessi indicassent: verùm quia aliis difficultatibus & negotijs grauissimis distinebantur Ordines auxilium cómode præstare nequaquam potuerunt. Impedimento præcipuè fuerũt, immoderata Gandauensium intemperantia ac insolentia: vnde VValonicæ Prouinciæ defectionis occasionem arripuerunt atq; palliarunt, quæ concordiam omnem rupit, Prouinciasciuitatesq; studia in contraria scidit, contributiones impediuit, multa tentãdi atq; designandi Buscũducis. Antverpiæ, Brugis, aliisq; locis, ansam præbuit, denique Ordinib. multos strenuos militesq; subtraxit, & reliquis contra defectores & Motteum vti coegit. Ordines in Geldria, stipendijs numeratis, circiter 4. equitum millia collegerant, ijsq; pedites iungere constituerant, sed frustra, quòd eo ipso tempore Egmondanus, Bourſius, pluresq; alij cum suis copijs deficerent: tandem verò cum viderent Parmensis castra nouis militibus instructa, & aggeribus fossisque vndique ita esse munita, vt difficillimè additus pateret: nullasq; arces, aut loca munita propè ita oblidióí foluendæ necessaria vi haberent, animũ vrbem liberandi prorsus perdiderunt: hoc vnũ imprimis sperantes ac confidentes, non sine certis causis ac argumentis, Commissarios Imper. nempe Principes Electores Colonienſem & Treuerenſem, Pacificationis gratia Coloniç tunc præſentes, inducias pacturos, aut saltem vrbem Traiectenſem, cùm neutri parti addicti essent, in suam potestatem recepturos, ad quod Ordinum Deputati summoperè instabant, & ipsi Commissarij satis propensi videbantur. Verùm Dux Terranouanus à Rege Hisp. legatus, sibi Pacificationis. Parmẽli autem belli negotia cómissa esse allegabat: & post longas deliberationes ac dilationes, Terranouanus & Parmensis se inducias nequaquam concedere posse, respondent, quandoquidem parua admodum ad pacem conficiendam signa, Ordinum culpa, apparerent: induciasque tantum futuræ pacis spe confici solere: præterea maioris esse momenti vibem hanc Traiectenſem apud Regem, quam vt eam iam ferè deuictam, hoc pacto relinquerent. Sciebant quidem Ordinum proceres, neq; Terranouanum, neq; Parmensem pactionis conditiones mediocriter bonas vllo pacto cóceſſuros: verùm exſpectabant ſperabantq; ipſos Principes Electores & Cæſaris Cómissarios pro ſua auctoritate viam ac rationẽ conſeruandæ vrbis inuenturos: quandoquidẽ eos bene ſperare, & bono eſſe animo iuſsiſſent, & 23. Iunij ſignificaſſent, ſeà Parmenſi procul dubio facilè impetraturos vrbs in ipſorum manus tradatur, obſeſſorum vita & facultatibus integris & ſaluis, pacemq; qua fruantur ciues, poſtea etiam cómodius confici poſſe. Verùm deputati Ordinum, quia hæc ab Ordinibus mãdata non haberent, & ſine inducíarum pacto tẽpus breuius eſſet, quam vt hæc ſcripto ad eos tranſmittere poſſent, vrbemque ipſam in extrema eſſe neceſsitate perciperent, oblatas conditiones accipere auſi non fuerunt: Confidebant aũt, Commiſſarios, quandoquidem inſeſta tormentorũ flumina indies audiebant, inclytæ vrbis miſeratione motos, pro ſua auctoritate ſanguinis profuſionem, diramq; atrocitatem auerſuros: verùm id haudquaquã effectum eſt. Interea obſeſſi in ſumma diſcrimina labuntur, multis oppugnationibus, morbis, aliisq; calamitatibus miſerrimè debilitati, militumq; ope deſtitutis: quan doquidem ex mille vix quadringenti bellipotentes ſuperarant: accedebat inſuper multarum rerum ſumma inopia: quanquam obſidionis principio ſubinde neceſſaria quædam nauibus aduecta fuiſſent: deficiebat præterea puluis tormentarius: hinc animi paulatim labaſcere & concedere videbatur, maximè cum de ſubſidio prorſus deſperarent: id vnum ſaltem ſperãtes, Principes Electores, Cæſaris Commiſſarios, aut ipſum Parmenſem, aliquas ſaltem conditiones, quibus vrbs dedatur propoſituros.

Cauſæ & difficultates quæ ab Ordinibus non fuerit ſubuentũ Traiectum.

Inducia à Duce Terranouano & Parmenſi abnuuntur.

Extrema neceſſitas Traiectenſium.

Traiectum expugnatur à Parmenſi 29. Iunij.

Poſtremò cum iam hoſtis in muris mœnibuſq; valde aggeribus foſsisq; munitus eſſet, obſeſſi aũt tantũmodo oppoſitam haberent loricam ſatis humilem, & excubias vigilantiſsimè aſsiduas agere vi vrgente cogerentur, excubitorum aũt adeò exiguus eſſet numerus, vt à mœnibus ac ſtationibus, ne latum quidem pedem diſcedere liceret, atq; in ijs & dormiendum, & edẽdum eſſet, creberrimiſq; oppugnationibus fatigarentur, ſumnoque opprimerẽtur, euinit vt 29. Iunij ſummo mane, feſto die D. Petri, Parmenſis milites per ſeptimenta proſpicerent, excubitores grauiſumno deuictos iacere: itaq; Parmenſis ſuos ſubitò ac tacitè adſcendere ab omni parte, & excubias ciuitatemq; ex improuiſo inuadere, & obuium quemque trucidare iubet. Multis quidem locis ſtrenuè reſiſtitur, etiam à mulieribus, quarũ ſexui hæc maximè de cauſa parcitum non eſt: tandem ingens fit fuga ad pontem, VVykam verſus, tanto concurſu & preſſu, vt alij alios mulieres quoq; & pueros, in aquas detruderent, plurimi etiam in flumẽ vltro deſilierent. In vrbecula VVyka, nihil cõmeatus inueniunt: itaque hic primam oppugnationem clademq; paſsi, ſe dedunt, quidam fuga euadunt. Sebaſtiano Tappino machinarum bellicarũ ingenioſiſsimo ſtructori conceditur vita, ob ſummam hominis induſtriam, eumq; Cæſ. Maieſtas ſibi dari petit, vulneribus ſaucius ſanatur: verùm poſt in feneſtra globo tormentario ictus moritur. SVverizenbergius Herleus vrbis Gubernator, ſe cocum ſimulans hoſtium manus euadit.

Ita Traiectum ad Moſam poſt quatuor menſium arctam obſidionem, expugnatũ eſt: vrbs omnium

omnium ante ab hoſte captarum bellicoſiſsima & cõſtantiſsima in reſiſtendo, pro rerum ſtatu & facultatibus id temporis. Poſtquam in hoſtium manus venit, omninò interijt, cùm vix trecenti ciues adhuc ſupereſſent, qui breui poſt ciuitatem quoque relinquerunt, & quamuis plurimi Leodienſes eo confluentes ciuium ſedes locaque occuparint, nihilominus vrbs prorſus deſolata mãſit, præſidiarijs alijſque militibus potiſsimum habitata, qui lignorum penuria, domos vacuas diruerunt & combuſſerunt. An. 1579.

Hac Traiectenſi obſidione Parmenſis armorum viribus, viriſque adeo debilitatus eſt, vt poſt hanc victoriam nihil magni arduiue auſus fuerit aggredi: ipſe quoq; breui poſt in grauem incidit morbum.

Martinus Schenckius Toutenborgius, vir nobili Geldrica familia natus, qui ante Pacificationem Gandauenſem Auraico militauerat: poſtea arcem Bleyenbekam Moſe vicinam, vltra Grauiam, cœpit, vnde agricolis circumcirca vicinis indicis incendias, minitans ingentem pecuniæ vim extorſit, etiam ipſa flumina infeſtans. Deutecomum etiam menſe Iulio aſſtutia quadam inuaſit: cumque plura alia moliretur, à Comitis Hoghenloi militibus circumuentus, cum aliquot ſuis ſtrategis capitur: breui poſt D. Curtbachij Schleſienſis Domini ope, parua cum difficultate liber euaſit. Hic quidam Schenckius ſtrenuum comprimis in re militare ſe præſtitit. *Mart. Schenckius captus.*

Nunc de Pacificatione Colonienſi, cuius ſuprà mentio facta, paucis agemus. Interea dum Dux Parmenſis Traiectum inferius obſidet, inſtitutus fuit Coloniæ Procerum conuentus, Rodulphi II. Imperatoris auctoritate, & Ioannis Auſtriaci, diuerſis Principum & Ducum Legatis Louanio data reſponſione. Conuenerunt eo menſis Maij initio Reuerendiſsimi & Illuſtriſſ. Duces, Electores, & Principes, D. Iacobus Treuirẽſis, & Dominus Gebhardus Truchſeſius, Colonienſis, Archiepiſcopi, ſacri Imperij Electores: Dominus Iulius Epiſc. Herbipolenſis: præterea Ducis Cliuenſis, nomine V Vernherus D. Gymichi, & Ottho Henricus Comes Swartzenbergius, Cæſ. Maieſt. Conſiliarij. A Catholico Hiſpaniarum Rege Legati, Carolus Aragonius, Dux Terranouanus cum ſuis Conſiliarijs, Maximilianus Longeuallius Vauuij Dominus, Dominus Ioannes Fonckius Præpoſitus, Chriſtophorus ab Aſſonleuille, Regius Conſiliarius, & Vrbanus Scharenbergius Secretarius. A ſummo Pontifice, Ioannes Baptiſta Caſtaignetus, Archiepiſcopus Koſſauenſis, Nuntius Apoſtolicus. A Matthia Archeduce & Ordinibus Belgicis, præſto adfuerunt 4. Maij D. Philippus Croyus, Dux Arſchoti; D. Ioannes Lindanus, D. Gertrudis Abbas; D. Henricus Yueus, Marollæ Abbas; D. Bucho Aytha, Diui Bauonis Præpoſitus; Gaſpar Scherzius, Eques, Grobendonckæ & V Veſemalæ Dominus; Adolphus Meetkerckius Scutifer, Ordinum Conſiliarius; Adrianus Milanus, vtriuſque iuris Doctor, & Hollandiæ Cõſiliarius; Bernhardus Merodius Baro, Rumenæ Dominus; Adolphus Goreus, Kaldenbrokę Dominus; & Aggeus Albada, vtriuſque iuris Doctor. *Pacificatio Coloniensis.* *Commissarij Cæſ. Maieſt.* *Legati Regis Catholici.* *Legatus Pontificis.* *Legati Ordinum Belgij.*

Hi menſe Maio cum Cæſareis Legatis egerunt, ſuaque mandata ſpatio ſex hebdomadarum limitata, cum commentarijs ſiue inſtructionibus vna datis exhibuerunt: quæ Principibus, Electoribus, & Cæſareis Legatis parum placuerunt: oſtenderunt præterea Epiſtolam à Principe Auraico poſt diſceſſum miſſam, qua ſignificabatur, Ordines Artheſiæ ſcripto declaraſſe Ordinibus generalibus, non eſſe neceſſe Legatos Coloniam mittere, vbi Cæſar nihil nili tempus fruſtra teri cupiat: ſed ſi ſuos Legatos Atrebatum mittere velint, hic Parmenſis Legatos æquam pacem cum eis inituros, eamque Hannonienſes etiam videri exoptare, &c. Ad quæ ſcripta reſpondit Dux Terranouanus, Principem Parmenſem id auctoritate mandatiſque ſibi datis præſtare poſſe: præcipuè cum vna prouincia, ſiue ciuitas ſe faciliorem ad officia, pacem & reconciliationem erga naturalem ſuum Principem, quàm alia, præbeat: Neque id vllo modo Cæſareę Maieſtati obfuturum, ſed potius profuturum, eique laborem ac moleſtiam leuaturum.

Legatis Cæſ. conſultum paciq; conficiendæ neceſſarium videbatur, indicias in certũ tempus paciſci, quibus Ordinum Legati non ſolum adſtipulabantur, ſed etiam vehementer inſtabant, vt ſcilicet partes vtrinque cum ſocijs liberè agere, & vltro citroq; commeare poſſent, partes aũt inter ſe nihil commercij haberent. Verùm id Regij Legati recuſarunt, cauſas prætexentes, primò, quod Ordinum authoritas legatis mandata non ſatis abſoluta perfectaq; eſſet: deinde, quod articuli exhibiti nullam pacis ſpem darent: poſtremò, quod cum 24. Iunij Traiectenſis ciuitas ſumma neceſſitate laborarent, muri, mœnium & portæ parte ſuperata, iamq; Cæſ. Legati inſtarent, vt ciuitas, vita, facultatibus, honore ſaluis, ſe Regi dederet, iiſdemque articulis, quibus aliæ ciuitates fruerentur, ſi pax conficeretur: ipſe Terranouanus, id ad Principem Parmenſem, non ad ſe attinere, reſponderet. Itaque inducię neutiquam pangi potuêre: tum quod Regi in ſingulari ſua cum Artheſia & Hannonia Pacificatione detrimento eſſe potuiſſent, tum quod Cæſaris Legati ſua auctoritate, inducias Regi obtrudere nollẽt: quod tamen Ordinum Legati maximè ſperabant, imprimis vrbis Traiectenſis ſeruandæ cauſa, cuius media pars cum ad Imperiũ Cæſareum pertineat, putabant Imper. Legatos, ſi nullam armorum ceſſationem impetrare poſſent, ſaltem in ſuam poteſtatem recepturos.

An. 1579. Proponunt præterea Ordinum Legati articulos Pacis, ſuper quibus variæ reſponſiones & defenſiones actitatæ: poſtea etiam Terranouanus ſuos articulos offert. Tandem, decimo poſt die, nempe 18. Iulij, Cæſaris Legati articulos Pacificationis aliquantulum mutatos, tanquam neutriparti fauentes, tradunt, eoſdemque Ordinum Legatis ſummopere commendant, ſequo vlterius nihil à Terranouano impetrare poſſe aiunt: de quibus Terranouanus ſatis aſſentiri videbatur: eos autem hic ſubiecimus.

Articuli Pacificationis Ordinibus à Cæſaris Legatis propoſiti.

I. Pacificatio Gandauenſis 8. Nouemb. anno 1576. inita, iſtiſque Bruxellæ 9. Ianu. an. 1577. ſubſequuta Vnio, & Edictum perpetuum eodem anno 17. Febr. die publicatum, nec non Regis approbatio, omnibus ex partibus, articuliſque ſeruabuntur, atque executioni mandabuntur.

II. Poſtmodum à primis turbis, ante & poſt Pacificationem, vnionemque inſtitutas, vtrinque multa verbis factiſque tam communiter quam particulariter cõmiſſa, etiam hæc talia qualiacunque fuerint, præſenti Pacificatione condonabuntur, perpetuoq; negligentur, in tantum, vt horum nunquam huic, inde mentio aut exprobratio fiat, facta infecta reputanda, Atque hoc ſub pœna ſeditionis, paciſque publicè violentionis.

III. Catholicus Rex Hiſpaniarum, Vaſallos & Subditos ſuos retinebit, foucbit, atque ſi opus iterum confirmabit, omnia & ſingula ipſorum Iura, vſus, libertates, exemptiones, priuilegia Prouinciarum, vrbium, oppidorum, communicatum, aliarumque perſonarum, tam ſingulos quam vniuerſos, prout, decimo perpetui Edicti articulo, ſua inueſtituræ tempore, iurarat promiſeratque.

IV. Exteri omnes milites Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundiones, Angli, Schoti, & reliqui peregrini harum turbarum gratia conuocati atque introducti, illicò facta pacis Promulgatione, intra tempus communi conſenſu conſtitutum, pariter regiones relinquunt.

V. Internis militibus, quod attinet, Rex ad plenam ſubditorum ſubleuationem etiam dimitti curabit, tam terreſtres quam nauales copias, vt in poſterum ſecum tranquille degant, Ordinarijs præſidiarijs militibus, ſolummodo exceptis. Omnibuſque ciuibus & incolis iniunget, incontinenti ſua commercia, opificiaque iterum, vt antea pacis tempore ſolebant, exerceant, vt hac ratione vxores familiasque ſuas, honeſtè alere poſſint. Armisq; omnibus militaribus, paciſque tempore non neceſſarijs abſtineant.

VI. Exactiones, Impoſitiones, aliaque de nouo impoſita, vectigalia, belli gerendi ergo inuenta, hinc inde ceſſabunt. Si tamen communi commodo inſeruiendo, quædam grauamina continuanda, Rex paratus erit in eiuſmodi deliberationibus, conſilio petitionibuſq; Ordinum ſeſe accommodare.

VII. Deinde etiã libertates omnes commercia tranſportandi, omnibus harũ prouinciarum in locis concedentur, immunè vrbes, pagos, pontes, per aquas denique, per terras, per fluuios & mare, permeare more, pacis tempore, ſolito licebit. Noua autem & ſine Regis permiſſu, ordinata vectigalia, omninò ſtatim ceſſabunt.

VIII. Atque ne vlla amplius diſſidiorum ſcintilla remaneat, tam ſpirituales quam mundani, domeſtici ſiue peregrini, iterum liberè ad ipſorũ bona, mobilia & immobilia redibunt, titulos, credita aliaque acta recipient, eatenus, quatenus pro præſenti rerum ſtatu ea inueneri nt, omni calumnia & deceptione excluſa. Licet etiam propignorata, vel alio quouis modo per Gandauenſem Pacificationem alienata fuerint. Quicquid aũt per prædictam Pacificationem factum fuerit, etiãm ipſius liberæ diſpoſitioni relinquetur decidendum.

IX. Similiter etiam ſubditi omnes honoribus, dignitatibus, commodis, muneribus, officijs, & ſeruitijs antiquis, quæ perpetui Edicti tempore habuerunt, reſtituentur. Omne etiam quod ante Edictum acciderit, Edicto diſponendum relinquetur. Iſtis ſolummodo excluſis, qui conuinci poterunt, contra ſua & Priuilegia Patriæ, ſe muneribus præfectos. Qui autem reſtituuntur, muneribuſque iterum decorantur, Iuramentum ſubſequentibus articulis comprehenſum præſtare tenentur. Infimul etiam omnes alij, qui in poſterum munera publica ſuſcepturi. Se nimirum pro nihilo habere, quodcunque ab vtraque parte contra ſtatutũ factumúe fuerit.

X. Nulli præterea ad Gubernationem, Prouinciarum vrbium, arcium, munitionum, Capitanatuum militarium, neque ad Ordinum conſilium, neque ad pecunias, & facultates publicas admittentur, niſi naturales internæ perſonæ, haſce prouincias incolentes. Qui etiam priuſquam ordinentur, ſolitum Regi & Ordinibus Iuramentum præſtabunt, fidelitatem atque induſtriam ſuam ex intimo animo promittendo, ſeque ſub pœna peiurandi, obligando.

XI. Omnes captiui, ab vtraque parte adhuc detenti, immunes relaxabuntur, niſi prius hac de re quicquam inter illos tranſactum fuerit.

XII. Comes Bucranus, intra trimeſtis ſpatium, poſtquam cum Principe Auraico trãſigenda, tranſacta, libertati Patriæque reſtituetur.

XIII. Decreta, Mandata, & literæ, Archiducis Matthiæ, ſibique adiunctorum Ordinum detatorum,

Digitized by Google

bitror,à neutra parte quenquam prædictorum criminum, quæ ab Hiſpanis nobis obijciuntur, reum eſſe, quaſi vel contra Maieſtatem diuinam, quam Rex punire debeat; vel contra Maieſtatem ipſius deliquerimus: nihilominus grauiſſimam eſſe culpam, qua Deum offendimus, ſed quæ non tantum ex parte noſtra; ſiue Status, ſiue Magiſtratus, ſiue etiam populum conſidere-mus: ſed multò magis ex parte Regis & Conſiliariorum Maieſtatis ipſius commiſſa eſt. Et hanc culpam dico omnium calamitatum noſtrarum cauſam eſſe. An. 1579. *Culpa & occaſio omnium Flandriæ miſeriarum.*

An nunc illa per ſeparationem iſtam quæ & apud vos, & hic quæſita eſt, tolli poſſit, imò an non potius oppugnatione alterius partis, ira Dei magis accendetur, prudentibus iudicandum relinquo. Hoc tamen certo certius mihi ſcire videor, vos qui alios oppugnare ſtatuiſtis, ſiue hoc nouum & deteſtandum bellum erga propria viſcera veſtra cum Hiſpanis, vel ſoli eorum auſpicijs aggredimini, vos, inquam, nullis magis, quàm vobiſipſis nocituros eſſe; tantum abeſt, vt quam ſperatis victoriam & gratiam ab Hiſpanis, de popularibus veſtris reportaturi ſitis: vel etiam multo grauiora metuam: quæ hoc publico ſcripto declarari nequeunt.

Proinde auctor admonet, vt vitam omnes emendemus, & nos Deo per pœnitentiam reconciliemus: vt ſuper contempta luce gratiaque Dei, & ſanguine innocentium hominum propter eam effuſo pœnitentiam agamus: & vt potius ſimplici, puræ ac ſanæ doctrinæ Chriſti, quam humanis conſtitutionibus & inuentionibus fidem adhibeamus: vtque cultum Dei non in creaturis externiſque rebus, ſed in ſpiritu, & veritate amplectamur, & exerceamus: omnem quoque poteſtatem, quam homines ſibi in diuinis rebus vſurpant, ad Chriſtum Dominum transferamus, eamque illi ſoli attribuamus, &c.

Hæc rebus hac tempeſtate geſtis, hic addenda putauimus: curioſum lectorem vlterius, ad ipſum librum relegamus, Hiſtoriam rerum Belgicarum inſtitutam proſequuturi.

Ciues Antverpienſes, alijque Confeſſioni Auguſtanæ addicti, Antverpiæ aliiſque locis ex pacto Pacis Religionis, ſuam Religionem liberè exercentes, cùm id temporis, vbique accuſarentur, quod Articulos Coloniæ à Cæſareis Commiſſarijs 10. Iulij editos, bonos, æquos & neceſſarios reputarent, eoſque abceptare parati eſſent: contra huiuſmodi accuſationes Archiduci Matthiæ & Senatui teſtificationem tradunt, & typis diuulgant, falsò ſe accuſari, neque vllo modo dictos Articulos probare, aut laudare, diuerſaſque rationes allegant, nempè quod ad regionum extremam pernitiem, & veræ Religionis extirpationem tendant, pluraque inſuper addunt, quæ omnia ex expreſſis libellis latiùs videre, auidus lector poterit. *Auguſtana Confeſſioni addicti ſe purgant & accuſationes diluunt.*

Supra diximus Principem Auraicum menſe Decembri, proximè elapſo turbas Gandauenſes ſedaſſe, & pacem Religionis introduxiſſe: poſteaque Gandauenſes, quòd ſeditioſi VValones nullis rationibus pacari poſſent, iterum occaſionem inueniſſe 9. Martij, Religionis pacem infringendi, & Eccleſiaſticos rurſus expellendi: quæ quidem turbæ per totam æſtatem durarunt: quibus D. Ioannes Imbyzius cum ſuis ſectatoribus, multa iniquè pro ſuo arbitrio egit: hinc ite-rum Eccleſiaſticorum bona occupata; templa, monaſteria, abbatiæ, ſtrategis militibuſque direptioni data: imò ſocias ciuitates, præcipuè Oudenburgum, muris conſentiri diripere mandatum. Cœnobitarum bona, agri, fundi, ſyluæ, ædes, vili admodum pretio vendita, Imbyzij potiſſimum auctoritate, abſque ſociorum Senatorum conſilio & conſenſu. Imbyzius multos reformatæ Religionis fautores ſubito extra vrbem Gandauenſem relegauit: Lanouium ſupremum caſtrorum præfectum, nocte, admodum repentè vrbem exire coëgit. *Seditioſe agentes Religionis Gandauenſes. Seditioſe agendi Rationes Gandani.*

Alenzonius Franciſc Regis, frater anno 1578. Boni vetum Creuecorij Picardiæ Præfecti filium, ad Ordines Belgicæ ablegauit, qui per Arteſiam profectus Gandauum, vt inde porrò Antverpiam aut Bruxellam, ad Concilium Ordinum generaliũ pergeret, biduũ aut amplius Gandaui manere ſtatuerat, tam vt ex itinere ſe reficeret, quam vt interea Domino ſuo beneuolentiam, apud Magiſtratum vrbis conciliaret, eoſque ad concordiam adhortaretur. Quod vbi ſuboluit Imbyſio Gandenſium tum Burgimagiſtro, confeſtim ex vrbe Legatum diſcedere iubet. Qui cum inſidias metueret, literas ſaluiconductus ſibi dari petijt. Quibus acceptis quamprimum abijt. Verùm Imbyſius gallicę factionis Legationiſque ipſius hoſtis quamprimum 15. vel 16. armatos equites expedit, qui in via hominem trucident. Quos vbi ſe accedere vidit Boni vetus, iamque nobilem vnum è ſuo Comitatu, & Aeconomum ſuum interfectum, ex equo deſcendit, foſſaſq; aliquot tranſiliens. Fuga ſicariorum manus euaſit, recipitque ſe Vutbergam, in ædes Domini Cauvvehouij ſitas, inter Gandauum & Tenera mundam.

Hic Bonivetus poſtea duxit, filiam & hæredem Baroniſcæ de Greuenbrouc, ideoque cùm Ducatus Geldriæ cum Allenconio conuenit, Bonivetus tanquam Baro dicti Ducatus, cùm aliis ordinibus coram Principe comparuit. Tandem à coniuratis, poſtremo bello Gallico, pro Rege Henr. 4. pugnans in Picardia eſt interfectus. Idem Imbylius eodem anno certior factus de quodam muſardo & aliis Ioan. Auſtriaci partibus addictis in ditione Axelana. Proditores & Papales eos appellans, curam dedit Iacob. Myleghenio, cohortis ſuæ vicario, homines interficiendi. Qui ad id emiſit 12. è ſuis militibus, qui homines inuentos eis ſignificant, ipſos à Gandenſibus,

Digitized by Google

An. 1579. densibus, ad longam captiuitatem accersi, prospicerent itaque sibi de pecunia, & necessa ipsis longum tempus. Quod cum fecissent captos Gandauum ducunt, vbi ad Amandi montem homines crudeliter iugulant, & sub patibulo sepeliunt. Quod facinus amicorum inquisitione & præsertim indicio canis continuo vlulatis, à molitore notatū detectum est. Imbysius initio de facto hoc rogatus negauit se quicquam de eo scire, tandem conuictus sic tractando dicebat proditores. Atque ita res abijt.

Iacob. Myeghem. post Imbysij discessum eo nomine accusatus, excusauit se quod iussu Præfecti sui id fecisset, mortis itaque supplicium euadens, in exilium est actus.

Post hæc & similia acta, tandem improuiso 28. Iulij, copias tam equestres, quàm pedestres, inscijs & inconsultis ijs quorum maximè intererat, intromisit: Senatum quoq; siue Magistratum, ante solitum tempus, nulla debita forma seruata, contra ipsa vrbis priuilegia, mutauit, & semetipsum denuò summum Senatorem constituit: suorumque actorum rationes, quarum argumentum hic paucis comprehendimus, typis promulgauit: nempè.

Imbysius omnia pro suo imperio agit Gandaui.

Quosdam ciues occupatos bonum politiæ, & reformatæ Religionis statum labefactare, atque opprimere, & Religionis pacem introducere: hanc verò vniuersam viam & rationem esse, quæ exstirpatus Papatus, & Hispanica tyrannis rursus inferantur, exemplo Busciducis, Machliniæ, aliorumque locorum.

Machinatos etiam Imbysium die 18 mensis Nouembr. proximè elapsi, extra vrbem vi auehere curribus iam præparatis, vt eum ita pro suo arbitrio tractent.

Modum præterea iniisse, quo nobiles captos vinculis liberent: Magistratum quoque pro suo lubitu creent. Cumque Principis Auraici literæ 24. Iulij scriptæ in vrbem allatæ essent, quibus significabat se venturum, vt cum illis de statu Prouinciæ Flandriæ deliberet, & Magistratum mutet: maleuolos consestim ad eum voluisse, nuncios mittere, qui rogarent, vt quantocyus veniat, dictaque effecta reddat: qua de re cum deliberandum assereret Imbysius. neq; consentire vellet, eosdem rem eò impetuosis animis perduxisse, summo opificum præfectò & tribus ciuitatis membris absentibus, vt Commissarij ad Principem mitterentur: hinc ciuitatis rectores multa suspicantes, necessarium reputasse: huiusmodi hominum institutum præuertere, & vrbi probis fidelibusque Senatoribus prospicere: vtque id boni consulant, animisque æquis accipiant, rogare, quamuis solitæ cæremoniæ & consuetudines, vt priuilegia postulant, non sint adhibitæ: id enim maioris commodi, & vrgentis necessitatis causa factum: si se nolentes & dolentes atque coactos huiusmodi omisisse: priuilegia quidem omnia ad salutem, & conseruationem ciuitatis spectare debere: ciuibus autem hoc facto, nihil in substantia derogatū: quin potius ciuitatis tranquillitas & libertas (cum summum imperium Comitatus Flandriæ in sinum ac potestatem communitatis nunc peruenerit) magis aucta quam diminuta sit. Excusat præterea, admissos fuisse in vrbem equites, ciuitatis stipendia merentes, non vt alicui vis inferatur, sed vt ciuitatis quies, & tranquillitas conseruetur: vtque tam vtile, imò prorsus necessarium, opus impedire volentibus resistatur: introductas autem has militum copias, placidè & tranquillè dimissas, ex vrbe discessisse, &c.

Articuli, quibus Imbysius postque decla rat, quare se ciuis Gandauum venire non audeat.

Postea Imbysius socijque Articulos 14. constituunt, & typis edunt, quibus declarant, nequaquam consultum esse vt Princeps Auraicus in vrbem Gandauensem veniat.

I. Quod Princeps, Senatum & Magistratum, nunc ciuitatis gubernationi præfectum, pro suo arbitrio; quandoquidem ei non placeat; mutare, omniaque pro libitu agere instituerit: hinc cæ des cruentas in ciuitate oriri posse.

II. Quod Religionis pacem rursus introducere moliatur, iuxta iuramentum conferundæ Religionis Romanæ ab eo præstitum: hinc nisi machinationes quotidianæ à Catholicis struentur, &, quo minus ciuitas in extrema necessitate, emolumenti aut adiumenti aliquid ex bonis Ecclesiasticis obtineat, impedietur: populusque inde grauiora onera patretur.

III. Quod tanquam Legatus siue vicarius generalis venire, & ciuitatem iugo Curiæ, cuius grauissima onera plurima ciues tulerunt, subditam coercere, atque summa iurisdictione & libertate, quæ nunc ciuitati ipsi in sinum obuenit, & iure ad eam pertinet, priuare velit.

IIII. Quod prætextu Prouinciam, in priſtinum ſtatum reſtituendi (quæ ab ipſa Curia in has miſerias pertracta eſt) ciuitatem ſit coactus, vt Ducis Alenzonij inaugurationem ac gubernationem comprobet, quod & Brugis attentauit.

V. De eius aduentu nihil boni ciuibus ſperandum, vt prior aduentus ſatis docuit: & quod an tè, id nunc magis metuendum eſſe: quandoquidem occaſionem vindictæ quærat, vt ex querelis, ad vnionis Vltraiectenſis fœderatos delatis euidenter videre eſt.

VI. Metuendum ne cum curia Gallica, & cum ſatellitum cohortibus veniat, & præſidia in vrbem adducat.

VII. Periculum quoque, ne hoſtis Principem perſequens eum, hic præſentem obſidione cingat.

VIII. Cumq;

VIII. Cumque Princeps ciuitatem, neque pecunia, neque milite iuuare queat: minimo periculo sua consilia, mandataque huc Antverpia mittere poterit. An. 1579.

IX. Quod verò eius fautores, eum hic præsentem reliqua Flandriæ membra ad concordiam reducturum dicunt: huiusmodi proculdubio concordia & vnio nequaquam ciuitati vtilis erit.

X. Proinde æquum esse, vt ciues & incolæ spem fiducia mq; omnem collocent, in sui Senatus sollicitudinem atque diligentiam; qui necessitate vrgente auxilia, & subsidia sit procuraturus, dummodo Principis aduentu non impediatur.

XI. Quod verò à nonnullis adducitur, Principem siue supremum aliquem gubernatorem populo necessarium esse: Procul dubio necessarius est Imperator, siue Princeps exercitus: verùm huic muneri Auraicum, nequaquam idoneum esse constat, vtpote qui temporibus, quibus fortissima etiam castra dispolita fuerunt, se semper in vrbibus continuerit.

XII. Et quod allegant præterea, Principem Auraicum Gandauij. præsentem facilè refrenari posse, ne id quod timetur efficere queat id nullo prorsus niti fundamento: quandoquidem nimis astutus & callidus sit: præstare proinde vt eius, aduentus differatur.

XIII. Quod autem quidam prærendunt: Si cum Principe non concordent, Hollandos, & Vnione Traiectense fœderatos, hac de causa eos defuturos: id neutiquam metuendum: quandoquidem ipse Princeps, quo minus in Vnionem reciperentur, impedire non potuerit: & quia nunc nihil aliud quam tinctum Religionem, & suam libertatem quærunt, à vicinis non relinquentur: cùm Hollandi tam malè in Gallum. aciptimet, sint animati.

XIIII. Verùm enimverò si ipsius Principis aduentus adeò sit necessarius, ad Prouinciæ statum restaurandum, vt proponitur: præstabit vt Brugas veniat: eò hinc mittentur, qui cum ipso negotia tractent: eritque hoc modo vrbs Gandauensis extra omne periculum, & Principi, dummodo sincerè agat, latisfiet: secus, si ab ipsius aduentu proculdubio aliquid damnosi latere, &c.

Articuli, quod Auraicum Gandauum venire non debeat.

Hæc Articulorum contra Principem Auraicum, typis editorum summa est. Domino autem Rihouio, & alijs contra nitentibus, trium membrorum ciuitatis Gandauensis consilio statutum est, vt Princeps in vrbem veniat, & quinque Articulos seruandos iuret.

I. Promittet confirmabitque, se nulla in vrbem præsidia introducturum, aut introduci permissurum, neque sui aduentus, neque discessus, neque alterius negotij ratione: neque quicquam vllo postulationis aut necessitatis prætextu in eum finem tendente, contrà facturum.

II. Similiter certò promittet, se Gandensibus nihil detrimenti, aut damni illaturum, quod ad priuilegia, iura, libertates ciuitatis attineat, maximè autem ad præstantiam. prærogatiuam, atque principatum. nuper ad eos deuolutum, ea potissimum ratione quod Rex Hispan. tanquam Flandriæ Comes die constituto recusarit, æquas pacis conditiones sibi aut suis Deputatis Coloniæ oblatas: Fidem quoq; sita spondebit, se nihil fraudis, aut incommodi facturum libertatibus, priuilegijs, aut prærogatiuis, vlla pactione aut negotiatione, cũ Duce Andegauensi, aut alio quocumque modo.

III. Promittet, spondebitque ipse Senatui, & Magistratui, communi consensu electo & approbato à summo præfecto, siue decurione, alijsque liberorum opificum primatibus. & à præfecto, & iuratis opificij textorij, se Religioni exercitium, & quæcunque ad id pertinebunt, similiter & bonorum Ecclesiasticorum vsum, in eo, in quo impræsentiarum sunt statu permissurum & relicturum: neque aliquas nouitates introducturum aut introduci passurum, siue pacis Religionis, siue alterius cuiuscunque rei occasione.

IIII. Et quandoquidem Auraico à ciuitate debita sufficiensque cautio præstatur: ipse reciproce etiam omnibus & singulis ciuitatis habitatoribus sufficientibus modis caueblit: eosque promittet: neque aliquem illorum molestabit, aut molestari sinet, ob vllas rerum præteritarum causas.

V. Rogabunt autem suam Celsitudinem, vt ante ingressum in vrbem. promittat, spondeat, recipiatque se omnes hos Articulos seruaturum, idemque deputatis articulo suo signatorio, & chirographo sanctè confirmet.

Deputationes erant ad contribuendum Gandauum tempore 22. mensium 142. 056360. rem.

Antea Gandauenses Apologia typis edita, se excusant, quod suas contributiones pro æstimatione constituta non conferrent, declararantq;, Gandauensem regionem solam, quæ quarta tantum pars est totius Flandriæ, in communem vsum Reipub. à 15. Augusti. 1577. vsque ad 6. Iunij. 1579. numerasse, 1424. millia & 56. libras Tournoysas, siue florenos, singulis florenis 40. grossis Flandricis æstimatis: præter hostiles extorsiones, quas sedritioli Valones regionem Gandauensi solæ, reliquis locis non comprehensis, extorserant, intra octo aut nouem menses, quarum summa trecentis florenorum millibus, & amplius æstimabatur.

Conquerebantur quærebantque insuper: Si reliqua Flandriæ membra, & reliquæ Prouinciæ, pro rata parte suas contributiones exsoluerunt, quid de omnibus ijs pecunijs actum esset. Supputabant enim. si reliqua Flandriæ membra censum constitutum, simul contulissent, in tota Flandrica regione trigenties centena florenorum millia, & amplius simul cogi debuisse.

Et cum

Digitized by Google

An. 1579. Et cum Flandriæ impoſita fuerit tertia pars omnium onerum Belgicarum Prouinciarum, pondus profecto grauius, quam vt ferre facilè poſſint; & hæc tertia pars triginta florenorum millia conficiat: ſi reliquæ Prouinciæ, duas quoq; tertias partes, vt æquum eſt, numerent, ſumma hæc in nonagies centum florenorum millia, & vltra excurret: quærebãt in quos vſus collocatæ eſſent, tam ingentes pecuniæ? aut ſi reliquæ Prouinciæ non exſoluiſſet, quare Gandauenſes magis quam alij culparentur.

Allegabant præterea, huic computationi non eſſe, inſertas impenſas in vrbis firmiſſimam munitionem factas: cui firmandæ ac reparandæ, ducenta & octoginta florenorum millia impenderant.

Hanc Gandauenſium computationem, pars aduerſa mœram venditationem & oſtentationem reputabat: & quod præcipui publicorum huiuſmodi negotiorum adminiſtratores mutua officia obſequiaque alter in alterius vtilitatem præſtitiſſent, vituperabat: quod etiam propria auctoritate, propriæq; ac priuatæ defenſionis cauſa, contra Catholicos & VValones Malecontentos, antè irritatos & vexatos, inuita Generalitate, circiter centum ſtipendiariorum cohortes conquiſiuiſſent, adeò petulantes atque intemperantes, vt Lanouius Dux eos nulla ratione ad inceptum aliquod verè militare adducere potuerit: quandoquidem magna eorum pars, Monachis, Nonnis, Beghinis, & id genus alijs imbellibus, potius quàm ſeditioſis VValonibus oppugnandis, paratiores, aptioreſque ſe exhibuerant: friuolamq; principiò cauſam attulerant, quod ipſis mandatum non eſſet, VValones, quorum reconciliatio adhuc tractabatur, neque manifeſti hoſtes declarati erant, hoſtiliter oppugnare: interim Eccleſiaſticos ſuæ defenſioni minus intentos, præter mandatum audenter oppugnarant, ſpoliarant, diuexarant.

Hactenus nonnulla Gandaui, hoc anno acta breuiter recenſuimus, eaque quę Gandauenſes typis ediderunt adiunximus: vt hinc Lector de eorum, hac tempeſtate, ſtatu iudicet, videatque quam intemperato zelo alij, alij ambitione, auaritia, odio, iniquo animo, ſtudioque impulſi fuerint, idque maximo ſuo malo. Nam ſimul ac hoſtes Hiſpani id animaduerterunt, eos vlterius ſubdolè inſtigare, animare, & quod Gallis tam acriter inſenſi eſſent laudare non deſiterunt: donec paulatim præcipuos pellexerunt, pecuniiſque corruperũt, quin & eos qui Religionem Reformatam omnino profitebantur, & reformatorum coryphæi videri, achaberi volebant, miſerè ſubiugarunt.

Auraicus Gandauum venit.

Princeps Auraicus etiamſi præcedentes Articulos ac propoſitiones Gandauenſium recipere nollet: nihilominus menſe Auguſto Gandauum iter inſtituit. Id ſimulac Imbyſius ſupremus vrbis Senator reſciſcit, abitum adornat, ſimulat ſe ad nauium ſtationem (vulgo laſſam vocant) muniendi loci cauſa abire: itaque naui conſcenſa Flandriam relinquere tentat: quod cum animaduerteretur, & cuidentibus argumentis fugam eum meditari cõſtaret, perſuaſionibus multis, vt reuerteretur in vrbem, & cum collegis ſocijſque concorditer agat, amanter inducitur.

Auraicus poſtquam Gandauum venit, ſenatum inſolito illicitoque more creatum, ſumma cum difficultate officio dimouet: aliumque competenti die ac ritu inſtituit, & ciuitatem in meliorem ſtatum redigit.

Nobiles in vrbe Gandauenſi Captiui auſugiunt.

De Nobilibus captiuis minor quàm ante difficultas controuerſiaque, id temporis fuit, quod menſe Iunio carceris cuſtodibus corruptis auſugiſſent: verùm oppidanis fugientes ocyùs inſequentibus, multi rurſus apprehenſi fuerunt, inter quos D. Champigneius: ſed Raſſingemius, Sv veuigemus, & Erpeus Cortraceus oppidi præfectus, fuga euaſerunt.

Imbyſius Senatu dimotus, metuens adminiſtratarum rerum publicarum rationem reddendam, Gandauo in Germaniam diſceſſit, multoque tempore apud Comitem Palatinum Caſimirum manſit cum Petro Datheno, inſigni Reformatorum concionatore, cui multa etiam adſcripta imputataque fuerunt.

Auraicus Gandauo Brugas venit: hic quoque tempore conuenienti Magiſtratum mutauit, omniaque meliore ordine diſpoſuit: ita vt etiam Catholicis ſuæ Religionis exercitium ſecretè tempore magis idoneo concederetur: tandem gubernationem Flandriæ ex parte, certis modis & conditionibus ſuſcepit.

Stratagema Malecontentorum in vrbem Gandauenſem.

Interea dum Auraicus Gandaui agit, Malecontenti ſtrategema quoddam Machinati, ſe amicos ſocioſque ſuæ ſimulant, & equitibus hoſpitia ſtabulaque in ipſa vrbe Gandauenſi deſignari, atque intromitti petunt: tanta autem erat ciuium quorundam inconſiderantia, imprudentia ac facilitas, vt vrbis portas, ſtatim aperire parati eſſent: ubi verò Auraicum adeunt, & facultatem conſiliumque petunt: Auraicus, cùm nullos vicinis locis equites haberet aut exſpectaret, hoſtes eſſe illicò ſenſit: proinde ſumma feſtinatione ad portas accurri iubet: & vix quidem nunci ſatis tempori aderant: clauſis illicò portis hoſtes ſpe ſua fruſtrati diſcedunt.

Malecontentorum hoſtilis fuga.

Malecontenti cum circa id tempus ſe, ex præſcripto reconciliationis, Parmenſi ſociaſſent, aſtuto quodam facinore oppidum Aloſtenſe cœperunt: quò Comes Lalainius menſe Auguſto venit: videbaturq;, magis quàm alij, ad generalem reconciliationem aliquo modo adhuc propenſus, In-

Digitized by Google

penſus. Inuadunt quoque Malecontenti Rotornacum inſignem pagum: & obuios quoſque crudeliter occidunt, reliquos pellunt fugantque. Baſrode propè Aloſtum præſidiaria quædam Gandauenſium cohortes cædunt, & pago depopulato ignem inferunt, poſtea abeunt. An. 1579.

Videbatur quidem Parmenſis magno apparatu vrbem Bruxellenſem obſidere velle: eratque Lanouius cum duodecim Gallorum cohortibus vrbem intrare, atque defendere paratus: verùm Parmenſis, poſt Traiecti inferioris expugnationem, cùm in ſuo exercitu multas difficultates, egeſtatis & defectionis videret, ipſe quoque graui morbo detineretur: modos rationeſque omnes init, quibus Arteſiæ, Hannoniæ, Inſulis, Duaco, & Orchijs, ad normam contractus reconciliationis ſatisfaciat.

Itaque ſub hyemem, cum dictæ VValonicæ Prouinciæ exercitum, VValonum incolarum collegiſſent, Parmenſis paulatim ſuos Hiſpanos, Germanos, & Italos ex locis munitis prædiſque euocauit, eaque defenſioni & cuſtodiæ fidiſſimorum VValonum, quos ab aduerſarijs maximè laſſos & irritatos ſciebat, tradidit. Et hoc quidem modo contractui, cum VValonibus inito ſatisfecit, cum extraneos milites, Prouincias VValonicas, præcipuis quibuſdam quibus optimè fidebat, & equitatu Italico retentis, exire curauerit: idque ad breue ſoiummodo tempus, donec ſcilicet, opportunitate data, & neceſſitate adducta, ipſemet Prouinciæ conſentirent, & partim vltrò extraneum militem poſcerent, qua de re poſt latius dicturi ſumus. Hac extraneorum militum dimiſſione Parmenſis ciuitates, & certas quaſdam perſonas, antea adhuc vacillantes, ſummoperè confirmauit: animoſque multorum nobilium, & procerum VValonicæ Prouinciæ hac ratione præuertit, ſibique deuinxit: qui inde ad officia & honores ab eo promoti, reciproco fauore effecerunt, vt ipſe in Prouinciarum VValonicarum gubernatione permaneret.

Parmenſis, ex contractu, extraneos milites extra VValonum limites Malecontentorum prouincias abire iubet.

Promiſſa hæc ex contractu à Parmenſe VValonibus Malecontentis præſtita, plurimos, inter alios autem D. Bourleum ipſam que ciuitatem Machlinienſem tranſuerſos egerunt, & tandem ad defectionem ab Ordinibus pertraxerunt: vnde ſecunda Machliniæ direptio, longè durior ac miſerabilior, quàm vlli in toto Belgio ciuitati, euenit, de qua poſt agemus. Parmenſis, Machlinia parta, ſtatim eò copias quaſdam peditum, & equitum Albanenſium, qui vrbem defendant, mittit: hi circumquaque, Aloſtum, Herentalſam, & Dermondam vſque, agros depopulantur: & munimento ſiue vallo VVillebroeckæ, in ipſo introitu aluei Bruxellenſis capto, occupant omnes cataractas, firmiſſimis portis clauſas, quibus aquæ ſecluduntur, emittuntur & retinentur, pro vſu ac commoditate: vulgus Saſſas vocat: ſunt autem ſumptuoſæ & firmæ admodum ſtructuræ, validæque moles, toti Belgio notiſſimæ. Hoc facto Machlinienſes ſe de Bruxellenſibus vindicarunt, veteresque ſimultates expleuerunt, primo ortas ex huius noui aluei foſſione, qua tranſitus Antverpia per Machliniam ad vrbem Bruxellenſem ademptus fuit.

Menſe Septembri, Hiſpani in munitionem VVillebroeckanam, commeatum inuehere moliuntur: Ordinum milites id impedire conati cæduntur: nihilominus tamen neceſſaria ſuppeditare, adeò fuit difficile: vt Germani præſidiarij, cum neque Machlinia, neque aliunde quicquàm recipere poſſent, obſidionem à Lanouio metuerent, teſtificatione de periculo & egeſtate prius debitè exhibita, abitum pararint, æneatormenta, ne hoſti facilè vſui ſint, clauis obſtruxerint, & propugnaculum reliquerint. Simul ac diſceſſere, Ordinum milites intrant, & liberum iter Antverpienſe & Bruxellenſe recuperant. Paulò poſt Archidux Matthias, Princeps Auraicus, & D. Lanouius eo conueniunt. perluſtratoq; loci ſitu, munitionem inexpugnabilem, communi conſilio hic exſtrui, in nauigationis conſeruationem curant: vnde Machlinienſes in ſummas angustias rediguntur.

Cùm Malecontenti, principio ſui belli in Flandria Meninas, magnum, ad Liſam flumen, pagum, ſiue municipium cœpiſſent, & Emmanuel Lalaignius Montignij Dominus VValonicæ militiæ præfectus, Spartam hanc quam ſe ſua ſtrenuitate nactum gloriabatur, optimè muniuiſſet, ita vt inde ſui totam Occidentalem Flandriam diriperent, & exactionibus incendiorumque minis vexarent: locum optimè iam firmatum, eo quo dicemus modo amiſerunt. Coctor quidam cereuliarius huius pagi incola, Petrus Cruſius, à VValonibus Malecontentis durè admodum vexatus, & criminis capitalis accuſatus, quod concionatorem quendam hoſpitio recepiſſet, audaci prouidoque animo, ruſtica indutus veſte, matutino tempore fugam capit: ſtationemque vigilum ad portam tranſiens, bipennem vni excubitorum extorquet, qua duos alios opprimit, itaque hoſtiles manus euadit: poſtea ad Iacobum Buſſaultium vrbis Brugenſis Conſulem venit, huic rationes modoſque patriam liberandi demonſtrat: cumque conuenientes, faciles & paucorum militum, numero perfici poſſe viderentur: rem totam Balfouro Scotorum militum, tribuno communicant: poſtremò Archiducis Matthiæ, & Principis Auraici mandato atque conſilio, Buſſaultius Conſul cum filijs Petro & Iodoco, in ſua

Mense in Flandria Meninæ ademptæ.

An. 1579. extra vrbem villa magnum ſcalarum, quibus oppidum ſcandatur, numerum ſecretò confici iubet: omnibus præparatis, Balfourius ſub veſperam 20. die Octobris, Brugas exit, & Rolarium ad Scotorum legiones vadit, hos ſummum mane ante horam quartam, ad Meninenſia mœnia cogit, in ampla platea lapidibus ſtrata, quæ Rolarium tendit: eadem hora eodemque loco adſunt quatuor cohortes Flandrorum prælidiariorum, qui huius negotij cauſa, Cortracо nauigijs venerant: hi ſimul omnes 22. Octobris, ad quartæ horæ, ictum pariter vnanimiterque, ſumma alacritate ac violentia mœnia duobus locis inuadunt: excubitores in fugam vertunt, & oppido, nemine ſuorum cæſo aut vulnerato, vi potiuntur: Meninenſes enim parum reſiſtere poterant, quod numero pauci eſſent, maximaque prælidiariorum, pars ad ſimile ſtratagema exiſſet: itaque fuga ſibi conſulunt, per pontem flumen tranſeunt, & Halevvinam confugiunt.

Cortracum inuadere aſſumunt Malecontenti.

Id autem in primis mirandum, quod eodem tempore quo Meninas inuadere aggrediuntur Ordinum milites, ipſi etiam VValonici præſidiarij vicinorum locorũ, VVaeſtenæ VVarnekę, Cominij, iunctis Meninenſibus, perſuaſu D. Erpei, & ductu D. Alaynij exierint, vt ſimili ſtratagemate vrbem Cortracenſem improuiſò inuaderent, eadem qua Meninæ captæ fuerunt, hora. Cùm autem hæc VValonum Malecontentorum vndique collecta præſidia, prope ipſam vrbem Cortracenſem veniſſent, iamque D. Alaynius, & reliqui præfecti foſſarũ profunditatem contis explorarent, ſummus Cortracenſis prætor, ex editiſſimo turris caſtri loco, vnde rumorem oppugnationis Meninenſis, facilius audire poſſet, alto clamore propugnaculi excubitores interrogat (ignarus hoſtes Cortracenſi oppido, tam vicinos eſſe) an nihil adhuc audiuiſſent, excubitores ſe nihil audiuiſſe reſpondent; ad hæc ille, nunc tamen tempus eſt, ait, D. Aleynius hoc ſermone audito, ſua conſilia inſtituta que detecta eſſe ſuſpicans, atque ideo hæc dicta fuiſſe ratus, deliberabundus ad ſuos venit: inde tubas, tympana, tumultus, impetuſque contra Meninas percipit: ſubito itaque eò iter dirigit, obſeſſis ſubſidium latũrus, aut capiam vrbem, interea dum hoſtes direptionibus prædiſque diſtinerentur, recuperaturus: verùm propius accedens peditum haſtas equitum lanceas æſtimans, aeris obſcuritate, nimia deceptus, equitatum hoſtilem Meninas ingreſſum putauit: itaque ſententia mutata, conſultò cum ſuis copijs VVaruekam tendit. Hinc Scotis aliiſque militibus, capto opido, melior data opportunitas & commoditas congregandi, diuidendique prædam, quam opimam ſatis Galli Malecontenti hic longo tempore congregarant.

Auraicus nuntio huiuſmodi accepto, mox VVillebroecka euocat Gallorum, & Anglorum cohortes, eaſque cum Flandrorum agmine Meninas verſus, ductore Lanouio, tendere, & victoriam proſequi iubet. Lanouius probè inſtructus, tempore matutino, decimo quarto Nouembris, VVarnekam venit: erant hic VValonum cohortes duæ in templo, & duæ in ipſa arce ab altera fluminis parte, ita vt iter per pontum tutum vtrinque ſeruarent: qui templum occupabant, à Gallicis militibus vndique cinguntur. & ex ſupremis pagi domibus, ſclopetis crebris, per templi feneſtras impetuntur, & ſe quibuſcumque poſſunt armis, ac iaculationibus defendunt: tandem initur conſilium, de maioribus tormentis bellicis aduchendis: quandoquidem nullum deditionis ſignum ederent: ſperabant enim à vicinis circumcirca præſidijs ſubſidium; & quidem eius rei cauſa octo cohortes Halevvina exierant: quod ſimulac ij qui Meninas tenebant reſciſcunt, Halevvinenſes aciter inuadunt, ſtationariorumq; quandam domum iniecto igne incendunt: vnde ſubitò perterriti Halevvinenſes, quinque ſuas cohortes reuocant: admodum ſanè prudenter: decreuerat enim Lanouius, poſtquam VValones Cominij congregari audierat, eos, ſi in campi patentis æquor aliquod prodirent, omnibus modis ac viribus inuadere: idque cohortibus Flandricis & alijs, equitum quoque turmis, quas eò loci habebat, ſignificauerat. Verùm cum hoſtis nuſquam appareret, ne templo oppugnando multum temporis tereret, ſcalas muris applicari iubet, itaque circa horam quartam poſtmeridianam templum expugnat. Laudata hic imprimis fuit Flandricarum cohortium ſtrenuitas, præcipuè autem clypeati cuiuſdam, militis, qui ſeptendecim ictus ſclopeti muſcheti, ſuo clypeo ſuſceperat.

VVarekam expugnat La Nouius.

In templi expugnatione, primo furoris feruore, occiſi quadraginta VValones, reliqui circiter 150. capti: captus, & Capitaneus vnus, Carondeletus nomine, Comitis Egmondani legatus: alter, Croyſſetus, inuentus non fuit, qui verò arcem defendebant, cum neque ſibi, neque loco diutius confiderent, ſub veſperam, arce incenſa, Comenas confugerunt.

Malecontenti caſi à Lanouio prope Halevvinam.

Die nono Nouemb. Lanouius circiter trecentos equites & quadringentos pedites Gallicos vltra Liſam flumen, fortunam tentandi cauſa, mittit: his iter Halevvinam verſus inſiſtentibus occurrunt quatuor equitum turmæ: vna Ducis Arſchotani, ſecunda Lalainij, reliquæ duæ nouarchas ſtatim imperu acerrimo inuadunt. primo congreſſu diſſipant, & fugientes Marquetam vſque perſequuntur: ac niſi nox ſuperuenſſet, pauci profectò euaſiſſent: maxima nihilominus

pars cæ-

pars cæſa fuit: idque ſatis teſtabantur equi, & captiui à Scotorum ſtratego Setonio, & Mornovvio Meninas perducti. An. 1570.

Hæc ſimulac reſciſcunt Halevvinenſes, ocyus domicilijs omnibus incenſis, fugam capiunt: Berelaram & VVæſtenam prædiarij ſimiliter relinquunt: Lanouius vtraque hæc loca plura-que alia vicina munit firmatque ſuis militibus. His profecto expeditionibus Galli, ſub Lanouio militantes, adeò ſe ſeruidos promptos & ſtrenuos præſtiterunt, vt cum ipſis nunciaretur, ſua ſtipendia Meninas eſſe aduecta, atque parata, ea tunc accipere recuſarent, dicerentque non eſſe tempus pecunias numerandi, ſed militari officio fungendi atque pugnandi.

Diximus ſuprà, Groninghenſes, odio quodam in circumiacens territorium, fœdus Vnionis Traiectenſis recuſaſſe. Cùm autem territorij habitatores ſe, ſuos nobiles, & alios grauiter à Regiæ Cameræ Groninghenſis exequutoribus opprimi conquerentur: Comiti Rennenbergio Vicario iniunctum eſt, vt rationes modoſque, Groninghenſes in officio continendi, & ſecuritatem concordiamque ſtabiliendi ineat. Proinde comitia, quibus diſcordiæ & lites placidè beneuoleque componantur, indicit Viſchvlietæ pago circumiacentis territorij. Groningenſes eò venire recuſant, idque ſuis priuilegijs aduerſari cauſantur. His de cauſis Rennenbergius ſuos milites conuocat, id ſimul ac Groninghenſes reſciſcunt, ſibi quoque milites conſcribi per Vinckenbergium, militiæ præfectum inſtituunt: verùm is Archemæ capitur. Itaque Rennenbergius ad eos Niioorta ſcribit 5. Maij, neceſſarium prorſus eſſe, ad tollendas diffidentias, vt prædiarios milites admittant, aut obſides tradant: ad hæc Cameram Regiam ſiſtit, officiaque intermitti iubet: mandato inſuper Ordinum generalium Delfzilam & VVinſumam rurſus munire aggreditur, idque muneris Cornputo ſtratego committit: verùm tantummodo ſæpimenta quædam & repagula, ad aditum VVinſumæ conficiuntur, præterea nihil, oppidum quoque Damnum vallis quibuſdam leuiter cingi cœptum eſt, quod in id vſque tempus mœnibus, foſſis alijſq; munimentis caruit, poſtquá à Meynhardo Hammeo & Bernharto Hacforto Ducis Geldriæ nomine munitum, à Georgio Scenckio (duobus his Tribunis à ſuis militibus, in Schenckij manus traditis) mœnibus munimentiſque nudatum fuit, anno milleſimo quingentesimo trigenteſimo quinto.

Rennenbergius, cùm Groningenſes multa quidem verbis pollicerentur, re ipſa verò nihil præſtarent, imò reſiſtendi cauſa milites conſcriberent, die 22. Maij copias, quibus Vlietus, VVeda, Olthoſius, Entiſſenius, Rinſvvouda, Cornputus, Hottinga, Eſcheda, Schagenus alijq; ſtrategi præerant, eò mittit, qui ſe vallis foſſiſque à tractu æſtiui occaſus vallis foſſiſque muniunt, verùm paruo vrbis damno. *Groninga vrbs obſeſſa.*

Vrbs Groninga agro pabuli frumentiſque admodum ferace ſita eſt: habet flumina duo ex nigris Drenthæ paludibus prodeuntia: vnum Schutendiepa, quod Delfzielæ in Amiſiam labitur; alterum Horendiepa, oppidanis Rediepa appellatum, in amnem Lauvverſam prolabitur, & Marnam præterfluens vlterius in Oceanum effunditur. Fuit primùm muris cincta, anno 1110. & longo poſt tempore, alto latoq; aggere, cum aliquot propugnaculis, & ſeptem turribus, latis quoque ac profundis foſſis cincta: ipſe autem Rennenbergius vaſtum propugnaculum ante portam Betteringam exſtruxit. Vrbs imprimis ſpatioſa ac populoſa, ciues habet diuites admodum, qui magnas exercent mercaturas. Fuit longo tempore ſubdita Epiſcopatui Traiectenſi: verum anno 1496. bellica virtute ac potentia, cum vix bellis abſtinere poſſet, toti Friſiæ Occidentali, excepta Franickera, dominari viſa eſt: Habuit diuerſos dominos: Comitem Emdanum, qui caſtrum in ipſa vrbe conſtruxit; Ducem Geldriæ; & poſtremo Carolum V. Imperatorem, quem Groninga, & Omlandia ſiue circumiacens territorium, vnanimi conſenſu receperunt, anno 1535. 7. Iunij. *Groninga deſcriptio.*

Calendis Iunij obſeſſores, obſeſſos primùm prœlio aggrediuntur, innumerumque armenti gregem abigunt. Oppidani collectis circiter 2300. ruſticis, ex ſuæ iuriſdictionis pagis, hoſti reſiſtere contendunt: verum hi ocyus ab exiguo militum agmine reprimuntur, & pœna pecuniaria mulctantur. Die 6. Iunij, poſtquam Groningenſes hoſtilibus caſtris puluerem bombardicum deeſſe percepiſſent, maximis ſuorum ciuium optimè inſtructorum, & militum aliquot copijs erumpunt, obſeſſores inuadere parant, aduectis tormentis bellicis, quibus ſexcentæ, & amplius puellæ aderant, quarum opera tormenta vallis foſſiſque munirentur: aduenientes hoſtium exercitus potentiſſima acie inſtructus, vndique prælijs tormentorumque iaculis impugnat, plurimoſque cædit: ſecundo impetu tentato, fugam capiunt oppidani, fugientes inſequitur hoſtis in ipſam vſque vrbis portam, periculumq; ingens erat, ne portam ſimul irrumpendo occuparet.

Hac clade accepta, Groningenſes pacis conditionibus aures faciles præbent: quæ 10. Iunij ea maximè de cauſa facilius conceduntur, quod obſeſſores metuerent, ne Princeps Parmenſis, qui Traiectenſes inferiores, ad extremum ferè redegerat, ijs expugnatis, Groningenſes obſidione liberatum veniret. Pax conditionibus his inita: Groningenſes iurabunt obedientiam, *Groninga deditio.*

Digitized by Google

An. 1579. fidem ; Archiduci Matthiæ, Principi Auraico eiusq; legato, Ordinibus generalibus, & Rennébergio tanquam vicario: præsidia, si opus sit, in vrbem admittent: pacem Religionis iurabunt, & seruari curabunt; quod quidem Rennenbergius ipse imprimis vrgebat: diffidia cum Omlandis siue circumiacente territorio, arbitris disceptatoribusque componenda committent: vtque hæc omnia firma ac rata Permaneant, sex obsides à Rennenbergio nominandos dabunt: hi ex præcipuis Hispanorum fautoribus electi, die eiusdem mensis decimoquarto, in vrbe Campensi custodiæ traditi fuerunt: itaque Rennenbergius vrbem Groningam, ipso die festo Diui Ioannis, ingreditur: & Senatu mutato, Senatores Ordinibus generalibus deditos, gratosque substituit.

Drenthenses paulò antè, quatuor Rennenbergij cohortes expulerant, violentiam maximam ab eis illatam causati, contumelias insuper grauissimas fecerant: proinde Rennenbergius ipsis Iulij Calendis, cum aliquot sui exercitus copijs, & tribus tormentis castrensibus, per Drentham rectà Coeuordam tendit: ea, quod Hispanorum præcipui fautores, officijs publicis præfecti, Regionis scribæ, & prætores aufugissent, hosti tanquam victori, seabsque tergiuersatione submittit: verùm Oldenzela & Lingena pacem Religionis, & præsidia recipere recusant, blandos nihilominus sermones referunt. Quamuis autem plurimis minis terrerentur, nihil tamen durè in eos tentatum est: vnde nonnulli aliquid arcani fœderis latere suspicati sunt. Quia autem Coeuorda vndique aperta, nullisque prorsus mœnibus aut munitionibus clausa aut firmata erat, constituit Rennenbergius, ob frequentissimum viatorum transitum, acloci idoneum situm, eam iterum munire; maximè quod Lingenæ & Oldenzelæ parum fideret: idque muneris Cornputo tradit, qui arcem cum quinque propugnaculis, loricisque & profundis fossis, hic condendam delineat: verùm multarum rerum defectus, & diuersorum malignitas obstiterunt, quo minus inceptum opus perficeretur: in arcis fundamentis locandis, effossi hic fuere lapidei & ferrei globi plurimi prægrandes, olim in veterem arcem bellicis tormentis expulsi: magnæ etiam compages acutis clauis refertæ, quibus oppidani in vrbis fossis pro muricibus, siue tribulis contra hostes olim vsi fuerant. Sonnoyus quoque vrbem antè munire cœperat. Situs autem loci talis est, vt quicumque ex Frisia, Omlandijs siue circumiacente territorio, Drentha & Vollenhoua in Germaniam proficisci volunt, hac necessariò transire debeant: iter enim per Boertamgam incertum, & maxima parte difficile & inuium est. Habet Coeuorda ab ortu fossitiali continuam paludem nigram, VVeddam vsque: ab Occidente, vastam paludem vltra Hasselam & Svvertfluam: à Septentrione pagum Dalemum, & Campum, incultum ferè Groningam vsque: Distat Lingena miliaribus quinque, Oldenzeela quinq;, Dauentria nouem, Svvolla quinque, Steenvvicka sex, Groninga septem. Huius vrbis locique causa maximæ olim fuerunt contentiones ac discordiæ: fuitque ob regionis situm sæpè capta, & tradita, sæpè etiam diruta, iterumque instaurata: postremò à Drossato, siue præfecto Geldrienſe Selbaghio, anno 1536. Georgio Schenkio tradita, iussu Philippi Regis (quod Lingam limitaneam haberet) solo æquata fuit. Anno proximo Entlius, Drossatus munitionem vrbis, à Sonnoyo inchoatam, reliquit infectam: sed arcem, fundamentis à Cornputo iactis, in Regis vsum superædificauit.

Coeuordam munit Rennenbergius.

Situs Coeuordæ.

Germani milites, Ordinum stipendiarij; exercitu ex Brabantia dimisso; complures in regionem Transisulanam venerunt, agrosque violentissimo impetu expresserunt, ea maximè de causa quod stipendia ipsis soluta non essent: neque hac tamen militum atrocitate eò pertrahi potuerunt Transisulani, vt contributiones debitas integrè conferrent, quibus Germano militi satisfieri aliqua ratione posset: neque quicquam antequam Copiæ militares discessissent, contribuere voluerunt, quod & Flandria ante fecerant. Habebant autem insignem imprimis coryphæum Baronem Kindsbachium Ducis Lignij: si affinem, virum in re militari præstantem, qui postquam Transisulanos exactionibus violentis exenterarat, in regionem Linganam tendit, eamque similiter affligit, tandem pulueris bombardici flamma fortuita exustus est. Indigenarum etiam copiæ, militares, nempè Bertoli Entissenij legio, & aliæ, regionem totam grauissimis exactionibus depauperarunt: exhauserunt, rustici arma contrà sumpserunt: & duas equitum turmas, nempè Dodoi, Laeri, & Rinsvvoudæ, acerrimè propulsarunt, & hostem Coeuordam vsque persequuti, impedimenta, currus, equos diripuerunt. Postea rusticorum agmina rursus prope Zuytlaram collecta fuere, vt Bertelo Entissenio, validis copijs instructo resisterent: in fugam autem versos, Entissenij milites insestissimè persequuntur, pagosque Coeuordam vsq; miserè depopulantur, & agri Drenthenſis rusticis exactionem octodecim millium florenorum extorquent.

Rustici Germanis aliisq; militibus resistunt.

Interea Rennenbergius fœdus arcanum cum regia parte init, vt post narrabimus: proinde, audiris rusticorum frequentibus quærelis de militum iniurijs, ac violentijs, authoritatem dat rusticis & incolis Drenthenſibus, diplomate concesso, militibus quibuscumque, etiam suæ legionis, resistendi, dummodo magnum suum sigillum, cum duplici subsignatione non exhibeant in

Digitized by Google

beant in contrariumidq; potiſſimum agit, vt hac ratione miſſas faciat quaſdam cohortes, eiuſmodi imprimis militum, quos ne propoſitum commodè perficiat, impediturus metuebat. An. 1597.

Ruſtici Friſij vix quidem reſiſtere audebant: & Drenthenſes, iam domiti ſubmiſſe ſe gerebant: verum Tranſiſulani, Tventenſes, Zalantij & Maſenbrœckani ſatis muniti, atque ad bellum inſtructi, ſtrategos militiæ præfectos habebant, diſciplinam militarem exercebant, ſuamque factionem *Deſperatorum* appellabant: in militaribus ſuis ſignis depictus erat gladius, & media cui teſta, cui vitello, effuſo adiacente: dicebantque ſe ob ouum ipſum hactenus noluiſſe, nunc autem ob teſtam depugnare debere. *Deſperatorū factio.*

Comes Philippus Hohenlous, Baro Langenbergius, hos ſedandi compeſcendique cauſa, cum parte exercitus eo cõtendit: verùm cum aliquot incolarum millia conglobata eſſent, quibus Anholti agmina nonnulla acceſſerant, eum ſtrenuè, non ſine ſui capitis periculo propellunt: poſtea autem redit, & potentioribus copijs eos aggreditur, inuaditq́ue violenter propè Monaſterium Sionis, cæſis circiter ſeptingentis: deinde multis etiam prope Roltam pagum interfectis, victoriam vlterius proſequitur, ruſticos prorſus debellat, ſubiugat, & redemptionis prætia exſoluere, armaque deponere cogit.

ARGVMENTVM. Lib. X.

TRACTATV *pacis Colonienſis rupto. Auraicus proponit Belgis, vt in principem ſuum accipiant fratrem Regis Galliæ, Quod Belgis probatur. Hinc Cameracenſes Parmæ vim metuentes auxiliares Gallos admittunt. Comes Rennebergicus in ſuſpitionem adductus. Quare ciuitates per Friſiam arces ſuas omnes in poteſtatem ſuam redigunt, eaſq́; diruunt. Hinc motus Rennebergicus violenta manu Groningam, ſui iuris fecit, quam Bartholomeus Entens rurſum obſidens ibi occiditur, de cuius vita quædam narrantur. Poſtea à Parmenſi miſſus eodem Schenkius. Hohenloium ad Herdenbergh profligat. Hohenlous vires mox reparat. Rennenbergicus occupat Delfſiſiel, & alia loca profligatis Hohenloenſibus. Contractum à Parmenſi capitur. Nienoua à Lanouco, vbi & Egmõdanus in poteſtatem eius venit. Mechlinia quæ opera cuiuſdam Monachi fratri Petri defecerat, ab Ordinum militibus recuperatur, miſere q́; iterum diripitur. Terra motus generalis per Europam. Lanoueus apud Ingelmonſtrium pugnans capitur. Dominus de Hexe capite plectitur. Dieſtum ab Ordinibus ſubingatur. Mater Ducis Parmenſis ad filium in Belgiam venit, vt rebus ibi præeſſet, ſed in vanum. Dominus de Selles per ſtratagema capitur in oppido Bouchain, quod paulo poſt obſeſſum hoſti ceſſit. Andegauenſis proſupremo Belgij Domino agnoſcitur. Quare & Archiduxx Matthias Belgis valedicit. Steenuicum à Rennebergico obſidetur, ſed ſtrenuos habuit propugnatores, tandem à Norreſio, & Nieuortio eiuſ ſubuentium. Rex Philippus Portugalliam vi occupat, Regem Antonium expellens. Proſcribit Principem Auraicum, qui ad eius criminationes ſua Apologia Ordines reſpondet. Bruxellis ob exortas turbas exercitium Romanæ Religionis impeditur. Idem ſit Antwerpiæ. In Friſia moritur Rennebergicus, de cuius vita pauca adduntur. Huic in Gubernatione ſuccedit Verdugo, qui Norreſium ad Northorn profligat. Parmenſis in Brabantia Bredam acquirit. Contra Ordines Endouia potiuntur. Cameracum à Parmenſe obſeſſum, per Andegauenſis exercitum liberatur. Ordines Regem omni ſuo iure, quod in Prouincias Belgicas habebat excidiſſe declarant, ſigillaq́; eius omnia ac inſignia frangunt. Quopropter & Archiduxx Matthias Belgium reliquit. Teneramunda obſeſſa & expugnata. Auraici ad Ordines oratio. Stratagemata contra oppida Bergum, & Borborgum fruſtra tentata, & Hæc facta ſunt ſpatio 30. menſium, ſub Matthia & Parmenſi.*

POSTQVAM Pacificatio Colonienſis, eo quo diximus modo, irrita prorſus facta fuit, nullaque vlterius ſpes pacis reſtaret, Princeps Auraicus, cùm Gandaui adhuc eſſet, die 28. Septembr. 1579. typis edi fecit, ſuum conſilium iudicium que ſuper Articulis quibuſdam, ab vnitarum Prouinciarum Deputatis, ſibi propoſitis, quorum quidem Articulorum præcipua capita erat quatuor, nempè de Pacificatione, contributione, contractu cum Duce Andegauenſe, & gubernatione Prouinciarum.

Conſilij Principis Auraici, de pace, contributionibus, Duce Andegauenſe, & gubernatione Prouinciarum

Quod ad Pacificationem attinet, conqueritur, ſibi à nonnullis imputari, quo minus ea ſucceſſerit; cùm tamen ipſe ſemper conſuluerit, conſulatque adhuc, pacem quæcumque poſſibili ratione acceptare: quandoquidem ingens diſſidium ac bellum, non ſine triſtiſſima clade, alioqui ſequuturum certò ſciat. Verùm cum videat Reformatos conſtantibus animis decreuiſſe, extra Prouincias nequaquam amplius abire, aut patriam relinquere; & Pacificatione nihil niſi grauiora diſſidia, inter Prouincias ſtrui, præſertim oblatione pactificationis Gandauenſis, quam antè in Baronis Selleiactione prauam, iniquam, & proinde extirpandam iudicarunt; ipſe ſe ad conſilia reſponſaque Ordinum generalium refert. Addit præterea, hoſtem pacificationis prætextu facultatibus, & vitæ incolarum inſidiari: & acerbè in miſeros fæuiturum, poſtquam arces, oppida, locaque omnia munita in illorum manus tradita fuerint, qui ſe ſemper hoſtes infeſtiſſimos, his bellis præſtiterunt, & nunc nullam aliam cautionem aut ſecuritatem offerunt, quam iuramentum illorum, qui contra ius, & æquum ſuæ patriæ arma vimque intulerunt, & iuſiurandum parui pendunt, vtpote à quo ſe facilè abſoluendos non dubitent: quod & exemplis factiſque, ab iiſdem iſtis hominibus, quorum crudelitas Hiſpanica immanior, in Gallia & in Belgio, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Præterea Deum, Principes, poteſtates, quoſcumq; totius orbis teſtatur homines, neminem mortalium, hac bellorum tempeſtate, grauiora damna pati, aut ardentioribus votis exoptare, magiſq; vtilem ac neceſſariam iudicare pacem, ſe vno: notiſſimum cuiuis eſſe, quam multas præclaras diuiteſq; poſſeſſiones, ſibi proprias hoſtis occupet, abſque vlla compenſatione: quam Carere, chariſſimo filio Comite Burano, ſibi ſit durum: quam paternus ſuus animus commoueatur, quod filius præter æquum & ius in Hiſpanijs captiuus detineatur, quem, niſi confecta pace, nulla vnquam videndi ſpes ſuperſit: ſe auidiſſimè poſt Dei honorem & patriæ ſalutem, eius aſpectum exoptare, & naturali quodam paternoque erga filium amore, aliorum patrum more, commoueri. Præterea vergenti ſuæ iam ætati conuenire aliquid quietis, & ceſſationis à multiplicibus curis, atque laboribus: Verùm quandoquidem plurimi, tam Reformatæ Religioni addicti, quàm alij patriæ libertatis ſtudioſi, ſuæ imprimis curæ tutelæque mittantur, ait ſe nequaquam vllam laudare aut comprobare pacem poſſe, niſi quæ ad ſecuritatem Religionis, libertatis, & priuilegiorum vniuerſæ patriæ tendat, quæque certa, firma & perpetua ſit: & iuramento, ſuæ conſcientiæ ſatisfacere volens; affirmat huiuſmodi optatæ paci Articulos Coloniæ propoſitos, omnino repugnare, & ad deſtructionem exſtirpationem, & deuaſtationem reformatæ Religionis totiuſque Belgij tendere, idque amplis rationibus declarat, quas quia hic longum eſſet referre, lectori ex impreſſis exemplaribus petendas relinquimus.

Contributionum omne negotium committit, conſilio Deputatorum conuentus Vltraiectenſis, idque ſe probaturum, ait poſtillis ad ſingulos Articulos à ſe addendis.

Quod ad Ducem Andegauenſem attinet, ſuum quoque conſilium exponit: Quandoquidem ſumma ſedulitas diligentiaq; incolarum, in pace à Rege impetranda, ſibi perſpectiſſima ſit, ipſius autem Regis nulla adhuc indicia beneuoli propenſique animi in ſubditos, multo minus in Reformatam Religionem appareant: ſe quidem, omnibus exactè perpenſis, exiſtimare, dummodo hac de cauſa Prouinciæ alium Principem deligere velint, neminem omnium Principum eſſe, cuius auctoritas, potentia & conditio aptior ſit Prouincijs, præter Reginam Angliæ, aut dictum Ducem Andegauenſem. Cùm enim ſæpenumerò ab Imperij Principibus, vt Prouincias in ſuam tutelam protectionemque recipere vellent, poſtularint, ipſe quoque Archidux Matthias & Ordines generales, tam literis quam magnæ auctoritatis legatis miſſis, id à Cæſarea Maieſtate petierint: neutiquam tamen Cæſareæ Maieſtati aut Imperij Principibus perſuadi potuit, vt his Prouincijs, quæ tamen Imperij membra ſunt, auxilium aut ſubſidium ferrent.

Addit præterea, ſe ipſius Reginæ Angliæ de harum regionum protectione ſuſcipienda ſententiam, & ſummum erga dictum Ducem ſuorem ſatis intellexiſſe ac proſpexiſſe, ita vt in eius etiam gratiam ad Ordines generales literas miſerit: Proinde (ſaluo meliore iudicio ac conſilio vnitarum

Digitized by Google

vnitarum Prouinciarum & ciuitatum) sibi videri, nullum aliud remedium restare, quàm vt ad dictum dominum Ducem confugiant: ad eximium enim id opus conficiendum, prorsus necessarium esse Dominum siue Principem aliquem, qui præsens ipse negotium exequatur: ea tamen lege & conditione, vt regionibus auxilia præbeantur, & milites ac facultates sufficientes suppeditentur, quibus Hispanorum armis resistant, hostemque propellant: cautio quoque & securitas præstetur de religione, immunitatibus & priuilegijs regionú, saluo cuiusque Prouinciæ iure, in veteribus feudis, alijsque prærogatiuis, absque vlla mutatione. Aut si Prouincijs consultius videatur, nullum Dominum, Principemúe deligere, id quidem communi arbitrio consilioque relinquit: se quidem obsequia & auxilia pro suis viribus, in Prouinciarum vtilitatem laturum promittit: hortatur autem, diligenter consideret perpendantque, quibus modis hosti tam potenti resistere queant. An. 1579.

Quod ad Prouinciarum gubernationem attinet, prudentiæ Prouinciarum committit, vt quod volunt, de Archiducis Matthiæ persona statuant, eaque quæ Deputati decreuerant comprobat. Quod verò ad suam personam attinet, non potest non Deputatis proponere multorũ errores, & abusus admodum enormes, ante hac cõmissos, quibus mederi impossibile fuit, quod nullus obedientiæ esset locus. Liquido autem constare edicta, præceptaque omnia frustra esse, nisi ab ijs, ad quos spectant, seruentur perficianturque. Hinc varias varios iactasse quærimonias, alios quidam ignorantia, alios inuidia. Se haudquaquam ignarum esse, huius tanti mali, multiplicisque inobedientiæ occasionem inde præcipuè ortam, quod pecuniæ ad bellum necessariæ ſto tempore non conficerentur, aut in alios vsus quàm destinatæ erant, erogarentur, aut subdolè retinerentur: & sibi has consultiones, tanquam præcipuo auctori imputari: quasi verò ipse absque ope operaque eorum, quorum maximè intererat, hæc omnia solus conficere potuerit. Palàm autem esse, huiusmodi calumniatores nihil aliud, quam Prouinciarum ruinam exitiumque machinari, & ab hostibus subornatos esse: horumq; vestigia sequi minus cautos quosdam & inconsideratos calumniatores, vt superiores gubernationique Præpositos hoc modo acerrimè vituperent. *Conqueritur Auracim de inobedientia.*

Et quanquam (perpensa illorum ingratitudine, ad quorum arbitriũ filius captiuus auectus, tres fratres interfecti, ipse grauissimis damnis affectus in maximũ ęs alienum incidit, & omnium suorum bonorum iacturam passus est) occasionem causamque satis amplam habuerit, conditiones huiusmodi opimas oblatas accipiendi, modò aurem præbere, & huius Pacificationis tempore, alicui particulari pactioni consentire voluisset: tamen Dei imprimis honori & regionum Belgicarum commodo animum intendens, tales iniurias hactenus voluntaria obliuione contriuit, imò, absque vllis aut saltem admodum paucis facultatibus, sola fide, & gratia apud milites, immensis laboribus vsque adhuc restitit atque impediuit, ne hostis vlterius in Prouincias irrueret, etiam si illas vndique tam vi quam dolis oppugnasset, promotus adiutusque peruersitate quorundam, qui fictè & fraudulenter in Ordinum militia versantur, quorum dolo regionibus plus damni illatum est, quam violentia hostili, ita vt mirum sit, totam patriam non esse prorsus euersam. *De ingratitudine.*

Cùm verò vnitæ Prouinciæ ei Generalis Vicarij Prouinciarũ dignitatem offerant, ipse non ignarus quid sibi antè euenerit, ait se prompto lubentique animo, quemcunque alium Prouinciæ deligere & constituere volent, promoturum, polliceturque se nulli rei, quæ in sua erit potestate, & qua Prouincijs commodare queat, parciturum, vt nec hactenus fecit. Si verò perstiterint vt Vicarij Generalis munus obeat, quandoquidé se totum seruitio Dei & patriæ dedideritcupit vt Prouinciæ occasiones prędictorum incommodorum perpendant, vt ijs melius prospiciatur.

Primò, nulla est in omnibus hisce Prouincijs ciuitas, quæ rogota, non recuset quibuscunque poterit modis, præsidia admittere: illæ autem quæ præsidia admiserunt, quorumcunque amicorum opera nituntur eadem rursus missa facere. Hinc pernicias exitiumq; tam Prouinciarum quam vrbium. Exemplo sunt Athæ, Alostum, Machlinia, vnde importuna vicinorum sollicitatione prælidiariorum militum partem dimittere coactus fuit: itaque ciuibus reliquos facilè expellendi occasio hic data est. *Conqueritur quod ciuitates nolint admittere præsidia.*

Ciuitates, præsidiarios admittere contentæ, eos numero adeò exiguo recipiunt, vt eruptionem impetumque in hostem facere nequeant, verùm intra muros delitescant, torpescantque armorum desuetudine, ita vt hostis in agros ad ipsas vsque vrbium portas discurrat, pro libitu grassetur, & hostilia quæque patret. Minora quoque oppida & municipia, quantumuis magnis vrbibus satis sint vicina, nisi præsidijs muniantur, nihil nisi depopulationem excidiumque exspectant. Miseri quoque agricolæ qui vtrinq; opprimuntur & spoliantur, dubij vnde leuamen auxiliumúe petant, grauiter de proceribus præfectisque Prouinciarum conqueruntur, eosque in culpa esse reputant, quo minus ab huiusmodi damnis & miserijs protegantur. Præterea enormes abusus indies crescunt, eo quod populo vndique afflicto) impossibile sit contributiones cogere.

Digitized by Google

An. 1579. Dicta omnia hæc incommoda præcaueri inprimis poterunt, si in oppidis limitaneis firma conſtituantur præſidia, quibus hoſtium deprædationes, extorſiones & petulantiæ inhiberi queant: eritque hoc modo reliqua prouinciarum pars ſecura ac libera, à tot exiguis parumque neceſſarijs præſidijs: ipſisque militibus ſtipendia facilius ac commodius ſoluentur: quemadmodũ quatuordecim aut quindecim cohortes, quæ ſtipendijs bene ſolutis in diſciplina militari continebuntur, nequaquam tot mala violenter patrabunt, quot nunc tres aut quatuor quibuscæs militare non numeratur, patrare videmus: maximè quod deficiente pecunia, neutiquam ad militarem regulam aut diſciplinam perduci, multo minus in ea contineri queant.

Poſtulat ſibi poteſtatẽ dari diſponẽdi pro fidis. Proinde primò poſtulat, ſibi poteſtatem dari, ordinem rerum gerendarũ pro ſuo arbitrio componendi in vrbibus limitaneis, idque non tantum cauſa vrbium conſeruandarum, ſed & eruptionum, vt ex ijſdem vrbibus hoſtes, militari more, impetantur inuadanturque.

Et cùm Hollandiæ & Zelandiæ ciuitates, quæ abſque tergiuerſatione præſidiarios milites admiſerunt, conſeruatæ hactenus ſint, imò maximum hoſtibus damnum intulerunt: vt hic ſimiliter, hoſtium machinationes & inuaſiones improuiſæ, quaſcunq; ſecreto reſciſcere poterit, præcaueantur, petit ſibi poteſtatem dari, quocunque tempore introducendi milites in vrbes & arces, eoſque rurſus educendi, absque vlla contradictione.

Conſilio poteſtatẽ dari abſolutã capit. Præterea, ne poſt hac, tam tardè ad conficienda negotia procedatur, vtque remiſſiones, reiectiones, ac dilationes variæ euitentur, vtile ſibi imprimis videri, vt talem Conſilium Status inſtituatur, ſicut deliberatum fuit, aut deliberabitur ab ipſis Prouincijs: & vt illi quibus negotia committentur, abſolutam poteſtatem auctoritatemque habeant, de omnibus obiter ſubnatis caſibus conſtituendi, ne ad alios referendo, ac renunciando, & ad dominos remittendo, ſicut hactenus, tempus teratur. Si tamen Prouinciæ aliquos articulos ſuæ tantum cognitioni & deliberationi reſeruari & excipi velint, id quidem declarari poterunt: ipſis autem Conſilijs poteſtatem auctoritatemque dabunt de alijs omnibus decernendi vocum ſuffragijs: quibus omnes obedire, ijſque ſe accommodare tenebuntur.

Conqueritur de contributionibus. Inſuper conqueritur, ortas eſſe graues quaſdam moleſtias, ob difficultatem rei pecuniariæ, qua ſumptus belli exolui deberent: vnde commoditas omnis hoſtem extra Prouincias expellendi perdita fuit, quod ipſemet hoſtis literis ſuis interceptis confeſſus eſt, quibus declarabat ſe cogi Prouincias deſerere. Præterea promiſſas pecunias non colligi, & ſi quæ collectæ ſint, in alias res erogari pro cuiuſque arbitrio. Proinde ſe vnitasque Prouincias in ea eſſe ſententia, vt quandocunque contributiones communi conſenſu decernentur, contra ſingulos qui ſuam partem non conferent aut conferre negabunt, legibus agatur, resque exequutioni mandentur: ea tamen conditione, vt ſubditis ad fidem ſubſidiumque generalitatis ſuarum Prouinciarum conſugere licitum liberumque ſit, &c.

Hæc pauca de articulorum ſententijs Lectori exhibere operepretium putaui: vt hinc pateat, quo in ſtatu id temporis verſatæ ſint Prouinciæ: reliqua ex typis impreſsis petantur.

Huiuſmodi conſilium ſententiamque, Princeps Auraicus tempeſtiuè typis edi curauit, vt omnibus Prouincijs & ciuitatibus, inſtitutionum propoſitionumque, quibus diligenter vacare queant, loco ſint: & proximis comitijs Ordinum generalium Antvverpiæ, pleniore auctoritate ac mandato expediantur, vtque hinc ea quæ neceſſaria maximè erunt, perfectè determinentur an normam formulamque fœderum atque obligationum. Verùm rara, imò ferè nulla definitio ſequuta eſt.

Aliæ propoſitiones Principis Auraici. Proinde Auraicus anno 1580. 9. Ianu. Deputatis Ordinum generalium Antvverpiæ denuò demonſtrat proponitque incommoda Prouincijs, niſi prompte prouideatur, imminentia, hac maximè de cauſa, quod nullus Senatus, nullũ Conſilium totius Status ſit conſtitutum, cui plena ſit poteſtas determinandi, ea quæ ad promotionem & commodum generalitatis tendant, quandoquidem nunc quibuſq; ſingulatim in ſua Prouincia ac vrbe, omne id, quod ſibi priuatim vtile inprimis videtur, pro libitu agat, nihilq; penſi habeatur, quanta & ipſemet & tota generalitas damna patiantur, quod vrbibus neceſsitate laborantibus non ſuccurratur. Hinc fieri, vt hoſtis vbicunq; locorum ſibi commodiſsimum, oportuniſſimumq; reputat, ipſas Prouincias vnitas bellum gerere cogat, ita vt eum ſequi, velint, nolint, debeant, reſiſtendi ac defendendi cauſa, quandoquidem oppugnandi poteſtaten non habeant: vix enim maiores quam vnius ſolũmodo Prouinciæ militares copiæ cõgregari poſſent, eædemque imbecilliores quam vt ei reſiſtant, cui omnem ſuum exercitum in vnum colligere locum facilè eſt, noſtris copijs viribuſque diſgregatis ac ſeparatis: cauſa autem huius mali hæc eſt, quod vnius corporis, hoc eſt, vnius ſenatus ſiue conſilij ſumma authoritas, cui reliqui obtemperent obediantque deſit: qua quidem vnica ratione omnibus periculis ac malis occurrentibus generaliter remedium adferri queat. Liquidò ſatis conſtare, quã ſæpè conſulerit poſtularitque, vt aliquot equites & pedites ſtipendiarios alerent: quod ſi feciſſent, Tornacenſis ager & Flandria Occidentalis in has tantas anguſtias non eſſent pertractæ, ſaluum quoque manſiſſet Traiectum inferius, hoſtilesque copias impetere ac diſsipare,

De neceſsitate Cõſilij Status cum generali authoritate.

dissipare, facillimum fuisset. Exercitum ex præsidiarijs militibus colligi nullo modo posse, nisi primario aliquo Consilio totius Status, à quo res gerendæ disponantur: quandoquidem Prouinciæ quæ se nunc extra periculum esse vident, milites suos tam præsidiarios quam alios dimittere & exauctorare volunt: aliæ verò quibus labor, necessitas, timorque incumbunt, militem extra suas Prouincias, vrbes aut iurisdictiones nequaquam exire volunt. Hinc plurima incommoda nasci, quibus exercitu sub vnius Cõsilij supremi auctoritate redacto occurri posset. Non enim esset necesse vrbes tantis præsidijs onerare, quæ potissimùm metus causa collocantur, & sine magno periculo ipsa loca perdendi, amandari non possunt, cùm exercitũ aut firmam spem suæ defensionis non habeant. Huiusmodi autem exercitus collectus, & hostibus resisteret, & vrbes defenderet atque conseruaret, alereturque maximè in agris hostilibus, non sine nostrorum maximo leuamine ac solamine. Hi similesq; plurimi abusus ac defectus, viros aliquot præstantes grauiter offenderunt, qui cùm ipsum fundamentum penitùs non cognoscerent, culpam in innocentes reiecerunt: & ij qui rem saluam maximè cupiunt, pusillanimes iam desperare incipiunt: cùm tot vrbiũ rebelliones, defectiones & perditiones videantur: neque vlli Principes, vllæ potestates aut nationes extraneæ nobiscum fœdus inierint, aut inire desiderent: nullus quoque hostium ad nos transfugiat: quandoquidem hostis nostra confusione & inconsiderantia in rebus bellicis administrandis animatur corroboraturque, eamq; fuæ victoriæ causam reputat, ira vt mirum sit, nostris Prouincijs vnitis grauiora adhuc damna non euenisse.

Cumque horum malorum præcipuæ occasiones & causæ fuerint prauorum consiliorum temeraria approbatio, & bonorum imprudens negligensque administratio: salutare remediũ his incommodis adhibendum nunc esse: maximè cùm multis viris præstantibus salus patriæ adhuc cordi sit, qui suam operam lubentes offerunt, fulti hac imprimis spe, quod hostis plurimis incommoditatibus prematur, difficultate atque inopia pecuniæ, pulueris tormentarij, commeatus, rerumq; plurimarum bello necessariarum, præterea etiam dissidijs, factionibus, & militum insolentijs, vnde ipsis prouincijs & ciuitatibus fastidium tædiumque grauissimum adduci constat.

Exercitũ ingenens colligi castraque cum plurimis pestibus

His hostium incommodis, Belgicæ patriæ commoda comparari imprimis posse, si ipsi domini proceresque, cùm potestas, facultas & occasio suppetet, intignem decernant conficiantq; exercitum quatuor millium equitum, duodecim millium peditum, mille ducentorum cuniculariorum: & tormentis, armamentis, instrumentisque bello necessarijs iam paratis, castra constituant: præsidiarijs hoc numero non suppuratis: insuper etiam equitum peditumq; Præfectis ratio & facultas stipendia exoluendi declaretur: aliàs enim præstantes, strenui ac probi imprimis milites militiæ se dedere nolent: ignaui verò & inexpertes, proprij lucri potius quam prouinciarum commodi causa, absque honestæ militiæ, gloriæ & honoris affectu militantes, nequaquam cum necessitas postulabit, vsui erunt. Verum quia difficillimum esset alios præterquam Germanos equites conquirere: deliberãdum ac decernendum erit, quales potissimum militiæ præfectos deligere conueniat: & si ijsdem militiæ præteritæ causa adhuc stipendia debentur, ea ipsis exsoluantur: poterunt nihilominùs etiam ex alijs nationibus copiæ colligi.

Grauiter quoque delinquit in actione nummaria: quandoquidem quæque Prouincia suos nummos collocet administretque, vt lubet, in suum non in communem vsum. Multos etiam iniquè & inæqualiter subsidia generalia in suis Prouincijs cogere atq; colligere: & proprij commodi, aut negligentiæ, aut peruersæ voluntatis vitio, grauiter hic peccare.

De rerumma ria.

Cautionem quoque adhibendam sacramento militari, quod à militiæ præfectis officialibus ipsisque militibus exigitur: multi enim stipendiarij, quod Regio nomini iuramentum præstiterint, ansam arripiunt, aliquid contra prouincias moliendi: Proinde vt maior hac in re sit securitas, certa formula sacramenti erit præscribenda. Decernenda quoq; formula, qua præfecti & Magistratus in edictis, placitis & constitutionibus vtentur.

De sacramento militari.

Quandoquidem autem, summo Prouinciarũ damno, maxima nobilium & procerum Belgij pars hosti se iunxerit, paucioresque restent personæ præstantes imprimis, quibus imperium gubernatioque rerum publicarum tutò committi queant: deliberandum attentè, qui & quales potissimùm sint constituendi: ijdemque honoraria mercede ample decorandi, quo fidelius diligentiusque Prouinciarum vtilitati incumbant. Hæc omnia prudenter deliberanda, statuenda & præstanda sunt. Mederi autem nequaquam difficilè, dummodo suo consilio obtemperantes, aliquot virtute præstantes viros deligant, à quibus occurrentia negotia tractentur & disponantur, ijsdemque delectis obediant, moremque gerant quibuscunque in rebus: ne toties audienda sit communis frequensque respondendi & excusandi hæc formula: *Non habemus mandatum à nostra domina*: quæ profectò optimas quasque consultationes & deliberationes interrumpit, irritasque prorsus reddit. Non quod vtile existimemus, huiusmodi deputatis siue delegatis dari potestatẽ nouas indictiones aut exactiones instituendi, & omnia pro arbitrio disponendi, atque agendi: verùm solummodo ordinem modumque constituendi in generalibus subsidijs, & exactio-

Digitized by Google

& exactionibus communi conſenſu permiſsis aut permittendis, vtiliter cogendis atque expendendis, militaribus copijs congregandis, easq; rurſus cum opus erit diſgregandis, & in præſidia collocandis, negotijsque omnibus politicis in Prouinciarum commodum tractandis. Quæ quidem omnia ſi conuenienter fiant, bonâ mox mutationem ſubſequuturam, ſe haudquaquam dubitare, &c. Huius propoſitionis ampliorem ſententiam qui legere volet, eam ex impreſsione Antverpiæ edita petat.

Definitio authoritatis Cõſilij Status.

Adhortatio ad Deputatos Ordinum habita 13. Ianu.

Alia inſuper Ordinum Deputatis in conuentu Antverpiæ 13. Ianuarij exhibita eſt propoſitio, de Belgicarum prouinciarum Principe mutando, vt hac re ſuis dominis renuntiata, Ordinum generalium conuocetur concilium, & abſolutè plenaque poteſtate negotium omne definiatur. Præcipuum autem argumentum tale erat.

Bellum defenſiuum, tãtum modo ab Ordinib. geri poſſe.

Prouinciarum res in eo ſtatu præſentia eſſe, vt nihil niſi bellum defenſiuum gerere poſſint, hoc eſt, regiones & ciuitates defendere, idque cum maxima etiam difficultate, quandoquidem Prouinciæ nihil certi determinẽt, neque aliquem adminiſtrationis rerum publicarum aut bellicarum ordinem conſtituant, verùm omnia ita differant & in longum protrahant, vt potiſsimę quæque rationes & opportunitates neglẽtur. Rebus autem omnibus quàm optimè etiam diſpoſitis, bellum defenſiuum adminiſtrandum, longiſsimo tempore duraturum, & plus incommodi quam commodi allaturum. Multi quoque, cum vrbes ab hoſte obſeſſas nequaquam oblidione liberari poſſe viderint, animum abijcient, & tædium faſtidiumque belli concipient, & ad defectionem pertracti, maiores diſſidentias ac turbationes inuehent. Inſuper longa & aſsidua regionum depopulatione ac deuaſtatione vires magis magisq; debilitabuntur, & pecuniarum rerumque neceſſariarum facultas adimetur: proinde exacte deliberandum vtrũ pacem facere, an bellum continuare præſtet.

Pax autem nullo modo confici poterit, niſi ſe Regis Hiſpaniarum gubernationi, rationibus quibus poterunt commodiſsimis, ſubmittant.

Cùm autem Regis ſententiam inueſtigare facilè ſit, ex conditionibus pacis Coloniæ propoſitis, quæ neutiquam admitti poſſent ſine maximo diſcrimine & extremo periculo, ne Prouinciæ iugo Hiſpanorum duriore, quam vnquam hactenus, ſubdantur, & innumerabilis incolarum multitudo funditus perdatur, eorum nempe qui religionem reformatam ſuſceperunt; vnde regionum maxima confuſio, calamitas & deſolatio, commerciorumque euerſio ſit proditura: euidentiſsimum eſt, nullam niſi bello ſalutem reſtare.

Verùm quia, iudicio humano, bellum his, quibus inceptum eſt modis, impoſsibile ſit continuare: neceſſariò determinandum, qua via bellum breui finiatur, & patria ab hoſtibus liberetur.

Cùm autem huiuſmodi facultatem penes ſe non habeant, neceſſariò ab aliis Poteſtatibus & Principibus petenda eſt, rebus adhuc ſtantibus, quàm fieri poterit citiſsimè, antequam grauioribus damnis obruantur: aliàs enim timendum, ne ventura æſtate validis hoſtium, quæ apparantur copijs, aut ſociorum defectione, quam hoſtis omni ſtudio molitur, opprimantur.

Dux Andegauenſ. maximè propenſus in Prouincias Belgicas.

Nullius toto orbe Chriſtiano Regis, Poteſtatis, aut Principis fauoré in Prouincias eſſe propenſiorem, ipſius Andegauenſis, Galliarum Regis Henrici fratris: cui optima commoditas & facultas, hoſtibus, in Galliæ partibus; vnde eis plurimum auxilij & commoditatis nocendi: nec dubium quin ſe ad id promptiſsimum ſecuro liberoque animo ſit declaraturus. Proinde deliberandum, velint ne ſe in dicti Ducis poteſtatem, conditionibus præſcribendis dedere, nec ne.

Tres articuli præcipui belli Prouinciarũ Belgicarum.

Præcipui quidem ad quos hactenus Prouinciæ adſpirarunt articuli ſunt: Æqua legitimaque regionum & incolarum adminiſtratio & gubernatio: Legum, conſuetudinũ, conſtitutionum, decretorum, priuilegiorum, libertatum patriæ reſtauratio & cõſeruatio: Omnium iniquarum religionis cauſa perſequutionum, abrogatio: & exercitij religionis, ad pacem & quietem publicam ſeruandam neceſſariò conceſsi permiſsio: Reliqui minoris momẽti ſunt. Deliberandum autem imprimis, an de his articulis potius cum Rege Hiſpano, an cum Duce Andegauenſe tranſigi queat.

Modi & rationes, quibus Rex Hiſpan. Belgas ſubiugare poſsit.

Liquidò ſatis conſtare, Regi multo maiorem quam dicto Duci volũtatem, oportunitatem & poteſtatem eſſe Prouincias opprimendi, & peregrino iugo ſubdendi. Quandoquidem Rex omnes Prouinciarum proceres, gubernatores, præſides, præfectos ita ſibi addictos & obedientes reddet, vt certatim gratiam fauoremque ſuum ſint aucupaturi, non tantum illi qui hactenus ei addicti permanſerunt, iamque mercedes amplas exſpectant, ſed & illi etiam qui ei ſemper reſtiterunt. Nam ſi magna eorum pars, qui acerrimi Hiſpanorum hoſtes fuerunt, poſt à Motteo blanda ſpe conſtandarum diuitiarum ſeducti, ab aliis Prouincijs & vrbibus, quibus ſacramento & fœdere deuincti fuerant, de fecerunt: facilè hinc quilibet coniectet, quid ab his horumque ſimilibus ſit exſpectandum, ſi eiuſmodi ſuis paſsionibus & affectionibus, quibus tam facilè commouentur, cogitatio quædam debiti officij, qua ſe Regi deuinctos reputent, accedat.

Contra verò Dux Andegauenſis tantum fidei & authoritatis longò annorum ſpatio apud populum

populum sibi nequaquam comparabit, quantum Rex impræsentiarum habet. Tenet præterea Rex iam in sua potestate multas ciuitates, quarum facultate & commoditate multo facilius voti sui compos fiet, quam Dux, qualemcunque & quantumcunque etiam operam ac industriam adhibeat. Ad hæc Rex potentia longe præpollet, præcipuè regno Portugalliæ acquisito: ita vt suis viribus per magnis nos sit oppressurus, niti alio defensore, aut meliore rerum gerendarum ratione nobis consulamus. An. 1542.

Quid Belgis à suo Rege sit exspectandū.

Regis malus & infestus animus satis perspectus cognitusque. Et cùm Prouincijs nunc grauissime sit offensus atque iratus: proculdubio, siue vt suo honori consulat, siue vt aliis suis subditis vbique exemplum præbeat, ne simile quid moliantur, siue duræ indolis, siue crudelis vindictæ naturali incitatus stimulo, causam locumque quæret de Belgicis his Prouincijs vindictam sumendi. Argumento sunt dira crudeliaque sua facta in regionibus Granatensibus, Indijs, Italia, & maximè in his inferioris Germaniæ terris. Calet adhuc sanguis memoriaque recens summorum procerum, qui gladio, laqueo, veneno atrocissimè contra diuina humanaq; iura, contra promissa sacramento firmata, interfecti sunt: præterea innumeræ multitudinis virorū nobilium, populorumque, qui igne, gladio, horrendis tormentis enecati sunt: eorum etiam qui coacti extra patrium solum errare, in miseria & exilio cum vxoribus & prolibus grauem vitam traxerunt: hinc negotiationes, commercia, artes, opificia in peregrinas terras translata, salusque omnis Belgio adempta. Res ipsa satis docuit, quibus modis eos, quos punicndos animo conceperat, literis & promissis blandissimis pellexerit: & quandocunque se animū mutasse, & mitiorem gubernandi rationem inisse fingeret, tum demum maximè furtiuis, tuis secretioribus literis callidisque documentis clàm indicarit, se oportunitatem commodam exspectare, qua animum supplicijs vindictisque exaturare queat: sicut ex institutionibus & præceptis Austriaci, & aliorum satis liquet.

Christierni Danie Regis exemplum.

Docent exempla Historiarum, huiusmodi Reges & Principes præpotentes, aut nunquam, aut rarò admodum inultam reliquisse illatam iniuriam: verùm dissimulasse quidem aliquādiù, donec potior occasio opportunitasque daretur: monetque proinde Salomon, Iram Regis indubitatum esse mortis nuntium. Vt manifestissimè ex factis Christierni Daniæ olim Regis constat, qui ob tyrannidem regno pulsus, iterumque certis conditionibus iureiurando sancitis receptus, regnum multo tempore mansuetè administrauit: verùm tandem in celebri imo quodam conuiuio, proceres nobilesq; præcipuos amantissimè principio exceptos, mensis nondum prorsus remotis, capite truncari carnificis manu, infantes quoque aliquot trinos & quadrinos necari iubet.

Homicidia atrocissima in Gallijs.

In Gallijs, neque duorum annorum pactæ induciæ, neque plurimarum vrbium, arcium, munitionū traditio, neque ipsæ quidem sororis Regiæ nuptiæ, Regem flectere potuerunt, quo minus vindictam auditu horribilem de Admiralio, & maxima innocentium hominum multitudine cuiusuis sexus & ordinis crudelissimè sumeret. Similiter in Belgio, patrum memoria, Maximilianus Caroli V. Imperatoris, reconciliatione & pace inita, Principum Electorum intercessione, eorundemque manu subsignata & sigillo corroborata, suoque iuramento confirmata; atrociter Brugenses vltus est, animumque vindicta expleuit, vt rei narratio audientibus horrorem nunc adhuc incutiat: erat tamen is Princeps Imperatorque admodum clemens, qualem multa fæcula non viderunt.

Max. Imper. vindicta in Brugenses.

Quid ergo exspectandum aut sperandum de Rege Hispaniæ, qui promissa nequaquam seruare volet, ni non alia, saltem ea de causa, vt securior sit, ne post hac rursus in huiusmodi graues sumptus Prouinciarum causa incidat: id quod plerunque omnes Principes & Potestates faciūt, cùm defectionem timent, maximè si aliquam tibi iniuriam ante factam reputent. Exemplo est vrbs Gandauensis, anno 1539.

Auuicl epist. 170 de cæde Parisiana in Hisp. exaggerata.

Euidentissimè etiam constat, omnia vincula promissorum, sigillorum, fœderum, iuramentorum, & quæcunque ad hæc excogitari queant, vnà Pontificis Romani bulla infringi posse: quandoquidem hæreticis (quales nos omnes simul reputant) non esse seruandā fidem asserunt in eorum quoque imperio. Maximam siue indubitatam regulam seruari hanc: Regem neutiquam teneri promissa subditis rebellibus præstare: quandoquidem veri legitimique hostes non reputentur, verùm rebelles, seditiosi, & (vt ipsi affirmant) proditores: imò in naturæ legem peccari, cum eis fides seruatur: idque abundè adhuc propalant ij, qui contra nos scribunt, inter quos Corn. Callidius Chrysopolitanus Iesuita, Ioannes Lenseus, Cunerus Episcopus Leuvardensis, pluresque alij tam Theologi quam Iurisperiti.

Quamuis autem ipse etiam Rex promissa seruare animum induxisset, tamen neque Pontificem Romanum, neque Inquisitioni Hispaniæ præfectos, id vllo pacto permissuros, verùm Regi potius grauem conscientiæ scrupulum inciturus, & ad omnium hæreticorum extirpationem compulsuros: eodem quo Regem Franciæ ad simile facinus pertraxere modo: dira enim internecio Parisijs perpetrata, in Hispa. & Italia proculdubio primum excogitata & delibera-

Perpen-

An. 1580. Perpendendum insuper, quid Regem ad hanc contra Belgium atrocitatem præcipuè instigarit: quod si ipsa natura, frustra profectò remedium exspectabitur; nullis enim furcis quàuis validissimis natura expelletur: si verò bona, miti & clementi sit indole præditus; quod multi nobis persuadere volunt; dubium non est, quin zelo quodá religionis, aut consilio & instinctu eorum, qui his regionibus infesti sunt, nempe Pontificis & Inquisitorũ, huc sit redactus. Quod si zelo & religione adactus, nequaquam sanè is zelus nunc extenuatus (quandoquidem religionem primam totius rebellionis causam reputat) sed ad summum auctus est. Atque hinc palàm constat, quid post hacà Rege exspectandum sit: cùm illi qui eum principio instigarunt & adegerunt, nunc multò magis in regiones exacerbati, maioreque odio & inuidia sint incensi, & Belgij habitatores, defectores, rebelles, hæreticos, seditiosos factiosos iudicent.

Opinio Auratici de Ioan. Austriaco. Quæ autem securitas aut libertas patriæ, priuilegiorum, religionis à Rege sit speranda; & qualis ac quanta sit Regis potentia in regione, in qua tot ciuitates sibi adhuc subditas, tot fautores sibi deditos deuinctosque habet, exemplum D. Ioannis Austriaci satis docet, qui proculdubio Prouinciarum dominio facilè potiri potuisset, si aliquantispèr adhuc tectius simulasset, neque eius Epistolæ fortè fortuna interceptæ fuissent: si etiam cum vrbem Machlinienſem peteret, in arcem Antverpiensem contendisset, eamque cœpisset.

Ducis Andegauẽsis vires & cõditiones. Nunc contrà pensitanda vires & oportunitates Ducis Andegauẽsis. Paruam habet is commoditatem, quòd extraneus, & intraneis suspectus sit: nullam reciprocam societatem aut amicitiam: nullas vrbes, arces, aut munitiones: nullos Prouinciarum proceres sibi deuinctos: neque is etiam est, qui, nisi sibi certiùs antè cautum esset, aliquid ardui extra suas regiones machinari vellet.

De viribus & potentia hæc dicta sufficiunt. Eius etiam voluntas facilis perspectu. Siquidem magis necessarium erit, vt incolarum fauorem captet, quàm eos ad diffidentiam, aut iram excitet: & à probis bonisque introductus & admissus, promptam habebit occasionem de illis semper merendi: neque vlla iræ aut vindictæ in Prouinciasansa facilè dabitur.

Quòd ad religionem attinet: Iam satis assuetus est vtriusque religionis exercitium videre, & ferre in Gallijs, imò in sua propriaque aula: habet enim multos aulicos religioni reformatæ addictos, & in suis Prouincijs pacem religionis constitutam seruari facit. Proinde omnia bona securaque, quod ad religionem & gubernationem spectat, ab eo sunt speranda: quandoquidem ei conuenientissimæ conditiones & pactiones proponi poterunt: quæ à Rege Hispan. frustra exspectarentur.

Si de eius natura & indole agamus: Dicitur mansuetus & clemens: in cædibus violentis & tumultibus modestè ac probè se gessit, seque tam diros ac sanguineolentos casus dolere, fuæ etiam vitæ periculo euidenter probauit: quamuis postremò irritatus & instigatus, belli contra Hugonotas factus sit socius: non diù tamen mansit, verùm pacis quam imprimis confici & seruari optabat, auctor fuit. Vt vt sit, tales ei conditiones, omni studio & prouidentia, præscribere facilè erit, vt etiamsi maximè velit, mala consilia sequi non queat, quandoquidem perficiendi potestatem non habebit. Eò autem faciliùs continebitur, quod semper adhuc ei timenda erit factio eorum, qui Regi Hispan. fauent: & hanc maximè ob causam incolarum patriæ amantium amicitiam sectabitur: addictos quoque religioni in Gallijs timebit, neque eos irritare audebit. Hæc vtique (si humano more loquamur) commodissima, optimaque est via bellum extra has Prouincias elimitandi: quandoquidem Gallia Hispanis clausa, impossibile erit Hispanis vlterius bellum hic gerere aut continuare, vtpotè qui hactenus commeatum, arma, munitiones, pecunias ac facultates ferè omnes ex Gallijs habuerint: exemplo est Traiecti inferioris expugnatio, in quam maximè commoditates ex Gallijs suppeditatæ fuerunt. Hinc etiam Hispanorum & Italorum militum introductio, & pecuniarum aduectio prorsus impedietur: dummodo ipse Rex Galliarum sinceris argumentis, ipsoque facto, siue palàm, siue clàm se hostem Hispanorum declaret.

Præterea Arthesianos & Hannonienses concordiam rursus ambituros, dubium non est: alioqui enim bellum vtrinque sustinere, & nostrorum hostiles excursiones ad exactiones extorquendas, atque violentias in Flandriam patratas compensandas, propellere, grauissimum ipsis foret. Neque ipse Dux occasionem habebit VValones vbique præferendi ipsis Prouincialibus, quod sicut hactenus, vt plurimum factũ sint, ita post hac etiam amplius fieret, si Hispani rerum potirentur. Adhæc etiam cauendum, ne VValones Ducem in suas partes pertrahant.

Si quis obijciat: Periculum esse, ne Dux Pacificationem Gandauensem recusset: aut Angliæ Regina Pacificationis ergo Prouincijs succenseat. Hic responsum habeat: nihil causæ apparere quamobrem Dux Pacificationem repudiet, quandoquidem contra hostes Hispanos præcipuè inita sit. Præterea sufficiens documentum capi posse ex Ducibus Burgundiæ, quietiam Franciæ fratres fuerunt, eorumq; patres atque maiores cõmercia consortiaque fideliter simul seruarũt. Anglia autem Ducem potius quam Hispan. Regem vicinum cupiet, maximè si Rex, vt videtur,

rega-

Digitized by Google

regni Portugalliæ compos fiat, cuius potentia maximè timenda erit, dùmodo mari orientali & occidentali, & tam multis terris dominetur. Neque verisimile est Reginam Duci esse offensam, cum matrimoniũ hactenus sit tractatum, & adhuc tractetur: quod etiamsi non succedat, nihilominus Angliæ proceribus religionis fautoribus gratum erit, si res in temperato æquamento cõtineantur: nam proculdubio Hispania tantũ negotij Galliæ faceſſet, vt Angliæ nil, il à Gallis timendum sit: maximè cum decretum sit, vt Angliæ Regina contractu comprehendatur. An. 1580.

Suspicio autem de clandestino Ducis fœdere cum Hispano, absurda & falsa prorsus videtur. Nam profectò Regi Hisp. potius commodiusque esset has Prouincias recipere, conditionibus à Proceribus Ordinum oblatis, quam in tali discrimine versari, easq; tandem à Regis Galliarum fratre recipere conditionibus grauioribus, quàm nunc ei offeruntur. Præterea scripta factaque Ducis, omnia contrarium liquidò demonstrant: ita vt nemo sapiens hanc suspicionem facilè mente sit conceperurus. Rogantur itaq; Prouinciæ, vt simul semelque deterrendi quid potissimũ sit agendum, & determinata maturè effecta reddant, vt patria tandem à longis miseriis & calamitatibus liberari queat.

Diu multumque dictis de rebus, Ciuitates & Ordines generales consultarunt atque deliberarunt: postremò statutum decretumque est, vt Andegauensis in Principem patriæ recipiatur. Hæc autem post latiùs narrabimus.

Postquam Artheſia & Hannonia, relictis reliquis Prouincijs, Regi reconciliatæ, promissum exercitũ instruxerunt, Parmensis principio Ianuarij iubet oppugnari Mortaniam, Hannoniæ vrbeculam, tribus cohortibus præsidiariorum, Schotorum & Anglorum munitam. Mortania vi expugnata, Fanum Amandi, paruum quoque oppidulum, petit: præsidiarij Angli necessitate coacti deditionem faciunt: Morganus Chiliarcha & alij militum præfecti captiui detinentur. Inde Tornacum tendit exercitus: verùm nihil hic egregij patrant: agros circa Insulas infestãt, suburbia & molas passim incendunt: & maioribus aliquot pagis, vtpotè Honscotæ & alijs, flammas, nisi redemptione pacisc antur, hostiliter minantur. *Parmenſis Mortaniam & Fanum Amandi capit.*

Interea mense eodem Ianuario, circa Traiectum inferius, & Limburgum Hispani milites recensentur, maximaque pars extra Belgij Prouincias mittuntur, vt hac ratione cõtractui cum Artheſiensibus & Hannonienſibus inito satisfiat. *Hiſpanorum diſceſſus.*

Cameracum oppidum Galliæ limitaneum, seruabat hac tempestate Ordinum nomine præsidiarijs militibus instructus D. Incyus, Gaureæ familiæ vir nobilis: cùm autem oppido obsidionem minaretur Parmensis, locusque longius esset disitus, quàm vt subsidium ab Ordinibus facilè ferri posset: Incyus cum Andegauense egit de suppetijs, si necesse esset, ferendis: tandemque missas ex Gallijs equitum & peditum auxiliares copias, in vrbem admisit: hi Hannoniæ & Artheſiæ agros diripiunt, incendiaq; minitando pecunijs emungunt. *Cameracum auxilia recipiunt ducis Andegauenſis recepti.*

Præsidiarij Bruxellenses, iunctis reliquis vicinis, vrbẽ Niuellensem iterum dexteritate quadam capiunt mense Ianua. plurimisque cæsis, D. Glymesum vinctum in vrbem Bruxellensem deducunt. Geldri, vicinorum ope tentant obsidione capere arcem Bleyenbekam prope Mosam, quam Martin. Schenckius acer bellator defendebat, sed; eius dominum vocabat, & Geldrijs Mosam & Rhenum nauigantibus, multa quotidie damna inferebat, cui postquam Parmensis pedites equitesque auxiliares misit, Geldri viribus minores obsidionem soluerunt. *Niuella capta. Bleyenbecka obſidetur.*

Princeps Auraicus, quòd turbidæ admodum res essent in Frisia & locis vicinis, in Hollandiam proficiscitur, Archiducem Matthia Bredam vsque comitante, vbi à Principe in arce sua magnificè inprimis excipitur: Archidux per vrbẽ Bergensem reuertitur Antverpiam: Princeps Dordraco, Campam, vt dissidia vbique componat. Nam rustici Drentheſes, & vicini arma cœperant, quibus violentias, quas Ordinum milites, & reſtantia Casimiri, & Ideli Henrici agmina inferebant, propellerent: & cùm iunctis viribus valde fortes essent, contributiones recusabant, videbanturque ad Pacificationem Colonienſem adspirare. Comes Rennenbergius in sua iurisdictione se de rusticis vindicabat, & Lingenſibus atque Oldenzelenſibus, quod paccm Religionis admittere nollent, dira minabatur. Bertolus Entiſſenius Bergenſes & diœcesis Monasterienſis, habitatores hostiliter vexabat. D. Sonoyus Zutphanienſes præsidia recipere cogebat: postremo Comes Hohenloius rusticos Drentenſes, & Transisulanos vi armisque domuit. *Princeps Auraicus in Hollandiã & Friſiam proficiſcitur, turbarũ componendarum cauſa.*

Quo pacto Comes Rennenbergius clandestinè cum Principe Parmense tractarc, & rusticos contra Ordinum milites animare cœperit, suprà lib. 9. diximus. Impulsu autem suorum officialium, familiarium, consiliarium, & consanguineorum in Hannonia Rennenbergius ad defectionem inductus, occultè cum alijs molitus est, articulos Pacificationis Colonienſis Ordinibus propositos, promouere: cumque seditio Groeningæ mota esset à Catholicis hos articulos recipiendos affirmantibus, Ordinum autem studioſi præualuissent; ipse nihilominus hinc factionum turbam maiorem excitare dissidiaque maiora fouere volens, obsides Groeningenſes, homines Hispanis addictissimos, liberos dimisit: Orta quoque eadem tempestate seditio in vrbe Campensi, vnde auxilij oportunitatem vestigabat. *Comes Rennenbergius ab Ordinibus medi. tatur defectionem.*

Digitized by Google

An. 1580. Anno 1580. 21. Ianuarij, Cornelia Lalaignia Rennenbergij ſoror, cum marito Barone Monceauo ad fratrem veniunt, cíque reconciliationem & gratiam à Parmenſe adſerunt, & pecuniæ ſummam, addunt inſuper magnifica promiſſa, Marchionatus dignitatem, & Comitis Megemenſis viduæ, cuius amore capiebatur, nuptias conſequendi. Cumque hominis animum in dubio verſari adhuc viderent, eum indies monére identidem non deſtiterunt, ne animam cacodæmoni tradat, ne Chriſtianam religionem vlterius perſequatur, ne hæreticorum & rebellium coryphæus eſſe pergat, ſeque gubernationi ac imperio plebis, & infimæ multitudinis cerdonum, textorum, pellionum ſubmittat, cùm grauiſſima iactura omnium ſuarum fortunarum in Hannonia & aliis locis, & fauoris ac gratiæ affinium, conſanguineorum, matris, auunculi Canonici Comitis, à quo Comitatum Rennenbergenſem acceperat, & ipſius Regis Hiſpaniæ: hæc ſimiliaque multa aſsiduo inculcant, quare tandem iuuenilis ætas, animus inexpertus, & religio quàm ab infantia imbuerat, hominem tranſuerſum agunt, non ſine acri conſcientiæ remorſu. Omnia autem quamdiu potuit diſſimulauit ac celauit.

Caſtrum Levvardenſe ab Ordinib. Rennenbergio eripitur, & diruitur. Princeps Auraicus & Ordines Friſiæ ſimul ac variis indicijs ſuſpicionem conceperunt, præuenire quam præueniri conſultius rati, ſtatuunt menſe Februario caſtrum Levvardienſe inuadere: itaque ſecretò per Bouvvingam & Feruonem præfectos militiæ à tergo cingitur militum numero, frontem ciuium cæteruæ occupant: coguntque ſacerdotes, monachos, & præſidiariorum arcis mulieres agmine primo ſtare: mox aggeres, conficiunt & foſſas implent. Schagenus poſt Matheneſſæ mortem Marſchalcus, & caſtri præfectus factus, ab hoſte anticipatus, dubius, metuensque caſtrum de didit, vita & facultatibus ſaluis, ſibique certo reditu annuo conſtituto. Ciues citius faciliusque quam ſperarant caſtrum ingreſsi, mœnia vrbem verſus diruunt, foſſas & aggeres indefeſsi æquant, reliquaque oppidi muris adiungunt. Olim Levvardienſes relicti à Græningenſibus, poſt tertiã vrbis obſidionem, hanc arcem ſuis ſumptibus exſtruxerunt, victi coactique à VVillebordo Schouvvenbergio, generali militiæ præfecto Ducis Alberti Saxoniæ Ducis, anno 1499. ſtetitque annos circiter octoginta.

Interea dum ciues diruendo caſtro ſunt intenti, militum cohortes in oppidum reuerſæ, Minoritas, acie inſtructa, ita vt quemque Monachum miles ordine ſequeretur, tympanis & tybijs reſonantibus extra oppidi portas deducunt.

Caſtrum Harlingenſe capitum & diruitur. Poſtridiè Reynickus Camminga, alijque præfecti cum quatuor militum cohortibus Harlingam petunt, arcemque tradi exigunt: prælidiarij refragantur, in vrbem iaculantur totisque viribus repugnant. Rennenbergius nuntio de obſidione accepto, pauidus ſtupensque, Bayllium, quem à ſecretis habebat, Levvardam mittit, multis vafré cauteque mandatis, & authoritate inſtructum, negotia pro ſuo arbitrio, vt tempus poſtularet, tractandi: omnia adhuc ſalua reputans.

Bayllius è veſtigio apprehenditur: omnibusque quæ penes ſe habebat, exploratis & excuſſis, inueniunt chartas quaſdam puras, nequaquam deſcriptas, ſed ſolummodo Rennenbergij nomine ſubſignatas: mox eum in harum chartarum vna cogunt Rennenbergij nomine ſcribere ad vicarium Droſſardi Oyenburgi, qui tunc Græningæ erat, vt caſtrum tradat. Hic homo incautus, nihil mali ſuſpicans, & huiuſmodi negotia ter mandanda eſſe ignorans, caſtrum tradidit 5. Februarij: quod ocyus etiam à ciuibus euertitur, oppidum verſus. Fuit hoc caſtrum primò à Græningenſibus cum toti Friſiæ dominarentur, ædificatum anno 1496. ſequente autem anno à Friſijs dirutum, & à Duce Saxoniæ Alberto inſtauratum, anno 1500. ſtetitque circiter 79. annos.

Caſt. Staueren. capitur, & diruitur. Poſt hæc Sonoyus cum deputatis, & quatuor militum cohortibus Staueram mittuntur: caſtrò deditionem indicunt: Droſſardus Pipenpoys, certis rationibus quibus ſe excuſaret, à Principe Auraico acceptis, caſtrum tradit: id ſubitò ac inconſultè, vrbe nondum munita, diruunt, non ſine magno ciuitatis damno: inde enim Rennenbergius iterum in ſuam poteſtatem facilè redegit. Fuit hæc arx initio conſtructa ab Alberto Bauaro, Comite Hollandiæ, anno 1396. poſt euerſa, rurſus à Georgio Schenckio, Caroli V. Imper. nomine extructa, anno 1522. manſitque in eo ſtatu annos plus minus 57.

Rennenbergij querela. Interea dum hæc aguntur, Rennenbergius Græningæ hæret, animo perturbatus, maximè quod ea quæ Parmenſi promiſerat præſtare nõ poſſet, debebat. n. ſuis ſumptib. in Regis poteſtatem & obedientiam redigere omnia loca ſuæ gubernationi cõmiſſa: verùm hæc ſilentio ſupprimens, apud omnes conqueritur de infractione pacis Religionis, de Friſiorũ rebellione, de cõtumelia & iniuria ſibi illata: cõmemorat ſua egregia facinora beneficiaq; Machliniæ, Valenchenis, Græning. æ, Campæ, aliſq; locis fideliter Ordinibus præſtita: quodq; pro gratia referenda, ſumma ignominia tanquã proditor afficiatur, aliaq; his ſimilia, indignabundus effundit. Puppeus vel Pompeus Vfkenſius, & Ioa. Cornputus, vterq; patrię & Ordinũ ſtudioſiſsimus, & Rénenbergio familiariſſ. ei conſulunt, vt Vltraiectũ, vbi Auraicus tũc erat, proficiſcatur, ſeq; coram purget, ſuſpicioné leuet, atq; à ſe remoueat, vt amiſſa loca rurſus recuperet admiriſtranda. nihil eſſe cauſæ cur de

Digitized by Google

cur de arcium demolitione conqueratur, cùm ante certo sciuerit. Generalitatem id maximè desideraſſe: ſe nullam prorſus conquerendi aut culpandi occaſionem habere, quàm quod modo inconuenienti, & ſuo iniuſſu in ſuæ gubernationis locis commiſsis hæc acta ſint. An. 1580.

Deinde, nonnullis ſuarum machinationum detectis, quibus etiam Pompei Vſkenſi vitæ ſtruebantur inſidiæ; ipſe Vſkenſus Rennenbergij aulam relinquès, ei coram Prouinciarum deputatis, & amicis omnia ſua vitia aperuit: Cornputum præterea rogauit, eum ad conſtantiam hortetur, quandoquidem dubitare atque hæſitare adhuc videatur. Facit id ſedulò Cornputus; rogat ſuam gubernationem rectius inſtituat, ne Prouinciæ ab eo animis alienentur: & poſt hæc ex Ordinum Prouinciarum ſibi commiſſarum conſilio gubernet, clandeſtina Oyenburgij, Gruyteri, Couterauij, Bayllij conſilia fugiat: ab ſque mora Traiectum ſe conferat, & apud Principem Auraicum & Ordinum Deputatos ſuſpicionem diluat: dummodo ſibi conſcius non ſit: quod quidem tanto facilius ſe credere ait, quandoquidem nullam rationem, quia eo pertrahi poſſit inueniat: cùm multo plura bona hic habeat, quam Rex ei aut promittere aut præſtare queat: nullæ enim Belgij Prouinciæ ijs re, quarú gubernationi præerat, comparandæ erant: in quibus non ſolum pulchræ, bene munitæ & opulentæ vrbes, verùm etiam quinque magni & totidem parui portus, qui nulla vi bellica deſtrui aut adimi poſſent: quandoquidem agris vaſtatis, ciuitates nihilominus mari commercijs facillimè ſuſtentarentur ac alerentur: loca autem in Regis poteſtate ſita, perirent interirentque, quandoquidem agris depopulatis nulla ſpes ſalutis aut quæſtus ſupereſſet, portubus ad neceſſaria aduehenda non patentibus. Regem nihil ei præter amos titulos daturum. Quod ſi eum huc impellat religio Catholica Romana: ſciat non magis in ſua eſſe poteſtate eam exitiali ſuo damno reſtaurare, quàm Regum Galliæ & Hiſpaniæ & flammis & ſuarum ditionum maximo periculo ac incommodo id tentarunt. Conſultius proinde facturum, ſi ea quæ nunc hic habet, ſeruet, incendiumque quod familiam ſuam Lalagignam longo ab hinc tempore inuaſerat, extinguat, denique Principi Auraico & fœderatis obſequatur: ſecus enim periculum eſſe, ne hoſtilem iram furoremque ſentiat, & vndique circundatus anguſtijs prematur, multò citius quam exiſtimet. *Cornputum Rennbergium probe monet.*

Rennenbergius monentem Cornputum attente bonaq; cum venia audit, ſæpe vultú mutans: tandem obortis lachrymis, magna ſe deſperatione affectum ait, conquerituríque de Friſiorum pertinacia, & Bertoli Entiſſenij inobedientia: videbatur quidé conſtans velle permanere, verùm ſoror labaſcentem ac hæſitantem fratrem ob iuſurãdum, quo ſe Ordinibus deuinxerat, contrà animare non ceſſat. Interim fingere, diſsimulare, obtegere, clancularia ſua conſilia, quibuſcunque poteſt modis, pergit Rennenbergius.

Proinde Cornputus ſecreto ſenatores, & ciues quoſdam Græningenſes adit, inprimis Iacobum Hillebrandum aliosq; reformatæ religioni addictos, monet conſulitque quàm citiſsimè ciuitatem in ſuam poteſtatem redigant, & partem aduerſam anteuertant: offert ſe primò id agreſſurum, & Rennenbergium ne quid mali patret expreſſurum & apprehenſurum. Reſpondent illi, nondum neceſſe eſſe: quandoquidem viribus præualeant, & caute prouidere, rebusq; conſulere non deſinant. Cornputus palàm teſtificatur, ſe, quod ſatis iam eos præmonuerit, innoxium ac expertem imminentis mali: ſi remedium amplius adhibere recuſent, ſe nolle eo loci vitam ſuam periculis exponere: itaque conſenſo equo vrbe exit, cùm Vſkenſus prior diſceſſiſſet. Rennenbergius interea blandiri palpumque obtrudere pergit Græningenſibus, inimicitia odioque in circumiacens territorium excæcatis: adeò vt ipſe Iacobus Hillebrãdus tunc Conſul, antea verò Cameræ Regiæ præfectus, totius ciuitatis facilè primus, in quem Reformati ſpem ſuam prorſus collocabant, eodem adhuc veſpere, antequam vrbs caperetur, cum Rennenbergio cœnans, cum ſincerè bonaque fide interrogaret de ſuſpicione, quæ in eum conferebatur, diceretque ſe ſperare, eum nihil prorſus mali meditari: ad hæc Rennenbergius, dextra dextram Hillebrandi prehendens comprimensque: O mi pater, inquit, te enim loco patris habeo, talia ne de me ſuſpiceris? Huiuſmodi blandiloquentia pacatus Hillebrandus nimisque credulus, eodem veſpere ſerò admodum ſenatoribus & ciuibus quibuſdam reformatis, ſincerum propenſumque Rennenbergij animum aſſeruit: nihilominus tamen vt excubias domi prouide agerent admonuit: & hac quidem ratione ſecuros tutosque ſe confidebant. *Cornputum Græningenſibus Rennenbergij machinationes aperit.*

Cùm verò Rennenbergij conſilia ac inſtituta indies magis magisque ſuſpecta fierent, iamque Principem Auraicum cum ſuis cohortibus ac ſatellitibus vrbem intraturum timeret: nequaquam conſtitutum facinus differre audet, quanquam nihil adhuc reſciſceret de ſubſidio promiſſo, de ijs, nempe militibus, qui recens Carpæ conſcripti, nuperrimè Rheno traiecto prope oppidum Eſſenſe, hærentes in ditione Berghenſi à Droſſardo Recklinghuylio, & alijs ſparſi profligatique fuerant: itaque ſecundo Martij ſub noctem omnem ſuam familiam, ciues Hiſpanis addictos, & milites quoſdam celatos armat: & tertio Martij, cum per exploratores reſciuiſſet, reformatos excubitores diluculo quieti corpora dediſſe, mane circa horam quintam cum ſuis copijs, alba nota in ſiniſtro brachio inſignitis, ex ſuo hoſpitio recta *Rennenbergij aperta ſe hoſtem manifeſtat, & Græningam Regis nomine capit.*

Digitized by Google

An. 1580. in forum tendit, equo vectus, cataphractus, euaginatum gladium manu gestãs clamat: Assistite, assistite boni ciues, hodie primum fio verus harum Prouinciarum Vicarius: nunc alacriter ea perficiamus, quæ erga Regiam Maiestatem debitis officijs, & nostræ protectioni necessaria erũt: simul tympanis tubisque plurimis, clangorem sonitumque horribilem edi iubet, vt maximis copijs instructus videretur exercitus.

Hillebrandus Consul & Reformati aliquot festinanter armis apprehensis, contra Rennenbergium prosiliunt, maioremq; numerum auxiliarem subsequi putant. Hillebrãdus à quodam Rennenbergij famulo scloperi ictu vulneratus subitò in terram concidit: inde socij fugiunt, multi capiuntur, quidam se in suis ædibus adhuc defendunt: nemo autem occisus præterquam ciuis Bohemi filius. Mox vlterius per plateas grassantur, in omnes quos per ianuas aut fenestras capita exerere vident iaculantur: postea totam vrbem perlustrant, capiunt omnes Hispanorum sectatoribus inuisos, probos, imprimis ciues, numero dicentos, & vltra, quorum multos inhumanissimè tractant: verum maxima pars diuersis occasionibus tandem libera fuit dimissa. Concionatores oés, & boni aliquot ciues, personis vestibusque alienis induti, inde euadunt.

Rennenbergius his versutijs vrbe Græningense superata, continuò Magistratum mutat, reconciliationem cum Rege & Parmense initam iurari imperat, ad circumiacentia territoria blandissimas literas mittit, incolas allectat, & vt armis se muniant, atque Bartolo Entissenio, eiusque seditiosæ legioni totis viribus resistant, hortatur atque instigat.

Græninga obsessa. Triumphi & gaudia, stratagemate hoc patrato, neque magna, neque diuturna Rennenbergio fuere: nam eodem ipso die oppugnatam & obsessam vrbem sentit. Cornputus enim ijs quæ acta erant, à profugis summo mane intellectis, cohortes Olthoffij, Dammæ, Zuytlaræ, Vlietæ, Schagæ & VVeddæ recta vrbem Græningensem petere iubet, aliquid adhuc subsidij Ordinum amicis in vrbe ferri posse sperans. Hæ in monasteria Esseno ampla præda potiuntur. Alkeus Oustaus, equitum præfectus, qui Rennenbergij materteræ filiam vxorem duxerat; & Alsinius Entissenius eodem adhuc vesperi in dictum monasterium adueniunt: verùm cum metuerent, ne captis in vrbe mortem inferant aduersarij, scripto significant se in eorum socios & amicos seueriss imè vlturos, si captis vitam adimant. Hic interceptæ fuerunt literæ Rennenbergij ad omnes maiores & minores Transisulanas ciuitates, quibus suum facinus præclarè prædicat, atque exornat, quàm potest honestissimè: speratq; callidis suis persuasionibus & instigationibus, & illorum qui Hispanis faucbat opera atque auxilio, ea loca facilè ad suam voluntatem pertrahi posse: verùm id ne accedat, præcauent alij. Nam 12. Martij, ope ciuium Ordinibus addictorum, & Sonnoij studio ac diligentia, cohors Sansplumpij in vrbem Campensem intrant. Dauentrienses similiter armis se muniunt, & statuas, imagines, monasteria, in Hispanicæ factionis contumeliam confringunt, diruunt, demoliuntur: idem quoque Svvollenses faciunt: similiter & Vltraiectenses & vicinæ circumcirca ciuitates. Frisij circumiacentis territorij incolæ, & Drentenses ante mensem simulachra deturbare, monastica bona vendere, & sacerdotes quosdam extra vrbem ductos excludere cœperant. Itaque Rennenbergij defectio pessimos fructus Catholicis protulit.

Imagines & statuæ cõfr in gentis in Frisia, & vicinis locis.

Minores ciuitates, vtpotè Oldenzela, Steenvvycka, Hassela, & reliquę omnes, Rennenbergij partes fouebant, sed fictè ac simulatè. Princeps Auraicus qui tunc Campæ erat, Transisulanos in officio ac obedientia continere fatagebat: præcipiebatque Sonoyo cum Cornputi & VVingardeni cohortibus Coeuordam tendere, & tractui VVeddensi prospicere, ne inde Rennenbergio subsidia veniant. Hi Coeuordæ, architecti Alckmarensis opera, propugnaculum valde amplum, septem vallis, delineant designantque, opere quod Cornputus inceperat, relicto, eò quod regionum incolæ nollent plures arces extrui: verùm Malecontenti, Cornputi opus perfecerunt: propugnaculum autem à Sonoyo conceptum, ob pecuniæ inopiam confectum non fuit: nec illud etiam in Boertanga inchoatum cum septem vallis: vnde Regiones postea grauissima sunt passæ incommoda.

Hogenlous ab Auraico missus cum exercitu, vt rusticorum greges, & minores aliquot ciuitates vlterius cogat ac domet, 10. Aprilis pactione in deditionem accipit Oldenzelam: inde proficiscitur Lingam, verùm nihil hic egregij exequitur.

Interea Bertolus Entissenius Græningam cinxerat, tredecim peditũ cohortibus, & duabus equitum turmis, quæ antea sub Rennenbergio stipendia fecerant. Cumque indies propius ad vrbem accederet, aggeres confici, & ediepam terra oppleri, reliquis aquis pótes imponi curat, reputans ciuitatem hoc modo fame confici breui posse. Interea frequenter acriterque dimicatur. Græningenses aliquot cohortes ciuium conscribunt: sub urbia ad Schuytendiepam, & & duos molarum montes extra vrbem muniunt, ita vt hinc quotidie pecora liberè pascenda in prata agerent.

Cùm verò hac obsidione parum admodum proficeretur, idque multi Entissenio imputarent, cui magna tunc erat discordia cum Euvvsumijs, in vicinis territorijs. Ordines eo mittun

Comitem

Comitem Hogenloum, cum cohortibus septem Christophori Iselsteynij, & nouem Comitis VVilhelmi Ludouici Nassouvij, Comitis Ioan. filij, quem militum tribunum crearât: id autem egrè tulit Entisenius, qui sibi soli laudem, meritum & lucrum conflare nitebatur. Cessit verò tunc res infeliciter Entisenio. An. 1580.

Nam 27. Maij, Roldæ conuiuatus cum Hogenloeo & Nassouio, ebrius inde in castra eques properat, se facinus laude ac memoria dignum tentare velle iactat: militiæ præfectos in castris de stratagemate deliberantes offendit: hos non aliter atque rudes tyrones sequis dictis protelat: se ducem ocyus sequantur monet: velle enim Schuytendiepæ, & suburbiorū munitiones euertere: mox operculum labri butyracei, suos hac ratione ignauiæ arguere volens, pro clypeo apprehendit: itaque multis eum sequentibus ad suburbia properat: propugnaculum inferius inuadit; nonnullis militum ductoribus ac præfectis vulneratis: cumque ei à quibusdam demonstraretur Schuytendiepam, sine scalis superari posse, ipse aliquantulum post iaculatoria foramina propugnaculi hærens, feruidam dimicationem contemplatur: hic ei exigua glans sclopeti minoris caput transadigit, vnde subitò moritur. Middelstumij, vbi & natus, sepelitur. Eius pater olim à famulo VVigboldi Euvvsumij confossus fuerat. Groeningæ, iuuenis literis operam dedit: alboque vestitu superbè incedens, delicijs luxurians, meretrices sectans, patria bona dissipauit. Anno 1571. cum aliquot prædatoribus mari se commisit, vsque adeo prædæ & lucro intentus, vt vltra quam centena daleroru millia congesserit. Anno 1572. cum Comite à Marca Brilam venit, Comitisque summus Vicarius factus, Goesam Zelandiæ oppidū obsidione cinxit: verum bellicæ rei inexpertus rudisq; adhuc, magno cum dedecore, nondum conspecto hoste, fugit, postquā Mondragonem causa Goesæ obsidione liberandæ in Zelandiam contendere resciuit. Postea Harlema vrbe à Friderico Ducis Albani filio obsessa, dictū Comitem à Marca comitatur, cum duobus peditum cohortibus & aliquot equitibus, in hostem tendit, nullo seruato militari ordine, reliquas cohortes simul in aciem educere negligens: itaq; suis partim cœsis, partim profligatis ac dissipatis, culpā in Ordines, & in Principem Auraicum transferre nititur: quā de causa, maximè autem quod ipsum Comitem à Marca seduxisset, & ne vllis superiorū aut procerum monitis amplius obtemperaret, instigasset, captus detinetur in vrbe Delphensi, iudicioq; sistitur. Comes quoque, cùm extra vrbis portas per vim educere Entisenium conaretur, simul apprehenditur: & ambo captiui annum integrū detinentur: hic Entissenius omnem pecuniam ante portam effundit atque consumit. Anno 1576. dimissus, mare repetit, Ordinum consensu, actionemque audacem contra Oostmahornam suscipit, ingenti aggere, principio Maij mensis iacto: verum cum magis cauponari bellū quam belligerare videretur, 18. Iunij à Byllio expellitur, inde profugere coactus. Post, pace Gandauense confecta, legioni peditum & turmæ equitum Iselsteynij, quī vnum item & alterum homicidium cōmiserat; praficitur, & in Iselsteynij locum, Vsken sij postulatione ac sponsione, à Principe Auraico sufficitur: verùm post tres menses officio dimotus, tollit pecuniam in stipendium militum numeratam, & inde aufugit. Antverpiæ apprehendendum, Auraici iussu, quærit Marckgrauius: verùm præmonitus euadit. Paulò pòst quæstum facere incipit ex dissidio inter Frisiæ territoria & Groeningenses, à quibus integrum annum in custodia detentus fuit: deinde iterum stipendia hic fecit, donec morte, qua diximus, perijt. Fuit equidem homo ebrietati, scortationi, aleę supra modū deditus: lusor adeo audax, vt Curtzbachio mille quingentos florenos vno iactu deponere ausus fuerit: nullam religionem pensi habuit: remorsu nihilominus conscientiæ vrgebatur ob scelera perpetrata, maximè aūt quoties ei in mētem redibat immanitas immiseros quosdam mercatores olim pelago à se submersos, quorum vnius mortuum corpus, vt ipsemet referre solet, longo tempore suam nauem quocunq; tenderet sequebatur, & quocunque se verteret, obuersabatur. Tandem ebrietate abstinuit, nummis coaceruandis, & ab agricolis alijsq; quibuslibet extorquendis magis intentus, ita vt ingentem pecuniam post obitum reliquerit, quamuis plurimam dissipasset. Delectabili inuicta militem mari conscribere. Insulam Rottumerogam emerat, & è dirutis monasterijs, & vicinis territorijs lapides eo deuehi fecerat, arcem cōstruere meditans, eaq; amnem Amisiam coercere: Groeninge & territorijs vicinis, totique mari, suarum nauium potentia dominari successu temporis, in animum induxerat: quod necipse quidem reticere poterat. Hæc similiaque Entisenij gesta ac studia, quotidiani eius conuiuæ, familiares, amici, cognati, & alij qui eum pernouerunt, passim referunt.

Bertoli Entisenij mors: Comitis VVilhelmi mors.

Rennenbergius & Groeningenses Entissenium morte absumptum gaudent: verùm quod eò defuncto, bellum post hac à prudentioribus Ducibus administraretur, doleant: huic autem muneri mox præficitur Hogenloius: verùm cum ei minus oportunum esset, Esceda ad tempus supremi Vicarij loco constituitur.

Groeningenses tandē è duobus propugnaculis pelluntur: & quāuis præter istud infortunium, tristia insuper de Machlinia, VVillebroka, alijsq; locis Parmensi ereptis nuntia audissent: sub-

Digitized by Google

An. 1580. sidiariæ etiam copiæ quas prope Carpam colligi iusserat Parmensis, cæsq; essent: quin etiá indies maiorem hostiũ, & tormentorum bellicorum numerũ vrbi appropinquare, & omniũ rerum caritatem crescere perciperent: nequaquam tamen animis deficiunt: maximè quod creberrimè Epistolas mitterent acciperentque, & in magnificis promissis de suppetijs certò à Parmense ferendis, spem omnem collocarent. Territoria vicina interim totis viribus Græningam domare nituntur: exactiones grauissimas cogunt: monastica bona in belli vsum conuertunt, quæ quidem hic ampliora sunt, quam in aliqua Belgij parte, pro ratione proportionis. Drenthenses quoque in proximiorem Vltraiectensem vnionem veniunt, & singulis mensibus tria florenorum millia contribuunt. Frisij etiam suam Rempublicam reformant: Magistratum officiaque vbique mutant, monasteriorũ bona, & publica vectigalia, siue Principis sacra patrimonia, vendunt. Harlingam, quam Sonoij suasu ac instinctu primùm munire cœperant, summa alacritate exstruere pergunt, & nouum portũ ingentem conficiunt: verùm Staueram, Slotam, Doccumum, aliaque loca immunita in suo statu adhuc relinquunt.

Hæ tres autem ditiones simul, vnanimiter, absolutè determinare nequeunt, de procuranda munitione ac securitate itineris, siue districtus Coeuordæ & Bourtangæ, cùm ea res maximi esset momenti ad hostes arcendos: & quamuis Sonoyus, Cornputus, alijque summopere vrgerent, nihil promouent: in causa erant diuersarum regionum diuersa studia: cùm tamen non ignorarent Parmenses copias subsidiarias Græningensibus & Rennenburgio instruere.

Apparatus Parmensis ad soluendam obsidionem Græningensem.

Parmensis simul ac nuntium, quo in statu Rennenbergius & Græningenses versarentur, acceperat, ingentia militum agmina prope Carpam colligi curarat: hi cùm longo iam tempore hic violenter grassati essent, vicinisque plurima damna intulissent, circa Nouesium, equitibus aliquot iunctis, Rhenum transire tentarunt: verum à Barone Hohesaxoniæ, Yselsteyno, Hegemanno, & equitum aliquot turmis, oppriumtur, cæduntur, partim vltra Nouesium fugantur: vbi Berghenses & Marckenses eis iter quoque præcludunt: Postea Principis Electoris Colonienſis ditiones depopulantur, exhauriunt, neque quicquam soluunt: iussi suæ iurisdictionis limites exire non obediunt: proinde Principe Electore præcipiente, nobiles, clientes, & agricolæ collecti eos vi expellunt, partim prope Linsium, partim prope Eyndouiam 6. Aprilis cædunt, dispergunt que: desiderati ex numero militum Electoris octo, inter quos duo viri nobiles: reliquæ hostium turba in Comitatum Manderscheitensem proficiscuntur.

Schenckij exercitus adGræningam obsidionem liberandã.

Postea mense Iunio vndique rursus cógregantur: & opera sumptibusque Buchonis Aithæ Præpositi D. Bauonis Gandaui, conquiruntur simul Germanorum cohortes quatuor, quam ipsi Legionem Frisiam vocabant: cui præerat Byllius, & eo absente, Martinus Schenckius, qui se his cum suo equitatu iunxit: accessit insuper Thomas Græcus, siue Albanensis, bellator strategusque veteranus, sex prœlijs secundis, quibus summa cum gloria interfuerat, simulque cum alijs præfuerat, admodum celebris: insuper tres alij Albanenses equites Lancearij, turmaque sclopetariorum, siue carabinorum: eratque numerus huius exercitus circiter trium millium peditum, & sexcentorũ equitum: primarius vicarius Ioannes Momius, ordinum ductores Renitus Dekama, Lollus Liaukama Camminga, Arentus Gemensis, Henricus Suaterus, Euertus Ensius, VVibeus Goutumius, VVolfius Prengerus, Stephanus Hellerus, Samson Pestelus, pluresque alij: hi omnes validis copijs Rhenum transierant, vniustantum mensis stipendio accepto: & itineribus quam poterant maximis Lingam tendebant.

Ordines Frisiæ, Comiti Hogenloco imperant, copijs omnibus prope Bocholtum collectis, legioni Schenckianæ aduentãti obuiam properare, & quasdam Nassauvvij cohortes, quæ Græningam obsidione cingebant, Hogenloum comitari, reliquas in obsidione permanere cũ Guilhelmo Nassouio, Sonoyo in castra misso, vt Nassouium in vrbe obsidenda consilio & re iuuet: subsidiaque quæ Schenckius adducebat, parui faciunt. Hogenlous maiori peditum numero sibi opus esse significat, eosque ad se ex castris mitti postulat. verùm cum Entissenij legio inuitam difficilemque se præberet, alij tandem eò missi serius aduenerunt. Decimasexta Iunij Hogenlous Vlsena discedit, & Coeuordam venit: hic cum suis conquiescit, hostem inuadere paratus atque animatus: id quod ei proceres ea maximè de causa consulunt, quòd Oldenzela, Svvolla, & alia loca in summo periculo versarentur.

Swollenses cines alteri in alteros arma mouent.

Cùm enim Svvollenses præsidia admittere recusassent, Hispanorum fautores, simul ac Schenckium aduenire rescisceunt, in vrbem, Papisticorum rusticorum numerum ingentem intromittunt, seque armatos esse, Schenckio significant. Religioni & Ordinibus addicti, strategi Olgeri & aliorum militiæ præfectorum ductu ac auspicio, cótra hos se festinanter muniunt, forum, templum D. Michaelis, Camperportam, & Rubram-turrim occupant, atque Dauentria & Campa auxiliares sibi copias mitti postulant. Et quanquam iter esset periculosissimum, ita vt nuntij etiam atrociter à rusticis trucidarentur, & quibusdam artus dilacerarentur, tamen 17. Iunij eò adhuc perueniunt præsidiariorum & ciuium Campensium duæ circiter cohortes: proinde quidam Hispanicę factionis fugam subitò capiunt, quorũ ædes subitò quoque diripiuntur:

paulò

pau'ò poſt alia etiam cohors ex Hollandia in vrbem intromittitur. Pagi & villæ Maſſbroeckę, quòd ruſticiin ſe ſtiſſimos ſe Ordinibus præberent, incenduntur: pòſt ciuitas Tranſiſulani arcem Gheelmuydam, quam Carolus V. ex Comitio ſiue Caſtelania Kunderenſi, ad oſtium Vidri ſiue Nigræ vadæ, ad finum Germanici maris, tranſferri fecerat, exurunt & ſolo æquant. An. 1580.

Gheelmuyda arx exuritur & ſolo æquatur.

Poſtquàm Syvollæ incepta non ſucceſſerunt, Schenckius ſuum exercitum, prope Herdenbergam iſtere iubet: Hoghenlous Coevordi eò feſtinat, præter multorum opinionem, qui id diffidebant, & vtà prælio abſtineret, conſulebant, potius cunctandum, tempuſque protrahendum, itinera occupanda, commeatumque hoſtibus præcludendum rati: quandoquidem ſpes ſe offerret, hoſtes fame, ac ſeditione, ob ſtipendia non ſoluta, vrgente diſceſſuros: congreſſum autem valde periculoſum fore, quòd neque pedites, neque haſtati ei ſufficerent, & ad prælium inexpugnabilem non ſatis inſtructus eſſet: verum ipſe, alia ratione ac neceſſitate impulſus, vlterius pergit ſummo cum feſtinatione, ſole admodùm feruente, per aridiſſima ericeta & patentia camporum æquora, tanto æſtu tantaque aquarum penuria, vt multi calore ſui ſuffocarentur: inter quos Ioannes Duiencvordius, iuuenis nobilis, robuſtus ac formoſus. Schenckij autem exercitus tres horas in vmbra requieuerat, & aduectis cibis, & quatuordecim ceruiſiæ cadis, vires refecerat. *Hoghenlous aqua orbatur.*

Simulac Hogenlous hoſti appropinquat, exercitu nulla quiete, poſt tantos calores refocillato, aciem inſtruit. Habebat Zenifcam cum ſua cohorte ex Oldenzeela, & Yſelſteynium, cum ſeptem ſuis cohortibus, & Naſſouias ſeptem ſub Vicario Kuniga. Cohorti V Vingardi, & Cornputi cohortis partem ad dextram, Africum verſus collocat cum Naſſouijs: Yſelſteynium & Zeniſcam, ad ſiniſtram proximè campum arboribus conſitum. V Vingardus conſulebat, vt pagum Hardenbergam, aut campum, oportuna commodaque loca, occuparent, & aliquantum quieſcerent: ſed huic conſilio non paretur. Omnes ſimul pedites vix mille octingentorum numerum conficiebant. Antecedebat collocabatur, tres turmæ equitum ſclopetariorum Ouſtæ, Rinſvvoudæ & Alinij Entiſſenij optimè inſtructæ: ab altero latere erat Hoghenlous, ipſe ſeptem tormentis maioribus munitus, & equitatus Holſteynij. Adelsdorffij, Kumpſij, Tranſvvitzi, Dicki, & aliorum: aderat & Lubbertus Remenſis cum trecentis equitibus, cùm mille ducentos Ordinibus addi ciſſet: fuerunt q; omnes ſimul equites vix mille quadringenti numero. *Exercitus Hoghenloi.*

Pagus Herdenberghenſis, prope quem procinctus erat Hoghenloi exercitus, ad flumen Vechtum, diſtat Coevorda vno, Svvolla quatuor miliaribus. Sub meridiem vtrinque acies inſtructæ ſtabant: Schenckius in Africo ſolem auerſum, Hoghenlous ab oriente aduenies auerſum habebat: aere valde tranquillo atque ſereno. Peractis ad Deum præcibus, pileis in altum iactatis, ſignis datis, tormentiſque diſplotis, tres turmæ Friſiæ Hoghenloi, in duas lanceariis Albanenſes Schenckianas vallo impetu feruntur: vna harum confeſtim deleta, altera non ſine magno damno profligatur, diſpergatur, equitibus Germanis acriter fugientes inſequentibus: iamque Schenckij peditatu recedente, victoria Hogenloio fauere videbatur: verùm poſtquam Friſiæ turmæ vibrarunt, impetumque denuò moliuntur, Schenckiani Lancearij, cum magno ſtrenuorum ferentariorum numero, Hoghenloi exercitum aggrediuntur: Hogenloi copiæ pedeſtres, quod haſtatos admodùm paucos haberent, diffidentes ac metuentes, ſimul omnes verſus campum, ſupra dictum diuertunt: hoſte acriter huc vſq; eos perſequente, nonnulli hic reſiſtunt, ſeſeque defendunt aliquantiſper, reliqui verò omnes ſubito euaneſcunt, fugiunt trans Vechtam fluuium, per paludes propè Ommenam, Couordam petunt. Equites peditum fuga perterriti, fugam & ipſi celerrimè capiunt, eoſque Schenkiani perſequuntur. V Vingardus pugnando, morte occumbit: ſimiliter ſignifer Muelartus, multiq; alij præfecti, nobiles, & ſtipendiarij. Capti ſtrategus Muelartus, Renoyus, cum aliquot vicarijs aliiſque cõpluribus. Popo ſiue Põponius Vſkenſius penſili vehiculo curſim fugiens, euerſo curru ab hoſtibus mactatur. Schenckius potitur omnibus tormentis bellicis: paucis autem farcinis, prædis, & ſpolijs, maximam enim horum partem Coordæ reliquerant. Hoghenlous Oldenzeelam conſeruaturus properat. Equitum peditumq; ingens numerus Coeuordam, vnius tantùm horæ itinere diſtantem veniunt, & viros æquoſque captos adducunt. Cornputus antè cum quinquaginta ſuorum Coeuordæ manere iuſſus, ad repagulum ſtabat, & equites intromittere reculabat; niſi iurato promitterent ſe eo loci permanſuros, iterq; ſimul occupaturos: intromiſſi fidem non ſeruant, verum per aliud repagulum exeunt Drentham verſus, neque vt maneant, præcibus, minis, verberibus, obiurgationibus perpelli poſſunt, tantus animos metus inuaſerat. Tandem quidam præfecti, & tribuni militum profugi aduenium, hi eos manere, quibuſcùnq; poſſunt modis cogunt: ſtatimque ſeptingentos pedites, & quadringentos equites colligunt. Cornputus & Stenſelius Nanſlous conſulunt hortanturq;, Coeuordæ omnes pariter maneant, nox enim quatuordecim cohortes, quæ Groningam adhuc obſidebant, eucocandas adfore: verùm plurimi contrà ſentiunt, maxime quod hic locus, neque munitus, neque clauſus eſſet, & quod riuis iam ſiccis tranſitus ſecurior commodiorque pateret: præterea commeatus, puluis tormentarius, aliaque *Prælium Hardenbergense.*

Ordinũ exercitus fugat.

Digitized by Google

An. 1579. neceſſaria deeſſent: ita que communi ſententia media nocte diſcedunt, vnà quoque Cornputus, & Oldenzeelam, vbi Hoghenlous erat, maxima pars proficiſcuntur.

Schenkius ab eo quem diximus, campo procul diſcedere non audet, reputans hanc victoriam nequaquam eſſe ſolidam, quandoquidem in itinere Coeuordenſi inſidias collocatas ſuſpicabatur: verùm ſimulacrem aliter ſe habere intelligit, Coeuordam poſtridiè proficiſcitur, vbi neque incolam, neque militem vllum inuenit.

Obſidio Groningæ ſoluta.

Cohortes quæ Groeningam adhuc obſidebant, feſtos exſtruebant ignes, tormentaque diſplodebant haud aliter, atque victores in prœlio, vt hac fallacia Groeningenſes, ad deditionem pellicerent: ſed poſtquam Schenckium Coeuordam veniſſe intelligunt, nullis Naſſouij aut Sonoij perſuaſionibus induci queunt, vt diutius maneant: munitionibus & tuguriolis incenſis, Doccumam & Collumam tendunt, Steenvvyckam quoque præſidio muniunt: & quia mœnia Opſlagæ iterum inſtaurata erant, Sonoyus hic quoque aliquot cohortes præſidiarias collocat.

Opſlaga deſcripſio.

Opſlaga, mediæ horæ itinere ſita ſub Nieuzela, mare verſus, ad meridiem Reedieþæ, pertinebat ad VVighboldum Euvvſumum Nienorti dominum, qui tunc ſalinas hic habebat, fueratque ab eodem, Byllij tempeſtate, munita contra Geuſios marinos: Rennenbergio autem gubernante, iterum ſolo æquata, vt & multa alia loca.

Hac victoria potitus Schenckius Groeningam proficiſcitur, vbi magno cum triumpho excipitur, poſtquam Rennenbergius tres & mediũ menſes obſidione preſſerat: inde Delfzielam feſtinantes aggere circundant, & oſtium portus, vbi vetus caſtrum antè ſteterat, occupant: nam Bertolus Entiſſenius, contra omnium aliorum ſententiam ac conſilium, munitionem interius fecerat, neque vllo modo perſuaderi potuit, vt eam ad portus oſtium, quo Amiſa influit, perduceretur: erat alioqui munita ſatis, vallo alto ac amplo, quatuor aggeribus firmato, verùm abſque concamerationibus, foſſa quoque ferè centum & decem pedes lata.

Delfzielam Rennenbergium obſidet.

Præfidiariæ cohortes tres, quæ tunc hic agebant, antea ſub Rennenbergio ſtipendia meruerant, erantque complures fecretò ei adhuc addicti. Delfziela aliquot militum cohortibus iam cincta, clauſaq; Rennenbergius cum reliquis ad Opſlagam, antequam commeatu inſtruatur, obſidendam accelerat. Ordines ſine mora eò mittunt cohortes duas, Rinſvvoudæ & Eſchedæ: Rinſvvoudani Rennenbergenſibus in aggere quodam obuij cæduntur, ipſe Rinſvvouda capitur: mox Eſchedani terga vertunt, Breui poſt Opſlagã Rennenbergio deditur, & quinque cohortes præſidiariæ pactis conditionibus exeunt.

Inde Collumam pergit Rennenbergius, ſimulque Doccumam occupare meditatur, quòd aperta nulliſq; prorſus mœnibus munita eſſet, nam poſtquam Ioannes Goldſteynius Geldriæ Droſſardus anno 1523. eam Domino VVaſſenaro & Schenckio tradidit, mœnia & arx diruta fuerunt, neque vnquam, quamuis ciuitas magni momenti, & mari limitanea eſſet, munita poſt fuit. Hanc autem inuadit Hoghenlous prior, iubetque vallis & foſſis muniri, militumque magnum numerum hic congregat. Ooſtmahornam, miliarià Doccuma, rurſus inſtaurat: Diepam è regione Collumæ ruſticis cuſtodiendam committit: Doccummerzielam quoque vallo foſſaque munit.

Hoghenlous Doccumam, Ooſtmahornã & Doccummerzielam munit.

Dum pars aduerſa, nempè Entſius Droſſardus Coeuordenſis, cum duabus militum cohortibus, & forti ruſticorum agmine Meppelam muniunt, & vetera Kinckhorſtæ mœnia propè oppidum inſtaurant, quæ anno 1536. in hoſtis poteſtatem tradita à Magherheynio, diruta fuerant: Ordinum milites Campæ præſidiarij hos præuertunt, opprimunt, & Meppelam Kinckhorſtamque denuò occupant.

Interea Delfzielenſes obſeſſi arctius premuntur, portu ita aggeribus & foſſis circumſepto, vt neque introitus, neque exitus vllus pateret. Hollandi naues præſidiarias in Amiſiam deſlinant, vt hac via obſeſſoribus cõmeatum intercludant. Hoghenlous quoq; omni ſtudio ſoluendæ obſidioni intentus, viribus impar nihil præſtare poteſt: huic obſeſſi animum deſpondent, deditionem faciunt 29. Iulij, conditionibus profectò inhoneſtis ac ignominioſis: inermes, albas virgas manibus geſtantes, ducibus, & præfectis in hoſtium poteſtate relictis, exeunt, cùm tres ſolum modo ſeptimanas obſeſſi fuiſſent, & Butyrum ac caſeus adhuc ſufficeret.

Poſtquam Hoghenlous Dockumam redijt, Rennenbergio Delfzielæ obſidionem continuante, rurſus Opſlagam circumuallat, quæ ei abſque longa mora deditur, ſicut & Monincker-ziela, quam Rennenbergius aggeribus cinxerat.

Delfziela Rennenbergio dedatur.

Interea, ſpe Delfzielam liberandi, in Friſiam mittuntur Ioannes Norricius cum decem Anglorum cohortibus; ſub Morgano ſupremo vicario; & militiæ duces Cottonus Biſſchopius, Fitzvvillians Chaſtertonius: Dabyleus & alij, cum equitũ turma: præterea Michael Caulierus cum ſex ſuis cohortibus VValonibus, ſub ſummo Vicario Ioanne Peteinio, duceſque ac præfecti Grenus, Iaſper Niger, Craſſenierus, iuncta quoque equitum turma: aſſociatique complures Germani milites. Hi ſimul omnes in caſtra Northornæ ad Hoghenloum veniunt: proficiſcuntur huc quoque aliæ quatuor cohortes, quæ Rennenbergij equitibus obuiæ 4. Auguſti, profligantur,

Digitized by Google

fligantur, verùm duæ Anglorum militum ſtrenuitate, incolumes ſeruanturadueniunt & Naſ- An. 1580.
ſauvvius & Yſelſteynius quiſque cum decem cohortibus. Hoc exercitu amplo inſtructus Hogenlous, Groningam petit: Agmina primo impetu Rennenbergenſibus, ex propugnaculo Pon terbruggæ fugatis, iter per Horendicpam, cùm non longè inde abeſſet Rennenbergius, accelerant, Haram vſque. Poſtquam huc, peruentum, acies vtrinque inſtruuntur. Hogenlous ſuo exercitu accurate compoſito, & equitatu, pediratu, tribus tormentis campeſtribus inſidiſque collocatis, Deum termaximum inuocat, prœlijq; ſigno alacriter dato, hoſtile agmen aggreditur. Rennenbergius autem ſimulac in campo Herderbergenſi maximas adhuc hoſtium copias proſpicit, Groningam verſus iter flectit, & ſux ſuorum que ſaluti fuga conſulit, commeatus larcinarumque magna parte derelicta. Poſtridiè Hogenlous ad ipſa vſque vrbis Groeningenſis mœnia peruenit; glandibus creberrimis ex vrbe fit impetus: Leui quoque prœlio confligitur, quo Norriſius ſtrenuè admodum ſe geſſit, Rennenbergenlibus ſeptuaginta, & amplius cæſis. Varié & ample conſultatur, de Groninga rurſus obtidenda: verùm pluribus conſultum nequaquam videtur, exercitum & oppidum adeò munitum, cui agri abundantes, adhuc paterent, obſidione cingere. Itaque Hogenlous 10. Auguſti, cum ſuis diſcedit, & caſtra Zuytlaræ & Nortlaræ collocat, aggeribus etiam claudit, iter Ponterbrugghenſe, vbi Cornputus nobilem arcem VVerdenbraſam rurſus munire cœperat: quam Edzardus Emdenſis Comes, Georgij Ducis Saxoniæ, militiæ generalis præfectus conſtruxerat, anno 1505. hac via impedire volens ne frumentum ex Drentha Græningam adueheretur: poſt verò, anno 1516. ab Euervvino Comite Benthemio dicti Ducis vicario rurſus diruta fuit.

Hogenlous in de Cocuordam proficiſcitur: Yſelſteynius cum ſex cohortibus ciuitatem apertam inuadit. Sub obſcuram veſperam cùm Hogenlous & Naſſouius celeri curſu, ad ponten vſque Groningæ & propugnacula equitarent, globus tormentarius ſex librarum Naſſouij pedem ſiniſtrum ſub genu ferit: Heros iuuenis audax q; Svvollam læſus lectica defertur, & longo poſt tempore in vrbe Campenſi ſanitati reſtituitur: fuit eiuſdem globi ictu occiſus ſignifer Quadus, qui eo primum die, ex captiuitate Groningenſi, lyro ſoluto redierat.

Hogenlous poſtero die, arci Coeuordanæ deditionem indicit: hanc præfidiarij 150. qui *Coeuordæ Hogenlous dedi.* eam duos, & amplius menſes vallarant munierantque, & pulueris tormentarij commeatuſque *tur.*
ſatis habebant, deliberandi ſpatio conceſſo, dedunt vita & bonis ſaluis, promittuntque ſe intra tres menſes contra Ordines ſtipendia non merituros; itaq; diſcedunt: Captus autem fuit Blommardus ille, qui antea Montdragonium, ſuppetias oppi Iulo Goeſæ ferentem cum aliis duobus militiæ præfectis per aquas deduxerat.

Inde Hogenlous quaſdam ſuas cohortes in præſidia mittit, ipſe Lingenam obſeſſurus properat: Anglorum legione cincta, cum reliquis VVeddenam tendit: poſtquam verò arcis præſidiarij deditionem obſtinatè recuſarent, diſpoſita hic quoque exercitus parte cum duobus tormentis pergit Slochteram, ad recuperandam Delfziclam imprimis adipirans: verùm ſui exertus in tam varias partes ſegregatio, & tam multarum ſimul rerum inceptio, ei infamiæ & damno fuit. Nam Rennenbergius ſimul ac intelligit Hogenlouem iter Coeuordam inſtituiſſe, rurſus Opſlagam cum omnibus ſuis copijs & maioribus tormentis petit. Erat autem Opſlaga rur- *Rennenbergius Opſlagæ capit & deſtruit.*
ſus vallis, mœnibus, cómeatu bene munita: verùm præſidiarij tyrones rudes & inexperti, poſtquam mœnia tormentis verberari ſenſerunt, eam Calendis Septembr. dediderunt, necdum duos menſes obſeſſi, contra ac Hogenlous & alij putarant: exierunt autem vita & facultatibus ſaluis, gladijs tantum armati. Rennenbergius mox Opſlagam ſolo æquat: inde Slochteræ properat, vbi equitum ferentariorum agmine, quarto Septembr. Naſſouij & Michaelis legiones ex improuiſo ſummum mane inuadit, nec longè abfuit, quin ipſe Michael capereturr: ocyus autem tanta dexteritate acies componit, vt retrocedendo & diminicandò Hilligherleam & VVyuſchotam vſq; peruenerint, vbi Hogenlous cum Germanorum agmine erat: itaq; ſimul VVeddenam prætergreſſi, properatò Bourtangam vſque veniunt, & hoſti ſæpius in viarum anguſtijs *Hogenlogani copi propè Bourtangam.*
appropinquanti fortiter reſiſtunt: cùm autem Rennenbergij copiæ violentiùs aduentarent, rurſus retrocedere coguntur, & in lancearios acriter perſequentes incidunt, à quibus profligantur, cæduntur que octo peditum vexilla, & vna equitum, tormenta quoque ante VVeddam diſpoſita eripiuntur, arma à fugientibus abiecta ſarcinæque relictæ tolluntur.

Cumq; Rennenbergius in magna Anvvarta adhuc haberet nouas cohortes Draffardi Entiſij, & Blanckenortij exque agros circumcirca depopularentur: præfidiarij milites Doccumæ & Collumæ, eas oppugnant 8. Septemb. in ipſo Monaſterio, cædunt capiuntque trecentos, & amplius: Monaſterium incendunt cum commeatu, ſarcinis alijſque quæ alportare non poterant. *Rennenbergius Coeuordam & Oldenzeelam tertiam capit.*

Rennenbergius rurſum Coeuordam verſus properat: qua 20. Septembr. foſſarum aquis aliò deriuatis, dedirione potitur: deditioi, cum ſarcinis & gladijs liberi abeunt: Inde ſtatim Oldenzeelam contendit: erat hi: D. Svvete. i & Viſcheri Amſterodamenſis cohors militum numero circiter ducentorum, cui equitibus Elerborni Vicarij Gorij: ſub Gubernatore Barone

Eckio ado-

An. 1580. Eckio adolescente Austriaco. Oldenzeela vrbs satis magna, distat Coeuorda miliaribus quinque, Dauentria sex, in itinere Oostlandiæ: nullum habet flumé, sed altum murum cum aliquot turribus, veteri more, fossa circundatum: vlteriusetiam vallum cum fossa. vnde satis munita videtur: pons nullus: fossarum aquæ aggeribus continentur, quæ fossuris deduci auehique possunt: sæpimenta aut propugnacula ferè milla, qua Benthemum spectat, duobus & medio miliari inde distans, collem habet syluosum, reliqua loca figendis castris satis idonea. Hanc Rennenbergius valido impetu aggreditur, portis flammas infert, desideratis suorum in oppugnatione trecentis & amplius, inter quos quidam ductores & præfecti militiæ, reliquos metus inuadit, itaque discedere cogitur: ciues quorum magna pars Hispanis addicta, cùm præsidiarios violenter represissent, discedentem Rennenbergium reuocant, eiq; vrbem dedunt: præsidiarijs exire & sua secum portare permissum, postquam se intra tres menses contra Regem Hispan. non meriturosiurassent. Acta hæc sunt 24. Septembris, cum iam Ordines subsidia obsessis præparassent.

Oldenzeela sitm.

Rennenbergius, prospera hac fortuna, Svvollam obsidione cingit: hic Petteynium Michaelis Caulieri supremum vicarium, & Crassonierum, vrbem intrare properantes præuertit capitque. Cùm verò maiores adhuc copias vltra Rhenum exspectaret, aduentantibus, ne ab hoste oppugnentur, obuiam tendit, vt post narrabimus.

Cortracum Malecontenti capiunt.

In Flandria Malecontenti, sub Parmense, Cortracum, opidulum, satis opulentum & quæstuosum denuò inuadunt: hęc inceptio fœliciter eis successit, interceptis Portelbergij, tunc Balliui & Gubernatoris, literis, quibus, quòd duas aut tres tantum cohortes Schotorum præsidiarias haberet, plures sibi mitti petierat, cassque per campum vbi lintea candificabãtur, propè arcem intromittere decreuerat, inuitis ciuibus qui maiorem præsidiarium numerum admittere recusabant, cùm tamen hostem non procul abesse scirent. Malecontenti his literis perlectis, rationem astuè opidulum intrandi inueniunt. Nocte, hora constituta, ad dictum locum instructi veniunt, habitu signisque mutatis, amicos se simulant, vrbemq; 27. Februar. intrant. Gubernator, prima fronte amicos esse ratus, hostes comperit antequam resistendi daretur copia, Schotiacie instructa, acriter se in foro quatuor, & amplius horis defendunt: tandem superati miserè trucidantur, vnaque magnus ciuium numerus: ciuitas victa diripitur, & forti præsidio munitur, Gubernatore D. Bourlio, postea Francisco Halewino Svveuigemij domino.

Niuine à Lamoio capta: captus etiam Comes Egmondanus.

Circa idem tempus Duynkercka m veniunt, quidam Galli milites, noui Ordinum stipendiarij, quibus, sicut & alijs omnibus in tota Flandria copijs, præfectus erat Lanouius. Hic postquam intellexisset, Comitem Egmondanum cum vxore, socru, fratre Caroli Noyellæ Domino, aliisque nobilibus esse Niniuis, oppidulo inter Alostum & Geertsbergam, non satis munito, constituit eo, nocte mœnibus conscensis potiri. Itaque 20. Martij D. Tourlius & Moragnius cum aliquot cohortibus vadosa fossarum loca transeunt, muros scandunt, & vnam portarum occupant, qua aperta, equites, inter quos & Auraici turmæ, intromittunt: resistentes quosque interficiunt: Comitem Egmondanú cum suis apprehendunt: ipse quidem longo tempore Gandaui in custodia detentus, postea in Rammekana arce Zelandiæ, post quinquennium laxatur. Fœminæ, & Carolus frater natu minimus facile citoque dimittuntur.

Machlinia capitur.

Paulò pòst etiam vrbs Machliniésis, quæ ab Ordinibus defecerat capitur. Anno enim 1579. Calend. Iunij inter ipsam ciuitatem & præfidiarios orta grauis est discordia: vrbem ditionemque Machlinien sem tunc Gubernante Ponto Noyellio Bourlij Domino, qui quod arcem Antverpiensem Ordinibus tradidisset, huic Gubernationi præfectus fuerat. Archidux Matthias, & Princeps Auraicus, metuentes ne hæc discordia grauius malum pareret, consultum reputant, vt his præsidiarijs dimissis, alij, pro Ordinum arbitrio, ad vrbis custodiam & defensionem mittantur: quod vt absque fraude fiat, obsides à Machlinien sibus dantur: præsidiarij Machlinia relicta Bruxellas mittuntur, adfueruntque opportunè Bruxellen sibus auxilio, cum Egmondanus vrbem capere moliretur. Erat tunc temporis Machliniæ Monachus, quidam Carmelitarum Prouincialis, frater Petrus Lupus: hic blandis verbis, bellisq; concionibus, odio Reformatæ Religionis, & Principis Parmen sis eiusque Consilij ope, eò auctoritatis deuenerat, vt totam fere ciuitatis Gubernationem sibi sumeret, & Alueringum vrbis præfectum officio dimoueret, captumq; ipsemet duceret. Qua de causa Archidux, & Auraicus 10. Iunij, Ioannem Capreanum legatum eò mittunt, vt occultas huiusmodi Machinationes dissuadeat ac auertat, simulq; Magistratum, vt sibi præcaueant & suæ ciuitatis saluti consulant, moneat: verùm pars aduersa eò auctoritatis & audaciæ iam deuenerat, vt Legatum non tantum sperneret, sed & captiuum retineret.

Senatus & tribuni Antvverpienses, vt mala vrbi vicinæ imminentia arceant prohibeantq;, quosdam suorum ciuium, inter quos Iacobus VValleus, & alij non nulli, quibus magna cum ciuibus Machlinien sibus erat familiaritas, affinitas, & consanguinitas, eodem mittunt, vt commercia cum hoste impediant: qui cùm nihil promouerent, imò hostiliter apprehenderentur,

factum

factum vt omnes Mechlinienſes, qui tunc Antverpiæ erant, obſides quoque & naues retinerentur. An. 1580.

Quamquam verò Archidux Matthias, & Princeps Auraicus, inſolens, inhumanum, barbarumque iſtud Mechlinienſium facinus ægerrimè ferrent: tamen conditiones quaſlibet offerendas, ne ab eis deficiant, ſtatuunt: itaque Doctorem Sylleum, qui Ordinibus à ſecretis erat, eo mittunt, ſummam cum poteſtate, quibuſcumque queat modis ac conditionibus paciſcendi, vnius ac ſolius Catholicæ Romanæ Religionis exercitium, & cohortem ſolitam trecentorum præſidiariorum, ad ciuitatis concordiam, ſecuritatem & cuſtodiam, Bourſio Gubernatore, permittendi ac certò promittendi, dummodo Ordinibus debitum iuramẽtum præſtent. Verùm neq; oblatarum conditionum, neque officij, neque ordinis, neque loci vnde miſſus fuerat Sylleus, ratione vlla habita, ipſum quoque cuſtodijs retinent. Poſtremo itaq; Proceres qui Antverpiæ erant, vt non tantum ſuos Legatos, ſed & alios Machliniæ retentos & captos eximant, Machlinienſibus ſuos obſides committere ſtatuunt, poſtquam Machlinienſes & ſcripto & facto ſatis declaraſſent, ſe Regi & Principi Parmenſi reconciliatos, pacem perpetuam lubentiſſimè oblatam acceptaſſe, obſequium, obedientiam obſeruatamq; Catholicæ Romanæ Religioni, & Regiæ Maieſtati promiſiſſe: idque omnibus votis petiſſe potius, quam in abyſſum confuſionum cum Ordinum Proceribus aliiſque, qui Antverpiæ erant, mergi, &c.

Cum hæc circa 20. Iunij euenirent, Parmenſis ſtatim eo miſit, vt poſtulauerant, paruum exercitum peditum. & Albanenſium equitum: qui vicinos circumcirca agros, Aloſtum, Heren talſam & Teneramondam vſque deuaſtarunt, & VVilbroeckanam munitionem, vt ſupra diximus, expugnarunt.

D. Bourſius Machliniæ Gubernator, veteribus ſuis hoſtibus, quantumuis amici id multis adhortationibus & perſuaſionibus diſſuaſiſſent; reconciliatur: verùm cum hominis inconſtantiam ac leuitatem, tam in factis, quàm verbis perſpicerent Hiſpani, nó diu ei fidem habuerunt: & ne vindictæ cupidus Machliniam, ſicut anteà Antverpienſem arcem hoſti traderet, eum ſua Gubernatione amouerunt & oppido expulerunt: quod quidé ei ab amicis præcipuè à D. Ioanne Borgondo Fromonti Domino, Quæſtore prædictum fuerat, eodem tempore, quo illi nouæ pactionis leges ab Ordinibus offerebantur: verùm probè monentibus ſermones ſatis contumelioſos ingratus retulit. Excluſo Bourſio, D. Roſſingnolius Machliniæ Gubernator conſtituitur.

Archidux Matthias frequentibus variiſque epiſtolis Machlinienſes, ad firmam cum vicinis concordiam pertrahere ſtudens, præmonet peramanter, dura iam decreta contra eos interpoſita, & commercia ac commeatum prorſus prohibenda ac præcludenda: proinde reſipiſcant, & ſuos agros ab iis quibus ſe ſociare meditantur, depopulari perpendant: verùm ſurdis, ingratis & nihil niſi contumelias reddentibus canitur. Fuere hæ epiſtolæ, admonitiones aliaq; omnia quæ ad præcedentia ſpectant, eodem tempore Antverpiæ, typis edita apud Chriſtophorum Plantinum.

Interea is quem diximus Monachus frater Petrus cum ſuis, Machliniæ omnia pro arbitrio ac imperio agebant: auaritiæ ira graſſante, vt veterem, ingentem, argenteam, pretioſam imprimis Diui Rumoldi thecam, inſignis chymelij loco ſemper habitam, & alias præterea reliquias aureas argenteaſque conflauerint: quod equidem anteà nec Hiſpani, nec Auraicus, nec ipſi Ordines Belgici, quantumuis ſumma neceſſitate premerentur, attentare auſi fuerant.

Dum hæc Machliniæ aguntur, Ordines, maximè autẽ Antverpienſes, modum qua Machlinienſes domare queant, ineunt, etiamſi frequentes cohortes Regias prope ipſum oppidum, & equitum turmam Neckerſpoelæ in ſuburbijs eſſe, nequaquam ignorent: itaq; eodem hoc anno 1580. Lyra eo mittunt Anglos præſidiarios, ſub tribuno Ioanne Norricio viro ſtrenuo & acri imprimis in re militari, verùm plus ſatis magnanimo. Huic Anglorum agmini, qui niſi numerato ſtipendio Lyra exire nolebant, ſe iungit Oliuerius Tempelæus vrbis Bruxellenſis Gubernator, cum ſuis & Vilvordæ præfidiarijs: accedit & Carolus Lieuinius Famarſi Dominus cum ea cui præerat, equitum turma. Hi 9. Aprilis, ſummum mane prope vrbem Machlinienſem conueniunt: initoque conſilio, Angli ſubitò clamore, ac tumultu ad arma proclamant, ab vna parte, interea dum milites Templei ab altera, prope eam qua Bruxellas itur portam, muros & mœnia ſcandunt: hic acriter pugnatur, antequam porta qua equitatus introgrederetur aperiri potuit: poſtquam autem in ipſam vrbem vlterius peruentum eſt, ingens ciuium, ſacerdotum, & Monachorum ſit concurſus in forum, quorum magna pars cum aliquandiu reſtitiſſent, ſeque viriliter defendiſſent, cæſa eſt: cecidit hic inter alios Monachus ille frater Petrus Lupus, poſtquam optimè armatus, incredibili audacia hoſtiles impetus militariter propulſarat. Gubernator Roſſingnolus & Præfectus vrbis Boefkerkius aliiſque complures, magna quoque Albanenſium equitum caterua, ſeris repagliſque portarum effractis euadunt: Expugnata ciuitas, deſideratis longo conflictu circiter centum prælidiarijs, pluribus autem ciuibus, diripitur: quamquam cum An-

Machlinia diripitur ab Anglis & aliis.

Digitized by Google

An. 1580. c im Anglis,qui reliquis numero maiores,vtpote octingenti erant,antea pactum esset,promissa in aliquot menses stipendij solutione, ne vrbem diriperent: verùm frustra id fuit. Tantas autem erat prædandi amor & feruor, vt cum strategi & præfecti, postquã depopulatio aliquot dies duraſſet,modum finemq; imponere cuperent,id nequaquã efficere potuerint. Itaque vrbs Machlinienſis ſecunda hac direptione tam miſere denudata ac ſpoliata fuit, atque vlla totius Belgij ciuitas,inteſtini huius belli tempeſtate. Milites enim, præcipuè Angli, nulla habita modeſtię,aut humanitatis ratione,primo templa & religioſa loca,deinde reliqua,furore adeo immani barbaro ac crudeli inuaſerunt,vt plurimi contra eos diſcordare cœperint:ipſi etiam præfecti Templæus, & Famarſius miſeræ ciuitatis Gubernator tunc conſtitutus, Norricio aduerſantes,Anglos oppido,quod ſatis ſuperque deprædatum eſſet, exire voluerint: verùm cum numero & potentia præualerent, & claues portarum tenerent, toto menſe quodcunque lubuit, ſcelus liberè patrarunt;ciuitatem expilarunt & diripuerunt,lytra extorſerunt,funditus omnia lucri cauſa ſuſtulerunt ac delerunt:campanas & tintinnabula altis turribus deturbarũt: magno inſignique horologio ægrè exorati pepercerunt:ne defunctis quidem cippos aut lapides ſepulchrales reliquerunt:ſed quidquid amoliri potuerunt,id omne pluribus nauibus onuſtis in Angliam vſq; auexerunt. Poſtremo autem cum iam maiores copiæ prorſus neceſſariæ in Flandria eſſent(militum enim paucitas,vt communis eſt opinio, in cauſa fuit, quod Lanouius ſuis cæſis, captus in hoſtium poteſtatem prope Enghelmunſterum inciderit) Norricius cum ſuis Anglis euocatur: tanta autem hominis, licet extranei, fuit animi altitudo, & pertinacia, vt niſi Templæus prior diſcederet, exire recuſauerit: tandemque ipſum oppidum, maximè autem forum, Antvverpienſium ciuium præſidio muniendum fuerit, donec vtraque pars, certo campanæ ictu per duas diuerſas portas, exirent, tanta autem tumultuatione ac diſſentione, vt Angli, ſuorum aliquot deſideratis,quodam modo expulſi fuerint 6. Maij. D. Famarſius nouus Gubernator,vrbi reparandæ & habitatoribus augendæ operam adhibet.

Hæc militaris petulantia,aliorum quoq; locorum præſidiarijs ſeditiones & tumultuationis exemplum dedit.Bruxellæ quidam templa diripere conati,à magiſtratu & ciuibus coercentur.

Terræmotus in Belgio, & locis vicinis.

Hoc anno 6.Aprilis circa veſperam toto Belgio,ingens fuit terræ motus:quæ Colonia Lutetiam vſque.& vlterius in Angliam Eboracum vſque peruaſit: ipſum mare concuſſum, & tanquam ab abyſſo eleuatum,cum tamen tranquillum, nulla aura commoueretur: tellus bis tanto tremore quaſſata, vt templorum, & turrium lapides paſſim diſſiſli, labefactati, & excuſſi fuerint.

Lanouius ſummus militiæ Ordinum in Flandria præfectus, cum paruum iam exercitũ collegiſſet, & Anglos, qui Machlinia diſceſſerant, adhuc exſpectaret, Enghelmunſterum caſtellum,ad riuum Manderem,à Malecontentis occupatum,obſidione cingit; poſtquam verò caſtra hic fixiſſet, arcemque tormentis quati iuſſiſſet, reliquum omne negotium D. Marquetto commendauit: ipſe, occaſione admodum commodo oblata, Inſulenſem vrbem inuadere meditatur: eoque cum magno inſtructiſſimo equitum peditumque agmine tendit: verum poſtquam ſuas vires copiaſque ad inuadendos Inſulenſes non ſufficere videt; Burggrauius enim Gandauenſis, nunc Marchio Risborgius dictus, cum quindecim Albanenſium equitum turmis, & plurimis peditum cohortibus eum inſequebatur; prouidè Engelmunſterum verſus, in ſua caſtra recedit: quia verò vltra Liſam fluuium erat, longo itinere deſcendens, & per inferiora loca vbi Mandera in Liſam labitur, circumiens, ſub veſperam VVackanum pagum venit. Borggrauius perſequens, oppido Cortracenſi Liſam tranſit, & via magis compendiaria Enghelmunſterum petit: id ſimul ac reſciſcit. Lanouius feſtinanter cum ſuis in ſua caſtra contendit: verùm magna pars longo & moleſto itinere defeſſi, pernoctant VVackanæ, duobus ab Enghelmunſtero miliaribus ipſe autem ſuſpicans metuenſque ne antequam eo perueniat, hoſtis iter breuius ingreſſus ſua caſtra inuadat, eodem veſperi cum aliquot equitibus in caſtra venit: mandat Marquetto, ocyus pontem riuo Manderæ impoſitum interrumpat, ne ex improuiſo,antequam ſui adueniant, opprimatur: verùm quibus cuſtodia defenſioque pontis commiſſa erat,neceſſarium non reputabant pontem deturbare (id quod Lanouius iuſſerat, & certò fore confidebat)ſed potius militum magno numero munire. Borggrauius qui hoſtes ea nocte VVackanæ manſiſſe ſciebat,valido impetu vlterius graſſatur, pontem vi capit, & in ipſa caſtra irrumpit.Lanouius eorum quos VVackanæ reliquerat, & feſtinanter aduenire iuſſerat, auxilia exſpectans, hoſtibus interea quibuſcunque poteſt modis reſiſtit: verùm quia vix ſexcentos viros bellipotentes,& equitum non multo amplius quam duas turmas hic habebat,facilè à longè potentioribus hoſtium copijs ſuperatur. Schoti pedites, quibus nequaquam ſimul, ſed ſenſim,ſclopeta explodere, vt ſic hoſtem diutius detinerent, & incurſum auertere poſſent, præceperat Lanouius, repente & celeriter nimis ſuas glandes expediunt, deinde retrocedunt. Gallicæ aliquot cohortes quarum vnaquæque vltra decem aut duodecim milites non continebat (reliqui enim VVackanæ erant) veteranorum militari more conglomerati, ſe ſtrenuè defendunt,

Digitized by Google

fendunt, & sine dedecore aut damno euadunt: reliqui disipantur & cæduntur. Lanouius inde- Ann. 1580.
eorum reputans, eum locum, vbi tormenta bellica disposita stabant deferere, & suorum, quos
VVackana exspectabat, aduentu damna reparari adhuc posse confidens, strenuè viriliterq; pu- *Lanouius pro-*
gnat, donec tandem oppressus capitur: antèa filio Telignio dimisso, qui cum equitum & peditū *pe Engelmun-*
magna parte incolumis euasit. Capitur eodem quoq; prælio Marquettus, cui hæc confusio præ- *sterum fuit*
cipuè imputabatur, præsens pontem interrumpi, vt ei iniunctum fuerat, non curasset, sed *cæsis & dissi-*
aliis id commisisset. Hic Marquettus post longam in Hannonia captiuitatem, effracto tandem *patis capitur*
carcere euasit, Lanouium verò captiuum Borggrauius Gandauensis in Regis potestatem tradi- *à Buggrauio*
dit: quod ei à multis maximo vitio datum est, cum sciret hunc, neq; redemptione, neq; permu- *Gandauensi.*
tatione vlla dimittendū, durante hoc bello, quo Ordinibus inprimis erat necessarius: & eo quidem inhonestius atq; inhumanius, hoc eius factum reputatum, quod eo tempore, quo Ordinibus belli socius fuerat, Lanouium sibi sanguine iunctum, in hanc militiam primus euocarat: verùm superbia & inuidia, maximè autem seruens ira, homini ita trāsuersum egerunt; quod re ipsa tunc satis probauit: nam quosdam nobiles hic captos, inter alios Lanouij œconomum, ad se adductos, sua manu, animo sedato, confodit, & vt reliquos sic quoque multarent, suis præcepit. Victores bellica tormenta, arma, vexilla à profugis relicta capiunt. Commissum hoc prælium 10. die Maij. Paruus cæsorum numerus fuit: ita vt Ordinibus plus impedimenti, quam damni aduersus hic casus attulerit, cùm illa quæ instituerant, hinc plurimum retardarētur. Dissipatus exercitus mox iterū colligitur, & ne hostis victoria hac audentior vlterius irrumpat, resistitur.

Circa idem tempus D. Hezeus, D. Gaesbekani Hornei defuncti filius, Comitis VVtkerckæ *D. Hezeus,*
frater, inito aliquatenus pacto cum Ordinibus, & Duce Andegauensi, eis aliquot loca præsi- *capitis capite*
dia quæ tradere molitur: eratque huius consilij ac susceptionis conscius, & socius V. Varrouxius *truncatur.*
iunior, Dominus Tianæ, Gubernator Casleti, qui etiam Casletum in potestatem Ordinum redigere meditabatur: verùm detectis consilijs, Tianæus profugit: Hezeus autem ab ipso Borggrauio, nunc Marckgrauio Richeborgensi, & D. Montignio apprehenditur, pauloque post iudicio constituto, Parmensis, qui artem, dissidia odiaque inter Belgicam nobilitatem excitandi probè callebat, eum capite truncari iubet Quennoyæ in Hannonia 8. Nouembr.

D. Auxius, eiusdem quoq; machinationis suspectus aufugit, in arcem suam Liecklerckanam propè Bruxellas venit, eamq; Ordinibus tradit: postea in instinctu vxoris leuiter inconstanterq; se gerens, Ordinibus sit suspectus, & ab eis apprehenditur: tandē verò Oliuerio Templeo Bruxellensis vrbis Gubernatore, qui Auxij sororem Dominam VVerdenbergensem vxorē duxerat, eo intercedente, liber dimittitur, & inde in Franciam abit.

In Brabantia, Herentalæ, Bruxellæ & Machliniæ præsidiarij cum suis ducibus, & Gardeo tribuno, Alonzo quoq; Hispano, equitum præfecto, die 8. Iunij, iunctis copijs Diestam vrbem *Diesta capi-*
summo mane inuadunt, mœnia, humiliori paludis loco, scandunt: ijs superatis, excubitoresad *tur.*
Sichemensem portam trucidant: mox Alonzum Ordinibus imprimis fidelem, cum suo equitatu intromittunt: postquam in vrbē ventum, VValonicæ duæ cohortes gnauiter resistunt: tres autem Germanicæ, inter quas & Comitis Ladronij cohors, quæ 14. circiter annos in Belgio stipendia meruerat, strenuè admodum se defendunt, & hostē aliquoties terga dare cogunt: cumque animose ad extremum vsq; pugnarent omnes ferè eodem quo stabant loco ad internecionem cæduntur. Ab ordinum parte duces quidam alijque non pauci cæsi, & vulnerati. Sichemo quoq;, & Arschoto eadem tempestate potiuntur Ordines. Halenum oppidulū præsidiarij Malecontenti relinquūt, sed postquam vident Ordinū agmina non tendere vlterius, reuertuntur.

Princeps Condæus Henricus Borbonius, ex superiore Germania in inferiorem, & inde in Angliam, cum Scregelio Legato Casimiri contendunt: cumque hic arcanè multi, de rebus coram Regina consultassent, in Germaniam inferiorem redit, & Sluſa Gandauum venit 13. Iulij; huc matutino quodā tempore Burggrauius Gandauensis Marchio Risborgius accelerat, Condęum ex improuiso opprimere, præuertere, & in oppidum, quód aggeribus fossisque tuncre- parabatur, per loca aperta, & nec dum munita irrumpere conatur, nullum enim, præterquam ciuium, præsidium hic erat: cumque validis copijs instructus, ad ipsam vsque vrbis portam venisset: oppidani ſtrepitum aduentantium percipiunt, armaque arripiunt: Burggrauius spe sua frustratus discedit. Condæus Gandauo Antverpiam proficiscitur, inde Dordracum, itaque superiorem Germaniam repetit.

Hannonienses quoq; eodem anno, ipsa nocte D. Ioannis, simili astutia vrbem Bruxellen- *Hannonienses*
sem capere machinati fuerant, inducti ac instigati à speciale quodam Othone Bakereo, Iacobo *vrbem Bru-*
Curtio, & Arnoldo Prunio, qui cum clauium vnius portæ formā cēræ impressam tradidissent, *xellensem ca-*
Comitem Lalainium, Montignium & Burggrauium Gandauēsem eo pellexerunt: veniunt ad *pere frustra*
designatam vrbis portam copijs instructis: verùm cùm ij quos diximus doli instigatores atque *machinantur.*
auctores rem omnē Principi Auraico, Aldegondio & Gubernatori Templęo antè indicassent, iniræ machinæ insidiæq; aduenturis ſtruuntur, tormenta bellica superiore via & diuerticulis in

Digitized by Google

An. 1580. ipſa quoq; vrbe, & in domibus latenter diſponuntur: milites ſupra portam occultantur; vbi & Aldegondius præſens erat; qui cataractam ſiue portam pendentem, ſimul ac hoſtium numerus ſatis magnus vrbem intraſſet, demitterent. Verùm quia tota ea nocte pluerat, & hoſtes neque igniarias, neq; funibus bombardicis nimiâ pluuia madidis cõmode vti poterant, plurimi longo, difficili, lubrico itinere feſti ægrè procedebant, alij difficiles ſe præbebant, & quod tempus cum modiſſimum laberetur, iamque clarum mane inſtaret cauſabantur, & ne luce proderentur timebant, ſeque inuiti periculo exponebant: nihilominus ad conſtitutam portam veniunt, eamque apertam, vt promiſſum fuerat, inueniunt: verùm vlterius progredi nequaquam audent: ita fruſtrati abeunt, in abeuntes tormenta explodunt oppidani.

Niuella, commeatu inuecta, capitur.

Bruxellenſes ea quoque tempeſtate, Niuellæ vrbeculæ in Brabantia, magno peditum & equitum numero comitante, commeatum ſubminiſtrarunt: in reditu, aliquot equitum Albanenſium turmas, quas in itinere offendunt, cædunt, & circiter triginta captos Bruxellam adducunt. Sunt autem Albanenſes, populi olim à Turca, cum Græcium expugnaſſet, patria pulſi, profugi partem regionis Regni Neapolitani incolunt, propriamq; linguam etiam nunc retinent. Niuella autem poſtmodum à Parmenſis militibus capta, immanem Manſueldij crudelitatem ſenſit.

Duxiſſæ Parmæ Principis Parmenſi mater in Belgiũ redit.

Menſe Aug. ipſa Duxiſſa Parmæ & Placentiæ, olim Belgij Gubernatrix, Principis Parmenſis mater, à Rege Philippo miſſa in Belgiũ redit, vt contractui cum reconciliatis Prouincijs initio, Regis nomine, ſatisfaciat, huic enim muneri ac oneri mater viſa eſt Regi magis idonea quam filius, vtpote quæ proceres iuuenes regere, & nobilium populiq; animos melius ad Regis ſententiam flectere poſſet: quandoquidẽ poſtremò Belgium relinquens, querelas grauiſſimas audierat. Cum Namurcum veniſſet, eamque filius ſalutaſſet ac comiter excepiſſet, mox inter matrem & filium æmulatio gubernationis cauſa orta eſt. Filius quòd iuueniles laſciuias ac petulantias, quæ ei ſummæ infamiæ fuerant, iam exuiſſet, populiq; animos ſibi conciliaſſet, dignum imprimis ſe reputabat, qui ſolus gubernationem abſolutam plenamq; retineret, maximè quod generali exercitus imperatore opus haberent Prouinciæ. Hiſpani nequaquam ignari, imperium ſemper æmulationi obnoxium eſſe, & maius hinc malum metuentes, conſultiſſimum reputant, vt mater iterum abeat: quod & proximo anno fecit. Itaq; Parmenſis ſolus abſolutè gubernacula tenuit, VValonicarum Prouinciarum conſenſu: ſeq; admodum prudenter ac modeſtè geſſit tam erga Hiſpanos & Belgas, quam alias nationes: arte quadã Italica, aulica & vrbana & animos tam inimicorum quam amicorum conciliandos, ac deuinciendos vtens: atque eo quidem modo longè plus obſequij, & commodi præſtitit Regi, quam prædeceſſores, qui Hiſpanico rigore, aſperaq; inclementia, quibus Belgas domare voluerant.

Æmulatio inter matrem & filium gubernationi cauſa.

Anna Auſtriaca Regina Hiſpaniæ mori.

Hoc anno 1580. 25. Octob. in Hiſpania obijt, Anna Auſtriaci Maximiliani 2. Imperatoris filia, Regina vxor Philippi Regis Hiſpaniarum, quæ multas ei proles mares & fœminas peperit ex quibus aliquot aliquandiu vixerunt: nunc autem, hoc ſcilicet anno 1594. adhuc ſupereſt Philippus Philippi Regis vnicus filius, tuncannum circiter vnum natus.

Stratagema inſigne contra Malecontẽtos Bouchainum inuadere molientes.

Malecontenti Artheſiani & Hannoniẽſes hoc etiam tempore inuadere moliuntur Bouchainum Hannoniæ oppidulum, cuius tunc Gubernator erat D. Villerſius, qui antèà Niuellæ admodum ſtrenuè ſe geſſerat: Pacifcuntur cum Vicario Grobendonckio præſidiario, vt ſua opera aduenientibus, vna portarum pateat. Grobendonckius Gubernatori hanc ſuſceptionẽ indicat, conſilioq; ſimul callide inito conſtituunt, vt Grobendonckius portam ſe aperturum hoſtibus promittat. His promiſſis, ad diem magnus peditum equitumq; exercitus oppidulo appropinquat: oppidani vt tectiùs fucum facerent, aliquot pedites & equites dimiſerant: vnde hoſtibus ſpes fœlicíſſimi ſucceſſus augebatur, cum paucos admodũ præſidio relictos putarent: præſidiarij qui ſupererant probè inſtructi cauti ac prouidi, tantum hoſtium numerũ quantum ſe facilè ſuperare poſſe exiſtimabant, intromittunt: clauſaq; ocyus porta, eos qui ſimul intrare nitebantur, haſtis, gladijs, glandibus impetunt: introgreſſos opprimunt, multos interficiunt, reliquos arma deponere cogunt: plurimi qui longius adhuc aberant, à peditatu & equitatu, quem antè ex oppido emiſſum diximus, à tergo concluduntur, & intra tormentorum oppidi iactus adiguntur compelluntur q; : plurimi qui victores ſocios oppido potitos, & portas ſibi patere exiſtimabãt, propius accurrẽtes cæduntur, capiuntur, profligantur: capti D. Ioannes Noyrcarmius, Baro Selleus, Gubernator Fani Odomari, alijq; proceres numero ſeptemdecim: multi quoq; ciues Duacenſes & vicini, qui ſpe prædarum manubiarumq; coemendarũ venerant. Villerſius præcipuos captiuos Cameracum in firmiorem cuſtodiam mittit, veritus ne ſi eos apud ſe retineat, hoſtibus vrbeculæ obſidendæ occaſionem præbeat: Multi redemptione & permutatione à vinculis liberantur. Selleus, Egmondanus Champagnius alijq; ue, pro D. Lanaio, & alijs nonnullis minoris auctoritatis dimittendi offeruntur: qua quidem in re Ordines ſummam ſuam humanitatem, erga virum extraneum, qui lubenti animo eis auxilio, cum ſuis copijs venerat, declarabãt verùm hac ratione nihil impetrant: maximè quod Hiſpaniæ Rex tantam exiſtimationem, de Lanoij perſona, ſtrenuitate, & probitate concepiſſet; idque potiſſimum inſtinctu ac conſilio

Baro Selleus & alij multi proceres capti.

Cardinali

Cardinalis Granuellani: proinde miseri indigenæ proceres, quod captiui huius extranei redimendi parua esset spes, captiui manent: Egmondanus & Selleus tandem in Zelandiam auehuntur, & in Zeeborganam siue Rammekensem arcem arctiori certiorique custodię mandantur: hic Selleus anno 1584. miserè moritur: magno sæpè animi dolore ac indignatione exclamans, suam calamitatem deplorans, grauiter de Regis ingratitudine cóquerens, sua, Norcarmij fratris, parentum, decessorumque officia meritaque Regi præstita commemorans: indignissimè ferens quod extranei incolis & prouincialibus præferrentur. Comes Egmondanus pusillanimitate, desperatione ac indignatione, ad amentiam quandam redactus, sororum instanter eniteq; rogantium gratia, eodem anno 1584. in Hollandiam auehitur: hic mitius tractatur, & à sorore fouetur: tandem multis à Rege pollicitationibus lactatus, liber dimittitur pro Lanouio: neq; id quidem prius quàm Lanouius, se nullo vnquam tempore arma amplius gesturum, contra Hispaniæ & Galliæ Reges, grauissimis pactis, & conditionibus promisisset: datis fideiussoribus Duce Lotharingiæ, & alijs proceribus: quibus Rex Nauarræ, alijque sui amici vades obsidesq; accesserunt. Rudis hæc ac dura tractandi ratio, plurimis Belgicarum Prouinciarum nobilibus, qui vitam facultatesque pro Rege, periculo exponebant, magnam obloquendi, indignandi ac stomachandi occasionem præbuit.

An. 1585.

Selleus in carcere moritur.

Egmondanus liber dimittitur pro Lanouio.

Post huius in Bouchainensem arcem machinationis infœlicem exitum: Malecontenti mense Augusto Bouchainum obsidione cinguit, innumeris tormẽtis horrendum in modum quatiunt, & plurimum damni obsessis inferunt, vtpote quibus neque materia, neque locus aggeribus se muniendi, neq; labefactata mœnia reficiendi erat. Proinde Villersius 5. Septembr. arcem certis pactionibus dedit, armatus cum suis præsidiarijs exit, & Cameracum tendit. Verùm cum conditiones incautè simpliciterque præfinitæ essent, ipse Villersius funes bombardicos igne fœcentes mensura ac longitudine conuenienti, non procul à tormentario puluere & reliquis machinis bellicis disposuerat, vt post suorum discessum, concepto tandem igne, puluis flammam violento impetu spargeret. Malecontenti hoc incendio maximis damnis affecti, hostes celerrimè abeuntes persequũtur, sed frustra. Villersius iniuriam sibi hac persequutione fieri, promissamq; fidem rumpi conquestus, hincansam arripit hostibus denuntiandi, se pacto nequaquam vlterius teneri. Ordines magna cõmoditate perspecta, qua hostes mari infestare queant, quos terra petulanter, pro lubitu quiduis patrare, & vicinos miserè vexare percipiebant; tentarunt maritimis quibusq; locis: hanc nocendi eis oportunitatem adimere: consultoq; nauibus multis præsidiarijs, quarum quæq; octo, decem aut duodecim tormenta igniuoma ferebat, Rhenum & Mosam flumina occupauerunt: viam maritimam prorsus præcluserunt, commeatum militumq; accessum impedierunt, maximè eorum, qui ea tempestate Rhenum, nauigantes Groningam petebant, omnemq; fluminis tractum superiorẽ, Coloniam vsq; suis nauibus tenuerunt. Principes autem Rheni accolæ, cùm hinc grauissimas quotidiè audirent querelas, militibus collectis, nauibusq; instructis, mense Augusto omnes inde discedere, Rhenumq; descendere coegerunt.

Bouchainum obsessum Parmenio dedit.

Ordinum milites Rhenum occupant: sed tandem decedere coguntur.

Supra diximus, in propositione ad Ordines habita de nouo principe eligendo, Francisci Valesium Ducem Andegauensem, Alensonium, &c. fratrem Regis Galliarum, præalijs idoneum communi sententia habitum declaratumque fuisse: cumq; Prouinciæ & Ordines generales, tota ferè ea æstate hac de re consultassent, tandem mense Iunio, Prouincijs, ciuitatibus & membris simul consentientibus, statutum, huic Prouincias transferre certis conditionibus: itaque Deputati Prouinciarum Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Machliniæ, Trifiæ, & circumiacentis territorij, in conuentu generali Ordinum Antverpiæ 12. Augusti in Gallias mittunt cum libellis, & instructionibus absolutis Legatos D. Aldegondium, Dohainium, Doctorem Hesselium, Francisum Prouinsium Lavvenborgi dominum, & Iacobum Tayardum Pensionarium Gandauensem, Cornelium Caronem Schouvvenvvalæ dominũ, Frarematus Consulem, vnaq; Magistrum Gasparum Vosbergium Veræ præfectum, vt absolutè cum dicto Duce tranligant: hi Plessilij Turonensium 29. Septemb. 1580. mandata exequuntur, pactumq; ineunt.

Dux Andegauensis in Belgij dominum accipitur.

In rei gestæ memoriam causa quoque fuerunt æreanumismata: vna parte leo collari alligatus calumnæ, Victoris statua superstante: collare rodebat mus, inscriptione circulari addita: *Rosis Leonem loris mus liberat*: altera autem, Pontifex & Rex multa sanctæ pacis promissione, Leoni collare alligare satagebant, cuius inscriptio erat: *Liber reuinciri Leo pernegat*. Cusus quoque numus Gandaui, effigie annuli duabus manibus fide iunctis colligati: ab vna parte, circulatim hæc erat inscriptio, *Pro Christi lege, grege, & patria*: ab altera verò, *Religione & Iustitia reduce, vocato ex Gallia pacis a Duce Andegauensi Belgiæ libertatis vindice*.

Archidux Matthias Belgij Gubernator postquam videt se deseri à multis Prouincijs, præcipuè Valonicis, quarum proceres nobilesque qui eum è Germania in Belgium euocarant, ab Ordinibus defecerant, Pacificatione quoq; Gandauẽsem non succedere, & se prouinciasq; neq; ab Imperatore, fratribus, cõsanguineis, aut amicis Germanis Principibus, neq; ab ipso Imperio subsidij alijve aliquid consequi, eaque potissimum de causa Ordines generales ad aliunde auxi-

An. 1580. lium petendum neceſſariò vrgeri: honeſtè diſcedere Belgiumq; relinquere conſtituit: maximè quod omnes ſuæ Ordinumq; præmonitiones Imperatori, Regi totiq; familiæ Auſtriacæ factæ

Diſceſſus Archiducis Matthiæ. de extraneo Principe auxilioq; Prouincijs neceſſariò quærendo, fruſtra eſſent. prouinciarumq; poſtulationes negligerentur ac floccipenderentur: itaq; ſe gubernationi abdicare cupiens, Ordinibus 22. Iulij, ſcripto ſignificari per Principem Eſpinoium facit, eos nequaquam latere, ſe à præcipuis Belgij proceribus in has prouincias vocatú, & poſtea generalibus ſuffragijs receptum fuiſſe, promiſſis omnibus articulis ſatisfeciſſe, & turbulento ac calamitoſo prouinciarum ſtatui ſe accommodaſſe, nulla proprij commodi habita ratione, non ſine vitæ periculo, dolere autem ſummoperè, quod tempeſtate hactà infelici poſteritatem hactenus non habuerit, florentiſſimas has regiones ad veterem pacem concordiam, tranquillitatem ac proſperitatem, quod quidem ſedulò, ac diligenter operam dedit; reducendi. Quandoquidem verò Ordinum Proceres nunc conuentum celebrent; ad deliberandum, inueniendumq; remedium, quo potiſſimè afflictis his regionibus ſubueniri queat, nullam quidem ſe velle illis legem aut regulam præſcribere, aut illorum commodis aduerſari: ſed tantum eos admonitos rogatoſq; cupere, ne extraneo dominio & periculoſæ mutationi temerè ac inconſideratè ſe ſubijciant committántue, ne quoq; ſacroſancti fœderis, cum Romano Imperio obliuiſcantur: ſed illuſtriſſimæ domus Auſtriacæ, cuius ipſe membrum; ſummam erga eos beneuolentiam, & amicitiam diligenter perpendant: poſtulare inſuper vt apertè declarent, quid de ſua perſona ſuaq; familia ſtatuerint; vt ad huius declarationis rationem ſua ipſe negotia ac inſtituta diſponere poſſit: addit præterea, ſumptus & onera, vt promiſſum fuerat, nequaquam eſſe ſoluta: poſtremò omnem ſuam operam ac beneuolentiam lubens eis offert. Audita hac de gubernatione relinquenda, oratione ac demonſtratione, Ordines neceſſarium æquumq; reputant, vt ſuæ Cellitudini, diſceſſus cũ gratia permittatur debita promiſſaque honeſtè ac magnificè exſoluantur, penſio etiam ampla, qua ſe familiamq; ſuſtentet numeretur: prouentus inſuper ad Vltraiectenſem epiſcopatum pertinentes ei deſtinant. In articulis quoque cum Duce Andegauenſi conſtitutis honorifica eius, fuit facta mentio: quod nempè euocatus & receptus ad Belgij gubernationem honeſtè ſe geſſiſſet, ſuoque officio probè eſſet functus: proinde dicere vt penſatione ampla, ac magnifica cohoneſtetur: verùm quia deliberationibus ac conſultationibus multum temporis conſumebatur, Archidux in ſequentem vſque annum in Belgio manſit.

Conſtitutiones ciuij, ſiue militaris. Cum de militum petulantia ac improbitate graues vndique deferrentur, id temporis quereläe, Archidux Matthias, & Ordines generales nouas, de diſciplina militari conſtitutiones ac decitiones decernunt, atque promulgant.

Leges nouæ Antwerpienſium de vigiliis, excubijs, &c. Antwerpiæ leges nouæ ſtatuuntur, de vigilijs & excubijs agendis: ciuitas diſtributa in octo tribunatus ſeu legiones, ita vt quæq; legio decem cohortes; quæ vexilla vocant; contineat, præterea ſex iuratorum collegiorum ciuitatis, quæ ſimul 86. cohortes conficiunt: nemo ab excubijs immunis, præter Magiſtratus, publicis officijs præfectos, & mercatores nationis Oſterlingæ, Anglicanæ & Lulitanicæ, idq; ratione veterum priuilegiorum: reliquæ nationes, vt & ſenes qui 60. annum exceſſerunt, ad vſum ſumptuſque excubiarum, pro tribuni arbitrio contribuere tenentur: multæ variæq; conſtitutiones, ad conſeruandam tuendamq; ciuitatem neceſſariæ, publicatæ: graues pœnæ ac mulctæ tranſgreſſoribus conſtitutæ: ædificia ſtationalia, excubijs nocte dieq; agendis idonea; Corpora gardiæ vulgo dicta; magnificè exſtructa: domunculæ in plateárum angulis ex lapide eleganter nocturnis excubijs ædificatæ, in quibus ſingulis noctibus, diebus quoq; quibus conciones habentur, manipulus ſiue contubernium decem ciuium vicinorú excubias agunt: ita vt ciues militiæ accommodati atq; aſſueti, quocunque tumultu exoriente, ocyſſimè prompti armatiq; ſuis locis adſint: nec deſunt exercitati veterani ſtipendia meerentes, qui ciues rudiores in aciem educant, & omni armorũ arte inſtruant: arma habent elegantiſſima & bello aptiſſima, ita vt vix vlla ſit ciuitas in tota Europa quæ eos hoc apparatu ſuperet: in maioribus nonullis ædificijs ſtationi & excubationi accommodatis variæ leguntur inſcriptiones, prope portam Cæſaream, *Excludere facilius quam expellere*: in foro, *Sepius læſa patientia*: in ponte Merano, *Agere aut pati*. ad littus, prope officinam monetariam: *Si in bello, ſecuritas*. Ingentes etiam grauesq; admodú catenæ paratæ, quæ commodè facileq; tendi queant tranſuerſæ in plateis neceſſario claudendis: idq; munus certis ciuibus, ex quaq; cohorte commiſſum: catenæ autẽ tot & tantæ ſunt vt 100. florenorum millib. & amplius conſtiterint: vrbs etiam indies magis magiſq; munita: foſſæ latiores & profundiores factæ: mœnia pluribus locis latitudine aucta, & pulcherrimis arborũ plantarijs, tilijs nempè & abietibus amœniora munitioraq; reddita: paſſim quoq; obices verſatiles repugnaculq; conſtructa: ſingulaq; probè adminiſtrãdi ſingulis cura commiſſa.

Leges de incenſio, peſte, &c. Leges de ciuitates eas tanquam exemplar ſint imitatæ. Leges quoque promulgatæ, quo modo incendij, peſtes, aliorumq; periculorum tempeſtatibus quiſque ſe gerere debeat: eædemque tam prudenter conſtitutæ, vt multæ aliæ toto orbe

Nauigationes. De nauigatione, qua præcipuè quæſtum, & negotiationem faciunt Belgæ, tunc quoque ſapienter de-

pienter decretum fuit: vetitum ne aliqua nauis mare nauiget, nisi probe armis virisque instructa, ad magnitudinis & capacitatis rationem, vt à deprædationibus piraticis alijsque periculis, mari se defendere queat. Edictum insuper, vt quæque Prouincia, & vrbs maritima suas naues præsidiarias in omnem vsum ac necessitatem paratas habeat: & his quidem modis maris nauigatio, quam Angli, Franci & Osterlingi hac belli tempestate Belgis plurimùm adimerant, aucta redintegrataque fuit: ita vt iterum ex Hollandia, Zelandia, & Antverpia quoquouersus nauigarint, in ipsam etiam Hispaniam & Portugalliam vsq; ibidem liberè negotiantes: quibus quidem locis se cautè, prudenter pacificéque admodum gesserunt, quasi nullum inter Belgium & Hispaniam, sed tantum inter Belgas & Hispanos, qui in Belgio sunt bellum fuisset: ita vt vbique ferè locorum in Hispania & Lusitania humanissimè & amantissimè fuerint: excepti: sicut etiam Hispani, qui naue in Zelandiam appulerunt, grati aduenerunt ac abierunt: verùm pericula à piratis, aliaque incommoda obsti terunt, quo minus hæc nauigatio libera tutaq; permanserit. Accepti gratiáque in primis Hispanis, semper fuerunt Belgæ: eo quod simul commercia ineant, magnumque mutuis negotiationibus quæstum faciant. Hispani enim suas merces, fruges, aliasque facultates in Belgium conuehunt, vt inde opificia mercimoniaque in Hispaniam auehant, quæ apud Indos vendunt, vnde Hispaniarum Regi magna auri ac argenti vis suppeditatur, & vectigalia maximè augentur. Imò Hispani, tam nobiles quàm plebei, Belgarum commercijs præcipuè questum faciunt victitantque, vtpote quorum redditus ac prouentus potissimum in vinis, oleis, fructibus, frugibus, lanis, & similibus quæ in Belgio distrahuntur, cõsistant. Tandem verò, cum proscriptione contra Principem Auraicũ edita, facultates, actiones, iura ac debita eorum, qui Auraici causam bello tuebantur, fisco addicenda declararentur, quibuscunque etiam locis deprehenderentur: timebant quidem Belgæ fiscalem exequutionem in Hispania, verùm nihil tunc effectum fuit. Nautæ verò & mercatores Belgæ, ab Ordinibus prænoniti cautius suam nauigationem & negotiationem instituerunt. An. 1580.

Zelandi in solicitudinis ac Prouidentiæ memoriam, nummum ex ære signarunt, cuius vnum latus habebat Prouinciæ arma, videlicet leonem super aquas, cum inscriptio: *Vos terra, at ego excubo ponto, 1580.* alterum verò arbusculum plantatorem, & à tergo pileum, libertatis signum, lanceæ impositum, cum inscriptione: *Si non nobis, saltem posteris.*

Hocanno 1580. 21. die Septembr. reuersus appulit, in Angliam Franciscus Draco sua naue centum circiter vaforum capace, postquam cum alijs pluribus, quę omnes eum reliquerant; tres annos abfuisset, totumque interea orbem circumnauigasset: ex Anglia nempè Canariam, inde Insulas Hesperides, siue Promontorium viride, vlterius Americam per lustrans Brasiliam Fretum Magelanum superans, tandem in Mare pacificũ vulgo, Mare Delzur vocant, ponè Peruuiam, peruenies: inuisit auro diuites Prouincias, & in portu ipso Peruuiæ facilè Regis Hispaniarum aurum gazamque nactus fuisset, si lentius oportuniusq; venisset, & naues imparatas, parumque armatas inuasisset: nam simulac eum grassantem perspexerunt, summa festinatione armatæ Hispaniæ naues aduenientem deflectere atq; discedere coegerunt: vnam autem quæ sola obuiam prodijt, argento onustam, per limites maritimos Panamam tendẽtem, cœpit, suamque ea exonerata argento subornauit: maritimas deinde regiones indagans, Maluccas insulas versus iter cõuertit, vnde aromata in Indiam Lusitanicam siue Calicutam aduehuntur: pòst promontorium Bonæ spei petijt: tandemq; per Africæ regiones maritimas in Angliam redijt, cum iam triennio abfuisset: reginam autem suam adhuc superstitem audiens, securus appulit, se & omnẽ quem aduexerat, thesaurum, 24. auri tonnas, vel 700. millia Coronatorum, & pluris æstimatum, Reginæ protegendum conseruandumque dedit. Regina lubens reducem in suam tutelam recepit, & contra Regem Hispaniæ protexit atque defendit: ipsius Regis amicitiam nihilominus seruauit: quamuis Hispani antea Draconem, in Comitatu Ioannes Hindanensij, anno 1568. insidiosè ac perfidè inuasissent, in portu Mexico, siue Sancti Ioannis de Vloa & dicti Haukensij naues, Proregis Indiæ iussu, cõtra iuratam fidem expugnatas combussissent atq; submersissent. Reges enim ac Principes amicitiam nequaquam renunciant, aut fœdera irrita ruptaue reputãt, ob iniuriam ac damna quæ subditi alteri alteris inferunt, in nouo illo orbe. Sicut nec Rex Galliarum quicquam moratus est, quod Hispani anno 1565. Ioannem Ribantium, cum omni sua classe crudeli homicidio in Florida interemissent. Franciscus Draco difficillimo periculosissimoque hoc itinere peracto, ob insignia sua merita, officiaque Reginæ præstita, ab ipsa Regina eques auratus solenniter creatur: vtpote idoneus in primis ob summam suam strenuitatem, qui Hispanorum violentiam, & dominandi libidinem coerceat, postquam iam eorum imbecillitatem exiguamq; facultatem resistendi detexisset, Draconis nauis Publicanus dicta, ad flumen Tamisim, prope regiam Greuewicham, pilis, ad perpetuam rei memoriam, imposita fuit. *Franciscus Draco in Angliam redit toto orbe pernauigato.*

Princeps Auraicus mense Octobri, ex improuiso Traiecti inferioris mœnia scalis superare vrbemq; inuadere machinatur: atq; huius rei causa ipsemet eo proficiscitur: sui cum scalis sub ipsa vsq; mœnia perueniunt: verùm alio euentu insperato inde auocatur, & spe sua frustratus discedere cogitur. *Auraicus frustra Traiecti inferiorem inuadere machinatur.*

Digitized by Google

An. 1580. Princeps Eſpinoius Tornaci Gubernator, Domini Eſtrellei opera Condeum oppidulum 25. Octobris conſcenſis ſcalis capit: captum autem victores poſtridiè relinquunt, quod à Malecontentis (quorum exercitus haud procul aberat) valido impetu, antequam militum ſociorum ſubſidijs, munitionibus & commeatu iuuari poſſent, inuaderentur.

Condeum oppidulum capitur.

D. Anholtius, & Martinus Schenckius qui arcem Blyenbekam tẽebat, nauem pretioſis mercibus onuſtam, quæ Rhenum deſcendebat, retinent, diripiunt, & prædam cum ſuis militibus partiuntur: pannos ſcilicet fericos, & alias prætioſas admodum merces mercatorum præcipuè Italorum.

Res geſtæ in Friſia.

Poſtquam Comes Rennenbergius in Friſia territoria agroſque, vt diximus, occupaſſet, & Svvollam vndiq; obſediſſet: præclarum aliquod facinus meditatur, conſultum reputans, nouæ militum legioni vltra Rhenum aduenienti ſe iungere. Diffidebat enim de Svvolla capienda, etiam ſi clandeſtinè fœderatos fautoreſq; in vrbe obſeſſa haberet: eſt enim Svvolla vrbs optimè munita, & tali loco ſita, vt facilè obſidione liberari poſſit: Perceperat quoque Hogenloum rurſus potentem exercitum collegiſſe, limitaneas vrbes præſidijs bene muniuiſſe, & non procul Dauentriæ cum inſtructiſſimis copijs agere.

Legio hæc quæ Rennenbergio auxiliaris aduentabat, legio Geldrica vocabatur, eo quod ex Geldris, Vltraiectenſibus & Tranſiſulanis exulibus aliiſque conſtaret, viris viribuſque admodum potens: Legionis totius tribunus Ioannes Streuſius Emmericenſis: duces præfectique Iacobus Bronckhorſtius, & Batenborgius Anholtius filius, duarum cohortium: Bœckholtus Tielingenus, VVurtzelmanus, Renneueltius duarum quoque: alij præterea aliarum. Quia verò Anholtius, qui à Gheldris defecerat, in hoc exercitu ſtipendia mœrebat, Hegemannus cum ſuis ex Neomago copijs, opidulum Anholtum; quamuis imperiale; improuiſe inuaſit, cœpit, atque expilauit.

Rennenbergius noua hac legione auctus, facilè occupari poſſe putat Dotinchemum, aggeribus, foſſis, armis, præſidiarijſq; parùm munitum: verùm cum hic acriùs quam exiſtimarat ſibi ab Anglis, Doisborgenſibus & Michaeli legionibus reſiſti, ſuiſque magna damna inferri videt, diſcedit: Grollæ præſidia conſtituit: & 18. Octob. 1580. Steenvvycham contendit, quam parum firmam, & tantum vna eaque parua præſidiariorum cohorte muniram, commeatu quoque, & alijs rebus bello neceſſarijs tenuiter inſtructam ſciebat: erat autem ei hæc ciuitas imprimis commoda ad Drentam, & ad itinera Friſiæ, atq; ad Vollenhouam muniendam tuendamque. Hanc obſidionem Steenvvickanam, quamquam hic ſatis ample deſcribimus, tamen curioſiorem Lectorem remittimus ad elegantem libellum Teuthonicum de rebus Friſiacis Memoriale impreſum Dauentriæ apud Fritzardum von Campen, anno 1584. authore Renico Frelinga.

Steenvvyckã obſidione cingit Rennenbergius.

Steenvvyckam itaque Rennenbergius obſidet: viginti octo militum cohortibus: nempe quatuordecim legionis Friſicæ, quæ, Ioanne Momo in velitatione quadam cæſo, Ioannem Taxim vicarium habebat: nouem legionis nouæ Gheldricæ; Anhaltinus autem cum duabus ſuis Anholti, & Bredeuordæ manſerat: quinque legionis nouæ Rennenbergicę: continebantq; hæ viginti octo, cohortes ſex, peditum millia & amplius: nam in Friſia quæque cohors, plerunque ducentos continet: aderant præterea equites circiter mille ducenti, Lancearij præcipuè.

Erat Steenvvyckæ cum cohorte vna præfidiaria Olthoffius præfectus: cumque Cornputus ſuam quoq; eò miſiſſet, Steenvvyckenſes quidam Hiſpanis addicti, hanc admittere, quanquam fœderati impetraſſent, recuſant: nihilominus ab Olthoffij militibus tandem intromittuntur: ante ingreſſum Cornputus, ijs quorum ſtipendia mœrebat fatisfacere cupiens, ſuos breui oratione exhortatus, iubet omnes ſacramentum dicere, & polliceri, neminẽ de deditione facienda aut pacto cum hoſtibus ineundo vllum verbum dicturum, niſi ipſe primus incipiat: contra facientem proximè aſtantes impunè occidant: eo iuramento præſtito, vrbem, pridie quàm obſideretur, ingrediuntur: cumque Hogenlous aliquot Germanorum cohortes in regione Vollehoua haſtis præcipuè idoneis armaſſet, Ordinum proceres duas ex his Steenvvyckam mittunt, nempè Plati & Stuperi, Duce vicario Ioanne Berenbroeckio Geldræ vrbeculæ præfecto: erant autem omnes tyrones, incompoſiti, rudeſque bello.

Eodem die præſidiarij, hilares promptique animis, quod facultatem ac materiam honoris gloriæque acquirendæ haberent, duabus portis eruptionem faciunt, multas domus oppido nimis vicinas incendunt, & pulueremtormentarium commeatumque naue inuehunt.

Steenvvyckæ ſitus.

Steenvvyckæ ſitum paucis deſcribere operæpretium fuerit. Ipſum oppidum antiquum eſſe videtur, exiguo amni vicinum, quem incolæ Aa vocant, nomine pluribus aquis ex paludibus nigris hac regione profluentibus communi. Eſt autem non admodum ſpatioſum, vtpote ambitu circiter, milleſimos ſexageſimos communes paſſus continens: longitudo inſtar arcus amnem verſus extenditur. Ad orientem & meridiem, habet tres portas Ooſteram, Omringeram & Gaſthuſiam, loco valde alto ſitas, ea maximè parte, qua Diuera & Hanelta Drenthæ pagi vergunt, propè portam Gaſthuſiam reſtant, adhuc foſſæ veteres arcis à Georgio Schenckio,

anno

anno 1523. ædificatæ, iterumque dirutæ, postquam Transisulana regio (inter cuius minora oppida istud nequaquam minimum videtur) Caroli V. domino subiecta fuit: ad occidentem est porta VValtea: prope hanc naues appellunt, est & hic emissarium: his locis prata admodum humilia, pluuioso tempore plumali aqua abundant: via strata per media prata, in duos pagos vicinos, nempe Tucam, Steenvvykeueltam ex oppido ducit. Septentrionem & aquilonem versus pascua communia pulchrè virentia iacent, quæ media agger Isueningeranus à Septentrione, qua in pagum Isuenum itur, occupat: hic amni Æ pons impositus est, oppido tam vicinus, vt sclopeto glans inde in oppidũ vsque ejici queat. Habet vrbs in circuitu vallum siue aggerem terreum mediocriter munitum, & loricas siue propugnacula quatuor aut quinq; pedes ampla: fossam Septentrionem versus non admodum latam aut profundam, alijs verò locis profundiorem, nusquam vltra quinquaginta pedes latam: aqua omnis largis altisque aggeribus retinetur proximè portas: per hos aggeres in vrbem itur & exitur: portæ autem exteriùs veteri more constructæ: habet altas angustasque turres, muros tenues & exiles: extra verò repagula, crates, vectes, cataractæ aut pontes versatiles nusquam: ita vt facile per hos aggeres oppugnari & præoccupari possit: sepimenta militaria, propugnacula, munimenta nulla, templa tria; Diui Clementis, Canonicatus insignis, turri alta quadrata, cuius tectum supremum corruit; Diuæ virginis Mariæ, & Nosocomij: forum media vrbe quadratum, amplum, quatuor præcipuis portis respondens. Ager vicinus fertilis feraxque frumenti, quo incolæ maximè quæstum faciunt, sicut & cespitum mercatu: fuit autem huius obsidionis tempore ciuitati maior copia frumenti, quam cespitum & lignorum foco idoneorum. An. 1580.

Numerus præsidiariorũ vrbis Steenwykæ.

Quatuor præsidiariæ cohortes continebant circiter sexcentos milites, erant insuper ciues circiter trecenti, sed inter hos vix quinquaginta, quibus fidere tutum satis erat: Gubernator nullus adhuc missus, tormenta maiora nulla, equites nulli: habebant solummodo militum præfecti equos duodecim aut quatuordecim: hæc omnia ad hostem inuadendum & propellendum imprimis necessaria obsessis decrant.

Statuta leges que in vrbe obsessa

Gubernandi Prouinciam præfecti militiæ vnaque vrbis Consul susceperunt, multa variaq; statuta promulgarunt, de tormentorum bellicorum commodissimo vsu, minorum præcipuè cùm maioribus carerent: de puluere nitrato ex sale petroso & sulphure conficiendo: machinis igneis, ignibus artificiosis diuersisque instrumentis offensiuis & defensiuis præparandis: ne milites ciuibus graues sint aut molesti, sed contenti pecuniis in stipendij solutionem commodatis: de frumento & commeatu: de incendijs præcauendis & compescendis: fœno, stramine, cespitibus, lignis sub aperto cœlo collocandis, tectis straminejs prope mœnia diuendis: de eruptione in hostem quam rarissimè facienda, ne damno accepto animi labascant, ne puluis nitratus temerè profundatur: & sedulo, ne hostis quid in vrbe agatur resciscat, caueatur atque impediatur. Hæc pluraque alia, quod nullus esset gubernator, qui præcipua authoritate polleret, non admodum exactè seruata fuere.

Obsessi literas adordinem missas subsidia petunt, contra Cornputi scientiam.

Simulatque Rennenbergensis se vallis fossisque muniuit, & pontem fluuio Æ sclatis nauibusque largis ac planis imposuisset, obsessi literis ad Ordines missis subsidium petere statuunt: resistit autem huic instituto Cornputus: monetque, vt potius obsessæ vrbis, & obsessoris hostis statum, Ordinibus significent, nullam autem de subsidio aut auxilio mittendo mentionem faciant, idque duas præcipuè ob causas, ne scilicet Ordines præsidiarios minus fideles & strenuos hinc suspicentur, ne quoque ciues & milites viribus, defensioni ac securitati diffidant. Verùm non obstantibus Cornputi monitis, Ordinum negligentiam iniuriamque acriter incusant, & 23. Octobris, nocte Epistolam deferendam ad Ordines tradunt, ciui Matthiæ Kiersio, qua declarant se, vltra dies octo resistere nequaquam posse: subsignarũt autem has militum præfecti Oltshoffiius, Plateus, & Conradus Theodorus obsessæ vrbis ciuis, miles veteranus, sed parum expertus: subsignauit & vrbis Senatus, tandemq; eo pertractus, strategus Bœrenbrockius. Cornputus verò constanter recusat, & non tantum ciuitati damnosum, sed & capitale omninò facinus asserit, huiusmodi minus vera proceribus dominis persuadere, cũ subsidio necessariò nondum opus sit. Principes viros hac potissimùm de causa arces vrbesque construere ac munire, vt ijs hostem auertant, arceant, remorentur, ac damno afficiant: non, vt prima oppugnatione aut indictione statim deditionem faciant, sed potius vt cum oportunum commodumque tempus se offert, obsidio armorum vi soluatur: Dolere se ac vereri summopere, ne bæc eorum pusillanimitas & scribendi temeritas, Ordinibus occasionem præbeat, nimis subitò leuiterque liberationem tentandi copijs non satis potentibus, neque id sine magno periculo, si sua spe imbecilliores frustrarentur: impossibile enim esse tam breui exercitum sufficientem colligere, quo hæc obsidio absolutè soluatur.

Ordines obsessorum literis perlectis, consolatoria Epistola respõdent. Cum verò nullum scribendi & conquerendi finem facerent obsessi, ipse Cornputus Ordinibus scripto contra significat: nullam scilicet necessitatem aut difficultatem adhuc esse, & vrbi ad sex menses satis pro-

An. 1580. uiſum: proinde certum & firmum ſubſidium præparent, idque quam fieri queat citiſsimè, non ob neceſsitatem, ſed ob ciuium & præſidiariorum intolerantiam ac impatientiam. Cornputus his de cauſis acriter ſæpè à multis reprehenſus, tandem Præfectum Berenbrockium & alios prudentiores in ſuam ſententiam facile pertraxit.

Kundera cap. ta, Ordinum cohortes caduntur.

Habebant tunc Ordines in Kundera, Eſchedæ, & Rodulphi Langij cohortes: eò ex caſtris 23. Octobr. tendunt Arnoldus Gemenus, Snaterus & alij, agmine valido comitante: incautos, improuidosque, nocte, loco non ſatis munito, inuadunt: Eſcheda, ſua cohorte diſſipata, ſignoque militari diſrupto, capitur: Langius cum nonnullis euadit, ſigno relicto: multi in lectis trucidati, multi quoque capti: victores præda onuſti abeunt: ſignum militare creptum, caudæ equi alligatum trahunt, verruntque in caſtris circum vrbem obſeſſam, ouantes, modulantes, & tibijs tubisque canentes.

Strenuum facinus Arnoldi Græningenſis.

Obſeſſores in dignabundi, quod obſeſsi molam extra vrbem incendiſſent, obortis iam tenebris moliuntur in portæ Gaſthuſæ, repagulum ignem immittere: iamque vrbis excubitoribus frequenti ſclopetorum impetu ſua ſtatione propulſis, cadum pice liquida, ſtramine & ſulphure refertum aduoluunt, & igne iniecto ocyus in caſtra ſe proripiunt ſimul omnes, vno excepto, qui glande læſus concidit. Hæc ſimul ac oppidani non ſine animi dolore conſpiciunt, quidam ex Cornputi militibus ocyus ſuam operam offert, demiſſus è mœnibus, per foſſam natat, ore ſitulam corialem trahit: propius accedit, aquas ſenſim commodeque haurit, cadum piceum amouet, incendium, identidem ex vrbis foſſa aquis hauſtis extinguit. Obſeſſores in hunc operi intentum frequenti glandium grandine iaculantur, neque tamen tangunt: quod quidem ſummopere mirandum: cùm rutilans flamma incendiumque hominem ſatis manifeſtè redderent, neque properanter, ſed lente ſatis opus ſuum obiret, frequenter quoque alta voce proclamaret: Heus ſceleſti, heus fures; ego ille ſum Arnoldus Græningenſis Cereuiſiarij filius. Extincto iam igne, omnibusque probè peractis, rurſus ſuorum oris annatat, murosque adſcendit, & donatiui loco, daleris aliquot à ſuo Præfecto Cornputo donatur.

Diuina vindicta in blaſphemum.

Eadem nocte miles quidam Germanus, propius ipſum repagulum VValtportæ accedens, multa verbis minantibus crepat, iram taſtumque proſtat, Ordinibus & Hogenloio cóuitia dicit, denique Deum ipſum horrendè blaſphemat: voce autem clamantis bene obſeruata, quidam præſidiarius in tenebris collimat, & in ipſius conuitiantis ac blaſphemantis, apertũ os glandem iaculatur, ipſumque membrum quo blaſphemiam fundebat, ferit: idq; diuina vindicta factum reputabant omnes, corpus anima caſſum, in oppidum allatum, cùm defuncti commilitones id aſportare molirentur.

Rennenbergius 27. Octob. in caſtra venit: cumque ei à Parmenſe iniunctum eſſet, nequaquam, niſi capta vrbe, ab obſidione deſiſtere, altera die Regis nomine deditionem indicit, vitam facultatesque ſaluas, & liberum tutumque abeundi commeatum obſeſsis promittit: poſtquam autem conuenienti reſponſo id obſeſsi recuſarunt, mox tria tormenta maiora aduerſus vrbem diſponuntur: ciues contra tormenta hæc muralia catapultaſq; igniarias horrentes, ſtrenuam nauant operam aggeribus ſepimentisque conficiendis.

Cornputus rationem munienda vrbis demonſtrat.

Cornputus pluribus argumentis ſatis euidentibus demonſtrat, commodiſsimam fore munitionem, ſi inprimis vltra vrbis foſſam, viam opertam ad loricas exteriores conficiant: hoc enim modo fore foſſam ampliorem, & eruptiones tutiores, commoditatem quoque optimam, foſsis congelatis, glaciem rumpendi, & hoſtium oppugnationes à tranſuerſa, & inferiori parte abſque vllo periculo propulſandi, multaque alia aptè vtiliterque agendi. Hac via confecta, facillimè idoneis locis, aggeres, valla, foſſaſque ex maiori hac foſſa parari poſſe: primò quidem cum loricis, & poſtea, terra ex eadem foſſa aggeſta, eas complere, & ampliores atque altiores reddere prompta leuique opera, quam hoſtes ſuis machinis nequaquam perturbare poſſent. In propugnaculis quoque neceſſariò tectas humilesque loricas conficiendas, vnde portarum aggeres, & foſſæ defendi ac ſeruari queant, ne ab hoſte ſuffodiantur aut repleantur. Hæc pluraque alia frequentiſsimè in ipſo ſenatu propoſuit Cornputus: verùm ciuibus, inſtinctu perſuaſuque Conradi Theodori, qui aut ignorantia, aut temeritate, aut inuidia motus huic operi reſiſtebat; hæc muniendi ratio perſuaderi non potuit: quorum ſententiam Plateus Præfectus, ſuique milites probabant.

Cohortes Friſia cæduntur.

Interea Friſiæ proceres, quatuor peditum cohortes, & aliquot equites im Septem-ſiluas miſerant, vt viam munirent, & Rennenbergenſibus extorſiones exactionesque incendiarias impedirent: contra hos Rennenbergius aliquot ſuorũ cohortes mittit: id ſimul ac Iouvvi Botniæ cohors, & præſidiaria Bolſvvertæ reſciſcunt, ocyus diſcedunt, & Fernonem aliamq; cohortem, cum aliquot equitibus ſolos relinquunt: quidem, vt poſſunt, ſe defendunt, ſed tandem ſuperantur, Ioanne Fernone eiusque fratre minimo natu interfectis. Hæc acta ſunt 31. Octobr.

Sloti & Lemmeram præſidiis deſeritur.

Rennenbergenſes vlterius tendunt Slotam, quæ quod parũ eſſet munita, à duabus cohortibus præſidiarijs deſeritur: ſimiliter & Lemmera: hinc petunt Staueram, arcemque à Friſijs inconſiderata

consideratè ac temerè vrbe nondum satis munita dirutam, restaurant: VVorckumæ propugnaculũ construunt. vnde singulis penè diebus, Harlingam, Franikeram & Bollvvertam veniunt, & extorsione exactionum vexant. Quod verò Frisiam inundari posse alij sperabant, id quidem tunc nequaquam possibile fuit, erat enim cælum admodum sudum, & ventus huic negotio contrarius. Hæc quoque mense Octob. gesta sunt. Nunc ad obsidionem redeamus. An. 1580. *diarij relinquunt.*

Principio Nouemb. Præsidiarij circiter quinquaginta eruptionem ex vrbe faciunt per portam Gasthusiam, hostes excubitores inuadunt, viginti plus minus interficiunt, & tres captiuos adducunt. Obsessores noctes diesque conficiendis aggeribus intenti, iam altum propugnaculũ non procul à porta Gasthusia construere inceperant, eique gerras septem impofuerant. Hinc oppidani perterriti vrbis portas terra replent, ipso etiam Cornputo acriter contradicente, rationemque addente, quod portæ ita fartæ atque repletæ, tormentorum hostilium impetu facilius concidernt, hostique adscendendi & fussodiendi commoditatem ac hateriam præberent: cumque iaculatoria portarum foramina loricarum loco maximè vsui sint ciuitati, inconsultè illarum vsum adimi: id enim hostem ipsum potissimùm debere moliri: nihil æquè absurdum, & ab omni consilio alienum esse, atque propria brachia abscindere: quandoquidem loricæ & sepimenta vrbis, sint tanquam brachia corporis, defensioni accòmodata. Quin potius, vt portarum defensioni certiùs prospiciatur, occultam viam cum loricis exterioribus, vt ante demon strarat, consciendam monet: aut si nec hoc quidè ipsis placeat, saltem maioris securitatis causa in ipsa vrbe inter duas quasque portas altum satis propugnaculum in acutum construant, loricasque conuenientes addant, quod quidem adhuc absque vllo periculo aut impedimento fieri posset: vt huiusmodi propugnaculis, non tantum ruinas & labefactationes in muris prohibeãt, sed etiam obliquè in hostem facili modo eiuculari queant, atque impedire, ne quid hostis ad sui protectionem minoribus Bombardis proficiat: his propugnaculis ita confectis, si necessitas vrgeret, & si hostis aquas deriuare, & se in ipsis fossis munire moliretur, possent aggeres fossasque ita iungere, vt noui propugnaculi vsum præberent. Hæc autem rudioribus nequaquam persuaderi potuerunt: & quanquam militum præfecti satis prompti volũtarijque huiusmodi propugnaculorum fundamenta iacere inciperent: tamen ciues, vt aliquot ædibus quæ diruendæ fuissent, parceretur, inuitos prorsus se præbebant, vnde operæ admodũ languescebant. Cornputus & reliqui Præfecti, quo milites magis promptos facilesque redderent, constituebant conditiones obligationum, soluendi singulis in singulos dies à primo obsidionis die, quinque stuferos: recusabat autem id Magistratus. Postremo verò cùm vident loricam exteriorem necessariò excauandam, quandoquidem gelu adeo vehemens erat, vt rumpenda esset glacies, operi se accingunt, & loricam iunctis viribus conficere incipiunt die 17. Nouemb. *Consilio Cornputi de vrbis munitione nõ obtemperatur.*

Impatientes nonnulli rursus scripto suppetias mitti, vrbemque ocyus obsidione liberari petunt: Cornputus verò & Beerenbrokius suis literis contra monẽt, ne Ordines præcipitanter agant, sed tuta, certa, firmaque auxilia præparent. Cornputus etiam cifræ & occultæ scripturę rationem, atque à longe secreta significandi, nocte laternis aut trullis accensis, die verò peplis latè extensis, simul mittit.

Ordinum proceres speciem quandam auxilij ferendi edere volentes, Stuperum cum omni suo agmine in Siusam nigram mittunt: sex præterea cohortes Hegemanni in monasteriũ prope Vollenhouam, D. Ioannis campum vulgo dictum, destinant: hæ à Rennenbergensibus 17. Nouembris inuaduntur, & quanquam strenuè se defenderent, tamen quòd monasterij murus nulla esset fossa munitus, facilè opprimuntur, cæduntur, capiuntur, in fugam vertuntur: capti tres militum præfecti, Ioannes Viaenensis, Gedeon Pomeranus, & Ioannes VVichmannus. Hunc scilicet fructum impatientissimi homines suis ex vrbe obsessa literis missis adepti sunt. *Hegemanni sex cohortes cæduntur.*

Rennenbergius 18. Nouembris Gasthusiæ portam, puluere Hegemanni militibus erepto, verberare incipit, & altiores quasque munitiones Bombardarum impetu demolitur: cumque iam ædes manifestè satis apparerent, hostes ignem extinctu difficillimũ fusilibus ex ferro globis ferentibus in vrbem iaculantur, vnde subitò ingens ortum incendium, maximè quod multæ ædes stramine tectæ, multæ quoque stramine, fœno, cespite repletæ essent, ita vt flamma citissimè antequam obsessi persentirent, passim spargeretur, primo quidem ignem ab ijs qui in vrbe erant immissum rati, postea id quod res erat, percipiunt. Milites simul omnes festinãter ad mœnia concurrunt, ciues igni extinguendo, facultatibusque conseruandis operam dant: vehementer autem ventorum vi, flammæ furentes, septuaginta & amplius domicilia, quædam quoque horrea fœno, stramine, auena, frumento referta, duodecimam ferè vrbis partem, in cineres redegerunt. Eurus quoque præceps tanto impetu flammam vltra vrbis mœnia sparsit, vt tertiam penè partem, maximè vbi fossarum glacies rupta non erat, præsidiarij deferere cogerentur: quin & hostes ipsi in procinctu stantes ad incursionem faciendam, propius accedere nequaquam audebant, ob ignis, flammæ, fumi violentiam: fuit profectò res hæc visu horrenda: fuit quoque diuini numinis ingens gratia, quod strategorum exhortationes militibus in tanto periculo *Incendium in vrbe Steenwickana, ab hoste immissum.*

Digitized by Google

An. 1580. periculo animum, ciuibusque solatium præsiterint: quodque diu hæc euenerint: nam si noctu acta fuissent, proculdubiò hostis vrbe potiri facillimè potuisset. Et ante annos quidem quinquaginta octo, anno nempe 1522. mense Decembri, similis casus huic vrbi accidit, cum Geldri nocte ignitis, veteri more, iaculis immissis eam superarunt, & crudeliter diripuerunt: huius rei præteritæ Rennenbergius meminisse debuerat.

In hac oppugnatione ars hæc fusilibus ferreis globis ignitis iaculandi secúdo probata in toto orbe est: postquam primò eam Stephanus Battorius Poloniæ Rex in obsidione Dantisci expertus fuerat: quamuis aliis modis sæpe simile quid effectum fuerit.

Rennenbergius huius incendijtempestate duos tibicines mittit, qui vrbem tradi postulent, multaque adhuc clementiæ promissa offert: ad quæ Plateus militum dux strenuè atque animosè respondit, & ciuitati rem imprimis gratam, ea quidem vice fecit: postea autem murmurantium ciuium grex pusillanimem in suas partes pertraxerunt, ita vt commune consilium iniri voluerit: refsitebat autem Cornputus, affirmans se neutiquam deliberare velle, de ciuitate, quæ sui non esset, hosti tradenda: virgo, inquit, quæ aures accommodare incipit, iam ferè prægnans esse dicitur communi prouerbio: se neque vitæ, neque mortis causa deditionem facturum: idem queque asserunt Berenbrockius, & Lazarus Austriacus Olthoffij vicarius: Post longas autem altercationes pacíscuntur, dextrisque datis pollicentur se quamdiu aliquod in vrbe lit quod edatur, eam nequaquam dedituros. Postridie ciues & aliquot præsidiarij seditionem excitant, in forum concurrunt: id simul ac Cornputus resciscit, statim magnam suorum partem armat, ipse & Berenbrockius sub veste armis induti in forum veniunt: Cornputus ciues qui ad deditionem faciendam alij alios instigabant, seuerè increpat: Apagite, inquit, domum scelesti, nullus hic est locus garriendi, vt vestris mendacijs animos strenuis nostris militibus adimatis: illi quid sui sit officij norunt optimè, & in re militari prudentiores sunt, quam vos existimetis. Cumque his sæuis dictis multi protelati abirent, lanio quidam restitans occlamabat: Ecquid, tandem het cum nihil amplius erit quod edatur? respondet Cornputus: Necdum hoc est, quod si res eo deueniat, tunc quidem nos te sceleste & tui similes primos omnium deuorabimus: his dictis domum quisque suam repetit: erantque plurimi mente faniores, qui hæc Cornputi acta laudabant.

Deditio in obsessa vrbe fedatur.

Ignem in vrbem ab hoste immissum extinguendi ratio.

Cùm verò obsessores ignem in vrbem iaculari non desinerent, inuenta est commoda extinguendi ratio: nempe, vt in vnaquaque platea & domo noctes dies que excubiæ agerentur ab ipsis etiam fœminis & pueris, & simul ac percipi posset, in quam domum ignitus globus incidisset, quod quidem & foramen, & fumus flammaque facile indicabant, amouerent ocyus ignis materiam vncis ferreis: mox que ciues manicis siue chirothecis ex panno confectis, & aqua madidis globum tollerent: quod quidem absque vllo læsionis periculo faciebant, arreptumque in mediam plateam, vbi nihil damni amplius inferre poterat, proijciebant.

Frequentibus huiusmodi bellicis studijs, oppugnationibus & propugnationibus transactus est mensis Nouember. Interea autem neque oppidanorum pusillanimitas, neque turbarum & seditionum fomites adimi aut extingui potuerunt: nam inconstans pusillanimisq; grex ipsum quoque Plateum militiæ præfectum in suam sententiam pertraxerat: cui cum Cornputus & Berenbrockius resisterent, seditiosi eos populo inuisos reddere niuntur: eaque maximè de causa coacti literas de subsidio mittendo subsignarunt, annuerunt que vt formulæ monetales, cum oppidi insignibus, anchora nempe, in omnibus monetis cuderetur, & media parte pretium auderetur. Strategi quidem maluissent nouam aliquam monetam cudi, more Hasselensium, qua stipendiarijs facilius satisfieri potuisset: verùm Magistratus resistebat: inde tamen commeatus pretium augebatur, & magna esculentorum pars clàm supprimebatur: cumque ij, qui pecunias formula non signatas numerabant, omnia minoris emerent, ciues ipsi tandem magnâ pecuniæ summam conficere coacti sunt, quæ stipendiarijs mutuo dari, & operarijs numerari debuit.

Monetæ notatæ, auctaque duplo in vrbe obsessa.

Sub initium Decembr. cœlum pluuiosum, & rei nummariæ difficultas multos stipendiarios in castris Rennenbergij difficiles inuitosque reddidit: ita vt hac oportunitate obsessi obsessores frequentibus eruptionibus satis fausti is inuaserint, quod vt commodius fieret, portas terra oppletas, iterum aperiunt, & Plateus alijque qui primo obstabant, quo minus clandestina via ad loricas exteriores conficeretur, eandem totis viribus promouent.

Consilium Ordinum de liberanda Steenwycka.

Interea Princeps Auraicus & Ordines Prouinciarum deliberabant, quibus potissimùm modis Steen vvyka obsidione liberari posset. Cumque militum numerus non sufficeret, plurimique se inuitos, ob non numeratum stipendium, præberent: Prouinciæ enim, præcipuè Geldria & Transisulana regio, quorum tamen maximè intererat, ægrè admodum contribuebant: plurimi has ob causas putabant operæ pretium nequaquam esse, pecunias expendere, & milites periculo exponere gratia loci non satis muniti: alij contra suppetias ferendas censebant: quod vrbs obsessa tanquam clauis quædam esset Frisiæ, Vollenhouæ & Drenthæ, & per eandem, ob paludes, viæ terra vndique clauderentur: & quod hostis, ea potitus, Frisiam ab alijs Prouincijs

terra

terra segregaret, & ipsum mare infestaret, cùm iam Svvertsulam, Vollenhouam, Blockzielam, Kunderam, Lemmeram, Staueram, Hindelopam, VVorckomium, Mackumum, Reediepam & Delfzielam, maritima nempe loca & præcipuos maris portus haberet. Vicit horum sententia: proindeconstitutum, forti exercitu vrbem obsidione liberare: itaque coactis vndique pecuniis, Ioannes Noricius Anglus, castrorum præfectus, ad obsidionem soluendam mittitur: is simul ac Slusam cum suis copijs venit, nouam quandâ cohortem hostilem, recens sub Otthone Santio conscriptam inuadit, cædit, fugat, dissipat: pagumque 15. Decemb. incendit: inde Mepelam tendit cum viginti quatuor cohortibus, quæ vix mille sexcentos pedites bellatores continebant, iunctis paucis equitibus: trestamen cohortes Slusæ præsidiarias relinquunt. An. 1580.

Ioan. Noricij præfectus, mittitur ad obsidionē soluendam.

Rennenbergius eo mittit vndecim peditum cohortes, & sex equitum turmas, qui hostiles copias via per glaciem commoda aggrediantur. Cumque Noricij milites se diu strenuè admodum defenderent, Noricius interim tempus oportunum habuit subsidium ferendi, itaque aduenientes has Rennenbergij copias fugat, multis cæsis, multis quoq; rupta glacie submersis, inter quos Arnoldus Gemensis, magnanimus admodum militum præfectus. Noricius hoc prœlio duobus hostium signis militaribus potitus, & armis pluribus, quibus facilè quingenti armari poterant, signū vnum in vrbem mittit, comitantibus quadraginta stipendiarijs, qui 750. libras puluerismortentarijin faccis coreaceis vna intro tulerunt.

Rēnenbergen ses copiæ cædūtur.

In eruptione quadam Plateus dux occubuit, in cuius locum, Ordinum mandato, subsstituitur, Berenbroeckius, prius vicarius Stupericohorti: mittunt Ordines eadem quoque opera mille sexcentos florenos monetæ aureę, quibus satisfiat stipendijs. Pridiè Calend. Ianuarij, Noritius impresionem vltra paludem à tergo in obsessores facit: ipsi quoq; præsidiarij magna vi ex oppido erumpunt, & hostem terga dare cogunt, tormenta quædam ab hoste fugitante relicta ferreis fabrorum malleis confringunt. Hanc contumeliam Rennenbergius ipsis Calend. Ianuarij vindicare volens, oppidanos, aura admodum nebulosa elicit: verùm nebula subitò decidens dolum detegit: quod quidem beneficium oppidani diuinæ prouidentiæ adscribebant.

Huius obsidionis tempore, Rennenbergius mense Decembri machinatus fuerat alia loca inuadere, præcipuè Hattumam, ad quod inceptum operam suam præbebat filius Drossardi Ludouici Montforti: is quadraginta stipendiarios ex arce Blyenbekana cum militum præfecto Fonckero nocte intromitti facit in arcem Hattumensem, in qua circiter quindecim Ordinum stipendiarij erant, quos potu obrutos Drossardus nocte cubiculo quodam incluserat: & absque mora intromissorum stipendiariorum auxilio in vrbem intrat, Ducem Heghemannum, qui hac iter faciens in vrbe pernoctabat, & strategum Hannm, aliosque duos viros nobiles è lecto arreptos, captiuos in arcem ducit: ciues autem & præsidiarij vrbis, tacitè excubias agebant, & quòd partem aduersam multo potentiorem numero & armis in arce esse putarent, nequaquam reuisere audebant. Id factum simul ac resciscunt Svvollenses, Iacobum Machlinienſem, militum præfectum, eò cum magno militum agmine mittunt, cui etiam Dauentrienses & Elborgenses armati auxiliares iunguntur: hi ex vrbe Hattumam arcem sex tormentis minoribus verberant, & murum viginti quatuor digitos latum labefactant. Obsessi, necessitate compulsi circa 18. Decembr. arcem pacto dedunt, intercedente Hegemanno, ea conditione, vt stipendiarij liberè abeant: Drossardus autem cum filio VVilhelmo captiuus seruetur. Hi ambo, postmodum sententia lata, auctoritate Ordinum Geldriæ, capite truncantur. & in quatuor partes finduntur, eò quod antea Ordinibus fidem & sacramentum militare præstitissent.

Hattumæ capta: & recuperata.

Tertio Ianuarij, Ordinum mandato venit Sonnoyus ex Northollandia in Blockzielam, milite & armis optimè instructus: hic intra paucos dies propugnaculum probè munitum conficit, quod quidem Ordinibus postea maximè commodum ac vtile fuit, cùm tantum vno miliari Steenvvyka distaret: vnde Steenvvykanis, quæcunque vellet, signis de longe indicare facilè poterat: vnde obsessorum animi mirum in modum recreati fuere.

Sonnoyus pro præsidio cōficit Blockzielam.

Cùm verò obsessis nimium perturbatis Noritius significasset, vt ad se aliquem rei militaris peritum ex vrbe mitterent, cum quo de subsidio ferendo deliberet, mittitur Conradus Theodorus, mādatis instructus, qui inter alia Noritio declaret, vt ipse cum suis hostem aggrediatur, aut si tam citò prœlium tentare commodum ei non videatur, in vrbem secretò mittat mille viros, vt horum ope iplimet ex vrbe hostem inuadant.

Cornputus & Berenbroeckius huic instituto refragātur, eò quòd huiusmodi exercitus non admodum potentis diuisio periculosa esset, maximè cùm hostem adeo propinquum haberent: declarantque Ordinibus se huiusmodi instructionem inuitos & coactos subsignasse. Tales discordiæ quotidie in vrbe obsessa plurimæ oriebantur: ita vt sæpius potestatem dedendæ vrbis sibi dari postularent, nisi intra paucos dies liberentur, vix enim commeatum in sex dies superesse.

Pusillanimitas militum in obsessa vrbe.

Nec minus obsessores in castris tumultuātur, dies noctesq; assiduis oppugnationibus vexati, cœlo

Tumultus in

An. 1580. cœlo ſupra modum frigido: ſeditioſè ſtipendia exigunt, ita vt Rénenbergius cùm nullum turbarum videret finem, dies aliquot è caſtris profugus, nonnihil pecuniarum collegerit, eaque reuerſus ſuos blandè placarit. Nec minor ei fuit controuerſia cum Schenckij equitatu, qui ſemel eum reliquerat. Itaquæ ortæ vtrinque maximæ difficultates & angustiæ.

caſtra Rennenbergij.

Rennenbergius 9. die Ianuar. nuntio æneatore Epiſtolam à Martino Schenckio, & Ioanne Streuffio ſubſignatam in vrbem mittit, qua omnimodè obſeſſis perſuadere conatur, vt vrbem dedant: verùm obſeſsi viua voce recuſant. Contumelias & iniurias alteri alteris quotidiè grauiſsimas inferunt, maximè ipſis bachanalibus: tunc enim, cum obſeſſores ſæpius obſeſſos interrogaſſent, an nondum ſuos equos deuoraſſent, obſeſſi equis quibuſcunq; conſcenſis, lanceis militariter inſtructi, altis in mœnibus ſe oſtentant, ſubitoque per vnam portarum erumpunt, caſtra hoſtilia perturbant, deinde per aliam reuertuntur, ſe turmam equitũ habere exclamant, & neque animum neque rerum copiam deeſſe alacres indicant.

Huiuſmodi quoque ludos edebat Rennenbergius, non ſine Cornputi vitæ ſummo periculo, miſſa ei per tympaniſtam Epiſtola huiuſmodi: Spectabilis, & ſtrenuè: Quandoquidem ob vehemens gelu te neque propugnaculis conficiendis exercere, neq; annulũ in digitis verſando tempus tranſigere potes, quandoquidẽ eum ſtipendarijs in ſolutionem dederis, neque quo dentes fricare, os motitare, aut ſtomachum extergere queas, tibi ſit, vt ſaltem aliquid quo tempus terere poſsis, habeas, en mittimus has huic Epiſtolæ inuolutas ſchedas, vt ijs te occupes, actũ in Regiæ Maieſtatis caſtris ante Steenvvykam 15. Ianuarij. Huic Epiſtolæ iunctus erat libellus typis impreſſus, Gallicæ ab Aſſonuillio & alijs rudioribus malecontentis compoſitus, cum inſcriptione: interceptæ literæ Principis Auraici ad Ducem Alenzonium. poſitis in margine multis annotationibus: de quibus Auraicus ſe in ſua apologia purgat: plurimi in vrbe maleuoli putabant in hac Epiſtola aliquas ab hoſte propoſitas eſſe conditiones, quas ſcire volebant, ſuſpicantes Cornputum eas velle celare, eaque de cauſa ingentem contra eum ſeditionem excitant, quæ difficulter admodum ſedari potuit. Ad has literas Cornputus pulchrè & lepidè ſcripto reſpondit, reſponſum in libello Reynici Friſingæ de bello Friſio, Dauentriæ fuit impreſſum, anno 84. reſpondit quoque eleganter marginalibus ſignis Epiſtolæ falſæ.

Duelli inter Thomam, & VVillemſium, militum præfectos.

Cùm huiuſmodi ludicra & oblectamenta vtrinque ederentur, Thomas Albanenſis, Albanenſium militum præfectus, Noritium ad ſingulare certamen lancea & gladio prouocat: reſpondet Rogerus VVillems vicarius Præfectus equitum Noritij, ſe eius loco dimicare velle, quod cùm vtrinque præſcriptis legibus conditum eſſet, athleta vterque, vtroque exercitu in procinctu ſtante, prodit: ſit conflictus, & poſt illatos propulſatoſque ab vtroque aliquot ictus, neutro læſo, alter alteri hauſtum præbibit, itaque diſcedunt.

XVII. Ianuarij, Noritſius permotus ſeriò atque vrgente oppidanorum ſcripto, & Conradi Theodori quotidianis exhortationibus ac inſtigationibus, qui tunc apud eum erat Grethornæ, aſſerebatq; tantam omnium rerum in vrbe eſſe inopiam, vt quatriduum reſiſtere nequaquam poſſent, ſtatuit Steenvvyckervvollam inuadere cum ſua legione Anglicana, & legionibus Naſſouij, & Michaelis Caulieri, inſuper aliquot Hegemãni & Stuperi cohortibus, qui omnes ſimul vix duo virorum bellatorum millia conficiebant. Oppidanorum, quibus id ſignificarat, magna pars conſtituto tẽpore ex vrbe erumpunt, cœlo adeò obſcuro, & errantes in tenebris alij ab alijs deflecterent, non ſine magno multorum malo: ipſe quoque Noritſius parum præſtare potuit, nam cum ſuum agmen in campo arboribus conſito & terreo aggere cincto, non procul ab vrbe collocaſſet, Rennenbergius id reſciſcens, aliquot Bombardis campeſtribus eum horrendè oppugnat: ſed cum ſtrenuè reſiſteretur, ſub veſperam in ſua caſtra reuertitur, poſtridiè rurſus aggredi hoſtem meditans. Verùm Noritſius cum neque comeatum, neque equitatum haberet, periculum vitat, & verſus munitionem Sennoyſiam tendit, petitque Blockzielam. Cùm verò à nonnullis intellexiſſet, vrbi ſatis adhuc eſſe proſpectum, ſubſidium ex Friſia exſpectare conſultiſsimum putat, idque obſeſsis ſignificat.

Rennenbergius vrbi rurſus deditionem indicit minaci admodum Epiſtola, cui Cornputus annotationibus in margine poſitis reſpondet, procuratque callidè hæc ſcripta ei in manus trãdita publicè legi, non ſine magno Rennenbergij dedecore.

Noritſius à Rennenbergenſibus impetitur.

Cùm autem Rennenbergius 24. Ianuarij intellexiſſet Noritſium cum omni ſuo exercitu in monaſterio Campi D. Ioan. eſſe, eò cum potentiſsimis copijs contendit, mox vndiq; obſeſſum tormentis impetit, ſperans ſe, antequam ſubſidium ex Friſia adueniat, victoria potiturum. Hic Noritſij milites tanta commeatus penuria laborarunt, vt equos, neceſsitate vrgente ederent: quanquã Sonnoyus nonnihil Blockziela mitteret, vbi duæ ſuæ cohortes duabus lancearioru turmis numero æqualibus, acriter, quod quidem viſu rarum, reſtiterunt.

D. Nienortius obſeſſos No. vitiſii liberat.

Poſtea D. Nienortius VVigboldus Evvſumus, qui cum Ordinibus pactum inierat milites colligendi, eosq; hoſtiũ ſumptibus, exactionibus ſcilicet incendiarijs alendi, ab ipſis Ordinibus mittitur obſeſſos liberandi cauſa: venit itaq; cum ſex ſuis & ſex Friſijs cohortibus ſub Adriano Meningo,

Digitized by Google

Meningo, Domini Merodij vicario, & Blockzielam commeatum curribus onuſtis aduehit: id simul ac Rennenbergius reſciſcit, ſecretò ſubitoque ab obſidione deſiſtit, ſuos milites læſos, cæſos, captiuos quoque relinquit, & magnam commeatus copiam, cùm ante triduũ monaſterium maxima vi oppugnaſſet, abiensque Giethornum pagum incendit. Poſt hæc magna oritur ſeditio inter ſuos, quæ paucis poſt diebus, modica numerata pecunia ſedata fuit. An. 1580.

Pridiè Calend. Februarij Noritius cum ſuis agminibus Oldermarctam vno à Steenvvyckamiliari venit: proinde Rennenbergius noua propugnacula ſepimentaque conficit, & tuguria tentoriaque in campo Steenvvyckano deſerit. Oppidani autem cum vrbis ſuæ portas labefactatas & vallis occupatas vident, inducuntur tandem ad nouam portam, exſtruendam inter VValtanam & Ooſteranam portas, eamque Cornputi portam appellant, quod Cornputus, vt eo loci ædificaretur ſemper ſuaſiſſet, ad commeatum Noritſij facilius, commoditusque inuehendum.

IIII. Februarij matutino tempore tres perdices forum Steenvvyckanum peruolitantes manu capiuntur: Cornputus cui id narrabatur, ſtatim bonum omen interpretatur, dicitque Deum trinum, qui vacillantibus Iſraelitis huiuſmodi eſcam olim miſit, Steenvvyckanam quoque ciuitatem proculdubio cibaturum: verùm perdices tres portendere, id ante tres ſeptimanas non futurum, eo quod in Deum ſpem fidemque prorſus non collocaſſent. *Tres perdices in vrbem Steenvvyckanam, vt Noritius, caulam præbeat Cornputo.*

Hoc vaticinium Cornputi, quod vulgus pluris facere videbatur quam reliqui, tanquam iniuriosum à pluribus interpretatum fuit, & ſolummodo ab eo prolatum, vt puſillanimioribus ciuibus deſiderium affectumque imminueret. Nihilominus veriſimile videtur Deum per os Cornputi, fortaſſe id ignorantis, loquutũ: res enim ipſa, ita vt prædixerat, euenit: nam eodem illo die, poſt tres tranſactas ſeptimanas, ciuitas copioſè commeatum recepit. *10.*

Eodem die Noritſius, Nienortſius, Caulierus, Iſelſteynius, Heghemannus, & Stuperus cum 46. cohortibus, nempe 3500. peditibus, & ſex equitum turmis in ſyluam Steenvvyckanam contendunt, caſtraque figunt orientem verſus loco admodum idoneo, quem Hiddinghe bergum vocant, multis arbuſculis conſito; & aggeribus, qui propugnaculorum vice eſſe poterant, clauſo: à parte autem Septentrionali quæ plana, aperta peruiaque erat, propugnaculum conſortis curribus conſtruit. *Noritſius cum bene obſeptis literarum prudit.*

Diſtabat aũt hic locus tantum 2400. paſsibus ab ipſa vrbe: poterantque oppidani eo vſque facilè proſpicere: erant enim medio ſpatio plani campi, prata, cricita & paludes: in medituIio autem ſtabat nouum propugnaculum, quod Rennenbergius nuperrimè perfecerat trigeſimoprimo Ianuarij.

Aduerſus hæcagmina Rennenbergenſes aciem dirigunt, cumque in ſequentem, vſq; diem in procinctu ſtetiſſent, poſt prædium in ipſa vſque caſtra, ignorantes hic munitionem ex curribus factam, furioſo aggreſſu peruenium: hic Henricus Snaterus exercitus ductor occubuit glande ictus. Oppidani eruptione facta hoſtilia caſtra inuadunt, & opimam prædam reportant.

VI. & VII. Februarij, inquiſitio luſtratioque fit tota vrbe, & quis commeatus adhuc ſuperſit exquiritur: frumenta, atque alimenta alia, in duos facilè menſes ſufficientia, tam apud pauperes & mendicos, quàm apud diuites, præcipuè vbi putabatur non inquiſitum iri, inuenta ſunt. Cornputus eos qui eſclarant acriter obiurgat, obijcitque in quæ pericula regionem & ciuitatem coniecíſſent, quando quidem præſidiarios ſuſpicione maximæ penuriæ ad ſeditionem propemodum permouiſſent, eorumque animos labefactaſſent, hoſtem verò in ſumma neceſsitate & penuria animaſſent, ipſos denique Ordinum proceres impatentiſsimis ſcriptis de ſubſidio ferendo, ferè compulíſſent ad generale prœlium maximo cum periculo tentandum. Verùm hæc acria Cornputi dicta nequaquam profuerunt: neque ea de cauſa deſiterunt rurſus literis ſcriptis ſubſidia poſtulare.

Multis velitationibus indies hic certatur: Rennenbergius plura propugnacula munimentaque inter Noritſij caſtra & vrbem obſeſſam exſtruit: quæ operarij dum primò iactis fundamentis incipiunt, proteguntur, vndique plauſtris ſimo onuſtis, itaque tuti aggerãt ſodiuntque. Iubet præterea Rennenbergius omnes ceſpitum ſtrues igne iniecto comburi, vt vias vndique planas, apertasque habeat: verùm id parum ei profuit, nihil enim literarum aut nunciorum ex vrbe, quod quidem mirandum, inueſtigare potuit.

Cornputus tandem globos plumbeos bilibres artificioſè fundit duobus foraminibus, vni Epiſtolam includit, alteri igneam materiam aptè inſerit, vt globi fumantes facilius percipi atque inueniri queant. *Globi miſſiles quibus literæ inſerta.*

Noritſius obſeſsis ſignificarat ſe cura 15. Februarij aduenturum, vrbi ſuppetias laturũ, & ſui exercitus aciem curribus vtrinq; muniturum atq; hoc pacto cõmeatum inuecturum, proinde 3. pótes Aæ imponerent. Itaq; Cornputus vrget inſtatq;, vt diuerſa oppugnacula extra vrbẽ confi-

Digitized by Google

An. 1581. ciantur, & per ipſos propemodum aggeres hoſtiles fodiatur vſq; ad Noritſij caſtra: verum ſurdis canit. Nihilominus in plagam occidentalem propugnacula extra vrbem conficiunt, & multo labore atque ſudore humum gelu induratam aſcijs ſecuribuſque perfodiunt, pontem Aç imponunt, & ex vrbe in apertum campum progrediuntur. Noritſius poſt ſpeculares vtrinque ſignificationes editas, inſtitutum aggredi volens, difficultates incommoditatesque graues occurrere videt: currus enim ægrè admodum gelatos paludū cliuulos tranſire poterant, & maximus fragor ſtrepitusque longè ac latè perſonabat: qua quidem de cauſa ab incepto deſiſtit, neque quicquam vlterius exequitur: Obſeſſi nihilominus incepta munimenta abſoluunt, & ne hoſtis contra aggeres iaciat, impediunt, hoſtilia plauſtra inuadunt, & nocte dieque in campis extra vrbem permanent.

Ercmuycka-mi extra vrbē propugnacula conficiunt.

Circa decimumſeptimum dicti menſis diem, reſoluitur gelu, maximo obſeſſorum commodo ac ſolatio, quandoquidem equitatum hoſtilem nequaquam, tam inſeſtis excurſionibus ampliùs graſſaturum confidebant.

Die decimooctauo Noritſius orditur propugnaculum nouum circiter mille paſſus vlterius ſua caſtra, ad veteres Aç aquas, verùm lentè & difficulter admodum, eo quod foſſores & idonea inſtrumenta deeſſent: Rennenbergius id fruſtra oppugnat bellicisque tormentis quatit.

Noritius commeatum in obſeſſam vrbem mittit.

Die vigeſimo ciuis vnus & prædiarij quatuor, circa meridiem egreſſi vrbem, inter ſtationarios hoſtes & propugnaculum procurrunt illæſi ac ſalui, quanquam hoſtilibus armis glandibuſq; frequentibus impeterentur. hinc via qua obſeſsis ſuccurratur oſtenſa: itaq; die vigeſimoprimo per eandem viam mittit quoſdam ſui exercitus milites, qui his quinque comitantibus, centum quinquaginta caſeos, trecentos quinquaginta panes, & pulnerem nitroſum faſciculis colligatis deferunt, atque circa pontem oneribus depoſitis, recta vnde venerant reuertuntur. Rennenbergius id impedire conatur, verùm ſeriùs. Hi quinque qui voluntarij intrepidique egregium hoc factū exequuti fuerant, à ſtrategis meritò aliquot aureis nummis honeſtantur.

Nocte ſequenti, Noritſius aliud exiguum quoddam propugnaculum vicinius oppido 272. paſsibus molitur, idque ab oppidi munimentis tantum 896. paſsibus diſtabat: Rennenbergij autem propugnaculum in medio ſitum 776 paſsibus ab vrbe aberat. Obſeſſores ſua tormenta ad loca magis commoda trans Aam auehere nitūtur, ſumma cum moleſtia: nam graues machinæ adeo profundè humo immergebantur, vt ægerrimè extrahi potuerint. Extruunt eadem nocte rurſus munitionem iunctis plauſtris è regione noui pontis, moliunturque nouum propugnaculum: oppidani autem quibuſcunque queunt modis opus impediunt.

Prælium acre inter obſeſſores & obſeſſos.

Interea dum vtrinque munitionibus ſtruēdis opera impenditur, maximus paſsim tumultus exoritur die 22. Noritſius enim ab omni parte prælia tentat, obſeſſores ex caſtris elicit, qui ocyſſimè aciem in campi æquore inſtruunt: interea verò obſeſsi per nouum pontem aggrediuntur, plauſtraque omnia hoſtibus eripiunt: fit ingens vbique conflictus: ſonantque horēdum in modum tartareæ Bombardæ. Oppidani quoque maximo impetu erumpunt, quacunque poſſunt via hoſtem aggrediuntur: & quanquā ab hoſtili equitatu ſæpè repellerentur, identidem tamen per paluſtres foſſas abſque magna difficultate reuertuntur: humor enim horrido frigore concretus iam diſſoluebatur, impediebatq; quo minus equites paluſtria loca tranſire poſſent. Cumque poſt ingentes vndique turbas ac cōmotiones, generale prœlium ſubſequuturum videretur: obſeſſores defatigati atque famelici, paulò pòſt meridiem retrocedunt ac tergiuerſantur, præcipuè pedites, ſeditioſiſque vocibus pecunias, mille diabolorum nomine, exclamant, vt plerunque in extremis huiuſmodi periculis fieri ſolent: tantoque feruntur furore, vt equites eos nequaquam retinere aut compeſcere diutiùs poſſent, itaque multis interemptis, diſcedunt.

Noritij ſecundo cōmeatum obſeſſis ſuppeditat.

Tertia poſt meridiem hora, cum ſeſsi vix dum ſe ad quieſcendam compoſuiſſent, oppidani ſubſidiarios iterum ex ſuis propugnaculis verſus vrbem tendere proſpiciunt, itaq; ocyus excurrunt crates vltra pontem deferunt, quas paluſtribus foſsis ſuperimponant, quæ ſubſidiarijs quàm obſeſsis propinquiores erant: vnde feruentes promptoſque in neceſsitate animos facilè licuit videre: itaque ſubſidiarij cum ſuis & agricolarum plurimis equis frumento, farina, pulucre Bombardico onuſtis appropinquantes verſus pontem tendunt, onera ſparſo ſtramini ſuperim ponunt, recurruntque plura alaturi: ipſi quoque pedites caſeos & panes impigri baiulant.

Interea propugnaculum, quod eis præcipuè erat impedimento, Cornputus ſtrenua ſuorum ope ardenti ſtramine & piceis vaſorum circulis oppugnat, Bombardis ſclopetisque verberat: contra duæ prælidiariorum cohortes propugnaculum, quanquam paucos ferentarios, aut Bombardicæ rei peritos haberent, ſtrenuè tuentur: & proximi propugnaculi cuſtodes frequenti grandine glandium oppugnatores vexant: nihilominus oppidani imperterriti perſeuerant: hoſtibus pontem tormentorum vi verberantibus, tormenta eripiunt, caſque in vrbem pertrahere moliuntur, verùm Rennenbergij equitatu aduentante, relinquunt, & in vrbem reuertuntur, magno hoſtium numero interempto, vulneribusque affecto, ita vt

Digitized by Google

ita vt postridiè septendecim mortui eodem adhuc loco inuenti fuerint: tenebris autem subortis discesserunt. An. 1581.

Rennenbergius postquam sua propugnacula adeò violenter oppugnari, gelu resolui, & suos milites difficiles inuitosque videt, obsidionem relinquendam decernit: tormenta armaque omnia secreto, nocte obscura colligi iubet: propugnaculisque ac munitionibus omnibus relictis, cum suis VVestwickam tendit: adeò quidem tacitè, vt oppidani aut subsidiarij id nequaquam nocte tenebrosa persentiscere potuerint: hostes acie instructa in vicum Ormenum veniunt 22. Febr. clara luce. Noritius qui cum subsidiarijs versus vrbem iter instituerat, abeuntes insequi primo quidem tentat, verùm consilium sapienter mutat. *Rennenbergij obsidionem relinquit.*

Obsidione soluta, obsessi liberè ex vrbe erumpunt, pecora, carnes, vina, cereuisiam multaque alia ab hoste festinante relicta reperiunt.

XXIIII. Commeatus quem Noritsius aduexerat, in vrbem defertur. Ita demum vrbs obsidione prorsus liberata fuit, postremò trium hebdomadarum die, vt Cornputus prædixerat, quatuor menses ab hoste cincta. Tunc demum apparuere, atque in conspectum prodiere recondita frumenta & alimenta: ciuibus suam impatientiam atque inexperientiam summopere dolentibus. Ordines pecunias in militarem vsum erogatas restituunt, & grauia incommoda passis multa liberaliter benigneque concedunt, immunitatemque ab omnibus generalitatis oneribus donant. Verùm facultatibus, quarum causa adeò anxij sollicitique in obsidione fuerant, non diu vsi sunt: maxima enim pars eodem anno peste grassante, extincta est, solo aereque fœdissimè infecto humano sanguine & cadaueribus inhumatis: relictaque bona in manus hostium peruenerunt: Has ob impiam in Deum diffidentiam, cùm nulla adhuc egestate vrgerentur, pœnas tandem dederunt, quod eis satis amplè sacræ scripturæ testimonijs declaratum prædictumque fuerat, accidit plurimi.

Accusabantur Ordines, quod minus humaniter cum præsidiarijs, qui Steenvvyckam adeo strenuè propugnarant, agerent. Nam Cornputus & Olthofius diu multumque sollicitando stipendij sui solutionem nequaquam impetrare, quod prouinciales essent, potuerunt, multo minus honorarium aliquot munus meritis dignum sperare. Reliquis autem duabus cohortibus Germanicis sub Stuypero & Berenbroeckio, quibus non multum debebatur, satisfactum est.

Huius obsidionis tempore Sonnoyus, cum paucis suorum, [illegible]em Vollehouanam præfidio Rennenbergij munitam obsidet, & breui, deditione capit.

Angli, Galli & Iselsteynenses milites in Kuynderam missi, templum arctè cingunt, quod paucos post dies eis deditur.

Cohors legionis Frisiæ sub D. Merodio, cùm Lemmeram & Slotam tormétis verberassent, deditione ijs potiuntur. Postea legiones Anglicanæ & Scoticæ dispertitæ in diuersa præsidia mittuntur.

Nienoritius recta in Omlandas profectus, propugnaculum VVinsomense, quod Græningenses obsederant, suo aduentu liberat: propugnaculis & munimétis VVinsomæ, VVinsmerzelæ, VVarsumæ, VVarsumerzielæ, Auuerderzielæ, & alijs magnum terrarum tractum subiugatum tenet, & violentis exactionibus vexat.

Rennenbergenses cum in regione Steenvvyckana haberent castra Middelstumæ, vt Steenvvyckanos vallarent, Neuortius eos cingere conatur: verùm vi viam aperiunt, & duas cohortes Nienortianas sub Renoyo & Verckeno in templo quodam cinctos oppugnant, & ad deditionè cogunt vita & facultatibus saluis, cum stratigi abessent.

Oyenbruggius cui defectio Rennébergij imputabatur, in Salantam venit, arcem Boxburganam capit, Gooram & alia quædam minora loca munit, multamque prædam abigit.

Impositio iam fine narrationi obsidionis Steenvvyckanæ, acta præcedentis tempestatis repetemus, gesta sub finem anni 1580. prolixius latiusque explicaturi.

Sub finem anni 1580. Philippus Castiliæ Rex, Portugalliæ regnum vi inuasit: seque proximum hæredem prætendit à morte postremi Regis Henrici Cardinalis, sui auunculi, antiquioris quoque auunculi Regis Sebastiani, non ita pridem in Mauritania interfecti, nempe fratris Regis Ioannis aui Sebastiani, fratris quoque D. Ludouici Portugalliæ patris D. Antonij, Regis Philippi competitoris. *Philippus Castiliæ Rex Portugalliæ regnum vi inuadit.*

Philippus Rex nomine Isabellæ suæ matris filiæ natu maximæ Regis Emanuelis, dicti Cardinalis Regis sororis, regnum sibi vendicabat, reliquis fratrum & sororum prolibus, nepotibus neptibusque, omnibus simul exclusis: inter quos maximus natu frater Regis Ioannis secundi, filij Emanuelis, D. Ludouicus, filium habuit nomine Antonium, honesta generosaque matre Iolenta, claro quidem, etsi non regali stemmate nata, progenitū: hic ab omnibus, tanquam illegitimus habitus, maximè cp nulla regni possidendi spes affulgeret, ecclesiasticis bonis possidédis destinatus fuit: postmodum aūt testes producti, qui Antonij patré hanc Iolentā yxoré duxisse, assereret, indicijsq; ac testimonia legitimi thori adferrét: hinc lata sententia pro Ant. corā Episc. *D. Antonius Ludouici Regis Portugalliæ filius.*

Digitized by Google

An. 1580. Emanuele Almadeo: hanc autem Rex Henricus, Hiſp. aut fauore aut metu, ratã habere noluit: litem verò & teſtimonia coram ſe agi ediqúe voluit: Dominus Antonius hanc actionem perſentiſcens, metuensque, ne aunnculus eum aut auerſatus, aut Regis Caſtiliæ potentiam metuens, iam ſenio affectus, ſuo iuri officiat noceatque, Pontificem Romanum permouit, vt cauſæ cognitionem ſuſcipiat: itaque lis in Curia Romana non iudicata diu hæſit. Henricus autem Rex iudices quoſdam præſtantes conſtituit, qui, cui regnum optimo iure competeret, iudicarent atque definirent: quandoquidem competitores erant multi: nempe Rex Caſtiliæ Philippus, Dux Sabaudiæ. Reynutius Farneſius Principis Parmenſis filius Belgij Gubernator, Dux Braganciæ, Regina mater Galliæ, Reſpublica quoque Portugalliæ, quæ electionem in hac controuerſia ſuccelsionis ergo, penes ſe eſſe putabat, vt ſæpè antèa contigerat: moriensque Henricus teſtamento mandauit vetuit quod ne ſententiam pronunciarent, priusquam iud cia de Antonij thoro legitimò à Pontifice eſſet editum.

Lis de legitimis D. Antonij nat. alibus ex curia Romana haberet.

Competitores Regni Portugalliæ.

Nihilominus Philippus Rex, exercitu paulatim terra mariqúe collecto, Ducis Albani opera, Mauritaniam inuadere prætendens, ſimul ac nuncium de Henrici Regis morte accepit, Portugalliam inuadendam imperat. Proinde iudices in Portugallia à Rege defuncto conſtituti, Philippum, qui nequaquam ſe ipſorum iudicio ſubmittere voluerat, hortantur rogantque, vt Legatis miſis cauſam legitimè & ciuiliter, non armis aut vi defendant, ſe enim hoc modo, etiam in iuſta actione, ſuccubituros. Verùm hæc iudicum præmonitio nihil prodeſt: ipſe Albanus armis inſtat, cui populus, procerum Ordines & ciuitates reſiſtunt, conſuetisq; ceremonijs Dominum Antonium, tanquam proximum virilis ſexus hæredem, Portugalliæ Regem creant, idque auctoritate antiqua conſuetudinis populo vſitatæ in Regis electione, virili ſexu in recta linea deficiente. Fuitque hæc inauguratio à tribus eiuſdem regni Ordinibus confirmata.

D. Antonius Rex Portugalliæ creatus.

D. Antonius fugiens Portugalliam reliquit.

Dux Albanus inſtructus multis triremibus alijsque nauibus præſidiarijs, & circiter triginta armatorum millibus, præcipuè veteráis, ac belli expertibus militiæ præfectis, qui in Belgio militauerant; inter quos Sancius Dauila, arcis Antverpianæ olim prefectus; multas Portugalliæ vrbes vi capit: fuæ claſsi imperat, vt flumen & portus Lisbonæ occupent, ſeque propugnaculis & nauibus præſidiarijs probè muniant: poſt ipſe cum ſuo exercitu aduenit, & Antonium Regem imparatum ac incautum [illegible]uertit, præliaque non procul ab vrbe Lisbona ſuperat.

Antonius duobus vulneribus acceptis, fuga euadit: poſt plurimos caſus ac periculà Portugalliam relinquit, & nauiquadam Enchuſiana in Galliam venit: huius autem nauis Præfectus Cornelius Egmondanus, à nauibus Hiſpanorum in mari interpellatus, cauſatur eos qui in ſua naui erant, peſtilentiali morbo laborare, atque hoc prætextu euadit. Itaque Rex Antonius Caletum Galliæ vrbem, Dei numine ac prouidentia appulit: hic aliquandiu apud Regem Galliarum, & poſtmodum in Angliæ regno ſe continuit, vbi & etiamnum manet.

His modis Philippus Caſtiliæ ſiue Hiſpaniæ Rex regno Portugalliæ vi potitur: Lisbona metropolis ab Hiſpano milite diripitur: quin & incolæ ac Prouinciales eiuſdem regni & metropolis, etiam extra iplius Portugalliæ regni limites ſpoliantur atque affliguntur miſerè. Appendices ipſius regni Portugalliæ, nempe Indiam Orientalem, multas Africæ vrbes, diuerſaſque inſulas poſtea quoque capiunt Hiſpani: propter Azoras autem difficultatis nonnihil patiuntur.

Mors Ducis Albani, & Sancij Dauilæ.

Albanus qui Belgium longo tempore crudeliter afflixerat, iamque ſe ad Portugalliam prorſus domandam atque ſubiugandam inſtruxerat, multaque hic pro ſuo imperio truculentè egerat, moritur Lisbonæ 12. Decemb. anno 1582. natus annos circiter 79. Sancio Dauilla vir ſtrenuus, & rerum bellicarum peritiſsimus in Portugallia quoque mortem obit, ab equo ſiue mulo perculſus, conculcatus, grauiterque læſus.

Varie opiniones de inuaſione Regni Portugalliæ.

Parta armis Portugallia, multi Philippum Regem graue damnum, quod perditio Tunetano regno paſſus fuerat, ſatis recuperaſſe exiſtimabant: contra verò plurimi prudentiores, rerumque publicarum adminiſtrandarum peritiores iudicabant; longè conſultius vtiliusque fuiſſe orbi Chriſtiano, ſi regnum Tunetanum ſtrenuè protexiſſet atque ſeruaſſet: timendù enim ne Turca ſuo armamentario hic commodè confecto, claſſe, nauibus præſidiarijs & triremibus inſtructis; ſicut olim Carthaginenſes feciſſe conſtat: Europam, totumq; Chriſtianum orbem, maximè Italiam, Hiſpaniam, Siciliam mari inuadat: quod huius loci commoditate facilius, quàm ante hac vnquam: quandoquidem Conſtantinopolis longius diſsita huic inſtituto minus apta ſit, præſtare poterit: Philippi Regis acta nequaquam tam honeſta aut vtilia eſſe atque multis videantur: quandoquidem regnum Chriſtianum, quod hominum memoria nullum prorſus bellum contra Chriſtianos geſsit, incautum, nullisque armis aut defenſionibus inſtructum, ex improuiſo inuaſerit atque oppreſſerit, idque non iuſtæ poſſeſsionis, ſed audaciæ ac potentiæ titulo vendicet: vnde ſibi generale quoddam odium omnium vicinorum Regum Poteſtatumque contrahat ſacilè apparet: ita vt vndique ei bella faceſſere atque turbas excitare, ſint

conaturi,

Digitized by Google

conaturi, præcipuè autē Portugalliæ subditos instigando atque iuuando, eos imprimis, ad quos regnum ipsum iure spectat: inter alios verò Regem Dominum Antonium, qui in tantis tamque variis miserijs atque vitæ periculis à summo numine seruatus videtur, tanquam insigne instrumentum, quo Hispanica regna affligantur atque perturbentur, ob grauia peccata atque enormia delicta, quibus tam Deum quam proximos vehementer offenderunt: habet enim Antonius filios satis acres ac strenuos, quibus id exequi nequaquam difficile fuerit. Det Deus, ne Portugalliæ expugnatio toti Hispaniæ malè cedat: sicut Bauari Colonientis Episcopi inauguratio, toti Germaniæ, generali pace perturbata, satis infeliciter cessit. An. 1580

Eodem hoc anno Rex Hispaniarum proscribi iussit Principem Auraicum, fuitque hæc proscriptio promulgata mandato Principis Parmensis: qua post multos exprobationes & beneficiorum à Rege præstitorum commemorationes, Auraicus tanquam rebellis, hæreticus, hypocrita, Cainus, Iudas, & homo indutæ præfractæq; prorsus cōscientiæ taxatur: deniq; post omnium eorum, quæ contra Regem attentarat longam narrationem, tanquam perfidus, scelestus, turbarum seditionumque Belgicarum author, pestis Christiani orbis, & hostis humani generis proscribitur, diris deuouetur, prædæ ac occisioni eius bona, caputque proponuntur quibuslibet. Vtque è medio tollatur, & populus ab eius tyrannide liberetur, quam fieri possit citissimè ac propensissimè præmia proponuntur egregium hoc homicidium committentibus: promittit Rex regio suo verbo, tanquam Dei seruus, si quis animo tam generoso ac nobili sit, adeoque suo seruitio & communi saluti fauens atque addictus, vt hanc suam voluntatem exequatur, & orbem Christianum ab hoc pestifero pernitiosoque homine liberet, eundemque siue viuum, siue mortuum tradat, aut quandocunque interimat, huic tam præclarum facinus patraturo eiusue hæredibus se curaturum numerari præsentarijs pecunijs, aut, si malit, in fundis & bonis immobilibus constituì; vigintiquinque aureorum coronatorum millia: præterea eidem condonaturum quodcunque antea scelestum facinus admissum: *& si nobilis non sit, ob meritum tam præclarum nobilitate decoraturum.*

Rex Hispan. Philipp. Principem Auraicū proscribit.

Nota. Respondet ad hæc Auraicus: Stulta ad nobilitatem & honores refert ista via, non esse mirum, nobilitatē Hispanicam ex Maranorū & Iudeorum progenie ortā, suosque maiores probè scqui, vtpotè qui Christi veram religionem nunquam amarint.

Declarat quoque proscribi, & pœnam capitis & amissionis nobilitatis, honorum atque bonorum incurrisse, quoscunque Auraici socios & sectatores, nisi intra mensem post hanc promulgationem ab eo recedant, indicitque confiscationem omnium facultatum ad eosdem spectantium, tam in Hispania quàm alijs quibuscunque locis, siue merces, pecuniæ, debita, actiones, aut alia quæcunque sint bona. Hæc proscriptio iussu Parmensis duabus linguis impressa fuit, & promulgata mense Iunio: ex ea Lector quæ de his amplius scire volet, petat.

Princeps Auriacus ad hæc insigni apologia amplè respondent, quam Ordinum generalium proceribus in conuentu Delfensi 13. Decembris offert typis exculam vnà cum ipsa proscriptione. Itaque Ordines generales 17. Decembris, iudicant, determinant, confirmantque se reipsa atq; ipsissima veritate compertos habere, hæc acta scelerague Auraico atque iniquè imputari, idque esse manifestissimum.

Ordinū generalium Belgij de Auraici prohibitæ iustissimū.

Quod verò ad onera generalis & particularis administrationis attinet, declarant Auraicum quamuis legitimè designatum, hæc tamen onera nequaquam suscepisse, nisi enixè ab eis rogatum atque obsecratum, & Belgicarum Prouinciarum arbitrio ac voto fideliter commissa compleuisse: rogant proinde Ordines, vt continuare velit, & auxilia adiumentaque promittunt, seque operam sedulò daturos quibuscunque modis, vt ei plenè perfectèque obediatur pollicentur: imò in signum testimoniumque gratitudinis ob fidelissima officia meritaque Prouincijs exhibita, & adhuc, vt sperabant, exhibenda, in suæ vitæ protectionem ei offerunt, cōmunibus Prouinciarum sumptibus, equitum turmam alere, rogantque vt oblata grato animo accipere velit. Addunt præterea, se breui quoque, opportunitate data, ad Regiam proscriptionem contra Ordines generales, responsuros. Hæc procerum sententia atque determinatio ordine expresso ac conueniente fuit scripta, & subnotata per Houslin.

Principis Auraici Apologiam varijs linguis sæpè editam excusamque, & satis vbique terrarum nunc notam diuulgatamque hic addere superuacaneum reputauimus: cùm ad plurimos Reges, Principes Potestatesque missa fuerit vna cùm anathemate ac proscriptione.

Plurimi magis consultum ac vtile Regi fuisse reputabant ab hac proscriptione abstinere: quandoquidam materiam atq; occasionem aduersarijs præbuerit suam Maiestatem acri calamo exagitandi: Auraicus enim apologia adeo vrgente, atque euidente sua officia meritaque, & hostium ingratitudinem, delicta, dolos & fraudes depingit, vt vsque ad huc nihil responsi quo obiectiones dilui debuissent, prodierit: idque forsitan ea de causa, quod responsendi refellendique materia defuerit, aut quod Rex tanquam piscator ictus, tandem resipuerit: responsio quidem Nauij Iunioris calamo iactata intentataq;, diu multumque à parte aduersa fuit exspectata: verùm Hispani & Principis Auraici hostes immanissimi aliam se oblectandi occasionem captarunt, fructu anathematis atque proscriptionis tandem freti, Auraico sclopeti ictu traiecto ac interempto.

Digitized by Google

An. 1581. Huius anni 1580. die 28. Decembr. obijt Gerardus Groesbeckanus, Leodiensis Episcopus, Cardinalis, qui Leodienses inuita reluctanteq; ipsorum natura ac indole, ad Regis Hisp. partes pertraxerat. Videtur hic homo obijsse mœrore animique nimio dolore, quòd Leodienses potulatam exactionem ei satis obstinatè recusassent. In electione noui Episcopi Ordines Belgij omnem operam adhibuerunt, vt aliquis Belgicis rebus magis fauens eligeretur: & multi quidem suffragabantur Archiduci Matthiæ, verùm factionis Hispanicæ studiosi prævalucrunt: itaque 30. Ianuarij electus fuit Ernestus Bauarus, Ducis Bauariæ filius, qui antea Episcopatui Colonicnsi summoperè inhiarat, quo tandem etiam potitus est.

Groesbeckanus Episcop moritur: in eius locum succedit Ernestus Bauarus.

Ineunte mense Maio, Deputati Prouinciarum Belgicarum ad Andegauensem in Franciam ablegati in Belgium reuertuntur, Prouincijs in Andegauensis dominiũ ac potestatem traditis, quanquam nonnulli articuli non plenè ac planè determinati essent: imprimis de bello à Rege Galliarum Ducis fratre suscipiendo contra Hisp. Regem, quod quidem Ordines Belgici imprimis exoptabant. Dux verò Andegauẽsis cum multos in Gallia suis inceptis aduersari, & Regi Hisp. partes fouere atque defendere comperisset, circa idem tempus scriptum quoddam edidit ad omnes Galliæ curias, quas Parlamenta vulgo vocant, quo firmam, constantem laudabilemque suam sententiam de protegendis & liberandis Belgicis regionibus declarabat, idque sibi honori & regno Galliæ commodo futurum multis argumentis probabat.

Bruxellæ D. Haulsius cum vxore, D. Liekerkij filia, id temporis apprehenditur, Ordinibus suspectus, tanquam consilius particepsque consiliorum partis aduersæ. Eodem quoque oppido eadem tempestate quidam frater Antonius Ruyskenveldius, Ordinis Dominicani Monachus, à Gandauensibus vrbe eiectus tanquam exul, ingentem tumultum excitauit: cùm enim Curionatum in vrbe Bruxella administraret, plurimos suis concionibus in suam sententiam pertraxit, eos præcipuè qui salutifero consilio ac instituto ad vrbis defensionem, aduersabantur, & qui hostiles contra ciuitatem machinationes Egmondani & multorum aliorum, nempe Iodoci Buttens Doctoris, Andreæ Anderlechti, & superrimè Domini & Dominæ Haullij, etiam Ioannis Cobij Angli, pridem in quatuor partes dissecti, alebant atque foebant: quapropter Magistratus Bruxellensis varias sæpè rationes causasque proponit Monachum hunc eliminandi: sed frustra, tandem suspicionibus de eo indies magis magisque crescentibus, modus quo discedere cogatur, inuentus est: quod simul ac ipse suique fœderati persensissent, maximo numero ante D. Templei Gubernatoris ædes tumultum excitant: clamant, Catholicæ Religioni addictos nequaquam passuros suum concionatorem vrbe eijci: imò id prohibituros etiam si in frustra dissecarentur viui: hæc atque his similia furibundi exclamabant.

Bruxella D. Haulsius apprehensus. Tumultus Bruxellæ.

Cùmque hac vice blandis sermonibus fuissent pacati, à prandio, cùm Magistratus eò conuenisset, ingenti rursus excitato clamore ac tumultu, silices è plateis stratis effringunt, armis lapidibusque fæuiunt, ipsius Domini Ammanni caput fecuri iactata petunt: posteaquam verò præsidiarij & potiores ciues armati prodierunt, compescuntur, rumor que sedatur. Rebus autem omnibus exactè perscrutatis atque inuestigatis, variæ machinationes in monasterijs, prætextu quodam diuini cultus, missarum, aliarumque similiũ actionum velatæ, palàm compertæ sunt: itaque Antonium Ruyskenfeldium Monachum seditiosum cum suis fœderatis vrbem Bruxellensem exire compellunt: vlterius quoque, vt templa ac monasteria claudantur constituunt: & ne insolentiæ aut violentiæ in mulierum monasterijs, huiusmodi seditiosis tempestatibus admittantur, præcauere satagunt: Senatus quoque auctoritate iubetur, vt imagines & statuæ tollantur, & optima quæque commodè collocentur, aut pretio quàm fieri queat maximo in Reipublicæ vsum vendantur, vt hinc ciuitati multis oneribus grauatæ, & pauperibus subueniatur: ad hæc Romanæ religionis exercitium suspendi sistique iussum fuit, edicti sequentis promulgatione.

Edictum quo Bruxella exercitium Romanæ religionis suspenditur.

Quamquam maximè eorum, qui in hac vrbe religionem Romanam sectantur, parti nequaquam imputandum videatur, quod iam tot annis tolerati sint tam multi abominabiles & fallaces in eadem religione abusus, quibus incautè & nimis credulæ plebi persuasum atque propositum fuit, specie quadam sanctitatis, magno cum honore ac reuerentia spem collocare in reliquijs, ossibus, imaginibus, statuis diuorum & diuarum, imò in speciebus quibusdam sacramentalibus, fictis quoque miraculis longo temporis successu diuersis diuorum generi adscriptis: pluresque aliæ turpes indecentesque nugæ ac impostura inoleuerint, quas Senatus ac Magistratus huius vrbis superrimè euidentibus argumentis detexit: quãdoquidem vetusta scripta clarè docerant, particulam hactenus Sacramentum miraculosum dictam, nunquam sanguinem emisisse, læsam fuisse, aut custodiæ, aut adorationi destinatam: imò idipsum quod populo adorandi causa ostensum obtrusumque est, nihil fuisse meram panis substantiam fuisse, anno 1529. grassante contagioso sudoris morbo, primùm populo mortiferis angoribus presso, magna cum solennitate oblatum, exhibitumque fuisse, & peplis alijsque substantijs permixtum, instar trium sanguinolentarum hostiarum, adorandi causa adornatum effigiatumque, vnde quidam aua-

Impostura & nuge de Sacramento miraculoso & aliis reliquijs fictitijs Bruxellæ.

ritiæ

ritiæ dediti quæſtum facerent: cùm tamé ante annos centum, & amplius, omnino nulla aut exigua admodum hæc de re fuerit facta mentio, ipſæque ſcripturæ de origine ac miraculis prætenſis, nunc perlectæ atq; examinatæ veritati aduerſentur, neque vlla parte veriſimiliter cohærere videantur: ita vt pateat, hæc eiuſdé eſſe farinæ ac generis cuius nugatiua figmenta quæ diuulgari palam in concionibus ſolent, de Capſa V Vaurenſi, Capſa D. Antonij, & pluribus huiuſmodi alijs nugamentis: quæ omnia ipſemet Pontifex Romanus, in Concilio Tridentino vetari ac condemnari iuſſit, cùm iam videret impoſturas, & fallacias latitantes, populo nequaquam diutius cælari poſſe. Comperit quoque Senatus, alias technas auaritia Eccleſiaſticorum ſtructas: ita vt in hac ciuitate populo partes quædam vetuſtorum lignorum, præcipuè alueorum, tigillorum oblatæ fuerint, adorandæ loco crucis Chriſti: imo etiam particulæ oſſium ſimiarum, & ſimilium beſtiarum, loco oſſium & reliquiarum Diuorum: fuit inſuper, contra Eccleſiæ Comanæ doctrinam, permiſſum proferre ac obtrudere populo particulas ſepulchri, Diuæ Virginis Mariæ, & cranium Diui Michaelis, multaq; alia abſurda, & veræ Religioni aduerſantia, quæ populus miſerè deceptus piè coluit, atque adorauit, tanquam vera ſacra: in aliquot quoque ſtatuarum capitibus inuenta ſunt foramina quædam, quibus impoſtores oleum, & alios liquores infuderunt, vt ſtatuæ ſudorem emittere viderentur: quin & ſtatuæ hic inuentæ, quæ artificioſis inſtrumentis membra quædam mouere, tanquam viua corpora, ſæpius ſunt viſæ: nulla morborum aut euentuum genera in toto orbe, quæ non habuerint ſuos peculiares patronos, ac certos diuos: atq; inter eos fictitijs nominibus cognominatos plurimos: præſidebat enim incendijs auertendis, & extinguendis Sanctus Brandarius: rebus perditis atq; amiſſis recuperandi ac inueniendis, Sanctus Arnoldus: hæmorchoidibus & condylomatibus curandis, Sanctus Fiacrius: & id genus ſexcenti, alij ſeo quiſq; munere fungi, fingebantur: vnde credula atq; incauta plebs plus fiduciæ, & ſpei in huiuſmodi confictos diuos, adhibitis plurimis cæremonijs, facibus, candelis, alijſq; eò ſpectantibus rebus friuolis, quã in Deum omnipotentem collocare viſa eſt. Hos abuſus abominabiles neceſſario extirpandos cenſuit Senatus, cùm iam longa rerum experientia liquidò conſtaret, Eccleſiaſticos auaritia flagrantes, in his omnibus nimis pertinaciter perſeuerare, imò nebolus hic, auaritiæque fomes, eorum faucibus eripiatur, quibuſcumque modis reſiſtere. Poſtquam verò, nunc tandem huiuſmodi abuſus, & nequitiarum fontes conſultò ſunt ſublati: rationi ac æquitati conſonum omnino videtur, vt huic Romanæ Religioni vitijs tam enormibus ſcatenti, fauentes atq; addicti, ſuæ Religionis exercitium, ad tempus omittant: & præfixis à Senatu legibus ac præceptis obediant. Poſtquam etiam manifeſtè patuit, communes patriæ hoſtes plurimis iam machinationibus, hanc ciuitatem igne, ac gladio vaſtare, & funditus delere conatos fuiſſe, præcipuè ex Comitis Egmondani, Iodoci Buckenſij, Anderlechti, Haultij, multis quoque fratris Antonij Ruyskenveldij & eius ſociorum geſtis factiſque: iamque eoſdem omnem ſuam ſpem firmiter collocaſſe, in multitudine eorum, qui ciuſdem fratris Antonij, conciones frequentarunt, vnde varia apud varios conſilia agitata: quanquam maior populi pars in ſcia, ac doli ignara ſit, quod experientia ipſa in ſingulis inceptis ſatis docuit: nihilominuſque timendum, dictos hoſtes, etiam detectis varijs technis, nequaquam deſtituros hoſtilibus inceptis, ſed quoſque artes, ac vias tentaturos, quibus hanc vrbem inuadant proditorum opera: maximè cum iam vti poſſint inſtinctu, ac dexteritate eorum quos Senatus, nuper ex vrbe eliminauit, ob perfidas machinationes, quæ euidente aliqua factione non fuerunt deteſtæ: multa quoque præſtare poſſint, non tantum prætextu confeſſionis auricularię, & id genus ſimilium fucorum, verùm etiam congregationis in miſſis & concionibus, quibus commoditatem ac oportunitatem venantur tumultus ac ſeditiones excitandi à factioſis: cuiuſmodi Ruyskenveldius, cum ſuis ſectatoribus incœpta ſſe viſi ſunt, magno eorum qui innocentes fuere, malo: maximo quoque totius ciuitatis & proborum incolarum periculo. His potiſſimum de cauſis huius vrbis Senatus reputauit, nequaquam vtile eſſe hac tempeſtate, ad conſeruandam quietem, concordiam ac ſecuritatem, inter huius oppidi ciues, vt in aliquo templo, ſacello, aut alio quocunque loco exercitium dictæ Romanæ Religionis exerceatur: verùm vt ab eo prorſus abſtineatur atque ſuperſedeatur, donec rebus magis pacatis, difficultates, & turbæ in vrbe hac, & tota patria; ſint compoſitæ ac ſedatæ: quandoquidem tempus neceſſitaſque nunc ita poſtulent: neque id inſolitum aut antea non viſum reputari poſſe: cum etiam ipſius Romanæ Religionis propugnatores atque ſectatores, aliquot annis nunc elapſis, rationibus longè minoribus moti, idem ſtatuerint, præſtiterint, publicumque ſuæ Religionis exercitium prorſus omiſerint, imprimis anno ſexageſimo ſexto, & pòſt multis quoq; vicibus. His alijſque pluribus de cauſis, quos Senatores neutiquam conſultum reputant hac tempeſtate propalare, edicunt, vt quiſq; ad normam huius ſtatuti ſe in excubijs, negotijs & actionibus quibuſcunque decenter, paciſicè & modeſtè gerat: ne alter alteri, quocunque modo exprobret aut obijciat aliquid eorum, quæ antè facta ſunt: quandoquidem dicti Domini Senatores hac de re ſtatuerunt, & ſtatuunt præſenti hoc edicto perpetuam vtrinq; obliuionem: recipiuntq; omnes

An. 1581.

An. 1581. & singulos cuiuscunque Religionis, in suam fidem ac tutelam, exceptis aliquot manifestè seditiosis nunc apprehendis, & tribus aut quatuor præcipuis auctoribus, postremæ machinationis dicti Ruyskenveldij: Si qui verò posthac deprehendêtur aliquas ex probrationibus, iurgijs, aut alijs insolentijs excitasse turbas, quibus huius vrbis excubiæ, tranquillitas publica, aut etiam ipsius Magistratus auctoritas impediantur aut lædantur: contra tales, tanquam publicæ quietis ac salutis perturbatores agetur. Ne verò quis ignorantiam aliquam prætendat, statuit Senatus hoc edictum promulgari. Actum promulgatumq; pro rostris ciuitatis Bruxellensis, præsentibus dicti is Dominis, prima de Maij. Anno 1581. Subsig. P. Cascus.

Antverpiæ altaria præcipua è templo primario à collegijs opificum tolluntur.

Antverpiæ hac eadem tempestate, collegia opificum tredecim, & iuratorum contubernalium sex, cùm iam ingens esset metus, ne plebs diuorum statuas, & imagines tumultuosè impeteret, postularunt à Magistratu, vt præcipuas, summaque arte pictas tabulas, quibus collegiorum altaria in primaria vrbis templo ornata manebant, quasque in prima altarium demolitione turbulenta eripuerant conseruarantque, nunc tollere, & auferre liceret: quod quidem Magistratus, quandoquidem prætiosæ artificeq; manu factæ essent, annuit, dummodo id absque offensione aut commotione fieret: itaq; clausis templi ianuis, mense Maio, altarium tabulas præstantiores amouerunt, altaria nouendecim docuerunt, reliqua viginti quatuor integra reliquerunt: eademq; salua permanserunt, donec tandem chiliarchæ, præfecti & strategi ciuitatis, metuentes ne pars aduersa prætextu liberi suæ Religionis exercitij aliquid in vrbis periculum aç damnum machinarentur, dictum Romanæ Religionis exercitiū intermitti postularunt: quod cum Magistratus diu multumq; recusasset, tandemnuncio de vrbe Breda capta audito, populo rem gratam facere cupiens, exercitium ad tempus omitti iussit Calendis Iulij, 1581. mandato in vrbis securitatem ac tranquillitatem hac sequente formula edito.

Edicto Antverpiæ promulgato sistitur exercitij Romanæ religionis.

Quandoquidem Consules & Senatores huius vrbis Antverpiensis, consilio tribunorum, præfectorum, & decanorum sex iuratis collegijs in hac ciuitate præsidentium, maximè ad quietem, & securitatem totius ciuitatis (vtpote quæ dictis Dominis à Consilio publico & generali ciuium imprimis commendata fuit) necessarium consultumque reputarunt, vt exercitium Romanæ Religionis ad tempus omittatur: Proinde nomine ciuitatis, prætoris, consulum & senatorum indicitur, ne quis in hac vrbe aut limitibus iurisdictionis, sacrum, quam missam vocant, priuatim aut publicè celebret, celebrari permittat, audiat, eíue aut cuicunque exercitio Romanæ Religionis interfit: Conceditur nihilominus liberum exercitium baptismatis, matrimonij, visitationis & consolationis ægrotorum, idque absque euidente aliqua congregatione: similiter etiam sepulturæ defunctorum, verùm absque pompis aut ceremonijs: quæ quanquam ciuibus, & incolis huius vrbis eiusdemque iurisdictionis ac territorij concedantur: extranеis tamen hac de causa in hanc vrbem venire, nequaquam liberum erit. Vtque ista exactè obseruentur, tribuni & præfecti ciuitatis, in sua quisque regione, obseruabunt atque procurabunt. Designabuntur autem Romanæ Religioni addictis, ad baptismatis & matrimonialis sacramenti exercitium, duo loca, nempè Sacellum Gratiæ, & Sacellum Hospitalis D. Mariæ in platea cæmeterij: Deligenterque ad permissi huius officij exercitium sex viri Ecclesiastici pacifici, qui fideliter & integrè se seruaturos hæc statuta, atque edicta iurabunt: contrà quocunque modo molientes, mulcta centum coronatorum in vsum pauperum, aut alia quauis iudicum arbitrio constituenda damnabuntur. Præterea, vt omnes tam Ecclesiastici quam seculares, ante hac, imprimis autem 28. Iunij, proximè elapsi, aut etiam pòst, ex hac vrbe aut aliis fœderatis locis eliminati atq; proscripti, etiam si permissu aut alia ratione hactenus permanserint, aut reuersi fuerint, intra 24. horas vrbe, territorio, & marchinatu Antverpiensi exeant, neq; reuertantur, nisi expressa venia ac facultate eorundem Dominorum & reliquorum, ad id deputatorum, sub pœnis suprà dictis. Exibunt etiam, mercatorum nationibus exceptis, omnes qui abhinc quatuor annis in hanc vrbem commigrarunt, ex quibuscunque nobis cum fœderatis, aut etiam non fœderatis siue alienis ciuitatibus aut locis, nisi intra quatuordecim proximos dies, aut etiam antè, pro locorum distantia adferant legitimum, & probum suæ vitæ testimonium à Magistratu siue constitorio loci postremæ suæ habitationis: quem quidem testimonij libellum ostendere tenebuntur strategis aut præfectis eius vici quem inhabitare volent: si verò hac in re difficultas oriatur, agent coram dicto Senatu, & tribunis ciuitatis: qui secus fecerit, pœna ante dicta mulctabitur. Interdicitur quoq; eadem pœna, ne quis huiusmodi personas domo aut hospitio recipiat. Præterea ne illi qui in societatem nationum Hispanicæ aut Italicæ resortiuntur (ijs qui vnà cum alijs excubias, in vrbe hac agere tenêtur, exceptis) longa arma aut sclopos in suis ædibus habeant, sed huiusmodi arma vendant, aut in manus eorum qui regionibus, & vicis huius vrbis præfecti sunt, & ad quorum iurisdictionem spectabunt, tradant, accepta syngrapha conseruationis & redditionis: gladios autem & pugiones habere permittitur, quos tamen in plateis non gestabunt, sub pœna amissionis eorundem: huiusmodi autem gestantibus adimentur tantummodo, ab ipsis præfectis, & administratoribus vici quem inhabitant. Ad hæc, ne vlli extranei aut viatores abs-

Digitized by Google

tores absque præfecti sub cuiuis administratione hospitantur, consensu, in plateis longa arma aut sclopos gestent, sed ea deponant ac relinquant, in suis hospitijs, donec ex vrbe sint discessuri, sub pœna amissionis eorundem armorum. Subsig. Hoboken. An. 1580.

Huius anni æstate, Princeps Parmensis Flissingam inuadere machinabatur, instinctu atque ope Bernardini Mendosæ, Regis Hispaniarum in Angliæ Regno legati: is enim per quosdam suos famulos Belgas, & per Aduocatum Bocchartium, nonnullos Belgas nauibus præsidiarijs præfectos pellicere tentarat, vt huic incepto operam dare vellent. Præfecti verò, Principis Auraici, cui hæc indicarant, consilium sequuti, à Bernardino quinque aut sex florenorum milibus præsentariæ pecuniæ numeratis, vnius ex præfectis filium obsidem tradunt, in Bernardini domo Londini. Pactum autem initum erat, vt ijdem præfecti cum aliquot suis nauibus præsidiarijs facultatem libertatemque darent, nonnullis nauibus malecontentos milites aduchentibus, in portu prope Flissingam manendi. Die itaque constituto Flissinghenses, præsidijs optime instructi, hostes exspectant, aduentum pro meritis gratulaturi. Auraicus autè Christianum Huighenium, quem à secretis habebat, in Angliam miserat, vt dicti præfecti filiolum, quem pater, Auraici iussu ac consilio, obsidem dederat, è manibus Mendosæ siue volentis, siue nolentis eriperet. Erat autem hæc machinatio circa idem tempus constituta, quo techna in Flissingam inceptaretur: ne fortè negotio vno peracto, reliquum perturbaretur aut omitteretur. Hugenius Londini commoditatem oportunitatemque nactus, puerum ante Bernardini Mendosæ fores stantem rapide apprehensum abduxit abscondítque: Bernardino & tota eius familia, cum obsidem puerum nusquam inuenirent, ingentes turbas excitante. Hoc fœlici successu iuuenis liberatus fuit: Parmensis autem milites die constituto non venerunt, suspicantes timentesque dolum omnem detectum à Domina Hausia, circa idem tempus apprehensa, quam harum machinarum conscíam esse fcibant.

Parmensis frustra Flissin. gam capere molitur.

Multa insuper alia stratagemata id temporis in Belgio incepta fuére, maximè autem in Frisia. Cùm enim Princeps Auraicus, mense Aprili, Amsterodamo, quo Ordines generales de recipiendo Alensonio consulturi conuenerant, in Frisiam venisset, & Herlinga ac Leenvvarda perlustrata, statuisset vt Sanoyus eum duabus cohortibus in ciuitate Stauera maneret, castrumque, quod Reyneurus Dekama cum præsidiarijs circiter centum & septuaginta, Rennenbergij nomine adhuc occupabat, obsideret, Sanoyus nequaquam cunctatus, mense Aprili, ante ipsam arcé alta propugnacula summa cum dexteritate confici, cisq; loricas, quas militari vocabulo prætelé vernac. vocant, superimponi curauit, atq; hoc modo obsessos mœnia relinquere coégit, Bombardarum impetu perterritos; cùm in arce nulla tormenta, quibus hostem propellere possent, haberent. Ipse autem Dekama arcem mœnibus adeo altis & latis munierat, vt Sonoyus parùm, aut nihil crebra glandium minorum iaculatione proficeret: itaque tandem sex tormentis maioribus, opera Thomæ Bothij, loricas & sæpimenta arcis dirui, & cuniculariorũ studio fossam terra impleri, mœniaque suffodi curat: itaque obsessos colloquium petere necessario cogit. Præsidiarij Dekamam nolentem, deditionis conditiones initas approbare compellunt, imò eum & octodecim Frisios apprehensos hosti in potestatem tradunt: quibus detentis, reliquis abeundi facultas libera actuta datur. Arcis mœnia, quæ oppidum spectabant victores statim diruunt, oppidumque, periculis præteritis edocti, accuratè muniunt.

Arx Stauera. ta iterum capitur & diruta.

Maio mense Rennenbergenses ex magna Avvarta veniunt, & Reediepam occupant, propugnaculum ad aquas, quo Nieuortum ab aquis secludant, cóficere moliuntur: verùm Sonoyus id præsentiens maturè callideque eos præuertit, inuadítque ac imparatos opprimit, multis cæsis & captis, & militaribus aliquot signis ereptis.

Postea Nienortius accepto ab Ordinibus Frisiæ stipendio militum in duos menses, magnã Avvartam, vt pollicitus fuerat obsidet, multis cohortibus arctè cingit, tormentisque aduectis Monasterij muros quatere festinat: Verùm Rennenberghenses Middelstumo, & alijs locis relictis, propugnaculisq; dirutis atque solo æquatis, non procul Groninga Reediepam transeunt cum trecentis equitibus Avvartam obsidione liberaturi. Nienortius præmonitus, hosti fortiori cedendum consultissimum putabat, verùm maxima pars nequaquam discedendum, sed exercitu instructo hostilibus copijs resistendum decernit: se pugnæ accingunt, & rusticos Frisios in ipsa acie inter milites inconsultè atq; incommodè constituunt: nam hi militiæ inexperti, viso saltem hoste ponè Monasterium, nullo conflictu incepto, contis longis, quibus sarmatierant, fossas foueãq; trantsiliunt, ipsi fugientes ad fugam reliquos quoque incitant. Rennenbergenses fugientes persequuntur: Hanspiumbi & Berenbroeckij signa militaria eripiunt: Stuperum & Vischerum Duces capiunt: verum pauci cæduntur.

Nienortij exercitum propemodũ Auvvartam cæsit.

Plurimi ad propugnaculum Avverderzielum confugiunt: eodem Rennenbenghenses maximo numero contendunt, propugnaculum oppugnaturi, verùm multis suorum desideratis propelluntur: mox reuersi tormenta ænea aduehunt, partem propugnaculi diruunt, & tertia oppugnatione munitionem expugnant, hostes quoscunque inuentos interimunt: hic Schel-

tus lar-

An. 1581. tus Iargnesius, Strategus, vir imprimis doctus & probus, inter reliquos occubuit.

Frilij profugis ocyus arma pecuniasque suppeditari procurant: ita vt Nienortius rursus militaribus copijs instructus in suum propugnaculum VVinsumense redierit: id autem cum Rennenbergius suo exercitu paulò post cinxisset, neque satis esset munitum contra tormentorum ancorum impetum, Nienortius à suis coactus fuit, cum hoste colloqui, & pacisci de deditione faciendâ: itaque omnes liberi discedunt cum sarcinis: idem quoque reliquarum munitionum præfidiarijs idem conditionibus faciunt, neutiquam Dominum sub quo stipendia merebant, iuramento abnegare aut deserere coacti. Hoc modo Rennenbergius Nienortium præuertit, & præsidijs omnibus locisque munitis in circumiacētibus territorijs Doccumam vsque, absq; magno difficultate potitus est.

Nienortius coget ea omnia iuramento se ea non facturos.

Ordines Nicuortio auxilia apparant, licet serò. Norritius Dux primarius mittitur cum suo exercitu, & cum octo Sonnoij & aliorum cohortibus, quibus reliquæ dissipatæ iunctæ erant, hi Rennenbergenſibus vbique locorum strenuè resistunt. Schullius cum suo agmine propugnaculum Monickerzielanū superat & deuastat: Rennenbergenses necessitate vrgente, Grypskerckam relinquunt: hostilem exercitum discedētem legio Sonnoij, quæ primam aciem tenebat, frequenti impetu infestat, tandemq; reliquis turmis auxiliaribus accedētibus, Rennenbergenses, cæduntur & in fugam vertuntur, fugientia agmina victores, ad ipsa vsque mœnia vrbis Groningæ persequuntur: Hoc conflictu nonnullæ Rennenbergenses cohortes magnam cladem passæ sunt: cæsis plusquam septingentis, multis quoque captis: Victores paucis suorum desideratis arma quæ passim hostes, ne oneri essent abiecerant, atque reliquerant, arripiunt. Fuga quidem eò secutior & facilior fuit, quod Noritius nullas, præterquam suas, equitum turmas haberet, qui hostem insequerentur, itaq; fugientes plurimi fossarum commoditate euadebant. Quatuor æneæ tormenta, insuper sarcinarum magna copia, & equi plurimi prædæ relinquuntur. Comenisium fuit istud prœlium 9. Iulij Noritius victor castra non procul ab vrbe Groninga collocat, & Monasteria magnæ Avvertæ & Selvvertæ occupat.

Norritius Rennenbergenſes pratio fugat.

Mors Comitis Rennbergij.

Paulò pòst, nempe 23. Iulij fato concessit Rennenbergius phthisi miserè extenuatus, quam cerore nimio contraxerat: eodemque ipso die quo suus exercitus fuit cæsus, Eucharistiæ sacramentum suo ritu sumpsit, admodum ægrotus atque debilis morbi vehementia, non sine veneni suspicione.

Plurima iam desperatus pusillanimitatis, pœnitudinis ac summi doloris signa edidit, maximè quod Ordines generales deserendo, loca suæ gubernationis in tantas miserias ac calamitates perduxisset, nullo suo commodo, imò maximo damno: sæpè auditus alta voce exclamasse: O Groninga, Groninga quo me pertraxisti, diem quo primum vrbem hanc vidisset detestatus, multaq; alia summæ indignationis argumenta designans: post remis octo diebus odiū erga Corneliam sororem concepit, ita vt alta voce prohiberet, ne sub suū aspectum venire permitteretur, eò quod eum seduxisset. Huius Rennenbergij pater primo Dominus Corneti appellatus, Geldriæ Vicarius siue Legatus, Comitissam Rennenberghensem vxorem duxit, mortuo auunculo Comes Hochstratanus factus: sicut & hic Georgius Lalainius morte Canonici Hermanni sui auunculi Comes Rennenbergensis, posteaque Dominus Zuylæ, &cæt. factus fuerat. Frater natu maximus fuit Antonius Lalainius, Comes Hoochstratanus, heros ingenio & armis præclarus, qui anno 1567. cum Principe Auraico profectus, tyrannidem Ducis Albani fugiens, patriamque relinquens, prima Auraici expeditione, vulnus glande accepit in pede, vnde paulò pòst obijt, vt supra diximus, relictis aliquot prolibus: Tunc verò temporis hic Georgius adhuc iuuenis, sub gubernatione Hispanica agebat: manſit autem præcipuè apud Comitem Lalainiū, Hannoniæ Gubernatorem, suum consanguineum: ab infantia optimè institutus in Latina, Græca, & aliis multis linguis, varijsque insuper scientijs ac artibus liberalibus: natura clemens, amabilis, comis, familiaris: nequaquam contentiosus, ferox aut superbus: ebrietatem & luxum summopere auersabatur: verùm rei veneræ satis deditus, cauè tamen & absque infamia: ludo Iatrunculorum & musica frequentissimè exercebatur. Ad eum vsque diem quo ab Ordinibus defecerat, suis stipendiarijs ac militibus charus admodum fuit, sedulo enim semper curabat, vt stipendia eis solverentur: disciplinæ militaris, quantum potuit, semper obseruantissimus; iniurias aut violentias cuiquam fieri ægerrimè ferebat, vtpote omnis crudelitatis & inhumanitatis acerbus hostis. Quod ad Religionem attinet, Reformatorum scripta, saltem ab ipso Sonnoyo oblata sæpè legerat, & eorum qui Reformatam Religionem colebant, & absurdas Papistarum superstitiones ridebant, familiaritate vtebatur: nihilominus exercitium Papisticæ Religionis colebat, idq; metu Regis, matris, consanguineorum Lalainiorum, Laurentij Oeconomi, & præcipuè auunculi Canonici: atque hæc quidem vna causa fuit, ob quam Ordinum fœdus deseruerit: erat & altera, nempe nuptiæ cum Maria Brunena, Comitissa Megana, Lanceloti Barlaimontij vidua, quas animo conceperat, Cornelia sorore ipsem fratri imprimis augente: sed frustra; nam Philippo Croyo Principi Chimayo nuptui data fuit magno nuptæ malo. Quam habebat gubernandi

Narratio vitæ Rennenbergij.

Digitized by Google

gubernandi Prouinciam non admodum magni pendebat, oneri magis quam commodo esse An. 1581.
reputans: eamq; quadam vice prorsus relinquere, atque alteri transcribere decreuerat, nisi Vkenfius fere vi quadam restitisset. Huiusmodi innata pusillanimitas eum facile in partes eorum qui Hispanis fauebant, pertraxit. Mortuus non dies sed pauper æstimatus est: nam suæ gubernationis subditos exenterare aut deglubere piaculum reputabat, & quod ei promiserant Hispani nequaquam præstabant: neque ei ingentes diuitiæ ex patrimonio affluebant: erat nihilominus liberalis in erogandis pecunijs, vbicunque sua negotia promoueri cupiebat. Magnificus atque sumptuosus in mensa, vltra quam facultates ferebant: atque in ea cuiusuis generis musicis vocibus & fidibus delectabatur: hæc tanta magnificentia ac liberalitate argentea vasa, abacorū ornamenta, cimeliaque omnia sua consumpta confectaque fuere. Dolebant hominis vicem etiam infestissimi eius hostes, quod tam multa variaque commoda, quæ supra diximus & naturæ, fortunæ, scientiæ tam excellentia dona, quæ plurimi frustra sibi optant, tam miserè neglexisset, & ijs, à quibus seductus fuerat, fidem habuisset. In defuncti locum constitutus fuit à Parmense, Ialparus Verdugo.

Verdugo in defuncti Rossenbergij locum constituitur.

Iselsteynius cum aliquot suis, & duabus Dauentrienſibus, VVarmeloi nempè & Conrardi Theodori cohortibus, non procul ab vrbe Dauentria discesserat, animo inuadendi Gorā munitam præsidio circiter 900 peditum, & 120. equitum sub præfecto Simone Limburgo: comitabantur que Iselsteynium, tanquam ductores auctoresq; huius incepti, Drossardus Calantius, Transisulanæ Vicarius. Itersumsij ambo, vnus Dauentriæ, alter Transisulanæ Consul: postquam vno propugnaculo Goræ potiti, aliud impetere incipiunt, Martinus Scenckius cum ingenti equitum & peditum agmine aduenit, obsessores vndique cingit, & commeatum intercludit. Auaricus & Ordinum proceres, quibus insciis hæc obsidio incepta erat, pedites & equites laborantibus subsidio mittunt: sed fero & frustra: Schenckius enim pactum deditionis inierat, ea conditione, & Iselsteynius, VVarmelous, Escheda Conrardus & omnes præfecti, Drossardus quoque, & Consules alijque plurimi, captiui traderētur à suis militibus: eo facto, reliqui omnes, postquam iurassent se tribus mensibus proximis stipendia non meritūros, liberi dimissi fuere, extranei cum gladijs, reliqui verò absque vllis armis. Contigit hæc deditio mense Augusto in-eunte, cum circiter quatuordecim dies obsessi à Schenckij agminibus fuissent, & quatuordecim equos comedissent, fame ac penuria vrgente, nam neq; panem, neq; cereusisam habebant: fuere tamen nonnulli quibus resistendi animus promptus erat, reputabantque centum equis reliquis adhuc diu exercitum sustentari posse, cùm salem, pulueremque bombardicum, & ligna foco apta satis abunde haberent. Dedititijs autem abeuntibus promissa fides nequaquam, vt decebat, seruata fuit: nam multi ab hoste iniquo spoliati, & plus quam centeni mactati fuere, quanquam ipse Schenckius totis viribus resisteret, & quosdam suos pedites fœuientes suo ipse gladio interimeret, quos fidem datam rupisse percipiebat. Captiui, quos diximus, Blyenbekam auecti; nonnulli autem, lytro mox numerato dimissi fuere.

Vselsteynius cum socijs ante Goram à Scenckio capitur.

Noritius postquam se obsidione Græningensi nihil posse proficere videt, eò quod equi & pecuniæ deficerent, rursus iter Collumum versus instituit. Verdugo autem festinanter Reydam contendit, pagum è regione Emdæ situm instar peninsulæ in sinu Dollarto (vnde paucos ante dies Egbertus Beuelantus, cum quatuor cohortibus eò per mare missus, Malecontentos expulerat) eamque 18 Augusti recuperat sine magna difficultate, maxima autem cum infamia aliquot militiæ præfectorum, quod locum adeò oportunum ad subsidia nauigijs mittenda, turpiter, nulla pressi necessitate reliquissent: huius criminis accusati Haacus VVieringhus, & Ioannes Cronius præfidijs præfecti, capitis condemnati, fuga pœnam mortis euaserunt. Strategus Caterus propugnaculum defendendo & deditioni resistendo, cum laude occubuit: VVestermannus autem Emdæ ægrotus mansit.

Reydā propè Emdam à Verdugone capta.

Cum Haghæ Comitis noua comitia decreta essent, quibus negotia Orientalis regionis Mosæ tractarentur, conuentus Leeuvardæ habitus fuit 7. Septembr. Consilio inito, primùm Noritius, vt hosti resistat mittitur: fit celeriter apparatus, instruiturque exercitus contra Verdugonem, collectis equitum & peditum copijs, recensitisque agminibus, & stipendio in vnum mensem numerato, in hostem contendunt, sex tormentis æncis maioribus conuectis. In vtroque autem exercitu pestis grassabatur, quæ multos etiam militiæ præfectos interemit, inter alios Gouvvenbergium, Iacobum Henricum Mechlinienſem, Vlsterum, &c.

Postquam Ordinum exercitus aliquandiu hic mansserat, & tædio quodam Frisij laborare viderentur, Noritius animo grauiter commotus Verdugonem, qui iam commodè sua castra Northornæ posuerat, absque longiore cunctatione oppugnare aggreditur. Habebat Noritius vndecim cohortes Anglicanas suæ legionis sub Morgano, quatuor Nassouianas, nouem Sonnoyanas & sex Nienortianas, quæ simul vix tria peditum millia conficiebant: his iunctæ equitū turmæ sub Goro, Ellerborno & Henrico Eclio, vix quingenti numero erant. Tali exercitu Noritius 30. Septembr. per Nieuvvzelæ munitiones vlterius tendit.

Simul

Digitized by Google

An. 1581. Simul ac prope Northornam in hostis conſpectum venére, Verdugo ſuas acies diſponit, maxima foſſarum commoditate, vtpote quæ loricas aptè aggeſtas præbebant, quibus ab hoſtiũ irruere molientium impetu protegerentur: legionem Rennenbergenſem ſub præfecto Monceano, & Rinſvvoudeo Vicario, præterea Billiſianam ſiue Friſicam ſub Taxio, in medio collocat, VValones autem ſuæ legionis alarias cohortes ſtatuit: itaque ſimul ſupplices, Deum, vt victoriam lætam concedat, rogant. Ordinum autem exercitus arrogantia quadam huiuſmodi diſpoſitionem neglexit: & acies inſolenter inſtructis prodijt, nam ij qui haſtas, gladios geſtabant, cuiuſcunq; nationis, promiſcuè collocabantur: ſigna militaria in medio; ferentarij autem à lateribus & à fronte. Præfectus VVilliams, cum equitibus Anglicanis, & Vicarius Ellerbornus cum ſuis, duas equitum turmas Verdugonis quarum vna rubris tunicis inſignis, primo conſpectas magno impetu inuadunt, multos cædunt & in fugam vertunt, quorum maxima pars ſummo cum dedecore vltra Northornam fugiunt: mox peditum Verdugonis quinque cohortes ex Northorna erumpunt, hoſtilem equitatum inuadere volentes: verùm VVingardenus cum emiſſarijs militibus auxilio portunè aduenit: itaque ſimul per media hoſtium agmina ſeruntur: & quinq; cohortes Northornanas in fugam vertunt. Dumq́ue Ordinum exercitus hoſtes huc illuc fugant atque propellunt, ac victoria omnino potiri viderentur, magnamq́ue hoſtibus cladem inferrent maioribus tormentis bellicis (quandoquidem Verdugo nulla habebat quibus hoſtem terrere poſſet: tantus pauor Verduganos inceſſit, vt aſſeclarum grex cum militaribus impedimentis fugam pararent) Verùm dum Ordinum equites vlterius graſſantur, ijs maximè locis, vbi viæ arctæ & difficiles foſſarum incommoditate erant, ab hoſte ſubito inuaduntur, atq; in fugam conuertuntur: interea dum pedites qui ſeruentiſſimè hoſtem foſſas tranſiliendo perſequebantur, ſparſim nulloque ordine diſcurrunt. Itaque Verdugo acie conſerta, firmo certoque gradu aggreditur: & duabus lancearíorum turmis, quæ ei à parte ſiniſtra fuerant, in aciem prima conſtitutis, in Ordinum exercitum totis viribus fertur, profligat diſſipat, tergaque vertere, tormentis omnibus bellicis relictis, cogit: fugientes ocyſſimè inſequitur ad nouum vſque propugnaculum prope Nieuzelam, vbi cohortes quædam prædiariæ relictæ erant: huc ſe tutò profugi receperunt, & impedimenta, currus, ac reliqua quæ ab alio propugnaculi latere depoſuerant inueniunt. Occubuere hoc prælio media ferè pars peditum, magnus quoque equitũ numerus: vexilla multa erepta: inter alios deſiderati Carolus VVingardus Sonnoij Vicarius, in cuius locum venit Cornputus: Georgius Robertus inſignis Capitaneus: Schulus Naſſouij Vicarius, cui Dorpius in adminiſtratione ſucceſſit: VVinantius Ommerus militum Dux, &c. Ex numero Nienortſiano occubuere Kertſius Gerritus Entenſius, & Cornelius Loeveſchenus militiæ præfecti ex Anglicano, Cottonius, Biſcopius & Finvvillianus: præterea Henricus Eckius, Bellenoinus Ellerborni Vicarius, multiq; alij ſtrategi. Capti Danavvus Nienortij Vicarius: Bruno VVilhelmus Henricius, Petrus Berenſteynius, Georgius Edemburgus aliſque præfecti & ſtipendiarij imprimis ſtrenui. Noritius manu dextra glandine perfoſſus: Comes Naſſouius glandes aliquot thorace armiſque auertit, tactus quidem, ſed illæſus. Stategus Nisbetſius enſe læſus in capite vulnere immedicabili interijt. Qui verò euaſerant, omnes ferè inermis facti, armis plerunque relictis ijs locis, vbi neceſſitas foſſas tranſilire & tranſnatare cogebat. Ex Verdugonis exercitu pauci nomine celebres deſiderati: verùm VVolfius Prengerus graui vulnere ictus. Captiui qui lytro numerato ad Ordinum exercitum redierant, afirmabant, Verdugonem vltro confeſſum fuiſſe, ſe quidem cogente neceſſitate, peſte, fame, egeſtate & tempeſtate, deliberaſſe diſcedere, & ſuæ ſuorumque ſaluti fuga conſulere, ſi Ordinum exercitus paucos adhuc dies permanſiſſet, & à conflictu abſtinuiſſet. Hinc liquet quam ſit temerarium & periculoſum, conari deſperatum hoſtilem exercitum, caſtris aginibuſque munitum intempeſtiuè expellere.

Noritij & Ordinũ exercitus ceſſus.

Interfecti capitii, & læſi in hoc prælio Nothermio.

Verdugo Nieuvvieſlã ſuſtra obſidet.

Prælio hoc tam feliciter confecto, Verdugo agmine magno paludem traijcit, Gripskerckæ & Viſſlietæ caſtra ponit, leuia quædam propugnacula prope alueum ſub Nienvvieſlæ mœnibus conſtruit, ipſumque alueum cathenis, & prælongis cymbis terra ſaburratis claudit, ſubſidium commeatumque intercludere, & prælidiarios fame extrema conficere meditans. Verùm paulò antè, Prouincialis concilij decreto, eò miſſus fuerat Knopius cum commeatu, & duobus tormentis fuſilibus: quibus obſeſſi obſeſſoribus maximam cladem intulerunt. Erãt hic in præſidio cohortes Steynij, Malſenij, Gerardi Cornelij Scheij, Reyneri Ietſeni & Scheltemæ. Cumque obſeſſi cataractis recenſis, & aggeribus perfoſſis vicina loca inundaſſent Emmentrelem vſque ingens quoque pluuia huic inundationi acceſſiſſet, Verdugo difficulter admodum commeatu iuuari potuit: hinc maxima exercitus ſui pars, morbo, penuria, difficultatibuſque aliis affecti, metuenteſque ſubſidium, quod parari intellexerant, nullaq; exſoluendi ſtipendij ſpe apparente deſperati, tantam ſeditionem fecerunt, vt 23. Octobris ignominioſè, ac turpiter obſidionem relinquere coactus fuerit Verdugo. Interea autem dum ab obſidione recedunt, obſeſſi prælidiarij alacres erumpunt, abeuntium agmina poſtrema perſequuntur, quadraginta plus mi-

Digitized by Google

plus minus occidunt, & viginti quinque captiuos abducunt: nec longè aberat, quin Verdugo ipſe quoq; caperetur. Supremum horum præſidiariorum Præfectum Steynium Malſenum Danum, virum nobilem, à Sonnoyo promotum ac commendatum Friſij catena aurea vidi: licet ſexcentorum florenorum, condecorarunt, præcipuumque D. Merodij Friſiæ Gubernatoris Vicarium conſtituerunt, ob res tam ſtrenuè geſtas, & Nieuvvzielam huius obſidionis tempeſtate tam fideliter defenſam. An. 1581.

In Brabantia res bellicę vario quoq; euentu ſucceſſerunt. Menſe enim Martio ingens Schotorum qui Vilvordæ in præſidijs erant, orta eſt ſeditio, ob non numeratum ſtipendium; quæ difficulter admodum ſedari potuit.

Menſe Maio, VVillebroeckæ præſidiarij ſeditionem fecerunt: cumque nullis æquis conditionibus placari poſſent, tormentis æneis Antvverpia contra eos tandem aduectis, metu pœnæ faciliores ſe præbuerunt. *Seditio militaris in Brabantia.*

Idem quoque Bergoſomæ euenit, cum grauiſſimis belli oneribus pecuniæ Ordinibus non ſufficerent: quanquam Antvverpienſes in contributionibus exoluendis, ſaris faciles ſeſe præberent. Bellum enim nequaquam ab Ordinibus tali auctoritate, concordia ac obedientia geri potuit, qualiab vno ſupremo exercitus imperatore: idque præcipuè in cauſa fuit, quod maioribus ſemper difficultatibus fuerint expoſiti, quam Regiæ, qui plerunque tardiores erant in ſtipendijs numerandis: verum permittebant ſuis ſtipendiarijs licentiam in deuictas ciuitates pro arbitrio ſeuiendi, & pecunias extorquendi, quas quauis ſeptimana, abſque vlla contradictione miſera plebs numerare compellebatur: quibus violentijs cum multi habitatores migrare cogerentur, oppida incolis & ciuibus vacua fuere relicta. A Rege ingentes pecuniæ ex Hiſpania mittebantur, ſæpè quidem præſentariæ, ſæpiùs autem collibyſtarum & argentariorum Epiſtolis: verùm lente & grauate, magniſque ſumptibus depromebantur: quin & ipſi regnorum Hiſpaniæ incolæ inuitos ſe exhibuerunt, præcipuè hoc anno, quo Regi exercitus terra mari que contra Portugallos inſtruendus fuit: his quas dixi de cauſis vtrinq; magna fuit rei numariæ difficultas. Nihilominus Ordines in Brabantia, Flandria, & Friſia exiguo exercitu ac ſumptu ſe ſatis acriter defenderunt.

Cùm Malecontenti menſe Iunio caſtellum Barlenſe, pròpe Hoochſtratam & Turnoutum in Campinia, via qua Bredam itur, vndique ſatis munitum & aquis cinctum cœpiſſent, illudque vicinorum ruſticorum opera adhuc firmarent, D. Staeckenbrockius Bredæ Gubernator, id expugnare volens, eò profectus eſt cum militum agmine, aduectiſque duobus tormentis muralibus, quadragies, & amplius muros verberauit, ſed fruſtratus ſua ſpe tandem diſceſſit. Poſtea ab Ordinibus Brabantiæ in Campiniam miſſus fuit Gardeus militum tribunus: hic cum ſuis equitum turmis & quadringentis peditibus primo arcem Turnhoutanam cingit, eaque ſtatim dedita potitur: deinde Hoochſtratanam, horrendo bombardarum impetu perterritis præſidiarijs, deditione accipit: mox reliqui metu perculſi Barlenſe caſtellum incendunt atque relinquunt. *Res bellicæ Brabantiæ geſtæ.*

Gardeus inde Tilburgum, Loontum arenoſum, & Ooſterhoutum inuadit: his quoq; inuaſis & Eyndouia & Buſcoducis potiri meditatur: cumque id temporis plebs Buſcoducenſis tumultuaretur, id reſciſcens Parmenſis, Hautepennium Barlemontij filium, & Schenckium, cum turmis aliquot eodem mittit: quorum aduentu Gardeus cum ſuis retrocedit Turnhoutum verſus, atque leuibus prælijs cum hoſte dimicat. Hautepennius & Schenckius ſubitò diſcedunt, ſeque Buſcum ducis proficiſci recta primùm via ſimulant: verùm poſt deflectunt, & Bredam callidè, vt narrabimus, capiunt.

Vrbis Bredæ ea tempeſtate Gubernator erat Stakenbroeckius: habebat autem paucos admodum ſtipendiarios, in Principis Auraici palatio, proximè vrbem ſito ad flumen, loco valde amœno, inſtar munitæ arcis: fuitque olim præcipuum domicilium Comitum Naſſouiorum Bredæ Dominorum, & duorum poſtremorum Aurangiæ Principum. Fuit autem hæc regia domus primùm ædificata, ſed non omninò perfecta à Comite Henrico Naſſouio, Renati Chalonij Principis Auraici patre, & huius Principis nunc gubernantis patruo: imprimis commodè, magnificè ac ſumptuosè, rebuſque plurimis valde raris & exquiſitis ornata, vix vt parem in Belgio aut alijs regionibus inuenias: habet armamentarium inſigne: quo, vt reliqua taceam, repoſita fuerunt quinquaginta duo tormenta ænea artificioſo diuerſoque opere facta, quæ Imperator Ferdinandus poſtremò Principi Auraico, dono dederat, quod & ſuperſcriptiones teſtabantur: quorum maxima ac præcipua Dux Albanus rapuit, atque auexit. *Bredana arx, eius deſcriptio.*

Cùm itaque vrbis Bredæ ciues Principi Auraico (ad quem vrbs, iuriſdictio, & pagi aliquot vicini pertinent) maximè addicti atque fideles eſſent, ſcripſerat Princeps ad Stakenbroeckium, vt ciuibus noctè excubias, in palatio committeret, hac enim ratione, & ſe & totam ciuitatem

Digitized by Google

Ann. 1581. securiorem fore: verùm id Stakenbrockio non vsque adeo necessarium tunc visum est, cùm tamen custodiendum hic haberet captiuum Carolum Gaureum Frctini Dominum, D. Ainsij Cameracensi oppidi gubernatoris fratrem: ea maximè de causa suspectum, quod cùm generalis annonæ præfectus, & consiliarius Ordinum esset, literas (quæ interceptæ fuerunt) ad partem Ordinibus aduersam misisset, quibus suam intentionem significabat, se nempe inuitum Ordinibus adhærere, atque apud eos manere. Huic quidem Carolo Gaureo imputatum fuit, quod clanculum quosdam palatij præfidiarios instigasset, vt hostem occultè intromitterent: verùm id ab eo factum ego neque velim, neque possim certo affirmare: hoc vnum satis liquet, quosdam huius præsidij stipendiarios, antea ab hoste captos, pecunijs corruptos peruertisse fuisse, suamque operam in tradenda arce hosti addixisse: idque 27. Iunij, nocte præstitisse, eo quem referemus modo.

Quinque aut sex præsidiarij hostium muneribus & pollicitationibus, vt diximus, corrupti, cum exterior arcis pars, qua facillimus patebat adsensus, atque introitus, necessariò repararetur, id egerunt, vt nocte quadam oportuna pariter excubias agerent: itaque aleæ lusu alios vigiles in statione occupatos detinent: interea hi qui loco minus munito, atque aliqua parte ferè plano ac peruio excubabant, hostem facilè transitu atque adsensu in ipsam arcem perduxerunt: cumque illos, qui in arce erant, præsidiarios subitò inuasissent atque superassent; Houtepenny & Martini Schenckij agmina omnia intromittunt, & vigesimo octauo Iunij summo mane per palatij portam in vrbem irruunt: postquam autem ciues, & reliqui præsidiarij quinque & amplius horas strenuè restitissent, se aggeribus & propugnaculis contra hostium ex arce impetum muniuissent ac defendissent, tandem tormentorum muralium aliorumque machinarum summa violentia oppressi, cæsi, fugatique fuerunt. Iuuenum cælibum ciuium tota cohors feruenter suæ vrbis defensioni intenta, prorsus deleta est exceptis decem aut duodecim: Godefridus Montensius vrbis consul vulneratus, equo adsenso euasit: Gubernator Stakenbroeckius celeri equo ex arce fugit: relicta vxore & filia, quas inhonestis indignisque adeò modis iniquus hostis accepit, vt hinc mœrore nimio concepto Stakenbroeckius satis concesserit: Capta vrbs crudeliter direpta fuit, Ordinum autem exercitus qui locis Turnhoutæ vicinis agebat, nihil prorsus per nuncios resciscere potuit, donec omnia deuicta atque transacta essent. Hautepennius hoc stratagemate vrbe, & arce Bredana potitus, paulò pòst Gheertrudæmontis mœnia scalis adscendere, alijsque machinis inuadere tentat: verùm acriter repulsus, sua spe frustratur. Frustra quoque Heuldam bene munitam ac necessarijs rebus instructam, capere molitur. Lindanus Episcopus Ruremundanus Religionem Catholicam Romanam rursus in vrbem Bredam festinatò inuehere satagit cum lesuitis.

Breda vrbis capta a Parmensibus.

Poitea Brabantini aliam Buscumducis inuadendi rationem instituerunt, præcipuo auctore atque administratore Ioanne Iunio equite aurato, vrbis Antverpiensis Consule: verum rumores quædam, maximè autem equitum longa mora huic quoque negotio obstiterũt: frustra verò iter hoc nequaquam sunt ingressi: nam ciuem quendam Eyndouiensem in via offendunt, hunc de statu Eyndouiæ examinant: rebus omnibus certò cognitis, Eyndouiam petunt & capiunt: nacti arcis præfectum, mortem & atrocia multa minantur: hinc præsidiarij metu ac vi coacti arcem dedunt. Tres peditum cohortes & vna equitum Italorum Eyndouiæ præsidiariorum hoc stratagemate occubuerunt, pauci admodum euaserunt.

Eyndouia ab Ordinibus capta.

Varij euentus belli in Flandria.

In deuictores vlterius profecti, Helmontem occupãt, verùm arce potiri neque unt. Cumq; Comes Hoguenlous auxilio aduenisset, quædam propugnacula prope Buscumducis capiunt. Tandem militum Brabantiæ agmina ad sua præsidia reuertuntur: consultissimum enim videbatur legiones tribuni Stuardi vnà cum Scbotis, & Gardei cum Gallis in Flandriam mittere, ad faciendum Malecontentos, ne Duci Andegauensi obstaculo essent in negotijs Cameraci. Postquam Ordinum milites Campiniam reliquerunt, Hautepennius & Comes Mansfeldius Eyndouiam rursus oppugnant: tandemque obsessos vndique, ac summa necessitate pressos, vtpote quibus de commeatu alijsque rebus necessarijs non satis erat prospectum, vrbeculam dedere cogunt.

In Flandria & Valonicis Prouincijs varij quoque belli euentus fuere. Collegerunt Ordines mense Aprili, paruum exercitum in Flandria Occidentali, prope Ipras & Dixmudam, sub Domino Villerfio, tanquam supremo equitum præfecto; archistrategus autem dicebatur Princeps Espinoius: vt his collectis copijs Parmensi negotium facesseret, atque Galli Cameracum interea facilius ab obsidione liberarent. Verùm Parmensis exercitus equitatu potentior, quasidam Ordinum copias strauit. Nihilominus Espinoius cum suo præsidio Tornacense hostem grauissimis damnis affecit; Hannoniamque creberrimis eruptionibus diripuit atque vastauit.

Parmenses aduersam quoque partem atrociter lasessant: & ex pago Hauteriuo inter Tornacum, &

Digitized by Google

nacum & Oudenardam ad Schaldim, quam optimè munierant, eruptionibus crebris diuexant: cumque Tornaco nonaginta currus omni mercium genere onusti Cortracum, Gandauum & Antverpiam tenderent, quibus quindecim tantùm equites lancearij, & aliquot pedites sclopetarij aderant, Maleconteni septuaginta currus inuaserunt, prædamq; auexerunt. An. 1581.

Cum Ordinũ exercitus, circiter ter mille pedites, & octingenti equites, in Ambachto Vuerano, loco satis idoneo, vallis fossifque se muniuissent: Malecontenti mense Iunio eos expellere moliuntur, cumque Roesbruggæ castra sua collocassent, multis varijsque velitationibus ac machinationibus hic certatur. Malecontenti frustra aduersarios expellere nituntur: & tandem magno cum damno, defideratis suorum trecentis & amplius discedunt, atque Cameracum, vt subsidia à Duce Andegauensi obsessæ vrbi missa arceant, contendunt.

Supra diximus, D. Ancyum Cameraci Gubernatorem, necessitate & metu hostilis potentiæ coactum, transegisse, Ordinum consensu, cum Duce Andegauensi Regis Galliarum fratre: & hoc quidem pacto aliquot Gallorum militum agmina, sub D. Balignio, laborantibus subsidio fuere missa, interea dum Ordines vlterius cum Andegauensi agerent.

Parmensis & Valonicæ Prouinciæ metuentes, ne Galli hic sedem stabilem figant, omnibus modis, vi armis, muneribus, blanditijs, dolis, clandestinisq; consilijs quorundam qui in obsessa vrbe erant, Cameraco potiri conantur: postquam verò artibus dolisque nihil proficiunt; rationem ineunt comeatum & mercimonia prorsus intercludendi: proinde propinquioribus & commodioribus locis, vtpote Marconini, Crueceuræ & Vauxellis fortissima præsidia collocant, propugnacula construunt: integrum annum impediunt, ne quid in vrbem inuehereturt, aut euehereturt: & quamquam sæpiùs, militum agminibus comitatibus, necessaria importata fuissent: tandem tamen cùm præsidiarij maximo numero vbiq; collocarentur, id amplius fieri nequaquam potuit: maximè cùm aliquot vicibus ab hostium potentiorum numero cęti ac profligati fuissent: hinc summam omnium rerum penuriam obsessi patiuntur: ita vt equos, feles, glires fame vrgente comederent: Vendebatur vacca ducentis, ouis quinquaginta florenis: libra butyri viginti quatuor, libra casei triginta, ouium duobus, vncia salis octo stuferis: porstremò cum nihil salis esset reliquum, quiduis vnde salsedo aliqua arte elici posset elixarunt, & iterum iterumq; coxerunt, donec muria aut salsedo efficeretur. Fuit id temporis in vrbe obsessa exhibitum nuptiale conuiuium, à ciuibus satis opulentis: appositaque fercula, primò lactuca aceto condita absque oleo aut sale, postea minutal carnium equinorum, & carnes alitinæ iulentæ: assariæ dapes, duæ costæ equinæ duo feles asli: deinde arctocreas ex fele: bellaria raphani & rapæ absque sale: panis autem sustecit conuiuis.

Obsidio Cameracensis.

Summa annonæ caritas Cameraci.

Cum Cameracensis ciuitas tanta fame atque inedia laboraret, Andegauensis omnem operam qua eam liberaret ab obsidione adhibuit. Prius autem necessario ei dirimendum fuit dissidium in Gallijs ortum inter Regem & Hugonotas, quod factio Hispanica hic peperat foueratque, vt hoc modo Ducis institutum impediret. Nihilominus Dux Ordinibus Belgij fideliter promissa præstitit, militque exercitum peditum & equitum maxima parte voluntariorum, quibus quædam etiam turmæ Regis Galliarum stipendia publicè merentiũ se iunxerunt, contra multorum & opinionem & exspectationem. Erant aut in hoc exercitu millia equitum quatuor, & peditum decem, optimè instructorum: ijsdemque satis bene prospectum de commeatu, munitionibus, alijsque rebus bello necessarijs. Aderant Marchio Albeuillius, Comes Lauallius, Agnanus cum filio: Feruaqueus summus totius exercitus præfectus, Montgomerius, Vidasmus, Meauxius, Vicecomes Tourainius, Vicecomes Guerceus, Chastreus ferentariorum equitum præfectus, Rocheporus peditum præfectus generalis, Luceus, Dreuus, Manuisserus, Sandercourtius, pluresque alij: inter quos quatuor castrorum præfecti Beaumegardus, Belsontainius, Trappleus & Suraineus. Cum hoc exercitu Andegauensis propè Cameracum oppidum venit 16. Augusti. Eodem die quidam Galli nobiles iuniores, obsessam vrbem intrare conati sunt, violenta per agmina hostium impressione, verùm fortuna audentibus parum iunante, Vicecomes Tourainius & Comes Vantadoresus capti fuere.

Exercitus Andegauensis ante Cameracum.

Parmensis collectis omnibus suis copijs, 17. Augusti ante ipsam vrbem in procinctu suum exercitum stantem exhibuit sex horis continuis, videbatur Gallos ab ingressu arcere atq; prohibere velle: verùm postquam Andegauensem propius accedere videt, castra inde mouit, relictisq; propugnaculis, cum omnibus suis præsidiarijs quos vicinis locis collocarat discessit, exercitum Valencenas versus duxit, atque prope ipsam vrbem castra collocauit.

Andegauensis acie hac probè instructa, Cameracum obsidione liberauit, commeatum necessariaque inuexit: ipse 18. Augusti, vrbem eques ingressus summo cum triumpho: excipitur imprimis honorificè, inauguratur tanquam summus arcis præfectus, & defensor libertatis totius regionis Cameracensis, quæ cum ad Imperium spectet, neutri parti addicta semper mansit. Die vigesimo, primùm in æde Diuæ Virginis, posteà in curia ciuitatis iuramentum præstitit, promittitque se ciuitatem & habitatores protecturum & gubernaturum, ad normam veterum

Andegauensis Cameracum obsidione liberat, ibidemq; inauguratur.

Digitized by Google

An. 1581. Priuilegiorum: poſt hæc aureos argenteoſq́ue nummos in vulgus ſpargi iuſſit. Sequenti die Arheuſium & Sluſam contendit: hoſtem inde propellit: poſt aliquot dies diſcedit, caſtrum Cambreſium obſidione cingit, ducentis viginti nouem vicibus tormentorũ impetu verberat, tandem deditione pro animi ſui arbitrio accipit: tres cohortes, trecenti nempè præſidiarij liberi exeunt armati: abſque igniarijs tamen, aut funibus bombardicis accenſis: erat huius arcis tunc temporis Gubernator D. VVordeus Brabantus. In huius caſtri obſidione Vicecomes Turonenſis glande cor traiectus occubuit: D. Balignius in fœmore læſus glandis ictu, poſtea Gubernator Cameraci factus eſt.

Caſtro Cambreſio quoque poſitum.

Interea dum Dux his locis militiæ intentus hęret, Ordines generales Belgij & Princeps Auraicus precibus inſtant, vt cum ſuo exercitu agmina hoſtium perrumpat, & in Belgium veniat: quandoquidem paratas copias in Flandria habebant, quibus ei obuiam venirent: habebant præterea in Brabantia D. Gardeum cum Gallica, & Stuardum cum Schotica legione ad id paratos. Verum Dux, quia hyems imminebat, omniſq́; ſuus exercitus præcipuè ex voluntarijs, & equitibus Galliæ Regis æra mœrentibus conſtabat, & inter nobiles diſcordiæ competentiarum cauſa eſſent ortæ. Ordinibus poſtulata præſtare non potuit: quandoquidem enim voluntariorum copiæ in Galliam reuertebantur, reliqua exercitus pars numero & viribus nequaquam ſufficiebat, vt perruptis hoſtium agminibus in Flandriam peruenire, ſed iter per Caletum Duynkerckam verſus inſtituunt.

Pars exercitus Andegauenſis in Gallias reuertitur.

Copiæ quæ in Flandria erant, VVarcoingium cœperunt, arcem Lanoyam & Auelghemum flammis deformarunt.

Princeps Eſpinouius 7. Septemb. Giſlenium oppidulum ſubitò inuaſit: exercitus autem Malecontentorum qui non procul hinc aberant; ocyus ipſos victores, quibus neceſſaria ad munitionem ac defenſionem tam cito nequaquam aduehi poterant, violento impetu oppugnant, ac breui expugnant, vrbeculamq́ue recuperant.

Cumq́; exercitus hic Flandricus fruſtra Hauteriuum capere diu molitus eſſet, tandem iter Duynkerckam verſus inſtituerunt, tanquam Ducis exercitui obuiam proceſſuri: hos Parmenſis ab omni Gallorum metu iam liber, inſequitur: verùm Ordinum agmina cum ſe viribus impares ſcirent, commodè deflexerunt: proinde Parmenſis feſtinanter cum ſuo exercitu diſcedit, diſpoſitiſq́; ſine mora caſtris Tornacum obſidione cingit, Calendis Octobris: ſciebat enim Principem Eſpinoum oppidi Tornacenſis Gubernatorem, cum magno ſuorum numero abeſſe: & D. Eſtrelleum Vicarium cum Eſpinoij vxore in vrbe manſiſſe.

Priuſquam de Tornacenſi obſidio narrare incipiamus, paucis antea erit dicendum, quid Ordinum generalium conuentus in Hollandia tractarit ſtatueritq́ue de Duce Andegauenſi in Principem Belgicarum Prouinciarum accipiendo, & iugo ſeruitutis Regis Hiſpaniarum excutiendo.

Cùm Ducis Andegauẽſis aduentus adhuc protraheretur id temporis, Ordinum Belgij proceres in Haga Comitis decretum quoddam fanciuerunt, eo declarantes, ſubditos nequaquam ad vſum Principis aut Domini eſſe creatos, ſed ipſum Principem ad ſubditorum vſum ac vtilitatem: quandoquidem Principis principatus abſque ſubditis nequaquam conſtare poſſit: Principis eſſe officium, ſubditos iure ac æquitate gubernare, protegere, amare, haud aliter atque pater proles & paſtor oues ſolet: qui contra facit, is non princeps, ſed tyrannus habendus: atque à ſubditis, præcipuè Ordinum conſilio ac ſententia, relinquendus: imprimis autem, cùm nullis libellis ſupplicibus aut precibus humilibus ſecuritatem ſiue cautionem libertatis, vitæ, facultatum, vxorum & prolium impetrare ſubditi queunt: quæ hiſce regionibus Belgicis recuſari neutiquam poſſunt: cùm antiquiſſima conſuetudine gubernari debeant, ſecundum formulam iuriſiurandi quod nouus Princeps inaugurandus præſtat, ad veterum Priuilegiorum, conſuetudinum, inſtitutorumq́ue patriæ normam: quas ſi inauguratus infringat, iure omni dominio quod in regiones habuit, cadit. Addunt inſuper Regem Hiſpaniarum Philippum, poſt Caroli patris ſui mortem variè molitum fuiſſe, Belgicas regiones pertrahere in eam ſeruitutem, quam perfectam obedientiam Hiſpani vocant, prætextu quodam Religionis Catholicæ: quo modo autẽ his molitionibus ac machinationibus reſiſtere conati fuerint, paucis exponunt: quæ omnia lector cùm volet, ex impreſſis exemplaribus intelligere latius poterit. Proinde omnibus exactè perpenſis ac deliberatis, affirmant ſe extrema neceſſitate coactos, vnanimi conſenſu ac conſilio declaraſſe, atq; nunc ſimul declarare, Hiſpaniarum Regem meritò iuſtiſq́; de cauſis ceciſſe dominio, iure ac hæreditate dictarum prouinciarum: ideoq́ue ſe nolle poſthac dictum Regem agnoſcere in vllis rebus ad regalem cellitudinem, iuriſdictiones, dominia Prouinciarum Belgicarum ſpectantibus, aut ſuo nomine tanquam ſupremi domini aut principis vti: declarantq́; omnes officiarios, iuſtitię adminiſtratores, beneficiarios nobiles miniſtros, vaſallos, omnes denique ſubditos & inhabitatores Belgicarum prouinciarũ, omnino abſolutos à iuramento quod ei olim aliquo pacto præſtiterunt, aut quo ſeipſos ei deuinxerunt. Cumq́; has ob cauſas maxima

Ordines generales promulgant, Regem Hiſpaniarum omni iure ac dominio Belgicarum regnorum ceciſſiſſe.

pars vni

Digitized by Google

pars vnitarum Belgij Prouinciarum vnanimi consensu suorum membrorum, se certis condi- An. 1581.
tionibus addixerint dediderintque dominio illustrissimi Principis & Domini Ducis Andegauensis: ipse quoq; Archidux Matthias gubernationem generalem Prouinciarum ipsis resignauit atque in manus tradiderit: hac accepta, statuunt & mandant iustitiæ & Reipublicæ præfectis, & alijs, vt posthac nomen, titulum, magna & parua sigilla Regis Hispan. prorsus relinquant, neque ijs amplius vtantur. Eorum autem loco, quamdiu Dux Andegauensis necessario adhuc abierit, forma prouisionis vsurpabunt, & accipient titulum ac nomen Capitis & Consilij Prouincialis: Cum Caput verò & Consilia absolutè & facto ipso nominata, conscripta, & exercitio sui ordinis confirmata fuerint, nominibus eorundem vtentur. In Hollandia autem & Zelandia, vsurpabitur, vt ante, nomen illustris ac generosi Principis Auraici, & Ordinum earundem regionum: donec Consilium Prouinciale ipso facto plenè sit constitutum: tunc enim res gerentur communi procerum consensu, ad normam institutionis Consilij generalis, & contractus cum sua Celsitudine initi. Insuper loco sigillorum Regis Hispan. posthac in vsu erit magnum sigillum, contrasigillum, & minus: idq; in rebus spectantibus ad communem gubernationem, eritque auctoritas atque potestas hæc penes Prouinciale Consilium, ex norma suæ institutionis: in rebus verò politicis, administratione iustitiæ, & alijs particularibus negotijs in quaque Prouincia sigillatim, à Consilio prouinciali, & alijs vsurpabitur nomen, titulus & sigillum illius regionis respectiuè, vbi res ipsa agetur, absque vllis alijs: Sub pœna nullitatis literarum, libellorum & actorum, quæ contrà agentur aut sigillabuntur. Statuunt præterea ac iubent, vt omnia sigilla Regis Hispan. deferantur in manus Ordinum cuiusque Prouinciæ, aut eorum quibus id munus committetur: idque sub pœna arbitralis correctionis. Decretum est insuper, ne vlla posthac moneta in dictis Prouincijs cudatur nomine, titulo, aut armis Regis Hisp. sed vt noua forma constituatur. Adhæc dicunt iubentque, omnibus Officialibus, Præsidentibus, Cancellarijs, Consiliarijs & alijs, vt se à iuramento olim Regi præstito absolutos declarent, & nouũ iusiurandum in manus Ordinum aut ab Ordinibus deputatorum præstent, seque Ordinibus fore fideles contra ipsum & Regem ac omnes eius fautores, certa formula præscribenda iurent. Officialibus autem & iustitiæ administratoribus continuatio officiorum concedetur auctoritate consignata, formula prouisionali, vsque ad suæ Celsitudinis aduentum. Et hæc statuta atq; decreta vbique locorum promulgari curabuntur. Actum vt suprà in Haga Comitis, 26. Iulij, 1581. Subsign. Ioan. Asseliers.

Ad huius placiti formulam, Officiales & publicis officijs præfecti, vbique locorum in Belgio, Regem abnegare, & Ordinibus fidelitatem iurare iubentur: quæ quidem res scrupuli difficultatisque plurimum multis incussit: ita vt inter alios Ralda Frisiæ Consiliarius vir imprimis industrius ac prudens, cum huiusmodi iusiurandum ei proponeretur, subitò animi deliquium sit passus, verum an amore, an metu Regis, incertum: itaque in ipsis comitijs è vita migrauit. Erant præterea multi qui metuebant summopere ne Rex omnes Belgas, & Belgicas merces, facultates & naues in Hispania alijsq; regionibus retineret: verum id factum non est: ea maximè de causa, quod Hispani & aliæ multæ nationes, merces necessarias è Belgio aduehere, & superflua in Belgium auehere atque diuendere cogantur, ad conseruationem suarum regionum, & negotiationem ac nauigationem vtriusque Indiæ.

Archidux Matthias, qui Belgicarum Prouinciarum gubernator suam gubernationem, vt diximus, resignarat, 29 Octobris, eiusdem anni Antverpia cum honore discessit, magnificeq; admodum dimissus; per regionem Cliuensem Coloniam venit. Suppeditata ei fuerant ab Ordinibus annuè centena & vicena florenorum millia, ad suam suæq; familiæ aulicæ alimoniam: discedenti autem promissa fuerunt quinquaginta florenorum millia singulis annis. Eius autem Zoili aliquid tandem suspicionis conceperant, de clandestino fœdere cum Rege Hispano, & machinatione, contra Principem Auraicum. Pistor Archiducis & frater Caroli Rymi apprehensi & examinati nonnihil confessi fuere: augebaturq; suspicio eam maximè ob causam, quod defectionem Prouinciarum à familia Austriaca ei summoperè displicere certò constaret. *Archiducis discessus.*

Parmensis, vt diximus, Calendis Octob. castra ad vrbem Tornacensem posuit, interea dum Princeps Espinoius Tornaci Gubernator maxima cum præsidij parte abesset, gubernationemque Domino Estrellesio commendasset. Erat etiam in obsessa vrbe Espinoij vxor, ex nobili Lalainiorum familia, cuius frater Montignius in castris cum Parmense vnà fuit: quæ quidem præclara heroina, virtute masculà strenuè alacriterque admodum se gessit, in rebus defensioni necessarijs diligenter procurandis, militibusque adhortandis ac animandis. *Tornacensis vrbis obsidio & deditio.*

Tornacum vrbs est antiqua, diues, satis quoque munita: huic iuncta est arx, quam Angliæ Rex Henricus posterus construxit, cum vrbem Gallorum Regi ademisset: Gallo autem ab Henrico Rege reddita, rursus capta fuit à Comite Henrico Nassauio. Est autè Tornacum metropolis totius regionis Torneſiorum olim Neruiorum.

Parmensis obsessam vrbem octyus viginti tribus tormentis maioribus horrendum in mo-

Digitized by Google

An. 1581. dum verberat, muros mœniaque labefactat. Obsessi obsessoribus cominus, haud segniter obnituntur: fussodientibus resistunt, aduersosque cuniculos agunt. Præsidiarij qui pauci in arce erant, in vrbis defensionem simul cum ciuibus distribuuntur disponunturque. Ciues, imprimis Reformatæ Religioni addicti, strenuè suam ciuitatem tuentur: hostiles impetus varijs modis propulsant: obsessorum magnum numerum interficiunt, inter quos D. Glayonius iunior; D. Vaulxius, nuper à Rege Hispan. Busquoti Comes factus; D. Bourtius, qui officio Ordinibus antè præstito in superanda arce Antverpiana, postea ab eis defecerat; multiq; alij viri comprimis nobiles ac celebres: vulnerati etiam non pauci, inter quos D. Byllyus. Verùm enimverò cùm tandem Reformatæ Religionis propugnatores in vrbe tam spatiosa, & ampla viderent grauissima onera in suos præcipuè humeros incumbere, & maximam ciuium Catholicorum Romanorum partem, à Minorita fratre Gerio astutè animis labefactari, atq; ad deditionem instigari, simul quoque animos despondere cœperunt: quamquam epistolas à Duce Andegauense ex Anglia recepissent, quibus multa eis promittebantur. Auraicus, Espinoius & Ordines generales, omnibus modis subsidia equitum & peditum in vrbem mittere studebant: sed frustra: viribus enim longè minores, Parmensis exercitum potentissimum aggredi, non sine maximis periculis ac difficultatibus potuissent: itaque differre consultissimum putant, donec Gallorum agmina Caleto, prope maris littora, Duynkerkam veniant, & subsidio vna cum alijs mittantur: quia verò Dux in Angliam profectus tunc erat, longa mora id quoque consilium perturbauit: huc etiam aliud incommodum accessit: nam quod obsessis auxilio ad liberandam vrbem imprimis fore sperabatur, plurimum nocuit, animisque languorem ac metum incussit: quod equidem ignorantia atq; errore quodam accidit. Præstonus enim Schotus, militum tribunus, pridiè Calend. Decemb. Meninga veniens cum trecentis circiter equitibus, excubias & agmina quædam Germanorum Parmensi militantium perruperat, aliquot hostibus equitibus, inter quos turma Principis Chymaij erat, interfectis, atque triginta, & amplius captis abductisque, victor in vrbem obsessam venerat. Verùm post egregiū hoc facinus, & horum in oppidum Tornacense ingressum, Tornacenses animum prorsus abiecerunt: postquam subsidiariorū nonnulli ciuibus narrarant, se cum alijs frustra prope Duynkerkam fuisse vt Andegauensi, eiusq; exercitui obuiam proficiscerentur, imò existimare, eum cum suis nondum aduenturum. Hi quidem, vt dicebant, eodem loci fuerant, non autem vt Duci obuiam irent, eò missi; sed vt oppidum Burburgum inuaderent: quod quia tunc non succesferat, res ipsa celabatur: neque enim eos id scire decebat. Huiusmodi itaque rumore sparso, desperare cœperunt Tornacenses de subsidio atque auxilio Andegauensis, in quo spem collocarant: & hac sinistra fama magis labefactati quam subsidiariorum aduentu animis roborati, facilius aures præbere Parmensi cœperunt, qui multas conditiones satis æquas vltro obtulerat: quandoquidem suus exercitus multarum rerum necessitate ac penuria premebatur: deerant non tantum pecuniæ & commeatus, sed & multa alia, ocreæ, calcei, equitum equorumque apparatus, & similia: eratque hyems dura, & cœlum valde pluuium: denique egestas, incommoditas, aduersa valetudo milites admodum inuitos, difficiles impatientesque reddebant: quin & ciuitas satis adhuc munita facilè resistere potuisset vsque ad Gallorum subsidiariorum aduentum. Cumque maximus eorum esset numerus qui diutius rebellare recusabant, initum fuit pactum 29. Nouembris, rationi satis consentaneum, his scilicet legibus: Vt ciuitas conficeret ducenta florenorum milia, in redemptionem bonorum atque facultatum: Religioni Reformatæ addictis, & alijs quibuscunque, liberum integrumque esset abire, & suas facultates secum deferre: aut si locis neutri parti fauentibus habitare vellent, easdem retinere, ijs frui, administratores quæ Catholicos gubernandis constituere possent. Vt milites præsidiarij exirent armati, erectis signis militaribus, & sua quæcunque possent asportarent: meriti autem stipendij nomine ciues eis ante egressum ex vrbe, triginta florenorum milia numerarent. Permissum quoque Principis Espinoij vxori cum omni sua familia, cimelijs & bonis abire: cui Marckgrauius Rijsborgius olim Burggrauius Gandauensis, & D. Montignius, vnus frater, alter affinis, multa humanissimè offerebant: sed ipsa constans, grauis, magnanimaque egregiè admodum ac viriliter, tanquam in causa iusta, se erga suos hostes tam consanguineos quam affines gessit.

Conditiones deditionis Tornaci.

Marilonius constituitur Episcopus Atrebatensis.

Tornacum die D. Andreæ sacro deditum, Parmensis firmissimis præsidijs munit, nouisque Episcopus hic constituitur Maximilianus Marilonius, Ariæ Præpositus, & Machliniæ Archidiaconus: vtpote qui post Cardinalis Granuellani discessum, eius in Belgio Vicarius assiduò fuerat.

Granuellanus Archiepiscopatū Machliniensem resignat.

Granuellanus Cardinalis id temporis quoq; Archiepiscopatum suū Machlinienſum resignaturus, Dominum Ioannem Anchinum, D. Gudulæ in vrbe Bruxellensi Decanum promouet: sed an Abbatias simul resignarit, id quidem mihi ignotum.

Interea dum Tornacum oblidebatur, Auraicus & Espinoius Gandaui admodum solliciti de subsidio ferendo, exercitū Ducis eò tendere summopere desiderabant: hinc tamen agmina quædam

quædam Duce Rochepoto, per maris ſinum, Caleto, vltra Graueſingam, æquore decreſcente, riium tranſmeant., & in Flandriam veniunt. An. 1582.

Summa quoque diligentia adhibita fuit, vt Oudenarda, proxima Tornaco vrbs, probè muniretur, rebusque neceſſarijs inſtrueretur: verùm id maleuoli & imprudentiores quidam ciues impediuerunt, qui vrbem ſatis firmam munitamque aſſerebant, & maiori præſidiariorum numero grauari recuſabant. Manſardus autem vrbis Gubernator plures præſidiarios introducere moliebatur: quod ſimul ac ciues perceperunt, eum ſumma cum confuſione actumultuatione vrbe & ſua gubernatione expulerunt. Parmenſis hac eadem tempeſtate, quoſdam equites eò miſit, ſuamque opem ciuibus obtulit: oppidani autem eos admittere recuſarunt. Poſtea commodiorem oportunitatem nactus, vrbem ſuo exercitu hoſtiliter cinxit, vt pòſt referemus.

Princeps Auraicus grauiter commotus, quod res tam ſiniſtrè in Flandria gererentur, Gandauo Antverpiam venit, Senatum ac Magiſtratum ciuitatis veteri conſuetudine mutaturus. Antverpiæ Ordinum Deputatis ipſo Calendarum Decembris die, ſuam ſententiam declarat: Nempe quod id temporis cum Archiduce Matthias gubernatione Belgij deſungeretur, ipſe quoque tanquam vicarius ſuo onere liberatus fuerit: rogatus autem ab eis Amſterodami, vt gubernacula Prouinciarum cum aliquot eligendis Conſiliarijs adminiſtraret, vſque ad finem menſis Ianuarij proximi, conditionem certis quibuſdã conditionibus ſibi promiſsis acceperit. Verùm nunc imprimis neceſſarium exiſtimare, præcipuè cùm res non admodum bene geri videat, vt ſuo honori & Prouinciarum ſaluti imprimis conſulat, & ſimul oſtendat, quid proximo anno agendum cenſeat. *Auraicus ordinibus rationem rerũ meaſum inſtituendarum declarat.*

Satis quidem liquido conſtare, hoſtium agmina anno hoc poſtremo agros miſerè deuaſtaſſe, neque Ordines, quod viribus longè inferiores eſſent, id auartere potuiſſe: Parmenſem tamen cum potenti ſuo exercitu nihil magni præſtitiſſe, ea maximè de cauſa quod ſuas copias diuidere neceſſariò debuerit in Friſia, Geldria & Brabantia: & præcipuam equitum & tormẽtorum bellicorum partem in Hannonia & Arthefia aſsiduo habuerit, vrgente bello contra Cameracum & Tornacum: quæ duo oppida ſuperare operæpretium imprimis exiſtimans, Cameracum toto anno obſedit: quod quidem ſi expugnaſſet, Tornacum proculdubio vincere, & citò, & facilè potuiſſet, imò in ipſo Flandriæ meditullio nunc graſſari & dominari palàm videretur. Se quidem ab hinc annum, Ordinum deputatis euidenter ſatis declaraſſe, neceſſariò colligenda eſſe tria extraneorum equitum millia, & duas peditum bene armatorum legiones, quibus hoſtium violentiæ ac periculis reſiſtatur.

De Cameracenſis vrbis, non ſine diuino numine, fauſtiſsima liberatione ac conſeruatione, nulli mortalium præterquam ſoli Duci Andegauenſi gratias agendas: vtpotè ſine quo, ipſorum culpa, ciuitas miſerè ſuccubuiſſet. Nunc Tornacum dura obſidione periclitari, neque vllam ſubſidij ferendi, aut hoſtem propellendi facultatem eſſe: & id quoque ipſis imputandum: nam ſi tales, vt diximus, equitum & peditum copias habuiſſent, ijs proculdubio, iunctis quoque Ducis agminibus, hoſtem Belgio expuliſſent. Anno proximo maius adhuc periculum imminere: idque etiam ipſorum culpa: quandoquidem in conuentu agendo & negotijs cõſtituendis nimis negligenter ſe gererent: maximè in periculis nunc adeo vicinis, vt etiam tormentorũ tonitrua ſuis auribus audiant, & vrbis Tornacenſis oppugnationem, quaſi præ oculis videant. Hæc nequaquam errori aut ignorantiæ, ſed negligentiæ imputanda eſſe: ea maximè ratione, quod non perpendant bellum iſtud ad vnumquemque ſingulatim pertinere, & de vniuſcuiuſque propria libertate, tam corporis quam animæ agi: atque inde fieri, vt quiſque ſuis commodis, non Reipublicæ ſtudeat: hinc ortas exactionum & pecuniarum recuſationes: cùm tamen liquido conſtet ſine pecunijs, belli neruis, neque à ſe, neque à quoquam mortalium bellum geri poſſe. Se neutiquam publicarum pecuniarum adminiſtrationem ſuſcipere, neque eas quidem contrectare vnquam voluiſſe: quod cum ipſis notiſsimum eſſet, tamen non deeſſe maleuolos, qui volentes ac ſcientes falsò eum criminabantur. Hæc quidem ſibi videri neceſſariò ipſis proponenda atque declaranda: vt hinc conſiderent perpendantque, de vniuſcuiuſque ſalute ac fortunis agi: proinde ſimul vnanimique conſenſu deliberent decernantque: quod hactenus nullo modo impetrari aut confici potuit: quandoquidem ſingulæ Prouinciæ, ſingulatim ſua conſilia, & ſingulæ ciuitates ſuos nummos ſtipendiariosque milites habuerint ac tenuerint. Conſtitutum quidem eſſe ſupremum Conſilium: ſed cùm id nulla poteſtate vel auctoritate præditũ aut munitum ſit: ecqua ratione poterit in diſciplina militari, in publicis pecunijs, in iuſtitia, alijsque rebus adminiſtrandis ordo diſponi? Profectò tale Conſilium nullam vnquam auctoritatem habere poterit, cui ne oboli quidem recipiendi aut erogandi poteſtas permittitur: ſicut nec ſibi nec conſtituto Conſilio permiſſum vnquam fuit. *Auraicum, ſe nunquam pecuniarum adminiſtrationem ſuſcepiſſe ait.*

Hanc eſſe ſummam delictorum hactenus: à quibus quia nondũ deſiſtebant, ipſe ſe ab omni prorſus culpa purgabat, & niſi diuini numinis auxilio, remedium præſens ſtatim adhibeatur, actum eſſe de omnium ſalute prædicebat. Rogabat autem, hæc ſedulo agerent ac plebi ſignifi-

carent, ne fortè culpa tandem in ipſum reijciatur. Si quidem negotia Reipublicæ fideliter ac diligentius agere vellent, ſe nulla in re deſuturum, imò & ſe & ſua omnia periculis expoſiturum, & pro viribus ac facultatibus extrema tentaturum, vt res & ratio poſtulat, pollicetur: Verùm citò ac ſedulò hæc peragenda eſſe, quandoquidem gubernatio poſtrema conſtituta non ſit diutius, quam ad vltimum vſque diem proximi Ianuarij duratura: poſt id tempus nullum amplius fore gubernatorem, niſi certam quandam rerum gerendarum normam ſtatuant.

Hæc Auraici admonitio, haud multum ſanè profuit: nam Prouinciæ aliæ quidem omnia belli negotia ſuæ cęlſitudini & Conſilio committenda decernebant: aliæ verò in Ducis aduentum differendum cenſebant. Proinde ne Ducis longiore abſentia Prouinciarum ſalus impediatur, mittuntur in Angliam D. Dohainius, & D. Ioannes Iunius, qui vna cum Aldegondio, Ducem vt in Belgium venire velit, orent: Auraicus & Eſpinoius cum præcipuis Prouinciarum Nobilibus, & Ordinum Proceribus inde in Zeelandiam proficiſcuntur, hic Ducem præſtolaturi.

Parmenſes Bergoſomam inuadere frustra molitur.

Interea temporis Hautepennius Brædæ vrbis Gubernator, congregatis aliquot armatorũ agminibus, 5. Decemb. Bergoſomam inuadere molitur, cum D. Berſeleo, qui ducta in vxorem filia D. Merodæi ſiue Petershemij, Marchio Bergoſomæ, coniugij iure factus fuerat, ſeque hactenus in firmiſsima ſua arce VVouda, neutri parti addictus libere continuerat. Inito itaq; cum quibuſdam clandeſtino fœdere, in vrbem Bergoſomam miſerant circiter quadringentos milites, qui cum per foramen cataractæ prope quam vigiles tunc fortaſſe furdaſtri excubias agebãt, matutino tempore admodum obſcuro ac nebuloſo paulatim irreperent; forte fortuna excubitorum, vnus prope cataractam obambulans introcuntium audit tumultum, ſubitoque ſocios ad arma vocat: hinc reliquis ingreſſus impeditur: illi nihilominus qui iam intrarant, in forum vſque vrbis audenter inſtructa acie progrediuntur, inde ad portam VVoudanam contendunt, eamque violentis ictibus aperire, ac ſocios intromittere moliuntur: verùm excubiæ Gallicæ legionis D. Gardei, primo quidem quod pauci admodum numero eſſent, meticuloſi: poſtea à D. Daleynio, Meetkerchio, & Durando alijsque præfectis ac ſtrategis animati, dum ſocij armis ſe accingunt, hoſtem ſtrenuè inuadunt portam aperire fruſtra conantem, eo quòd porta pendula demiſſa eſſet: cùm incaſſum itaque ſe niti vident hoſtes, fugam capiunt, plurimi ex mœnibus ſe præcipitantes cruciant: cæſi circiter ſeptuaginta: capti centum, inter quos ſtrategus Paulus Boboca: multi fugientes vulnerati: occubuit autem hic Riuierus oppidanorum præfectus, Hocincepto ipſe Marchio ſe Ordinum hoſtem fatis manifeſtauit, talemque ſe poſtea ſemper geſsit.

Borborghum capere Flandrici agmina infeliciter intentant.

Hac hieme de Salæo Borghi gubernatore Ordinibus reconciliando tractatum eſt, erantque iam omnia ferè compoſita ac tranſacta cum Principe Auraico quę huc ſpectabant. Interea quidam Flandrorum, qui ſigillatim ſuum bellum gerere videbantur, huius reconciliationis prorſus ignari, Borborghum aſtute inuadere machinantur, & obſcura nocte vadoſum fluminis locum magno ſilentio partim tranſeunt: hi ſtatim muros ſcalis ſcandere aggrediuntur, non exſpectatis ſocijs, qui cum ſequi vellent, nocturnis tenebris, vadum nuſquam inuenerunt: priores nihilominus, reliquos ſequi exiſtimantes, in vrbem perueniunt: mox Saleus gubernator huius machinationis ignarus defenſioni ſe accingit: facit & idem Motteus Grauelingæ Gubernator, qui tunc forte in ipſa vrbe erat. Oppugnatores cæſi, capti, in fugam acti, quotquot oppidum intrarant: inter quos Bochardus, militum præfectus. Occubuit & Saleus, cuius morte omnis ſperatæ reconciliationis fructus ſimul interijt.

Cùm Ordines Friſiæ Doccumam, Slotam, Stauerам & Nieuvvlelá muniuiſſent, Merodius Friſiæ Gubernator neceſſarium exiſtimauit, loca quoq; Septem-ſiluis vicina firmiora reddere: itaque id negotij Nienortio, qui cum ſeptem militum cohortibus præſidiarijs hic agebat, committit, maximè vt Oldenbornum vallis atq; foſsis accuratè muniat. Verdugo autem 24. Ianu. 1582. Oldenbornum obſidione cingit: verùm poſtquã obſeſſos crebra eruptione magnum ſuis agminibus damnum inferre, & ſubſidia præparari percipit, non ſine graui ſuorũ clade diſcedit. Nienortſius enim poſtrema abeuntium agmina inuadit, multosque cædit, capit & ſpoliat.

Oldenbornum Verdugo obſidet: ſed cladē ſuorum paſſus diſcedit.

Poſtea Bronckhorſta & Keppela ab Ordinibus defecerunt: ideoque longo tempore Anglorum & Nienortſiorum militum copijs obſidentur: ſed fruſtra.

ARGV-

DVx *Andegauensis ex Anglia ſoluens in Zeelandiam, & inde porrò Antuerpiam appellens, feſto ibi introitu excipitur, & Dux Brabantiæ inauguratur. Cuius aduentu Catholici exercitum ſuæ Religionis obtinent, modo ipſi iuſiurandum præſtent, & Regem abiurent. Auraicus globoper malas traÿectur eius uxor moritur. Aldenarda à Parmenſi obſeſſa, & capta. Contra verò à nouo Brabantiæ Duce Aloſtum oppugnatum & captum. Lira à Semploditore Scoto, Parmenſi traditur. Salcedo ſtruens inſidias vitæ Andegauenſis & Auraici capitur. Non procul à Gandauo Parmenſis, impetum facit in exercitum Ducis, qui iam in prucinctu erat, Lochem oppidum obſeſſum, ter ſuppetias accepit. Parmenſis nouos Hiſpanos & Italos in Belgio acquirit, delectuſq; eorum habito, inuenta ſunt ultra ſex millia peditum, & quatuor millia equitum, quorum ſtipendia conficiebant ad 671. millia florenorum per menſem. Poſt pauca militaria factiora exercitus ille ſoluitur commeatus & aliarum rerum penuria. Steenvvick à Parmenſi capitur Reformatio Calendarij in Belgio publicatur. Copiæ Andegauenſis Duce Bironio ex Gallia veniunt, quarum auxilio poſt varios ſermones, & conſilia cum ſuis habita, certo tempore multas Belgy ciuitates de improuiſo inuadere ſtatuit, vt in ÿs abſolutam poteſtatem exercere poſſet. Cepit itaque Duynkerkam, Dexmeudam, Teneramundam. &cat. Sed male ei conatus iſte ſucceſſit Brugis, Aloſti, Neoporti & Antvverpiæ, vbi maximo ſuo dedecore 1500. è ſuis Gallis deſiderauit. Deinde de reconciliatione eius eſt actum, de qua Auraicus ſententiâ ſuam pluribus dixit. Ordines itaque nouis conditionibus cum Andegauenſi conuenerunt. Qui ipſis ſuas reddens ciuitates Duynkerkam conceſſit. Auraicus duxit filiam Chaſtillony Cornelius Dhooghe cum alÿs conſpiratoribus morte pœnas luit. Endouia cum Diesto & VVeſterloo à Parmenſi recipiuntur. Ordines VVoudam occupant. Statim atque Andegauenſis Duynkerkam reliquit Parmenſis eam obſedit & cepit, cum alÿs aliquot ciuitatibus, clam aditus à Gandauenſibus & Chimayo. Beronius cum Gallis diſcedit. Parmenſis expugnat Steenbergam. Hæc facta ſunt 18. menſium ſpatio, ſub Franciſco Duce Andegauenſi & Parmenſi.*

LIBER VNDECIMVS.

DIximvs quibus conditionibus ac rationibus fœderatorum Belgij prouinciarum Ordines Franciſcum Valeſium vnicum Regis Galliarum fratrem Andegaui, & Alenzoni Ducem acceperint in dominũ: & ipſe hac auctoritate verbeni Cameracenſem obſidione liberarit, hoſtemq; propulerit: nunc de ipſius in Belgiũ aduentu paucis agendum. Obſidione Cameracenſe ſoluta, Dux quidem vlterius eodem exercitu vti non potuit: conſtabat enim ex plurimis voluntarijs, qui libenter ſuæ Celſitudini id obſequij officijſque præſtiterant; & turmis equitum Regi publicis ſtipendijs militantium. Proinde proprijs copijs, tam equeſtres quam pedeſtres ſub Comite Rochepoto per Caletũ circa littoris oras in Flandriam miſit: ipſe autem per Angliam eò venire decreuit, conſilium, opem, atque fauorem ab Anglis exſpectans, poſtquam in Francia, neque ab ipſo quidem Rege fratre, neque à Regina matre, neque etiam à Prouinciarum Ordinibus, auxilium aut facultatem nanciſci potuit, qualem hæc tantæ molis inceptio, potentiſsimo Gallicarum Regi imprimis vtilis, poſtulabat aut merebatur: ſinguli enim ſuas recuſandi cauſas ſufficienter adferre videbantur: Verum enimuero prudentes atque ſagaces, factionem Hiſpanicam in hoc negotio æquè rationi præluiſſe, animis iudicabant.

Itaque Dux ſecundò in Angliam venit Calendis Nouembris, comitatus Principe Delphino Comitibus Lanallo, Agnano, Fernacheſo, & equeſtris ordinis viris Bretono, Bachcuilles, Telignio, Deſpruneauſio, multiſque alijs: aderant quoque è Belgio D. Aldegondus, & Iuſtinus Naſſouius, vnà cum D. Ainſio, Cameraci Gubernatore, qui, vt quã poſſet citiſsimè in Belgium iter inſtituat, petebant. *Dux Andegauenſis in Angliam proficiſcitur.*

Dux

FRANCISCVS VALESIVS D.G.DVX ALENCON. ET BRA.COM. FLAN.PROTEC. BELG.

Digitized by Google

Dux in Anglia matrimonio cum Regina contrahendo feruenter instat, vtpotè sibi compri- An. 1581.
mis necessariò plurimas ob causas, maximè autem, vt iter quod instituerat in Belgium perficiat: vbi Gallos inueterato odio plebi esse inuisos, & se causa Romanæ religionis, quam sectabatur, non admodum gratum fore metuebat: has autem difficultates facilè superari posse, sperabat nuptijs Reginæ, vtpotè cuius maiestas, gubernatio, potentia ac religio insignis admodum atque spectabilis vbique habebatur.

Coniugium istud tunc temporis eò promotum est, vt 22. Nouembris, Regina Duci coram testibus nuptias promiserit, certis tamen conditionibus ab ipso Galliarum Rege præstandis: dati quoque vtrinque annuli, non sine summa Nobilium vtriusque partis congratulatione atque applausu. Hoc nuntio vbique in Belgicis regionibus summæ lætitiæ signa edita fuere, festis ignibus, tormentorum bellicorum tonitru, & campanarum sonore. Præterea de coniugio actum est nihil: Dux nihilominus admodum familiariter atque humaniter in Anglia se gessit, permansitque tres & amplius menses. Calendis autem Februarij, Londino discessit: Regina ipsa Cantuariam vsque, paucis à Mari miliaribus vnà proficiscitur: hic ei Dux valedicit: & 8. Februarij prope aggeres arenarios Maris nauium conscendit, quem procerum Anglorum magna pars nauibus à Regina apparatis comitatur, qui Ducem quibuscunque modis promoueant ac commendent Belgicis regionibus, asserantque, quicquid obsequij Prouinciæ suæ Celsitudini præstabunt, id omne suum Maiestatem sibi factum reputare. *Coniugij promissio inter Ducem & Reginam confirmata.*

Inter hos proceres Anglos fuere Comes Leceftrius, D. Carolus Hovvardus tàquam Maris præfectus, & D. Hunsdonius, tres simul Consiliarij suæ Maiestatis, & equites perisscelidis: præterea V Villonghbeius, V Vindesorus, Scheffeldius: multi quoque equestris Ordinis viri, nempe Philippus Sidneius, Schyrleius, Perrorus, Russelus, Drurius, Bourcherus, Hunsdonij tres filij, Houvvardi fratres, aliique multi, centum videlicet Angli nobilitate illustres, cum trecentis ministris, Ducem honoris ac officij gratia Antvverpiam vsque deducere parati. Hi simul omnes 8. Februarij nauem conscenderunt, & Flissingam 10. appulerunt: hic honore ac magnificentia insigni nouus hospes excipitur: tormenta multa ingentiaque explosa, Caletum vsque audita. Principes Auraicus & Espinoius, qui se iam bis Mari commiserant, Duci obuiam, eum hic cymba exeuntem primi excipiunt. Auraicus aduenientis amplectitur genu: gratulabundus ait, se summopere gaudere diem, tam felicem tamque diu exspectatum iam venisse, quo suam Celsitudinem coram salutare, illique demisse ac supplici re officia, facultates, imò vitam ipsam offerre contigerit: atque sperare, Celsitudinis suæ opera Prouincias Belgicas ex aduersitatibus ac calamitatibus omnibus emersuras: ad quæ Dux breuiter ac cõuenienter, Principem amplexus, respondet. Deinde alij Belgicarum Prouinciarum viri nobiles, & Ordinum proceres herois aduentum gratulantur: hospitaturque ea nocte in ciuitatis curia. Postridiè frigoris vrgentis causa, Flissinga Middelburgum pedes venit: hic magnificentissimè aduentum fœlicem ei gratulantur, ante portam Ordines Comitatus Zelandici, testantur se summopere gaudere de læto suo aduentu, de pace ab eo in Gallijs compolita, de Cameraco obsidione liberato, deq; itinere suo in Angliam pro salute Belgij peracto. A porta vrbis vsque ad hospitium suæ Celsitudini delignatum construcia erant sepimenta, quatuor passibus distantia, & vtrinque faces ardentes. Ciues, decem signis militaribus distincti, armati omnes, partim in ipsa vrbe, partim extra stabant: ignes festi summa arte confecti in plateis & altis turribus conspiciebantur: tubarum clangores frequentissimi audiebantur: eratque sumptuosissimum epulum in ciuitatis basilica apparatum. Mirabantur peregrini ac noui hospites insignem ciuitatis splendorem, decorẽ ac magnificentiam, quæ cùm in Insula tam exigua, à tribus alijs haud contemnendis oppidis vno tantũ milliari distaret: eam ipse Dux tunc simul lustrauit, viditque egregiũ quinquaginta quatuor nauium, quibus per Schaldim in vrbem Antvverpiensem veheretur, apparatum. *Dux Audegauensis in Zelandiam venit.*

Die 17. Februarij classem cum omni sua aulica familia ac comitatu conscendit: venitque postridiè Lililoum, propugnaculum à ciuibus Antvverpianis in parœcia Lillana super littoris aggerem constructa, admodum commode, eò nempe loci, vbi fluuius angustior & tortuosior ipsum propugnaculum munire videtur: manstt hic ea nocte, vrbem Antvverpiam die 19. suo introitu decoraturus atque exhilaraturus.

Matutino tempore amplissimè triumphans, Antvverpiam vrbem, prope ipsam arcem præternauigat, eumque præcedunt ac sequuntur naues omnes præsidiariæ, aplustribus, signis ac vexillis ornatæ: Portæ, ripæ ac crepidines vrbis omnes armatis ciuibus refertæ: erantque simul citer viginti millia: qualis profecto numerus nunquam aut raro admodum in alia aliqua vrbe visus est: omnes armis inclyti, adeo vt trium potentissimarum vrbium Christiani orbis arma nequaquam his comparãda reputem. Hi & in vrbe & extra vrbem Du obuiam veniunt: eum omni bombardarum tormentorumque bellicorum genere salutant: quibus tormenta è nauibus non procul à Kila, extra vrbẽ horrendo tonitru respondent. Ni ui bus egressus à Brabantiæ Ordinib. & Senatu Antvverpiensi, quos æneatores, proceres & alij pluri ni officijs præfecti equis insigni- *Dux Antwerpiam venit.*

Digitized by Google

An. 1581. insignibus vecti comitabantur, admodum magnifice excipitur. Erat autem campus viginti ciuium peditum cohortibus, & æquitum aliquot turmis vndique septus. Prope extremos arcis muros stabat theatrum sumptuosè apparatum & aurea fede ornatum: huc Dux deducitur à Brabantiæ Ordinum proceribus, Nobilibus & Deputatis ciuitatum, quibus etiam aderãt Angliæ & Galliæ Nobiles: in fede sedenti Ordinum proceres alijque adstant: tum Ordinum Consiliarius Doctor Hesselius oratione diserta declarat, omnes simul Deo Opt. Max. & suæ Celsitudini ingentes agere gratias, gratularique aduentum eius, quem patriæ defensorem delegerant, Rege Hispan. Philippo legitimè repudiato, &c. paratosque esse ei hominium, obsequium, obseruantiam ac obedientiam, iusto ac debito more, iurare atque præstare. Ad hæc respondet Dux gratias que agit, quod præ alijs omnibus Principibus viris electus sit ad Belgicas regiones ab Hilpanorum tyrannide liberandas, & iuxta legum, consuetudinum ac præuilegiorum normam gubernandas: asseritque se non tantum causæ æquitate, sed & honore atque amore sibi ab ipsis exhibito permotum, decreuisse prorsus liberare malisque eximere Belgium, atque huic operi impendere vires ac facultates omnes sibi à Deo concessas, & quicquid præterea auxilij frater Rex Galliarum, & Regina Anglorum præstarent: imò paratum esse hac de causa, & vitam & sanguinem profundere.

Post hæc articulos læti introitus publicè lectos Teutonicè, quibus Gallica translatio cum noua præfatione iuncta erat, se seruaturum iurat promittitque in manus Theodori Lieſveldij Brabantiæ Cancellarij, qui Euangeliorum codicem ad id paratum tenebat. Eodem quoque pacto alterum iusiurandũ facit Baronibus, Nobilibus, Ciuitatibus & Vasallis, se nempe bonum æquumque Principem fore, nequit pro suo arbitrio, sed ad normam iustitiæ & priuilegiorum eos gubernaturum.

His transactis, Ducalis toga longa admodum, terramque verrens, & Ducale pileum, suæ diadema, proferuntur: vtraque holoserico purpureo confecta, variisque murium armeniorum pellibus subducta, & longe lateque replicata: his eum Princeps Auraicus induit, dumque togæ bullam fibularem anteriorem accommodat, hanc firmissime nectẽdam claudendamque ait, ne quis togam detrahere queat: mox quoque pileum, ducale capiti imponit, solitis ceremonijs: iamque Brabantiæ Ducem salutat, atque fausta omnia precatur. Postea Ordinum Proceres nouo Duci vicissim iusiurandum dicunt. Cancellario verba præeunte, quæ stipulatione certa à Baronibus, Nobilibus & Deputatis reddebantur: itaque reuerentiam, hominium, fidem, obidientiamque promittunt Duci.

Andegauensis inauguratur Dux Brabantiæ.

His sacramentis mutuo dictis, D. VVerckeus, Antverpiensis ciuitatis Pensionarius, Magistratu præsente, ac iubente, ciuitatis Antverpiensis, & sacri Imperij Marchionatus nomine affatur populum, edicitque, Ducem vrbi Antverpiensi, & Marchionatui debito iureiurando fidelitatem promissurum: Deum autem Opt. Max. rogandum, vt egregia hæc facta secundare velit, in sui nominis honorem, Prouinciarum securitatem ac salutem, suæque Celsitudinis laudem ac gloriam.

Postquam hæc omnia lingua Brabantica dicta lectaque fuere, Dux iusiurandum præstitit in manus D. Stralenij, ciuitatis Antverpiensis Ammanni (quod tamẽ Burgimagister. siue Consul Philippus Schonhouius VVanroyæ Dominus sui esse officij prætendebat) Stralenius clauem deauratam in obedientiæ signũ Duci tradit: Dux acceptam Stralenio Ammanno reddit, eamq; suæ fidei commendat atque committit.

Omnibus his ceremonijs solennibus ritè peractis, Brabantiæ, Limburgi & Lotharingiæ feciales clara voce proclamant, *Viue le Duc de Brabant.* hoc est, Viuat Dux Brabantiæ: personantibus tubarum clangoribus: sparguntque promiscuè in vulgus nummos & aureos & argenteos, noui Ducis effigie signatos, cum inscripttone Ducis Brabantiæ ab vna parte: ab altera autem erat Ducis symbolum, solis nempe effigies nebulas discutiens, & terram fouens cum his verbis: *fouet & discutit.*

Deinde Dux equo albo pretiosissimis velaminibus ornato in vrbem vehitur per portam Cæsaream: præcedunt autẽ præfectorum militiæ vicarij, viatores & æneatores vrbis equis insidentes: hos sequuntur mercatores Germani superiores & Osterlinghi, equis inclyti, ac patrio ritu vestiti: deinde veniunt Angli vno vestitus genere simul omnes ornati, palleis nempe holosericis nigris: hos sequuntur Chiliarchæ & strategi ciuium, vnaque plurimi Nobiles, tam Belgæ quam Galli & Angli: deinde vniuersitas siue tota ciuitas, nempe omnes officijs Præfecti, & Magistratus, induti palleis holosericis nigris: his proximi Ordinum æneatores, Ordinumque proceres: præcedentes Ordinum deputatos, sequuntur Nobiles Brabantiæ: Nobiles hos, Cancellarius, & Lamoralus Egmondanus Comitis, Egmondani frater, Gaesbekæ Baro: deinde Heluetij stipatores, & Galli, Angli, Belgeque proceres complures: mox Marckgrauius Antverpiensis, aperto capite, virgam iustitiæ ferens: tum D. Peterſumius, Baro Merodæ, qui eodem die Marschalcki Brabantiæ officio fungens, nudum gladium gestabat: hunc mox sequitur ipse Dux,

Ducem

Ducem sequuntur multi iuniores Proceres, & satellitium Gallicum: progredientem contuber- An. 1582.
nales collegiorum veterum, arcus manuarij & baliſtarij, & ſclopeti, armis egregijs omnes deco-
ri, propius comitantur, cinguntque tanquam ſomatophylaces: prope portam præſtolantur,
adueniétem ſex viri nobiles Antverpiani cum pretioſo caduceo ex aureo panno villoſo, quo
magnificè incedentem velant. In ipſa vrbis porta obuiam venit aduenièti triumphalis currus *Dux Antwer-*
piensem vbi
ingredietem ma
nu comitia-
tur impbo.
foederis, cui virgo Antverpiana decoro cœtu comitata inſidebat: quacunque etiam gradie-
batur, varij arcus triumphales, figuræ, ſpectacula cum ſuis ſignificationibus ac interpretioni-
bus offerebantur, inſigni magnificentia, ornatu ac ſplendore, artificio quoque excellenti con-
fectajin his enim ſimilibusq; artibus Belgæ, quoſcunq; aliarum regionũ artifices facilè ſuperãt:
& quamuis rerum ſtatus tunc ſatis anguſtus, tempusq; breue admodum eſſet, ſex tamen dicbus,
omnẽ hunc apparatum ſumma diligentia, tempore, ac dexteritate, feſtinationem exigente, con
feceruntcelebrati aliquot dies tota vrbe feſtis ignibus, nuntiis cantionibus, varijq; ludorũ ge-
neribus. Stabant autem ſpatioſioribus vrbis locis ciues pulcherrima acie compoſiti ſuisq; ſignis
militaribus diſtincti. Tandem obortis iam tenebris in palatium venit: erat nihilominus lux vbi-
que multa: in omnibus enim plateis & templorum turribus faces, tædæ ignesque lucebant, flam
marum copia ita vibrante, vt tota vrbs tanquam conflagrare videretur. Feciales, nummos, ijs
quas diximus formis ſignatos, tam aureos quam argenteos, paſsim ſpargebant. Ducem ſeque-
bantur circiter trecenti exules & rei, nudis capitibus, reſti longæ ſimul omnes annexi, gratiam
veniamque delictorum rogantes atque impetrantes. Simul ac in palatium ventum eſt, illico to-
ta ciuitas arma deponit, oriturque momento ſumma tranquillitas ac quies: paulò pòſt, tor-
menta omnia ænea circum vrbem diſpoſita bis explodũtur, horrendis fragoribus. De feſtis
his ludibus, ſpectaculis, arcubus triumphalibus, alijſq; lætitiæ ſignis, libri typis editi ſunt, è qui-
bus lector, ſi volet, reliqua quæ breuitatis cauſa hic omittimus, petere poterit.

Vigeſimo autem ſecundo Februarij, qui dies erat Iouis, Dux in ciuitatis Baſilicam venit:
ante ipſam baſilicam ſtabat theatrum pulcherrimè pictum atque ornatum: hic ſingulare iuſiu-
randum præſtat ciuitati Antverpienſi cum iuſigni præfatione, interpretatione, mutiſque ri-
tibus ſolennibus, ipſius etiam Conſulis ſiue Burgimagiſtri manu apprehenſa: deinde Penſionã-
rius legit ſacramentum, quo Magiſtratus & populus Antverpienſis ſtatim ſe Duci deuinciunt,
Ammanno verba præeunte, Magiſtratu autem & populo eadem reddente, erectis digitis. His
omnibus peractis iterum ſparguntur nummi, ſitq; ingens tubarum clangor. In baſilica autem
nouus Dux omnisque Gallica & Anglica, nobilitas cœna magnificè, ipſendideque comprimis
inſtructa excipiuntur. Poſtridiè Proceres Angli ſummo cum honore diſcedunt, poſtquam
ſuam Reginam Prouincijs Belgicis multifariè commendarunt.

Deputati reformatæ religionis ſe quoque, Principis Auraici præcipuè opera ac ſtudio, no-
uo Duci humiliter demiſſeque offerunt: lætum introitum ſummoperè gratulantur, maxima
iam ſpe concepta, nouũ Ducis auſpicijs omnia proſperè Prouincijs ſucceſſura: haud aliter atque
olim, Burgundiæ Ducibus ex regali Gallorum ſtemmate gubernantibus: quorum inſignes vir-
tutes, vt imitari velit rogant. Regis quoq; Franciſci fui auj, ſcientiarum literarumque parentis
atque patroni veſtigijs inſiſtat, & ſcientiarum literarumque humaniorum profeſſores in ſuam
tutelam recipiat, obſecrant: ad hæc fidelitatem obedientiamque quibuſcunque rationibus pro-
mittunt: Duci nouo ſummam felicitatem, Prouincijsque pacem inprimis optant. Deumq; Opt.
Max. Principum omnium Principem ſupremum rogant, vt eundem, ſi renuum ac iuſtũ inſtar
Dauidis, ſapientem inſtar Salomonis, & ſuæ gloriæ ſtudioſum inſtar Ezechiæ reddat. Ad hæc
Dux paucis reſpondet, ſe ſummoperè lætari, atque gratulari laudabilem populi concordiam ac
conſenſionem, ſeq; operam daturum ne in rebus ad gubernationem ſpectantibus concepta ſpe
fruſtrentur, atq; vtpotè cui nihil æquè ſit curę, vt ſubditos more prædeceſſorũ veterumq; ſuorũ
patruorum clementer gubernet: denique omnibus pro ſumma hac benevolentia ingentes agit
gratias, proceres cunctumq; populum in ſuam tutelam ac protectionem recipit: rogatq; in hoc
inſtituto ſimul pſeuerent: quin & viris doctis, ſe patrocinaturũ, maiorũ ſuorũ more, pollicetur.

Poſtquam itaq; Franciſcus Galliarum regni filius, & frater Regis vnicus, Brabantię Dux elt
inauguratus, iamq; exercitium Cathol. Rom. religionis, octo menſes intermiſſum ſuſpenſumq;
vt ſuprà diximus, & tantummodo exercitium baptizandi, matrimonia confirmandi, ægrotos
viſitandi, atq; mortuos ſepeliendi, ſine cęremonijs aut congregationibus euidenter inſignibus,
permiſſum fuerat; Catholici Rom. à nouo Duce, qui & ipſe Romanus Cathol. erat, veteres ſuæ
religionis exercitium poſtulârunt, quod quidem ipſis, multas ob cauſas negare neutiquam Dux
potuit, quanquam hinc tumultus imminere videretur: itaq; ciuitas omnis ſuſpenſionem ſupra
dictam abrogauit, Catholicisq; Rom. templum D. Michaelis aperiri permiſit: idque 15. Martij
1582. formula ſequente promulgatum fuit.

Quandoquidem templum D. Michaelis ſuæ Celſitudini, ſuis aulicis & aſſeclis, præterea om- *Catholicis Ro*
nibus illis quibus ſua Celſitudo concedit, ad Romanæ religionis exercitiũ nunc patefactum eſt. *manis ſuæ re-*

Digitized by Google

An. 1582. Idcirco Præfectus, Consules & Magistratus vrbis Antverpiensis, consultiones, turbas ac tumultus auertere, & ciues atque inhabitatores in pace ac concordia conseruare cupientes, decreuerunt & statuerunt, decernunt & statuunt, vt ciues & habitatores. qui exercitium Romani religionis sectari volent, & similiter sacerdotes qui à sua Cœlitudine ad hoc deligentur, Regem Hispaniarum cum omnibus fœderatis ac socijs iuramento abnegent, ac respectiue fidelitatem iurent suæ Cœlitudini & ciuitati Antverpiensi, idque in manus Cõmissariorum deputandorum fiat, qui ad id præsto erunt in D. Michaelis monasterij exedra: neque antequam id præstiterint, tem plum ipsum ingrediantur, sub pœna præcedentibus cõstitutionibus contenta. Præterea ne hinc quibuscunque extraneis Rom. religioni addictis, occasio detur in hanc vrbem veniendi habitatum, insuper murmura ac turbæ oriantur; eadem auctoritate statuta est, ne quis dicto exercitio fruatur, qui tribus postremis annis in hac vrbe nõ habitarit: insuper vt illi qui arma gerere non solent, aut gerere non tenentur, in templum sine armis veniant: adhæc ne alibi locorum in hac vrbe dicta religio exerceatur, ad normam dicti præcedentis statuti, sub pœna eodem decreto contenta. Edicitur præterea vetaturq; strictè omnibus, cuiuscunque qualitatis, conditionis aut nationis, ne alter alteri ob religionis diuersitatẽ in excubijs, vigilijs, aut alibi iniuriam vllo modo dicat aut faciat, sub pœna capitis & confiscationis bonorum, pro delicti qualitate.

Catholici Romani fidelitatem Duci iurare, & Regẽ abiurare cogũtur.

Cùm aũt hac promulgatione Catholici omnes Romani, Duci fidelitatem iurare, & Regem Hisp. abiurare concepta verborum formula cogerentur: plurimi potius misse siue sacro non interesse, quàm iurare maluerunt: & cùm primo ingens fuisset numerus eorum, qui huic exercitio instabant: nemo, exceptis mulieribus, ei interesse visus est, qua quidem de causa vlterius vrgentur ad iusiurandum, & tunc quidem acerrimè, cum paulatim metu posito confidentius ad templum se conferre inciperent: nam edicto, 11. April. promulgato, mulcta 200. florenorum in pauperum vsum applicãdorum, in templo coram Cõmissarijs iurare compelluntur. Postremò 13. Iunij, inhabitatores ad vnum omnes, coram suo quisque præfecto citantur, vt sub exilij pœna, iusiurandum dicant intra tres dies.

Dux quoque imminentium necessitatum causa cum Ordinibus consilium inijt. maximè vt de ducentis florenorum millibus ex promisso ei quouis mense numerent, & de alijs belli rationibus simul agant. Brabanti enim hactenus suis sumptibus aluerãt præsidia Liræ, Machliniæ, Bruxellæ, Herentalli, Dietæ, Viluordæ, Hochstratæ, V Vesterloij, partim etiam Bergesomæ: præterea Lilloij, V Vilbrockę & Margretæ: insuper quoque naues præsidiarias: id oneris autem tunc Duci impositũ erat. Bellum quidem non valde acriter gerebatur: præsidiarij tantum excursionibus vtrinque grassabantur. In Frisia Ordinum exercitus, aquis multo frigore cõcretis, Meppelam & Bronckhorstam vi superauit. In Flandria, Præsidiarij Meningenses multos eximios primariosq; viros, quos ducenti equites Albani comitabantur, non procul à V Varconio callide inuaserunt, apprehẽderunt, & equis, larcinis, rebusq; pretiosis spoliarunt. Flandri etiam iumptibus ingentibus grauabantur: 100. & 30. cohortes peditum, & 20. turmas equitũ alebant.

Lensium Arte sic oppidum captum, & recuperatum.

Braueus militũ præfectus, & alij aliquot Galli Lensium opidũ in Artesia insigni dexteritate cœperunt nomine Ducis Brabantiæ, D. Montignius, nuncio accepto, ocyus eo contendit, lustra tisq; equitum agmine locis, captum oppidũ obsidione cingit: verùm magno suæ vitæ periculo, suorumque damno ac clade propulsus, profugit in Duacensium vsque pomæria: tandem autem obsessi non satis muniti, & maioribus hostium agminibus cincti, necessitate vrgente, cum hoste pacisc̃untur, vrbemque relinquunt Calend. Aprilis.

Parmensis post Tornacum captum, omnem suum exercitum in oppidis superatis, & alijs his vicinioribus collocat, vt quieti se tradant reficiantque, vbi non tantum delicatè ciuium sumptibus nutriuntur ac souentur, verùm ingentem quoque pecuniam à subditis extorquent. Interea Consilium Ordinum Artesiæ & Hannoniæ cõuocat, vt simul de generali Prouinciarum gubernatione (quã & ipsius Parmensis mater, quæ tunc Namurci erat, auidè competebat) consultent,

Mallecontenti consentiũt, vt Hispanorũ & extraneorum agmina in Belgiũ redeant.

& de admittendis extraneis militibus constituant. Ordines peregrina agmina rursus recipiẽda cõsentiunt, quanquam antea cum Rege pactum inissent, quo Hispani & Itali Prouincias Belgicas relinquere tenebãtur: prætexuntq; se extraneorum discessum à Rege postulasse, ea maximè de causa quod sperassent, reliquas Prouincias oẽs eandem quoque reconciliationem inituras: nunc autem aliter atq; sperabant euenisse, quãdoquidem Gallos, veteres Belgij hostes, vocarint admiserintque. His decretis mittitur in Hisp. legatus Abbas D. Vasti, qui antea inuectiuam orationem aduersus Hispanorũ gubernationem admodum acerbè conscripserat, quam ego ipse, & vidi & legi. Itaque in Hisp. mox statuitur, colligendas duas Hispanorum, & duas Italorum peditum legiones, insuper Germanorum superiorum, & aliorum equitum turmas aliquot: eoque delignantur septingenta ducalium aureorum millia. Rex Hisp. paulò antè, & tunc quoque tempori quosdam proceres Belgas summis titulis ac honoribus decorauit: Burggrauius Gandauen sis creatus Marchio Rombaisius: D. Capresus, Comes Henninletartius: D. Vaulxius, in obsidione Tornacensi interfectus, Comes Bosquoyus: pluresque alij donis amplissimis illecti.

Die 18.

Digitized by Google

Die 18. Martij, Auraico vulnus glande in caput infligitur à quodã Cantabro Ioan. Iaureguio. Id aũt facinus longe ante decreuerat Ioan. Yſonga, bellica Camarica, oppido Cantabrico, oriundus, cum aliis nonnullis, qui ex Hiſpan. literis miſsis ad Iaſparum Anaſtroum Cantabrum, Antverpiæ habitantem, quem ſacturam bonorum paſſum, ad paupertatem redactum, & foro ceſſurum ſciebant, ad ſcelus inſtigarunt. Cumq; Iaſparo, opera Yſongæ, ab ipſo Rege, chirographo dato, promiſſa eſſent 80. ducalium aureorum millia, & D. Iacobi commendatio, ſimul ac Aurai cum neceſſet: ipſe puſillanimis, deſperans, neq; ſuis manibus opus exequi audens, Antonio Veniero, & Ioan. Iaureguio ſuæ trapezæ adminiſtratoribus rem omnẽ aperit, aduerſam fortunam conqueritur, lamentaturq́ue: deinde eoſdem inſtigat vt Auraicum, ſecundũ proſcriptionis ac programmatis execrabilis normam, interimant: ſpe multa incautos allectat, præmia inſignia proponit, æternã ſalutem animæ, & gloriam diuitiasq; ingentes: nihil eſſe periculi facinus tam egregium cõmittentibus: nam poſt interfectum Auraicum, & perpetuam requiem, ac religionis pacem Antverpienſibus conceſſam, impunes ſeruandos, & ſummis honoribus muneribusq; afficiendos aſſerit. Horum alter id facere recuſat: alter verò, nempe Ioan. Iaureguius 24. annorum iuuenis, imperitus atq; incautus ſe patraturum promittit: qui cum Teutonicam linguã calleret, confidenter Auraici aulam frequens adit: quomodo facillimè accõmodiſsimè Principem è medio tollat, explorat, ſica, an ſclopeto, an menſæ accumbentem, an alia ratione: tandem ſclopeto traijciendum decernit, Antonium Timmermãnum Monachum, in ſui heri Iaſpari ędibus ſacrũ celebrare ſolitum, adit, ei ſua delicta commiſſa confitetur, idque quod meditabatur facinus indicat: monachus abſolutionem veniamque concedit, maximè quod in Dei honorem & Romanæ Catholicæ religionis conſeruationem ac fauorem id aggrederetur, acriterque animatum ſacramenti euchariſtiæ adminiſtratione munit. Interea Iaſparus, Laureguij herus, Caletũ Gallie opidum profectus, nuntium de homicidio à famulo perpetrando exſpectabat. Itaque 18. Martij die Dominico, Iaureguius Monacho ſua peccata confeſſus, audit ſacrũ, euchariſtiam ſumit, & hauſtum vini cretici ſorbet: atq; hoc modo munitus ac animatus, in Antverpiẽſem arcem, vbi tunc Auraicus hoſpitabatur, circa prandij tẽpus venit, exſpectatq; donec Auraicus pranſus, cum Hohenloio, Laullio, prolibus & fratris filijs in magnam aulã venit, inde in cubiculum euntem Iaureguius ſtaturæ breuioris iuuenis oſtio adſtans ſclopeto Principem impetit, glandemq́ue eiaculatur, quæ ſub aurem dextrã penetrans, maxillam ſiniſtram per palatum ſub dentibus ſuperioribus peruolat, traijcitq;. Auraicus (vt ipſemet poſt dixit) quid rerum eſſet ignarus, & cõtignationem aliquã ædium corruere exiſtimans, primò nihil ſenſit, paulò pòſt aũt animi defectionem momento temporis patitur. Ocyus proceres nobilesq; furibundo impetu ſceleſto homini 3. aut. 4. vulnera infligunt, mox ſtipatores ac ſatellites vulneratum interficiunt. Paulò pòſt Princeps factus mentis compos, fuæ vitæ inſidiari, & ignem crines adurere ſenſit, turbas rumoresq; ſicarij, cauſa ortas audit, ne eum occidãt rogat, ſe animo æquo ignoſcere maleficio clamat: Gallicosq; proceres intuens ait: Celſitudo ſua fidelem famulum amittit: mox in cubiculum ducitur, ægrè incedere valens, quanquam ipſo glandis ictu in terram non cecidiſſet. Hinc ſubitò oritur tota vrbe ingens tumultus, qui inſigni laudandaq; politia citò ſedatus fuit: nam ciues & habitatores abſq; mora armantur, & in ſuam quiſq; ſtationem properat: catenæ quoque tenduntur, ne quis, præter præfectos & tribunos, per plateas eat. Dux Brabantiæ in Abbatia D. Michaelis hoſpitatus diem ſuum natalem tunc celebraturus, decurſiones ludicras ludosq; Troianos, & feſtas dapes apparari iuſſerat, verùm ipſe cũ ſuis nobilibus ac aulicis hoc caſu ſummopere perturbatus ludicra omnia poſtpoſuit. Princeps Ducis cauſa anxius ſolicitusq́ue, ſummopere lamentatur ac queritur, ſuam Celſitudinẽ grauiſsimas adhuc paſſurum difficultates ac moleſtias: circumſtantes hortatur (vtpotè mortẽ ſibi iam imminere reputans) ad modeſtiã, obedientiam ac fidelitatem, aſſeritq; ſe neminem mortalium ſcire, qui hoc rerum ſtatu magis ſit idoneus Belgicis Prouincijs gubernandis. Interea Hogenlous omnia domus oſtia excubitoribus cuſtodibusq; cingit: cumque ſuſpiciones eſſent variæ ac ambiguæ, alijq; alios huius criminis accuſarẽt, Comes Mauritius Auraici filius, occiſi Hiſpani cadauer perluſtrat, veſtibus exuit, inuenit ſclopetũ, ſchedulas quaſdam, Catechiſmum Ieſuiticũ, & pugillares quibus continebãtur manu ſcriptæ precationes nonnullæ, vota, aliaq; id genus friuola, vnde Hiſpanorũ inſtinctu facinus perpetratum ſtatim perciebatur: proinde ſuſpicionibus omnibus amotis, Gallos prorſus excuſauit atq; purgauit. His aũt ſcedulis inſcriptus erat modus, quo vitam conſeruare mortemq; auertere ſe poſſe cõfidebat nefarius: præterea precationes, ad Diuos Anglos, & Deum: inter alias aũt vna qua rogat Angelum Gabrielem, vt pro ſe intercedat apud Chriſtũ Ieſum, eiusq; filium (quaſi Chriſtus pater filium haberet) & apud D. virginem Mariam, vt id quod inſtituerat exequi queat, neq; ſubitò in ipſo facto interficiatur: votumq; vouet, ſe ſeptimanã totam ieiunaturum, nihilq; præter panem & aquam ſumpturum: coronas, veſtes aliaq́ue dona plurima ſtatuis Chriſti crucifixi, & Mariæ virginis in Hiſpania, ſanctè promittit: quæ quidem indicia, & id genus multa alia, liquidò oſtendebant, hunc Iaureguium iuuenem incautum fraudisq́ue ignarum, miſerrime fuiſſe deceptum,

Auraicus glande vulneratus ab inſidiatore Ioanne Iaureguio.

Superſtitiões Hiſpanicæ.

An. 1582.

An. 1582. & spe cælũ promerendi, æternam laudem gloriamque huius ſeculi apud Catholicos Rom. conſequendi. & precibus votisq; periculum mortis euadendi, ad id facinus inducti atq; pellecti.

Interfecti homicidæ cadauer in pegmate erectum, inde in forum publicè ab omnibus conſpiciendum vehitur, & illicò à multis cognoſcitur. Hinc feſtinanter Antonius Venierus trapezæ Anaſtroi alter adminiſtrator, & Anton. Timmermannus qui ſicario à confeſſionibus fuerat, apprehenduntur: confeſtim rem omnem, ſuamque culpam confeſsi, in pegmate ſtrangulantur, deinde in 4. partes diſſecantur: cadauerum partes & capita, ipſius etiam laureguij, in propugnaculis arcis altè figuntur: eadem autem poſt modũ. nempe anno 1586. ſolenniter à Ieſuitis ablata, tanquam ſacra, ſumma ſuperſtitione publicè honorata, cultaque fuêre.

Mirificè ſanatur Auraicis vulnus.

Auraici vulnus primò quidem medicabile apparebat: nam venæ, vehementiore ignis calore (ſcilopetum enim adeo prope capiti Principis admouerat ſceleſtus, vt etiam eius crines adureret) contrahebantur corrugabanturque: vnde mirum in modum ſanguis ſiſtebatur: verùm poſt 14. dies cruſtula vulneris, venis iam in rugas contractis, decidit, vnde mox ſanguis adeo abundè effluxit, vt nequaquam liſti poſſe videretur, verùm ſummi numinis gratia, & peritorum medicorum arte ac ope ſanguinis profluuium mirificè, & præter hominum opinionem ceſſauit. Hic Svvertſenborga Comes, Auraici ſoror, matrona comprimis induſtria, ſolers ac prudens, inſignem operam diligentiamque præſtitit. Ciues autem Antverpienſes, qui primo rumore ac tumultu vindictam ſumere de Gallis, eosque inuadere velle videbãtur, aduerſo hoc caſu inſignem erga Auraicum fauorem ac fidelitatem declararunt, ſedulo officia miniſteriaque quæcunque præſtiterunt: quarto poſt vulnus acceptum die, Mercurij ſcilicet, ieiunia ſupplicationesque inſtituerunt ac perfecerunt, tam Gallicæ quàm Teutonicæ Eccleſiæ ipſius Magiſtratus decreto, in quibus inſignis populi copioſiſimi zelus ac feruor conſpici potuit: nam maxima multitudo toto ferè eo die in templis permanlit, cõcionibus, ſupplicationibus & pſalmis intenta, non ſine triſtiſimis lamentationibus ac lachrymis. Ad hæc poſtridie Cal. Maij, quo ſanitati iam reſtitutus, Princeps in templum primo venit, publica gratiarum actio Deo Opt. Max. celebrata fuit.

Carolota Borbonia Auraici vxor moritur.

Auraici vxor Carolota Borbonia, vulnerato marito maximo metu perculſa, eo reualeſcente in grauiſimum incidit morbum, obijtque pia ac religioſa heroina 5. Maij, relictis aliquot filiabus. Solenni pompa ſepelitur Antverpiæ 9. Maij, in primario vrbis templo, ſeptentrionem verſus, in ſacello Circumciſionis: ſequebantur funus mille ducenti & amplius viri, pullati, lugentes, mæſtique omnes.

Principis Parmẽſis epiſtola ad ciuitates Belgicas.

Auraico vulnerato, fama velox vbique terrarũ ſpargitur eum è vita migraſſe: idq; Princeps Parmenſis verum exiſtimãs, epiſtolas eo ipſo cum præcipuas vrbes Antverpiam, Bruxellas, Ganduum, Brugas, plureſq; alias, 25. Martij datas Tornaci, mittit: ijs ſummum ſuũ erga Prouincias amorem, quarum cauſa tot labores, ac pericula ſubierit, exponit: & quia nunc cæleſtis numinis ope, Auraicus vita ſit primatus, & fallaciæ ac technæ, quibus homo ambitioſus populũ miſeriis, diſſidentijs ac ſeruitutibus hactenus irritatũ detinuerat, palàm ſint detectæ, literis miſsis aſſeuerat, ſi hac occaſione nunc data proprijs rebus conſulere velint, ſe eorũ protectionem ac tutelam propenſæ ſuſcepturum, atque ex animo omnem authoritatem ac poteſtatem à Regia Maieſtate ſibi traditam applicaturum: ita vt non minorem gratiam clementiamque ſint experturi, quàm illi qui ſuæ Maieſtatis genuinę ac naturali clementię confuſi ſeſe vltro eidem cõmiſerunt atque ſubmiſerunt: expectare proinde ab ipſis reſponſum, quod in tranquillitatem proſperitatem ac ſalutem omniũ vergat: vt inde ſuæ Maieſt. occaſio detur intermittẽdi apparatum bellicũ, neque eos maximo omnium periculo ac malo durioribus aſperioribusq; modis inuadendi. *Subſig. Alex.* Iaſpar quoque Anaſtrus Tornaco ad ſuos amicos ſcribit, eos ad reconciliationẽ hortatur, & inſigne homicidium gloriabundus iactat: verùm poſtquam Auraicum adhuc ſupereſſe intellexit, pudibundus Belgicas regiones reliquit, omnibus, tanquã timidus latro, deſpectus, Mediolanum ſe recepit. Nihil autem Parmenſis literæ, multo minus Anaſtri, profecérunt, neque populum vllo modo ad reconciliationem mouerunt: contra verò, reliquæ Prouinciæ Duci nouo per Legatos fidelitatem Antverpiæ iurarunt, & ſacramentum ſolenniter renouarunt, exceptis paucis, quibus iuſta excuſatio nequaquam deerat. Bellum quoque non minus quàm ante geritur, cuius adminiſtrationem omnem Dux ſuſcepit.

Namurcũ frustra inuadere molitur Dux Brabantiæ militiæ.

III. April. conſtituerant Ducis Brabantiæ agmina Namurcum oppidum inuadere, vbi tunc temporis antiqua Belgij Gubernatrix Principis Parmenſis mater erat, aberat autem D. Barlaimontius, Namurci Gubernator: iamq; ſcalas plicatiles equis vehi facies nigroq; colore tinctas eò deuexerant: verùm opinionũ conſiliorumque diuerſitas, & potentiſimus Parmenſis equitatus, qui non longe aberat, inſtitutũ hoc impediuerunt: proinde vnde venerant, reuertuntur.

Martinus Schenckius ætate vigens, rei militaris experientia pollens, celebris ſub Parmenſe ſtrategus, qui Bleſenbekam & alias arces tenebat, 4. Aprilis aſtutè præuentus à D. Hochſaxeno Geldriæ vrbeculæ Gubernatore, ex vrbe Santena captiuus auchitur: captum regij liberare neglignt:

Digitized by Google

gligunt: quare Schenckius animum à Regis militia auertit, suisque rebus alia ratione consulit. An. 1582.
Annus is erat secundus, quo idem à Barone Curtsbachio captus, hostiles manus, illusis custodibus, euaserat. Enchusæ circa id tempus ciuis quidam apprehenditur, qui olim Regis Hispalipator fuerat: habebatque à Rege mandatum vrbem Regis tradendi: verùm machinatio tota detecta fuit.

Lentio oppidulo Regi, eo quo diximus modo Cal. Apr. recuperato, exercitus Parmensis in Flandriam ducitur, tanquã Meninas obsessurus: verùm 8. Apr. cingit Oudenardam, paruam quidem, sed optimè munitam vrbem in Flandria ad Schaldim sitam, admodũ antiquam, à Neruijs Belgarum ibrenuissimis, nomine vetus Neruium, vocatam. Hanc Parmensis absque longa mora 23. tormentis maioribus verberat. Oppidani animosè fortiterque suam ciuitatem defendunt: verùm cum paucos haberent milites presidiarios (plures enim admittere obstinatè recusarant, cõtra intente Principe Auraico. & D. Mansardo ciuitatis Gubernatore, quem hac de causa vrbe expulerant, eiusq; loco gebernabat Fridericus Borchtius) cumq; tantum 400. stipendiarios haberent, haud quaquam excursionibus, tormentis bellicis, aut etiam inundationibus, quas loci situs amplis circa vrbem spatijs admittebat, hosti nocere potuerunt: Parmenses enim cymbis planis inundata loca occupabant: dumq; portæ vnius propugnaculum fortiter oppugnant, plurimi vtring; cæduntur: cecidit hic, inter alios, Bernoy illius Antv verpiensi egregius Capitaneus vrbis defensor. Dux Brabantiæ & Flandri subsidij aliquid obsessis ferre sedulò student: verùm quia copiæ peditum ex Francia, & equitatus ex Germania tardè segniterque nimis aduentabant, numero longe impares Parmensem inuadere non audent: quandoquidem cum modissimè sua castra posuerat, & fossis aggeribusque munierat ad ipsum flumen per quod ex vrbe Tornacensi cõmeatus, & necessaria quæq; suo exercitui aduehebantur. Tandem in vrbe obsessa ciues & præsidiarij discordare nonnihil incipiunt: maxima ciuium pars obsidione fatigata, præsidiarij auxilia recusant: cõmeatum & reliqua necessaria deficere causantur, pacisq; dum cum hoste consultunt, & acriter demũ instant. Itaq; cum spes admodum partã subsidij appareret, cum Parmense pacisquntur, vrbemque dedunt. Præsidiarij cum armis & signis suis militaribus exeunt: ciues 36. florenorum millia hosti numerare coguntur: reformatæ religioni addictis anni spatium datur, quo deliberent, an suam religionem, an vrbem relinquere velint. Paulò pòst Parmenses Gauram quoque capiunt.

Oudenarda obsessa à Parmensi occupatur.

Interea dum Parmensis Oudenardam obsidet, Ducis Brabantiæ exercitus numero viribusque minor, cum hostem castris expellere non posset, diuersas inuadere vrbes machinãtur: Rochepotus in Cortracum, Antv verpienses in Arschotum frustra tendunt: verùm Tyanus Niniuarum, & Oliuerius Templeus Bruxellæ Gubernator, & Gardeus tribunus, pluresq; alij militũ præfecti, collectis vicinis vndique præsidiarijs, 23. Apr. Alostum opidũ Flandriæ Imperialis metropolim simul aggrediuntur: nocte intempestæ hora 2. Likerkij cohortes horribili clamore arma arma vocant, ea parte qua vrbs minus erat munita: dumq; oppidani eo armati cõcurrunt, reliqui magis munitã vrbis partem prope portã Bruxellensem, non procul à via lapidibus strata inuadunt, & plaustis, tabulis, alijsque instrumentis propius accedunt, mox 3. scalas in ipsa vrbis fossa erigunt: has plurimi, fossam aquis profundã pectore tenus transeuntes, adscendere properant, sclopeta capitibus imposita tenẽt sinistra, & gladios nudos dextra: lagenulas pulueris nitrato refertas galeris, galeisque bellatorijs imponunt: & funes bombardicos ignitos ore ferunt, atque hoc modo scalas adscendunt. Primus quidem strenuus miles, Rex cognominatus in ipso adscẽsu sclopeto traijcitur: reliqui nihilominus audacter progrediũtur, excubitores trucidant, tympana pulsant, vt opidanis maiorem metum incutiant, qui defensioni intenti duo tormenta bellica explodunt, sed parum damni hostibus inferunt: cumq; circiter ducentos mœnia adscendisse, vno impetu in vrbem procurrunt, & in amplam planitiem non procul à mœnibus se recipiunt: oppidani ocyus obuiam tendunt, hostemq; bis terq; adgredi cogunt, neq; reliqui vlterius adscendere audent, mox exhortationibus crebris animati plurimi audenter transcendunt, oppidanos magno impetu repellunt, ad portã Bruxellensem concurrunt, trucidatisq; excubitoribus portam & exteriorem pontem vi aperiunt, hac equitatus qui extra vrbẽ exspectabat, intrat: oppidani fugientes se in forum & curiam ciuitatis recipiunt: cumq; hic media hora sclopis frustra resistere interentur, tandem in gratiã recipi poscunt: 100. & 10. circiter præsidiarij, & ciues multi captos se dedunt: reliqui passim cæduntur, multi fugiunt, & per muros vrbis se dimittũt, quorum maxima pars extra vrbem capitur. Itaq; Ducis milites vrbe potiuntur, cæsis tam præsidiarijs quã ciuibus circiter ducẽtis, inter quos 17. sacerdotes, qui prope primarium templu trucidati fuerunt: ex Ducis cohortibus desiderati circiter 25. inter quos signifer, & ille quem Regem appellatum supra diximus: capti Gubernator vrbis Moucronius & multi militũ præfecti. Petrus Aloysius Abbas Niniuensis à Paulo Carliero, milite Bruxellense, qui decimus mœnia adscenderat, capitur, & se duosq; suos Monachos 4. florenorum millibus redimit. Superata vrbs præsidijs Ducis munitur, & Tyanus Merodæ familiæ, vir nobilis Gubernator constituitur.

Aloſtum opidum ca. ptum à Ducis militibus.

An. 1581. Paulò post, aliquot Parmensis cohortes insigni astutia atq; dexteritate alteræ alteras fugant propelluntq́ue ad ipsam vsque arcem Gaesbekanam: fugientes se spolijs onustos Alosto venire fingunt, & portam aperiri petunt: arcis autem præsidiarij nimis creduli, & auaritiæ intenti, aperta porta hostes imprudenter intromittunt.

Gaesbeckana arx à Parmensis militè capta.

Eodem ferè tempore quo Oudenarda Parmensi deditur, venit per littora Dunkerckæ vicina, ex Gallijs quidam Comes Carolus Mansueldius cum mille quingentis equitibus Germanis, & peditum Gallorum magno numero, pluresq́ue alios secuturos præstolabatur: contra hos sua agmina mittit Rochepotus peditum Ducis Brabantiæ chiliarcha, iunctis copijs quæ extra vrbem Gandauenses sosis vallisq́ue munitæ manserant, vt Oudenardâ obsidione liberarent. Postquam hi simul castra inter Dunkerckam & Bergas Diui V Vinochi posuere, Parmensis cum suo exercitu postridiè Cal. Aug. ex vrbe Oudenarda venit, & sua castra his proximè iungit: toto eo vesperi sub mœnibus Bergensibus dimicatur, & ex oppido maiora tormenta in hostes vicinos explodunturi: sequenti die propius accedit Parmensis, ita vt vtrunque exercitũ solummodo riuus interiacens dirimeret. Rochepotus qui Bergis ægrotus detinebatur, sc in mœnia portari iubet, cumq́; agmina locaſ; perspexisset, ex omnibus cohortibus quę simul aderant delignat, bis mille sc loperarios, & quingentos equites, reliquos in castris manere atque in procinctu stare iubet. Itaque 3. Aug. post meridiem prælium incipitur: & Parmensis quidem exercitus primò maximam commoditatem oportunitatemque habebat: enim numero longè maiores, & properè sepes, vias fossasque præoccupauerant: verùm Ducis agmina eos strenuè inuadunt, locis cómodis expellunt, plurimosque cædunt. Parmensis Baronem Balensonium cum suis equitibus ferentarijs alijsque sc lopetariorum turmis hostilem peditatum impetere imperat: aduenientes ab Anglis Lancearijs durè admodum excipiuntur: Baro ipse cum suo vexillo capitur, agminaq́ue ductor creditur. Hoc conflictu Angli & Galli equites strenuè imprimis se gesserunt, paruoque suorum damno ingentem hosti cladem intulerunt, postea vtrinque discreditur.

Prælia prope D. V Vinochi bergas.

Interea temporis, dum Dux Brabantiæ in vrbe Antverpiensi moratur, Parmensis Principis præsidiarij vicinis locis dispositi: postridiè Calend. Augusti inuadunt Liram, oppidum tribus ab Antverpia miliaribus, parnum quidem, sed optimè munitum: cuius Gubernator erat Eetveldius nobilis Antverpiensis, habebatur præter alias cohortes præsidiarias, vnam Schotorum sub præfecto V Vilhelmo Semplo: hic Semplus vindicare volens ignominiã siue iniuriam quam sibi ab Ordinibus factam dicebat, vrbem Parmensi tradere statuit: quod vt tectius perficere queat, Eetveldio Gubernatori in mensa persuadet quendã ex suis militibus captum, quem vel maximo pretio redimi hostes recusabant, proinde oportunitatem quærere hostes aliquot deprehendendi, ijsque captis suum permutandi ac liberandi. Eetveldio nimis credulo placet hominis institutum, vt scilicet cum triginta Schotis rem aggrediatur, additq́; ei insuper septem ex suis stipendiarijs & tympanistam. Exit cum hac caterua Semplus per portam quam vocant Louanien sem: cumque iam duobus à Lira miliaribus abessent, omnes in pagi cuiusdam templũ ingredi, ibique quiescere iubet: hic Schoti milites, Semplo iubente, Gubernatoris Eetveldij stipendiarios hostiliter apprehensos vinciunt. Interea ex vicinis præsidijs agmina ab Hautepennio congregata, vt conditum erat, aduenium, vnaque cum Schotis recta Liram tendunt: vinctosque Gubernatoris milites in medio agmine deducunt. Reliqui Schoti qui in vrbe manserant, cum Sempli fratre vicario, signifero, ductore, alijsque duabus stationibus tunc excubias agentibus, omnes simul in planitiem Clusæ conueniunt, summum mane ante horam tertiam, quo tempore Semplus cum hostium copijs ante oppidi portam venit, & intromitti petit: doli conscius frater in curiam ciuitatis properat, vt vigiliarum præfectus, alijsque primarij, conuenales, & ciues, ocyus claues, quibus porta aperiatur adferant, postulat, fratrem enim socios que præda onustos adesse. Vigiliarum vrbis præfectus ciuesq; qui tunc excubias agebant, nihil doli suspicantes de militibus Schotis, vtpotè qui multo iam tempore probè fideliterq́ue suo munere in vrbis defensione functi fuerant, Semplũ cum suis intromittendum censent: itaq; Cornelius Crieckardus qui ea nocte ciuium vigilijs præerat, onus eos intromittendi suscipit, ne si non admittantur, dissidium fortasse aliquot oriatur, nihil prorsus hic mali latere existimans, quandoquidem magno comitum agmine instructus eo tenderet, & portæ ita essent constructæ, vt absquo vllo periculo id fieri posset: erant enim tres aut quatuor transeundæ portulæ: venit itaque ad extremam cum ostiario: reliqui ciues intus manent, & alias portulas interea repagulis clausas tenent. Semplus intra vallum admissus, cum reliquas portulas repagulis clausas sciret, subitò ostiarium transfodit, & Crieckardum lethali vulnere sauciat.

Lira à Parmensis militibus capta.

Cumque quidem Gubernatoris stipendiarius Antonius Crayus à Schotis, vt diximus, vinctus, vinculis excussis effugisset, ad Franimanni turrim, alta voce, ciues qui in mœnibus excubias agebant appellat, & ad arma vocat: id simul ac Sempli frater, alijque Schoti qui in vrbe erant, audiunt ocyus accurrunt, ciuibus claues eripiunt, portas omnes aperiunt, & hostes, quanto possunt silentio, intromittunt: cum antea instrumenta præparassent non procul à porta, quibus portam

Digitized by Google

portam effringere, & vi aperire statuerant, eaque potissimum de causa in eam, quam diximus, planiriem retro Gubernatoris domum conuenerant, vt denegatas claues vi extorquerent, ipsumque Gubernatorem trucidarent. Hoc modo hostes in vrbem Liranam absque tumultuatione, tanquam amici, intromittuntur Sempli dolis. pontemque, quem altum vocant, non procul à foro, tacitè transeunt: hic ciuis quidam Adrianus Buytenus, quis rumor in plateis sit, interrogat, respondet transiens Semplus, ad arma fictè conclamari: mox Adrianus stricto gladio quosdam aggreditur: aduenientem propius, in capite lædit Semplus. Paulò pòst tubis clangunt equites Hautepennij, & hostilitatis signa, vrbe iam potiti edunt, & ne ciues ad loca defensionibus deligna ta tendant: impediunt: furibundi per plateas omnes discurrunt: ciues autem & præfidiarij fuga tandem sibi consulunt: multi muris se deijciunt, fossisque pernatatis euadunt: ipse quoque Gubernator indutio saltem indutus effugit. Hostis crudelissimè in mulieres, pueros, nonnas & beghinas sæuit, præfectam monialium nosocomij trucidant: Mulieres & pueri ducenti plus minus ferro occubuisse feruntur: paulò pòst ciuitas omnis diripitur. Semplus Scotus, perpetrato insigni hoc facinore Namurcum petit: hic Principem Parmensem matremque salutat, à quibus in Hispaniam mittitur, mercedem pro meritis ab ipso Rege recepturus. An. 1581.

Lira capta, Antverpiani animis perturbati fuæ vrbi prospicere festinant: & D. Bernardi Monasterium, ne hostis eo potiatur, demoliuntur: insuper in ipsa vrbe turmas aliquot equitum instruunt, ut pendijsque iuuentant.

Tota hac æstate diuersæ vtrinque machinationes structæ aduersus singulas ferè totius Belgij ciuitates, rametsi pauce succesierint. Ineunte Maio mense Diestentes & Herentallenses Thienas diripiunt: præfidiarij milites se in quodam Monasterio vallis munito continuerunt donec hostes præda auecta discessissent.

Edictum Ducis quo vetatur commercia cum rebellibus.

Dux Brabantiæ diuersa decreta edi iubet in suam & sui status securitatem: captiuorum militum redemptionem prohibet, pactumque de ea cum hoste initum irritum prorsus reddit iubet, ob quasdam impostoras vtrinque perpetratas. Quarto die Maij vetat merces aut commeatus hostibus eorumue socijs aduehi, vel ab ipsis aductos recipi, deniq; omnem licentiam mercibus aut annona negotiandi edicto tollit.

Et negotiationes cum hoste.

Hacæstate Augustæ Vindelicorum comitia habita: adfuit hic 27. Iunij Rodolphus Imperator cum multis Principibus Imperij: vbi inter alia proponitur, an Imperio non sit damnosum, extraneum Principem Belgij dominium sumpsisse: verùm hac de re & multis alijs quæ ad Imperium non attinere videbantur, nihil aut parum agitur statuiturque: tandem discceditur, multis quorum desiderio non latis fiebat nequaquam bene contentis.

Dux Brabantiæ solemni cum pompa ingreditur.

Dux Brabantiæ cum Principe Auraico & Espinoio aulicisque familijs 14. Iulij Antverpia Flissingam proficiscuntur: 16. die Slusam: 17. summa cum magnificentia Brugas venit: lætum sium introitum hic celebraturus: aduenientis intigni cum honore ac pompa excipitur: à ciuibus Brugensibus per fossam aluei deducitur: comitabantur que eum armati ciues Antverpienses tanquam somatophylaces ex singulis Antverpiensium cœtubernijs delecti. Dux vrbem Brugensem ingressus salutatur à quatuor Flandriæ membris: in plateis ordine stant ciues armati: sextus quilque facem ardentem manu tenet: arcus triumphales, statuæ & columnæ ab opificum collegijs, summa arte erectæ constructæque cum ignibus admodum artificiosis: itaque herois aduentum, tanquam Flandriæ Comitis, summo cum honore ac splendore lætigratulantur.

Salcedo & alij multum. Ducem, et Principem Auraicum ira cidere.

Interea dum Dux Brugis agit, detegitur perfidia Nicolai Salcedonis Hispani, aut Hispano parre nati; & Francisci Bazæ, Itali, Brixiensis, equitis sub Fernando Gonsagæ; & Nicolai Hugori Bordei, Valonis natione: hi tres simul, instinctu Principis Parmensis, nomine Regis Hispaniæ, Ducem Brabantiæ, & Principem Auraicum interimere machinabantur, sicut ex eorundem confessione, & legitima iuris actione liquidò patuit. Hic Nicolaus Salcedo Rhotomagi patibuli supplicium effugerat, adulteratæ monetæ reus: cumque aliquandiu in Hispania mansisset, in Lotharingiam rediit, hinc in Ducis Brabantiæ militiam venit eo tempore quo vrbs Cameracensis obsidione liberanda erat: postea Antverpiam profectus militiæ præfecturam aliquam ambitiosè spectus autem Auraico fuit. Cumque admodum familiaris esset Comiti Lamoralio Egmondano: captiuis Comitis fratri, quem Auraicus tam ob patris defuncti memoriam, tum quod hic vt & proles omnes suæ fidei essent commendatæ à Comite matre moriente, imprimis charum habebat, maximè quod cum Religioni Reformatæ aliquantulum addictum videret: proinde eundem adhortatur, & quærit quid negotij habeat cum Salcedone: respondet Comes, se eo saltem vti alchymistica arte amore atque gratia. Auraicus, malum ab eo timendum air, Comitemque frequenter admonitum rogat, ne admonitiones factas Salcedoni indicet: quod tamen Lamoralius, bene monenti non obtemperans fecit. Cum autem 21. Iulij Brugis simul essent, Salcedo certis indicijs in aula Ducis apprehenditur, & coram Duce ipso examinatur: interea Baza Italus extra aulam exspectat Salcedonem, cumq; de eo interrogaret, opportune etiam apprehenditur: tertius Hugotus Valonus à Parmense submissus, fuga sibi consulit.

An. 1582. Tandem Salcedo & Baza rem omnem confessi, confessionem ipsam subsignarunt, nempè se molitos Ducem & Principem in naui, in mensa, veneno, aut alio modo interimere. Lamoralius quoq; pòst examinatus fatetur se Principis admonitionem ad Salsedonem detulisse, de reliquis autem facinoris circumstantijs se purgat: nihilominus tamen captiuus apprehenditur: sed pòst in Galliam cum Duce abijt. Italus Franciscus Baza 29. Iulij, confessione plenè peracta & subsignata, dirum mortis supplicium imminere sentiens, 30. Iulij occulto ense sibi ipsi vitam ademit in carcere, proinde iudicio lato ad patibulum trahitur, deinde alio sequente iudicio, quod homicidij effet conuictus, patibulo affigitur in quatuor partes dissectus, inscriptio autem patibulo annexa, eum machinatum, Ducem & Principem trucidare, aut veneno necare, iussu & mandato expresso Principis Parmensis. Salcedo, postulante Rege Franciæ & Regina matre, Lutetiam auehitur, vbi se mercedis partem quatuor ducatorum millia recepisse, à Rege Hispano, multaque alia arcana confessus, quatuor equis dissi rahitur 25. Octobris, præsente atque spectante Rege, Regina matre, totaque aulica familia.

Salcedo Parisijs supplicio afficitur.

Dux vrbem Gandauensem splendido introitu ingreditur.

Brugis Dux cum Principe Auraico Gandauum proficiscitur: vrbem regali splendidoque introitu ingreditur: tunc quoque Brugensis Senatus ex more mutatur.

Parmensis exercitū Ducis inuadere frustra molitur.

Ducis exercitus Loa & Duynkerka 27. Augusti venit proximè vrbem Gandauensem, maioris securitatis causa: erat enim Parmensis auctus nouis militibus Germanis, Hispanis, & Italis, cuniculariisque Bohemis: plurimi quoque Angli à Duce ad hostem transfugerant, quod cum Tribuno Norissio, vt ipsi quidem dicebant, concordare non possent: continebatque totus Ducis exercitus vix vltra quatuor virorum millia: hos Parmensis non procul Gandauo in pago quodam agentes oppugnare volens, cum magno strenuissimorum suorum militum numero, impedimentis & sarcinis omnibus relictis, venit. Id simulac ab emissarijs Ducis nunciatur, D. Pierrius castrorum præfectus ocyus suos armari iubet, eosque militaris officij monet: hoste autem iam propius accedente, mandat D. Seyssenalio, & Ducis militari satellitio, vt cum hoste dimicent, leui certamine, donec interea sarcinæ impedimentaque è pago efferantur, castraque tutè moueantur absq; prælio, si fieri posset: erat enim hostium exercitus longè potentior: Quod quidem cautè ac strenuè exequuntur: nam cùm hostium ingens exercitus immineret, & Ducis copias furamopere vrgeret, ipsi continuo ordine, probè instructa acie, recedunt diuertuntque, & Gandauum versus dimicando contendunt, castrorum præfecti mandata sequentes. In ipsa fronte proximè hostes erat Anglorum legio, iunctæque Germanorum militum turmæ: hos sequebatur legio Bouckij: deinde Noritius cum tribus Anglorum equitum, & quatuor ferentariorum Gallorum turmis: erantque hi emissariorum loco: pòst hos tres equitum Gallorum turmæ cum legione Locquerelletij, & cohortibus Flandrorum & Schotorum, qui simul prælium constituebant: exercitus tergum conficiebant copiæ Sainsceallij vna cum Anglorum legione, magnoque numero hastatorum. Hac ratione instructi iubebantur, à duobus castrorum præfectis, recta oppidum versus tendere. Fronti exercitus Hispanici, peditibus quamplurimis, & plusquam mille equitibus munito, passim per sparia non longè distantia insidiæ in ipso itinere structæ à Legionibus Loquerelli & Boucquij, ijsque frequentes suppetiæ ferebantur ab equitibus emissarijs: ita vt hostes non pauci insidiatorum sclopetis interficerentur: & quanquam animose fortiterque contenderent, sæpissimè tamen retardati non paruam suorum cladem patiuntur: Ducis cohortes desideratis inter alios tribus aut quatuor centurionibus, vlterius continuo gressu ad vrbem vsque Gandauensem perueniunt. Interea Rochepotus adhuc valetudinarius cum aliquot militum præfectis agminibusque vrbe exit: iamque hostem propius grassari videns, collem quendam prope portam Liuinianam simul & molas occupat: imperat quatuor cohortes, quæ in exercitus fronte erant cum Noritij equitibus, & Anglorum hastatorum magnò numero impetum in hostem facere: hi, maximè autem Angli, hostilem exercitum vrbi vicinum, gradum sistere cogunt: itaque Ducis copijs maior libertas atque commoditas progrediendi data. Dux & Princeps è mœnibus prospectant dimicantes, iubentque suos deflectere, vt è loricis & propugnaculis vrbis hostes propius accedentes tormentis arceri impetique queant. Hic rursus velitando multi vtrinq; cæduntur, & Parmensis copiæ rursus cedere coguntur: mox totus Ducis exercitus acie disposita, quam proximè vrbem se recipit: ex mœnibus tormenta horrisono impetu maximaque clade hostium disploduntur. Interea ipse Parmensis cum toto suo exercitu aduenit: videnscq; Ducis copias vrbis protectione defendi, manfit cum suis in proximo duas & amplius horas, noua prælia tentans.

Dux & Princeps Auraicus suspicantes Parmensem flumine traiecto regionem VVestiam adhuc pinguem atq; abundantem inuadere velle, mox omnem equitatum, exceptis tribus turmis, quas extra vrbem cum peditatu relinquunt, secretò in oppidum venire iubent, vt promptius hostem si qua parte flumen traijcere vellet, pellerent. Id simulac resciscit Parmensis, peditatum pauco iam equitatu munitum impetit: Parmenses plurimi cæduntur: pauciores Ducis milites interfecti aut vulnerati. Vesperi Parmensis cum suo exercitu discedit, plurâ, si maiorem adhibuisset

Digitized by Google

adhibuiſſet diligentiam, præſtiturus: prope vrbem circiter ducentos ſuorum interfectos humo mandat: vulneratos quoſcunque poteſt, curribus auehit. A.D. 1582.

Poſtridiè Dux cum omnibus ſuis tam equitum quam peditum copijs Teneramondam proficiſcitur, lætoque intropitu à ciuibus excipitur. Eſpinoyus Gandauì manet. Dux & Auraicus cum omni exercitu 2. Septembris, Antverpiam veniunt: hic feſti milites aliquantulum reficiuntur.

Franciſcus Verdugo vir imprimis ſtrenuus, expertus & humanus, antea Comitis Manſveldij ſtabularius, ob inſignem autem virtutem atque præſtantiam promotus, & Friſiæ gubernationi præfectus, Lochemum oppidulum ad Berckelam fluuium prope Zutphaniam in Zutphanienſi Comitatu obſederat, iamque extrema ferè neceſſitate preſſerat, cùm Comes Vilhelmus Naſſouius, Comitis Ioannis maximus natu filius, collectis militum aliquot copijs, & magno curruum numero commeatum, reliquaq; neceſſaria in obſeſſum oppidum inuexit, moxque diſceſſit Verdugo, hunc commeatum non poſſe longo tempore ſufficere ratus, ab obſidione nequaquam deſiſtere ſtatuit, perſeuerantique animo, aggeribus propugnaculiſq; 16. aut 17. extructis ſe prope Lochemum munit. *Lochemũ obſeſſum ceu manumiſit.*

Comites Hoghenlous & Naſſouius eius rei certiores, collectis quibuſcunque poterant militibus ex Geldria, circiter 2000. peditibus, & 1000. equitibus, ſubſidio obſeſſæ ciuitati iterum veniunt, & duas maiores bombardas, quas vulgo quartanas vocant, & quatuor minores conuehunt. Primo aggreſſu pedites equiteſque tanta alacritate hoſtem inuadunt, vt Verdugo ſuæ ſaluti conſulens in collem prope propugnacula confugere coactus fuerit: Tertio poſt die Tribunus Aleynius Gallus, vir bello imprimis ſtrenuus, vnum ex præcipuis propugnaculis inferioribus cum ſua legione oppugnat: interea oppidani eruptionem faciunt, & propugnaculum prope portam molarem capiunt, cæſis circiter 80. hoſtibus: poſtea verò tam diu tamque acriter vtrinq; certatur, vt interea pons dirutus reficeretur, per quem eodem die amplior commeatus in oppidum inuectus fuit. Nocte ſequente duo inſuper alia propugnacula expugnantur. Sed cùm equites Ordinum improuidè in hoſtem, quem in monte, velut obſidione quadam cinxerant, incurſum facerent, nullo militari ſeruato ordine, tandem in fugam vertuntur, duobus aut tribus ſtrategis & plurimis ſtrenuis militibus cæſis: maximè autem cùm legio Aleynij, & tres filij Comitis Berghenſis, præcipuique Geldriæ nobiles in obſeſſam ciuitatem, & reliqui Dauentriam confugiſſent. *Commeatus ſecundo in oppidum Lochemum inuehitur.*

Verdugo itaq; oppidum rurſus cingit, propugnacula amiſſa facilè recuperat, & acrius quam ante vrget: non ignarus commeatum exiguum obſeſſæ multitudini nequaquam ſufficere. Nihilominus eruptiones crebras faciunt obſeſſi: Tandem obſeſſoribus maiora ſubſidia veniunt: nempe Comes Carolus Manſfeldius, & D. Haultepennius, cum ſexcentis equitibus, & mille quingentis peditibus: proinde audacius confidentiuſque ciuitati deditionem indicit Verdugo, cùm iam penuria cogente, viginti diebus equorum carnes comediſſent oppidani.

Comes Hoghenlous Zutphaniam profectus, inde Antverpiam venit: hic à Duce ſubſidium maius impetrat: bis mille quingentos pedites & mille quingentos equites, cum tribus Anglorum turmis ſub Noritſio. His copijs in ſtructus Lochemum tertia vice tendit, vt oppidum obſidione liberet. Eo adueniente Manſfeldius locum quo caſtra diſpoſuerat, non ſine ſumma confuſione relinquit, & vt Verdugoni vicinior eſſe poſſit, flumen tranſit. Hogenlous eodem vnde exierat Manſfeldius, loca ſua caſtra ponit. Dimicatur ſtrenuè prope propugnaculum quoddam, à latere oppidi, multi vtrinque cæduntur. Hoghenlous inter duo hoſtis propugnacula forte extruit propugnaculum, cuius defenſione pontem facit, per quem commode in vrbem venit, & milites alios aggredi, alios ingredi abſq; periculo aut difficultate iubet: conſtruit & aliud propugnaculum, ad pontis munitionem. Proinde Verdugo, & alij reputantes oppidum commeatu alijſque rebus neceſſarijs, ſatis eſſe inſtructum, metuentesque ne à tergo ab hoſtibus rurſus cingantur, caſtra amouere ſtatuunt, aciem diſponunt, & ab obſidione 23. Septembris recedunt, propugnaculaque omnia deſerunt. Verdugo Grollam: Manſfeldius & Haultepennius in Brabantiam proficiſcuntur.

Poſtridiè in oppidum Lochemum, neceſſaria quæq; abundè & libere inuehuntur: propugnacula omnia circumiacentia ſolo æquantur. In hac obſidione, ex oppido obſeſſo interfectus eſt glande D. Anholtius Geldrus, vir in re militari admodum peritus & ſtrenuus, qui obſidionem hanc imprimis procurarat promoueratque. *Lochemum poſtremò ab obſidione liberatur.* *Anholtius glande interfectus.*

Poſtmodum Hiſpanis in Geldria adimitur arx Keppela, cuius præſidiarij, tradito hoſtibus præfecto, ab Ordinibus defecerant: capitur quoque Bronckhorſta, machinabanturq; tunc etiam temporis Ordines inuadere Blyenbekam, Buſcumducis, Arſchotum & Louanium: ſed nihil effectum eſt.

Dux D. Luceum Brouagiæ Gubernatorem cum 2000. peditibus & 500. equitibus, vnaq; D. Templeum, & Seyſſeuallum tribunos ad hoſtem laceſſendum mittit: hi ſub finem Septembris, Ant-

Digitized by Google

An. 1582. bris, Antverpia tormentis æneis instructi Bruxellam versus, inde quodam die lunæ nocte Bruxellensibus instanter vrgentibus, arcem Gaesbekanam aggrediuntur, cohorte vna Malecontentorum præsidiariorum peditum, & media turma equitum munitam: postquàm eo ventum est, comperiunt exteriorem arcis loricâ, adeo altè exstructam, vt pes muri vix videri posset: eaq; de causa bis tormenta suis locis dispolita dimouent: præsidiarij 70. aut 80. graues bombardarum ictus passi, cum hoste colloqui incipiunt. Interea equites aliquot ex Engina & Halla prodeunt, & quatuor, aut quinque tubis clangore edito, Ducis agmina perterrefacere student: hos ocyssimè pars equitatus perfequitur. Gaesbekana expugnationem metuentes arcem dedunt, vita salua, & virgas albas gestare coacti exeunt. Inde D. Luceus D. Seyssecuallum quatuor ferentariorum equitum cohortibus præfectum mittit, vt arcem Tholousam tradi postulet: quæ ijsdem quibus Gaesbekana conditionibus deditur. Rochepotus Liranos infestare nititur: itaque cum aliquot præsidiariorum cohortibus, & mille Gallis arcem Eeckhouam, sesquimiliari à Lira sitam, duobus tormentis bellicis oppugnare aggreditur: præsidiarij simul ac tormenta disponi vident, arcem dedunt, & cum virgis albis exeunt. Inde Rostum castrum ad Demeram flumen, prope Hachtam oppugnat: huius præsidiarij cùm tres dies repugnassent, deditionem faciunt: fuere in hac obsidione vulnerati Comes Kochepotus, & Gardeus Tribunus. Dussenses quoque aliorum exemplo docti, Ducis imperio se submittunt.

Ducis res gestæ in Brabantia.

Rex Hispan. ab alio hoste se nunc infestari sentiens, omnes suas vires bello impendere statuit: itaque ingentes vbique copias conscribi, & in Belgium mitti iubet, iam certior factus Ducem Monpensierum & Marschalcum Birononã cum magno exercitu ex Gallia Brabantiæ Duci auxilio venire. Proinde Parmensis limites suos Galliæ vicinos præsidijs fortissimè munit. Sub finem æstatis ei veniunt auxilio ex Italia 41. cohortes Hispanorum, numero circiter 5000. sub duobus tribunis, nempe Christophoro Mondragonio seniore, & Petro Pazo: præterea 16. ingentes cohortes Italicæ, quarum singulæ trecentos milites continebant: erantque simul plus minus quinque millia, sub tribunis Mario Cardoino, & Camillo de Monte: præterea ingens Germanorum & Burgundionum numerus: vnà cum his plurimum pecuniæ ex Hispania in belli vsum adfertur, vnde suis militibus partim stipendia soluit Parmensis.

Parmensi auxilio veniunt maxima copia Hispanorum, Italorũ, & aliarum nationum.

Recensuit id temporis Princeps Parmensis omnem suum exercitum: recognouitq; præter iam dicta Hispanorum & Italorum noua agmina, legionem vnam Borgondionum sub Marchione Varrabone: sex Germanorum sub sex tribunis, Roberto Simbergo, Comite Arenbergio, Comite Barlemontio, D. Ioãne Maurichio, Comite Carolo Mansueldio, & D. Floyonio: nouem V Valonum sub nouem tribunis, nempe D. Montignio, Comite Egmondano, Gabriele Lichesio, Comite Octauio Mansueldio, Comite Manderscheytio, Philippo Lichesio, D. Bourlio vita functo, Barone Aubignio, & D. Manuio: præterea Haultepennij & Mottæi copias ex omni hominum natione collectas: præsidiarios quoque omnium limitum, & agmina extranea: insuper in Frisia legiones D. Billij siue Rebleij, Baronis Anhaltij, & Tribuni Verdugonis: vna cum quatuor equitum turmis: turmis quoque triginta septem Hispanici & Italici equitatus, & duodecim Belgici: quæ simul quatuor equitum millia, non amplius, conficiebant.

Numerus totius exercitus Regii Hispan. in Belgio sub Parmense: & calculus expensarum.

Hic exercitus omnis mense Septemb. 1582. sexaginta millium equitum peditumq; à præfectis Hispanis numeratus est, initaque ratione, liquido patuit eum quouis mense constare Regi & Belgicis regionibus, 671857. florenis, absque expensis bellicorum tormentorum, cuniculariorum & similium, quæ plerunq; pro tertia parte integri iustique exercitus æstimari solent. Et quanquam tam numerosæ essent copiæ, conquerebatur tamen Parmensis se non vltra triginta millia in aciem producere posse, eo quod tam multa loca præsidiarijs essent munienda. Fuére profecto hæ vires admodum magnæ: maximoque constitit talem exercitum tot annis hyeme & æstate alere, contra proprios incolas & subditos: quod quidem olim Romani alijque Monarchæ ditissimi potentissimiq; arduum ac difficile cõprimis reputassent. Fuére tam in hoc quam in Ordinum resistentium exercitu, strenuissimi, peritissimi, exercitatissimiq; archistrategi, duces, ac milites delecti ex Germania, Italia, Hispania, Gallia, Anglia, Schotia, & Belgio: neque vllo seculo visus exercitus, terra aut mari qui hos strenuitate, audacia, arte bellica, technis diabolicis, stratagematibusque superaret: ita vt totum orbem, iunctis concorditer viribus, facile vincere potuerint.

Peritissimi strenuissimiq; strategi, duces, & milites totius Christianissimi orbis in Belgio confluxerunt.

Cum Galli quidam ex vrbe Cameracensi Clusam Cameraco vicinam munire conarentur, Parmensis tormentorum bellicorum vi eos ad deditionem cogit: Castrum quoque Cambresium postulanti deditur, vnde præsidiarij centum quinquaginta cum armis exeunt: Plura insuper castra locaque munita his vicina in suam potestatem redigit: Mense Nouembri Ninouen Flandriæ oppidulum obtidet, tormentisque verberat: quod cum longius esset situm, quam vt Dux suppetias ferre posset, oppidani necessitate coacti deditionem faciunt: hinc Likerkam & Gaesbekam tormentis æneis verberatas arces capit: moliebaturq; Bruxellã penuria premere eamque potentissimo suo exercitu longius cingit, obsidetq;: verùm quia vrbs commeatu, armi

Parmensis varia loca munita capit.

rebusq;

Digitized by Google

rebusque omnibus neceſſarijs, & duobus ſtipendiariorum Anglorum, & Gallorum millibus, præterea duobus peditum cohortibus, & quatuor equitum turmis veterum prædiariorum, munita erat, Parmenſis tantummodo itinera à longo claudere tentat: ſed cum ægri vicini omnes, ipſa quoq; Artefia & Hannonia, vaſtati deſtructiq; prorſus eſſent, & annonæ caritate præmerentur, eo quod ex Gallia quicquã aduehere prohibitum eſſet, Parmenſis ab hac obſidione deſiſtit, & VVaſiam Flandriæ regionem inter Antvverpiam, Bruxellam & Gandauum, adhuc rebus omnibus abundantem, neque à militibus ſpoliatam, inuadere tentat: verum Dux itinera omnia præcludit, munitique contra hoſtiles impetus: ita vt ſumma omnium rerum caritate & penuria Parmenſis exercitus laboraret, vnde ingens paupertas, miſeria & morba ſequuti: huc etiam accedebant inundationes, aggeribus perfoſſis, & obicibus aquarijs amotis quibus incommoditatibus, morbi corpora debilitarunt, ingentemque numerum exſtinxerunt, maximè Italorum & Hiſpanorum recens adductorum: proinde Parmenſis vrgente neceſſitate ſua caſtra mouet, & ſuas copias ſeparatim in diuerſa loca mittit: quæ cauſa fuit vt multi, ad Ducem tranſfugerint, & militia deſerta in patriam redierint. Diſcedens Parmenſis plurimos ſuorum mortuos, & ægrotos relinquit, maximè prope Bruxellam, vbi ſeptingenti & pluris miſerè morbo languentes hæſerunt, ſpe auxilij ac remedij deſtituti. Itali Bredam, Liram, & ad loca viciniora alij alio deducti. Fuit hac eadem hyeme in Ducis Brabantiæ exercitu ingens egeſtas, atque miſeria, morbo epidemico graſſante, & Gallos præcipue infeſtante, quorum multi ob annonæ caritatem & difficilem ſtipendij ſolutionem, inedia ac morbo perierunt, multi ſtipem alimentaque mendicarunt.

An. 1582.

Parmenſis neceſſitate, exercitus penuria. Gente caſtra mouet.

Verdugo 17. Nouemb. in Friſia vrbeculam Steenvvyckam, ob quam acriter ſæpè certatum fuerat, attute capit, opera cuiuſdam ruſtici, qui aut ob odium, aut ob non perſolutam mercedem, vadum quoddam in oppido foſſa Verdugoni indicat, quod eo tempore quo alueus profundior ſodebatur, relictum fuerat: idque ruſticus hic obſeruarat: & quamuis aquis eſſet obtectum, tamen Verdugonis milites facilè tranſeunt, ad muros vſque perueniunt, & mœnia ſcandunt nocte qua prædiariorum maxima pars cùm præfectis Ioanne Crom, & Bocholtio exierant in hoſtem aliquid moliturі: reliqui qui in vrbecula manſerant, crudeliter ab hoſte victore trucidantur. Verum Steenvvyckæ iactura non adeo magni momenti fuit, eò quod alia loca vicina tunc ſatis eſſent munita.

Verdugo Steenvvyckam nocte muros conſcenſis capit.

Circa idem tempus Comes Hogenlous Megam in Brabantia obſidet eaq; & alijs quibuſdam locis munitis potitur: neque Manſvel diuſid impedire potuit.

Hogenlous Megam capit.

Dux Brabantiæ menſe Decembri, conſilio Antvverpiæ inito, præſentibus Ordinibus generalibus, ſtatuit Calendarium ſiue anni curſum mutare: quod quidem iam perfuaſu Pontificis Romani (cui hæc reformatio commiſſa erat in poſtremo Concilio Tridentino) Imperator, Rex Hiſpaniæ, Rex Franciæ, & alij multi Principes correxerant: iuſſit itaque Dux 10. Decemb. placitum promulgari, & declarari quod minutæ nonnullæ quæ anno deerant, in 365. diebus & 6. horis, vnum diem ſingulis annis conficerent: & inde factum, vt dies Natiuitatis Chriſti circiter 15. dies reuolutus à ſolſtitio lunæ & breuiſſimorum dierum brumæ poſt primam inſtitutionem & calculationem longè excurrerit, magnamque difficultatem in computione annorum adduxerit: quod vt corrigatur, & vicinarum Regionũ & Principum placitis conformetur, decreuit & ſtatuit Ordinum generalium & conſiliorum conſenſu, vt poſt proximè elapſum, 14. diem Decembris, non 15. ſed 25. dies numerentur, & is Natiuitatis Chriſti dies habeatur, ordine ſic conſequente, vt December tantum habeat dies 21. decem, diebus ademptis: & dies Circumciſionis ſiue Calend. Ianu. ſint 22. Decemb. ad normam veteris ſupputationis: & obſeruetur regula vicinarũ Prouinciarum, abſq; præiudicio tamen cuiuſcunq; retractus ſiue iuris præferentiæ in rebus emptis, præſcriptionis, actionis, qualiſqualis ſint naturę, redituum, conductionum, obligationum, ſolutionis terminorum, &c. quæ omnia perfecto ſuo curſu peragentur, non obſtantibus dictis decem diebus, &cæt. Hoc edicto, poſt id tempus, nouus ſtylus Reformationis ſemper fuit obſeruatus in omnibus Belgij Prouincijs, præterquam Traiecti & in Geldria.

Calendarium reformatum.

Hoc anno quædam Regis Philippi proles moriuntur, inter quas filius poſtremi coniugij, natu maximus, Princeps appellatus.

Mors Principis Hiſpan.

Dux Brabantiæ in Gallijs curarat colligi paulatim tria, & amplius Heluetiorum millia, præterea equitum turmas aliquot, & Gallicorum peditum cohortes. Hæ copiæ, non obſtantibus plurimis remoris tandem conquiſitæ contractæque fuerunt, ſub Principe Delphino, filio & nunc Duce Monpenciero, vxoris Principis Auraici fratre, & ſub Marſchalco Byronio viro militiæ imprimis experto: adfuere his Comes Lauallius, Comes Agnianus, & alij complures viri nobiles. Primo Caletum verſus contendunt, inde per maris litora Grauelingam tranſgreſſi Duynkerckam in Flandriæ Comitatu veniunt ſub finem Nouembris: collocanturque Duynkerckæ, Teneramondæ, Dixmudæ, & alijs locis diuerſis in præſidijs: nonnulli vlterius tendunt, & Eeckloæ, & in regione VVaſia manent. Habebat itaque Dux inſignem ſtrenuorum militum numerum

Duci Brabantiæ Heluetij aliique milites auxilio veniunt.

Digitized by Google

An. 1582. numerum in Belgio: quin & Comitis Manſveldij equitatum, ſtipendijs ſolutis, iterum conſcribit in nouam militum recenſionem. Nobiles Antverpiam veniunt, & cum Duce de negotijs bellicis conſultant: huc quoque conueniunt menſe Ianuario omnes copiæ vndique conuocatæ.

Eyndouia capit à Duce Brabantiæ militibus.

Anno 1583. ſty lo nouo, Dux verſus Eyndouiam vrbeculam Brabantiæ Buſcoducis vicinam mittit D. Bonjuetum cum parte exercitus: hic cuiuſdam Henrici Schermerij, qui Eyndouiæ ſitum pernouerat, opera, vrbeculam nocte inuadit: idemque Henricus primus mœnia ſuperauit. Capta Eyndouia 7. Ianuarij, cæſi circiter 50. Albanenſes equites: reliqui præſidiarij qui in propugnaculum confugerant, brevi quoque deditionem facere compelluntur.

Paulo pòſt etiam Helmonta, Horſta, & alia quædam loca munita capiuntur: itamque Buſcoducenſes & Bredani ita metu & anguſtijs premi videbantur, vt Buſcoducenſes, & Geldriæ quædam ciuitates, quæ nulla Parmenſis præſidia receperant, conſilia inire inciperent de reconciliatione, & pactione cum Duce, cuius exercitum in Brabantia omnino paratum timebant, incunda.

Rex Gall. frater Brabantiæ Duci auxilia recuſat.

Dux Brabantiæ longo tempore, matris & amicorum opera poſtulabat à fratre Galliarum rege ampliora auxilia ſibi Belgiciſque prouincijs præſtari contra Regem Hiſpaniæ: verùm id Rex recuſauit, cauſatus grauia pericula damnaque inde ſuo regno imminere, neque vllam ſpem penſationis aut reparationis ſpem apparere, maximè ſi frater nulla prole relicta moriatur: Nihilominus ſi Ordines Belgij ſuam Maieſtatem aut Gallici regni Coronam, poſt mortem fratris nulla relicta prole, inſtituere hæredem, & alias quaſdam conditiones recipere vellent, videbatur Rex aliquid in Prouinciarum defenſionem facturus: verum Ordines ſe his in rebus difficiles præbuerunt.

Hiſpanorum fautores in Gallia, & Ducis pars aduerſa, hanc Ordinum recuſationem ſuis ſtudijs accommodant, & Duci Ordinibuſque manifeſtè refragantur. Has præcipue ob cauſas Principis Delphini & Byronij copiæ tardius difficiliuſque in Belgium peruenerunt, facultatibus omnibus longo itinere conſumptis.

Prudens conſilium quo Rex Galliæ Prouincijs Belgis eripuit.

Cordatiores quidam Conſiliarij, Regi Galliæ demonſtrarunt, non eſſe conſultum, vt Belgium ſub alterius quam ſuæ Maieſtatis poteſtatem redigi ſinat: ſi enim Belgicæ Prouinciæ Regno Galliæ adiungantur, fore hac ratione potentiſſimum, ita vt armorum vi non facile ſuperari queat: Proinde vt quàm minimo ſumptu ac labore eam partem Belgij, quam nunc frater poſſidebat, nanciſcatur; conſultiſſimum videri ne fratri opem vllam ferat, ſed eum ad ſummâ inopiam redigi ſinat: vt tandem egenus ac impotens ſe in Regiæ Maieſtatis poteſtatem prorſus dedere cogatur, conditionibus pro Maieſtatis ſuæ arbitrio præſcribendis: intereaque dum frater Dux ſe iuuet; conſumet: & Hiſpan. Rex ſuas pecunias, facultates, fidemq; perdet. Regia Maieſtas ſe præparet, de pecunijs, militibus, rebuſque neceſſarijs ſibi proſpiciat, & quid Imperium, Imperator, familia Auſtriaca & Hiſpani fœderati moliri velint, percipiat, atque inde ſua negotia diſponat.

Ipſe Dux omnibus ſuis facultatibus conſumptis, tandem cogetur ſe prorſus voluntati ac fidei Regis fratris ſubmittere atque dedere, potius quàm ſumma cum infamia hoſtibus aut alijs relinquere tanto labore tantiſque ſumptibus parta.

Rex hac ratione ſua negotia inſtituens, partem que Belgicarum regionum ac ciuitatem à fratre nactus, eaſdem quibuſcumque volet conditionibus ac legibus ſibi deuinciet ſubijcietque. Credibile enim eſt, Prouincias bello deſeſſas atque exhauſtas, & omni prorſus ſpe deſtitutas, maximè de reconciliatione cum Rege Hiſp. (quo ſpreto alium ſibi Principem delegerunt) nihil æque atque hoc exoptaturas.

Rationes domandi ac ſubiugandi Belgas.

Regi autem, vt reliquas quoque Prouincias ſubiugare queat, conſultiſſimum erit, contra Hiſpanum apertum bellum gerere, & ne commeatus in Belgium vehatur impedire: idque locis præcipuè munitis (quandoquidem Hiſpanus nullos portus occupet) Regi facillimum erit: idem quoque abſque vllo negotio fieri poterit, propè Moſam & Rhenum, ſi Rex exercitum in agro Lutzenburgenſi diſponat, & tria munita loca, nempè Lutzenburgum, Theonvillam & Mommedium ſuperare ſtudeat. Interea Hiſpani ditiones ſui Regis exhaurient. Quin & frequenti excurſione ac depopulatione, meſſe atque fructibus terræ corruptis & combuſtis. Prouinciæ ferè omnes ſimul ſumma rerũ penuria cogentur ſe dedere: maximè ſi à prælio abſtineat Rex, & ſua cattra commode colloceat: & quamuis vno prælio aduerſo ſuperetur, id damnum facilius recuperabit quam Hiſpanus, quandoquidem ſuas copias viciniores & paratiores habeat.

Quod ſi Rex his tantis commoditatibus Belgium inuadere recuſet, timendum ſummopere, ne temporis ſucceſſu, id vel inuitus facere cogatur, metu nempe ciuilis belli in Gallia.

Nam Duce fratre ope ac facultatibus iam deſtituto, & bellum vlterius gerere perpeſſo, proculdubio faſtidium diſcordiaque orietur inter eum & Belgicas regiones quæ eum adiuocarunt, ob ingentes ſumptus, in bellũ factos, maximè cum concepta ſpe ſe fruſtratos ſentient. Dux autem antequam aliqua ſibi iniuria ab eis manifeſtè inferatur, conabitur loca quæcunq; poterit, ſuæ ſecu-

Digitized by Google

suæ securitatis ac defensionis causa occupare: posteaq; oportunitate data, in Galliam reuersus, conqueritur de Regis rigore, repetitoque argumentum ad Parisiensem, & alias Galliæ curias anno superiore scriptum, negligi nempe oportunitates commodissimas Regnum Galliæ, adnexis limitibus nullo vnquam tempore vi armorum superandis, dilatandi, ac contra quoscumq; hostiles impetus muniendi, & populum Gallicanum ab omnibus exactionibus ac tributis successu temporis liberandi atque exonerandi. An. 1584.

Addit præterea, se id negotij suscepisse in Belgio, suorum maiorum, maximè patris & aui, exemplo, qui etiam vnius solummodo oppidi, aut loci muniti causa, diuturna bella susceperunt. Se non vnum tantum oppidum aut propugnaculum, sed integras Prouincias oppidis, propugnaculis munitionibusque plenas nactum, ealdem cogi relinquere, Rege auxilium negante, non sine summa totius Galliæ nationis infamia. Tandem cum relicta amissaque quærere ac recuperare volet, & nulla spes auxilij à fratre impetrandi supererit, postulabit conuentum Ordinum generalium Galliæ celebrari, vt horum ope hæc infamia, & iactura præuertatur atque auertatur, occasioque adeo commoda ac idonea nequaquam negligatur: rogabitque omnes & singulos, vt sibi suppetias ferant, quandoquidem nihil aliud quàm amplitudinem, decus, salutemque Galliæ quærat, votisque omnibus expetiat.

Si autem omine infausto, res eo veniat, fiet procul dubio non sine graui Regiæ auctoritatis diminutione, magno totius Galliæ malo, & variarum suspicionum periculo. Proinde Regi potius statuendum ac deliberandum de rebus Belgicis in suum commodum dispondis, quam de amicitia cum Hispanis seruanda.

Dux multas ciuitates ui inuadere statuit.

Hæc pluraque his similia Consiliariorum Regis consilia simulac Dux percepit, variæ mox diffidentiæ ac suspiciones, & ipsum Ducem & suos familiares inuaserunt. Quorum animis perspectis, suoq; exercitu satis iam munito, quamquam argentarius commeatus deficeret, tandem de felici rerum exitu dubitare cœpit: proinde consilio cum nonnullis desperantibus, iuuenibus, parumque expertis inito, statuit suis rebus satis prospicere, & præcipua Belgij loca occupare & gubernare pro suo arbitrio. Id enim amici, quos in Gallia habebat, simul omnes suadebant: vt hoc modo argumenta suorum aduersariorum in Gallia refelleret, qui dicebant Belgicas regiones fastidium odiumque contra eum concepturas, ob veteres simultates, inimicitias, aliasque causas: metuque omni amoto, conaturos eum expellere, vt egregiò hoc facinore, Regi veteri Domino reconciliari, & aliquid fauoris in causa Religionis impetrare queant: addebantque in firmum parumque stabile esse fundamentum, spem suam collocare in voluntate populi tot factionibus diuersisque Religionibus diuisi.

Commouebatur præterea Dux, quod proceres Ordinum Belgij & Principem Auraicum nimia auctoritate pollere videret: adeò vt suus splendor Ducalis claritate Principis Auraici obscuraretur: & rumor erat, cùm Hollãdia, Zelandia, Traiectum aliasq; Prouinciæ ac ditiones Auraicum tanquam toparchum recepissent, Ducem literas reciprocas cautionales, quas reuersales vulgo vocant, tradere debuisse, quarum auctoritate Auraicus certis conditionibus præscriptis, tres has Prouincias teneret, & sibi suisq; hæredibus seruaret, ad maiorem securitatem Prouincialium non satis Gallicæ nationi fidentium, quantumuis commendatio Reginæ Anglicanæ, & matrimonij spes multum diffidentiæ abstulissent: has autẽ literas reuersales sibi reddi machinabatur Dux, vt eo facilius pro suo arbitrio ac imperio Prouincias gubernare ac domare posset.

Præterea Ducis Consiliarij & familiares proprijs commodis intenti erant: cumq; Belgij regiones ac ciuitates satis adhuc abundãtes potentesq; viderent, absoluta potestate easdẽ possidere moliebãtur, tanquam belli iure partas ac vi superatas: vtq; Ducem eo inducere possent, non destiterunt ei indies paupertatem, miseriam, calamitatem egenorum, ægrotorum, vulneratorumq; Gallorum proponere, qui cùm Duci & Prouincijs Belgicis militatũ venissent, maximo numero mori ac perire viderentur penuria, tam eb non soluta stipendia, quam alias ob causas.

Vt autem ea quæ animis conceperant, ipso facto præstarent, Dux Comitis Rochepoti, Agnani, Feruachesij, Quinsaij & aliorum imprimis familiarium cõsilio decernit, vt vno eodemque die constituto, Galli vbicunq; possent loca munita, præcipuè autem vbi in præsidijs erant, occuparent: pollicetur se subsidia missurum: vrbem autem Antuerpiensem, in qua tunc Ordinum proceres, & præcipui totius Belgij nobiles erant, ipse cum suis inuadere statuit.

Duynkerkam super ea Chiomeysius.

Duynkerkam, qua commoditate maxima in Galliam transitus patebat, necessario occupandam reputat: idq; muneris D. Chamoysio mandat: qui Gallicarum aliquot cohortium præfidiariarum præfectus, Trelonio archithalasso, & Duynkercka Flandriæque Orientalis gubernatore tunc absente, cõtrouersiæ ansam quærit contra ciues Duynkerkanos ob prædam à nautis præsidiarijs captam: post rixas acres ad arma venitur, nonnullique cæduntur. Interea autem dum ciues nuncios ad Ducem mittunt de iniuria hac conquesturos, Chamoysius suos armari iubet, & 16. Ianuarij, die condicto, hostiliter se gerit, simulansque se metuere à ciuibus & præsidiarijs fœderatis, præsidiarios Belgas vrbem exire compellit, ciuitatemq; in suam potestatem redigit.

Digitized by Google

An. 1583. Dixmudæ ignem ædibus nonnullis immittunt, & populum incendio extinguendo intentum interficiunt obruuntque.

Multa oppida à Gallis capta.

In vrbem Teneramondanam commodè admodum sitam, Galli præsidiarij ingentem suorum numerum intromittunt, itaque reliquos præsidiarios armis superant. VVinoxbergæ & Viluordæ Galli in præsidijs constituti reliquis numero facilè maiores, & potentiores erant. Aloſtum, Neoportum, Ooſtendam & Brugas opprimere queq; machinantur, ſed fruſtra: Bru-

Galli fruſtra mimuntur Brugenſes ſuperare.

genſes ciues decimo ſeptimo Ianuarij nuncio ſatis adhuc obſcuro de oppreſſione Duynkerckæ accepto, cum quinque cohortes Gallorum præſidiariorum in vrbe haberent, horum metu, alijs quinque cohortibus quæ Meninga, & ex vicinis locis veniebant, tranſitum per vrbem permittunt: cumque hæ quinque cohortes in forum vſq; peruenirent, aiunt ſe eo loco, quo erant, manere velle: ipſoſque ciues, decem & amplius ſclopetis exploſis, è foro pellunt, quibus tres aut quatuor occidunt. Chiliarcha quinque cohortium præſidiariorum, ſuos armari iuſſerat, & cum Propoſito maiore, qui nouas has quinque introduxerat, in arcem ſiue curiam ciuitatis venit: mox Senatus vtrunque apprehendi iubet ope ciuium ſtipendiariorum, qui arcem ſatis munitam occupabant: ocyus quoque reliqui ciues armari confluunt, ſub ſuo quique ſtratego. Chiliarcha cogitur quinque præfectos ſuarum cohortium ſcripto epiſtolio aduocare, qui ſimul ac in curiam venere, apprehenduntur quoque. Cohortes quinque poſtremo intrarant, poſtquam ciues armatos conſpiciunt, periculum imminere ſentiunt, forum relinquunt, in aream Brambergam contendunt, inde per portam Crucis vrbem exeunt. Senatus poſtquam exactè examinatis ſtrategis intelligit Gallos ſimile facinus concepiſſe ad vrbem Antvverpianam eodem die inuadendum, abſq; vlla mora Gallos omnes præſidiarios vrbem exire iubent, cogunt̃que. Poſtridiè nuntio allato intelligunt Gallorum geſta in vrbe Antvverpienſi, quæ hic quoque enarrabimus.

Dux anno 1583. 14. & 15. Ianuarij, ad ſuburbia Antvverpiana iuſſerat venire ſuum exercitum, nempe circiter quatuor millia Helueticorum, ingenteſque peditum & equitum Gallorum copias, iunctis ijs qui longo ante tempore ibidem loci manſerant: multos præterea prætextu nobilitatis in vrbem, & in ſuum palatium venire ſecretoque arma parare mandarat, ea

Ducis inceptio contra Antvverpiã ſuſpecta.

nocte portam Cronenborgam ſuo palatio vicinam vi occupare, & per eam ſuas copias tectè ac tacitè introducere, atque poſtridiè ſummum mane vrbe pro ſuo libitu potiri meditans. Verùm cum 16. Ianuarij, ſiniſter rumor de Gallis ad aures quorundam peruenìſſet, Aloſtanus tunc temporis Antvverpiæ Conſul, id Ducieodem veſpere ſignificat, rogatque vt ad ciuium ſecuritatem catenas platearum maturius tendere, & laternas cum candelis accenſis præ foribus pendere liceat: quod quidem Dux annuit, poſteaquam diffidendi nullam anſam dari contra ſuos milites, vtpote qui ſibi & vrbi auxilio veniſſent, multaque in ſuper alia declaraſſet. Poſtquam verò ſe id quod conceperat, ſedatè taciteq; perficere nequaquam poſſe videt, ſtatuit vi aut quocunque alio modo experiri, abſque longiore mora, eo quod in alijs vrbibus id ipſum eadem quoque die tentaretur.

Poſtridiè, Ianuarij nempè die 17. cùm vir quidam nobilis Gallus Reformatæ Religioni addictus, quem hic non nominare præſtat, ſecretò præmoniſſet, Ducem firmiter ſtatuiſſe, eò die vrbem inuadere, cum omni ſuo exercitu: Dux Conſulibus & Tribunis ciuitatis: ipſique Principi Auraico multis admodum ſerijs grauibuſque argumentis demonſtrat, nihil ſiniſtri ſuſpicandum de ſuo exercitu: imò huiuſmodi delatores iure puniri debere: longo denique ſermone exponit propenſum ſuum animum amoremq; maximum erga Prouincias Belgicas, præcipuè erga ciuitatem Antvverpienſem: omneſque ſuſpicandi occaſiones amouere conatur: quod quidem tunc eo facilius præſtare potuit, quod nulla adhuc euidentia ſigna huius inceptionis apparerent: cumque Auraicus ei conſuleret, vt ſuſpicionis auertendæ cauſa in vrbe maneret, id ſe facturum affirmauit. Sed quia certò ſciebat nuncios earum rerum quæ in alijs vrbibus acta erant, non diu exſpectaturos: voluit, omnino id quod inſtituerat effectum reddere: rogatque Principem Auraicum vt nonnullas ob cauſas in caſtra quoque veniat: verùm Princeps nihil tunc adhuc mali ſuſpicans id ei recuſat.

Ciues, qui ob ſiniſtrum hunc rumorem, præcedente nocte excubias diligenter egerant, portas toto eo die clauſas cuſtodierunt, & edicto publico milites omnes vrbem exire iuſſerunt.

Dux extra vrbem Antvverpiam in caſtra equitat, vt eam cum ſuo exercitu inuadat.

Dux maturè pranſus ſe apparat, extra vrbem in caſtra equitare volens, eoque prætextu catenas & repagula platearum quæ ad duas portas ducunt, aperiri ſoluique mandat: dicebant enim ſui ſatellites ſe ignorare, per vtram exire vellet. Vt autem aduenienti ſummo cum honore portæ aperirentur, Tribuni ciuium Iacobus à Falia, Rubræ, Iacobus Vierendelius Kipdorpiæ portæ adſtabant, paucis admodum ciuibus comitati, eo quod hora prima, prandij tempus eſſet, plurimique prandendi cauſa domum abijſſent: ciuiſque vici habitatores, & Kipdorpiæ portæ vicini incolæ, tunc alio loco excubias agerent.

Dux cir

Dux circiter ducentis equitibus viris, tum nobilibus, tum alijs, omnibusq; suis corripheus sustodibus Heluetijs, & Gallis comitatus, versus portam Kipdorpiam equitat, hic nonnulli suorum propè & supra pontem concedunt, locumque dant Duci & proceribus transeuntibus: obuiam veniunt nonnullæ equitum turmæ, honoris, vt videbatur, exhibendi causa. Simulac verò Dux cum Duce Montpenciero, Comite Laualio, & alijs huius doli ignaris secundum pontem versatilem transijt, vbi ciues excubitores aperto capite stabant, quidam Gallus nobilis, se crus fregisse exclamat (quod quidem fingebat, vt tali symbolo signoque reliquos ad arma concitaret) cui cum quidam ciues, inter alios autem cohortis ciuium satelles Keyserius, opitulari vellent, satelles ab eodem vulneratur: ocyus quoque plurimi ciues excubitores ab ipsius Ducis aulicis læduntur ac trucidantur: inter quos, tanquam præcipuus, Adrianus Vierendelius Tribunus: reliqui euadunt. An. 1583.

Kipdorpia porta ab aulicis occupatur, & ciues excubitores cædunt.

Mox ducenti equites aulici maximo cum impetu in vrbem reuertuntur, cum nonnullis alijs: deinde totius exercitus versus vrbem tendere visus: ingrediuntur festinantes septendecim Gallorum peditum cohortes signis erectis, & quatuor equitum turmæ, sexcentiq; lancearij, & multi præterea alij, qui omnes vna mente, atque voce conclamant, *Ville gaignee, Viue la messe, Tue, 600. equites tue:* prope portam homo incensa socijs signum edunt, vrbem esse captam. & vt totus exercitus intrare properet. Dux ipse qui iuxta pontè deflexerat, copias omnes accelerare iubet cum Heluetiorum agminibus, vrbemque superatam clamat, proinde ingredi festinent, verum ne spolient prohibet.

Cohortes 17. peditum & equites in vrbem Antverpiensem irrumpunt.

Primi, vtraque mœnia portæ vicina occupant: alij vnam partem vsq; ad portam Cæsaream inuadunt, vbi ocyus tormentis bellicis potiuntur, eaque contra ciuitatem vertunt: alij per plateam Kipdorpiam vsque ad pontem vinearium, alij per plateam nouam oblongam, ad ipsam vsque Bursam siue mercatorum basilicam, alij per alia loca vicina discurrunt, varijsque clamoribus vociferantur: Trucidate: *Viue la messe, Ville gaignee:* hoc est, Viuat missa: Vrbs capta: Nos amici sumus.

Ciues simulac se tam hostiliter obrui vident, quidam ocyus cum armis ex ædibus erumpunt: & primi numero admodum pauci, magnis Gallorum cæteruis se opponunt, parùo quidem sed denso agmine, eosque vlteriùs tendere prohibent: tensis paulatim vbique cathenis.

Ciues Antverpienses Gallos resistunt, pluri-mosque trucidant.

Deus omnipotens, cui soli ciuitas Antverpiensis gloriam, honorem, salutemque recuperatam meritò adscribere debet, ciues ita animauit, vt omnibus ferè vrbis regionibus & plateis hostes Gallos terga vertere, & summo cum dedecore vrbem relinquere, altis è mœnibus in fossas aquis plenas se præcipitare compulerint, postquam porta integra hora, & amplius potiti, & erectis vexillis non procul à foro grassati fuerant. Tantus in hoc conflictu fuit ciuium ardor, vt multi quibus glandes plumbei in promptu non erant, nummos marsupijs ocyus depromptos, dentibusque mansos suis sclopetis accommodarint exploserintque. Nonnulli ex ædibus & locis quibusdam, præcipuè campis iaculatorijs, Cæsareæ portæ & mœnibus vicinis, plurimos equites peditesque prostrauerunt, tandemque mœnia, & propugnacula ab vtraque portæ latere recuperarunt: hic D. Tyanum virum nobilem Merodanæ familiæ, Alosti Gubernatorem, qui Gallorum partes fouere videbatur, se vltra loricas vrbis in fossas è mœnibus præcipitare compellunt, & postquam enatasset, glande in caput adacto eminus occidunt. Ciues mœnibus recuperatis, mox tormentis muralibus eos qui extra vrbem erant, impetunt, præcipuè Heluetios, qui vrbem versus tendebant, eamque nondum superatam suo magno malo sentiebant. Egregia profectò facinora hic à ciuibus fuere perpetrata. Pistor quidam nudus è pistoria sua officina prosiliens, arrepta pala equitem sternit, equumque ipse celeriter conscendit effugitque, cùm se ab hostibus persequi videret. In ædibus quibusdam angularibus è regione portæ Kipdorpiæ quidam strenui ciues è fenestris magna sclopetorum frequentia, in ipsam vsque portam iaculantur, multosque in introitu sternunt: strati alijs intrare volentibus impedimento sunt: plurimi qui ex vrbe fugere conabantur, glandibus crebrimis seriuntur: vnde porta mox cæsorum cadaueribus repletur, eratque stragis accruus altior sesquihominis statura, & admodum amplus: stratorumque multi se mortabant, membrisque palpitabant: ita vt introitus exitusque per portam, cadauerum multitudine impediretur.

Tyanum occidunt.

Porta vrbis cadaueribus interfectorũ obstructa.

Dux qui extra vrbem erat, cùm porta expugnata suos maximo impetu irruere videt, proceribus & nobilibus qui ei tunc aderant, & huius machinationis ignari erant, suam mentem aperit: cumque hi factum dolerent, amicorumque casum lamentarentur, & nonnulli victoriam non esse solidam, sed facilè aduersa breui posse euenire dicerent: ipse vrbem certò suam esse, & suorum 4000. & amplius iam vi inuasisse aiebat: cumque quosdam è muris se in fossas præcipitare videret, multo audentius vrbem victam asserebat, & ciues fugientes salutem quærere: verùm simul ac suos hos esse, & in se suaque agmina explodi tormenta videt, desperans, è tormentorum iactu vlteriùs retrocedit.

Dux desperãs discedit.

Digitized by Google

An. 1583. Ciues interea hoſtium ingentes cateruas mactant. Princeps Auraicus qui in arce, extrema vrbis parte longiſſimè ſita, tunc erat, nuntio primo credere noluit: ad mœnia autem feſtinans reputat ſeditionem ſiue tumultuationem eſſe: tormenta explodi prohibet: verùm poſtquam è mœnibus proſpicit ſeriò agi, perculſus admiratione ac perturbatione hæret.

Cùm iam Gallorum nemo amplius ſe defendere videretur, ciues portam cadaueribus refertam claudere moliuntur: nonnulli ſtrata corpora tranſcendunt, extremam cataractam clauſuri: eam autem ciues quidam è ſagittariorum collegio, (qui ſe in domuncula excubitoria ſuprà pontem incluſos ſeruarant) iam obſerarant, atque hoc modo hoſtes qui extra vrbem adhuc erant ab alijs ſepararant. Deinde portam cadaueribus vacuant: atque hoc quidem labore diutius quam hoſtium mactatione occupati fuerunt. Quidam eorum qui ſtragem tranſcenderant, mihi retulerunt quam horribile, ac triſte fuerit ſpectaculum, videre tot occiſorum vulneratorumque corpora, quorum ferè omnium capita, aliqua parte eminebant, vt ora halitum ſpiritumque reciperent: inuenti inter mortuos plurimi viui, quibus ciuium miſericordia fuit vita conceſſa: tandem porta exonerata clauditur.

Numerus vtriuſque ciuium. Maxima vtrinque clades facta: Ciues amplius 80. in ipſo conflictu ceciderunt: complures lethalibus vulneribus confecti, paulò pòſt è vita diſceſſerunt. Caſus, vt diximus, Tribunus Vierendeelius: inſuper ſtrategus Balthaſar Thaſſius, qui vigilijs præfectus fuerat, primaſque omnium qui Gallorum furori reſtiterunt Reynerus Michaldus: & Iaſpar Pileo, fatelles maior legionis, ſub Conſule Philippo Schonhouio, qui cum Duce inter aulicos extra vrbem equitans, ſiniſtro rumore percepto, mirabiliter euaſit, & properè dicti fatellitis maioris opera, tendi catenas curauit: cecidit autem hic fatelles ad latus Schoonhouij, glande ictus, ceciderunt, & multi alij fortiter pugnando, non ſine ſua ſuorumque poſteriorum laude ac gloria immortali, vtpote qui ſanguinem pro patria effuderint: nec minori laude digni ſtrenuiſſimi fideliſſimique ciues alij, qui abſque vllo militum ſubſidio, animo virili, iunctis viribus, non ſine ſummi numinis ope, vrbem incolumem conſeruarunt. Nulla hic diuerſarum Religionum ergo controuerſia audita: Catholici, Confeſſioniſtæ, Reformati, ſimul omnes, quod probos ciues decet præſtiterunt.

Numerus Gallorum Antverpiæ-ſorum. Galli cæſi, ſepultique in vrbe, in mœnibus numerati vltra 1500. præter eos, qui aut læſi effugerunt, aut poſtea in vrbe animam exhalarunt, aut extra vrbem tormentis à ciuibus vulnerati interierũt, quorum ingens numerus foſſa capaciſſima in mœnibus ſepultus: inter hos multi viri nobiles magnæ auctoritatis, numero 320. & vltra: nempe Comes Agnianus, & filius: Comes Caſtelruſſus, Marſchalci Byronij filius, D. Sayſeuallius, Viluordæ Gubernator, filius D. Mirambeaui, pluresque alij: quorum nonnulli Reformatæ Religioni addicti, perfidæ machinationis ignari fuere. Multi ſe miro modo ſeruarunt, imprimis Iuſtinus Naſſouius Auraici filius naturalis, qui cum alijs nonnullis aulicorum Gallorum cateruæ ſociatus, in quadam turri cum ſuis occultatus, incolumis ſeruatus fuit. Ciues victores reliquis victis ſuperſtitibus pepercerunt: complures qui inter occiſos iacebant, releuarunt, reſouerunt, atque curarunt. Captus Comes Feruaqueus, Epiſcopus Conſtantienſis multique alij nomine clari circiter bis mille, qui poſtmodum liberi dimittuntur.

Itaque Duci peſſimè ceſſit temerarium hoc inceptum: vnde mœrore & animi ægritudine tandem contabuit. Hinc liquido patuit rudium, inexpertorum, malorum, iuniorumque quorundam conſiliariorum temeritas, arrogantia ac malitia: patuit ſimiliter ſalubris, eorum qui contrariæ erant ſententiæ, prudentiã: è quorum numero Marſchalcus Byronius fuiſſe dicitur: quin & hinc ſatis compertum eſt, ſclopos, enſes, pugiones, parum conducere in prælio ſine haſtis bipennibus ſimilibuſque armis. Docuit inſuper hæc experientia, quanta ſit populi in libertate educati audacia & magnanimitas ſimulac arma arripuerunt: præterea, nihil furioſius eſſe cane in fuo, vt vulgo fertur, ſterquilinio.

Dux ſcribit ad ciuitatem Antverpien-ſem. Hoc veſpere Dux in arce Berchemia manſit, hoſpitio tunc parũ idoneo, ſupellectile, commeatu, rebuſque neceſſarijs prorſus deſtituto: & commeatus militibus in caſtris tunc quoque deerat. Eodem adhuc veſpere duos ciues Antverpianos Philippum Landtmeterium & Scholierium, quos extra vrbem repererat miſit, in vrbem cum literis, quibus declarabat: Se, poſtquam ſolita ſua prudentia ac patientia vitam periculis expoſuiſſet, multos viros nobiles & ſtrenuos milites amiſiſſet, omnemq; operam præſtitiſſet, qua Prouincijs Belgicis propenſum ſuum animum eas, è miſerijs liberandi declarare, tandem verò fruſtra ſe niti videret, (cuius rei teſtimonium atque argumentum, in aliud tempus magis idoneum differebat) & ruinam extremam Belgio imminere proſpiceret, idq; magna ſui honoris iactura: iam propenſum ſuum animum mutaſſe, multas ob cauſas; maximè cùm ſe adeo indignis modis excipi videret, vt verè dicere poſſit, ſummam auctoritatem ac poteſtatem penes alios eſſe: imprimis autem ſe ſummopere commotum ignominijs hoc die ſibi illatis, nulla perſonæ, ſtatus aut ordinis Ducalis habita ratione, & hinc quidem adeo exacerbatum, vt hac occaſione facinus iſtud hoc die perpetratum fuerit

Digitized by Google

fuerit, nõ sine ingenti animi sui dolore, acp œnitentia. Cùm verò voluntas sua adhuc propensa sit in Rempublicam & in bonos incolas Belgij, se hæc ipsis voluisse significare, vt certior reddatur, quid de sua Cels. statuerint: id se scire cupere, antequam ea quæ animo proposuit aggrediatur: proinde rogare, vt id per Lantmeterium & Scholierum significent. Petit insuper sibi mitti Antverpia Comitem Mansveldium, præterea etiam suæ Celsitudinis, Montpencierij, Byronij, Lanalli, Rochepoti, Rochefocautij, Pruneautij, Manuilliери sui Oeconom. i, suppellectilem, & scripta chartaq; suæ Celsitudinis, & Quinchij sui Secretarij, ministros quoq; suos aulicos, & Præfectum elæmosynis ægrotantem: confidere autem nihil hostiliter contra hos actum esse, quandoquidem innocentes & ignari fuerint eorum, quæ perpetrata sunt. Datum in castro Berchemij, 17. Ianuarij, 1583. Subsig. Franciscus. An. 1583.

Antverpienses nihil ad hæc respõdent: negotium autẽ omne Ordinum generalium proceribus, & Principi Auraico committunt: hi tandem & Delegatos, & commeatum mittere, quarto postquam discesserat die, statuunt: ipse interea inopia pressus Bernardinam Abbatiam versus iter insituerat, hic Schaldim traijcere. & Teneramondam venire meditans: verùm Antverpienses nauibus prælidiarijs, eò celeriter missis traiectum occupat: nox quoque Noritus Chiliarcha, cum Anglorum & Schotorum 23. cohortibus, in regionem VVasiam mittitur, vt iter impediat: qui sine mora partem magnam Teneramondani territorij aquis inundat. Hic nimiæ causa inopiæ, equitatus Mansfeldij à Duce deficit: Dux autem necessitate vrgente, Dufflæ flumen Netam maxima cum difficultate traijcit: inde Rymenantum vltra Dilam proficiscitur, & Viluorda Teneramondam venire tentat: id verò iter Mathlinienses aquam cataractis cohibentes, agris inundaris prohibent: nihil hominus Dux summo cum discrimine, plurimis suorum submersis, per vada tentata miris modis transit.

Antverpienses Ducem regione VVasiam occupant.

Dux interea dum Dufflæ hæret, scribit 20. Ianuarij, ad Oliuerium Templeum vrbis Bruxellensis Gubernatorem, & ad alios, conqueriturque de ignominia & iniuria suæ personæ facta Antverpiæ: proinde ira commotum fuisse se ait, vt cum ex vrbe in sua castra equitaret, hinc seditio orta fuerit pr ope portam, quo cum sui milites concurrerent, dira clades facta fuit; non sine magno animi sui dolore. Verùm suam erga Prouincias pronam voluntatem, ea de causa minimè esse immutatam, vtpote quibus adhuc auxiliari omni modo studeat: Monet præterea Templeum, vt perstiat in fide iureiurando confirmata, & commeatum nauibus aliquot mittat, de solutione nullam fore difficultatem, Rationem autem qua offensus fuit, poitmodum se declaraturum dicit.

Dux Dufflæ scribit ad Gubernatorem Bruxellensis.

Antverpienses postquam ex literis his intelligunt, hæc sibi tanquam turbarum auctoribus imputari, rem omnem, vt gesta erat, typis edunt, simul declarant se suo officio, sicut bonos decet ciues ac subditos, omnibus in rebus functos fuisse: & in contributionibus non tantum pro rata parte, sed etiam multo amplius persoluisse: Antverpiensium enim nomine, paulò ante hostium istud inceptum, plus quam septuaginta florenorum millia numerata fuisse: ea autem non prælidiarijs, aut stipendiarijs veteribus, sed nouitijs, ad inuaderidum hostiliter urbem destinatis, à Duce data. Et quanquam huius facti, tanquam singularis iniuriæ, culpam Antverpienses Dux imputare conetur, contrarium tamen liquido patere: quandoquidem ipse eodem die idem facinus tentarit multis aliis locis, vtpote Brugis, Teneramondæ, Alosti, Dixmudæ, Nieuporti, Ostendæ, & Viluordæ: Postremo rogant Deum, meliorem Duci mentem det, vt Prouincias ad æquitatis, iustitiæ, & iuramenti præstiti normam, & non pro suo prorsus arbitrio regat: gratiasque quàm maximas Deo Antverpiangæ ciuitatis conseruatori agunt.

Antverpienses se ipsi opposuisse, & ostendisse narrationẽ edit.

Malecontenti, VValonicæ scilicet Prouinciæ, earumque socij Hispani, simulac tam atrocia Ducis facinora intelligunt, occasionem hanc nequaquam negligendam reputant: proinde sine mora tres præcipui Malecontentorum proceres, Robertus Melunius Marchio Rijsborgi, Emanuel Lalainius Dominus Montignij, & Maximilianus Vilainius Dominus Raflingemi, Hallam, non procul à Bruxella opidulum, proficiscuntur: hinc ad Deputatos Ordinum, Antverpiæ vigetimo secundo Ianuarij, 1583. literas mittunt: quæ quarto Februarij adferuntur: scribunt etiam ad ciuitates Antverpiam, Bruxellam, Machliniam, & plures alias, quibus declarant: Se, posteaquam ea quæ nuperrimè acta sunt Antverpiæ intellexere, rem summo Deo gratissimam factoros reputasse, si eis grauem in quo versantur errorem explicent, illorumque dolos aperiant, qui libertatis prætextu, maritorum, vxorum, liberorumque exitium moliuntur: id que iam satis liquido probari posse facinore diuersis locis eodem tempore attentato. Cumque coram Deo & hominibus, tanquam Belgij incolæ, & gubernationibus præfecti, teneantur procurare salutem, pacem & tranquillitatem Prouinciarum in Dei laudem, & Regis, supremi Domini & naturalis Principis, commodum: atque hac occasione propius aduenerint, vt eis declarent quanto studio reconciliationem promouere, & pium imprimis opus exequi conentur: petunt, votisque omnibus optant, vt deletis omibus cunque priuatis affe-

Malecontenti ad ordines ciuitates scribunt.

Digitized by Google

An. 1583. ctionibus,paci & reconciliationi animos intendere velint: & aliquem mittant,cum quo de negotijs agant, vt sententijs vtrinque auditis, ratio aliqua vtilis commodaque transigendi conuertiam inueniatur: quandoquidem satis perspecta sit Regiæ Maiestatis sancta propensio, & Principis Parmensis officiosa voluntas, quibus ea quæ reconciliatis prouincijs, & ciuitatibus pòst recuperatis promissa fuerunt exactissimè seruantur. Suæ Celsitudini gratissimum fore,rationes siue conditiones aliquas audire,quibus hæc tanta salus toti orbi Christiano. præcipuè autem Belgicis regionibus procurari queat. Supplicant proinde denuò, vt deleta ex animis omni diffidentia, confidant credantque firmiter se sincerè ac ingenuè agere: nec aliud petere quàm salutem & requiem miseræ & calamitosæ patriæ: eiusq; prosperitatem omnibus modis exoptare: & bona omnia sperare,dummodo ipsi impedimento non sint: ad hæc lætum responsum se exspectare atque deliberare aiunt.

Neque ad has,neq; ad eas quas Marchio Bergensis,Delegatos imprimis mitti cupiens, Leodij scripserat,quidquam responsum fuit. Scripsit & Parmensis literas ad Gandauenses,datas 20. Ianuarij,quibus Gandauensium nonnulli, qui tectè semper reliquis aduersati fuerant, permoti, reconciliationem postea à Parmense impetrarunt: horum autem causa factum est, vt quatuor Flandriæ membra suis Delegatis, qui tunc Antverpiæ conuentui Ordinum generalium intererant,prohibuerint,ne approbarent, vt vllo modo vlterius cum Duce tractaretur, nisi antea ciuitates contra suum iuramentum præstitum,inuitisque Ordinibus generalibus,Gallorum astutia occupatæ redderentur. Hoc interdicto persistunt Gandauenses: reliqua verò tria membra negotium omne Ordinum generalium iudicio committunt, & Gandauenses ipsos hac ratione simul comprehendunt.

Parmensis Eyndouiam capit.

Parmensis hoc Ducis facinore permotus, Carolum Mansfeldium iuniorem cum copijs mittit, vt Eyndouiam vrbeculam obsidione premat: qui cum tempus satis opportunù haberet, eam vallis cingit,cinctamque tandem capit.

Rex Galliæ Mirambeaum ad Ordinum Proceres mittit.

Rex Galliæ(cui tristia rerum gestarum nuncia adferebantur;earumque causa Belgæ qui in Gallijs erant vbique indigne excipiebantur,minisq; perterrebantur) Dominum Mirambeaum cum Secretario Brularto iuniore, in Belgium festinanter mittit. Mirambeaus Antverpiæ in Consilio Ordinum generalium causam dicit 7. Februarij, exponit Regem primo nuntio accepto de tam ingenti Gallorum numero interfecto. causaque non satis intellecta, eum misisse vt dolorem indecòceptum declararet:rogare proinde Regio nomine,vt pro singulari prudentia

Mirambeaui oratio ad Ordinum Proceres,

animum intendant dulci ac leni remedio, quo hoc malum curetur: id enim imprimis necessarium esse quieti ac saluti Prouinciarum,quibus Rex haud aliter atque sibi ipsi omnia fausta precaretur,idque re ipsa probare paratissimù esse. Ducem quoque fratrem id ledulo operam daturum,quod & hactenus fecerit,periculisq; expositarum non tantum facultates,sed & vitam, Regisque fratris auxilio conaturum Rempublicam Belgicam tueri ac conseruare: verùm id prorsus dependere, à solida cum Duce pactione ac concordia: quem non tam facile ac leuiter derelinquendum reputabat vnius delicti siue errati causa, quod non ex Ducis optima indole, sed malo,præcipitique consilio processisse certò sciret. Cumque diuini numinis fauore conseruati sint,opus nunc imprimis esse vt animosè fortiterque se gerant, ne hostis hinc ansam sumat eos omnino perdendi: idque facilè auersuros, si concordiam firmam cum Duce ineant, & vetera priuilegia libertatesq; solitas, vtæquum est,retineant. Sibi iniunctum esse huius negotij causa, ad Ducem proficisci, atque eum quamuis langueſcentem, in fœdus atque concordiam amare, modo id ipsorum consilio ac voluntate fiat. Se quidem constanter affirmare, Regem omne suum studium ad Prouinciarum salutem applicare,&concordia cum Duce inita,auxilia omnibus modis laturum, Prouinciasque contra quoscunque hostes defensurum ac conseruaturum, neque vlli rei, vt id perficiat, parcitrum. Addit præterea, iuniori Brularto à Rege & Regina matre iniunctum esse pridiè quam discederet, vt Duci,& Principi Auraico loquatur,atque exactè de re gesta inquirat, auditaque statim renunciet, vt rationem qua ei subuenire queant, pro insigni erga eum studio ac amore, tempori incant: vtque id liberè ac securè facere liceat, postulat.

Eodem die Princeps Auraicus à Senatu, & membris ciuitatis Antverpiensis qui offensionem acceperant,suam de his difficultatibus sententiam dicere rogatus, Ordinum generalium proceribus scriptum quoddam exhibuit,subsignatum per M. Henin,cuius breue argumentum hic addidimus, vt hinc Lectori rerum status dilucidior fiat.

Consilium Principis Auraici de facto Ducis.

Primo ait se non libenter suam, de hac difficultate sententiam proferre, eo quod diuersis vicibus,cum res aduersæ à Deo immissæ fuerint, plærunque ipse accusatus & culpatus sit: maximè autem cum Traiectum inferius & Tornacùm hostiles manus incidisset:idque immeritò, cum etiam potentissimi Reges, quibus vires & copiæ sufficiant, maxima sæpè damna auertere non possint,eo quod varia sit belli alea: Se quidem solum id præstare nequaquam potuisse, vt potè cui tam exigua facultas atq; auctoritas cócessa sit, vt nullam vrbem sufficienti commeatu iuuare,

Digitized by Google

iuuare, aut res gerendas in salutem Prouinciarum disponere pro suo arbitrio potuerit. Consilia autem qualiacunque etiam dentur, aut bona aut mala reputantur, postquam ad exitum acta peruenerint: exitum autem in solius Dei omnipotentis omnia pro suo nutu disponentis manu esse certissimum est. His de causis nequaquam consultum videri, vt aliquis suæ conditionis atque ætatis, qui maledicorum virulentiam sæpè sit expertus, suum honorem exponat obtrectationi, ac iudicio illorum, qui facta quæcunque, etiam optima, pro arbitrio vituperare soleant. Nihilominus quandoquidem Prouinciarum, & vrbis Antverpiensis salus sibi imprimis cordi sit, neutiquam recusaturum adhuc hac vice se periculo exponere, idque eò facilius ac lubentius, quod omnes simul promiserint se æqui bonique suum de his rebus iudicium consulturos. An. 1583. *Quæstio & sententia Auctoris.*

Exordio autem sumpto ab ijs, quæ inter Ducem & Ordinum Proceres gesta fuerunt, quandoquidem multi se causam inuenisse putent, qua suo honori detrahant, ob ea præcipuè quæ 17. Ianuarij patrata fuere, rogat Ordinum proceres, perpendere velint, quanto tempore cum ipso Duce tractatum fuerit: quam longis quamque maturis consilijs deliberarint, idq; ob maximas difficultates, quas nonnullæ ciuitates, quæ nunc se omniù primas assensisse conqueruntur, proponebant: ita vt omnia, communi maturoque consilio Prouinciarum ac ciuitatum, decreta ac definita fuerint, eò quod præsentius remedium Hispanis resistendi nullum inueniretur. Iterum proinde proceres rogat, vt acta diuersarum synodorum, & ea quæ sæpius dixerat monueratque inspiciant atque perpendant: quandoquidem hinc liquido constet, se crebro illos monuisse, ac petijsse, vt declarent, an vires ac facultates haberent (sipsos defendendi, an vllum aliud subsidium, quam Ducis Andegauensis scirent aut sperarent: sæpissimè etiam palàm testificatum fuisse, si quam cómodiorem rationem inuenirent, se eam sequuturum: pollicitumque, dúmodo quamcunque aliam viam tentarent ad patriæ defensionem, se neutiquam defuturum, sed vitam fortunasque alacri animo expositurum. Quin & ipsimet testatissimum esse, omnes simul, nulla alia ratione propolita, communi consilio hunc Ducem accipiendum determinasse. Sibi soli autem imputare ea quæ omnes simul egissent, iniquum omninò ac inhumanum videri, etiam si longè adhuc peius res euenissent: nihilominus, dummodo omnia ad æquitatis & veritatis normam perpendantur, non parum vtilitatis ex hac deliberatione processisse constiturum.

Auctorem Ducem iuo iure cecidisse indicat.

Se quidem hæc nequaquam commemorare, vt facinus nuperrimè patratum excuset, quandoquidem contra, ratione iustissima dicere posset, iniuriam violentiamque tantam fuisse, vt absque vlla controuersia iudicare liceat, ipsum Ducem omni suo iure, quod tractatu Burdegalense nactus fuerat in Prouincias, prorsus cecidisse.

Fateri quoque, sibi visum fuisse inprimis consultum, ipsum Ducem in Prouinciarum domi num accipere: Neminem quæ mortalium, qui rectè rem perpendat, negaturum, Prouincias ingens commodum, Ducis opera percepisse, maximè tribus annis hosti resistendo, & bellum continuando: alioqui enim nulla prorsus, vt ipsi Ordinum Proceres tunc existimabant, bellum vlterius gerendi supererat facultas: verùm quid necessitate acrius adhuc vrgente præstari potuisset, se ea de re nolle disputare.

Cómoda à Duce Prouincijs præstita.

Interea quoque temporis, Principem Parmensem duos potentissimos exercitus instruxisse, quorum vnũ obsidione Cameracensi in nihilum ferè redactum; alterum, qui postrema ætate satis potens instructusq; videbatur ad partem aduersam prorsus subiugãdam, multa incómoda passum, parũ præstitisse. Præterea Lochemum, opera militum Ducis, obsidione liberatum fuisse, vnde protectò totius Gheldriæ salus dependebat. Interim quoque dum Dux bellum gessit, duos filios Regis Hispaniæ mortem obijsse: hinc autem, temporis successu occasionem nasci posse, qua Prouinciæ Belgicæ à bellis liberentur, & Hispanorum animi feroces labefactentur. Præterea Ecclesias Gallicanas inde plurimum commodi accepisse, nempe libri exercitij suæ religionis oportunitatem, & pacis generalis occasionem. Hæc quidem magna esse emolumenta: verum illud maius, quod Ducis opera nomen, & arma Hispanica sint extincta: idque sibi firmissimum videri fundamentum, cui libertas, dummodo occasio oportunitasque non negligatur, superstrui possit. Nam cùm tres tantum rationes potissimùm sint perpendendæ: nempe, aut reconciliari cum hoste Hispano, aut concordiam inire cum Duce, aut viribus ac facultatibus à Deo concessis strenuè vti: primam, scilicet reconciliationem cum Hispano, tibi prorsus incongruam ineptamque videri, quandoquidem & nomen & arma Hispani iam extincta sint.

Tres rationes Procerib. Ordinum perpendendæ.

Quod autem nonnulli reconciliationem cum Hispano palliare ac ornare velint, prætextu fœderis cum Malecontentis, quodque eius rei causa Motteus ferferit, & Rysborgius, Montignius & Rassingemius Hallam vsque peruenerint: hæc omnia dolo fieri ab ipsis, vt hac arte studia animosque partis aduersæ obseruent captentque: se enim, quanquam modicè versatum in Monarcharum ac Principum negotijs, facilè percipere, imò certo scire, eos nihil, nisi sciente & consentiente Principe Parmense facturos.

Quin & actio de pace inter Malecontentos & Parmensem deliberata, tempore Pacificationis Coloniæ habitæ, talique prætextu primùm à singularibus nonnullis consiliarijs instituta,

eos satis monere ac docere deberet, vt sibi caueant ab ijs qui loco pacis quam promittebant, perpetuum bellum fouerent, in Prouinciarum exitium, veræ religionis exstirpationem, & Prouincialium bonorum virorum perniciem: & contra datam fidem fœduscq; pactum, ampliorem Italorum & Hispanorum numerum adducerent, maiore cum imperio, & incolarũ contemptu, quàm vnquam antea.

Præterea huiusmodi tractatio de pace, Duci præberet occasionem iusta de causa improbandi, quod interea dum ipse concordiam stabilire conaretur, alij cum hoste agerent: qua quidem ratione, suam causam iustam æquamque probaret apud Regem fratrem, Reginã Angliæ, reliquosque Principes, & Belgas omnibus exoticis redderet.

Cùmque eadem prorsus sit ratio pacificendi cum Hispanis, & cum Malecontentis: num discedentibus Hispanis, VValonum dominatio tolerabilior erit, quàm Hispanorum aut Gallorum? quandoquidem VValones vt dominio potirentur, pacta fœdera ruperunt, & à societate defecerunt, cùm tamen præcipua totius Belgij negotia administranda ipsis tradita commissaque essent, ita vt hic archistrategi, ille equitum Magistri, alius armamentarij tribuni, alius annonæ præfecti officio fungeretur.

Sliperuacuum quoque sibi videri, verba facere de pace incunda cum Hispano: tametsi ignarus non sit, multos pacificationem huiusmodi promouere atq; vrgere, idque potissimùm odio in Gallos, ob recens patratum facinus, concepto: atque eius rei gratia alios negociationem ac mercaturam, alios alias commoditates prætexere: interim verò hos omnes nihil aliud verlare ac moliri, quam vias ac occasiones, quibus religionis, vitæ, & bonorum possessionumque libertatem ac facultatem Belgis præripiant, suamque impostaram palliare prætextu pulchro ac plebi comprimis grato, nempe Hispanis longe dissitis, non tam facile fore Belgicas regiones opprimere, atque Gallis multò vicinioribus. Quæ quidem argumẽta non videntur prorsus absurda, dummodo fauor, voluntas, auctoritas, consilium, consensus vnus idemque sit in omnibus Belgij Prouincijs: Verùm longe aliter hæc se habere, atque alia perpendi debere via: quandoquidem Gallum pacta legesq; transgredi volentem, paucos admodum fautores auxiliatoresue habiturum liquidò constet.

Sed aliter prorsus de Hispano existimandum, vtpotè qui in Belgio non tantum multas habeat Prouincis & vrbes sibi deditas; verùm etiam maximam hominũ multitudinem, quorum plurimi antea rebellarunt, suis nunc machinationibus addictam. & in intimis Belgij visceribus commorantem: ita vt Regi Hispan. nequaquam opus sit magnis Hispanorum aut Italorum copijs ad subiugandas regiones: quandoquidem ipsi incolæ & prouinciales regia auctoritate fulti, id proculdubiò, facile efficient, conterrancos oppriment, religionem adiment, eiusque loco inquisitionem introducent, facultates diripient, priuilegia libertatemque prorsus tollent, neque tempus aut locum gratiæ vllum concedent. Ex his liquido satis patere rem propius consideranti, Hispanos in ipso meditullio sitos, & cùm Prouincialibus permixtos, longè esse viciniores, quàm Galli.

Non esse pacificandum cum Hispano aut Malecontentis.

His de causis sibi neutiquam consultum videri cum Hispanis pactum inire, aut literas ab ipsis missas accipere: nam si res eo deueniat, proculdubio omnes exules, fugitiui, profugi, perfidi, cultus diuini & libertatis patriæ hostes acerbissimi, huc confluent, machinas dolosque struent, quibus ciuitates discordes reddant, Prouincias diffidijs perturbent, idq; præcipuè ope ac opera eorum, qui Hispanorum dominationi promouendæ studeant: quod equidem si illis succedat, mox incolas, negato spatio deliberandi aut sibi prospiciendi, crudelissimè inuadent, dira cruentaque cæde in seruitutem cogent, & atrociter quocunq; volent compellent. His potissimùm de causis sibi nequaquam conducibile videri de pace agere, quandoquidem hinc nihil nisi religionis ac libertatis exitium detestabile exspectari queat.

Articulus secundus.

Quod verò ad Ducem attinet, confessa res est ac manifesta eum ex initi contractus tenore omni suo iure cecidisse, imò ipsummet fateri se nihil legitimi fundamenti habere, quo suam causam stabiliat: & satis perpendere, quam malum consilium sit sequutus, quantoque in periculo cum omni suo exercitu fuerit: debere autem & velle (ipsa natura id monente ac docente) se suosque incolumes seruare atq; tueri, quàm diu summo numini ita visum erit. Verùm enimuerò, nisi melius consilium sequatur, timendum prorsus, ne postmodum viam occasionemq; quærat Belgis maiora damna quàm ante, inferendi: vtpotè nunc irritatus clade suorum tam nobilium quam reliquorum militum, & sui honoris iactura.

Periculum pacificatum Duce.

Præterea se hoc quoque scire, nequaquam esse prudentis viri bis in eundem impingere lapidem: atque ne ipsis id eueniat, si cum Duce pacisc'antur, metuere: & quamuis etiam inde nihil periculi esset, attamen diffidentiam in duas has nationes tantam fore, vt nihil veræ solidæque securitatis sit sperandum. Postremò id quoque summopere metuendum, ne illi qui Duci nunc adsunt, postmodum ei aut occasionem oppugnandi religionem suggerant, aut ipsimet Ducis auctoritate eam extinguere moliantur. Nec reticendum etiam plurimos opinari, nequaquam licitum

Digitized by Google

licitum esse fœdus aut concordiam inire cum ijs, qui alterius aut diuersæ sunt religionis: atque huius rei probandæ ac confirmandæ gratia, plurima allegare argumenta. An. 1583.

Se verò contra reputare, Ducem dummodo cum recipere recusent, eas quas nunc in sua potestate habet regionum ijstarum vrbes munitas, hosti traditurum, quandoquidem absq; vnius aut alterius subsidio eas tenere aut seruare non possit.

Clarum autem ac perspicuum cuiuis esse, quàm periculosum ac damnosum multis ciuitatibus imprimis Bruxellæ, Alosto, Yperæ, Meningæ, Gandauo quoque & Antwerpiæ id fit futurum: si autem hostis agris quoque pro arbitrio potiatur, quantis in periculis Endouia, Dieſtemum, Hochſtrata, Machlinia aliaque oppida ac loca, imò totus Geldriæ Ducatus, & Zutphania versabuntur: quæ omnia quanti sint momenti, nemo est qui nesciat.

Nec hic prætereundum, quanta animi alacritate ac constantia Bruxellenses vniuersæ Reipublicæ cõmodarint atque profuerint, vt qui proculdubiò prima noſtræ libertatis fundamenta posuerint, cuius sedulò defendendæ causa, facultates viresque à Deo ter maximo concessas, omnes vnanimiter adhibere æquum ac iustum est. *Laus Bruxellenſium.*

Insuper perpendendum, si Ducis odium incurrât Prouinciæ, eum vnaque fratrem Regem hostes Belgij futuros acerbissimos: vnde rursus nouum onus ingensque damnum metuendum: quod quidem si fiat, miseræ Prouinciæ non tantum nauigatione in Hispanias & Gallias priuabuntur, sed bello à duobus potentissimis Principibus infestabuntur. *Metuendum à duce inimico.*

Quod verò ad Angliæ Reginam spectat, quanquam certissimum sit, eam nullo modo Ducis facinus approbaturam verum summopere doliturum, ea maximè de causa, quod ipsum imprimis commendauerit, magnificisque testimonijs promouerit; attamen posteaquam intelliget per Prouincias Belgicas stare, quo minus discordia dirimatur, hanc pacificendi recusationem summopere ei displicituram, dubium non est.

Necessariò quoque considerandum, quam paucos amicos aut fœderatos alibi habeant: itaque si hos amittant, nihil prorsus extranei auxilij reliquum futurum. Ad hæc, si pactionem cum Duce renuant, mox itinera per Gallias hostibus libera patebant vbiq; locorum: ipse quoque Dux commeatum, annonam militarem, nuncios, legatos, & copias tam equestres quam pedestres eò mittet quotiescunque volet: quæ omnia quam sint momentosa, vel inde facilè liquet, quod frumenti caritas rerumque omnium inopia tanta in hostium castris fuerit, vt tantus tamque formidatus hostilis exercitus huiusmodi penuria, ac charitate prorsus extenuatus, ac diminutus fuerit.

Proinde omnia prudenter diligenterque ruminanda: imprimis autem an nunc temporis se tam potentes putent ad belli onera ferenda, & Endouiam aliaque loca obsidione liberanda, atque forent, si cum Duce amicitia rursus inita, eius auxilio vtantur, subsidioque iuuentur.

Huc quoque difficultatis accedere, quod Gandauenses literis nuncijsq; missis significarunt, se præsidiarijs neutiquam stipendia soluere posse, nisi reliquæ Prouinciæ contribuant, opemq; conferant: atque hinc facilè colligi quantæ sint rerum angustiæ.

Se quidem non dubitare, quin omnes Dermondam, Dunkerckam, Dixmudam, Viluordã, aliaque loca recuperari summoperè desiderent: verùm quandoquidem neque militares copias, neque alias facultates quibus eas recuperare queant, in promptu habeant, liquido constare, hæc aliaque loca amissa nequaquam repeti posse, niſi amanter ac beneuolè cum Duce transigatur: quod nisi mox fiat, metuendum ne Dux vehementer offensus, ex Belgio discedere volens, eas hosti potius tradat, quam Prouincijs restituat.

Quod verò ad pericula damnaque imminentia spectat: si quidé suis rebus probè consulere velint, profectò pericula multo commodius nunc quàm ante euitare, & oppida absque vlla con tradictione tuta at secura reddere poterunt, ne in Ducis potestatem vllo post hac tempore recidant.

De religionis quoque conseruatione spem optimam, Deo fauente, affulgere, dummodo cum Duce pacisc antur: quod nisi fiat, multas variarum ciuitatum Ecclesias grauissima damna passuras, & prorsus perituras.

Quod autem multi asserunt, nequaquam fas esse fœdus inire cum Principe, qui non sit eiusdem omninò religionis: fateri quidem, se non esse tam præstantem Theologum, vt hanc quæstionem enodare queat: tamen satis scire ac intelligere, totius orbis Christiani, Ecclesias id absque scrupulo ac difficultate facere. Quandoquidem Gallicanæ Ecclesiæ auxilio Principum Gallorum ac Germanorum fretæ sæpe cum suo Rege tractarunt atque concordarunt. Ciuitates quoque & pagi Heluetiorum, quamuis diuersæ religionis, suum fœdus, mensis vnius spatio cum Galliarum Rege pariter vnanimiterque confecerunt. Geneuenses etiam cum Galliarum Rege societatem contraxerunt, eiusdemque præsens auxilium æstate præterita magno suo bono senserunt. Anglia quoque fœdus inuiolabile cum Belgio seruauit, neque vllo modo rupit, cum tamen alia nulla, quam Romana religio hic exerceretur. Similiter *An fas ſit fœdus inire cum Principe alterius religiõis.*

& Anglia

& Anglia Daniaque mutuam amicitiam colunt. Scoti etiam cum Gallis ſocietatem initam iamque 800. annos ſeruatam fideliter retinent. Hæ quoque regiones cum Imperio, & Imperium cum illis: Hanſæ ſimiliter ciuitates, quamuis diuerſæ religionis, in fœdere mutuo perſeuerant. Duces & Principes Germaniæ vnanimiter ſupremum ſibi Dominum elegerunt Imperatorem. Eccleſiæ Poloniæ Regem alterius religionis acceperunt. Valdenſes cum Rege Bohemio, & Vallis Angronæ incolæ cum Duce Sabaudo fœdera contraxerunt. Se quidem has aliasque omnes totius Chriſtiani orbis Eccleſias hac de cauſa, neque condemnare, neque abſoluere poſſe: nihilominus ſentire, arbitrari atque conſulere, vt qualecunque fœdus ineant, meminerint, curentque id ea conditione efficere, vt religio ſecura, tuta ac integra conſeruetur.

Hæc perpendenda inprimis ſuper ſecundo articulo: quandoquidem hic plurimum difficultatis lateat: maximè ob diuerſas, quas nonnullæ Flandricæ & Hollandicæ ciuitates conceperunt ſententias. Si enim cum Duce concordia ineatur, quædam ciuitates proculdubiò ab aliis diſſentient atque diſcedent: ſi verò non ineatur, nonnullæ præcauere volent, ne ab aliis deſerantur, & ſe parti cui maximè fident, aut quam commodiſsimè nancifci potuerunt, adiungent. Proinde hæc prudenter ac maturè penſanda, examinanda atque perficienda.

Articulus tertius. Tertius articulus eò vergit præcipuè, vt ſe ſuis facultatibus atque viribus ſtrenuè defendãt: quod ſi facere conſtituant, principio opus erit belli præfectorum & militum vernaculorũ ſiue indigenarum magno numero: horum autem pauci admodum nunc inueniri poterunt, quandoquidem hiſce bellis plurimi interierint, & regio non ſit admodum ampla: multi quoque hoſtibus ſe nunciunxerint, ij potiſſimùm qui olim Regi Hiſpano militarũt: & quia populus mercaturæ magis quàm militiæ ſit addictus: proinde maximo extraneorum militum numero opus fore: verùm hi difficulter admodum induci poterunt, eo quod ante hac tam malè excepti fuerint. Præterea difficillimum erit loca vbi milites conſcribendi ſunt inuenire: verùm de hac re agi poterit, tunc cum negotium iſtud decernetur. Reformatæ autem religionis ſectatoribus potius quam a'lijs confidendum eſſe, liquidò patet.

Pecuniarum difficultas. Quod verò ad pecuniæ difficultatem attinet, ea profectò grauis admodũ ſemper fuit, etiam cum tantum conquirenda eſſent præſidiariorum ſtipendia: ita vt mirum ſit ciuitates potuiſſe conſeruari aut contineri, in tam difficili ſolutione, ſine ſeditione aut tumultu: cum pecuniæ nerui atque ſuſtentacula ſint belli, vtpotè ſine quibus nihil certò ſtatuí aut agi poſsit.

Status Conſilium neceſſarium. Si autem tertium articulum ratificare operæ pretium conſultumque videbitur: proculdubiò vnus aut plures viri primarij eligẽdi erunt: quibus reliqui omnes non ore tantum, ſed facto ipſo obediant, interea temporis quo auctoritate tradita pollebunt: interea reliqui ſuis artificijs, opificijs atque exercitijs ſolitis animum ſtudiumque applicabunt, neque ſe rebus bellicis aut Reipub. adminiſtrationi temerè immiſcebunt, verùm ſe fidei virorum delectorum cõmittent atque commendabunt: vtpotè qui religionis, æquitatis ac honoris ſtudioſi, quod vtile, æquum ac neceſſarium erit, ſtatuent: eorundemque ſtatuta, decreta, ac iuſſa abſque tergiuerſatione aut contradictione capeſſenda, & exſequutioni mandanda erunt. Ita tamen, vt horum exequutione peracta, vnicuique liberum ſit, id quod vtiliſsimum ſibi videbitur, demonſtrare.

Hanc tamen regulam inutilem ac ſuperuacuam fore, ſi pecuniæ conquirendæ ratio deſit; eam enim in primis ipſo facto, non promiſſo, dictis Conſiliarijs eſſe demonſtrandam, vt magis voluntarij ad huiuſmodi Prouinciam ſuſcipiendam fideliterque adminiſtrandam reddantur.

Quanta autem pecuniarum ſumma ad hoc ſit neceſſaria, liquido ſatis colligi poſſe ex ſcheda à ſe hac de re confecta palamque exhibita: qua belli onera omnia tam extraordinaria, quàm ordinaria exactè deſcripta continebantur. Fruſtra autem conſultari ac deliberari, dummodo hæc norma non ſeruetur.

Et quanquam illos, qui ſpem fiduciamque omnem in Deo prorſus collocandam aſſerunt, nequaquam vituperare velit, quandoquidem horum conſilium bonum piumque ſit: ſe tamen exiſtimare, negotium aliquod arduum atque periculoſum attentare ſine ratione aut facultatibus, aut eaſdem auaritiæ inſtinctu ſupprimere vel omittere, id neutiquam eſſe Deo fidere, ſed Deum tentare: contra verò occaſionibus ac facultatibus à Deo Opt. Max. oblatis vti, eundemque, vt incepta ſecundet orare, id demum eſſe Deo confidere.

Princeps Auraicus tertiũ viam eligit eiusdemque. Ex his autem tribus vijs à ſe demonſtratis, tertiam ſuo iudicio optimam eſſe, dummodo copia ac facultas adſit. Se quidem elapſis nunc quatuor annis multum laboris ac moleſtiæ ſubijſſe, ſedulo que ſtudiuſſe Prouincias ſimul omnes concordes reddere: quod ſi aſſequi potuiſſet, proculdubiò (Regis Hiſp. potentia nihil obſtante) ſummi Dei fretus auxilio, Ioannem Auſtriacum Belgij limitibus facilè expuliſſet.

Verùm poſtquam inter Prouincias diſſidia, contraria ſtudia, aliaque impedimenta fuêre exorta, & Ordinum Proceres, maximè illi qui ineundæ concordiæ aliquatenus obſtiterant, tandem neque vires, neque facultates retiſtendi aut defendendi ipſis eſſe ſignificarunt: ſe tunc primò concepiſſe ac propoſuiſſe, auxilia aliunde quærenda eſſe: hinc conſilium ſtatim initum de extra-

extraneo Principe subsidiario accersendo, ijs potissimè instigantibus, atque vrgentibus, quibus id nequaquam cordi erat. An. 1583.

Verùm enimuerò si quis huiusmodi rerum administrationem, siue modis, rationibus ac facultatibus ante commemoratis sutcipi, à quoquam posse existimet, hunc multum decipi falliq; dubium non est: ea potissimùm de causa, quod consultationes ac deliberationes plerunque admodum tardè determinentur; & ipsæ res imprimis necessariæ tardissimè suppeditentur. Proinde si tertia illa à se demonstrata via insistere cupiant metuendum ne antequam de exercitus Imperatore, præfectis, consiliarijs, pecunijs, rebusque bello necessarijs certò constituendis ac conficiendis ratio probè sit inita, ingens multarum ciuitatum atque Ecclesiarum iactura fiat, & mox reliquæ auxilij subsidijque spe prorsus destituræ, alios sibi amicos sociosque adscisant.

Si autem hæc sua sententia minus illis placeat, eam maximè ob causam, quod hæc omnia præstare effectaque reddere nimis foret arduum ac difficile: attamen sibi neutiquam vtile videri, cum Hispano de pace agere. Sed si cum Duce pactiones facere cupiant, tum quidem præcauendum esse, ne qua ciuitas in periculum pertrahatur: prospiciendumque, vt milites conquiran tur fideles, maximè autem vt militiæ præfecti sint sinceri, & Ordinum Proceribus accepti, ipsique Ordinibus atque eorum Concilio se sacramento obstringant. Attamen si aliter hæc commodè fieri queant, se equidem id malle legibus ac conditionibus ante declaratis: alioqui ingens esse periculum, ne simul omnes pessum eant: atque in hostium potestatem misere redigantur.

Hæc omnia necessariò coram exponenda atque explananda sibi visa, in tanto tamque graui negotio. Proinde rogare ipsos Antverpienses, vt se generalitati coniungant, suamque deliberationem æqui bonique consulant: iterumque asserere, ac palàm testificari, se qualemcunque modum statuant (salua integraque religione) reliquum suæ vitæ in seruitio officioque Generalitatis, Ordinum Procerumque Belgij, & totius ciuitatis Antverpiensis transigere velle atq; optare.

Hanc Principis Auraici orationem breuiter hic inseruimus, vt hinc Lectori status Prouinciarum euidentior fiat. Nunc dicendum restat quomodo Ordinum Proceres, D. Bellieurei, viri eruditione ac prudentia celeberrimi, Galliarum Regis Consiliarij, oratione audita, cum Duce tractare inceperint, Doctore Leonino, Fritiæ præside, Meetkerckio & alijs eo missis: A Duce quoque venerùt legati Ordinibus in primis grati, inter quos Comes Lauallius alijque, qui vltro citroque commeabant. Ordines à vicinis Anglis & Germanis nihil prorsus auxilij sperabant: à Gallis autem larga admodum promissa, sed quæ contra, minas referre videbantur, accipiebant: proprias autem vires ac facultates minores sentiebãt, quam vt se fuosque grauissimis belli difficultatibus extricare possent. Desiderabant autem in primis suas vrbes è Ducis potestate trahere, metuebantque, ne fortè Parmenſi traderentur: ad hæc sperabant Ducis exercitum obsidionem Eyndouiæ soluturam, atq; duæ hæ rationes eos potissimùm permouerunt, vt cum Duce pacisc erentur. *Ordinum Proceres statuunt cum Duce pacisci.*

Ducem autem vrgebat ingens commeatus penuria, & rei nummariæ difficultas: deerantque ijs quas occupabat ciuitatibus res maximè necessariæ: ad hæc vehementer cupiebat suos Antverpiæ captiuos, quibus malè timebat, liberare: atque has ob causas præcipuè impulsus fuit ad tranigendum conditionibus satis æquis: accedebat fortè, & spes animusque perpetratum facinus aliquo modo temporis succesſu reparandi, maculamque turpem abluendi. Cumque pluriмæ ac variæ pacificationis leges & formulæ vtrinque proponerentur: inter alias hæc præcipua fuit, vt Dux cum iusto quodam præfidiariorum numero Bruxellam aut Machliniam veniret, interim vulnus adhuc crudum recensque saneſceret, animique commoti temporis succesſu pacarentur: hoc modo commodius cõcordiam iniri posse. Tandem autem legati fiduciario quodam contractu simul transegerunt, atque concordarunt his conditionibus.

Dux Dunkerckam cum 400. peditibus, & 300. equitibus proficiscatur, & eo loci ad tempus maneat: interea Ordinum legatos ibidem adfuturos, vt vlterius pacis leges ac normas in Prouinciarum commodum simul tractent: interim autem omnes Belgæ, eorumq; bona in Gallijs & Dunkerckæ retenta, liberentur ac restituantur. *Contractum inter Ducem & Proceres Ordinum.*

Præterea Dux subsignationẽ contractus statim cõfirmet, & Viluordam Ordinibus reddat.

Tum exercitum suorum circiter 2500. Heluetiorum, & 3000. Gallorũ cum reliquo adhuc equitatu VVillebroeckam versus mittat: vbi eis Ordinum nomine nonaginta florenorum millia numerabuntur, & pro Ducis arbitrio ac decreto distribuentur. Sua quoque Celsitudo cum suis copijs stipendiarijs iuramentum præstabunt, se fideliter militaturos, neque quidquam contra Ordines aut Prouincias attentaturos: verùm sedulo operam omnem impensuros contra hostes Hispanos, Malecontentos, eorundemq; socios, & mox traiecto flumine in Brabantiam venturos. Similiter quoque iurabunt Angli & Schoti milites, regione VVasiana exibunt, Ripelmondam venient, & flumine Schaldi traiecto, Eyndouiam obsidione liberare iunctis copijs viribusque simul omnes contendent.

Interea

Digitized by Google

An. 1583. Interea ad Ducem tanquam obſides venient D.Philippus Schonhouius VVanroye Dominus, Conſul Antverpiæ; Ioannes Stralenus Merckſemij Dominus, Ammannus; & Rogerius Leſdalius Neuvvalvvichæ dominus, ſenator eiuſdē ciuitatis; Noelius Caronius Schonevvallæ dominus, Conſul Franconatum: præter hos quoque delegati tres, nempe Adolphus Meetkerkius, Frandriæ præſes, Henricus Bloyerius Bruxelæ Conſul, & VVilhelmus Euerardus Antverpiæ Syndicus: qui ſimul atque ſe in Ducis poteſtatem obtulerint, præſidiarij Galli Teneramonda diſcedent, & Dux Dunkerckam veniet.

His obſidibus Dunkerkam aduenientibus, Duci omnes Galli captiui, & ſuæ Celſitudinis, & ſuorum palatinorum atque miniſtrorum ciſtæ, literæ, bona mobilia reſtituentur, ſicut eadem die 10. Martij inuenientur. His omnibus redditis, Dux quoque ciuitatem Dixmudā reddet, & dictos obſides dimittet. Galli autem captiui expenſas, ſumptuſque debitos, & gratuita promiſſa ſoluent: atque in hoc negotio Ordinum Proceres intercedent, ſuamque fidem interponent: inſuper nomine eorum fideiubebunt, quibus neque exſoluendi, neque fideiuſſores conſtituendi facultas aut poteſtas erit: ſatisfaciendi autem Prouinciam in ſe recipiet Dux. Præcipui captiuorum, vtpotè Epiſcopus Conſtantinus, D. Fernachneus, Ferteus, Farquiſius, Vergneus, Rieuſius, Beauxeus, Seniſachius, Vigneriſus, Torſachus, Remigianus, Sercheualus, Chaumontus, & alij nonnulli immunes erunt, neque vlla, niſi priuati debiti cauſa, retineri poterunt.

Simulatque Dux cum ſuis Dunkerckam venerit, curabunt Ordines, vt Prouinciæ quam fieri poterit, citiſſimè ſuos delegatos eo mittant cum poteſtate atque auctoritate abſoluta tractandi, ſtatuendi ac confirmandi cum Duce, quæcunque ad officium obſequiumque Duci præſtandum, & Prouinciarum commodum promouendum neceſſaria videbuntur, idque mutua benignitate atque amicitia fiat.

Dux literis ad Præſidiarios Gallos VVinoxbergæ degentes datis, mādabit, vt inde in caſtra diſcedant ſub pœna inobedientiæ & ſuæ indignationis.

Poſtremo offenſionibus omnibus vtrinque condonatis atque obliteratis, fœdus Burdegalenſe, anno 1581. 24. Ianuarij initum feruabitur. Pacificatio hæc atque conciliatio fiduciaria, Teneramondæ ſublignata, anno 1583. 18. Martij, Antverpiæ promulgata fuit 2. Aprilis. Peractisque vtrinque rebus omnibus, Dux Dunkerckam venit: cumque hic Ordinum delegatos præſtolaretur, illi verò tardiores ſe præberent in ſuis negotijs determinandis, interea aliæ viciſſitudines quas recenſebimus, euenerunt.

Per omnes paſim Belgij Prouincias calumniæ atque detrectationes exortæ ſunt in illos, qui Gallos in Belgium adduxiſſe putabantur, idque imprimis Principi Auraico imputabatur, quanquam Ordines generales eum ſatis excuſatum haberent. Hanc autem calumniam Hiſpanorum fauto res aſtutè prætexebant, iamque confidenter effutire, & clanculum omnia perturbare audebant: ne qua via ſalutis patere videretur, niſi Prouinciæ Regi Hiſpano reconciliarentur: idque effectum reddere plurimi quibuſcunque modis conabantur.

Princeps Auraicus vxorē ducit filiam Archiducis Albertiſ Galliæ.

Id temporis Auraicus matrimonium tractabat cum vidua D.Teligni, Pariſijs anno 1572. trucidati, filia Caſtilionij Comitis, Galliæ Admirallij tunc temporis etiam ibidem crudeliter interfecti. Hæc in Belgium claſſe appulit 7. Aprilis, & Auraico nupſit 12. eiuſdem menſis die: peperitque ei filium Henricum Fredericum 29. Febr. 1584. Hæc neceſſitudo atque affinitas populi opinionem de Auraico Gallis valde addicto ſummopere auxit.

Cornelius Hogeus ſe Caroli V. Imper. filiū profeſſus. Hage capite trū catur.

Eadem tempeſtate, in Hollandia quidam Cornelius Hogeus ſe gubernationi Prouinciarū ingerere ſtudens, Caroli V. Cæſaris filium illegitimum ſe profitebatur: erat autē natus eo tempore, quo Carolus Cæſar Hagæ manſerat, peritus artis in æs ſcalpendi, proſapiæ inſuper honeſtæ. Hage captus à Conſilio Hollandiæ, præſide Berreo, conſiliarijs Caſenbrotio, Brederodio, Loeno, Menino, Backero, Levveno, condemnatus fuit 29. Martij 1583. iudicio ſupremæ Curiæ Comitatuum Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ nomine conſtituto, vt capite amputato, corpus in quatuor partes diſſecaretur. Sententia autem lata hæc erat: quandoquidem extra tormenta & vincula confeſſus fuerat, ſibi circa feſtum omnium Sanctorum, anno 1581. oſtenſas fuiſſe literas honorarias à quodam Gabriele de Selua, Caroli V. Cæſaris olim cubiculario, quibus eum Regis nomine (poſtquam Pacificatio Colonienſis non ſuccеſſerat) inducere conatus fuerat, vt vnà ſecum in Hiſpaniam proficiſceretur ad Regem, quandoquidē Rex intellexiſſet hunc ſui patris illegitimum eſſe filium, cupere proinde cum eo conſilium inire, quibus modis Prouinciæ ad ſolitam obedientiam redigi poſſent, atque polliceri, dummodo res feliciter ſuccedant, eximios honores. Quibus de rebus poſtquam quendam Iacobum Voſium in vrbe Delphenſi conſuluiſſet, ipſemet in Hiſpaniam proficiſci non auſus, cum Gabriele Selua eo miſit quendam Ioānem Rattalerū Friſium, circa id tempus quo Princeps Auraicus inſidioſè ſclopeto fuit læſus: eidēmque literas tradidit aſſertorias, quibus non tantùm modi ac rationes hæc negotia adminiſtrādi, ſed & regionis ſtatus, conditio, atque ſitus continebantur. Hic Rattallerus cum quinq; menſes abfuiſſet, literas à Rege ipſi attulit, atque ore retulit, ſe multis de rebus cum Rege & Doctore

Fonckio

Digitized by Google

Fonckio egisse, & suum institutum vtrisque summopere placuisse: vt autem commodè quod conceperat, exequi posset, Regem sine mora Coloniæ aut Francksofurti ducenta daleroru̇ millia numeranda curaturum, quibus suo nomine, atque absoluta auctoritate, equitum & peditum copias conscribat: quin & gratitudinis ergo eidem, aut Geldriæ, aut alium quemcunque commodissime situm optaret, Ducatum, liberaliter daturum: et hic Regij annuli sigillaris ad maiorem rei confirmationem quoque missa. His nupcijs acceptis, mox se Austrasium filium nothum profiteri ausus, cœpit cum dicto M. Iacobo Vosio, & Ioanne Ratallero libellũ famosum ad excitandam seditionem inprimis accommodatum, & inscriptione ADMONITIONIS VALDE NECESSARIAE insignitum; præterea etiam Epistolas ad Hollandiæ ciuitates, earum administratores, & opificũ collegia, titulo ac nomine nothi filij Austriacæ domus, conscribere, auxiliaq; seditiosis, ad expellendos Magistratus, polliceri. Præterea cum nonnullis cõsilia inijt, quibus potissimùm modis oppida inuadere, patriam subiugare, & in Hispani potestatem redigere posset: De pretio quoq; conuenit cum quodam Iodoco V Villebrando, qui 4000. exemplaria libelli seditiosi, & 400 Epistolarum typis ederet: cum Ioanne quoque Billeno, qui 4000. exemplaria Gallicæ imprimeret Coloniæ, cum insignibus Austriæ armis in fronte librorum, paratusque in Germaniam superiorem proficisci, vt accepta pecunia, & equitibus ac peditibus collectis, fatinus institutum perficeret; deprehensus captusque est. Hæc confessus, morti adiudicatus, mense Aprili, supplicium subijt, capite cerui cibus abscisso, & corporis trunco in quatuor partes dilaniato. An. 1583.

Eodem mense Martio quidam Petrus Dordoignus, Hispanus, Antvverpiæ captus, fatetur se Principis Auraici interficiendi causa ex Hisp. venisse, atq; de huiusmodi facinore tentando cum ipsomet Rege coram egisse: (tametsi Rex postmodum culpã hanc à se amouere volens, non secum, sed cum suo tantum secretario hanc pactionem initam fuisse dixerit) & Graueling am pertransieundo, hic quoq; D. Motteo eandem rem communicasse. Primò se natum è Croatia dixit: diuersarum linguarũ erat peritus: fuerat q; cum hostibus Hispanis in direptione vrbis Antvverpiensis captæ: quæ omnia plenè confessus, mense Martio in quatuor partes dissectus est. *Petrus Dordoignus, Principem Auraicũ interficere machinatus, capite plectitur.*

Anno quoq; sequente 13 April. Flissingæ quidam Ioan. Ianssenus, mercator diues, odio quo dam in Principem Auraicũ instigatus ipsum Principem, & quotquot ei aderant, extinguere conatus est, puluere nitrato in cellario siue hypogæo proximè Principis hospitiũ accenso, postquã hac de re Legatum Regis Hispaniæ in Gallis conuenerat: atque ob id crimen capite truncatur. *Ioan. Ianssen capite truncatur.*

Præterea Gallus quidã, Gottus nomine, præfectus vnius cohortis præsidiariæ in munitione Neusa, cùm à Marchione Rombasio captiuus detineretur, ab eodem sollicitatur, vt aliquid officij, quo se redimat, præstet: quærit num Neusæ propugnaculũ aut vallũ aliquod, vbi cohortem suam habebat, tradere posset: cumq; captiuus id, tanquam sibi nequaquam possibile, recusaret: rogat postremò num aliquid in Principis Auraici vitam moliri vellet: conditionẽ hanc Gallus tandem accipit, promptam misc endi veneni rationem adfert, maxime in iusculo anguillarum maiorum, quibus Principem lubẽter vesci dicebat. Id consilium Marchio mox ex pago Ecloano scripta Epistola Principi Parmensi significat: Princeps susceptionem hanc sibi placere respondet, compẽsandi præstandiq; promissa, potestatem atque auctoritatem dat: captum autem dimittendum prætextu quodam numerandi lytri, monet: itaque Gottus liber dimittitur. menstruo stipendio æneatori numerato. Reuersus Neusam, Gubernatori & reliquis propugnaculorum ac munitionum præfectis conuocatis, rem omnem exponit: atque postmodum fideliter ac strenuè semper se gessit: Mense autem Iulio 1584. cum propugnaculum Lilloanum ab hostibus obsideretur, ipse cum aliis nonnullis præfectis atque stipendiarijs militibus eruptione facta, excubitores Hispanos fugauit, atque strauit: qua dimicatione, in pede vulnus, adeo graue sclopeti glandeaccepit, vt inde animam Antvverpiæ exhalauerit. *Gottus militũ præfectus solertia sua, ne auratum amitteret.*

Huiusmodi insidiarũ ac veneficiorum modis, capitales Principis Auraici hostes: cum viderent sua prudentia tantũ facinus Ducis reconciliatum esse, viro mortem exitiumq; machinati, voti victoriæq; se prorsus compotes futuros reputabant, si impiè ac scelerate incautũ de medio tollerent, quod & anno sequente effecerunt: verùm eius morte parum admodũ lucri aut vtilitatis illis accessit, vt ex ijs quæ post referemus satis constabit. Eodem hoc anno, prima quadragesimalis iciunij die, vesperi sub horam 10. Antvverpiæ Ianus medius, quæ noua burſa vulgo dicitur, exigui ignis flamma incensa fuit, incuria institorum, qui in superiore domus parte ignem negligenter collocarant, atq; custodierant, subitò aũt flamma quæcunq; circumcirca inuadere potuit, ipsas etiam institorum pretiosissimas merces consumpsit: cumque id temporis ciuitas satis adhuc floreret, mox basilica hæc restaurata fuit, idque eò citius atque facilius, quod muri in quadro integri permansissent. *Incendiũ Nouæ burſæ Antverpiæ.*

Diximus supra, Parmensen simul ac Facinus à Duce tentatum Antvverpiæ, & discordiam inter eum & Prouincias ortam intellexisset, Eyndouiam obsidione cinxisse. Cumq; Ordinum Proceres eam liberari summopere cuperent, huius rei causa præcipuè ad incundum cum Duce

Digitized by Google

An. 1583. nouum fœdus impulsi sunt. Pactione itaque principio mensis Aprilis inita, mox militum Heluetiorum, Gallorum, Anglorum, Schotorum copiæ vndique congregatæ, in Brabantiam contendunt sub Tribuno Birone, & primo arcem Vierselam inuadunt: hic Chiliarcha Gardeus rei machinariæ præfectus interijt, tormento quodam æneo disrupto, non sine maximo suorum luctu: sepelitur honorificentissimè in vrbe Antverpiana, post quam longo tempore probè ac strenuè Auraico Principi & Ordinibus Belgicis militasset, varijsque expeditionibus multa cum laude interfuisset.

Parmensis Eyndouia potitur deditione.

Interea nuntia adferuntur de oppidi Eyndouiani deditione, in quo præsidiarij erant Boniuetus, Allinus & Finquerellus cum aliquot Gallicis & Schoticis cohortibus: qui alacriter atque constanter in munienda ac tuenda Eyndouia suas operas collocarant: verùm cum post hostile Ducis inceptum Antverpiæ, Parmensis passim agris potitus, Mansfeldium cum potentissimis copijs misisset, vt Eyndouiam vndique vallaret, ac fossis munitionibusq; cingeret, ne exeundi, intrandi, aut propius accedendi locus pateret; iamq; Mansfeldius commodissimè sua castra collocasset: obsessi post trimestrem obsidionem, inopia atque necessitate vrgente, se dedere coacti fuere, postquam equos, canes, feles vitæ sustentandæ causa comedissent: itaque cum obsessoribus hostibus pacti, arma & sarcinas asportarunt, & cum laude atque honore oppidulo deserto abierunt 23. Aprilis: deinde Parmensis munitiones omnes dirui iussit.

Bironi? VVesamcapit.

Postea Bironius Rosendalam contendit, & arcem VVouvvam optimè munitã, non procul ab vrbe Zomæberga, ditioni Marchionis Bergensis subiectam, quàm 150. Itali præsidiarij & rusticorum caterua custodiebant, obsidione cingit: tormenta propius admoueri iubet, quæ 1500. vicibus explosa, vix mœnia aliqua parte, qua milites impressionem in arcem facere possent, labefactare potuerunt: nihilominus præsidiarij metu perculsi, 10. Maij munitionem dediderũt, ea conditione, vt gladio tantum & pugione armatis exeundi libertas cõcederetur. Huius deditionis causa, præsidij Præfectus proditionis, vt rumor erat, à Parmense insimulatus fuit.

Dieſta à Maſveldio obſeſſa Parmenſi deditur.

Manfveldius Eyndouia capta, interea dum Bironius VVouvvdanam arcẽ oppugnat, Tornhoutum, Hochſtratam, Lœnhoutum & Vierſelam recuperat: inde Dieſtam obſidione cingit: Paulus autem Dœckerus, tribunus vrbi defendendæ præfectus, necdum 12. dies obſeſſam hosti dedidit: nulli hic erant præſidiarij equites, ſed peditum Belgarũ cohortes 4. & Anglorum 2. quę ſimul vix trecentos conficiebant bellatores milites: præterea ciues circiter quingenti, ad pugnã parum animati, rebusq; ſuis diffidẽtes, quandoquidem vno eodemq; anno ſexies à diuerſis hoſtiliter captũ fuerat oppidum: latum enim valde eſt ac ſpatioſum, in ipſo ambitu 750. & amplius complectens decempedas: foſſarum pars vna nullis, alia paucis aquis munita: loricæ & ſæpimẽta murorum humilia: vrbs prorſus rotunda, abſque propugnaculis à latere eminentibus, quibus mœnia defendi poſſent: extra aũt, montes multi, vnde abſq; maioribus tormentis bellicis oppugnandi & expugnandi obſeſſoribus optima cõmoditas. Itaq; ciues animis fracti, longis calamitatibus afflicti, rurſus expugnationem direptionemq; metuentes, ipſum Tribunum Dœckerum ad deditionem ineundam cogunt: Oppidum in hoſtis poteſtatem traditur, ea conditione, vt præſidiarij, ſignis militaribus relictis, armati exirent, & quas portare poſſent, ſarcinas aufferrent: præfecti autem militum ſuas facultates, curribus & equis aliquot euehi curarent: ciues quoque qui vellent ijſdem conditionibus liberè diſcederent. Cumq; vrbe relicta 28. Maij, Borgerhoutum pagũ prope Antverpiam veniſſent, Tribunus Dœckerus apprehenſus in carcerẽ Antverpiæ conijcitur, militesq; omnes, Anglis exceptis, maximo cum dedecore, tanquam militia indigni, exauctorantur. Ipſe verò Dœckerus multorum criminũ accuſatus, vrbis malè munitæ incommodam diſpoſitionem, equitum & peditũ præſidiariorum exiguum numerum, ciuiumque numero & viribus potentiorum maleuolentiam cauſatus, ſe quibuſcunque potuit, modis purgauit, ſuamque apologiam typis edi iuſsit, & tandem è carcere emiſſus eſt.

Castrũ VVeſterloum deditur.

Paulò pòſt Manſueldij copiæ prope VVeſterloum, arcem loco valde munito in Campania Brabantię ad Netham flumen ſitam veniunt: Ruſtici quidam præſidiarijs infenſi vallem hoſti monſtrant, medio ferè miliari diſtantem, in quam aquæ arcẽ ambientes facillimè deriuari poſſent: horum iudicio foſſa defoditur, & aqua omnis ita deducitur, vt ſicco pede ad ipſos vſque arcis muros aditus patuerit: cumq; iam tormentis quaterẽtur mœnia, Vliedtius præſidiariorum præfectus obſeſſori arcem dedidit 5. Iunij: ea de cauſa Antverpiæ captus, grauiter à ciuibus accuſatur: verùm innocentiam ſuam teſtatus, liber euaſit.

Parmenſis caſtra Bironij oppugnat.

Parmenſis, captis aliquot locis munitis, caſtra Ordinum prope Roſendalam inuadere meditatur, quæ Marſchalcus Bironius adeo accuratè munierat, vt hoſtis ea nequaquam ſine ſuo magno malo oppugnare poſſe videretur. Verùm ſimul ac Parmenſis reſciuit parum concordiæ atque diſciplinæ, multum verò diſſidentiæ inter milites Gallos, Anglos & Belgas eſſe, ſtatuit circa 20. Iunij illos hoſtiliter aggredi: idque ſatis fœliciter illi ſucceſſit, cæſis aliquot Anglis, qui aut contemptu aut diffidentia agitati, conſtituto loco manere noluerant: Bironius ipſe in pede læſus. Verùm hic conflictus leuis, neque Ordinibus admodum damnoſus fuit. Parmenſis autem

poſt-

Digitized by Google

postquam sibi rem esse cum veterano, & experto militiæ præfectò videt, discedit: inde Herentalam vrbeculam mense Iulio obsidet; sed cum paulò antè 1600. præsidiarijs, à ciuibus Antverpiensibus munita esset, tempus operamque obsessor perdidit. An. 1583.

Ordinum Belgij res iam magis magisque in peius vergere videbantur, eò quod Ordines generales, qui pòst hostilis Ducis inceptum contra ciuitatem Antverpiensem, Consilium Status, quod Duci assiduo adfuerat, officio dimouerant, iamque tota gubernatio rursus in ipsorum potestatem redierat. Verùm diuersitas sententiarum atq; opinionum, horum quoq; concordiam labefactauit: alij enim Hispanis fauebant, alij Gallis insensi erant ob perspectam eorum perfidiam, alij aliter sentiebant, ita vt alter alterius sententiæ magna cum confusione contradicere audiret: quod quidem Ducem ipsum, qui tunc adhuc Dunkercæ manebat, nequaquam latuit: ad quem postremo missi fuere Delegati cum mandatis parui momenti. Eius autem auctoritas atque existimatio apud populum indies diminuebatur, maximè autem quod Bironius cum suis copijs omnibus exosi, parum aut nihil in Prouinciarum commodum exequeretur: hinc odium atque dissidentia contra Gallos prorsus gliscere cœpit, Hispanorum fautoribus acriter ad hoc instigantibus.

Hac de causa Dux summopere commotus, tristis, & animo æger in Franciam redire statuit, vt Cameracum defendat ac muniat, cui inuadendo vicina hostium præsidia inhiabant, vtq; vrgentibus alijs negotijs prosperitur, & dissidium cum Rege fratre componat. Itaque Dunkercæ familiam, suppellectilem, farcinas nauibus imponi iubet, & inde discedens 28. Iunij Caletũ petit: relicto Dunkercæ Gubernatore D. Chamoysio, cum quingentis circiter præsidiarijs militibus, reliquis copijs eum deducentibus, cum nauibus & nautis fere omnibus. *Dux Brabantiæ & Andegani è Belgio discedit.*

Montignius, Motta & præsidiarij quos Parmẽsis in Flandria habebat, rebus multo ante tempore præparatis Neoportum tunc capere decreuerant, clandestina fœderatorum opera: verùm postquam Ducem discessisse intelligunt, copijs omnibus ocyus collectis, Dunkercã postremo Iunij obsident, portum occupant, & catenis, nauium malis, repagulis & aggeribus claudunt.

Dunkercæ ciuitas Flandriæ, littori maris admodum vicina, sex miliaribus à Caleto, tribus à Greuelinga distat, satis opima almaq; mercatu & piscatu, anno 1558. à Gallis hostibus incendio deformata, nunc autem domibus reædificatis bene instructa, sed contra hostiles insultus parum munita, quia montibus arenarijs cincta est: hic multi confluentes riui in mare concurrunt, portumque efficiunt, qui magnas naues non admittit: nam defluxu marino aquis plerunque destituitur. *Dunkercæ ciuitatis descriptio.*

Montignius & Mottæus, cum exercitu circiter 3000. militum Dunkerckam ex improuiso (præcipuis ciuibus nauti, alijsque incolis tunc absentibus) aggrediuntur, & mox arctè adeo vndique obsident, vt præsidiarij Vinoxbergæ, quæ vrbecula vno tantum miliari inde distat, intrare nequaquã potuerint. Obsessores autem eo audacius obsidionem fecerunt, quod certò scirent, dissidentiam & odium in Ducem Andegauensem & Gallos, subsidium omne perturbatura atque impeditura. Neque profectò id eos fefellit. Nam cum Princeps Auraicus, & Ordines generales, nauibus apparatis, Marschalcũ Birònium cum Heluetticis & Gallicis copijs eo mittere vellent, duobus Flandriæ membris, nempe Brugensibus & Franconatibus id imprimis postcentibus: Gandauenses instinctu noui Gubernatoris Flandriæ Principis Chymaij, cùm iam Hispanorum fautores in vrbe Gandauensi potentiores essent, id permittere recusant, noluntque eos militum suorum copijs adiuuari, postquam Ducem Andegauensem libera conscientia recipere non possent: tanta scilicet religio tunc Gandauensium animos inuaserat, qui tamen primi & seruentissimi omnium, Andegauensem in Dominum & Principem acceperant. Hac adeo iniqua Gandauensium recusatione permoti Brugenses & alij, petunt vt Byronius cum suis copis, prope Neoportum veniat, & reliquam Flandriæ occidentalis partem tueatur: atque huius rei causa, sine mora, panes passim in commeatum alimoniamque exercitus coquuntur, aggeres etiam & valla ante Neoportum fodiuntur: Deputati Ordinum ita decernentibus, vtpotè qui reputabãt, exercitum Dunkerckæ obsessorem, qui ante Parmensis aduentum tantummodo tria hominum millia continebat, Byronio propius accedente nequaquã ibi permansurum: quouis enim æstu marino crescente, in tria diuersa loca segregari cogebantur. Verùm cùm Gandauenses palàm protestarentur, se fœdus societatemque rupturos, si hi milites extranei auxilio assumantur, neq; vllos Gallos in Flandria manere permitterent; Auraicus hac eorum perspecta pertinacia, maiorem confusionem veritus, statuit viginti cohortes militũ indigenarum in Flandriam mittere, quorum opera reliquæ ciuitates seruari queant: verùm hæc tardius incepta, & à Principe Chymaio atque Gandauensibus impedita fuere. *Gandauẽsium Chymaij culpâ deditur Dunkercka Parmensi.*

Interea Parmensis ab obsidione Herentalsi desistit, & Dunkerckam cum omni suo exercitu petit, atque totis viribus hostiliter impetit. Chamoysius obsessæ vrbis Gubernator, postquam nulla subsidij spes appareret, & ciues quos antea duriter tractarat, infestè se erga Gallos gererẽt, neque vlterius resistere posset, cum Parmense pacisci tur 16. Iulij: ipse & sui gladijs & pugioni- *Dunkercka dedition.*

Digitized by Google

An. 1583. bus accincti vrbe exeunt. Parmensis hac maritima ciuitate potitus, eam præsidio Hispanico munit: quæ plurimum huius belli tempore commodi attulit: nam minores aliquot bellicæ naues, inde in mare mox destinabantur, quæ opima spolia, naues, merces varias, cõmeatum aliaque necessaria aduexerunt, Zelandis id impedire frustra conantibus, qui ventis subinde aduersè spirantibus, prope portum maioribus suis nauibus præsidiarijs consistere difficulter poterant.

Neoportæ capis Parmẽsis. Dunkercka superata, Parmensis cum suo exercitu Neoportum obsidet, & mox deditione capit: vnde quidem suspicio nata, Ordines Flandriæ & alios clandestinũ fœdus cum eo inijsse.

Interea Auraicus Princeps, Ostendam ciuitatem ad mare sitam præsidijs & cõmeatu munit. Hanc Parmensis deinde suo exercitu cingit, & vicapere molitur, verùm tandẽ aliquot suorum cœsis, cum obsessos fortes & optimè munitos videt, re infecta discedit: & Vuerna atq; Dixmuda duobus oppidulis mediterraneis, sine aliqua difficultate potitur. *Vuerna & Dixmuda potitur Parmensis.*

Iubet & Vinochibergas obsideri. Hicrẽm præsidiarij Galli strenuè ac fideliter diu hosti restitissent, & iam res Belgicas omnino labefactari viderent, nulla subsidij spe apparente, deditionem faciunt, stipendijs antea meritis à Parmensi solutis, atque ita sine ignominia abeunt.

Ipera obsidetur. Ipera quoque, vna quatuor metropolitanarum Flandriæ vrbium, Parmensis iussu validis, tam equitum quam peditum copijs cingitur, aggeribus, vallis, & ciuibus bonis, præterea præsidiarijs peditibus circiter quingentis satis munita: ita vt hæc obsidio longa & difficilis hostibus fuerit: de qua post dicturi.

Meningã deserunt præsidiarij. Brugensibus res secundæ Parmensis, tunc temporis metum incussêre: persuasi autem, consultissimum esse vrbem Meningam incustoditã relinquere, & Schoticum præsidium, quod Brugensium stipendia mercbat, inde euocare & vrbis Brugensis defensioni applicare, facilè permiserunt: id verò præcipuè factum fuit instinctu Principis Chymaij, qui inprimis studebat, vt suæ facultates commodè in Regis potestatem tradi possent: ab eo enim tempore astutè machinari cœpit ea quæ post re ipsa præstitit.

Belgicis rebus ita perturbatis, fortunaque aduersante, populi ingens murmur contra Proceres suboritur, vt plerunque tempore nubilo & infausto fieri solet: idque inprimis Hispanorum fautores actitabant. Antverpiæ præterea turbæ populares excitatæ: cùm ciuibus callidè persuaderetur, Principem Auraicum decreuisse arcis Antverpianæ aream Gallis occupandã dare, atque ea de causa planiciem vallis & aggeribus muniri: quod quidem aliquo modo verisimile plurimis videbatur: nam tum temporis plani campi limites fossis quibusdam distinguebantur, locaque ædificijs construendis destinata plateis designatis limitabãtur: hinc subitò orta seditio, ad arma conclamatur, plebs armata arcem versus contendit: & quanquam in ipsa area præsentes rem, vt erat, ante oculos viderent, tantus tamen quorundam fuit furor, vt Principem prouocarent, maledictis lacesserent, & proditorem exclamarent, vtpotè qui Gallos introducere machinaretur. Rumore sedato, Princeps, quod immeritus falsò & malitiosè incusatus esset, & Magistratus in seditiosos animaduertere non auderet: (iam enim vulgus effrenatam ferociam animis cõceperat, minasque iactabat) paulò post 22. Iulij Antverpia in Zelandiam cum aulica sua familia profectus est, quo Ordine generales Prouinciarum, quibus adesse debebat, conuocati erant. Ante abitum, scriptam normam ciuibus, ad quam se dirigerent, dedit: & in proximum annum, Aldegondium Consulem designauit, quem recusantem Prætoris, siue Marchionis dignitate ornare cupiebat, tali tantoque viro totius Brabantiæ rebus prospicere satagens.

Byronius, Hainutij & Galli è Belgio abeunt. Postquam Auraicus in Zelandiam appulit, petijt vt Prouinciarum consensu Heluetij & reliqui Galli quibus Byronius in Belgio præerat, manere possent: verùm id frustra fuit: nam populus nimiam de Gallis diffidentiam conceperat, quamuis oppida quædam, inprimis Bruxella & alia hosti maximè vicina, obsidionemque metuentia, libentissimè annuissent: verùm vt discederent decretum fuit: deducuntur itaque vsque in Insulam Bier-vlietam: hic naues conscendit Byronius cum suis copijs 27. Augusti, & Franciam versus tendens, ad Ducem Andegauẽsem, qui prope Cameracum rursus milites colligebat, venit: hinc factum, vt Parmensis suos limites fortissimis præsidijs muniri iusserit. Cameracenses enim crebris eruptionibus Hannoniam & Artesiam infestabant: Bruxellenses quoque præsidiarij Branam-Conteam, & alia Hannoniæ loca spoliabant. Comes Hohenloius multa Brabantiæ loca incendijs interea vexat, & præsidijs Herentalenses VVerdam vrbeculam Leodiensis diœcesis diripiunt. Parmensis milites Bredæ in præsidijs collocati, vrbeculam Steenbergam in Brabantia scalis conscendunt & capiunt: hæc autem capta parum commoda eis fuit: aggeres enim ab aduersarijs perfossi, & naues præsidiariæ agendis excubijs ante portum collocatæ, ne quid damni excurrendo inferrent, impedierunt: attamen multoties pyraticam exercuerunt.

ARGV-

POST discessum Galli, Ducis Brabantiæ, Ordines inter se de Reipublicæ administratione deliberant. Interea Zutphania à Taxio occupatur. Acre bellum in Archiepiscopatu Colonienſi. Himbisius redit Gandauum. Regio Wæstenſis & Aloſtum hosti produntur. Hinc Gandenſes & Brugenſes de reconciliatione agere cœperunt. Hymbisius dum Teneramondam hosti tradere conatur, apprehenditur, & capite plectitur. Ypera obsessa opprimitur. Brugę cum Parmenſi conueniunt. Zutphania diu ab Hohenloo, sed frustra obsidetur. Publicis edictis cauetur, ne commeatus ad Prouincias Regi parentes vehatur. Gallicus Dux Brabantiæ moritur. Auraicus sclopeto traijcitur à Balthasaro Gerarts, qui mortis supplicio afficitur. Auraici mors publicè lugetur, eius corpus honorificè sepelitur, ei succedit in gubernatione filius Mauritius. Parmenſis munimenta & valla ad Schaldim occupat. Lilloum frustra obsidet, Ripamq; passim præsidijs munit. Teneramondam & Viluordam expugnat. Gandenſes se Parmenſi dedunt, qui arcem ibi restaurat, apparatus facit, vt Schaldis fluuij transitum intercludat, in eum finem pōtem ex nauibus compositum in eo struit, & Valla multa in Ripa fluminis erigit. Antwerpienſes sub Aldegondio se tuentur, sed valde confuse. Parmenſis pacem illis proponit, ad quam vbi respōdissent, ille rursum instituit, Prouinciæ Belgicę deliberatione inter se habita, concludunt, vt Regi Franciæ se submittant, ad quem ea causa Legatos mittunt. Quos benignè quidem Rex audiuit, sed superuenientibus tum Coniuratorum & Hiſpanizatorum turbis, vnde bellum ciuile renatum, Rex honestè se illis excusauit. Hinc cum Anglia tractandum statuunt. Neomagum in Parmenſis cadit potestatem, eandem fortunam sequutę sunt Bruxellæ & Machlinia. Rerum penuria coactæ, accensæ naues, alięq; mirę inuentionis machinę excogitantur & adhibentur ad effringendum pontem à Parmenſi in Schaldi constructum. Aditus vnus ex reliquis in aggere dicto Couwenſteynſchedick occupatur, sed cum multo sanguine rursum amittitur. Quare Antwerpienſibus animus cecidit, & de pace cogitare cœperunt, tandem præſti frumenti penuria, & ſpem auxilij reliquam non videntes, bonis conditionibus cum hoste transigunt, atque ita Parmenſis triumphans in vrbem est ingressus, vbi arcem restaurat. Leges de Valore monetæ fecit, declaratio seu tabula cursus monetæ per centum annos. Hæc facta sunt 2. annorum spatio, sub Parmenſi, & Auraico eiusque filio.

LIBER DVODECIMVS.

LIBRO superiore latè satis egimus de Ducis Andegaui, & Brabantiæ gubernatione, & de eiusdem ex Belgio discessione post hostile contra Antverpiam & alias vrbes inceptum, vnde multarum ciuitatū excidium & vastitas exorta: addidimus præterea, quomodo Gallicus exercitus Belgium exire coactus fuerit, & alia insuper multa.

Ordines conſultant de gubernatione Prouinciarū Belgij.

Anno 1583. menſe Augu. conuentus panegyricus Middelburgi in Zelandia celebratus: hic conſultatum de Prouinciarum gubernatione, & disceptatum est ete Dux recipiendus. Ducis Legatus Despruneaux reconciliationis argumenta quędam proponit: inter alia allegat Ducem nunc Regis Galliarum generalem esse vicarium, locaque omnia munita in sua habere potestate, & commoditatem optimam habere in hoc statu eos adiuuandi: nequaquā autem renuntiaturum, aut è manibus dimissurum, quod suum sibique datum esset. Hæc & alia multa his similia effatur, magnificaque promittens, minarum etiam aliquid addit.

Dux multa promittit, & minatur.

In hoc conuentu quoque commemoratur, Ducis opera ac studio, hostilibus per quatuordecim menses continuos, ante Cameracum multum difficultatis & molestiæ exhibitum fuisse: præterea Parmenſem, præterita æstate, potentiore quam vnquam antea exercitu instructum, Ducis validiſſimis copijs, clauſa vrbe Cameracenſi, tanta angustia pressum inediaque fuisse cōfectum, vt morbo, egestate & miseria attenuati, oneratique milites nihil bellando præstare

Digitized by Google

potuerint. Lochemum quoque Ducis obsidione exemptum: multaque insuper alia. An. 1584.

Operæ pretium autem esse, exactè perpendere, quibus periculis Belgæ se exponant, si Ducem repudient, maximè cum reliqtis Gallorum auxiliis, exiguum militum numerum habeant, neq; ordinem aliquem rerum gerendarum constituerint.

Quod si Ducis indignationem incurrant, metuendum, ne Regem Ducis fratrem, mox hostem habeant: qui si vires suas contra eos exserat, procul dubio actum esse de negotiatione & cõmercijs: quin & facultas omnis cogendæ pecuniæ bello necessariæ adimetur, periculumque erit, ne à duobus Christiani orbis potentissimis Regibus, eorumque fœderatis oppugnentur, Germanos eis subueniendi animum propẽsum nequaquam habituros, ob Archiducem Mathiam parum honestè dimissum. Reginam quoque Angliæ iam satis indicasse, sibi nequaquam placere, Ducem à Prouincijs recusari. Nullum denique Monarcham aut Principem in hoc rerum perturbato statu, onus Prouincias protegendi suscepturum.

Præterea Ducis delicta hic quoque excusantur & diluuntur: cùm talia etiam sæpe sapientissimis & mansuetissimis Principib. euenerint, exemplo esse optimos quondam Burgundiæ Duces, & Maximilianum Imperatorem.

Demonstratur insuper, non tantum propter Prouinciarum diuersitatem, quæ plerunque aliæ alijs commoditatem, quæstum, negotiationem & nauigationem præripere conantur; quod quidem non tantum Prouinciæ; sed & ciuitates lucri causa faciunt: sed & propter potentes Reges & Principes Belgij vicinos, Prouincijs vtilissimum fore, concordiæ constituan le causa, Monarchiam instituere, eamque certis legibus limitatam, contractam & restrictam contra tyrannidem & violentum imperium: quibus accedant pactiones & lætitroitus, quales pactum Burdegalense continet, quo receptus & inauguratus Dux fuerat: his Ordinum Proceres, quas volent conditiones & cautiones addant: præsidia Gallica recusent: vt Consilium Status è fidelibus & prudentibus proceribus, & Ducis Aula ex indigenis constituatur, condicant: atq; hæc omnia legitimis iustissimisque rationibus proponant, quod hactenus factum non est. Regẽ Galliarum, Ducis fratrem, facilè cò perduci posse, vt aperto bello contra Hispaniam eis opem ferat, vnde bello finis breui imponatur. Quod vt Rex libentius præstet (quando quidem frater pro fratre, absque lucri spe, difficulter tam arduum & periculosum onus suscipiat) haud inconsultum videri, cum Rege ea lege pacisci, vt si Dux legitima prole nulla relicta moriatur, Prouinciæ Regi tanquam hæreditariæ obueniant, idque conditionibus in pactione Burdegalensi præscriptis, & alijs ab Ordinum proceribus consultò addendis, quibus Religioni, priuilegijs, libertati, & commodo Prouinciarum caueatur atque prospiciatur.

Monetæ illicitæ fuisse ob Prouincias.

Belgii vicef. fuisse ob Prouincias.

Pactum Burdegalense.

Postquam hæc in medium prolata fuêre, mox apparuit, Prouincias parum in Ducem esse propensas. Flandris, maximè Gandauensibus, quocunque modo resistentibus, qui tamẽ primi præcipuique Ducem introduxerant. Post indignum enim facinus à Duce perpetratum, clancularij Hispanorum fautores gratia & auctoritate pollêre incæperant. quorum coryphæi aliquot à Principe Auraico notati, & vt pecuniarum administratarum rationem redderent, vocati fuerant: per quos, sicut supra diximus, steterat, quo minus Dunkercka, & alijs oppidis Flandriæ subsidium ferri potuerit: quærebãt enim ansam & opportunitatem deficiendi à reliquis fœderatis, & populum ad reconciliationem cum Hispanis pertrahendi, iamque auctoritatẽ & potestatem omnem quam poterant, suæ factionis hominibus tribuebant: & vt huius panegyrici cõuentus decreta actaque impediret, significabant se mississe ad Principes Germaniæ, à quibus certè auxilia exspectarent: proinde dimittere suos milites: quod vt reliqui Ordines comprobare & permittere, seque socios addere velint, postulabant. Huius rei causa mittitur Doctor D. Iunius, vt Flandrorum legatos iuuet in hac legatione: verùm quia tantum vt populo imponerent, suos legatos miserant (quod tandem liquido satis patuit & ipse Princeps Chymaius postea iactanter gloriatus est) neque pecuniam obtulerant, decretum fuit Ordinum consilio alios legatos ad Casimirum mittere, qui ei offerrent, si bello in diœcesi Colonienſi, cui tunc agmina apparabat, finito, vltra Rhenum exercitum ducere vellet, quinquaginta florenorum millia in singulos menses: & quatuor naues præsidiarias maiores, & duas minores, easque militibus & cõmeatu benè instructas, simul ac in Colonienſis Episcopat' ditiones venerit, idque quatuor cõtinuis mensibus: postquam autem Mosam cum suo exercitu traiecerit, centum quinquaginta florenorum millia in singulos mẽses numeraturos: & mille equites lancearios, & bis mille sclopetarios insuper missuros: Verùm hæc omnia frustra: Gandauensibus præcipuè obstantibus, vt post sumus dicturi.

Prouincie Belgice pars in Ducem propense.

Ordines Belgij ad Casim. rum legatos mittunt.

Itaq; parum hic de generalium Prouinciarum gubernatione constitutum fuit: quandoquidem reliquas Prouincias suspicio quædam inuaserat ob Flandrorum oppositionem, & Geldrorum, Vltraiectensium, Transisulanorumque absentiam. Proinde comitia rursus edicuntur Dordraci. Hic decernitur (quia Steenberga capta, Brabantiæ, Hollandiæ & Zelandiæ periculum imminebat) vt vrbs Somerberga præsidio bis mille peditum, & duarum turmarum equestrium

Digitized by Google

An. 1583. ſtrium muniatur: has præſidiariorum copias ſingulis menſibus triginta quinque florenorum millibus conſtitutas: Hollandi autem & Zelandi viginti millia, reliqua Brabanti ſoluant. Herentalæ præſidiarij collocentur mille & ducenti pedites, ducenti equites: atq; ita bellum defenſiuum gerendum decernunt. Actum quoque hic de conſeruanda Bruxella & Machlinia: & qua ratione ſumptus onerāque æqualiter ferri & exſolui poſſent.

Zutphania capitur. Interea Ioannes Baptiſta Taxius militiæ Parmenſis Tribunus, Zutphaniam 23 Septemb. aſtutia militari capit. Nocte enim propè vrbis quandam portam deducti milites è latebris erumpunt, portam inuadunt occupantque, donec ſociæ, quas exſpectabant, copię aduenunt: itaque iunctis viribus ciuitatem diripiunt, redemptionesque ciuibus extorquent. Hollandi hoſtium excurſiones & exactiones violentas in Veluam, & agros vicinos impedire conantur, propugnaculum vltra Iſalam conſtruunt: id verò præſidiarij inundantibus aquis obruti, relinquere coguntur: Hiſpani autem ſimul ac aquæ reſiderunt, rebellum occupant. & inde in Veluam veniũt, maximo ruricolarum damno Hollandi propugnaculum recuperare ſæpius fruſtrà conati, tandem circumiacentia loca fortiſſimis præſidijs muniunt, atque hoc modo Zutphaniam obſidione cingunt.

Otterdamum in agro Groningenſi, capitur & munitur. In agro Groningenſi D. Nienortus & Aſingus Entiſſenius Feruſum & Otterdamũ ad Amiſium amnem menſe Octobri capiunt, Otterdamum vallis & præſidijs muniunt: aggeres perfodiunt, vt Groningenſes anguſtijs premant. Reedam verò tormentis bellicis fruſtra quatiunt.

Comes Bergenſis proditionis arguitur, & miſſus cum Hiſpanis ſe iungit. Menſe Nouembri Comes Bergenſis cum vxore, prolibus & Thoma Grammayo quem à ſecretis habebat, capitur Arnhemij, & conſpirationis arcanique fœderis cum hoſte, palam accuſatur: cuius quidem criminis quoſdam ſuorum famulorum reos tandem compertum fuit, diſcordia inter ſuam vxorem & Principem Auraicum vxoris fratrem gliſcente. Ipſe Comes è captiuitate dimiſſus, paulò pòſt apertè Regis Philippi partes fouit: filij quoque fœderi & militiæ Hiſpanorum ſe dediderunt.

Circa id tempus rumor de poſſeſſione Comitatuum Hollandiæ & Zelandiæ, Principi Auraico tradenda, & reliquis Prouincijs in dominium alicuius præpotentis, & probi Herois træſferendis ſpargebatur: vt hac ratione ſimul omnes Belgij Prouincię protegi queant: verùm quia Principis Auraici vires & opes ſufficere nequaquam poſſe videbantur, tot res non ſucceſſit: quāquam plurimi Principi faucrent, cò quod optimè de Prouincijs meritus, ſe, vitam, facultates & amicos extremis periculis expoſuiſſet. Irritis horum votis, paulò pòſt generali conſilio ac conſenſu mittuntur in Franciam D. Moullerius, & D. Ioannes Aſſelierſius menſe Decembri, qui Regis Galliarum & fratris animos concilient.

Bellum Colonienſe. Eodem anno turbata eſt bello Diœceſis Colonienſis. Cùm enim Gebhardus Truckſeſius, Princeps Elector, vxorem Agnetam duxiſſet ex nobili Manſfeldiorum ſtemmate, & nihilominus Epiſcopatum Colonienſem ſibi retinere vellet, pacem Religionis quoque permiſiſſet, & Bonnam vrbem in ſui defenſionem muniuiſſet, Capitulum Colonienſe vel Canonici Cathedrales auxilijs Papæ & Imperatoris freti. Truckſeſio excõmunicato & Epiſcopatu dimoto, Erneſtum Ducis Bauariæ filium, Epiſcopum Leodienſem, in Archiepiſcopum Colonienſem eligunt: Fridericus Saxonię Dux, Canonicus, & alij quidã Capitulares oppida & loca munita multã capiunt: bellum vtrinq; apparatur, prælijs ſæpè dimicatur, Colonienſis Diœceſis miſerè vaſtatur: Venit & Caſimirus cum ſuo exercitu, ſed parum præſtat. Comes Meurſius Berckam, Ordingenam & alia loca occupat pro Truckſeſio, qui ea mox muniri iubet, Bauaris obſeſſa vrbs Bonna deditur, ſeditione inter præſidiarios orta: quibus quatuor Dalerorũ millia numerantur: & prætextu quodam banni ſiue proſcriptionis imperialis, in hoſtium manus Carolum Truckſeſium, Gebhardi Principis Electoris fratrem, tribunum vrbi defendendæ præfectum, ſui milites tradunt. Tandem Truckſeſius Princeps Elector, ditionibus ſuis ferè omnibus ab hoſte expulſus, anno ſequente, 20. Aprilis Delphas Hollandię oppidum appulit, atque hic cum fœderatis Prouincijs fœdus iniit. De bello Colonienſi, ab aliis copioſè ſcripto, hic plura referre, operę pretium non videtur. Ita etiam præterimus illa omnia quæ acta, negociata & attentata fuerunt in Ciuitatem imperialẽ Aquiſgranum, vbi quam plurimi Belgij profugi ſecretè, annuente Magiſtratu exercitiũ Reformatæ Religionis habuerunt: quod nec Pontifex, nec Imperator & Rex tunc temporis impedire potuerunt, ſed diſtulerunt tantundem ad tempus opportunius, vt non ſolum Aquiſgranum, ſed etiam ciuitatibus vicinioribus, vtpotè Coloniæ, Emdæ, Veſaliæ & alijs locis poſſint præſcribere, ſine quibus vnquam abſolutam obedientiam & reſtaurationem Catholicam Religionis, in illis regionibus peruenire omnino deſperabant.

Bellum Antonij Regis Portugalliæ, in inſula Aſſoris. Legat Lector in alijs Hiſtorijs bella quæ Antonius Portugalliæ Rex in inſulis Aſſoris geſſit, quò Philippus Strozzius, à Galliarum Regis matre miſſus, ſumma cum Infamia à reliquis ſuis nauibus derelictus, & Marchione Sanctę Crucis prælio nauali ſuperatus, & cæſus fuit cum Conneſtabilio Portugalliæ Comite Vimioſo, &c. Anno ſequente dictus Marchio inſulam Terceram Regi Antonio adẽmit, maxima Gallorum & Luſitanorum clade. Inde Antonius in Gallias profugit, &

fugit, & bello hic rursus orto, in Angliam venit, cui Angliæ Regina viginta florenorum millia annuè, ad vitæ sustentationē suppeditat: filius Emanuel in Hollandiam appulit, & cum Hollandiæ Ordinibus pactum iniit. An. 1583.

Hispanorum fautores atque amici, in Flandria de quibus supra diximus, post inquum facinus à Duce perpetratum, passim incipiunt, Chymaio gubernatore & coryphæo, rerum potiri, imperium sibi assumere, partem aduersam reprimere, milites & præsidiarios dimittere: vtque sine suspicione incepta promoueant, multa de Ducis Casimiri aduentu, & auxilio in vulgus spargunt: cumque gubernatio, Gandaui magis quàm alibi, præcipuè penes populum longa consuetudine sit, quotcunq; possunt suæ factionis homines administrationi Reipublicæ præficiunt: vtque totius populi fauorem consequantur, Ioannem Imbysium, virum Gallis maximè infestum, & Principi Auraico inimicum ab exilio reuocant: qui ob Rempublicam in Flandria male administratā relegatus fuerat, & vt fama spargebatur, cùm in Comitis Palatini ditione degeret, in vrbe quadam non procul à Rheno, cum Groppero, de pactione cum hoste ineunda, communicauerat. Traduntque præterea in manus Seruatij Steelandi, Baliui sue præfecti regionis V Vastiæ, omnes totius V Vastię munitiones & arces: eidem potestatem dant exactiones è ruricolis extorquendi, milites conscribendi, & vrbem Gandauensem, absq; tintinnabuli pulsu consueto, intrandi. tres quoque naues præsidiarias in Schalde flumine instruendi. *Ioannes Imbysius ab exilio reuocatur.* *Seruatius Steelandus aliarumV Vastiarum Parmensi tradit.*

Cumq; sub finem Octobris, Principis Parmensis iussu, statio naualis Gandauiæ (stium nempè aluei vulgò ϶as/ quondam à Gandauensibus fossi, vnde suas naues in Hontum aut Schaldim, & inde in mare prouehunt) esset occupata: mox Steelandi opera clancularia, duæ vrbeculæ vicinæ, Axela & Hulsta, capiuntur: & 28. eiusdem mensis die, Stelando procurante, introitus in castrum Rupelmondanum ad Schaldim propè Antverpiam, patuit. Cumq; Parmensis, V Vastia regione potitus, Deynsam & alia quædam loca munire curaret, Steenlandus tres naues præsidiarias, quibus præerat, Parmensi dedere machinatur: verùm nautæ & præsidiarij, quorum plurimi ciues Antverpiani erant, ab eo deficiunt, & contra Antverpiam, Hollandiam, Zelandiam belligerare detrectant.

Aduerso hoc casu Antverpienses perturbati, eò quod libera nauigatio per amnem eis impediretur, mox aduectis tormentis bellicis Rupelmondam recuperare conantur, sed frustra: mox quoque aggeres vicinos perfodiunt, flumine totis agris Borchtum & Calloum vsque stagnantibus: Borchti propugnaculum construunt: & traiectum Flandriæ è regione Antverpianæ vrbis muniunt, in quos sumptus consilio & consensu generali publicoque ciuitatis, trecenta florenorum millia cogenda decernuntur.

Comes Hohenlous cum nouendecim militum cohortibus in Flandriam venit, & Neusæ, ex oppolito Zelandiæ, munitissimum propugnaculum, quo amnem tueatur, struit: vnde crebra excursione hostem in Flandria lacessit, aggeres quoq; diffluentibus aquis, demoliturpluraautem conanti, Princeps Chymaius summa astutia & simulatione resistit. *Neusæ propugnaculum Comitis Hohenloi opera extructum.*

Aliquot eorum qui ciuitati Gandauēti tunc præerant, Alostum oppidum, Parmensi in potestatem tradere, & Anglos præsidiarios inde elicere, prætextu indigenas introducendi, machinabantur: verùm Angli stipendij solutionem tumultuoso clamore ab eis exigunt.

Conantur & ijdem Teneramondam Parmensi subijcere, atque huius rei causa 27. Octobr. legatos mittunt D. Iustum Triestum, Antonium Heymannum senatorem, & Iacobum Somerum syndicum ciuitatis Gandauensis, vt Ryhouium vrbis Teneramondæ gubernatorem sio officio dimoueant. Ryhouius autem qui tunc Gandaui erat, simul ac id resciscit, statim equo consenso Legatos præuertere festinat: porta qua exitum destinarat, clausa, per vrbis muros elabi meditans, vtque locum commodum inueniat circumequitans, fortè fortuna videt portam Muyanam pessulo tantum clausam: per quam festinato euadit, Teneramondam venit, Legatos apprehendit, literas & commentarios captiuis eripit: atque hoc modo vrbs tunc temporis seruatur. Somerus captiuus in maximo suspendij periculo versatur.

Eo ipso die Ioannes Imbysius Gandauum venit, consul factus auctoritatem potestatemq; plenam accipit, hic spei populi Gandauensis satisfacere volens, Adolpho Meetkerckio iuuante, cum ingentes turbæ orirentur, viginti & vltra Hispanorum fautores, & tumultuantis vulgi rectores atque instigatores, quibus V Vastanæ regionis deditio imputabatur, apprehendi curat: inter quos fuere præcipui D. Bockeleus, Carolus Rymus; D. Philippus Corteuillus, Blaserius fluminum præfectus: verùm hi paulatim Imbysio Consuli reconciliantur opera D. Champignij, qui tunc Gandaui captiuus seruabatur, vinculis liberantur. Ad Ryhouium quoque Teneramondæ gubernatorem mittuntur literæ, vt tres captiuos, de quibus diximus dimittat, verùm Ryhouius id facere recusat. *Imbysius Gandauum venit.*

Tandem cum nulla ex Germania auxilij spes à Casimiro appareret, iamque liquidò satis constaret, eum neque à Flandris vocatum, neque eis auxilium ab eo promissum: neque effici ea commode posse quæ Ordines generales obtulerant; Hispanorum amici Imbysium in suas partes facilè

Digitized by Google

An. 1583. tes facilè pertrahunt, odio quodam in Gallos & in Principem Auraicum: iraque ope Principis Chymaij Flandriæ gubernatoris, qui se administrationi ingesserat, Brugis residentis primo quidem tecte, postea verò apertè de reconciliatione & pactione cum Hispanorum Rege, agunt.

Anglisedi-tiosi Aloſtum vendunt.

Præsidiarijs Aloſtensibus ob non ſolutа ſtipendia tumultuantibus, mercedem quam ſoluere tenebantur, recuſant Gandauenſes: miſereſque extremum famem pati cogunt: metum quoque incutiunt minando, niſi exeant, non defuturos, qui vi eos vrbe expellant. Poſtremò præſidiariorum maxima pars, qui Angli erant, & penurиam pati nequaquam aſſueti, hoſtium perſuaſionibus aures præbent, antequam Ioannes Nortiſius tribunus, cum proceribus Ordinum generalium de ſatisfactione tranſigere poſſet: importunè enim & tardè de ea re agi cœperat: itaque ſtipendiarijs Belgis, qui vnà in præſidijs erant, expulſis, Anglorum præfecti Pygotus, Vincentius, Taylerus, VVeltzius & alij pactū cum hoſte ineunt de tradenda vrbe, ſi circiter triginta coronatorum millia, quæ pro ſtipendio ipſis debebantur, numerent: reliquis itaque cohortibus, vt conſentiant, pellectis, pecunia numeratur, & Aloſtum oppidum ineunte, menſe Decembri deditur: mox VValones intromittuntur: Angli plurimi ſe Parmenſi addicunt, Eeckloum veniunt, & exercitui Hiſpanico ſe iungunt: verùm maxima pars inde ſubterfugit, eò quod eis fides non haberetur.

Princeps Parmenſis poſtquam Eeckloæ caſtra, quibus Gandauenſi & Brugenſi vrbi minabatur, collocauit, & Iperam obſidione cinxit: Hiſpanicæ factioni ſtudioſis Gandaui & Brugis anſam dedit, audacius reconciliationem promouendi, & ab alijs Prouincijs deficiendi: atque ea de cauſa tum editi fuere libelli, tanquam à Religionis reformatæ coryphæis editi, quibus populo perſuaderetur, Regem nunc multò clementiorem & prudentiorem factum, atque experientia doctum, vi & rigore nihil promoueri poſſe, facile proinde Religionis Reformatę exercitium admiſſurum. Hæc & alia ſimilia his libellis contenta veriſimilia videbantur plurimis, maximè cùm Gandaui à Boucleo, Bucluyto, Imbyſio, & Brugis à Chymaio rumor ſpargeretur, reconciliationem & pacem offerri, non Hiſpanorum nutu aut voto, ſed Arteſianorum & Hannonienſium cum quibus fœdus inirent, & Religionis exercitium obtinerent, vnanimi cõſenſu. His aliſque perſuaſionibus inducti, Antvverpiam, Bruxellas, & ad alias vrbes legatos mittunt, literiſque 9. Martij Gandaui ſcriptis, ſignificant ſe coactos iam incepiſſe, cum hoſte de pace agere, atque huius ergò commeatum tutum iterque ſecurum poſtulaſſe atque impetraſſe: teſtificari autem palam, ſe ſingulatim nihil tractaturos, neque pacem inituros, niſi generalis Prouinciarum accedat conſenſus, & Religionis ſinceræ exercitia, Prouinciarumque Priuilegia ſeruentur.

Gandauenſes & Brugenſes de pace & reconciliatione agere inci-piunt.

Ad hæc Ordines generales vna cum ciuitate Antvverpienſe & Bruxellenſe reſpondent, & typis edunt, huiuſmodi pactionem damnoſam ac doloſam eſſe: ſeq; de dolo ſatis præmonitos: Præterea, Regem nullo modo id quod putabant conceſſurum: proinde vt generalitatis ſocij & fœderati permanere velint, rogant.

Imbyſius Teneramondam Montigio-o tradere machinatur.

Interea Montignius VVetteræ, inter Teneramondam & Gandauum Schaldim obſtruit, & vtrinque propugnaculis conſectis, tranſitum nauigationemque impedit: quæ res Pacificationem ſummoperè promouit: nam Gandauenſes inducijs cum hoſte pactis, Legatos Tornacum mittunt: maioriſque ſecuritatis cauſa ſtrategus quidam Hiſpanus Sigura nomine, Gandauum venit, qui tanquam obſes ab Imbyſio Conſule hoſpitio excipitur: venit etiam eò Manuynus Oudeuardæ Gubernator: hi ope D. Champignij tunc adhuc captiui, eo negotium perducunt, vt Imbyſius nautarum præfecto 24. Martij auſus fuerit iniungere, vt minoribus quibuſdam nauibus & pontonibus ſcalas, perticas, tigna, plancas abiegnas & crates imponi, & in Schaldim tranſvehi curet: quod cum factu difficile eſſet, & multi machinationem perſentiſcerent, ſenatorum etiam quidam obſtarent, maximè ob populi ſuſpicionem: ipſe Imbyſius reſpondit; nauibus opus eſſe, ſe ſcire quid ſibi ſit agendum, multum hinc commodi, acceſſurum ciuitati: populo aut hæc indignè ferente, naues ea nocte retentæ aueli non potuerunt: poſtridiè ſenatores in baſilicam conueniunt: cumque hac de re diſceptaretur, feſtinanter Imbyſius præcipuam ſuam cohortem eo venire, ipſamque baſilicam ſiue domum ſenatoriam militibus cingi, catenas quoq; tendi iubet: mox quidam è Baſilica proſiliens, cohortis ſatelliti bipennè è manibus extorquet, ciueſque ad arma vocat: tum populus, enſibus, pugionibus & quibus promptiſſimè poteſt armis aduolat: cohortem apprehenſis præfectis, diſſipant, denique tota ciuitas armatur, catenæ tenduntur, plateæ præſidiarijs muniuntur, auctores turbarum apprehenduntur: ipſe Imbyſius, Conſul conſulatu & militum præfectura dimouetur, ſtipatores ei adimuntur: tormenta tria bellica quæ domi habebat, auehuntur: mox in carcerem mittitur, maximè quod eodem die literæ à Montignio VVettera ad eum & Seguram Hiſpanum ſcriptæ, eſſent intercepta: quibus Montignius ſignificabat ſe ſummoperè mirari pontones & reliqua non eſſe miſſa: quandoquidem iam foſſarum oppidi profunditatem exploratam pertentatamque haberet, quarum latitudo trecentorum erat pedum: præſidij Denremondani præfectum in ſuam ſententiā pellexe-

Imbyſius ap-prehenditur.

rat,

Digitized by Google

rat, meditans ea nocte negotiũ exſequi: idq; Regem munificè compenſaturum pollicetur, &c. Huius quoque machinationis conſors Rolandus Yorke præfectus militum Anglorum appræhenditur: capti omnes dolos ſtructos fatentur: Ioannes Catellus Ryhouius monitus, Sethonem Schotum Vicarium præhendit: is fatetur ſe Parmenſi adiuiſſe, ſuamque operam pollicitum vt Teneramunda potiatur: cuius criminis cauſa poſtmodum morte mulctatus fuit. Ryhouius autem ſibi præcauens ſex cohortes Bruxella à Templeo Teneramundam miſſas recipit. An. 1584.

In Imbyſij locum Conſul ſubſtituitur Carolus Vtenhouius. Quorundam autem qui Religionem Reformatam tuebantur, negligentia, & eorum qui Hiſpanicæ dominationi fauebant, ſolertia ac diligentia, à pace tractanda ceſſatum non fuit. Hiſpanicæ enim factionis ſocij, vt articulos quos Parmenſis propoſuerat, promouerent, 15. Maij, cùm iam Deputati Tornaco redijſſent, in foro ante vrbis baſilicam comparuerunt: magnaque caterua nobilium, primariorum, & plebeiorum exſertis gladijs, ſenatores, vt articulos à Parmenſe oblatos comprobent, vi cogere aggrediuntur: exclamant magno tumultu: Vbi ſunt qui pacem recuſant: nos eam quanti quanti conſtet, confici volumus: interea dum hi vociferantur & tumultuantur, pars aduerſa concurrit ad arma, & in forum inſtructo militariter agmine feſtinat: quorum aduentu alij perterriti diſcedunt: mox Senatu liberato, præcipui ſeditionis auctores capiuntur: decernitur deinde fœdus cum generalitate concorditer feruandum in extremum vſq; finem: & Pacificationem inceptam prorſus irritam reddendam: atque his conditionibus auxilia ab Antverpienſibus & Bruxellẽſibus petunt: mittuntur eò 20. Maij circiter 600. pedites, & 100. equites: equites paulò pòſt Bruxellam reuertuntur, & Rolandum Yorke ſecum vehunt: qui poſtquam amicorum fauore, contra Principis Auraici opinionem ab exequutione iudicij ceſſatum eſſet, tandem à Parmenſe liberatus fuit. *Seditio Gãdauj, cauſa pacificationis.*

Gandauj ſententia fertur contra Imbyſium: capitis condemnatus, ob varia facinora, capite truncatur 3. Auguſti: eadem quoque pœna nonnulla ciues multati. Erat hic Imbyſius homo inexpertus, rudis, ambitioſus, audax, auſterus: qui Gandauum oppidum & totam Flandriam inconſiderato quodam zelo in multa mala diſcrimina que conieceratanſam autem primam præbuerunt VValonicæ regiones, cùm à generalitate deficerent. *Imbyſius capite truncatur.*

Poſtquam ciuitatis Gandauenſis ſtatum continua narratione expoſuimus, nunc ad Ypram & Brugas veniamus.

Ypra, ſicut ſupra diximus, menſe Septembri obſidione cincta, & aggeribus propugnaculiſque circumvallata fuit, ita vt neque commeatum inuehendi, neque intrandi aut exeundi, aliqua via pateret; exigua quoque ſubſidij ſpes appareret: quandoquidem obſeſſor agros circumquaque occupabat: bis ſubſidia eò deſtinata miſſaque, ab hoſte profligata fuêre: primò VVynenbergæ, poſtea longè adhuc propius: cuius mali cauſa fuêre clancularij Hiſpanorum amici, nempè Princeps Chymaius & alij, quibus ſubſidij auxilijque mittendi negotium commiſſum fuerat: id ſimul ac boni ciues perceperunt, maximè poſtquam tria Flandriæ membra, Gandauum nempè, Brugæ & Franconatus, quibus Ypreníes ſe ſperabant ſociatos, pacem quæſiuere: cum iam neque ſubſidij ſpes vlla amplius appareret, neque generalis reconciliatio ſuccederet, obſeſſique omnium rerum ſumma penuria laborarent, conſtantia eorum qui hactenus probos ciues ſe præſtiterant, labaſcere cœpit. Proinde D. Marquetteus, præſidiarij, & ciues pactionem cum D. VVerpo, prætore Cortracenſi, obſidionis præfecto, ineunt: vrbem 12. Aprilis conditionibus ſatis æquis dedunt: videlicet vt milites extranei ſuis armis muniti exeant, indigenæ autem enſes & pugiones habeant: & ciuitas quinquaginta florenorum millia exſoluat: quatuor ciues in Parmenſis poteſtatem tradantur, quos pro ſuo arbitrio multet, vitæ ſpe aliquatenus relicta: quam poſtmodum viginti florenorum millibus redemerunt: Priuilegijs quoq; ciuium, vt plurimum ſaluis: ſed Reformatæ Religionis exercitio prorſus adempto: præſidiarijs Italis intromiſſis. Oppido ſuperato, mox Epiſcopus nouo ritu inauguratus, templa conſecrat: concionatorum & aliorum cadauera, antè duos aut tres annos humo condita, effodi, & ad patibula auehi iubet: terram conſecratam purgat ab immundis cadaueribus & oſſibus, tanquam hæreticorum ſpirituum, vt reputabat, receptaculis: & iudicium quod in fidei articulis veri Chriſtiani Deo adſcribunt, ſibi attribuit. *Ypra ciuitas Parmenſi dedit.*

Res hactempeſtate Brugis actas dicturi, aliquid de Principe Chymaio præfari operæpretium duximus. Hic nomine Philippus Croyus, Ducis Arſchotani filius, titulo Princeps Chymaius, matrem ex proſapia Flandrica Halevvina habuit: cùm adoleſcens filiam Principis Auraici ambiret, ſe neutiquam Religioni Reformatæ aduerſariũ oſtendit: hæ autem nuptiæ, quòd mater tunc adhuc ſuperſtes, Religioni Reformatæ, & proſapiæ Naſſouiæ infeſta eſſet, non ſuceſſerunt: verùm Maria Brimeua, Comitiſſa Megana, Comitatus hæreditatẽ, poſt mortem poſtremi Comitis Megani, adepta, Lanceloto D. Barlemontij filio nupta, mortuo marito, nulla prole relicta, cum Duceſſa Boilloniæ habitans Eſdani, huic Philippo vxor data fuit: quæ quia Reformatæ Religioni addicta erat, ipſe eandem quam vxor Religionem coluit: verùm an fu- *Hiſtoria de Principe Chymaio.*

catè an

Digitized by Google

An. 1584. catè an sincerè, Lectori ex hominis actis iudicandum relinquo. Probè educatus, industrius, multis dotibus ornatus, sed Melancholiæ morbo satis obnoxius, sese prætextu Religionis & initi matrimonij, in Prouinciarum, Ordinum generalium, Principis Auraici, & Religioni addictorum amicitiam insinuauit, & ad sublimiora adspirans, anno 1582. Ordinibus se addixit aduersus eas, quas pater Dux Arschotanus fouebat, partes; Edens Apologicum scriptum Esdani 20. Augusti. anno 1582. vbi religiosissimè Religionem Reformatam commendat, & magnum præsefert zelum amorem versus Rempublicam & patriam. Hispaniæ Regem Idolatram, Tyrannum itemidem nominans: alterum Roboam, Athab, Tarquinium superbũ & Turcam: summopere extollens Alenconium nouum Ducem Brabãtiæ, suum verè Principem & dominum, ita vt nihil omitteret, quod in fauoré Reformatæ Religionis, & contra Hispanicum Tyrannidem dici posset, quæ Apologia posteà typis fuit excusa, anno 1589. Hæc omnia spe gubernationis Flandriæ, quæ ante patri commissa fuerat, conquirendæ: hac potissimùm de causa Brugas venit cum vxore: hic gubernatione mox est potitus: membris Flandriæ successiu temporis vlteriùs commendandus ab Auriaco, simul ac specimen suæ probitatis palam edidisset. Brugis auram popularem imprimis captauit: concionatoribus admodum familiarem se præbuit, quos omnes, in administratione negotiorum huius sęculi plerunq; inexpertos & rudes, tandem decepit: his artibus, magnam apud eos, qui Religioni fauebant, auctoritatem nactus, conciones diligentissimè frequentabat, tynaxim quoque vna celebrabat. Erat tum temporis quidam Franciscus Harenus Valencenas, Ecclesiastes Gallicus, qui Duce Albano gubernante, vt suas facultates seruaret, palinodiam cantarat, & veniam gratiamque impetrarat: verum posteà pœnitentiam ostentans, iterum in concionatorum numerum receptus fuit, quanquam à multis, qui hominem intus & in cutè nouerãt, infamis, impurus & scelestus haberetur: hunc, & præterea Denteresum & Halleum aulæ suæ ministros, consuluit Chymaius.

Interea rebus in Flandria perturbatis, cùm Hispanorum amici præualere inciperent, Chymaius, suam mentem aperuit ijs, quibus suam inceptionem (quam diuinam inspirationem dicebat) ratam gratamque fore certo sciebat: his astutijs ita profecit, vt etiam à duobus reliquis Flandriæ membris, nempè Gandauo & Ypra, plena gubernatio totius Flandriæ cum potestate amplissima ei tradita fuerit: sed non prorsus ex Principis Auraici sententia, qui sinistra suspicatus, Senatum Brugensem, vt sibi caueret, præmonuit: ipsum quoque Chymaium sæpius monendo, exhortando, obsecrando, in officio erga Deum, patriam, suumq; honorem, retinere studeret: sed frustra: vt liquido satis patet ex libello Dusseldorpiæ typis edito, & ei dedicato, à quodam suorum ministrorum, vel à se sui causa purgandi conscripto, cùm vrbe Bonna obsessa, anno 1588 passim tanquam apostatæ & periurij reus vituperaretur. Author, tacito nomine, se Chymaij ministrum fuisse scribit: recensetq; qua primùm de xteritate ex oppidis Bruga, Sluſa, Damma & Ostenda milites præsidiarios, quos patriæ fideles, & Ecclesiasticis Hispanis inimicos sciebat, dimiserit, & alia præsidia, pro suo arbitrio sufficerit, ipsosque præfectos sibi deuinxerit: Sluſæ D. Groneveldium, Dammæ D. Lesdaium præfecerit, addit præterea, eius opera factum vt cum de recipiendo Duce Gallo consultaretur, quatuor Flandriæ membra iurarint se nunquam cum Gallo tractaturos aut fœdus inituros: Insignem quoque prudentiam egregiumque facinus iactat; quod interea temporis dum suspensos dubiosque Chymaius aliosteneret: Parmensis Dixmuda, Neoportu, Berga vicinisque locis potitus; Byronius autem cum Heluetijs & Gallis propulsatus fuerit; Dunkercka quoque in Parmensis potestatem venerit, quæ alioquin obsidione liberari potuisset antequam Marchio Rent yus reliquorum militum, qui procul adhuc aberant, præsenti opera vsus fuisset. Refert insuper, eius industria Meninam, locum optimè munitum & maximi momenti, à Schotis relictum; & neagger Bredenenus & alij perfoderentur, impeditum fuisse, cum Ostenda obsessa, Principis Parmensis exercitum, castra locaque vicina submergere meditarentur aduersarij. Quin & eius potissimum consilio, Ordinibus generalibus persuasum fuisse, auxiliares copias à Casimiro è Germania aduenturas: atque hac occasione conatus omnes de recipiendo Duce Gallo interturbatas mansisse: Eum quoque Anglos præsidiarios necessitate, egestate & angustijs ita pressisse, vt oppidum Alostum coacti fuerint tradere Regi: & hac præcipuè commoditate Regionem VVastanam absque difficultate occupatam, populumque ad reconciliationis conditiones ineundas compulsum. Hæc & his similia perpetrata in hoc libello, tanquam pia, præclara & honesta imprimis, scriptor commemorat: & Chymaio soli laudem gratiamq; à Rege deberi iactat. Sluſæ & Ostendę ciues, præsidiarios, & præfectos, perfidè accusat, verba iuramẽti Chymaio præstiti allegat, quasi primũ iusiurandum Ordinibus generalibus præstitum, ita vt æquum erat, non seruassent, quasi alterum subalternum conditionale reddebatur. Existimat denique Principem Chymaium de Deo, Rege & populo optimè meritum: verum non satis perpendit, tot miseros homines in Flandria vitam, domum, agros, facultates, opificium, quæstumque amisisse, & patria exules profugosque inedia periisse: plurimos quoque prætextu Ypræ obsessæ fideliter liberandæ, à Chymaio in mortem & carnificinam

Chymaij per-fidiae ex libello a se edito, conuincitur.

ficinam dolosè perductos. Neque illud considerat, vulgò dici, Eos qui belligerando honorem laudemque sectantur, perfidorum proditiones gratè quidem accipere, verùm ipsos proditores semper odisse. An. 1584.

Hæc & his similia dicto libello contenta, cùm mali exempli indicia viderentur, vigilantissimo prudentissimoque Brugensium Senatui, qualem ea ciuitas plerunque habere solet, scrupulum iniecerunt: proinde actis Chymaij exactè perpensis, præfectus vrbis, Iacobus Gryseus, Consul Casenbrodius, Maximilianus Hornanus Lokeredominus, Brishanus, & alij rationes ineunt, quibus seipsos securos reddere; & Chymaio gubernationem extorquere queant, & quanquam auxiliares ad hoc inceptum haberent stationarios ciues: tamen consultum reputant, Principe Auraico; qui fidelitatem Tribuni Scotorum imprimis commendabat; suadente, rem omnem Tribuno legionis præfidiariæ in vrbe Brugensi, indicare, fuamque operam simul expoſcere. Hic Tribunus nomine Boydeus, operam ſuam lubens pollicetur: ſed paulò antè quàm opus inceptarent, inſtitutum omne Chymaio aperuit decimo Ianuarij. Chymaius ſtatim Gryſeo præfecto, & Conſule accerſitis, exponit ſe machinationem hanc intellexiſſe: Lokerum autem præcipuè incuſat, eumque quod extraneus, neque indigena Brugenſis eſſet, in carcerem conijcit: contra reliquos quos auctoritate apud ciues & præſidiarios multum valere ſciebat, nihil inclementer attentare auſus, eos in collegij ſtam ciuitatis, quàm Franconatus acriter accuſat & reprehendit: atque hinc occaſionem captat, partes eorum qui Hiſpano ſauebant fouendi, & reconciliationem cum Rege clam promouendi. Gryſeus qui non in minore quàm Lokerus periculo verſabatur, vrbe exit; & Ordinum generalium conſilio, cum 900. militibus ſatuore bonorum ciuium rurſus intrare conſtituit: ſed Tribuni Boydei pertpecta nequitia, præſidiarios Schotos metuebat: qui quidem metus vanus fuit: quandoquidem Balfortus & alij præfecti, cùm maxima præſidiariorum parte ſe poſtea Ordinibus imprimis fideles præſtiterunt: quod ſi antè certò ſciuiſſent, vrbem procul dubio (vt ab ipſis audiui) ſeruaſſent. Hæc ſuſceptio à Gryſeo, Gubernatore Sluſæ, D. Gronéveldio, Conſulibus, & Zelandis, vrbis Brugenſis conſeruandæ cauſa, tentata, Chymaio à Relegioni addictis qui ei fidebant, fuit detecta: itaque ſimul acrem omnem reſciuit, machinationis conſcios in carcerem mittit: Magiſtratum coram populo accuſat, rem ſummoperè exaggerat: eos officio dimouet, poteſtatemque omnem vi eis abrogat: Magiſtratum nouum ex ſibi addictis, & Hiſpano palam fauentibus conſtituit, quorum opera populum paulatim ad reconciliationem cum Rege permouet: nox quoque Franconates & Damnenſes ſe Gandauenſibus ſociant. Hinc euenit vt multi viri probi, & ciuitati Brugenſi maximè fideles Sluſam & Oſtendam cõfugerint: quæ duo loca præſidio quod à Brugenſibus dependebat, munita erant: vnde cùm Chymaius & Brugenſes ſibi metuerent, promiſſa larga, ſolutionemque ſtipendij multam proponunt: verum ſtipendiarij, ſtipendio ſoluto, fideles nihilominus perſtiterunt. Interea Chymaius Religioni Reformatæ firmus adhæret, & pietate fucata ſyraxin frequenter adit: Ioannem quoque Halleum famulum, ad Reginam Angliæ ſui purgandi cauſa mittit: ipſe interim cum Parmenſe per amicos tractat, & gubernationem Flandriæ vel ſaltem Brugarum cum præſidio Schorico, quod tum ibi habebat, captat: verùm Parmenſis non ignarus quo in ſtatu cum ciuibus verſaretur, eum laſtat oblataque ſpe producit: & Ducem Arſchotanum, Chymai patrem, menſe Maio, cum iam ih vrbe inducia factæ eſſent, eo mittit, qui filio multa perſuadeat, imprimis vt Sluſam & Oſtendam quæ maximi erant momenti, in ſuas partes pertrahat. Ordines generales eo quoque mittunt D. Iunium, qui contrà hortetur: ſed fruſtra: quamuis Gandauenſes firmiorem, cum Generalitate ſociaretem concepiſſent. Itaque reconciliatio vigeſimo quinto Maij, maximo triumpho promulgatur: conditionibus ſatis æquis, vt ſic Gandauenſes, Oſtendani, & Sluſani facilius ad reconciliationem quoq; pertraherentur. Schotis præſidiarijs liberum erat aut abire, aut ſacramento præſtito ſub Rege ſtipendia mœreri: ſed pauci ad Regem defecerunt: ipſe autem Boydeus tribunus, ſe Ordinum iudei nequaquam committere auſus fuit, quanquam apud Parmenſem ſe parui fieri videret.

Machinationes Senatus Brugenſis contra Chymaium.

Delegati Boydeus Scotorũ tribunus.

Scheti Brugenſibus fideles.

Chymaio Religioni Reformatæ facta.

Brugenſes & Franconates reconciliantur Regi.

Eadem quoque pactione Franconates & Dammenſes reconciliantur: ea potiſſimum lege, vt Eccleſiaſticis bona reſtituant, nullum Reformatæ Religionis exercitum habeant, ſed libertas conſcientiæ, ſine ſcandalo viuentibus permittatur: facultatum quoque omnium vſus cuique conceſſus, verum hæc & ſimilia non diu ſeruata fuere. Gubernator conſtituitur D. Groſilliefus ex familia Montmerentiana, ſine vllis præſidiarijs: quandoquidem profugis ciuibus & Eccleſiaſticis maximo numero redeuntibus, ciuitatis cuſtodia ſatis turè committebatur.

Chymaius, promulgata reconciliatione, teſtimonium quòd religioſè & Chriſtianè ſe geſſiſſet, à Reformatæ Religionis miniſtris accipit: deinde cum Eccleſiaſte Franciſco Hareno ſui ſtudioſiſſimo, in prædia ruſtica & loca vicina fuæ iuriſdictionis abit: paulatim Religionem deſerit: famulos Religioni addictos dimittit: tandem verò ipſemet eam prorſus abiurat, præcatorijs

Chymaius & Franciſcus Harenus Religionem deſerunt.

Digitized by Google

An. 1584. torijs ſphærulis munitus incedit, eas frequens verſat, vt certo præcationum numero cælum indubitanter mercatur. Hac nimis infami Apoſtaſia, parum fidei apud eos ad quos defecit aſſecutus, ſed ab omnibus vbique contemptus, maiorem quàm vllus vnquam antea, familiæ Croyanæ notam infamiæ inuſſit. Harenus quoq; Eccleſiaſtes Reformatam Religionem Antverpiæ apud Ieluitas abiurauit, editiſque libellis tanquam impiam vituperauit, atque improbauit.

Adhæc, Chymaius de vxore Comite Megana, quæ eum amori turpi deditum deprehenderat, peſſimè meritus eſt: ipſa autem perſpecta mariti intentione, primo Sluſam venit: deinde poſtquam eum hoſtibus prorſus addictum perſpexit, in Hollandiâ profecta eſt: indè à viro vocata vt maritali lege ſimul habitarent, id recuſauit, niſi locus tutus vbi ſine vitæ aut Religionis periculo degat, in Germania aut alia regione conſtituatur. Poſtea vxoris vitæ inſidiatur Chymaius: quendam, mercede conducit, qui in Hollandiam eat, & eam veneni quocunque genere è medio tollat. Hic ad tam execrabile facinus perpetrandum paratus, animo tandem deficiens, rem propoſitam confitetur: deinde ampliore confeſſione tormentis expreſſa, inſtitutum omne aperit: & cum ſuis complicibus iudicio condemnatur. Neque ob id alios adhuc mercenarios homicidas mittere deſtitit Chymaius. Poſſeſſiones quoque & facultates quas plurimas vxor poſſidebat, vbicunque potuit miſere eripuit, ita vt vix quo vitam honeſtè ſuſtentet, ei ſit reliquum.

Hoc Flandricarum rerum ſtatu, D. Montignius vndique maioribus anguſtijs Gandauenſes premere nititur, vias omnes quas poteſt, occludit, agris potitur: Saſſam, ſiue nauium ſtationem, Deynſam, Eeckloam aliaque loca circumcirca militum copijs occupat, vt Gandauum ad extremas anguſtias obſidione redigat.

Brabanti Tolæ & Saſtingæ ad Schaldim propugnacula aggereſque iaciunt: Parmenſis contrà Borchtæ propè Antverpiam, ad amnem, vallum erigit: hoc cõmoti Brabanti, aggerem ex oppoſito Borchtæ perfodiunt, & agros aquis inundant, ne hoſtis in Brabantiæ ripis valla propugnaculave moliatur.

Brugenſes & Franconatus hortantur Gandauenſes vt Regi reconcilientur.

Brugenſes & Franconatus, ob pacem & reconciliationem impetratam admodum læti, nihilominus ab hoſtibus vicinis, Gandauenſibus, Oſtendanis & Sluſanis, qui eis quæſtum & annonam impediunt, atque intercipiunt, haud aliter atque obſeſſi adhuc affliguntur. Proinde Epiſtolam ad Gandauenſes mittunt, & typis edunt, datam ſeptimo Iulij 1584. ea demonſtrare nituntur, nullam ipſis occaſionem ſupereſſe, reconciliationem diutius differendi: cùm enim ex quatuor membris Flandriæ vnum ſint, æquum eſſe vt ſe alijs tribus accommodent ac ſubmittant, quandoquidem res ob quam bellum ſe gerere declararant, iam prorſus ſit tranſacta completaque, libertatis conſcientiæ promiſſione, & futura extraneorum militum dimiſſione. Fruſtra Religionis cauſa bellari: Deum enim neutiquam fauere ijs, qui alterius Religionis erga bella mouent: Poteſtates & Principes omnes prætendere liberam de Religione diſpoſitionem: quin & ipſam Angliæ Reginam ſatis monuiſſe Ordines, haudquaquam æquum eſſe, ob liberum Religionis exercitium arma contra Principem ac Dominum gerere: idem quoque magnæ auctoritatis viros multos ſenſiſſe atque indicaſſe: Sacra ſcriptura neutiquam probari poſſe, Religionem vllam vi promouendam aut armis defendendam. Hæc omnia exactè perpendenda, & miſeræ innocentiſque plebis, peſte & fame peremtis, rationem habendam. Satis iam apparere, bellum ipſis neutiquam ſucceſſurum, quandoquidem pecuniæ deſint. Nihil à Principe Auraico aut Hollandis ſubſidij ſperandum: exemplo eſſe ciuitatem Iprenſem: quæ largis verbis promittunt, re ipſa nunquam effecturos, cùm ipſimet bello prorſus obruantur: Brabantos quoque & alios omnino depauperatos nihil præſtare poſſe: Ducis Galli acta ſatis eſſe perſpecta: infœlicem ſuæ machinationis exitum, nullo vnquam tempore obliterandum, aut impunè tolerandum: qui etiam Dunkercka, & aliis locis munitis, magna cum infamia relictis, tandem è vita diſceſſit, cùm Belgij opibus diteſcere ſolummodo per nephas ſtuduiſſet. Fœderis cum Galliarum Rege renouandi, nulla apparere veſtigia, cùm is maximè ſit Catholicus, & Religionis cauſa bellum contra ſuos gerat, Regi quoque Hiſpaniarum, variis occaſionibus motus, placere ac gratificari imprimis ſtudeat. Neque Hollandos neque Zelandos Galliarum Regi ſe ſubmiſſuros ſine particulari exceptione, quam ſi concedere voluiſſet, maturius profectò pactum iniiſſet, & Prouinciarum vaſtationem præuertiſſet. Reginam Angliæ animum non habere eos iuuandi, quandoquidem per Epiſtolas & Legatos importunè admodum pecuniam, Ordinibus generalibus mutuo datam exegerit. Regem Schotiæ Regis Hiſpaniarum gratiam beneuolentiamque captare. Eccleſias Gallicanas neque poteſtatem, neque conſenſum à ſuo Rege habere aliquid præſtandi. Ab Heluetijs nihil quoque exſpectandum, neque à Caſimiro quidem, vtpote qui iam exercitum dimiſerit.

Mouent præterea rationem habeant ſui exitij, vxorum & liberorum, Priuilegiorum & ciuitatum: conſiderent quanta eos punitio maneat à Deo, ob tantæ obſtinationis culpam. Rogant pro-

gant proinde Pacificationem acceptent, neque eam repudient ob Religionis publicum exercitium (cuius profeſſio non conſeruationis, ſed perditionis Reipublicæ cauſa fuerat) & quarundam politicarum prætenſionum parui momenti affectationem. Exemplum ſumant ab Yprenſibus, qui fruſtra ſubſidium expectarant. Perpendant Regiæ Maieſtatis clementiam ac benignitatem iam oblatam, qua ipſi nunc potiti pace, reconciliationis effectu plene perfectæ; fruebantur, quâ multo pluris faciebant, quod ad religionem attinet, quam omnia quæ Coloniæ in colloquio oblata fuerant. Poſtremò, vt negotium promoueant, ipſorum commodo, delegatos in caſtra ad Parmenſem miſerunt, &c. An. 1584.

Contra Brabanti & Hollandi demonſtrant, particularem pacificationem non pacem, ſed magis bellum & miſeriâ ipſis producturam, & vt gladius contra communis patriæ hoſtem exſertus, in amicos & vicinos vibretur, effecturam. Nam Brabantia, Hollandia, Zelandia & alijs Prouincijs bellum aduerſus Flandros continuantibus, Flandriam à miſerijs ac calamitatibus nullo modo liberari poſſe: omnibus iam clauſis, agris depopulatis, regione VVaſtana aggeribus perruptis ſubmerſa, quæſtu quoque & commeatu omni intercluſo atque adempto. Neque Gallos neque Anglos paſſuros, Hiſpanicam nationum nimium in Belgio creſcere aut radices agere: ſed noua hinc bella expectanda. *Prouinciæ ſe derare diſſuadent Gandauenſibus reconciliationem.*

Regem Hiſpan. duorum Articulorum cautionem poſtulare, nempè Religionis, & ſtatus Prouincialis. In Religione autem nihil firmi certique eum obtinere poſſe, niſi omnes aliquatenus ſuſpectos, tam nobiles quàm plebeios, aut occidi, aut in exilium mitti faciat: vtque in poſterum ſecuriorem ſe reddat rebellioneſque coerceat, totis regionibus arces conſtruat, præſidia conſtituat, Priuilegia adimat, Prouincias perpetua ſtipendiorum ſolutione oneret, atque his modis nihil eorum quæ tam latè promiſerat, ſeruet, &cæt. Præterea ſpem bonam proponunt, de exercitu in Flandriam mittendo, ſimul ac propugnaculu Zutphaniæ ſuperaſſent, quod breui futurum ſperabant. His rationibus moti Gandauenſes Reconciliationem diſtulerunt, donec tandem, vt poſt narrabimus, res aliter euenêre.

Zutphaniam Hollandi obſidione cingi curarant, vt hoſtiles præſidiariorum in Veluvvam excurſiones auerterent: miſerant autem obſidionis faciendæ cauſa Comitem Hohenloum cum reliquijs quibuſdam militaribus Truckſelij & Ydeli ſiue Edeli Henrici, Ducis Brunſvivicenſis filij illegitimi, qui paulò ante ſub Truckſelio militans, Burgæ propè Doetechemum ab hoſte præuentus, multis ſuorum cæſis, captus fuerat. Hohenlous Lochemum & alia circumiacentia loca præſidijs munit, aggeres quibus propugnaculum in Veluvva, è regione Zutphaniæ, coerceat, iacit. Verdugo autem, cum copijs auxiliaribus à Parmenſe miſſis, nempè Comitis Arenbergi, Mauricij Laræ, & aliorum legionibus, in oppidum Zutphaniæ commeatum, inuexit, præſidiumque ſeptem centenis militibus auxit, ſub Vicario Taxiſio. Hollandi nihilominus propugnaculum maximè neceſſarium & commodum rati, pertinaciter obſidionem continuant: ſed incaſſum nituntur: quæ quidem Hollandorum obſtinata voluntas, cauſa fuiſſe dicitur perditionis primò totius Flandriæ, deinde Antvverpiæ, & totius Brabantiæ, vt poſt narrabimus. *Zutphania fruſtra ab Hollandis obſidetur.*

Menſe Ianuario D. Aldegondus Conſul Antvverpianus, Liram ſtratagemate capere meditabatur, pactione clancularia cum præſidiariorum quodam præfecto inita, qui ſe aduerſus alium militum præfectum Italum diſcordem, & valdè offenſum ob gubernationem Parmenſis fingens, oppidi Lirani traditionem facere promiſit: ſummula autem pecuniæ ab Aldegundo accepta, machinationem ſuis aperuit: proinde ea nocte qua prodenda vrbs erat, intromiſſæ fuerunt è varijs præſidijs turmæ equitum quatuor, & inter duas portas, inſidiæ, bombardæ, pulueres nitrati, & ignes ſalientes diſpoſiti: cùm verò ob viarum difficultates & noctis tenebras per deuia tenderet agmen, & tardius, diè iam orto, ſub vrbem veniret, Aldegondus nihil fruſtra tentandum ratus, cum ſuis receſſit: inſidijs nihilominus in ſilua collocatis hoſtem ex vrbe elicere, eiuſque ſtatum cognoſcere deſiderabat. Præſidiarij quoque Lirani poſtquam eas quas præpararant inſidias non ſucceſſiſſe vident, eruptionem faciunt, & aduerſarios qui loca clam inſidebant, in fugam vertunt: ipſe etiam Aldegondus impeditus feſtinanter, ſuo loco cedere cogitur: verùm cùm paulò pòſt latum campi, æquor occupaſſet, aciem dirigit, & equitatu in hoſtem incitato acriter conſligens, maiorem hoſti cladem infert, quàm patitur: cæſus autem inter alios à Parmenſi agmine, militiæ præfectus imprimis ſtrenuus, Leoninus, Doctoris Leonini filius, cùm peditum præfecti male ſuo officio in dimicatione fungerentur. *Machinatio in ciuitatem Liranam.*

Tunc temporis in Prouincijs & ciuitatibus Ordinum generalium ingens orta eſt controuerſia, an licentiæ (ita noua vectigalia ſiue tributa vocantur, ſolui ſolita pro cuectione commeatus, armorum, rerumque ſimilium, in vicina regna, regiones & vrbes) permitterentur an prohiberentur. Allegatis autem ab vna parte rationibus, quod Prouinciæ & vrbes maritimæ quæſtum præcipue negotiationibus facerent, & pecuniæ vectigalium huiuſmodi neceſſariæ in

An. 1584. primis essent ad sumptus belli: quòd etiam ab indigenis fructus terræ, butyrum caseí, pisces & similia non omnino consumerentur: sed huiusmodi mercium superfluarum venditione multi quæstum facerent: quæ etli hinc ad hostes auehi intraneis prohiberentur; mercatores nihilominus vicinarum regionum & ciuitatum lucrum percepturos, intraneis adempturos: & media bellis necessaria sublaturos. Alij quibus populus maximè suffragabatur, piaculi probrumque grauissimum dicunt, hostes alere: quod si prohiberetur, omnes breui dira fame & inedia perituros, neque exercitum alendi aut vrbes obsidendi commoditatem habituros: imò variarum rerum penuria & fame laborantes defectionem seditionemque machinaturos. His respondetur, impossibile esse, Belgicas regiones Galliæ & Germaniæ adeò vndique vicinas, fame premere, aut audaces Hispanorum conatus impedire. Sublatis tandem varijs opinionibus ac contentionibus, vt populo satisfieret, Edicto publico, commeatus, armorum bellicorum & quarumcumque mercium ad oppida & loca ab hoste occupata, & ex ijsdem in Prouincias vnitas aducctio, commercia insuper omnia prohibita fuere sub pœna confiscationis. Interdictum præterea, ne commeatus, butyrum, caseí, armamenta, instrumenta ve bellica, aut similia in vllos Galliarum portus propiores quam Rotomagum, neque in alios portus occidentem versus, neque in Angliam, neque per amnes Amisium aut Mosam vltra loca limitata veherentur. Edictum etiam, vt illi qui in occidentem nauigare vellent, mare altum ingrederentur: quæcunque autem propius Flandrica littora deprehenderent, omnia prædæ exponerentur, diripiendaque darentur.

Edictum publicum ne ex Prouincijs federatis hosti commeatus ministretur.

Vt autem hæc facilius exequutioni mandari queant, petunt imperrantque à Franciæ Rege, & Angliæ Regina, ne sub graui pœna inde in Prouincias aut ciuitates Belgij. Hispano subiectas, annona, commeatus, arma aut similia vehantur aut vehi permittantur, alioqui enim interdictum in Belgio frustra fore, imò in Belgarum damnum, & vicinorum commodum. In amne quoque Amisio naues præsidiarias disponunt, quæ ne hosti quicquam aduehatur impediant, & amnem tutum seruent.

Hæc cum in concordibus Prouincijs & ciuitatibus strictè seruarentur: mox Galli terra, & locis Caleto vicinis, Angli autem mari Dunkerckam vsque hostibus necessaria quæque aduexerunt, lucrum captantes: cuius odor officijs præfectos quoque corrupit: ita vt horum fraude & auaritia exercitui Parmensis frumenta alimentaque alia suppeditata fuerint: alioquin ab obsidione Schaldis, qua Antverpiam vrgebat, desistere debuisset. Hinc euenit, vt pro opportunitate, interdictum istud nonnunquam seruaretur, nonnunquam negligeretur.

Parmensi commeatus aduehitur à Gallis & Anglis.

Dux Brabantiæ & Andegaui, in Franciam, vt diximus, reuersus, tam animo quam corpore æger manfit, infortunijs varijs delassatus: vnde ab aduersarijs irritus, & multis, ob diffidium cum Rege fratre, parum gratus fuit. Regina mater, quæ prius discordiam inter fratres aluerat, tunc concordiam, vt suis rebus consuleret, componere studuit: & eò rem perduxit vt Dux humilis supplexque veniam à fratre Rege posceret: impulsus id facere, desiderio quodam concordiæ & pactionis firmæ cum Ordinibus Belgicis ineundæ, qui experientia didicerant, Ducem absque fratris ope nihil præstiturum.

Hanc fratrum reconciliationem, tota Gallia publico gaudio testata est: eadem quoque læti Ordines Belgici, D. Schonevalleum in Gallias mittunt, qui Duci exponat, Ordines omnia suo arbitrio, quo multum gauisus committere: sperabant enim Gallicum auxilium ipsius opera aduenturum.

Dux autem postquam Castrum-theodori venit, mox grauissimè ægrotare cœpit, sanguinee ex omnibus corporis meatibus profluente, quasi venis equitando ruptis: cumque tandem nihil alimenti sumeret, quadragesimo morbi die transacto, decimo Iunij obijt, mentis optimè Compos: Monachum aut sacerdotem confessionarium nullum admisit, professis se suæ salutis ipsem omnem in effusione sanguinis Iesu Christi solius vnicique seruatoris collocare: quod equidem ab ijs, qui præsentes fuerunt intellexi. Obijt anno ætatis non sine veneni suspicione. Sepeliri voluit tanquam Brabantiæ, & aliarum Prouinciarum Dux & Dominus, cum armis clypearijs & reliquis ad ea dominia spectantibus: verùm Regis Franciæ consilia rijid nequaquam consultum existimarunt, Regis Hispaniarum gratia: fuit nihilominus magnifica sepultura ornatus.

Mors Ducis Brabantiæ & Andegauis.

Erat statura breui, corpore bene formato, fusco colore, oculis fuscis, fronte eleuata, magno naso, maior quam generis sui auctores: vir imprimis acer, ingeniosus, eloquens, affabilis, magnanimus, magnificus, ambitiosus, nequaquam sanguinarius aut vindictæ cupidus, verùm clemens & benignus: neminem Religionis causa contemnens: inquietus, celer ac festinus: &, vt ipsa fatis indicabat indoles, pacificus: Pacem enim in Francia diuersitate Religionum ruptam, iterum composuit, non sine magnis laboribus, difficultatibus, itineribusque periculosis, proficiscens ad Regem Nauarræ & ad partem ei inimicam, Belgij Legatis tunc quoque

Digitized by Google

quoque comitantibus: quæ quidem pax in Gallijs longo tempore duraſſet- An. 1584.
que longiore, ſi fata virum ſeruaſſent: eaque potiſſimum de cauſa Hiſpanorum fautoribus in Gallia odioſus fuit. Aiunt enim ſecundo ante mortem die teſtamenti formam ad Regem fratrem miſiſſe, eaque declaraſſe animi ingentem dolorem, quod Regiam Maieſtatem ſuis actionibus & inceptionibus offendiſſet: non tamen proprij lucri aut commodi cauſa, ſed vt Galliarum regnum ab hoſtibus & extraneis liberum ſecurumque redderet, feciſſe: Pro hæreditatis larga portione ſibi conceſſa gratias agit Regi. Quæritur multos nobiles, proceres, ſubditoſque fideles, quibus comitibus & ſeruitijs vſus fuerat, iam depauperatos: ſibi autem facultates quibus officia compenſet, deeſſe: Se debere circiter trecenta florenorū millia: facultates autem lachrymas & ſuſpiria miſerorum aſportaturum in ſepulchrum, niſi Maieſtas Regia miſericordia moueatur, idque honoris fratri præſtet, vt ſaltem fideiubeat: quod vt fiat, matris interceſſionem implorat, ne ſummo cum dedecore dicatur optimos fideliſſimoſque ſuos miniſtros & decepiſſe & perdidiſſe.

Cumque ſecundum iura patriæ, neque teſtandi neque legandi poteſtatem habeat: rogat vt miniſtris quorum fidem imprimis commendabat, ſubueniatur, vtque Rex conſcientiam ſuam prægrauatam exoneret. Principes minus potentes, amplius quam ipſe petebat, exequijs & ſepulturis ſuorum inſumpſiſſe: ſe enim neque ſumptuoſam, neque magnificam ſepulturam; ſolummodo monumentum memoriamque in animis ſuorum exoptare. Belgas egiſſe vt carè admodum nomen & titulum Ducis & Comitis emerit, eoſque ei id adhuc debere: rogat autem vt idem Regi tradant: ſe enim Regi & ſucceſſoribus relinquere ac dare omne ius quod ſibi ob ſolennes pactiones & contractus cum Belgis initos debebatur.

Dux Brabantiæ renegat ſuam actionē Philippi Regi.

Vt autem oppidum Cameracenſe quod facultatibus à Rege ſuppeditatis coëperat, Regi eſſe queat loco propugnaculi, vtque ciuibus, qui animis promptiſſimis & fide optima ſe ſuæ protectioni commiſerant, ſatisfiat: obſecrat Regem, vt quidquid auctoritatis & iuris in oppidum Cameracum habeat, id omne ſua Maieſtas ſibi ſumat, & ne ciuitas deuaſtetur aut opprimatur, auertat.

Rex fratri defuncto iuſta funebria magnificè admodum fecit: Regina quoque mater, vt apparet, Cameracum defendendum ſuſcepit, ſub gubernatione Domini Balingnij, qui bellum contra Artefiam & Hannoniam continuauit, agros vaſtauit, pagos & villas aut incendio deformauit, aut ad incendij redemptionem compulit, donec paulò pòſt induciæ in aliquot annos inter Principem Parmenſem & oppidum Cameracenſe confirmatæ fuerunt.

Defuncto Duce, non diu ſuperſtes fuit Princeps Auraicus, à cuius morte ſalutem tranquillitatemque totius Belgij dependere quidam reputabant: verùm tempus contrà docuit. Nullum æuum adeò crudele homicidium, quali Princeps hic interijt, vnquam aut laudauit aut probauit: imò dedecori & detrimento fuit veritati Religionis Catholicæ Romanæ: quæ, cum nitatur fundamento ſucceſſionis Petri, traditionum doctrinæ Patrum, & plurimorum Conciliorum, adhuc tamen huiuſmodi ſceleribus ſuſtentanda ſit: vtpotè quæ nequaquam ſinceris, honeſtis & ciuilibus, ſed diabolicis actionibus continuari debeat: exemplo eſt hic ſicarius, qui forma Angeli, & ſpecie Religionis Reformatæ aſſumpta, facinus nulli vnquā Chriſtiano permiſſum perpetrauit, atque à quibuſdam rei geſtæ Hiſtoriographis, nempè Michaele Eyſingero, & Michaele Iſelto, quem etiam Dinothus aliquatenus ſequitur, maximè laudatur: cum tamen Ethnici ſcriptores omnes, huiuſmodi diras proſcriptiones & crudeles actiones ſummopere deteſtentur.

Hiſtoria de morte Principis Auraici.

Homicidium iſtud deſcripturus ſequar libellum ea de re in Hollandia typis excuſum, quē verum eſſe, teſtes, acta, examinationes, denique exequutiones, & ſupplicium de homicida ſumptum, ſatis probant.

Initio menſis Maij iuuenis quidam viginti ſeptem plus minus annorum, ſtatura ſatis breui, facie indecora parumque liberali, nomine Balthaſar Gerardus, natus Villeforenſi Burgondiæ oppido (cuius mentitus autem nomen Franciſci Guionij Biſanſeni, filij cuiuſdam Petri Guionij, qui Petrus, quòd Religionem Reformatam promouere attentaſſet, morte quondam multatus fuerat,) ad Principem Auraicum literas attulit, & ſuum erga Religionem zelum, & Auraico ſeruiendi deſiderium expoſuit: addidit præterea quomodo per Luxenburgum iter faciens quendam ſuum cognatum, Comitis Petri Manſveldij ſecretarium, Du Pre cognominatum, inuiſerit, & aliquandiu apud eum manſerit: cumq; conſcientiæ ac Religionis cauſa ſtatuiſſet breui diſcedere, ſuſpectus Ieſuitis, ſubitò abire coactus fuerit: nactus autem à ſuo conſanguineo aliquot Comitis Manſveldij ſublignationes (volantia ſigilla vulgo dicta) eas valdè idoneas reputaret quibus Lutzenburgi aut aliarum Prouinciarum ciuitates inſidioſè capi poſſent. Hæc & his ſimilia ſimulans, adminiſtrationem vel auctoritatem aliquam ab Auraico aucupabatur, ſeque in notitiam ac familiaritatem aulicæ familiæ quouis modo ingerere ſtudebat: frequens

An. 1584. admodum concionibus sacris & precibus vespertinis intererat: palam Psalmorum, aut noui, aut veteris testamenti librum gestabat, manibusque versabat.

Princeps chartis subsignationibusque visis, nihil magni ijs præstari posse respondit: verùm aliquo modo vsui futuras nuntijs inter Bruxellam & Cameracum, atque eius rei causa seruari nonnullas iubet. Cumque Caron Schoonvallæ Dominus in Franciam proficisceretur, fuit hic Balthasar vna missus ad Marschalcum Byronium, cui, quia Gubernator Cameraci futurus putabatur, hæc ligilla vsui esse possent: prouisciturus hac ratione in Franciam Balthasar: & inde rediens literas adferret ad Principem & ad Ordinum proceres de morte Ducis Brabantiæ & Andegaui: eaque potissimum de causa Princeps ipsum ad se venire iubet mane adhuc in lecto iacens, singulatim de morte Ducis interrogaturus: atque tunc temporis, Balthasar, vt postea confessus est, Principem occidisset, si ficam paratam habuisset. Paulò post discedere iussus, aliquantulum pecuniæ petijt sibi dari, emendis caligis & calceis, quibus se indigere demonstrabat. Mandauit autem Princeps ei pecunias numerari à Secretario, 8. Iunij: quibus acceptis, mox ab excubitoribus stipendiarijs duos sclopos manuales emit.

Princeps Auraicus sclopeto occisus à Balthasare Gerardo.

Iunij decima die sub prandium ad Principem venit, attonitus, ac tremens voce, literas dimissionis & tuti itineris petit: quod Principis vxor animaduertens, interrogat maritum quid hominis esset, quandoquidem informi & indecora facie videbatur: respondet Princeps dimissionem, quæ ei scripto parabatur, cupere. Sub finem prandij, postquam propè stabulũ, retro ædes, non procul à mœnibus vrbis de ambulassset, iamque Princeps sumpto prandio exiret, ad ianuam aulæ stans, & gestu tanquam literas posceret simulans, sclopetum tribus glandibus munitum in Principem diuisodit. Princeps ictum sentiés, hastantum precationes breuiter effatur:

Auraici postrema verba.

Domine Deus, miserere animæ meæ: grauiter admodum vulneratus sum: Domine Deus miserere animæ meæ, & afflicti huius populi: his dictis, gressu titubare ac vacillare cœpit: mox famulorum quidam labascentem excepit sustinuitq; collocatur in gradu nullà edens vocem. Sorori, Comitis Swartzenbergij vxori, Germanica lingua, vt in manus Iesu Christi animam suam commendaret, petenti, eadem lingua respondit, Etiam. Paulò post in conclaui, vbi pransus fuerat, lecto imponitur: hic mox animam exhalauit. Talis fuit exitus vitæ viri sapientia, constantia, magnanimitate, patientia, modestia, omnium sui æui Principum præstantissimi. Obijt mortem imprimis præclaram pro patria: mortem pijs omnibus, quibus importuna nunquam aduenit, bonam: vtpote momentaneam ac breuem, metus ac doloris longi expertem: mortem, inquam, qua Deus Opt. Max. tanquam instrumento ac argumento conuenienti, euidenter demonstrat, bellum non à persona Principis, sed ab excellà sua manu dependere: quandoquidem victoria, qua hostes eum superarunt, ad optatum finem nequaquam peruenerũt: interim summa cum ignominia nefarij homicidij manent conuicti. Morienti vxor adstat perturbata: animosè fortiterq; exclamat, diuinam opem implorat, Deumque rogat, quandoquidem ei visum fuerit, patrem, & maritum priorem, hunc quoque posteriorem, se præsente, morte adeò dira tristique occumbere, patientiam qua hæc omnia perferat, concedere dignetur.

Apprehendi-tur homicida.

Sicarius perpetrato facinore per postica subterfugiens, alterum sclopetum abijcit: iamque plateam propè mœnia vrbis transierat, murorum aggerem adscendere, & in fossem aquis plenam desilire meditans, habebat duas vesicas aliquantulum turgidas, & calamum quo eas amplius inflare, spe facilius enatandi, statuerat: verùm præuentus apprehenditur à duobus Principis occisi satellitibus, multis alijs subitò adhuc accurrentibus. Primò quidem consternatus atque attonitus videbatur: mox imperterritum se ostendit, sperans patratum facinus acceptum fore, seque facilè euasurum, si se Regis iniussu nihil feciſſe dicat. Pertrahitur festinanter in insularij cœnaculum: Senatus mox conuocatus eum examinat: ipse papyrum, calamum & atramentum petit: se veritatem, quandoquidem captus sit, declaraturum promittit: id autem non fecit, imò multa falsa, vt res ipsa docuit, veris miscuit.

Confessio homicidæ vltro.

Testatur nomen sibi esse Balthasari Gerardi à Villefareso Borgondiæ oppido: sex quidem annis animo agitasse mortem Principis, remque nonnullis indicasse, à quibus repræhensus fuerat: nihilominus tribus annis postremis, cùm Principem a Rege proscriptum, & neci addictum intellexisset, rationem viamque ad Principem perueniendi, & facinus exsequendi quæsiuisse: sed postquam eum à Cantabro quodam trucidatum audiuisset, sese seruitio Ioannis de Pre, qui D. Mansueldio à secretis erat, dedisse: vbi verò Principem adhuc viuere resciuit, obstirmato magis animo nihil que pericula aut pœnas metuente; eum interficere statuisse: cumque exercitui D. Mansueldij confideret, & de transfugiendi libertate & commoditate nihil dubitaret, excogitasse rationem, qua se reformatæ religionis cœtui insinuet, & Principi subsignationes Comitis cæræ rubræ impressas offerat, locum quoque & tempus occidendi oportune inueniat: verùm diu varijs occasionibus impeditum, tandem Martio mense à suo hero discessisse, cumque in vrbem Treuirensem venisset, cuidam Iesuitæ in confessione suâ mentem aperuisse, atque rogasse, vt post

Digitized by Google

vt post festum Paschæ rem D. Mansueldio significaret: Iesuitam autem consuluisse, vt quod An. 1584.
instituisset Principi Parmensi indicaret: Cumq; Epistola data id declaresset, præ timore nimio nō ausum fuisse responsum exspectare: itaq; in vrbem Delphensem venisse cum sigillis, vt quod animo conceperat, effectum redderet: sed cum hic nulla oportunitas daretur, abijsse cum D. Charone in Franciam, inde literas de morte Ducis Andegauensis, ad Principem & Ordines attulisse, atque tum temporis decreuisse Principem ad prandium, aut concionem euntem vel redeuntem glade traijcere, eius rei causa duos Iclopos emisse, horum vnum tribus glandibus munitum, in Principem explodisse: alterum autem, impedientibus stipendiarijs explodere non potuisse: id que se summopere dolere, imò bis mille milliaria paratum esse adhuc proficisci eius occidendi causa. Hæc omnia ipse reus, vltro, nullis admotis tormentis, sua manu tunc scripsit. Postea complures in carcere, & tormentis etiam morti vicinus ea quæ sequuntur perseuerāter constanterque confessus est.

Primò, nulla coactus quæstione tormentaria, dixit, se Principem à Rege proscriptum, destinasse Delphis, mense Maio interficere, dummodo aliquam facinus perpetrandi, & euadendi oportunitatem nactus fuisset. Postea cùm literas de Ducis obitu adferret, pridiē eius diei proposuisse homicidium committere, sed deterritum fuisse metu, cum nullam effugiendi commoditatem videret. Eodem autē quo facinus perpetrauerat die, animum, omni metu depositō pertinacissimè obfirmasse, Principem vel quinquagies mille viris vndique stipatum occidere. Deinde omnia quæ etiam Iesuitæ significarat, confessus est ita esse, vt prius dixerat. Addidit insuper, se, cùm in Francia esset, neque die neque nocte quiescere, aut dormire potuisse, sed huius cædis machinationem animo assiduè versasse: imò, vt literas ex Francia ad Principem deferret, cum reliquis famulis contendisse, & rixis & pugnis. Si verò hac vice res non succedisset, in Franciam redituram fuisse, vt se alicui reformatæ religionis cœtui ingereret, & à conuentu que consistorio literas cōmendatitias impetraret, quibus in has regiones accessus facilior, & institutum perficiendi commoditas melior daretur. Præterea adhibitis tormentis, & ante tormenta con- *Confessio extorta.*
fessus est se machinationem cædis Doctori Geryoni Minoritæ in vrbe Tornacensi indicasse: & hunc quidem minoritam Monachum benedictionibus, & promissis plurimarum precum piarum eum animasse: Iesuitam quendam similiter Treueris fecisse, & in martyrum numero, si huius facti causa morte mulctaretur, collocandum recepisse: Rem quoque tribus alijs Iesuitis indicatum fuisse. *Iesuitæ martyrum cælum pollicentur.*

Iterum equuleo excruciatus dixit, se, quandoquidem tenuis fortunæ esset, opes acquirendi spe hæc egisse; & machinationem Principi Parmensi significasse; missum autem à Parmense ad Assonvillium Consiliarium, qui cum eo de huiusmodi negotio ageret. Assonvilleum verò difficultates primò, deinde rem Regi fore gratissimam declarasse, & rem omnem Parmensi significaturum promisisse: & id quidem fecisse, atq; institutum summopere Parmensi placuisse: promeritis autem, si id perficiat, mercedem in proscriptione propositam confirmasse: monuisse autem, ne, fortè in facinore deprehensus, Parmensem prodat aut accuset. Se quoque, cum Assonvillens volenti in Auraici Principis aulam venire difficultates proponeret, respondisse, nihilo fore periculi, si nomen Francisci Guionij sibi sumat, cuius pater Petrus Guionius religionis causa, olim capite & bonis mulctatus fuerat: dicātque se iam ad inopiam redactum, & religioni reformatæ addictissimum cupere inseruire Aulæ Principis, & sigilla hæc offerre. Assonvilleum institutum omne comprobasse, & mactē animo exequeretur instigasse, verùm ne Parmensem prodereret, iterum monuisse, complures ob causas, atque bene animato dixisse, Vade fili, si quod propositi effeceris, proculdubio promissa omnia à Rege accipies, atque insuper æterna fama celebraberis. Parmensem quoque suos conatus laudasse ac promouisse, sigilla vidisse, & vt ijs vteretur consensisse: verùm decreuisse, vt Mansveldius signum quo hactenus vsus fuerat, mutaret, neque amplius tessellarum instar scinderet. Assouvilleum insuper abeuntem instruxisse, quomodo se Antverpiæ coram Aldegondo, & alios alibi gereret. Ad ea verò respondisse, se proculdubio, prætextu religionis adepturum commoditatem inseruiendi alicui amanuensi aulico, & tempore locoque oportuno, literas aliquas Principi ostensurum, eumque sica confossurum. Tertiò post tormenta die, nequaquam pœnitens, confidenter ait, se trucidaturum Principem si adhuc viueret, quamuis pœnam vel mille corporibus luere deberet. *Dicit se paucitate impulsum.* *Parmensis per Assonvillem homicidium instigat.*

His cōfessionibus quas sua manu scripsit, & alijs quas vltroneus & tortus edidit, audiris, Domini Consiliarij supremarum curiarum Prouincialium, vnà cum Præfecto & Senatu ciuitatis Delphensis, examine & iudicatu perpenso, iudicium contra Balthasarum reum sequenti tenore pronuntiārunt. *Iudicium contra Balthasarum Gerardi.*

Balthasar Gerardi, Villefarensi in comitatu Borgundiæ natus, confessus est, se, postquam illustrem genere ortum que Principem Aurangiæ occidere decreuisset, huius facinoris perpetrandi causa accipisse à Comite Mansveldio sigilla; sua insuper consilia, Tornaci cum Consiliario Assonvilleo, nomine Principis Parmensis cōmunicasse: Assonvilleum autem promisisse, si quod

Digitized by Google

An. 1584. decreuerat, effectum reddere, & proscriptionem contra Principem Auraicum exequi posset; Regem Hisp. ipsi omnia in proscriptione contenta præsturum, & præterea viginti quinque ducatorum milliaria exsoluturum: consuluisse quoque vt se Francisci Guionij nomine vocari diceret, & religionis prætextu gratum in Principis aula redderet: hac arte instructum, nomine Francisci Guionij secto, in Principis aulam venisse, & 9. Iunij duos sclopos emisisse, eosdem 10. Iunij, interea dum Princeps pranderet, puluere nitrato, & glandibus muniisse: vtrosque cingulo appensos sub pallio occultasse, & Principem, finito prandio, ex cœnatione in cubiculum ascendentem, explosio sclopio ita vulnerasse, vt vitam amiserit: quod quidem nefarium perfidum facinus in tam illustrem Principem designatũ, impunitum aut inultum nequaquam dimittendum, sed grauissimo supplicio puniendum expiandumque, aliis exemplo. Proinde dicti Domini, exactè perpensis homicidæ confessionibus, & aliis quibuscunque in tali negotio considerandis, dictum Balthasarum Gerardi condemnarunt & condemnant, vt in pegma ante basilicam huius ciuitatis exstructum perducatur: hic primò manus dextra, qua nefarium perfidumque facinus perpetrauit, ferro candenti constringatur & comburatur: deinde candentibus forcipibus, sexies, diuersis locis, carnes in brachijs, pedibus & alijs corporis partibus torsioribus exuratur & diuellatur: postea viuum corpus in quatuor partes ab inferiori parte incipiendo, findatur, venter prosecetur, cor euellatur, & in rei faciem: postea caput amputetur: quatuor cadaueris partes dissectæ, in quatuor oppidi propugnaculis suspendãtur: caput in turri scholari, retro dicti Principis hospitium, præpilatæ hastæ imponatur: bonorum quoque sit confiscatio. Pronunciatum in basilica ciuitatis Delphensis, 14. Iulij, anno 1584. *Subsig. A Meeranus.*

Homicida fatetur se desperatione & pauertate adactum.

Pridie, qui fuit dies 13. Iulij Veneris, reo sententia significatur, vtque se in diem Sabbathi ad mortem præparet, admonetur. Primò summopere consternatus, diris imprecationibus praxim, vsumque forensem quem didicerat, execratur: præstitisse potius opificium manuarium aliquod licet tenue addiscere & exercere, quam in hanc miseriam incidere, se lucri causa facinus perpetrasse fatetur: nihilominus postquam adeo dementer deliquisset, æquum esse, vt

Necessarium, sed insanæ stolæ, & super bus animus homicidæ.

& pœnas luat: deinde virilem ac fortem animum ostendit, necessitatem constantia, tam in tormentis, quam in morte superare conatur, necessaria sibi patientia ac tolerantia gloriã aucupari volens, non sine summa omnium admiratione: inductus firmissima persuasione, se instar inclyti pugilis Romanæ Ecclesiæ, cœlum meruisse, & tormẽta pœnasque ob peccata olim admissa iam pati: hac autem cæde nequaquam peccasse, imò cœlum meruisse, & in cœlum se tendere, dixit, vt apud Deum pro omnibus intercedat. Pœnitentiæ aut doloris nullum signum edidit: se paratum esse, homicidium istud, si commissum non esset, adhuc cõmittere affirmauit: quandoquidem probi boniquæ subditi officium sit, mandata superiorum exsequi: hæc & similia ore proferens de perpetrato facinore gloriatus est: cumque tormenta perpessus rediret, Senatui aperto sinu, virgarum vibices, verberumque vulnera ostendens, Ecce homo, inquit, quod de Christo dictum, sacra narrat scriptura. Plurimi spectatores reputabant semianimem languidumque ieiunio & torturis, exteriorem sensum prorsus amisisse, & præter animi alacritatem nihil amplius habere.

Die Sabbathi 14. Iulij, Delphis publicè in forum pegmate aduehitur, & secundum sententiæ tenorem exequutio perficitur: reus miram patientiam præfert, quam in primis à Deo sibi concedi petierat: concionatores diuini verbi audire recusat: dum manus exuritur, & caro auellitur, nihil clamoris aut lamentationis edit: manu vsta visus est crucis signum aliquo modo formare & populo benedicere: corpus in quatuor partes dissectum, quatuor locis suspenditur: caput hastæ præpilatæ imponitur. Patuit profectò in hoc homine admodum manifestè insignis Rom. Ecclesiæ doctrinæ fructus, quę homines nefarios huiusmodi facinora patrando cœlum mœreri asserit; Pontifex, summo, vt tum ferebatur, id comprobante; contra omne ius, tam diuinum quàm humanum, quandoquidem hinc humanæ societatis exitium, & pernicies expullulet, Et mirum sanè ex tali schola non prodire plures discipulos. Scelus hoc tam horrendũ, & detestabile ipsamet natura execratur: imò ipsius Parmẽsis milites ab ominabãtur, vituperabant, improbabant. Ciuitates multæ, cùm Ecclesiastici hoc homicidio gauisi festos ignes in lætitiæ signum struere vellent, id permittere noluerunt. Cùm autem Busceducis, Canonici, à ciuibus ignes extruere prohibiti, nihilominus in templo cathedrali hilares Te Deum laudamus cecinissent, sequente vesperi horrenda tempestate orta, tonitruo flumineque templum incensum conflagrauit, nullis tamen ciuium ædibus ignis damnum intulit.

Tertio Augusti, die Veneris, Princeps humo mandatur. Ordines Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ & Traiecti, magnifica imprimis suæque præstantiæ, & celsitudini digna mortuum supultura ornarunt: præcipuè in meritorum, & heroicarum suarum virtutum memoriam: fuit enim quartus quinque fratrum Nassouiorum, qui Ordines Belgij fideliter defendendo occubuerunt.

Exsequia

Ordo in exsequijs celebratis hic fuit. Præcedebant ciues Delphenses armati, lugubri quodam

dam habitu: hos sequebantur tubicines: deinde deducebantur octo equi pullati pannis in terram vsque dependentibus tecti: post singulos equos portabatur signum militare, cum armis clypearijs, quibus etiam equi erant ornati. Primus autem equus ducebatur à D. Gerhardo Schotano, & D. Paulo VVythio: signum, & arma sui Baronatus Brædani gestabat Dominus Grutehus. Dierickslandiæ Dominus. Secundus, à D. Delfstio, & D. Rouleso: signum & arma Marchionatus Verensis & Flissingensis gestante, D. Egmondano. Tertius, à D. Sprangero, & D. Oestrumo, arcis VVeerdæ præfecto: signum, & arma Chaloniæ gestante D. Rosmæo. Quartus, à D. Florentio Serclaisio, & D. Petro Rosmæo Puttæ Bailliuo: signum, & arma Baronatus Diest, gestante Gaspar Poelgeesto. Quintus, à D. Iacobo Almondano, & D. Raephorsio: signum, & arma Viandæ gestante D. Gerardo ab Aa. Sextus, à D. Cornelio VVingardo, & D. Ioanne Lindano: signum, & arma Catzenesboge gestante D. Lancloto. Septimus, à D. Philippo ab Aa, & Domino Hermanno VVittenhorstio: signum, & arma Nassouiæ gestante Cornelio Syvetono. Octauus, à D. Ioanne Baxio, castri Heusdani præfecto, & D. Theodoro Duuenuoordo Brilæ præfecto: signum, & arma Orangiæ gestante D. Marquetto. Hi viri nobiles, sicut & reliqui omnes, pullati togis nigris ad terram vsque longis incedebant. Hos sequuti D. Manfartus tubam militarem, D. Ryhouius vexillum, D. Naelvvickius militare signum, singulaque insignibus symbolis diuersis ornata, gestant. Deinde quatuor clypei, quatuor stemmata defuncti, nempe Nassouiæ, Stolburgi, Hessenæ & Leckæ, à D. Barone Petersfuni, Denteo, VVencelao Botzelaro, & Ioanne Assendelftio Cralingæ domino gestantur: post hos D. Iacobus Egmondanus arma integra cum galeæ cono suis depicta coloribus portat. D. Daniel Botzelarius Mervvæ dominus, casidem; Duyttius satellitio præfectus militarem gladium; VVolfardus à Brederoda paludamentum, gestando. Tum equus funebris nigro holoserico ad terram vsque pendente amictus à D. Brechto, & D. Maldreo deducitur. Sequuntur, Comes Ouersteynus nudum gladium gestans, & Baro Creaingæus aureum coronam: tum tres Oeconomi D. Andemfortus, D. Vierius, & D. ab Aa baculos manibus tenentes. Post hos corpus feretro, pendulis armis clypearijs ornato, defertur à duodecim viris: proxime eunt Ioannes Burgondus dominus Fromonti, VValrauus dominus Brederodæ, D. Ioannes Merodius, & D. Scerervvoudius: post corpus & fecialem subsequitur D. Mauritius Nassouius Principis defuncti filius, indutus toga lugubri humum verrente, cuius syrma D. Sonffeltius gubernator alleuat. Ad Mauritij dextram incedit Princeps Electoris Colonienſis Truckſetius: ad sinistram Comes Hohenloius: sequuntur sic paratim singuli, Comes VVilhelmus Nassouius, Comes Philippus Nassouius, & Comes Solmius, qui funebrem pompam concludit. Veniunt deinde Ordines generales, Consiliarii Status, Ordines Hollandiæ, Consiliarij consilij æræ lisimi generalis: Hollandiæ Præses, Consiliarij & Secretarij: tum Consules & Senatores Delphenses: Conclonatores: Præfecti satellitio, militiæ, & administrationi, quos omnes innumera populi multitudo sequuta est. Hac pompa funebri Princeps Auraicus Delphis in primario templo sepultus fuit. An. 1584.

Principis magnifice celebratur Delphis.

Erat autem his, quos sibi adscripsit, titulis inclytus: Dei gratia Princeps Aurangiæ, Comes Nassouiæ, Catzenellebogæ, Dietzæ, Viandæ, &c. Marchio Veræ & Flissingæ: Borggrauius Antvverpiæ: Vicecomes Bisontij: Baro Bredæ, Diestæ, Grimbergæ, Arloyæ, Nozeroyæ, &c. Dominus Castellini, &c. Præfectus generalis Belgij: Gubernator Brabantiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiectí & Friliæ: Præfectus maris Germaniæ inferioris.

Tituli Principis Auraici.

Vixit annos ferè quinquaginta duos: annos videlicet 51. menses 11. dies 25. corpore bene compacto, statura parum vltra quam mediocri, colore fusco, barba fusca, facie quidem satis gracili, sed corpore bene disposito, & pingui. Indolem animumque qui cognoscere volet, ex eius rebus gestis colligat.

Aetas. Facies.

Primam vxorem duxit filiam & hæredem vnicam, Maximiliani Egmondani, Comitis Buræ, Leerdami, &c. ex ea genuit Philippum Nassouium, Comitem Buranum, nunc temporis Principem Auraicum, qui ex Academia Louaniensi auctus, in Hispaniam captiuus est abductus: genuit etiam ex eadem vxore filiam vnicam, nomine Mariam. Secundam duxit vxorem, Principis Electoris Ducis Mauritij vnicam filiam, Annam Saxonicam: ex hac filius vnicus Mauritius Nassouius, & duæ filiæ genitæ. Anna, quæ postea Comiti VVilhelmo Nassouio, Iohannis filio nupsit, & Amelia. Tertiam Charlotam Borboniam, Ducis Montpenzieri filiam: quæ ei sex filias peperit, nempe Ludouicam Iulianam, Elisabetham Flandrinam, Catharinam Belgicam Brabantinam, Charlottam, & postremam Ameliam Antvverpianam. Quartam verò & postremam habuit vxorem filiam Iasparis Colignij Comitis, Franciæ Archithalatsi; viduam nempe D. Tilignj, cuius & pater & maritus Parisijs iuere trucidati: hæc ei filiū peperit, Prideicum Henricum Nassouium. Reliquit præterea filium illegitimum, Iustinum Nassouium, maris in Zelandia præfectum, sub Archithalasso Comite Mauritio. Has duodecim habuit proles defunctus VVilhelmus Aurangiæ Princeps, qui fuit filius VVilhelmi Nassouij,

Matrimonia.

Proſapia.

Digitized by Google

An. 1584. souij, fratris Comitis Henrici Nassouij: quorum vterque natus patre Ioanne, fratre Engelberti: Ioannes autem & Engelbereus progeniti Ioanne Nassouio patre, & Maria Leona matre.

Fratres Auraici Principis.

Fuit hic Guilhelmus Nassouius, Princeps Auraicus, maximus natu quinque fratrū, quorum tres, Lodouicus, Adolphus, & Henricus his Belgicis bellis cæsi morte occubuerunt: Ioannes autem Nassouius secundus natu, adhuc superstes, viuit Dillenburgæ: habet & is multas proles, duo filij maximi natu, Comes Vilhelmus, & Comes Philippus, huic bello contra Hispanum strenuam nauant operam, hinc facilè bellicissima totius Europæ familia æstimanda est.

Habuit præterea Guilhelmus, Princeps Auraicus multas sorores, magnis heroibus nuptas, multa prole fœcundas: ita vt Iuliana eius mater comitissa à Stolberg/mulier comprimis proba, prudens ac industria, cum vixisset annos 75. anno 1578. viderit ex se genitos Comites filios & nepotes 123. numero: quis postea numerus accesserit huic profapiæ, nobis incognitum est.

Comes Mauritius Nassauius Gubernator Hollandiæ, &c.

Ordines generales gratitudinis ergo Comitem Mauritium, Principis interfecti filium gubernatione Hollandiæ, Zelandiæ, Friliæ, & Traiecti vlteriores, præterea maris præfectura donarunt. Philippum autem Comitem Hogenloum vicarium, terra constituerunt.

Parmensis hodie illes conatus.

Supra diximus, Gandauenses pacem aut reconciliationē nullo pacto inire decreuisse, dumodo aliarum Prouinciarum auxilio iuuarentur. Hac potissimum de causa Parmensis Prouincias vbique hostiliter inquietare ac fatigare, pro viribus conatur, præcipuè Zutphaniam in Geldria, & Flandriam. Calloæ ad Schaldim vallum construit. Interea quoque dum naues cum commeatu alijsque rebus necessarijs Teneramondam mittuntur, vt Gandauensibus inde subueniatur, ipse ex Flandria cum magno exercitu Callebekam ad Schaldim non procul à D. Bernardi Abbatia contendit: vtrinque in amnis ripa tormenta bellica disponit: naues præfidiarias Antverpiensium descendere cogit, sed parum damni infert: mox Mondragonius amne trāiecto cum suis copijs vltra vrbem Antverpiam iter ingressus, 500. curribus, & decem tormentis bellicis instructus Lilloam petit. Lilloæ autem, tribus ab Antverpia miliaribus, Antverpiani munitum aggerem confecerant proximè amnem, vt cum liberum tutumque seruarent, præsidiariosque maxima parte suæ vrbis ciues hic disposuerant: è regione quoque huius præsidij, in Flandria, paulò antè, propugnaculum Liefkens hoecka dictum construere cœperant, vt vndique tutius amne frui possent: id autem neque satis perfectum, neque munitum. Parmensis per Vicecomitem Gandauensem, qui nunc Marchio Rysburgius appellatur, iubet excercitu 5000. militum, ab alia parte Flandriæ oppugnari cingiquè: quod simul ac dedi hostes postularunt, mox trecentis tormentis explosis impetunt: & secunda oppugnatione tentata, currus fœno onustos incendunt, fumoque graui hinc orto, propugnaculū vi capiunt: deprehensos præsidiarios omnes trucidant: multi autem aquis se commiittunt, natandoq; euadunt, capitur præfectus militum Ioannes Pettinus Atrebas, miles veteranus, bello imprimis expertus, & fidelis, cum alijs aliquot strenuis bellatoribus, quos Marchio Rysborgius sedato animo, nullaque ira percito, sua manu interfecit: & tali quidem facinore non tantū in hos, sed & ante etiam sæpius in alios perpetrato, animi crudelis ac sanguinarij cuidentia signa edidit Rysborgius.

Propugnaculi Liefkens-hoecke inuadunt Parmensis copiæ.

Lilloam propugnaculū ob sessum à Parmensi, defenditur acriter à Teleguio.

Interea dum Hispanus Liefkenshoeckam infestat, Antverpienses in propugnaculum Lilloam, quod tantum 130. viris munitum erat, mittunt cohortem iuuenum cælebum ex vrbe, præterea 80. collegas sagittarios. Cumque præfidiarij Teneramondæ & Neusæ, auxilia plura peterent, venit eò Gallorum cohors sub strategō Gauvvo Aquitano, antequam hostis tormenta bellica disposuisset. Aquitanus cum præsidiarijs eruptionem in hostiles copias facit, fugientium Burgundionum cohortes quinque dissipat, 150. interficit, duos militum præfectos capit. Venit & paulò pòst Telignius, D. Lanouij filius, iuuenis bello imprimis, acer atque expertus, cum magna cohorte Gallorum eo missus præcipuè à Brabantis, vt cum imperio rei gerendæ bonum ordinem constitueret: hic mox, vt intrauit, ne hostis propius accederet, prohibuit: & cùm excubiæ tantum in ipsis fepimentis agerentur, disposuit excubitores vlterius ad extremū vsque vallum, atque ita sæpimētum dies aliquot strenuè frequentibus iaculationibus defendit, postquam verò Mondragonius quatuor tormenta maiora in aggere Zelandiam spectante posuit, iamque ex Zelandia quatuor cohortes Schotorū sub Chiliarcha Balfourio, auxilio obsessis venissent, rursus præfidiarij, simul atque statum hostilis exercitus, situmque loci cognouerunt, eruptionem fecerunt, spe potissimum tormenta bellica aduersarijs eripiendi: sed ob aggerum hostilium angustias viarumque difficultates, eo vsque peruenire nequaquam potuerūt: occiderunt nihilominus plus minus trecentos hostes, & cuniculis suffosionibusq; præfectum, in Lilloense propugnaculum perduxerunt captiuum: atque is quidem cuniculos meatusque subterraneos, quos hostes suffoderant indicauit, & apud eos lubens permansit, stipendiaq; meruit fideliter suo fungens officio.

Deinde Mondragonius plusquam sexcenties tormenta æanea in vallum displosit, & parte qua ruinam ingentem fecerat, præsidia expugnare molitur: verùm præfidiarij eadem obsessores inuadunt: cumq; antea prope locum labefactatum cuniculos fodissent, & fugam simulando, eo vsque

Digitized by Google

eo vsque hostes pertrahere constituissent, is cui succendendi negotium cõmissum fuerat, ignem præproperè intempestiueque nimis meatui subterraneo indidit: atque hinc euenit, vt circiter 25. intraneorum læsi & interfecti, parum autem damni hostibus, qui inlequuti eo vsq; nondum peruenerant, illatum fuerit: nihilominus maiora tormenta magna eos clade affecerunt. Post id tempus hostis parum tormentis suis bellicis præstitit: sed ea subinde, vt quid efficere possent tentaret, huc illuc explosit. Obsessi profectò, duobus tormentis maioribus Antverpia missis hostes graui damno affecerunt, ea enim aduersus hostilia tormenta quæ conspectui patebant, industrie admodum collocarunt, machinasque & rotas eminus confregerunt: quin & quatuor vt minimum, in aggere & agri planitiè ante ipsum propugnaculum quassarunt atque ruperunt. Hostis autem cum videret introeundi, & exeundi oportunitatem præcipuam aquas præbere: molitur ab altera ripæ parte, ex Liefkenshoecka in portum tormenta dirigere, & hoc modo omnem accessum prohibere: verùm cum nec hac quidé ratione se proficere comperit: ingentem tormentorum copiam ad transfossam aggeris Calloani regionem, vbi flumen angustius, peruehi curat. Parmensis autem frustra omnia hæc fieri reputans, postquam loci situm perspexit, propugnaculum 15. aut 16. cohortibus, & commeatu rebusque bello necessarijs satis munitum cognouit, cùm iam tres circiter septimanas præsidium obsedisset, tormenta castraq; mouit: relictis saltem militibus aliquot Lilloæ, Kouvvensteynæ, Ordammi, & Blaugarendickæ, qui mox se vallis fossisque munierunt. Ferebatur tunc vulgo, in hac Lilloæ obsidione circiter 2000. obsessores occubuisse, clade præcipuè illata tormentis ex propugnaculo explosis: neque id mirum: insumpserant enim præsidiarij, decem dierum spatio, pulueris libras, quinquagies mille. *Parmensis copiæ defistunt, ab obsidione Lilloana.*

Plurimi præsidiariorum, qui Lilloæ suo munere strenuè functi fuerant, inde alio mittũtur, reliqui ad vallum custodiendum relicti, mox seditionem ob stipendium multorum mensium non solutum, excitant, expulsis D. Teligno, Plucketo, & alijs strategis atque præfectis: proinde Ordinum Brabantiæ Proceres, qui debita hæc soluere tenebantur, pro mensibus quatuor præsentem pecuniam numerarunt, præterea pro mense vno pannum quo vestirentur, militibus dederunt.

Parmensis postquam Lilloam obsidere destitit, ripas aggeresq; Schaldis multis cohortibus & bellicis tormentis munire aggreditur: quod simul ac Antverpiani percipiunt, haudquaquã vanè suspicantur, eum, postquam iam agris vicinis confidenter potitus esset, moliri Scaldis meatum impedire, & eius potissimum rei causa aggeribus munimenta, & tormenta bellica imponere, transitumque prorsus velle intercludere, atq; vrbem Antverpiam, quæ reliqua Brabantiæ oppida præludia que victu & quæstu fouebat ac sustentabat, à Zelandia separare.

Antverpiani hanc ob causam soliciti, vtpotè qui totius Brabantiæ defendendæ curam habebant, mox consensu & auctoritate Consilij Ordinum Brabantiæ (quod ex paucis Baronibus siue Dynastis, & Antverpiæ, Bruxellæ, aliarumque aliquot ciuitatum deputatis, inter quos D. Aldegondus Consul Antverpiensis, Bruxellensium quoque nomine erat, tunc temporis constabat) D. Gryseum in Angliam miserunt, vt 1500. Anglos milites sub Chiliarcha Morgano collige ret: in Francia quoque 1500. Gallos sub D. Aleyneso conscribi curaret: verùm Galli non venerũt, sed tantum Angli, in quorum stipendia Gallicanæ & Teutonicæ Ecclesiæ Belgarum decem florenorum millia contulerant. *Brabanti & Antverpiani colligunt milites.*

Decreuerunt quoque oppidum Herendalanse relinquere, & præsidiarios inde alio mittere, & quicquid ipsis vsui esse posset euehere. Defensionis autem apparatu militari facto, sustentandæ alendæque fuerunt cohortes 80. peditum, & 16. turmæ equitum: atque omne istud onus Antverpienses imprimis ferre, & præterea naues præsidiarias armamentis, munimentis, commeatu alijsque rebus necessarijs instruere debuerunt: quapropter sæpe cẽtesimum, & quintum quoq; nummum valoris, quarumcunque mercium aduectarum, & euectarum, insuper etiam duas partes & mediam exactionum, quæ simul circiter trecenta florenorũ millia conficiebant, exsoluerunt. Ingens proculdubio pecuniarum summa collecta tunc temporis fuit: quamuis plurimi ciues, imprimis autem ditiores subitò metu perturbati vrbem relinquerent, ob propugnaculum Liefkenshoeckæ ab hoste adeo facile ac repentè captum, & mortem Principis Auraici interfecti, hæc enim duo vno eodemque die contigerant. Horum quidem ciuium ditiorum, qui vrbe exierant, circiter 80. redire, statuto tempore adesse, & ciuitatẽ cuius ciues erant, defendere actueri, sub pœna confiscationis bonorũ iulsi fuere: verùm id ex sequi difficilè erat, eo quod Hollandia & aliæ Prouinciæ, Antverpienses talia ex sequi volentes admittere recusarent. *Herendalæ oppidum relinquunt. Brabanti siue Antverpienses sustentãt 80. cohortes pedites, 16. & 16. turmas equitum. Ingentes contributiones Antverpiensium. Plurimi ditiores ciues Antverpiam relinquunt.*

Parmensis post quam Lilloa relicta, castra mouit, & valla, propugnacula, aggeresque præsidijs firmauit, cum reliquo suo exercitu Teneramondam Flandriæ vrbem aggressus est, haudquaquam ignarus præsidiarios hic paucos esse, maximamque partem ad alia loca necessariò tuenda abijsse: reliquos quoque qui remanserant, indignissime ferre stipendia non exsoluti: ipse *Parmẽsis Teneramõda potitur.*

autem

Digitized by Google

An. 1784. autem Ryhouius vrbis Gubernator, vt suis satisfieret, in Hollandiam erat profectus, relicto vicario Montaignio. Parmensis vrbi propinquus, arte quam ante excogitarat, vtitur: aquas ex vrbis fossis prope portam, Bruxellensem alio deriuat: ruptis denique cataractis, & amne occluso, octodecim tormentis æneis murum labefactat ingenti ruina, 190. pedes lata: erat autè vrbs aquarum commoditate munitior, quam murorum aut mœnium structura: mox propugnaculum quoddam inuadit, non tamen sine multorum & eximiorum Hispanorum clade: hinc ciues perterriti de dedenda vrbe agere incipiunt: & præsidiarios, quorum numerus exiguus erat, simul pacisci cum hoste cogunt: fit deditio 17. Augusti: præsidiari, gladijs & pugionibus armati exeunt, similiter & ciues quibus exire visum fuit: reliqui qui in vrbe manserunt, sexaginta florenorum millia numerare debuerunt. Verùm contra initi pacti leges, hostis perfidus duos conscionatores apprehensos morte mulctauit.

Vilnordæ capit Parmensis.

Parmensis hac victoria potitus, suas copias 19. Augusti Grimbergam versus mittit: propugnaculo prope VVillebrockam occupato, Vilvordam tendit: ea 7. Septembris deditione facta potitur, non sine magna infamia præfecti, qui oppidulum defendendum susceperat. Hinc nauigatio inter Antverpiam & Bruxellam intercluſa fuit.

In Geldria quoque Parmensis fortunatè bellum gessit: in vrbem Zutphaniam commeatus & auxiliares copias misit, fruſtra hic resistentibus Hollandis, qui tunc temporis prope propugnacula quædam, & prope Lochemum cladem non leuem hostibus intulerunt.

Gandauenses ciuitas pacisciturcum Parmense.

Gandauenses rebus adeo feliciter Parmensi succedentibus, labascere, animisque frangi cœperunt, postquam subsidium satis diù exspectassent, nihilq; amplius spei superesset: Brabantos quoque defensioni suæ patriæ grauissimè occupatos; & Hollandos omnes vires in oppugnãdo prope Zutphaniam vallo adhibere, cognouissent: proinde cum Parmense pacisci decreuerunt, inducti potissimum instinctu eorum, qui clancularie Hispanis fauebant, & aliorũ plurimorum pusillanimitate, qui id vtilissimum ciuitati existimabant.

Articuli & conditiones pacti Gandauensis.

Septembris die 17. Gandauensium delegati cum Parmense transfigunt Beuræ: polliciti se Hispanorum Regi, tanquam Flandriæ Comiti, submissuros deditur osque, ea conditione, vt regimen, consuetudines, priuilegia ante hos tumultus bellicos vſitata, seruarent: Rex solitis vectigalibus & dominijs frueretur: Antistites Ecclesiastici, collegia, monasteria, & quicunque vrbem ante reliquerant, bona facultatisque reciperent: fructus autem ex bonis immobilibus aut redditibus collecti nõ restituerentur, nisi eosdem priuato vsui accommodatos insumptosque esse constaret. Reformatæ religioni addictis & aliis, dummodo sine offendiculo viuant, in vrbe manere duobus annis, & de facultatibus pro animi arbitrio disponere permitteretur. Ob delicta autem in ciuitate, præcipuè seditiosis hominibus extraneis, non ciuibus aut incolis, auctoribus perpetrata, Parmensis qui duodecim sibi tradi pro suo libitu puniendos, ante postu lauerat, sex tantum poscit: ex his quoque tribus vitam concedit: postmodum, vt maiora, Regiæ Maiestatis nomine, clementiæ signa ederet, his sex simul vitam largitus est. Pro trecentis coronatorum millibus, ducenta tantum millia numerari, liberaliter indulsit: id gratiæ beneficijque Regem benignè præstare, ne nimio onere aggrauetur ciuitas. Hæc pecuniæ summa, censu constituto, à ciuibus & incolis soluenda fuit: neque cuiquam antequam tributum numerasset, sine præfectorum consensu vrbe exire licuit: Concionatores autem, & synodrij siue confistorij præsides cum suis familijs, milites quoque numerato stipẽdio, dimissi fuerunt. Captiui vtrinque, inter quos Champignius, vinculis soluti. Pollicetur Parmensis se curaturum, vt intra tres aut quatuor menses pactio auctoritate Regis confirmetur.

Sex illi, quibus vitam concessam ante diximus, in carcerem nihilominus coniecti, fuerunt M. Antonius Heymannus senator, Lucas Mayartus, syndicus siue pensionarius vrbis, Leuinus Meynkenus, Pesterus, Barbianus, & Lanius. Heymannus & Mayartus effectis clauibus referato carceris ostio euasserunt: Meynkenus, religione abiurata, iunioris cuiusdam dominæ intercessione, pœna leui multatus, eximitur: reliqui non nisi ingente pecunia numerata emissi.

Ciues religionis reformatæ fautores, ab ijs qui vrbe expulsi redierant, & alijs aduersarijs, qui hac rerum vicissitudine officijs publicis recens præfecti erant, ducentis coronatorum aureorum millibus, quæ Regi debebantur, alijsque præterea oneribus & exactionibus exsoluendis, adeo importunè fuerunt vexati, vt necessitate vrgente, ad Parmensem supplices confugerint, qui se afflictis multo æquiorem humanioremque præstitit, quàm vrbis ciues. Tenuioris fortunæ multi indictionem hanc longa captiuitate coacti exsoluerunt.

Arx Gandauensis diruta restauratur.

Postquam VValones præsidiarij sub Champignio vrbis præfecto intromissi, & arx ante diruta, rursus nemine contradicente, tanquam imprimis commoda & necessaria, restaurata fuit: mox optimatum opulentissimorumque maxima pars, vrbe relicta, in Hollandiam, Zelandiam, aliasque regiones commigrarunt, ita vt vix media populi pars permanserit.

Sic potentissima ciuitas Gandauensis rursus in Regis Hispa. potestatem deditionemque redacta fuit: non angustijs aut fame adeo pressa, sed procul tantum agminibus cincta, verùm diuersa

diuersa studia ac dissidia spem omnem obsessis ademerunt, & hanc deditionis rationem potis- An. 1584
simùm inire coegerunt.

Miranda munitio vrbis Gandauensis.

Erat quidem vrbs propugnaculis, vallis, sepimentis, fossis, loricis, contra potentissimos insultus hostium vndique bene munita, perfectumque duorum annorum spatio, quicquid ad munitionem tantæ vrbis spectabat, quæ Lutetia Parisiorum, demptis suburbijs, magnitudine par est: insumptis operi circiter trecentis florenorum millibus: mœnia, propugnacula, valla ex cespitibus terraque aggesta constabant, quod munitionis genus comprimis laudatur, teste Lanouio in discursu suo politico quem delcripsit: opus sane insigne: quale Rex ipse sexies mille aureorum chiliadibus, vel sex milliones, viginti annorum spatio, nequaquam lapide ad normas scriptas perficere potuisset. Erant præterea in vrbe tormenta ænea plurima, pulueris nitrati maxima copia, munimenta armaque cuiusuis generis non pauca, quæ Parmensi imprimis tunc temporis vsui fuerunt.

Parmensis ad paratum, quo Scaldim claudat.

Parmensis enim postquam tota Flandria (exceptis Sluſa, Ostenda, propugnaculis Neusæ, & alijs quibusdam) potitus est, oportune facileque, vt constituerat, Antverpiam expugnare, & Schaldim amnem obstruere, denique totam etiam Brabantiam occupare potuit. Huius negotij causa, Beueræ, in Flandria, duobus ab Antverpia miliaribus manſit: tormenta omnia maiora, ex oppido Gandauo, & alijs locis, in pagum Melsam Beucræ vicinum, commeatum, annonamque in arcem Beuerensem; materiam in strumentaque ponti & nauibus conficiendis idonea in templum Callohæ vehi iussit: sexcenti præterea fossores, rebus omnibus apparatis, alueum foderunt, per quem amnis à Stekena, quatuor ferè miliaribus Calloham vsque deriuatus fluxit: qua fluuij commoditate, commeatus, armamenta, arma, instrumenta, & quæcunque alia necessaria facillimè Gandauo in castra nauibus deferri potuerunt.

Alueum fodit à Stekena ad Loum vsque Parmensis.

Aggere Cauwensteynum munit.

Maxima exercitus pars, Stabroeckæ, qui pagus est in extrema Brabantia, Flandriam versus, manſit sub Comite Manſeldio: non procul inde agger in prædium Cauvvensteynum excurrit, & vlterius, vbi prata, profundæque valles, Schaldim versus vergit, & vasto Schaldis aggeri iungitur. hic Mondragonius propugnaculum forte constituerat: conficiebanturque inter castra & Schaldim in eodem aggere quatuor ingentia valla, quibus minora etiam iungebantur: inter ipsa quoque valla, spatio medij miliaris sepes paliique continuo ductu extendebantur. Et his quidem modis sibi prospiciendum censebant: nam aggeribus Berendrechtæ perfossis, cùm Stabroeckam, VVilmerdonckam & Orderenam vsque, & prope Antverpiam agri humiliores inundarentur, metuebant, ne Zelandi & Antverpiani à propugnaculo Lilloæ Antverpiam vsque nauigijs pertingere possent, commoditate vallorum & propugnaculorum, quæ construebant: hanc autem nauigationem agger Cauvvensteynus transuersus impediebat.

Zeelandi Safftingæ in Flandria ingentem quoque aggerem exteriorem, & interiores multos cuerterunt: hinc aquæ extra aluum, ab Hulſta, Beueram, & Borchtam vsque diffluentes, terram omnem operuerunt: Doelæ tandem & aggeres aliquot Calloæ seruati, vnde etiam pars quædam interioris aggeris Beueram vsque supererat.

Per inundata hæc loca, & aggeres dirutos ipse Parmensis mense Octobri, viginti duas sclatas, siue naues planas, Teneramonda, maximè aggeris rupti commoditate, prope Borchtam, aduehit in terram vsque: non tamen sine suorum clade, Aldegondo ocyus insequente: occubuit hic inter alios Ioannes Cocus militiæ præfectus, glande ictus. Parmensis ijsdem nauibus, Antverpiæ ora præternauigare periculosum existimans, per inundantes agros Calloæ in Schaldim amnem rediit, non sine nouo conflictu, quo Petrus Backerus strenuus nauis actuariæ præfectus occubuit. Huiusmodi per aquas iter Antverpienses impedire consestim sategunt: & opera industriaque D. Telignij, in perfossi aggeris extremitate, Borchtæ, propugnaculum, à Telignio Telignianum dictum, construunt.

Descriptio pontis, quo amnē claudit Parmensis.

His quas dixi sclatis & alijs nauibus Parmensis, tandem amnem clausit, pontemque construxit. In vtraque aggeris parte, quæ pontis extrema continebat, propugnacula ingentia, vnum in Flandria, prope Calloam, nomine Diuæ Mariæ alterum in Brabantia, propè Ordamum, nomine Diui Philippi: multaq; alia numero plus minus triginta plurimis circumcirca locis maximè commodis constructo.

A duobus autem proximè pontem, sublicas magnas ad ripam in flumen fistucis adigi iussit altitudine quinquaginta pedum, continuo ductu, quousque amnis minus profundus id patiebatur: immensa enim altitudo alterius progredi vetabat: his sublicis plancæ superimpositæ: huiusmodi opere amnis vtrinque mille pedes angustior factus: spatium autem apertum, quod mille trecentos & amplius pedes patebat, id omne triginta nauibus clausit Parmensis, quæ altera ab altera distabant spatio 20 & amplius, pedum: singulæ duabus anchoris firmatæ, quarum vna contra maris accessum, altera contra abitum vsui erat: his autem nauibus impositi mali arboresque nauium, insuper asseres: hæc erat peruij pontis structura: quæque nauis alteri qua-

Digitized by Google

An. 1584. tuor cathenis siue rudentibus coniuncta, habebat tam in prora, quam in puppi tormentum æneum ingens, & triginta milites: itaque hæc duo propugnacula à Brabantia in Flandriam vs-

Longitudo pontis, & latitudo ejusdem. que, distabant 2400. circiter pedum longitudine: tam longa enim reputabatur pontis mensura.

Contra hostium oppugnationes, parata erat altera adhuc ratis, ex malis nauium quadratis, interuallo quodam iunctis, quos cymbæ anchoris firmatæ sustentabant: hæc ratis à ponte distabat vtrinque pedes circiter quingentos, vt quidquid aduersus pontis naues aduentaret, hoc loco hæreret atque occuparetur, donec ex propugnaculis, nauibus, aut aggeribus tormentorum æneorum impetu in profundum demergeretur. Aduectæ huc naues quæcunque conquiri vndique potuerunt, quæ vtrinquæ dispositæ, pontem hunc, quem Stoccadam vocabant, tuerentur.

Collocata vtrinque in aggeribus tormenta ænea ingentia, & militum cateruæ plurimæ: ita vt ponte nondum facto, difficile periculosumque imprimis fuerit illac nauigijs transire, ob Bombardarum in transeuntes admodum violentos & crebros impetus: quæ maximo numero locis valde propinquis, humilibus ac commodis stabant: quæ quamuis horrendum in modum naues quassarent ac submergerent, nautas quoque & alios fauciarent atque occiderent, nihilominus tamen, pericula mortemque nihil veriti, audaces præter nauigare non destiterunt.

Vtautem intercludendi amnis machinæ ocyus perfici possent, Parmensis fabrorum ferrariorum, lignariorum, & aliorum opificum ingentem numerum collegit: seque ipse imprimis industrium, promptum, diligentem præstitit, occupatus hoc opere septem ferè menses fuit, hyemem nempe totam consumens, die enim 7. Martij anno 1585. Schaldis amnis ab omni parte clausus fuit.

Antverpiēses defensioni operam dant. Cum Parmensis hocapparatu ciuitatem Antverpiam coercere moliretur: Antverpienses se defensioni intentos omnibus modis præstiterunt; Anglorum auxiliaribus copijs, sub Tribuno Morgano, vt diximus, freti: pecuniam quoque ingentem, tantis oneribus sumptibusque comprimis necessariam, coegerunt: varia propugnacula passim constituxerunt, Lilloæ, Liefkenshoeckæ, Antonithoeckæ, Teruenti, VVorti, Borchtæ, Melckhusæ, Vere, in ipso, nempe traiectu, & Tolosanum: hæc in Flandriæ oris: in Brabantia autem propugnaculum Rusticorum, & Austerveelanum, cui leue munimentum adiunctum erat: præterea antemurale siue sepimentum extra vrbem, prope mœnia Antverpiana, inter arcem & portam Cæsaream.

Nomine Prouinciarum fœderatarum, Comes Hohenlous & Dominus Villersius, exercitum circa Bergosomam conscribunt, peditum cohortes viginti sex, equitum turmas septem: Steenbergam inuadere frustra machinantur. His collectis copijs, Brabantiæ limites ad amnem vsque munire statuerant: verùm ipsius Parmensis præsidia & propugnacula, sicut suprà diximus, ita fuere prope Stabroeckam, vallata & vndique cincta, vt, neque vi, neque dolo inuadi potuerint.

Aldegondus Consul Antverpianus, antequam Parmensis propugnacula in aggeribus facere incepisset, instanter proposuerat consuluitque, propugnaculum in ipso aggeris quadriuio, vbi magno Schaldis aggeri Cauvvensteynius iungitur, necessariò construi,, Cauvvensteynium perfodi debere, ne hanc aggeris partem Parmensis occupet: hinc enim vrbi maximum periculum imminere: idem quoque Tserartsius, Cauvvensteyni Dominus, qui loci situm optimè nouerat, consuluit: verùm obstiterunt tunc temporis imprimis lanij, & quidam alij qui hic prædia & agros habebant, suæ, non ciuitatis salutis studiosi: idemque Tserartsium hac de causa odiosum, vrbem relinquere coegerunt, qui cum ad Parmensem confugisset, ei plurimum eum modi, ciuitati verò incommodi præstitit: cuius beneficij memor gratusque Parmensis, Marchionatus Antverpiensis dignitate Tserartsum donauit.

Antverpienses, postquam Parmensis eos præuertit, & dicta loca occupauit, pontis munitione nondum præparata; militum collectorum copijs instructi, hosti eadem adimere machinantur: hostis autem interea Rusticorum propugnaculum 13. Augusti capit: proinde consilijs mutatis, captum propugnaculum recuperandum statuunt: quo simul ac potiti fuerunt: Parmensis contra conditingentem molem, Rusticorum propugnaculum dictam. Hinc Austreveela concrematur, multi vtrinque cæduntur: occubuere hic Gordonius Schotus, & alij aliquot militum præfecti, fideles vrbis propugnatores. Miserunt Antverpienses nuncios ad Ordines Hollandiæ & Zelandiæ, auxiliaque petierunt, quibus vicina propugnacula vallaque capiant, antequam hostis ea munitiora reddere queat: & quia de fœdere cum Gallorum Rege tunc agebatur, exspectarunt duo Gallorum stipendiariorummillia sub stratego Alayneso, quibus iunctis hostem simul inuaderent: verùm longa procrastinatio cunctatioque eos fefellit.

Cumque

Digitized by Google

Cumque Aldegondus crebro in Zelandiam missus nuntijs significasset, præcipuas hyemis commoditates, nempe noctes & Lunas obscuriores, ventos validos, procellasque, ad hostem insestandum maximè conuenientes, præterlabi: tandem circa medium Nouembris, eo legat D. Tilignium iuniorem, nauigio actuario, qui Zelandos roget, vt si suos milites periculis obijcere nolint, saltem eos mittant, vt ficta aut leui impressione nauali præsidium Ordammense perterre faciant: interea dum alij, auxilio præsidij Lilloam, aggerem Lovensteynium inuaderent: verùm Tilignius nocte ab hostibus obruitur & capitur. Fuit quoque postea eò missus Proppus militiæ præfectus: verùm nomine Prouinciarum, tunc quoque negotium procrastinatum fuit, spe quadam maioris certiorisque auxilij: eam maximè ob causam, quod omnibus naumachiæ præfectis, ea quæ Antverpienses petebant, præstari neutiquam posse viderentur: hinc hyemis & ventorum commoditas omnis elapsa, interea dum Parmensis propugnacula vallaque exstruit, & commeatu, tormentis bellicis alijsque necessarijs munit: cui modis quibuscunque possunt, incommodant Antverpienses: & cùm amnem obstruere inciperet, nauia actuaria, pontonibus & cymbis aliquot pontem oppugnant, tres aut quatuor eclatas, sine naues planas eripiunt, & quoscunque in ijs nanciscuntur, interficiunt: verum cùm paulo pòst idem rursus maioribus copijs & nauibus, Domini Aldegondi consilio tentare constitutum esset, nautæ nauim consecndere iussi, conspiratione facta, cum hoste contendere recusant. An. 1584. *D. Tilignius captus.*

Antverpiæ hac tempestate decreta plurima promulgantur, de annona & pane iusto satis pretio vendendis. Diù ante obsidionem, Italus quidam Mantuanus nomine, Fridericus Iambelius, longo tempore in ipsa vrbe commoratus, modum quo annona abundanter suppeditari posset, proposuerat: videlicet, vt Collegio alicui præcipuorum ciuium numeraretur centies vicies mille floreni, aut talis summa, quæ vna exactione centesimi nummi confici posset: hinc collega coemerent in Hollandia aut alia Prouincia frumenti copiam, vicies quater centenis florenorum millibus: præterea lardi, butyri, casei, piscium, &c. duodecies centenis millibus: his traditis, numeraretur singulis septimanis quarta pars pretij prompta pecunia: reliquarum trium solutio in duos aut tres mèses differretur: hæ escariæ merces in vrbem mitterentur, ciuitas autem vecturam & accessoria solueret. *Fridericii Iambelij inuentū ad annonam comparandā.*

Circa id tempus veles trumenti quam lastam vocant, tali pretio emebatur, vt mēsura Antverpiensis vulgo viertela dicta, circiter septendecim sticteris constare reputaretur: quæ tunc temporis Antverpiæ tribus florenis, & medio vendebatur.

Frumenta autem, & commeatus hac ratione empta, mitterentur in ædes ditiorum ciuium, qui potissimum existimabantur, accepta merce, in proprium vsum ac penum, & in Reipublicæ commodum pecunias erogaturi, dato pignore, quanti ipsa emptio constaret: sic facilè satisfieri collegio potuisset, die constituto: si verò quid superfuisset vltra necessitatem, quod aut alijs vendendum committere, aut ipsimet vendere voluissent, inde recepturi fuissent insumptas pecunias, cum lucri dimidio, vltra expensas: hac via & ratione annona, & penus commodè in ciuitatis vsum comparari potuisset, pecunia à ditioribus suppeditata, non sine lucri spe. Placuit quidem quamplurimis inuentum huiusmodi: collegium quoque constitutum fuit, impedimento autem fuerunt priuatæ quorundam persuasiones, qui existimabant præstare edictum promulgari, vt quisque sibi frumenta commeatumq; procurarct in duos annos: hæ autē præstandi facultas pauperibus defuit.

Aliæ insuper leges annonæ comparandæ causa tunc constitutæ: sed quia id temporis circiter nonaginta hominum millia in vrbe degebant, trecentis menſurarum, quas vierteles vocāt, millibus in annum opus fuit. *Quanta frumenti copia in annum necessaria Antverpiæ.*

Cumq; principio obsidionem timerent ciues, & Parmensis amnem claudere inciperet, plurimæ sæpius naues vltra citraque violentu impetu nauigārunt: nono die Octobris, centū quinquaginta: & rursus decimo sexto Nouembris: vigesimoquinto Decembris centum septuaginta, quarum quædam captæ, quædam hostilibus tormentis quassatæ: postquam autem compertum est nonnullas commeatu, & rebus bello necessarijs onustas, perfidia doloque nautarum in hostium potestatem venisse, & mox à Parmense ad propugnacula defendenda instructas fuisse: statutum edictumque est, ne quæ naues iter istud posthac instituerent, nisi numero sufficienti, quo hosti resistere queant auctæ, atqui hinc plurimæ ventorum & noctium obscurarum opportunitates elapsæ ac neglectæ: cumque longo iam tempore nauium sufficientem numerum exspectassent: id incommodi euenit, vt secundi venti multo tempore flare desinerent, intereaq; pontem perfecit Parmensis. Hinc populus in Terlonum maris præfectum exacerbatur: ipse à Zelandis capitur, multorumque grauissimorum criminum accusatur: verùm cum post longos carceres, neque testibus, neque argumentis certis conuinci posset, tandem Regina Angliæ postulante ac intercedente liberatur. In Terloni locum sufficitus Iustinus Nassouius, Principis Auraici filius nothus, strenuè admodum hanc Prouinciam obijt. *Terlonius, maritimi præfectus capitur.*

Digitized by Google

An. 1584. Turbida & confuſa nimis hac tempeſtate fuit gubernatio Antverpiæ. Conſul Aldegondus, & qui ciuitati præerat Magiſtratus, difficillimè ea quæ imprimis erant neceſſaria exequi potuerunt: neque ipſe Aldegondus & vrbis Conſul, & Conſilij Ordinum Brabantiæ conſors, aſſiduè Magiſtratus Antverpienſis collegio intereſſe potuit, in quo vnam tantum vocem habebat, cùm negotia omnia ſuffragiorum multitudine agerentur. Erant autem in ciuitate collegia plurima (quas cameras vocant) quæ tam cognitionem quam directionem gubernationis obtinere volebant: vtpotè in primis collegium Chiliarcharum, vel Tribunorum militum, qui quamuis præfectum, & tanquam caput haberent ipſum Conſulem, æqualem tamen omnes ſumebant auctoritatem, excubias extra & intra vrbem diſponendi, Epiſtolas aſſertorias tutique itineris concedendi, æneatores & tympaniſtas exeuntes, & intrantes examinandi atque inſtituendi, pœnas clandeſtinè cum hoſte fœderatis irrogandi, exploratorũ & aliorum ſecreta negotia curandi, &c.

Collegiorum multitudo efficiunt parũ Antwerpiæ.

Huic Chiliarcharum collegio ſociebatur concilium ſedecim ſtrategorum ſiue militiæ præfectorum, qui in negotijs arduis ſuas quoque ſententias & rationes admitti volebant: quandocunque lubebat in concilium vnà veniebant, ſuum arbitrium proponebant, eosque qui id ſequi recuſabant, infidelitatis & perfidiæ criminabantur: imò ſi id quod ſtatuerunt, effectum reddere non permittebatur, confeſtim reliquis ex octoginta Strategis ſibi adiunctis, quicquid decreuiſſent, id omne totius communitatis nomine, conſilio ac voluntate palliabant atque vrgebant.

Erat præterea collegium Tribunorum ciuitatis, qui vicis ſiue regionibus in vrbe præfecti erant: hi ſuam tanti, quanti Chiliarcharum & Strategorum, auctoritatem in Reipub. gubernatione fieri volebant.

Tribuni quoque opificum Chiliarchis æmulabantur, ſummamque reputabant iniuriam, ſi quando minor ipſis, quàm Chiliarchis, à quibus plerunque diſſidebant, auctoritas aut poteſtas tribueretur.

In rebus etiam magni momenti amplum ciuitatis concilium conuocari debuit: in quo præfecti & decuriones opificum cum ſubditis deliberandi & decernendi poteſtatem habebant.

Fuere inſuper collegia præfectorum munitioni, commeatui, & annonæ: & præter hos etiam rei nauales curatores, qui tandem ſoli tantum imperij ſibi ſumpſerunt, quantum reliqui ſimul omnes.

Gubernatio nimis popularis Antwerp.

Hæc præfectorum imperatorumq; multitudo, omnem auctoritatem, quæ penes vnum aut paucos eſſe debuerat, penitus ſubuertit. Quicunque enim officij publici aliquid adminiſtrabat, aut contributionem conferebant, hi omnes negotia Reip. tractare licitum liberumque ſibi reputabant. Cumque hæc gubernatio popularis ac vulgaris, admodum eſſe confuſa, nullo officiorum aut adminiſtrationum habito diſcrimine: mox optima quæque conſilia & inſtituta irrita atque perturbata fuere: adeo vt nec Magiſtratus, nec ipſe quidem Conſul Aldegondus, quem plerique omnes obſeruabant, quicquam eximij exſequi potuerint. Ipſa quoque diſciplina militaris labefactari cœpit: ortæ ſeditiones tam nautarum quàm militum, abſque iuſta aut euidenti aliqua cauſa. Legio Anglorum ſub Morgano Tribuno, ab ipſis præfectis Richardo, Læo & Powvelo turpiter inſtigata, ſuo fungi officio recuſauit: plenam ſtipendij ſatisfactionẽ efflagitarunt: pretium traditorum armorũ nequaquam in ſolutione, niſi poſtremo militiæ menſe, detrahi de ſumma voluerũt: diploma per Flandriam in Angliam tuto redeundi, à Parmenſe petere auſi: per Bergoſomam, ductore Hogenloio, in Zelandiam, inde in Angliam tranſuehi recuſant, numeratis 2000. florenis, & promiſſione facta ſoluendi creditoribus ea quæ debebãt: verùm tandem detecta fuit quorundam perfidia, & conſpiratio arcana cum Parmenſe, præcipuè eorum qui reliquos ad ſeditionem excitarant: eaque de cauſa Tribunus Morganus capitaneum Richardum inſignibus armorum publicè priuatum capite truncari iuſſit, menſe Aprili 1585.

Fuit tunc temporis Antverpiæ obedientia euerentiaque erga Magiſtratum adeo exigua, vt impedire nequaquam potuerit, quo minus ratem ſiue inutilem machinam connexa trabium compage conficerent, cui tormenta ænea, armamenta, & militum ingens multitudo imponerentur, circumcirca munitam, inſtar valli, lorica quadam tredecim pedes lata, ex fœno & ſtramine contortis, quæ arcis inſtar eſſet tormentarijs globis impenetrabilis, & quanquã vrbis conſul, & alij plurimi euidentiſſimis argumentis demonſtrarent, machinæ firmitatem tormentorum violentiæ reſiſtere, aut ingentem molem ad nutum haudquaquam dirigi poſſe: nihilominus tamen opus maximis ſumptibus confectum fuit: inſignem autem hanc machinam, ſi quis non laudaſſet, is facile ſuſpicionem & indignationem multorum incurriſſet: eamq; belli finem appellabant: quandoquidem propugnacula vallaque omnia amni vicina, pontem quoque ipſum hinc dirui poſſe exiſtimabant. Verùm enimuero machina nimis magna, vaſta ac ponderoſa, prorſus inutilis, imò damnoſa fuit: cumque in fundum demerſa hæreret, ab hoſte tandem occupata eſt.

Poſt-

Digitized by Google

Postquam propugnaculum Liefkenshoeckæ captum, & Principis Auraici mors ciuitati Antverpiensi angorem metumque incussere, quidam ex ditioribus & potentioribus ciuibus mense Octobri Cancellarium Liesfeltum adeunt, benigne audiri, & libellum supplicem nomine 50. aut 60. ciuium conscribi ab eo petunt ad Proceres, vt cum hoste de pace agere liceat: hinc ingens oritur tumultus: ipsis poltularibus mulcta pecuniaria irrogatur pro cuiusque facultatibus. Mox lege sancitum, vt ciues omnes se Rempub. defensuros iurent, vt citumque ne separatim pacem requirere tentent. An. 1584. *Ciues quicum in uelit pacem ferant.*

Parmensis his occasionibus motus, & ne Prouinciæ cum Gallorum Rege fœdus ineant veritus, ad Senatum, & publicum ciuitatis consilium scribit ex castris Stabroeckæ 13. Nouembris, multisque argumentis demonstrat, huius belli authores non Reipubl. salutem, sed proprium commodum aucupatos fuisse, imprimis Principem Auraicum, & Ducem Gallum: vtrunque autem, Deo sic volente, hac vita priuatum, vt hinc tam impotentia imbecillitas que Prouinciarum, tum magna Regis Hisp. potentia, cui res magis magisque diuini numinis ope indies secundabantur, euidentior redderetur. Nunc demum tempus esse, quo sibi & misero afflictoque populo, omnibus præterea quos eadem mala manebant, bene consulerent. Se quidem benigno imprimis animo erga Prouincias semper fuisse, maximè quod inde oriundus, in adolescentia sua incolas sui studiosos habuerit: atque hac de causa permotum, statuisse scriptis Epistolis ea proponere, quæ sibi Deo & conscientia testibus, viderentur maximè idonea ad pacem componendam. *Parmensis Antverpiensibus recognitionem offert.*

Cumque hactenus Princeps Auraicus, & alij non sine ingenti Prouinciarum malo, & sanguinis innocentis effusione, Prouincijs dominari studuerint, priores quoque suas literas suppresserint & occultarint: nunc demum voluisse iterum scribere, & rogare, obsecrare, atque obtestari, vt vxorum, prolium, desertæque patriæ miserescant: oculos reminiscentiæ in quietem & prosperitatem, qua olim Regiæ Maiestati obedientes freti fuere, conuertant: contra autem, præsentes, quibus indies magis magisque premuntur angustias, calamitates atque miserias intueantur: oculos claudant atque auertant à falsis persuasionibus, vnde orti errores varij, & diffidentia de Regis, Domini naturalis, clementia & integritate: qui etiam grauissimis atrocissimisque iniurijs affectus, amicitiam, præteritorumque obliuionem in perpetuum offert. Quod si de reconciliatione, quàm ciuium maxima pars desiderabat, tractare cupiant, pollicetur se quocunque tempore promptum paratumque ea proponere, quæ ratio æquitasque postulabunt.

Hæc quidem se beneuole benigneque ipsis nunc offerre: non quod de felici suarum rerum exitu diffidat, sed quod paterno animo salutem quietemque ipsis exoptet. Si pertinaces persistant, deteriores difficiliores que fore reconciliationis conditiones. Testificatur postremò, per se nequaquam stare, quo minus imminens sanguinis innocentis effusio, & calamitates miseriæque auertantur, &c. *Subsign. Alexander.*

Ad hæc respondent Antverpienses 23. Nouembr. Se literas suæ Celsitudinis 13. scriptas accepisse, easque totius ciuitatis membris conuocatis, palàm legisse: omnes autem simul decreuisse eis respondere, & suæ Celsitudini summa cum reuerentia & obseruantia proponere admonitionem qua hortatur, vt illorum qui intestinum hoc bellum primi excitarunt, institutum perpendant, atque examinent, valdè gratam ipsis fuisse: maximè quod eam ex commiseratione & charitate suę Celsitudinis ortam reputent, cùm imprimis meliorem Prouinciarum statum videre desideret: quod cùm ipsi etiam vehementer optent, suæ Celsitudini proinde summas gratias agunt. *Antverpienses Parmensi respondent.*

Verùm enimuerò videri, huius belli primam originem suæ Celsitudini, non satis cognitam perspectamque esse: quandoquidem palàm constet, se inuitos eo adductos atque coactos dolosis machinationibus illorum qui singulari quodam proposito, formandi in his Prouincijs imperium re ipsa plus quàm regium, & prætextu religionis, ac via quadam falsarũ Inquisitionum, cognitionum, atque denunciationum, à Regia Maiestate, (cui, sicut & suis maioribus illustrissimis potentissimisq; dominis, summam semper fidelitatem perfectamq; obedientiam hæ Prouinciæ semper præstiterunt) authoritatem impetrarant, rationem q; constituerant, introducendi generaliter contra Prouinciarum habitatores cuiuscunque Ordinis, Status, conditionis, ætatis, sexus, persecutiones supra modum horrendas ac crudeles, hactenus inauditas & inusitatas, cum facultatum confiscatione, exilijs, exsequutionibus sanguinolentis, gladio, igne, patibulo, contra quoscunque probos & innocentes, nulla defensione legitima audita, inque condemnatos, de nullo crimine alio accusatos, quàm quod concioni cœtuique piorum interfuissent, vnumque & solum Deum rogassent atque adorassent, per vnicum mediatorem Iesum Christum, ad verbi atque præcepti diuini normam. *Origo belli in Belgio exponitur.*

Quin & postea, contra Contractus, Pactiones, Leges, & Statuta solenniter inita, decreta & edicta, penes Dominam Parmensem suæ Celsitudinis matrem, totius Consilij Status, con-

An. 1584. sensu, ipsius quoque Regis auctoritate & sigillo confirmata; subsequutæ sunt Ducis Albani, & Hispanorum tyrannicæ exsequutiones, non tantum contra priuatos plebeiosque, verùm etiam contra præcipuos Gubernatores, Dominos, Barones, & Nobiles harum Prouinciarum viros, qui suæ Maiestati præclara officia obsequiaque præstiterunt: infractis publicè legibus, consuetudinibus, & priuilegijs quibuscunque, quas harum Prouinciarum Principes omnes iureiurando olim confirmarunt: vniuersis quoque Magistratuum collegijs & curijs inuersis: ijs in Reipub. administrationem suffectis, qui nulla ratione admittendi fuere: arcibus & castris plurimis exstructis: grauissimis intolerabilibusq; exactionibus institutis: omni prorsus patriæ libertate adempta. Hæc cùm manifestissimè iuris consueti formis repugnarent, nullos prorsus fructus alios quam calamitosum istud bellum producere potuerunt: hanc omnium malorũ & miseriarum præcipuam causam & originem fuisse.

Proinde rogant, suæ Celsitudo persuasissimum habere velit, ipsos bellum istud nequaquam incepisse animo lubente aut petulante, neq; Principe Auraico, piæ memoriæ, instigante, vtpotè qui in has Prouincias nequaquã venerit, nisi rogatu ac sedulo postulatu Ordinum, Antistitum Nobilium & ciuitatum: neque sibi aliquid auctoritatis sumpserit, nisi flagitatione multa precibusque continuis fatigatus ac sollicitatus: verùm extrema & ineuitabili quadam necessitate coactos arma arripuisse: quandoquidem nihil nisi bonum finem, felicem pacem, & generalem quietem, quàm citissimè desiderarint: atq; suæ Celsitudini hac maximè de causa summas agere gratias, quod operam sedulitatemq; suam polliceatur, atq; intercedere cupiat, vt eo peruenire queant: Laudare quoque atq; efferre magnopere insignem suam magnanimitatem, quod summa strenuitate & potentia armorum ostensa, præ aliis omnibus gubernatoribus decessoribus; adeo beneuole ac amanter clementiam benignitatemque offerat: quæ profecto in Principibus ac Regibus virtus comprimis laudanda est. Multo quidem ab hinc tempore omnes simul de sua Celsitudine optime censisse ac speraſſe: supplices quoque eam proculdubio aduturos fuisse, si certo scire potuissent ei potestatem & auctoritatem esse illa permittendi ac concedendi, quæ pro eximia sua prudentia, ad bonæ & certæ pacis confirmationem necessaria imprimis iudicasset: Nullas quoque alias cupere pacis inire conditiones, quam eas quas pro sua sapientia, modestia, mansuetudine & clementia, æquas & rationi consentaneas censeret: Neque vllo modo dubitare, quin sua Celsitudo cupiat imitari ac sequi (idemque itiam Regi consulere) vestigia aliorum quorundam Regum & Principum potentissimorum, qui in simili genere morbi, ipsa origine mali penitus explorata, confessi sunt, impossibile esse subditos in firma pace, quiete, fidelique erga superiores ac præpositos officio, ac obedientia retinere, nisi ipsis concedatur libertas religionis, cuius rationem reddere parati sint coram iudicibus æquis, nequaquam suspectis aut aduersarijs, in liberis & legitimis, synodis ac concilijs quibuscunque: proinde consultissimum ijdem visum fuisse, subditis iustum & æquum postulantibus fauere: idque liquere euidentissimis exemplis inuictissimorum potentissimorumque Imperatorum Caroli V. & Maximiliani in Germania superiore, Christianissimorum quoque Franciæ & Poloniæ Regum in regnis & Prouincijs subditis.

Verùm cum plurimis testimonijs, & præsertim declarationibus suæ Celsitudini exhibitis edocti satis sint, in suæ Celsitudinis potestate nequaquã esse, aliquo modo statuere ea de re, circa quam, tanquam præcipuum cardinem omne pacis aut belli negotium versabatur: imò Regem ipsum Hispanicæ Inquisitioni, & Pontificis Rom. imperio tam stricte esse obligatum atque subiectum, vt in sua potestate non sit ea concedere, aut fauere subditis suis Christianis, quæ & Pontifex & multi Principes Itali, Iudæis, & Turcis lubenter permittunt atque concedunt, quibus etiam negatis, impossibile sit continuas populi miserias, & calamitates auertere. Hinc prorsus desperasse, se vllo vnquam tempore impetraturos id, quod certam firmamq; pacem producere queat: ita vt necessitas quæ bellum incipere coegerat, eadem quoque id continuare compulerit, quo se contra iniquissimas oppressiones tuerentur. Quin & post multas supplicationes, demissas humilesque preces, demonstrationes & testificationes tam scripto, quàm per Legatos in Hispaniam missos exhibitas, post varias etiam intercessiones Regum & Principum ab hinc viginti annos fruſtra factas: postremo necessitate vrgente compulsos fuisse ad extraneos Principes confugere.

Cumque iam postremò manifestè perspexissent, qua prudentia ac moderatione Rex Galliarum suos subditos, tam vnius quàm alterius religionis in pace ac tranquillitate contineret, summa necessitate cogente (neque id sui Celsitudini celatum volunt) Prouincias oēs fœderatas vna cum ipsis, generali & concordi decreto animũ applicuisse ad Galliarum Regem, atq; orasse, vt ipsos tanquam suos subiectos, contra tam inhumanam & immmanem crudelitatem tueri velit: ad hæc Regiam Maiest. clementer admodum respondisse, & auxilij spem dedisse: atque hinc eo redactum negotium, vt, solenni & generali obligatione dicto Regi deuincti, nullam potestatem habeant, qualecunque aliud fœdus, oblatis & promissis conditionibus damnosum

aut con-

Digitized by Google

aut contrarium, incundi: si contra faciant, meritò ab omnibus vbique terrarum culpandos ac vituperandos, tanquam omnium totius orbis hominum leuissimos & ingratissimos. Præterea, cùm vnum tantummodo sint generalitatis totius membrum, & iurciurando simul confirmarint, atque sancierint, nullas se pacis conditiones, sine generali reliquarum Prouinciarum consensu, ac consilio inituros; haudquaquá in ipsorum esse potestate, etiamsi maximè velint, oblatas à sua Cellitudine conditiones accipere, nisi consensu fœderatarum Prouinciarum, & Regis Galliæ prius impetrato. Rogare proinde suppliciter, ne sua Cellitudo (quæ adeò benigno, clementi, paternoque animo suam operam exhibuit) ægrè ferat, si antequam pactionem aggrediantur, dictæ obligationis normam seruent, & suæ Cellitudinis literas ad fœderatas Prouincias mittant, & ipsis comprobantibus, Galliarum etiam regi offerant; vtpotè qui ipsorum preces, alibi magna cum ignominia & contumelia reiectas, exaudire dignatus fuerit: ne si aliquid sine eiusdem Regis consensu faciant, occationem ei præbeant, ipsos tanquam impostores & ingratos vituperandi ac improbandi. An. 1583.

Quod verò ad suæ Cellitudinis protestationem attinet, credunt quidem suam Cellitudinem nullam dedisse occasionem effundendi innocentem sanguinem, neque auctorem esse miseriarum ac calamitatum præsentium aut futurarum: cùm belli origo aliundè prodierit: Rogant autem, perpendere ac credere velit, nec ipsos quidem culpandos aliquo modo; quandoquidem defensiuum tantùm gerant bellum, neque aliud quicquam defiderent, quam seipsos, vxores, proles seruare incolumes in libertate conscientiæ, qua Dei nomen per vnicum mediatorem Iesum Christum inuocare possint. Belli sanguinolenti ac cædium finem facere cupiunt: dummodo Regiæ Maiestati Hispan. placeat, eandem benignitatem ac clementiam, quam sua Cellsitudo scriptis pollicita fuerat, re ipsa præstare: nempè vt à sanguinis effusione prorsus abstineatur: vt tali Principio præcedente, de futuris securiores certioresque reddantur. Postremò suam Cels. rogant, vtpotè cuius virtutes maximi faciant, & imprimis ament, id indubitato credere velit, omnes promptissimis animis, ipsi obsequium cupere præstare in omnibus ijs quæ honor, iuramentum, & conscientia quam Deo soli seruare cupiebant, quocunq; modo permitterent, &c. Subsig. B. Berlecom.

Parmensis Antverpiensium responsum.

Huic responso respondet Parmensis literis Calloæ scriptis 10. Decembr. quibus significat, sibi, quod de se bene sentiant ac sperent, gratum imprimis esse: consulit autem ne sententiam aut opinionem generalem, qua ipsorum particularis promouceretur, exspectent: ita quidem malum imminens deuitaturos: Auxilia à Gallorum rege frustra sperari ait, quandoquidem finitimissima inter duos reges sit amicitia: neque Gallorum regem tam esse vecordem, vt causam ab omni iustitia & æquitate alienissimam sit defensurus: Regem Hispan. tantæ potentiæ esse Monarcham, vt Dei auxilio, mille modis illorum vires sit debilitaturus, qui aut eum aut hæreditatem sibi à parentibus relictam inuadere aggredientur. De Articulo Religionis quem vnicum belli fundamentum esse dicebant, se nolle disputare ait: verùm hoc certò colligere ex ijs argumentis quæ de vera hominis Christiani vita nouerat, ipsos verbis aut actis Iesu Christi quem vnicum mediatorem vocabant, nequaquam probaturos aut demonstraturos, licitum esse, bona conscientia, arma Religionis causa contra legitimum Regem arripere, incendia moliri, furari, prædari, aggeres rumpere, patriam submergere, omnia denique miserandum in modum turbare ac vastare. Ad hæc protestatur vt antè.

Hanc Parmensis replicationem Antverpienses in Hollandiam ad Generalitatem, vt inde in Gallias destinetur, mittunt: verùm absque responsione: metuentes ne hinc dissidium, in ciuitate oriretur.

In Hollandiam quoque D. Melroyus, Parmensis, opera (vt suspicione præsumebatur) legatur nomine Principum Electorum, Episcoporum Treuirensis, Colonensis, & Leodiensis vt consilia ac decreta incepta perturbet.

Interea dum Antverpia, clauso flumine, obsidetur, fœderatæ Prouinciæ, nempè Brabantia, Geldria, Flandriæ pars reliqua, Hollandia, Zelandia, Frisia, Traiectum, Transisulana, &cæt. sollicitæ quærunt se alicuius præpotentis Principis protectioni committere: postquam gubernatio Ducis Galli, quem non sine suasu ac consilio Reginæ Angliæ, dominum acceperant, parum fœliciter Prouincijs successerat: is autem decimo die Iunij, eiusdem anni obierat: & paulò pòst eius mortem, Princeps Auraicus interfectus fuerat. Mox Gallos & Anglos suspicio inuadit, fieri posse vt hæ Prouinciæ tandem prorsus in Hispanorum potestatem inciderent: Hispanos autem simul ac eis potiti essent, absque vlla pactione aut conditione, vicinis omnibus formidabiles fore. Proinde Rex Galliarum, missis Legatis, conditiones imprimis honestas Prouincijs offert, vtque eas Regno Galliæ in perpetuum iungere queat, obedientiam debitam eamque limitatam, absque multa obligatione aut cautione ab ijs petit. Regina autem Angliæ hanc ob rem æmulatione non leui stimulatur, metuens ne Galliæ Regnum his Prouincijs auctum, iunctis simul viribus, maris imperium occupet, maiore Angliæ damno, quam si Hispanus ijs potiatur,

Consultatio Prouinciæ Belgicæ de protectore accipiendo.

Digitized by Google

An. 1584. potiatur, eo quod totius Angliæ vires facultatēs, & fortunæ in nauigatione marina consisterent.

Prouinciæ autem, tam ob veteres contra Gallos inimicitias, quàm recens Ducis Galli facinus, Gallis minus æquis; Anglis se potius submittere velle videbantur: id simul ac perceperunt Angli, nihil securitatis aut cautionis promittere Prouincijs, sed à Prouincijs sibi plurimū præstari, & oppida locaque multa tradi voluerunt, quibus multo securiores potentioresq; fuissent, quàm ipsæ Prouinciæ: hinc Prouinciæ fœderatæ sinistram suspicionem concipiunt: ita vt multi Anglicam gubernationem olim in Gallia nimis insolentem acintolerabilem fuisse, & etiam nunc in Hybernia adhuc esse dicerent: Verùm hæc omnia diluere facillimum fuit Religionis causa, ob quam Prouinciæ facilius & securius Angliæ fœderari possent. Accedebat præterea scrupulus de hæreditate Regni Anglicani: fieri enim posse, vt hac Regina defuncta, regni imperium deuoluereturad Schotiæ Reginam, custodiæ carceriquetraditam: quæ cùm Romanæ Catholicæ Religioni, & Regi Hispaniarum maximè addicta esset, Hispano regnum tradere posset. Nihil quoque firmæ spei in Schotiæ Regem esse collocandum. Contrà verò vita est successio Regni Gallicani admodum certa atque firma: quandoquidem Rege defuncto, ad Regem Nauarræ & familiam Borbonianam, Religioni optimè fauentem, deuoluereturhuc etiam accedebat, quod Gallia meliorem potestatem, & commoditatem haberet Prouincias contra Hispanos defendendi, & ab ijs liberandi: quodque tali fœdere inito, perpetua cum vicinis pax sperari posset: Et quanquam Rex Religioni Reformatæ addictus non esset, curaret tamen ipsorum res administrari à Religioni addictis eique fauentibus, aut saltem ab ijs qui Prouincijs grati essent atque acceptiivnde pax tranquillitas, & securitas Ecclesiæ & Religioni maneret.

Determinat Belgæ Prouinciæ Regi Gall. submittere.

Postquam hæc omnia à Prouincijs, ciuitatibus & generalibus synodis variè disceptata fuere, tandem decernitur, regiones Regno Galliæ absolutè submittendas, conditionibus quàm fieri posset commodissimis, absque vllis literis quas vulgò vocant reuersalibus, vt inde Hollandi & Zelandi eximantur: sicut pro Principe Auraico & suis hæredibus, anno 1572. conditum, & postremo etiam cum Duce, Regis Gall. fratre pactum fuerat, quæ vna inter alias præcipua dicitur fuisse occasio diræ machinationis quam Dux in Antverpiam, & allas ciuitates molitus fuerat.

Deputati è Belgio in Galliam mittuntur.

Post longissimas autem deliberationes & procrastinationes tandem à primatibus Prouinciarum & proceribus Ordinum decernitur Legatio in Gallias: tertia itaque Ianuarij die delegati plena potestate sulti Briela soluunt, & in Galliam octo nauibus præsidiarijs magnificè, insigni comitatu, tendunt. Deputati Brabantiæ fuere D. Orschotus, Doctor Io. Iunius, Quintinus Taffinus, D. Præus: Geldriæ, D. Oyenus, Doctor Leoninus Cancellarius, & columen Geldriæ: Hollandiæ, Arnoldus Dorpeus & Massendorpæ: Frisiæ, Volgarus Feysma, & præses Hesselius Aysma: Vltraiecti, D. Mynenus & Rengerus: Zelandiæ, D. Iacobus Valckius, syndicus Goesæ: Flandriæ; quanquam huius maxima pars ab hoste superata esset; Noelus Caronus, Schonevvallæ Dominus: Bruxellæ, magna tunc angustia pressæ, Arttsenius Graphiarius. His Ordines generales socium iunxerunt D. Mouillerium. Legationis autem præfectus constitutus fuit Princeps Espinoyus ex nobili familia Melunaorlundus, Marchionis Rysborgi Vicecomitis Gandauensis frater maior natu, qui tuncin Gallia degebat, heros suæ patriæ imprimis fidelis, quem quod Romanæ Ecclesiæ adhæreret, Flandri Flandriæ gubernatorem habere dementer recusarant. Principem quoque Chymaium insausto omine delegerant.

Hi deputati eodem mense Ianuario in Gallias veniunt, multis tempestatibus in varios portus acti: vbique autem locorum magnificentissimè cum omni comitatu excipiuntur, & à sumptibus quibuscumque liberi, & immunes honorificè dimittuntur. Manso ipsis Syluanectæ designatur, loco Regiæ Maiestati ad audientiam & colloquium imprimis commodo.

Legati Hispani querela contra deputatos Belgij.

Interea Regis Hisp. Legatus D. Bernardinus Mendoza, Regi Gallorum declarat cum Regis sui mandatis, se intellexisse, Belgas Regis Hisp. subditos, à Deo & hominibus relictos, conscientia teste conuictos, de sui Regis gratia diffidentes, suæ Maiestatis protectionem postulare, & conditiones quarum potestatem nequaquam habebant, offerre. Se quidem hæc suæ Maiestati proponere, non quod Belgas postulata impetraturos, aut consilij quidquam à sua Maiestate super hac re percepturos suspicetur, maiorem ipsius prudentiam esse certo sciens, quàm vt postulata tam iniqua audire velit: sed ea maximè de causa, vt suæ legationi fuoque muneri satisfaciat. Rogat insuper suam Maiestatem nomine Regis Hisp. sui domini, perpendere velit, istud exemplum nequaquam singulare, sed prorsus vniuersale esse, non tantum Regibus & Principibus, verùm etiam viris nobilibus quibuscunque, huiusmodi rebelles benignè audiri: imò timendum ne sue Maiestatis subditi hinc exemplum sumant: proinde se ita iudicare, suam Maiestatem potius debere optare vt huiusmodi rebelles, alijs exemplo, puniantur, quam vt ipsis auxilia præstentur, aut illorum postulata audiatur: quin & indignissimè debere ferre, homines criminis læsæ Maiestatis diuinæ & humanæ reos, Regem ac principem tam potentem, tanquam

ipsis

ipſis æqualem, adire atque alloqui. Proinde inſtanter orat, quandoquidem res ad totum Chriſtianum imperium attineat, ne huiuſmodi rebelles & infideles audiat, verum illos extra ſuum regnum, ne & illud contaminent, exire iubeat. Certò quidem ſe ſcire, ipſos à ſua Maieſtate protectionem quam poſtulabant nequaquam impetraturos, imò ſuam Maieſtatem huiuſmodi rebus nequaquam vacare, aut conſcientiam aut honorem velle contaminare: neq; immemorem eſſe quàm ſincere Rex Hiſpan. ſuus dominus, viginti his annis bello inteſtino flagrante, erga Maieſtatem ſuam ſe geſſerit, vtpotè qui nunquam aliquas aut apertas aut tectas machinationes ſibi propoſitas audire, aut ferre voluerit: ſed contra ſemper facultates, vires que libens obtulerit, ad refrenandos coercendoſque rebelles, quod & ſua Maieſtas non ſine magno commodo ac bono experta fuerat. Neque hæc ſe recenſere, quod vereretur ne aliquis Belgicarum regionum poſſeſſionem inuaderet: nam etiamſi oblata eſſet alicui Principi, qui minoris faceret honorem fidemq; quàm ſuam Maieſtatem; profectò is mox prius defenſiuo quàm offenſiuo bello ſe intricatum ſentiret, offenſo Monarcha tam magno, potente, diuite & fortunato, qui hactenus nullam iniuriam aut offenſam ſibi intentatam aut factam, reliquerit inultam: tale quid neque ſe ab ipſo exſpectare, neque exſpectandi, aut ſuſpicandi occaſionem vllam deſiderare, vtpotè quem ſuus Rex ſingularem ſemper amicum ac bonum fratrem habuerit. An. 1584.

Ad hæc Henricus Galliarum Rex reſpondiſſe dicitur. Se Legatos Ordinum Belgij non tanquam rebelles, ſed oppreſſos & iniuria maxima affectos audire & recipere velle. Chriſtianiſſimos Reges non ſolere miſeris, exulibus, afflictis & oppreſſis auxilium negare: iniquum quoque eſſe ei tis renui, quandoquidem omnibus votis ſuo naturali domino ac principi reconciliari expetant. Se certò ſcire, ipſos Regi Hiſpan. multis variiſque libellis ſupplicibus oblatis, in pacem & gratiam redire deſideraſſe, ſed nunquam auditos fuiſſe: iure autem licere vnicuique ob negatam iuſtitiam, Principes iudices appellare, & opem quorumcumque implorare: Hæc aliaque his ſimilia Rex Legato Bernardino reſpondit. *Reſpondet H. rex. Legato Hiſp.*

Februar. 12. à Rege audiuntur Legati Belgarum ſupplices petunt, vt Prouincias populumque, tanquam ſibi ſubiectos ac clientes, in ſuam protectionem recipere velit: quæcunque æqua ac honeſta poſtulanti ſe præſtituros promittunt; plena poteſtate atque auctoritate ipſis à Prouincijs data. *Legati Belg. offerunt Prouincias Regi Gall.*

Reſpondet Rex. Perquàm gratum ſibi ipſorum eſſe aduentum: ingentes præterea agit gratias, quod ſe præ omnibus ſuis deceſſoribus, magnifica hac atque inſigni oblatione decorare ac ornare cupiant, quodque tam ſincerè de ſe tentiant. Fuiſſe quidem ſe antea quoque Prouincijs deuinctum, ob honores fratri vita functo exhibitos: nunc autem tam eximia oblatione, multo magis deuinciri: Maximi ſe ſemper eas feciſſe, & ſummis laudibus extuliſſe: nunc verò, hac occaſione oblata, ipſis fauſta omnia precari: Se & eſſe & futurum promittit Principem iuſtum, æquum, benignum, &c. Præterea quod, vt quocunque poſſit modo ipſis ſubueniat; ipſorum, totiuſque ſtatus Belgici, tanquam ſui regni, ſuorumq; ſubditorum curam gerat, poſtulent, & magnificentiſſimis conditionibus obſtringi petant, immenſas agit gratias. Verùm cùm tanti ponderis negotium exactiſſimam requirat deliberationem, neceſſarium comprimis videri, vt omnia ſibi tradantur ſcripto, vt conſilio vna cum ſuis conſiliarijs inito, deliberet decernatque, &c.

Regina quoque mater audita paulò pòſt ſupplicum cauſa, benignè reſpondet. Cumq; multa inſuper cum Cancellario, Bellicureo, Brularto, Pinarto & alijs conſiliarijs tractaſſent, tandem reſponſum, vt ſuo loco dicemus, tulerunt.

Regis autem Hiſpaniarum conſiliarij, rebus his omnibus cordatè ſapienterque perpenſis, comperiunt & animaduertunt, Regi Gallo commodum & facilè comprimis eſſe, Belgicas Prouincias in ſuam poteſtatem redigere: quandoquidem ſui regni ſubditos, valdè promptos, voluntarios & conuenientes; facultates quoque & commoditates ad id præſtandum ſufficientes haberet. Idem autem metuens etiam Parmenſis, conditiones tam generalis quàm particularis reconciliationis concedere Antverpienſibus ſtatuit: ſuitque ab eo ad Angliæ Reginam miſſus menſe Decembri Aſcanius Suffaranius Italus: qui quod Pontifici Romano eſſet ſubditus, & de cæde Principis Auraici ſuſpectus; à Regina non fuit auditus.

Cùm verò res hac via non ſatis bene ſucceſſura videretur: bellum ciuile in Gallijs excitare meditantur: idque à familia Guiliana moueri potiſſimùm poſſe exiſtimant: quandoquidem Guiliani, nomine familiæ Lotharingicæ, tanquam Caroli Magni proſapiæ, ad regnum Galliæ aſpirarent: maximè cum Rex Gallus, fratribus iam mortuis, nullam prolem relicturus videretur, & Regi languine proximi, à Pontifice Romano, tanquam hæretici eſſent excommunicati: accedebat & alia cauſa: Guiſiani enim admodum offenſi commotique erant; quod, cùm præteritis bellis ciuilibus Gallicis ſtrenuè ſe geſſiſſent, & ſupra ſummos regni proceres ſe extuliſſent, maximiſque diuitijs, fœderibus, dignitatibus, honoribus, officijs, potiti magna cum gloria fuiſſent, nunc pacis tempore ſe parui fieri ac contemni viderent; maximè autem in aula regia à

An. 1584. gia à nonnullis quos Rex imprimis charos, dilectos, fidelesq; habebat, nempè Ducibus Ioyeuſio, & Eſperono, ſuæ Maieſtati intimis ac familiariſſimis.

Guiliani itaque pacem concordiamque regni Gallici, hâc de cauſa exoſi, veriti quoq; ne ſi Galliæ Rex bellum contra Hiſpanum gerat, ad eius adminiſtrationem non admittantur vt ante: obſequium, officium operamque ſuam obtulerunt atque addixerunt Regi Hiſpano, dummodo pecunias ſuppeditet: quod fœdus ſimul ac pepigerunt, mox prætextu Religionis Catholicæ Romanæ, in fœdus pertraxere Cardinalem Borbonium, virum bonum, ſenem, ſenioque ferè delirantem, cumque huic bello præfecerunt.

Huius noui fœderis initi ac promulgati Peronnæ pridiè Calend. Aprilis obtentus hic fuit: Cardinalem Borbonium, antiquiſſimum proſapiæ regiæ Principem, cum aliis Principibus, Cardinalibus, Antiſtitibus, Præfectis regni, Gubernatoribus Prouinciarum, Dominis præcipuis ac Nobilibus, ciuitatibus quoq; & communi, ſimul optimum & integerrimum totius regni membrum conſtituentibus; maturè, multorum ſapientum, religioſorum ac piorum virorum conſilio deliberaſſe, de Regno in ſtatum meliorè redigendo: omneſq;, Deo teſte, iuraſſe ac promiſiſſe, iunctis viribus atque armis operam daturos, conaturos, atque effecturos, vt Eccleſia Dei reformetur, obſeruetur, colaturque ad normam veræ & vnicæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, omnes hæreſes propellantur: nobilitas quoque in integrum reſtituatur, omnibuſque ſuis libertatibus fruatur: populus etiam nouis exactionibus quibuſcunq; à regno poſt remi Regis defunctis impoſitis leuetur atque exoneretur, &c. huius ergo vitæ facultateſque exponere lubenter ſtatuiſſe, & nullum magnificentius ſepulchrum, quam pro tam ſanctæ ac iuſtæ cauſæ morti aſſimare. Rogant proinde Regem, id in bonam partem accipiat: quandoquidem omnia ſuæ Maieſtati ſeruiendi, obediendi, ac commodandi cauſa agant: pollicentur autem ſe arma ſtatim depoſituros, ſimulatque Regi placuerit, ipſos tali periculo liberare, quod & diuini cultus interitum, & tot bonorum proborumque virorum ruinam minabatur. Addunt præterea; quandoquidem Rex nunc ſolus, mortuis omnibus fratribus, ſuperſit abſque vlla ſpe prolis; periculum eſſe, ne Rex Nauarrus aut Princeps Condæus, ambo hæretici, in regnum ſuccedere velint: huic autem conatui fœderatos vnanimiter occurrere ſtatuiſſe. Conqueruntur inſuper, nonnos quoſdam homines, inter quos Duces Ioyeuſius & Eſperonus, hæreticorum fautores, præcipuam regni gubernationem adminiſtrationemque aſſumpſiſſe: vetereſ; regni præfectos ac miniſtros, præcipuè Guilianos nunc contemni atque reijci: illos verò Regis pecunias in ſuos theſauros recondere, vt tandem diuitijs opibuſque freti, regiam coronam cuiuſcunque velint, capiti imponant. Hinc Rempublicam miſerrimè aggrauari: maximè verò ordinem Eccleſiaſticum: hunc huiuſmodi oneribus meritò leuandum: quandoquidem bellum contra hæreticos gereretur, quorum facultates confiſcatæ rebus bellicis impendi deberent.

Hoc fœdus tali ratione initum, editum atque diuulgatum, ingentes turbas toti Galliarum regno; variaſque ſuſpiciones peperit: hinc quoque opinio antè concepta increuit, Salce dinem, de quo ſuprà diximus, Regis Hiſpani inſtinctu ac conſilio conductum donatumque fuiſſe ſex coronatorum aureorum millibus, vt & Regis fratrem, & Principem Auraicum necaret Brugis: qui ibidè tunc apprehenſus, poſtea Pariſijs quatuor equis diſtractus fuit: machinatio nihilominus concepta, poſtmodum, vt fama eſt, eo perducta fuit, vt nobilis cuiuſdã fœminæ dolis, mors Regis fratri illata fuerit: ſuſpicio quoque erat, technas apparari, quibus Regem aut interficerent, aut in monaſterium aliquod detruderent, ſceptrumque Franciæ in familiam Guiſianam transferrent: exemplo Hugonis Capeti.

Huiuſmodi autem ignominias Guiſiana familia, Regis Hiſpaniarum ope ac fauore ſulta, parui fecit: proinde hac conſpiratione occupati tota hyeme, pecunijs quas ab Hiſpano in belli vſum, eo ipſo tempore quo fœdus promulgarant, acceptis, ingentem peditum equitumq; exercitum tam in Gallia quam Germania, præcipuè obtentu militiæ Parmenſis, collegerunt, multaſque Galliæ vrbes, multos viros nobiles, maximè verò Eccleſiaſticum Ordinem in ſuas partes pertraxerunt: factumque vt eorum fœdus Sancta Liga, ſiue ſacrum fœdus vocaretur.

Rex autem Galliæ ex improuiſo præoccupatus ſubitoque oppreſſus, cùm inermis, præterquam edicta mandataque, nihil quo reſiſteret, haberet: publico edicto, ne quis milites conſcriberet, aut militaret ſine ſuo conſenſu, prohibuit: & coniuratorum cauſam iniquam eſſe multis argumentis demonſtrauit: verùm his omnibus nihil profecit: quandoquidem coniurati cum Religionis prætextu vlterius compellunt, ad exactiones remittendas, reſque ex populi voto conſtituendas: præterea ijs quos ei chariſſimos ſciebant, odia ingentia concitam. Rex tandem ſeditioſos pacare coactus, inuitus deſiſtit à protectione opeque Belgis ferenda: bellum contra Religioni addictos gerere, eorum facultates confiſcare, & in belli vſum applicare, multaque alia facere compellitur: verùm poſtquam æmulatione inter eos orta, leue bellum contra Nauarræ Regem & Religionis propugnatores experiuntur: Rex interea eis quæcunque potuit impedimenta, damna, opprobriaque latenter intulit: atque temporis ſucceſſu exercitum, ad ſummam pau-

mam paupertatem redegit,clam ſtipendij ſoluendi facultatem impediendo: quibus rationibus eorum auctoritas & poteſtas mox imminuta fuit:huius autem negotij exitum tempus & hiſtoria docebunt. An. 1585.

His, quas diximus, turbis in Gallia ortis, Rex, vt diximus, coactus deſtitit ab inſtituto Belgium regno Galliæ iungendi: idque ſecunda tunc vice factum: anno enim 1572. Hiſpanica & Guiſiana factio idem ſimilirer impedierant: nam cùm videret ſe inermem & ad bella imparatum; coniuratos autem armis viribuſque adeò potentes, vt mediam regni partem Hiſpano in poteſtatem facillimè tradere poſſent: non ſine animi dolore, menſe Martio, Belgij deputatis cum quibus antea de præcipuis conditionibus conuenerat, declarat, ſe eos neque in protectionem recipere, neq; iuuare impræſentiarum poſſe: manifeſtè ac palam de via ab Hiſpano & Guiſiano ſibi illata conquerens: rogatque vt ipſimet defendendi Belgij curam rationemque habere velint,donec ſui regni ſtatum tranquilliorem reddidiſſet: eis autem auxilium conſiliumque qualecunque præſtare queat, lubens offert: & cùm Angliæ Regina, eodem tempore habitum periſcelidemque nobilis Ordinis Anglicani, in amicitiæ teſtimonium, per Comitem Derbiæ, ſuæ Maieſtati mitiſſet (per eundem ipſorum cauſam Reginæ ſe commendaturum) imò etiam miſiis legatis eam rogaturum, vt ipſorum defenſioni operam dare velit, pollicetur idem quoque apud Regem Nauarræ effecturum bona fide promittit: promiſſaq; fideliter præſtitit. Hac excuſatione & reſponſione Deputati magnificè dimiſſi, & ſinguli torque aureo donati diſcedunt,Regiſque commeatu ac ſumptibus,ad naues vſque deducuntur,gratijs,pro ſtudio, fauore ac munificentia,humaniſſimè actis:atque ab eo tempore Prouincijs optimè fauere Rex,nequaquam deſijt.

Angliæ Regina Eliſabetha his rebus intellectis, verita ne Ordines Belgici multa deſperatione,reconciliationem,pactionemq; in tanris mutationibus,contra opinionē ac ſpem,inirent cum Hiſpano; D. Iacobum Gryſeum, vrbis Brugenſis ſupremum præfectum ſiue Bayliuum,à Brabantis in Anglia ad colligendos milites miſſum, ad Ordines generales remiſit, plurimamque humanitatem, amicitiam ac ſpem obtulit. Qua de cauſa Prouinciarum Ordines ſine mora conuocantur, ad deliberandum ac conſultandum de fœdere cum Regina Angliæ ineundo. Quanquam autem his aduerſitatibus Belgium premeretur, paſſim tamen in Prouincijs & ciuitatibus inſignis conſtantia apparuit: qua ſortes animoſioque euidentiùs imè declarabant, ſe à veterum Belgarum ſiue Batauorum, ſuorum maiorum, virtutibus neutiquam degenerasſe. Hæ autem deliberationes lentè admodum proceſſerunt: eò quod contrarij venti profectionem vltra citraque ſæpius impedirent: ita vt interea temporis Bruxella, Machlinia, & Antverpia in hoſtis poteſtatem deuenerint.

Ordines Belgij deliberant de fœdere cū Regina Angliæ ineundo.

Interim varia varijs locis ſtratagemata attentātur. Comes VVilhelmus Naſſouius Ioannis filius,Leeuvvardæ Gubernator Friliæ inauguratus, Steenvvickam inuadere fruſtra machinatur. Fruſtra quoque Dux Parmenſis, opera Baruoetli, præſidiariorum præfecti, Bergoſomam capere meditatur,detecta per viduam Staeckenbroeckanam Baruoetli perfidia,qui ocyus vrbe relicta ad Parmenſem confugit.

Machinationes contra Steenwickā & Bergas fruſtra attentatur.

Comes quoque Hohenlous Buſcum ducis, vnum quatuor oppidorum primariorum Brabantiæ inuadere molitus eſt. Ciues enim Religionis cauſa, vt ſupra diximus, vrbe cieti, lares repetere imprimis deſiderātes,iunctis militum copijs. Huius ſtratagematis auctor & Dux præcipuus fuit Bruxellenſis quidam nobilis,militumque Præfectus, Iulianus Clarhagius qui ex Buſcoducenſi familia de Erp vxorem duxerat. Is receperat ſe militem in ciuitatem ducturum, quod & fecit. Hohenlous igitur ab eo inſtructus, 19. die Ianuarij c Iↄ Iↄ XXC V. ſecretè ad modum copias Buſcoducum traduxit, vbi ſtatim Clarhagius paucis ſecum aſſumptis, ſub porta qua itur Antvverpiam (vulgò Vuchtporte) locum in quo latet eligit, vnde noctè clanculum progreſſus,ſeptum in vlteriori parte, ſublicij pontis extructum,cum aliquot è ſuis tranſcendit, inuectiſq; ibi in ipſo ponte duabus Caſulis, Vigilibus deſtinatis,in ijs ſe cum comitibus occultauit. Mane igitur cùm hora octaua porta aperiretur,& pons ſublicius demitteretur; Clarhagius vigiles inuadit quibus interfectis, & fugatis portam vi occupat, Indeque pergens ad plateam, & quæ recta ad portam tendit,eam,pòſt paruum conflictum,in ſuam poteſtatem redegit, adiutus iam à reliqua ſuæ cohortis parte, quæ tum ipſi acceſſit. Hanc plateam Officiario Cloot cuſtodiendam commiſit, adiunctis illi aliquot ex ſuis, quibus ſimul præcipua quadam cura mandauit,ne ſtationem portæ deſererent,niſi ita facere iuberētur à Legionario præfecto ſeſſi eynio. Hi ſtatim portam conſcendunt, vt impedirent ne fortè Cancellatæ portarum fores aduerſus hoſtilem impetum pendulæ demitterentur, inueniuntque portarium, virum ſenem ea totum occupatum,quem ferro tranſfodiunt, eumque mortuum exiſtimantes, ibi relinquunt,ſed vbi illi deſcendiſſent,prorepſit in obſcurum antrum extra telorum iactum.

Buſcoducum ſtratagemate tentatum Duce Clarhagio.

Patentibus igitur iam portis ſtatim tria millia tam peditum,quam equitum,ſatis conſuſè in vrbem ſunt ingreſſi, qui haud difficulter, paruoque impedimento vlterius progreſſi, Mœnia-

circum-

An. 1585. circumdare cœperunt, & ab vna parte ad portam D. Ioannis, ab altera ad cœnobium Franciſcanorum cucurrerunt. Quidam etiam per mediam vrbem ad portam crucis properarunt, tranſeuntes pontem dictum Rerenbrugghe propè vicum dictum Poſtelſtrate, confuſè admodum nulloque ſeruato ordine; quia ipſe Hohenloius aut præfecti eius militiæ vt Iſelſteynius, & alij non ad venerant, quorum partes erant, dictam portam Crucis occupare, & dein mœnitorum additus ab vtraque parte, militeſuo munire; Qua ratione locum probè munitum arcis inſtar in ciuitate occupatum ſeruaſſent, qui, vt ipſa ciuitas, portis, foſſis, & mœnibus circumſeptus, ciuitati eſt counitus.

Hos tres aditus cum milites inter ſe male munijſſent, ob abſentiam dictorũ Præfectorum, nimiſq; profundè iam per vrbem diſperſi ſe proripuiſſent; obuios habuerunt aliquos è ciuibus, qui interea ſe armarant, contraque oppugnantes euntes, equum globo traijcerant, qua re milites attoniti pedem retulerunt. Præſertim cum aliquot iam in equis armatos cernerent, qui tamen alia cauſa non conſcenderant, quam vt Dominum Hauttepennum ægrotum, qui iam dudum decubuerat, vrbem egredientem comitarentur.

Hocigitur viſo perculſi, fugere cœperunt, & ſocijs ſuis, iam foris vrbem ingredientibus metum incutere, ita vt ſibi mutuò impedimento eſſent, ſine cauſa tamen & ſic omnes ſimul in fugam ſe conijcerent. Interea Clootus Clarhagij Officiarius in Vuchterporta (vt dixi) à præfecto ſuo conſtitutus, cum animaduerteret bonam vrbis partem à ſuis occupatam, paulatim ſtationé deſeruit. Quo animaduerſo ſenex ille portarius, qui in angulo grauiſſimè (vt dixi) læſus iacebat, tandem conſpiciens ſe ſolum ibi relictum, hoſtemq; fugam ſuſcipere, erigens ſe, vt potuit, Catarractam demiſit; quare tum trabs vna aperta, rumpit, & altera in equum incidit. Quo factum eſt vt non ſine ſumma difficultate vel ingredi, vel egredi potuerint, atque ita in meram confuſionem fuerint conuerſi. Hinc occaſionem ſumpſerunt, ciues Buſcoducenſes (in re militari longo tempore exercitati) animum reſumendi, & ab omni parte militem inuadendi, qui cùm fugientes ad portam veniſſent, quam occluſam reperiebant, abiectis armis, vt ſe ſeruarent, è mœnibus ſe præcipitarunt, atque ita plerique ſunt ſubmerſi, multi etiam capti. Ex qua neceſſitate Iuſtinus Naſſouius Admiraldus ægrè euaſit. Clarhagius interea, qui omnem operam hactenus dederat, vt fugientes reprimeret, & in ordinem redigeret, exiſtimabat ipſum Hohenloium portam occluſiſſe, vt fugientium impetum ſiſteret, ſed tandem rei veritate intellecta, videns ſe relictum ſolum vix 15. aut 16. ſuæ cohortis militibus comitatum, è turri quam Crychtoorn vocant armatus in foſſas deliliit, vbi opera Scoti cuiuſdam militis eſt ſeruatus. Deſiderati ſunt ex oppugnantibus facilè 300. tam cæſi quam merſi, inter mortuos fuit Ferdinandus Truchſes electoris Colonienſis frater, interfecti etiam multi ciues. Quæ omnia incommodo & damna ipſis euenerunt, quia prædicti tres aditus, vti à Clarhagio fuerat præſcriptum, à Præfectis muniti non erant militibus & Capitaneis alicuius nominis, qui militem præſæ inhiantem in officio retinerent. Deinde per ipſius Iſelſteynij abſentiam, Clootus Officiarius occaſionem capiebat, ſtationem propè portam relinquendi, & prædam aucupandi, quo etiam nomine accuſatus, mortis ſupplicio eſt affectus, idque etiamſi fortiter alioquin ſemper ſe geſſiſſet, & ex vrbe cum reliquis diſcedere coactus inſigne militare Hoſti ereptum ſecum inde reportaſſet.

Catarracta ſignificat pendulas portæ fores cancellatas.

Menſe Martio ciuitas Neomagenſis à fœderatis Prouincijs defecit, inſtinctu ac machinatione Schenckij militum præfecti, & quorundam, qui cum pecuniæ adminiſtratio eis commiſſa eſſet, anſam non reddendi rationes quærebant: itaque primo inſtigant Catholicos, hortanturque vt templa & exercitium celebrandi miſſas, ſicut pacis Religio permittebat, poſtulent: id cùm arroganter inſolenterque nimis fieret, Comes Nieuvvenarius, Geldriæ tunc temporis gubernator, vrbem fortiori præſidiariorum numero munire conſtituit; tantum enim duæ aut tres peditum cohortes paucique equites vrbem cuſtodiebant. Id ſimul ac ciues reſciſcunt, admittere plures recuſant: qua quidem occaſione audaciores facti Catholici Schenckium, qui tum adhuc Parmenſi militabat, aduocant, eum cum militum copijs admiſſuri in vrbem. Hinc diſſidia factioneſque inter ciues, per aliquot dies. Interea Comes Nieuvvenarus tumultum ſedare properans, cum ſuis tantum aulicis & domeſticis in vrbem venit: hinc adeò increuit ſuſpitio atque indignatio, vt in ſummo vitæ periculo verſaretur Nieuvvenarius. Tandem quodam die, matutino tempore, Catholici ingentes turbas excitant: portas vrbis & mœnia occupant, tormenta & arma præſidiarijs vi eripiunt, & Nieuvvenarium vindictæ cupidum, potentiores militum copias, qui vrbem diripiant, mittere velle exclamant: cùmque id maximæ ciuium parti perſuaſum eſſet, auxilio Schenckij, cum ſuis agminibus intromiſſi, præſidiarios expellunt: poſtea ad Parmenſem miſſis Legatis, reconciliari petunt: idque fauore ac opera D. Hautepennij impetrant.

Neomagenſium poſtrema Parmenſis.

Neomagenſium ſequuntur exemplum Doesburgenſes, qui præſidiarijs dimiſſis, Parmenſi oppidum dedunt. Cum verò huiuſmodi perfidiam machinarentur etiam Arnhemenſes, Comes Nieuvvenarus vnam oppidi portam ſummadexteritate occupat, interea dum ficta impreſſione

Digitized by Google

preſſione perterriti, ciues alió armati concurrunt, atque hoc modo oppidum comitantibus a- An. 1587.
gminibus ingreſſus, firmiſſimo præſidio munit. Huiuſmodi machinationes hoſtiles, aſtutiæ militares, arcium expugnationes, & dimicationes plurimæ tunc temporis vtrinque in Velua contigere.

Sub ſinem menſis Martij Motteus, Graueling æ Gubernator Oſtendam Flandriæ vrbem capere machinatur: copias ſub ditò ex omnibus ſuis præſidijs vicinis colligit, quibus veterem vrbem Oſtendam, vno tantum vallis ac ſepimento munitam capit: mox currus, munimenta, gerras, vt ſe ſuoſque tueatur, diſponit: verum præſidiarij extra vrbem eruptionem faciunt: naues quoque præſidiariæ crebris tormentorum ictibus hoſtem circa litoris oras infeſtant: Motteum & quas adduxerat, copias expellunt: ipſe in manu hoſtis multi ſuorum occiſi: in nouo vrbis propugnaculo plus quam ducenti terra condiri: ceciderunt militiæ præfecti vel Centuriones plus minus quadraginta: machinæ omnes bellicæ in oppidanorum poteſtatem à fugientibus relictæ. *Motteum Oſtendam capere ſinſtra machinatur.*

Bruxellenſes & Machlinienſes cùm Schaldi flumine clauſo, ſe etiam quodam modo obſeſſos vident, frumentum tempori in Hollandia emi curant: cuius magna pars poſtquam Antwerpiam appuliſſet, Bruxellam nauibus nequaquam inde vehi potuit, eo quod Parmenſis Viluordam obſideret: nihilominus aliquoties frumenta aliaque neceſſaria aduecta fuere terra, ſed maxima cum difficultate. Circa finem autem Nouembris, 140. curribus tapetes, & merces arte manuaria factæ, multæque aliæ, Bruxella euehuntur, & ab hoſte inuaduntur, cùm in medio itinere maxima militum pars, qui ſecuritatis cauſa comitati fuerant, diſceſſiſſent: aurigæ perterriti reſtibus loriſque abſciſſis equos diſiunctos conſcendunt, & curribus mercibuſque hoſti in prædam relictis, ocyus fugiunt. Ad has calamitates aliud quoque malum acceſſit. Nonnulli enim Hiſpanis amici, dum occaſionem, vrbis in Parmenſis poteſtatem tradendæ quærunt, præſidiarios milites ad ſeditionem cótra Magiſtratum incitant: apprehenditur Magiſtratus, conijtur in carcerem, grauiſſimiſque criminibus accuſatur: verùm ſimulac eos innocentes falſoque accuſatos percipiunt præſidiarij, captos dimittunt: & præcipuos turbarum calumniarumque auctores octodecim numero, carceri vinculiſque mandant: inter quos fuere Corpellefus annonæ præfectus, Bekius Commiſſarius, Dankardus actor cognitorque publicus, ſiue procurator generalis, & Ronckus, qui olim in arce Antverpienſi Prouinciis reſtituenda, Hiſpaniſque adimenda, D. Bourſij imprimis ſtrenua ſedulitate, operam fideliſſimè præſtiterat: nunc autem varias ob cauſas offenſus atque alienatus erat: verſabantur quidam horum in magno vitæ diſcrimine, tanquam mortis ſupplicium meriti: & niſi ſumma penuria egeſtaſque, qua ciuitas premebatur, obſtitiſſet, mortis ſupplicium haudquaquam euaſiſſent. *Bruxellenſes, artificiate vrgente, cum Parmenſe pacem ineunt.*

Poſt hæc cum fœderati commeatum in vrbem rurſus vehere vellent, ad nequaquam præſtare potuerunt, eo quod breue compendioſumque iter per campos prorſus inundatum; longum autem altumque arboribus ſucciſis proſtratiſque clauſum eſſet. Proinde Comes Hohenlous tandem vndecimo Martij Bergoſoma venit cum nouem equitum turmis, cohorte Germanica, quibus iuncti erant ſtipendiarij Antverpienſes, ſimul commeatum in vrbem vi inferre parati: verùm cùm Machliniam vſque veniſſent, adfertur nuntium, Bruxellam hoſti traditam.

Obſeſſi enim fame dura preſſi, de ſubſidio prorſus diffici, atque omni ſpe poſtquam Galliæ Regem auxilium protectionemque, vt ſupra diximus, denegaſſe intellexerant, deſtituti, diſſidijs quoque obruti; tandem cum Parmenſe pactum inierunt, & 15. Martij promulgarunt, quo Templeus vrbis Gubernator, Sohay us chiliarcha, Pyronus & Eetveltus militum præfecti, ad aliquot menſes in Brabantia non militare deuincti, & milites præſidiarijque omnes cum armis diſceſſerunt: ciuibus autem ſpatium duorum annorum conceſſum deliberandi, an Romani Catholici fieri & manere, an verò vrbe exire velint: imperata pecunia, ea conditione remiſſa, vt Regis ſacellum, Cardinalis Granvellij & Comitis Manſveldij domos, ſupellectilem, bonaque omnia mobilia reſtaurent, reſtituant, aut ſaltem valorem perſoluant: conditum quoque, vt ciuitatis Priuilegia pro Regis arbitrio corrigerentur, mutarentur ac diminuerentur: captiui quoque demitterentur, inter quos Rolandus ſorckius Anglorum militum præfectus. Simulac vrbs Parmenſi fuit tradita, D. Gonignius tanquam Gubernator, cum viginti militum cohortibus ingreſſus eſt. *Parmenſe pacem ineuntem.*

Machlinia autem longo pòſt tempore Parmenſi adhuc reſtitit, commeatu Bruxellenſibus deſtinato ſuſtentata, vſq; ad 19. Iulij: tunc enim neceſſitate penuriaq; vrgente, nullaq; amplius ſpe apparente, conditionibus ſatis æquis ac honeſtis deditio facta eſt: præſidiarijſque militibus ſtipendium ſolutum. Paulò pòſt Parmenſis quoq; potitur Donſckena, VVillebrocka, Margareta, aliiſque arcibus ac propugnaculis, partim quorundam præfectorum perfidia, partim vrgente penuria. His commoditatibus fretus Antverpiam vndique cingit: prædiaq; ſuburbana Berchemi, Strali, & Hoboki occupat. *Machlinia, propugnaculaque vicina Parmenſi dedunt.*

Digitized by Google

An. 1585. Supra diximus quibus modis Dux Parmenſis Antverpiam in angustias inducere, & ponte, nauibus, vallis, propugnaculis amnem claudere molitus fuerit: quibus etiam modis Antverpienſes hoſtium conatibus reſtiterint: nunc quid præterea actum ſit, narrabimus.

Cùm menſe Martio Parmenſis Schaldim amnem ponte impoſito clauſiſſet, tandem Hollandi & Zelandi comperiunt ſe plurimas occaſiones ac commoditates quibus conſtructio pontis & propugnaculorum impediri facilè potuiſſet, neglexiſſe: tum quod militum copię non ſufficerent, paucis enim admodum contra Zutphaniam vtebantur; tum quod nautæ inter ſe diſſiderent atque diſcordarent; maximè autem quod ſubſidio ex Gallia mittendo nimium confiſi fuiſſent: reſumptis proinde animis viribuſque, tertio die menſis Aprilis, opera Comitis Hohenloi, & Iuſtini Naſſouij maris præfecti, propugnaculum Liefkēshoeckæ è regione Lilloæ capiunt: vſi vaſtis nauibus & flatis optimè munitis in quarum ſummis corbibus ſiue galeis ſclopetarios diſpoſuerant, qui flumine alto & profpectu longo, creberrimis glandibus hoſtem ſæpimentis valliſq; expulerunt, tam ſubitò, vt vix quater explodendi tormenta ſpatium habuerint: expugnato captoque propugnaculo, victores nemini parcentes, hoſtes quoſcunque hic nanciſci potuēre, trucidarunt. Conſeſtim quoque propugnacula Antonihoeckæ, Teruentæ, Oyrtæ, totam deniq; Doelam expugnarunt, præſidiarios, deditione facta, gladijs & pugionibus ſolum abire permiſerunt. Verùm enimuerò victores parùm cordatè hic ſuis rebus conſuluerunt: maximè quod Liefkenshoecka potiti, non ſtatim inde vſque ad extremitatem aggeris Calloæ perfoſſi, vallo locum munierint, quo extremam illam partem ſeruare potuiſſent: ſicut D. Aldegondus epiſtola ſua manu ſcripta probè monuerat: & 10. Aprilis eius rei cauſa certum nuntium miſerat: ab hoc enim angulo, pons à Parmenſe conſtructus facilè tormentis æneis euerti ac dirui potuiſſet. Verùm Parmenſis, propugnaculis valliſq; Doelæ captis, feſtinanter ſcaphas inſtrui iuſſit, & in extremo aggere, Germanorum militum opera duas munitiones, Hopam nempe & Antoniam ſumma diligentia ac ſolertia exſtruxit.

Zelandi Liefkenshoeckam aliaque propugnacula capiunt.

Interea Antverpiæ conſultatur quibus potiſſimùm modis pons hoſtilis dirui queat. Frederico Ienibellius Mantuanus, qui longo tempore Antverpiæ habitauerat, ibidemque vxorem duxerat, familiamque aluerat, vir bonæ fidei (qui nunc ob ſingularem in machinis bellicis peritiam in Anglia ab ipſa regina ſtipendium accipit) cùm coram delegatis ac arbitris ſuæ artis ſpecimen edere vellet, idq; Aldegondo imprimis cōmiſſum eſſet: poſtulauit ſibi tradi tres vaſtas naues, nempè Auraicam 150. vaſorum, ſiue 300. cymbarum, Poſtam auream 350. vaſorum, & Leonem aureum 500. capacem: in quibus cæmentitia ſtructura meatus & cuniculos conficeret, vt noua machinatione, & pontem & omnia ponti vicina euerteret atque deſtrueret: petijt præterea 60. Slatas, naues nempè latas, carinis planis, flumini idoneas, quæ rudentibus, cathenis & trabibus cōnexæ, ſub aquis, æſtu agitante, inſtar ſemilunæ fluctuarent, ſingulæ cum duabus anchoris ſiue vncis dimidiatis, decem pedes ſupra aquas eminentibus, quæ obuia quæque vehementiſſimo impetu raperent traherentque: quali machina procul dubio pons omnis dirumpi deſtruique violenter potuiſſet: Verùm quia tantæ artis experimentum nunquam antè viſum fuerat, & res nimis ſumptuoſa videbatur: ſolummodo datæ ſunt machinatori duæ naues minores, quarum vna Fortuna, altera Spes nominata, vnaquæque circiter ſeptuageſimo aut octuageſimo vaſorum capax, aditæ præterea decem etiam Satæ, vt ijs artem experiretur.

Ienibellij machinæ ad detrudendum pontem Parmenſis.

Naues has duas maiores carinis firmiſſimis conſtructas, plancis tabuliſque robuſtis munit Ienibellius, arcam in vnaquaque ex lapidibus albis maioribus quinque pedum latitudine ſuperſtruit: arca vtraque interius longa pedes quadraginta: lata autem & alta tres cum medio: in harum vna imponit pulueris nitrati libras 6000. in altera verò 7500. vtramque cooperit magnis lapidibus cæruleis ſiue ſepulchralibus, ita vt acies & cuſpis ſex pedes lata emineret, quæ globos hoſtium tormentis explosos facilè auerteret: in clauſis arcis patebant foramina quædam, quibus plurima ne æruari poſſit funalia ignita indiderat: & ſupra ipſas naues machinam igneam confecit, quæ vnius horæ ſpatio arderet, antequam puluis nitratus fiammam conciperet: vt ſic ſaltem hoſtibus metus atque ſuſpicio adimeretur: quandoquidem exiſtimarent huiuſmodi machinam ſolummodo ad comburendas pontis naues eſſe apparatam. Inſtruxit præterea triginta duas cymbas maiores, ſiue ſclatas maiores, igne artificioſo ardentes: quarum octo cathenis nexæ, media quaque hora, aquis refluentibus, ſimul ardentes deſcenderent: Apparatæ & aliæ cymbæ, vulgò Vrinatrices dictæ, quæ puluere nitrato quem continebant, incenſo, hoſtium rates, flaminarum violentia propius accedente, deſtruerent: vt irritatus hoſtis, explodendis omnibus ſuis bombardis, tam minoribus quam maioribus, duarum ſaltem horarum ſpatio occuparetur, laſſuſque demum deſiſteret circa id tempus, quo duæ naues maiores incendiariæ, medio aquarum defluxu, aduenirent, alteraque poſt alteram opus deſtinatum exſequeretur.

Cùm

Cùm autem Zelandi Liefkenshoeckam 3. Aprilis cœpissent, & reliquis propugnaculis valisque expugnandis intenti essent, Antverpienses 4. Aprilis sub vesperam instructas machinamentis naues in pontem Parmensis direxerunt. Sed Iacobus Iacobi præfectus maris, parum diligenter vel probè suo officio functus est; diffidentia quadã, nam quatuor classes quarum singulæ octo cymbis siue stlatis constabant, nimis celeriter, ordine continuò, amni decrescenti cõmissæ fuerunt: quas duæ illæ naues tartareæ ocyus subsequebantur: vna autem cui nomen Fortuna, ante tempus constituti incensa fuit: erat enim horologico quodã instrumento instructa, quod flammam absq; funibus igniarijs suppeditabat, ita vt labentibus aquis, tandem propè pontem proiecta, nullo hostem damno affecerit: altera verò, Spes nominata. Calloam vsq; prolapsa, ingentes profectò vires edidit, interea dum Aldegondus & Ienibellius in aggere propè vallum exspectant, ignari euentus, suspicantesq; nihil prorsus præstitum fuisse: eaq; de causa simmopere commoti, præfectò maris patibuli supplicium minitantur: nuncioque misso, mandat Aldegondus vt ocyllimè (licut constitutum fuerat) nauigium actuarium eò mittat, vt quid factum sit, certo significetur: huius autem nauigij nauclero sociisque iniunctum fuerat, vt pyrobolos siue tela ignita in aëra proijcerent, si viam apertam inuenirent, & per classem tranirent Lilloam vsque, ibique simul cõsultarent: pyrobolis autem eiectis, maris præfectus, displosi tormenti æneo sonitu naues simul omnes in hostiles copias incitauit, vt vno impetu victoriam prosequerentur: verùm actuarij nauigij nautæ, quibus ducentorum florenorum donum promissum erat, nequaquam vlteriùs progredi, aut quid ignitoumæ naues fecissent, indagare ausi, præpropere reditum accelerant, nihilq; prorsus actum esse nunciant. Atque hac de causa Aldegondus & Antverpienses victoriam prosequuti non sunt: quandoquidem nec postridiè quidem vllam nauem aut Zelandicam, aut Hollandicam, aut præfidiariã, quæ antè Lilloam, pontem versus erant, moueri aut velificare viderent: cùm tamen vento tunc fauente, absque vllo periculo commodè faciteq; ire ac redire potuissent. Antverpienses autem rupti pontis & fœlicis euentus ignari, nihil etiã hic attentarunt, sed propugnaculum Melssensluæ oppugnarunt: suorum autem aliquot deliberatis, inde discesserunt.

An. 1585.

Antverpienses ignominosas naues ad destruendum pontem mittunt.

Interea Ienibellius machinariæ rei præfectus, quòd suis machinis nihil profecisse putaretur, in vitæ periculo versabatur, donec post triduum nuncios certus à Comite Hohenloio missus, qui nocte vrinando pontem nudus tranauerat, nunciat quo modo nauis incendiaria Spes nuncupata, ad ripam Flandriæ, versus propugnaculum Calloum ardens fluctuarit: Princeps autem Parmensis cum suis aulicis & familiaribus, totusque exercitus eam conspicati, accurrerint, flammamque extinguere properarint, ne ardens propius pontem accederet: ignemque exstincturi, Antverpienses & Aldegondum irriserint, quod ardente huiusmodi nauigio pontem destrui posse putassent: cumque interea ignis vndique pulueren nitratum attingeret, tantum subitò fragorem sonitumq; adeò horribilem excitatum, vt cœlum ruere terraque perire putaretur: vndas commotas, perturbatas, extra aluem effusas profluxisse, restagnantemque amnem tanta aquarum copia Calloanam munitionem repleuisse, vt ad genua vsque in aquis stantes milites detinuerit, & funes bombardicos, atque igniaria omnia extinxerit: lapides ingentes extra nauem, pulueris bombardici violentia, in aëra longè lateque volitasse, flammam sex pontis naues abstulisse, multas quoque alias carinis inuertis prorsus euertisse ac dirupisse. Inopinata huius machinæ violentia fugere in Parmensis exercitu desiderati circiter octingenti: inter quos Marchio Rysborgius Gandaui Borggrauius, generalis strategus totius equitatus: heros industrius ingeniosus, bellator insignis, vir plurimis naturæ dotibus præditus, verùm nimis ambitiosus, superbus, inuidus, crudelis: quorum vitiorum instinctu Hispanico fœderi se addixerat, cùm tamen natura Hispanicæ nationi inimicus esset, & fœderatis Prouincijs, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto iunctus, se patriæ amantissimum ac fidelissimum exhibuisset: verum inuidia, falsus, ambitio, nimiaque æmulatio eum non tantum contra sui similes, sed & contra ipsum Principem Auraicum, cui ægrè admodum cædere voluit: incitarunt: Mortui cadauer de nauis cuiusdem rudente pendens cognitum, ablatum, humoque honorificè mandatum fuit: ab Hispanis parùm deploratus, dicentibus, quamuis vt Capetanens Prudens Regi multa magnaque officia præstitisset, tamen ipsum vno die plus damni Regi intulisse, quam decem annorum seruitijs compensare posset. Occubuit quoque nouo hoc fulmine ictus Roblesius, Billij Dominus, olim Friliæ, Groningæ, Omlandarum & Drentæ Gubernator, Lusitanus natione, Belgij acerbissimus hostis: solertia, experientia, regionum Belgicarum, & rerum bellicarum cognitione insignis. Vitam hic similiter amisit Sigura Hispanus, militiæ præfectus, vir summa strenuitate clarus. Interierunt & alij multi strategi, atque aulici. Ipse Parmensis magno suo bono, paulò antè, cum ignem extinctum putaret: ab aggere discesserat, iamque circitèr teli iactu aberat, cum & ipse, & Marchio Guastius multique alij, horrendum in modum fulminis violentia in terram prosternuntur.

Nauis incendiaria Ant. werpiensium, plurimum damni infert exercitui Parmensi.

Mors Marchionis Rysborgii & aliorum.

Digitized by Google

An. 1585. Verùm cùm postridiè manè neq; Antverpienses, neque Zelandos inceptam machinationem insequere vel promouere perciperet Parmensis; erant enim dubij incertique quid potissimum agerent; animum recipit, pontemq; festinanter reparat: eò animosior, quod id temporis Germanorum militum auxiliaris legio sub tribuno Mauriquefo opportune in sua castra aduenisset. Ita pontem construens, vt eo loco, vbi naues igniuomæ appropinquarent, te pons aperiret, & ficnaues illas absque vllo detrimento pertransirent.

Parmensis pontem reparat.

Antverpienses certiores facti, stragem tantam Parmensis exercitui illatam fuisse, pontem prorsus destruere constituunt consentiuntq; vt Ienibellius 15. celatas, sub aquis, vt antè dictum erat, pontè versus dirigat: id cum fœliciter cessisset, rupto nempè atq; aperto rursus ponte; ventus aduersus aliaquè incommoda obstiterunt, quo minus Zelandi aliquid egregij tunc præstiterint: nihilominus naues nonnullæ, numero paucæ, & minus conuenienter instructę, aperturam quandam in ponte fecerunt, quam Parmensis rursus citissimè refici & claudi curauit. Concesserunt præterea Antverpienses Ienibellio tres illas magnas naues quas antè petierat, & sexaginta celatas, siue naues planas, quibus pons prorsus diruatur ac dissoluatur: verùm cùm nonnulli allegarent, olim Hollandum quendam Dantisci ob capitale crimen captum, vnius tantùm magnæ nauis impetu pontem huiusmodi ex nauibus cõstructum in Dantiscana obsidione destruxisse peruiumque iter reddidisse; constitutum fuit vt Ienibellio, ex tribus vna tantum daretur nauis, Auraica nomine, quæ ignem euomeret, duæ autem roftris ferreis & alijs instrumentis munitæ atq; armatæ, in pontem impetu facto naues hostiles dissoluerent ac frangerent: verùm nemo tandem inuentus est qui huiusmodi naui igio se fortunæ exponere ausus fuerit: neque rei capitalis reis id negotij committere tutum consultumve vllo modo visum est.

Proinde Ienibellius nauem Auraicã instruit, & quindecies mille pulueris nitrati libras imponit: ne quis autem ad ignem extinguendum, aut structam superius machinam impediendam propius accedat, nauem cingit circumpendentibus 24. vasis cereustiarijs, interius structura cæmentitia munitis, & puluere nitrato repletis, quorum vnumquodque diuersis vicibus displodere tur igne propius accedente: præparat etiam decem naues incendiarias minores, quæ magnam comitentur, aditumq; ad eam prohibeant. Verùm cùm iam aggerem Cauvvensteynum oppugnare decreuissent, nauis hæc omissa fuit, eamque Dux ipse Parmensis, vrbe dedita, perspexit accoluisse: minores verò, ad fascescendum hosti negotium in aggeris Cauvvesteynj oppugnatione, adhibitæ fuerunt.

Antverpienses ob Schaldim amnem ponte alijsq; machinis clausum, arctiùs obsessi, constituunt aquæ ductum deriuare per agros, sicut Leydenses obsidioni cincti antea fecerant. Verùm id factu admodum difficile videatur in Flandrica regione, ab eo loco vbi Liefkenshoeckæ propugnaculum stabat, quamuis agri passim stagnarent: nam aggeres Clopperius & Calloius transeundi, multæque difficultates superandæ erant: proinde consultissimum reputant, ab alia parte, nempè Brabantica, aggerem Cauvvensteynium inuadere, is autem vergit, vt antè diximus, ab altioribus ad loca inferiora ad aggerem Schaldis vsque, qui variè transfossus ac ruptus, humiliora quæque aggeri vicina, continuò tractu, aquis implebat, à Lilloa Antverpiam vsque: obstabat autem agger Cauvvensteynius quo minus agri submersi transfretari possent: eumque Parmensis accuratè munierat, &, vt supra diximus, in ipso quadriuo propugnaculum exstruxerat, patebatque Parmensi via à ponte in sua castra Stabroeckæ.

Describitur aggerum Cauvvensteynij.

Hunc aggerem cùm Zelandi & Antverpienses occupare, firmare, ac perfodere, atque inde nauibus planis Antverpiam nauigare, & interim Parmensi pontem suum frustra custodiendum ac seruandum relinquere statuissent: Deus ter maximus euidentissimum punitionis animaduersionisq; signum in Antverpienses his edere voluit: nam cùm decretum esset, à Zelandica parte aggerẽ statim oppugnare, postquã Antverpienses ex præcelsa turri, nocturno tempore, indicium quater igne accenso fecissent; & Aldegondus, qui in Tolousano propugnaculo Flandriæ huic negotio operam dabat, quibusdam bellicæ administrationi præfectis iniunxisset, vt continuas excubias in turri agerent, triaque signa ignea ederent, postquam ipse è propugnaculo vnum noctè exhibuisset: euenit vt ille cui res potissimùm commissa erat, nimis socors ac negligens eam alijs commiserit, qui temerè ac inconsideratè militis cuiusdam igne in aggere conspecto, reputantes id Aldegondi signum speculare esse, indicia ardentia, contrà ac constitutum erat, ostenderunt, ignari prorsus negotium maximi momenti inde dependere, hoc edito signo, sine morà à parte Zelandica nauibus planis aggerem Cauvvesteynum inuadunt ac capiunt maximo impetu: verùm cùm Antverpienses imparati essent, neque eo venire possent, victores è capto propugnaculo prosiliantur, aliquot vtrinque desiderati. Occubuit hic Zelandorum militum præfectus D. Monbereyus. Inter Hispanos Alfonso de Padiglia, Pietro Suerra, Cæsar Bechico, & Alfonso Piantaredo. Farrante Spinola captus & Antverpiam deductus ex vulnere obijt. Parmentis summa festinatione longum aggeris spatium palationibus, sæpimentis, propugnaculis, vallis, munit.

Nihilomi-

Digitized by Google

Nihilominus Zelandi aggerem hunc ab vtraq; parte inuadere conſtituunt: quamuis Aldegondus, cui ſatis perſpecta erat loci munitio, difficillimum id reputaret, ſcriptoq; ſignificaret, pontem & propugnaculum Calloanum ſuo iudicio potius eſſe oppugnandum. Die autem 26. Maij. tempore matutino, totis viribus aggerem aggrediuntur Zelandi, per amnem propè Lilloanum propugnaculum nauibus maioribus intrant: Antverpienſes verò cum ſcalris & nauigijs planis propè Auſtreveſam: hi viribus iunctis, hoſtem tormentis æneis ſclopiſq; inſectant, pellunt, aggerem capiunt, ocyſſimè vallis ſe contra hoſtem vtrinque inter duo propugnacula munire, & aggerem perfodere, nauibuſq; tranſitum apparare ſtudent: verùm enimuerò id admodum difficilè fuit, maximè ob frequentia ingentiaque obſtacula pedamentorum, palorum, aliarumq; machinarum. Conueniunt huc Comes Hohenlous, Hautcynus V Valachriæ gubernator, D. Aldegondus plureſij, alijbellicis negotijs præfecti. Superato aggere, ſingulis ſua loca tuenda, munienda, fodienda deſignantur. Ea pars quæ Schaldim ſpectat, Morgano Chiliarchę; Frcminio autem Balforo, & alijs ſtrategis, quæ Antverpiam; Yſelſteyno & Hollandis atque Zelandis quæ continentem, commiſſa fuit. Verùm cum transfodiendi opus nimis laboriosum & longum videretur, ſententijs mutatis, ſaccos & ſcaphas maximo numero apparari conſultius reputant, quibus creſcente rurſus amne, onerarias naues frumento exonerent, idque Antverpiam vehant. Deinde Hohenlous & Aldegondus Antverpiam redeunt, conſilium modumque inituri vt Parmenſem acrius oppugnent. Interea verò Parmenſis nequaquam cunctatur, aggerem omnibus adhibitis viribus rurſus occupare molitur: ex arce Cauvvenſteyna, ſeptem tormentis æneis, obliquo ductu, Hollandicas & Zelandicas naues acriter infeſtat, decreſcente amne horrendum in modum quatit ac rumpit: prævalet Parmenſis exercitus, aggeremq; inuadit, poſtquam duodecim fere horis, non ſine magna vtrinq; clade certatum fuit: quinquies aggreſſi, quinquies repulſi hoſtes. A parte Antverpienſi, loricam ac ſepimentum à Parmenſe ſtructum inuadunt: hic ipſe Parmenſis ventre tenus in aquas inſiluit haſtam manu tenens, cùm ſui eo loci pugnare recuſarent, quòd Anglos & Scotos ſtrenuè admodum reſiſtere ſentirent: Verùm cùm ab altera parte, nauticæ, aggere relicto, diffugerent naues verſus: hinc milites animos deſpondent: fitque primò fuga à parte Zelandia: cæſi vtrinque circiter mille quingenti: plurimi vulnerati: deſiderati ex Parmenſis exercitu multi viri eximij ac nobiles. Amiſere Antverpienſes Iacobum Iacobi Admirallium Valdæum, Chymaium, Ooſtenū Capitaneos, duos quoque Anglorum militum præfectos, & alios viros imprimis ſtrenuos, præterea ſtipendiarios plurimos præcipuè Anglos & Schotos, & ingentem ciuium numerum. A Zelandorum parte primo congreſſu periit Haulteynus V Valachriæ gubernator, alijq; præfecti ac bellatores maximè celebres. Cepit victor hoſtis naues plus quam triginta, cum armis, machinis & tormentis quæ inerant omnibus: potitus quoq; eſt vaſta illa ratij, quæ Belli finis nominabatur: quibus quidem nauibus, armis, machinis ac ſpolijs, commodè fœliciterque vſus eſt.

An. 1585.

Agger Cauvvenſtcynius capitur.

Parmenſis aggerem Cauvvenſteynij inuadit, non ſine magna clade.

Poſt ingentem hanc cladem Antverpienſes animos demittunt, nam cùm paulò antè Herentalam & Bruxellam amiſiſſent, mox, huius ſtragis ac infortunij rumore in Parmenſis poteſtatem inciderunt vrbs Machlinia, & propugnacula Donckskéa, V Villebroecka & Magaretia, partim penuria, partim quorundam præfectorum puſillanimitate ac ignauia. Arcibus autem circumcleta Antverpiam, nempe Berchema, Stralena, Hobokana pluribuſque alijs occupatis, frumenta alimentaque vndique ademit atque interclusit Parmenſis: videbaturque vrbs vndiq; tanquam obſidione cincta ac clauſæ captum quoque propugnaculum Ruſticanum: quod cum vaſta ruina concidiſſet, eſſetque poſtremum omnium pontem verſus, mox ſpes omnis pontem diruendi, aut per amnem aliquid promouendi collapſa eſt, quandoquidem omnia maiore quā antea periculo tentanda eſſent: proinde palam & clam de pactione cum Parmenſe ineunda, in vrbe obſeſſa conſilia ineuntur.

Antverpienſes multa deſperata animos demittunt.

Conſumptis autem frumentis, neceſſitas magis magiſq; vrgere cœpit: ea autem difficultas paucis admodum, ſoli nempè magiſtratui & politiæ præfectis cognita erat, vtpote qui id negotij caute prudenterq; imprimis adminiſtrarant, panemque mediocri iuſtoq; ſatis pretio vendi curarant toto obſidionis tempore, anno ſcilicet & amplius: quamquam ex vilioribus varieque mixtis granis paniticia fierent, vnde quidem frumentorum paucitas & caritas facile conijci animaduertique poterat: maximè cum cereuiſiæ coctoribus frumenti & grani menſuræ (quas viertellas vocant) duodecies mille, iuſſu magiſtratus, eſſent ablatæ, & ne cereuiſiam coquerent prohibitum: vnde euenit vt pauperiores aquam aut alium laticem tenuiorem, ditiores verò vinum dilutum aut merum biberent: erant autem remiſſi canones cenſuſque vinarij: ita vt vini Rhenenſis meſura tribus ſtuferis venderetur: cōſtabat cadus ſiue ama quindecim circiter florenos. Exoptabant quidem omnes, conſilium Ienibellij de frumento & annona procurandis, cuius ante meminimus, approbatum effectumque fuiſſe: nam edictum quo præcepium fuerat vt quiſque ſibi annonā in duos annos compararet, male admodum à ditioribus obſeruatum erat: illi enim, ne empta ipſis adimerentur timebant: neq; id quidem vanè: nam bis in quiſitio in domi-

Frumenti maximam difficultatem Antverpienſes patiuntur.

Digitized by Google

An. 1585. cilia facta fuit: sed parum frumenti inde collectum, eo quod ciuis contra ciuem rem adeò odiosam exequi nollet. Necessitate autem atque inopia acrius iam premente, initur consilium, vt ciuitati minus vtiles, nempè fœminæ, pueri, maxime autem homines vagabundi, mendici, & extranei exire cogerentur: nam numero inito, rationeque subducta, compertum est, ciuitatem Antverpiensem, in qua huius obsidionis tempore circiter aut vltra octoginta quinque millia hominum erant, pecore nullo computato, ter centies mille mensuras siue viertellas frumenti, quæ circiter nouies mille veheS siue lastas conficiunt, vnius annì spatio requirere: huiusmodi autem consilium & serò nimis & frustra initum fuit: nam vnusquisque eum quem socium, amicum aut familiarem habebat, in vrbe retinere ac secuare studebat: quin & illi quibus tanquam inutilioribus, ciuitas facilè carere poterat, exire iussi per vnam portam, per aliam reuerti intrarunt, conniuentia ac permissione excubitorum aliorumque quibus inopis ciuitatis angustia ac necessitas non satis perspecta erat, cum quæ de Catholicis Romanis etiam eliminandis quorundam consilio ageretur: haud procul abfuit quin dira hinc seditio orta fuerit. Vt autem pauperioribus ciuibus qui neque sumptum exercere, neque quæstum facere opificijs poterant, aliqua ratione etiam subueniretur: conscriptæ ex ijs fuerunt aliquot cohortes, qui militum stipendiariorum loco essent, sed militaris stipendij saltem dimidium acciperent: id autem ob rei numariæ difficultatem exiguo tempore durauit: cùm nemo tandem quicquam amplius contribuere vellet: tametsi antea liberaliter ac probè admodum suo officio functi fuissent ciues, quorum alij sedecim, alij duodecim, alij sex florenorum millia, alij amplius, alij minus, vt cuiusque ferebant facultates mutuò dederant, præterea etiam crebras grauesq; exactiones exsoluerant. Postremò tumultus seditioque orta, cum frumenta ex agris in vrbem inuehenda essent: cui negotio præfectus erat Moucheronus Tribunus: fungi autem suo munere voleti resistit reclamatq; populus: pacem necessariò confici debere vociferantur tumultuosi, verbaque seditionis plena addunt: ita vt Moucheronus in summo vitæ periculo versaretur: nisi enim Aldegondus Consul suo interuentu furentes animos placasset, Moucheronum crudelissimè occidissent & minutim confecidissent. Huius seditionis authores aliquot apprehensi, è Magistratus potestate vi erepti libertatique fuere. Tota vrbe clamor horrendus infestusque pacem volentium.

Ingens hominum numerus in vrbe Antverpiensi, obsidionis tempore.

His difficultatibus etiam ipsius Magistratus constantia labefactari cœpit, vtpotè cui necessitas, angustia, penuriaque ciuitatis cognita imprimis erat: Consulem Aldegondum ad pacem deditionemq; faciendam vnà pertraxerunt, veritine egestas quam ciuitas breui cogeretur pati, grauiores tumultus seditionesque pareret, & longa pacificationis ac deditionis recusatio, cædis diræ occasionem ciuibus præberet: proinde vt de pace cum Parmense agatur decernunt: idque eo magis, quod circa id tempus Caluvvardus Scriba, nomine Ordinum Hollandiæ missus in vrbem venisset, & pertenuem subsidij spem attulisset: nempè septem millia equitum & duodecim peditum auxiliariorum in procinctu fore, si tribus adhuc mensibus obsidioni resistere, vrbemque tueri queant: Ordines interim conaturos nauibus aliquid experiri. Huiusmodi autem promissis nequaquam fidem adhibere potuerunt Antverpienses: tum quod adeo breui temporis spatio tantæ equitum peditumque copiæ colligi nequaquam possent: tum quod illis collectis ac paratis, victoria incerta foret: quandoquidem ipse quoq; Parmensis interea suas vires colligeret. Neque consultum reputarunt, vrbe tot mensibus seruata, omnem classem periculis exponere, susceptione adeò dubia, & re propemodum desperata. Intellexerant quidè Anglos milites nuperrimè aduenisse, sed adhuc inermes esse: literas quoq; Reginæ Angliæ quibus subsidium certò promittebat, acceperant: Rationes etiam atque consilia omnia exactè, cordatè ac solicitè, necessitate atque angustia pressi, perpenderant: statuerantque aut terra aut mari subsidium ferendum: vt autem terra id fieri queat, nequaquam satis tempori necessariam sufficientem que militum exercitum aduenire posse: mari autem, potius nautis & nauibus, quam militibus rem committi debere: pontem quoque expugnandum, & viam vi aperiendam: id verò pluribus, quàm amnis latitudo pateretur, nauibus nequaquam præstari posse: viros quidem tali opere idoneos, & naues tam actuarias quam alias optimè instructas non deesse: sed hæc vento ab occasu æstiuo flante fieri debere: verùm si primi nihil promoueant, & ab hoste acriter inuadantur, nullam fore spem, venti aut æstus marini ope euadendi aut fugiendi: quin & reliquis nihil nisi moram damnumque illaturos, maximè cum vtrinq; in aggeribus & agris vicinis ingens bellicorum tormentorum numerus, ab hoste sit dispositus: præsidiariæ quoq; & aliæ naues quas Parmensis plurimas nactus fuerat, horribilem cladem minentur, & ipse pons pauorem incutiat, vt autem minimo periculo impetus in hostem fiat, non diè sed nocte pontem oppugnandum, atque donec ventus & æstus maris oportunè conueniant exspectandum, id autem rarius, & mense toto vix duobus aut tribus diebus, imò aliquando vix semel integri anni spatio commodè satis euenire: fore autem difficile admodum æstate, ob breues noctes; & nocte periculosum valde, obloca vadosa, vtpotè quæ non sine maximis impedimentis molestijsque vitari in tenebris queant.

Deliberant Antverpienses quibus modis vrbs obsidione liberari queat.

Hanc

Hanc subsidii ferendi rationem non tantum Antverpienses, sed & Zelandi ipsi, marisque præfecti, impossibilem & periculosam valde iudicârunt: quod & post liquido patuit ex literis eorundem manu pariter subsignatis, & D. Nassouio Admiraldo traditis: quamuis magno apparatu multa præstare se velle fingerent ac simularent: res ipsa tandem euidenter docuit. An. 1585.

Postquam has aliasque difficultates, inito consilio Senatus, Antverpienses exactius perpenderunt, & postulationibus vociferationibusque furiosis populi aliquandiu restiterunt: tandem 6. Iulij ad Parmensem miserunt D. Aldegondus Consul, D. Dufflæus, D. Schonhouius, & Hesselius, qui pertentent, an generalem pactionem, rerum omnium præterita rum amnestiam, religionis aliquam saltem libertatem, castri & præsidij abolitionem, priuilegiorumque confer uationem polliceri ac concedere velit. Parmensis 12. Iulij apertè respondet, se summoperè mirari, quòd cum plena auctoritate atque potestate liberè tractandi ac pacificendi non venerint: hinc enim perspicuum satis fieri, eos non alia quam expiscandi, examinandi, tentandique causa venisse: se quidem imprimis optare, vt & reliquas Prouincias perducere simul queant ad reconciliationem cum Rege ineundam: verùm quâdoquidem id tam breui temporis spatio fieri non queat, consultissimum sibi videri, vt ipsi interea separatim ciuitatis negotiũ tranſigant: verùm enimuerò frustra aliquam religionis libertatem proposituros aut petituros, sed consultius facturos, si ciuitatis securitatem ac salutem omnem, Regis & suę moderationi ac iudicio committant. Hoc responso accepto, in vrbem reuertuntur: cumque interea alias adhuc difficultates subortas vident: viginti duos delegatos mittunt, cisq; potestatem dant colloquendi tractandique cum relatione ac comprobatione, sperantes interea temporis aliquid subsidij aduẽturum, tauro vento nonnihil suo flatu fauere incipiente: verùm cum extrema necessitas vrgere nequa quam desineret, pactum satis commodum & æquum (pro statu angusto vrbis vndique obsessæ atque exhaustæ) inierunt, quod & 17. Augusti vtrinque subsignatum fuit Bruxellæ. *Antverpienses primo ad Parmensem Legatos mittunt.*

Delegati præfectique huic negotio fuere viri eximij Ordinum, & membrorum ciuitatis, nempe Philippus Marnixius, Aldegondæ Dominus, ciuitatis Antverpiensis tunc Consul: D. VVilhelmus Merodius, Dufflæ Dominus: D. Ioannes Schonhouius, vir equestris Ordinis: M. Andreas Hesselius, M. Matthæus Lannoyus vrbis Senatores: M. Ludouicus Meganckius, Cornelius Pruynus, Philippus Land-meter, Senatorio officio defuncti: Adrianus Bardolus, Præfectus ciuium: Ioannes VVertus, Egidius Santinus, vrbis Tribuni: M. Henricus Vlfleus, Tribuni munere defuncti, Arnoldus Boudewinus fullonico opifico præfectus, VVilhelmus Schotanus mercium præfectura defunctus, Ioannes Godinus Chiliarcha defunctus, Ioannes Rademakerus, Ludouicus Malepertus Chliarchus, Hermannus Dadẽborgius, iuniori arcus manualis collegio præfectus, Henricus Erpensis, Ioannes Garinus, & Theodorus Ossæus, ciuium strategi, simul omnes plena auctoritate muniti. Inierunt hi fœdus cum Præfidibus & Consiliarijs Pameleo, Assonuilleo, Richardoto & Borchtio. præsente etiam iudiciario præcone, siue audientiario Verreyckio, his legibus ac conditionibus: *Antverpienses delegatos cũ plena potestate ad Parmensem mittunt.*

Antverpienses se Regi dedant: ei, vt ante, tanquam Duci Brabantiæ, &c. obediant: fœdera quæcunque cum alijs inita renuncient. Ducem Regis nomine eos in gratiam recipiat, curaturum, vt & ipsi & reliquus Brabantiæ populus paternè clementerque, tanquam boni clientes siue vasalli, tractentur: cupere, vt vetera fœdera ac pacta de mercaturis & negotiationibus cum Imperio, Principibus, Prouincijs, ciuitatibus inita seruentur. *Leges ac conditum recon ciliatiõe Ant werpiensi.*

Sit generalis amnestia ac remissio omnium delictorum: condonenturque ciuibus, proceribus, collegijs quæcunque, Archiduce Matthia, & Duce Alensonio gubernantibus, cõmissa.

Qui ex alijs ciuitatibus aut locis in vrbem Antverpiensem confugerunt, ijaut discedere, aut manere liberè poterunt: & profugi ex vrbe, redire. ne autem oppidũ habitatoribus vacuum fiat, permittitur vt ciues liberi ab omni Inquisitione & nouo iureiurando religionis causa, mæneant quatuor annis, dummodo modestè, placidè ac sedatè absque turbis aut scandalis viuant: vt interea deliberent vtrum se exercitio veteris Romanæ Catholicæ Apostolicæ religionis dedere velint: quod si nolint, interea temporis liberè ac securè extra Prouinciam abeant: tuto nam nihilominus possessionem & dispositionem bonorum facultatumque obtineant: & si extra Prouinciam moriantur intestati, proximi hæredes in linea rectа aut collaterali in relictа bona succedant.

Rex suis dominijs, bonis, iure & actionibus fruetur: similiter etiam omnes Præsules, Ecclesiastici, Monachi, &c. seculares quoque qui Regis partes fouerunt, sua bona, vbique locorum, etiam vendita & abalienata, recipient: præter ea, quæ munitioni aut commoditati vrbis, plateарum, fori, applicata sunt: constituenturque delegati, ac disceptatores qui huiusmodi res controuersas compensent atque componant.

Fruentur similiter debitis quibuscunq; non persolutis: præterquam fructibus & redditibus rerum immobilium, iussu & auctoritate Magistratus erogatis atque insumptis: mobilia autem exigi ac recuperari poterunt, ordinarijs vlitatisque iustitiæ modis.

Digitized by Google

An. 1585. Vt autem mercaturæ & negotiationes promoueantur; pontes, transitus & portus omnes vectigalia tributaque exsoluentibus patebunt: Res quoque numaria constituetur. Ciuitas etiam suas indictiones, collectiones & exactiones, huius belli tempestate institutas tenebit: vt inde debita soluantur, reditusque pendantur ijs qui hostium terras non inhabitant. Præterea ciuitatis priuilegia, tam generalia quam singularia, sicut ante turbas & seditiones exortas, conseruabuntur.

Quicunque cum vxoribus, liberis, familia, & bonis mobilibus, quocunque tempore, siue terra, siue mari, discedere volent, id absque vllis literis assertorijs, quas passeportas vocant, facere poterùt: qui verò in loca neuri parti addicta, aut etiam Regis iurisdictioni subiecta migrabunt, ijs liberum erit ire, redire, agere, negotiari, bonis omnibus mobilibus & immobilibus frui, eaque pro animi arbitrio disponere. Eadem quoque libertas nautis cum suis nauibus conceditur: nisi sua Celsitudo eas, soluto pretio, in suum vsum retinere velit.

Qui in Prouincias nondum reconciliatas proficisci volent, vt ibi suarum rerum ordinem constituant, poterunt intra tres menses redire, & in locis Regi subiectis, aut alijs neutrius partis, habitare.

Ne ciues ob debita aut onera ciuitatis infestentur aut molestentur, conceditur spatiũ vnius anni, quo modum facultatemque satisfaciendi constituant.

Et quum æquum sit destructa, dirutaque templa restaurari, Magistratus & membra ciuitatis consultabunt, rationemque inibunt, vt id commodissimè minimoque damno fieri queat.

Qui per mare discedere cupient, ijs naues quæ familiam, supellectilem, mobiliaque bona vehant, accommodabuntur, ea conditione, vt naues reditu ras spondeant & satisdent.

Captiui vtrinque liberabuntur, expensis persolutis: præter D. Tilignium, Lanouij filium, vtpotè cuius dimittendi sua Celsitudo potestatem non habeat, cupit autem, pro captiuo, quantum poterit, apud Regem intercedere.

Tormenta bellica, munimenta, arma, & naues præsidiariæ suæ Celsitudini tradentur. Sua autem Celsitudo, cum in vrbem veniet, duo peditum millia, & equitum turmas duas in præsidijs disponet: ea quidem conditione, vt si Hollandi & Zelandi reconcilientur, vrbs ab arce, & præsidijs prorsus libera reddatur: verùm si limitanea maneat, consilio Magistratus & aliorum adhibito, constituet modum quo tuta securaque esse queat.

Quanquam sua Celsitudo partem impensarum ac sumptuum obsidionis causa, optimo iure exigere possit: remittit tamen prorsus eiusmodi debitum, si quater centena florenorum millia, ad diem, oportunis temporibus soluant.

D. Aldegondus promittet, & iurabit se intra annum arma contra Regem non gesturũ, &c.

Subsignârunt 17. Augusti 1585. Beueræ, sua Celsitudo Alexander, & Delegati.

Fuit hæc pactio Antverpiæ promulgata 20. Augusti, quam, cùm typis edita & diuulgata sit, summatim breuiterq; hic recensuimus. Fuit quidem ciuibus, & vrbem incolentibus admodum commoda ac vtilis, præ omnibus alijs in Regis potestatem redditis ciuitatibus, præcipuè illis quæ religioni reformatæ, & patriæ defensioni se addixerant. Permissum enim hac pactione Antverpiensibus quibuscunque, liberè ac securè discedere absque vllo impedimento, cum bonis mobilibus, vxore, prole, familia, quocunque locorum vellent: quibus autem commodum consultumque videretur per aliquot tempus adhuc manere, ijs libertate conscientiæ quatuor annis securè frui fuit concessum: verùm cùm permulti (ne initum pactum non satis fideliter seruaretur, Antverpiæque idem quod alijs dedititijs ciuitatibus, contingere posset) metuerent primò magna hominum multitudo vrbe relicta discessit: Parmensis autem siue genuina virtute ductus, siue vt reliquas ciuitates hac ratione alliceret, persuasus initio probe admodum clementerque se gessit. Verumenimuerò, anno 1588. nonulli durius fuere excepti, inter quos Petrus Lietius, ciuitatis nuper strategus, qui cùm Aquisgrano Antverpiam veniret, apprehensus carceri mandatur, postea autem dimittitur, vrbe ei interdicta: de qua quidem iniuria cum apud Parmensem, qui tunc in Flandria e regione vrbis erat, conquereretur, Parmensis meritò eum vinculis exilioque punitum ait, ea maximè de causa, quod Petrus ab eo interrogatus, an Catholicus Romanus esset, se Catholicum Romanum non esse responderet.

Laus Magistratus Antuerp. ob prudentiã ac prouidentiã tempore obsidionis.

In huius ciuitatis obsidione mirandum profectò fuit, quod annonam, præcipuè autem frumentum, in eum vsque diem quo deditio facta est, habuerit: dedita autem mox summam egestatem passa sit, ijs enim quæ tenuiter supererant, diutius sustentari nequaquam poterat: vnde summopere laudanda infignis Magistratus prudentia ac prouidentia: tertio enim post deditionem die, panis venalis superfuit nullus: cùm tamen tunc maximè recondita frumenta venditioni exponi debuissent lucri causa, pretio se post deditionem remissuro: imò tanta mox fuit caritas ac difficultas, vt non procul abfuerit, quin tam oppidani quàm nautæ & propugnaculorum præsidiarij, egestate vrgente, turbidam seditionem fecerint: panis enim secalitius communis, inter amicissimos vigintiquatuor stuferis vendebatur: hac autem fame pressi, à Parmensis delegatis,

Digitized by Google

delegatis petunt, vt panem in vrbem adferri permittatur: id verò ægrè impetrari potuit antequam præfidiarij omnes propugnaculis exijſſent. Hoſtes profectò extremam hanc neceſsitatem ac penuriam tanto tempore, tanta dexteritate ac induſtria tegi ac celari potuiſſe, ſummopere mirabantur, ſeque probè deceptos palàm fatebantur. Hinc quoque potiſsimùm orta occaſio calumniarum, accuſationum & conuitiorum in Magiſtratum, maximè autem in Conſulem Aldegondum, quod nulla penuria aut neceſsitate cogente, vrbẽ dediditſent: vulgus cùm ſummam annonæ difficultatem percipere nequaquam poterat, quandoquidem ad extremum vſque panis ſecalitius diſtributus, & triticus palàm venalis ſemper expoſitus fuerat: piſi torius enim plebeis triticum nequaquam ademptum erat, ſed panem mediocri iuſtoque ſatis pretio vendere, fuerant coacti. An. 1585.

Calumniæ atque accuſationes in Aldegondum eo vſque proceſſerunt, vt ei Hollandia & Zelandia interdicerentur: eaque de cauſa compendium quoddam apologeticum de ſtatu ciuitatis Antverpienſis ſcripſit, & typis edi curauit: quin & interdictionem nihil moratus, in Zelandiam Zuytburgum venit: cùm autem ſupplicibus libellis oblatis, copiam dari poſtulaſſet ſe purgandi, ſuosque accuſatores videndi ac coram alloquendi, nemo quiſquam comparuit: proinde interea temporis ibidem permanſit. *Aldegondi Apologia.*

Parmenſis aureo vellere donatur ac decoratur in propugnaculo Lilloano à Comite Manſfeldio Regis Hiſpan. nomine, cùm interea die 20. ciuſdem menſis Reformati ſuas vltimas conciones, nõn ſine magno zelo & animi dolore habuiſſent, & plerique iam vrbem reliquiſſent, atque eodem die Sacrifici, Monachi & Eccleſiaſtici reſtituti in ſuas poſſeſsiones rediiſſent. Parmenſis in vrbem Antverpiam triumphans eques ingreditur die 27 Auguſti, cum circiter viginti Gallorum Teutonumque cohortibus pedeſtribus, & tribus turmis equeſtribus: adueniẽti obuia fit ad portam Cæſaream virgo Antverpia in curru triumphali, virginibus aliquot comitata, ſeſe cumque ei aduentum gratulatur: In ponte Merano erecta Gentium ſingulis ſumptibus ſtabat columna roſtrata ordinis Dorici, alta cuin pedeſtali centum plus minus pedes: in hac Ducis effigies erat, inſtar Alexandri, Ducis admodum ſimilis, veſtitu antiquo Romano ſumma arte elaborato. Ante domum Lufitanicam in platea Hogſettera, Lufitani prægrandem aucm Phœnicem artificioſè confici curarant, quæ in nido expanſis alis ſedens, totam ferè plateam ex tranſierſo replebat: vlterius in ſummum remplum venit, vbi Te Deum ſolennitèr canitur: inde equo rurſus conſcenſo in forum procedit: hic ante ciuitatis baſilicam, ſiue curiam ſeptem Planetæ exære fuſæ, ordine diſpoſitæ ſtabant, & in fori medio Bacchi ſtatua ærea: per plateam autem quam altam vocant caſtrum verſus tendit: videt hic in itinere elephantum, balenam, & nauem inſigni artificio factam. poſtremò duos obeliſcos: pertranſienſitaque ſub arcu trium phali in caſtri palatium venit: tormenta omnia bellica maximo fragore diſploduntur, & totius vrbis campana diuerſis vicibus tres dies continuos reſonant. Die 8. Sept. alium Senatum conſtituit: Conſules D. Ioannes Delfius, & D. Ioannes Heylveghenus; Senatores autem quidam illorum quibuscuiuis interdicta fuerat, creantur. *Parmẽſis triumphans vrbem Antwerpiam ingreditur.*

Poſtea vrbis tormenta bellica omnia in arcem, ſiue caſtrum vehi, contra ciuitatem collocari, ijſdemque partem muri diruti iubet expleri ac muniri: caſtrum vndique claudi & reſtaurari facit, ea conditione (ſicut quidem fama ferebatur) vt alijs regionibus rebellibus recõciliatis, id rurſus diruereturi: reficitur itaque ac perficitur eadem, qua ante fleterat, forma: reputaturque nunc temporis arx totius Europæ munitiſsima. *Caſtrum Antwerpiæ reſtauratur.*

Antverpia celebri emporio potitus Parmẽſis, ſtatutum promulgari iubet de re numaria, forma quadam tolerantiæ, vt vocant, donec aliter conſtituatur. Pretium enim quarumuis mercium ſummopere excreuerat, & numiſmatum æſtimatio modum prorſus exceſſerat, hominum auaritia creſcente, belli potiſsimùm cauſa, quo leges bonæ plerunque confundi infringique ſolent: hinc vnuſquiſque, contra ius, leges ac decreta numaria, ſummo pretio pecunias erogare ſtudebat, cauſabaturque ſe tanto pretio ab alijs accepiſſe, & in alijs ciuitatibus ac Prouincijs publicè à mercatoribus erogari, maximè cùm diſſidentibus Prouincijs lucrum illicitum impunè aucuparentur omnes.

Promde Parmenſis 4. Octobris 1585. edictum edit, quo numiſmata certo pretio habeantur ac erogentur: nempe Aureus regalis quinque florenis, floreno 20. ſtuferis, hue quadragintа groſis æſtimato: Aureus Carolinus 33. ſtuferis: Aureus ſolaris 3. florenis: Piſtoletum Hiſpanicum 2. flor. 19. ſtuf. Angelotus 4. flor. 16. ſtuf. Aureus Germanicus 2. flor. 8. ſtuf. Dalerus Hiſpanicus 1 ½. flor. Dalerus Imperialis 2. flor. 5. ſtuf. Regalis [illegible]genteus Hiſpanicus ſimplex 5 ½. ſtuf. hue 10½. groſis Flandricis: Numus quatuor ſtuferorum, 6. ſtuf. Antiquus ſtuferus, ſtubero & ſemi. Duplex & ſemi, pro rata quoque parte valeant. Francus Gallicus 20. ſtuferus. Teſtondus Gallicus 10 ſtuf. Stuferus Gallicus, duobus groſis Flandricis, ſiue ſtufero: eademque ratione reliqua monera expendatur atque exæquetur. *Leges monetales.*

Huiuſmodi quoque legem Hollandi & ſociæ Prouinciæ, menſe Auguſto ſequente, conſtituunt,

Digitized by Google

An. 1585. tuunt, eamque nomine noui Gubernatoris Roberti Comitis Leycestri promulgant, pretio parum auctiore. Aureus Regalis auctus duobus stuferis: Aureus Gallicus vno: Angelotus quinque & semi stuf. siue vndecim grossis Flandricis: idque potissimùm in Anglorum gratiam ac commodum. Reliqua numismata similiter etiam exæquata. Vetitæ autem Gallicæ, Italicæ, Lusitanicæ & Lotharingicæ, similesque monetæ argenteæ, vtpotè accisæ, iustoque pondere minutæ: earundemque vsu prorsus prohibito, iudicatæ atque damnatæ tanquam adulterinæ, igne fundendæ ac liquefaciendæ.

Quia autem initio huius Historiæ, valorem, pretium ac vsum numismatum Belgicarum Prouinciarum, tempore Maximiliani Imperatoris, anno 1489. & postea Caroli Quinti Imperatoris 1520. & 1552. declarauimus: operæpretium quoque existimauimus, tabulam breuem quorundam monetarum hic adiungere: vnde mutatio, sæculi, siue centum annorum spatio, facta, lectori perspicuè pateat.

	Anno 1489. tempore Maximiliani Imper.	Anno 1520. tempore Caroli V. Imper.	Anno 1552.	Anno 1586.
Nobilis aureus rosa insignis à 32. ad 32½. in besse siue marca.	56. stuf.	85½. stuf.	96. stuf.	144. stuf.
Nobilis aureus Henricus à 35½. ad 36. in marca.	50. stuf.	75. stuf.	84. stuf.	128. stuf.
Angelotus à 48. & 484. in marca.	37. stuf.	57. stuf.	63. stuf.	101½. stu.
Aureus leo à 58. & 584. in marca.	30. stuf.	44. stuf.	48. stuf.	74. stuf.
Aureus solaris Franciæ à 71. in marca.	24. stuf.	36. stuf.	40. stuf	60. stuf.
Aureus Andreas à 74. in marca.	20. stuf.	29. stuf.	32. stuf.	49. stuf.
Aureus ducalis Hongariæ à 69. & 70. in marca.	26. stuf.	39 stuf.	41. stuf.	64. stuf.
Aureus Germaniæ à 74. ad 75. in marca.	184. stuf.	28. stuf.	31. stuf.	48. stuf.
Argenteus numus quatuor stufr.	4. stuf,	4. stuf.	4. stuf.	6. stuf.
Stuferus siue sestertius.	1. stuf.	1. stuf.	1. stuf.	1½. stuf,
Reliquæ monetæ pro rata partæ similiter æstimatæ.				
Aureus regalis tempore Caroli Imper. cusus.		An. 1520	1552.	1586.
Semiregalis.		60. stuf.	66. stuf.	100. stuf.
Aureus Carolinus.		30. stuf.	32. stuf.	50. stuf.
Dalerus Philippicus, Philippi tempore cusus.		20. stuf.	21. stuf.	33. stuf.
Reliquis pro rata parte æstimatis.			30. stuf.	50. stuf.

ARGV-

FOEDERATAE *Prouinciæ ad Reginam Angliæ insignes mittunt Legatos, qui Principatum ei offerunt: recusat quidem Principatum, verum Prouincijs auxilium certissimũ promittit Regina, causas q; typis diuulgat: Flissingam & Brilam pignori accipit, eoq; Comitem Lecestrium mittit. Schenckius militiam Hispanicam deserit. Schenckij, Nieuvvenarij, & Villersy milites à Taxij copijs cæduntur. Philippi Regis Hispaniæ filia secunda Duci Subaudiæ nubit. Turca & Rex Persarum, Regi Hispan. dona mittunt. Nouesium à Nieuvvenario & Cloet o capitur. In Amisio anime inter Ordinum classiarios & Embdanos discordia oritur. Hispaniæ periclitantur. Ordinum copiæ dum fossas & aggeres iaciunt, Neomagum obsessuri, ab Hautepennio propelluntur. Taxius glaciei ope aduitus, aliquot Ordinum milites cædit. Aureo vellere nonnulli ornantur. Sixtus Pontifex obeliscos Romæ erigit. Prouinciæ fœderatæ. Lecestrium in Gubernatorem generalem accipiunt, Anglorum Regina agre id ferente. Lecestrius disciplinam militarem promulgat: vetat quæcunque cum hostibus commercia, maximo præmiatorum siue prædonum liberorum comodo & lucro. Schenckius in expeditione VVerlæ admodum strenuè se gerit. Parmensis Graniam obsidione cingit: quæ, cõmeatu ab Hohenloio paulo ante inuecto, deditur: hac de causa Hemertus Graniæ Gubernator capite plectitur. Parmensis Venlocam obsidet & capit: ctiam Nouesio, insigni strata gemate, incendio facto, potitur. Mauricius capit Axelam Lecestrius Doesburgo potitur: leui prælio cum Parmensis exercitu, apud Zutphaniam cõfligit: valla & propugnacula Zutphaniæ obsidet & capit. Ordines apud Lecestrium conqueruntur. Lecestrius confusum incompositumq; relinquens statum in Angliam abit, Conspirationibus in Anglia ortis, Regina Shotiæ morti addicitur, & capite truncatur. Eius vita & mors ample describuntur, eius q; occasione narratio status & Politiæ Angliæ adijcitur. Octauius Dux Parmensis moritur: moritur Cardinalis Granuellanus. Religionem Catholicam Romanam promulgat Rex Poloniæ: eius mors, & Epitaphium. Contigêre hæc omnia intra menses viginti, sub gubernatione Parmensis, Ordinum, & Lecestry, Anno 1585. & 1586.*

LIBER DECIMVSTERTIVS.

DECIMVS Galliarum Regem anno 1585. mense Martio, ob bellum à Guisianis in suo regno excitatum, dilegatis Belgij fœderatas Prouincias suæ Maiestati offerre paratis, admodum humaniter, benignè ac fideliter respondit, se, atq; oblata recusasse: promisisse nihilominus, se Prouincias Angliæ Reginæ, & Nauarræ Regi commendaturum. Dixit præterea Reginam, ne quid desperanter cum hoste agerent Belgæ, D. Grisæum cum consolatorijs verbis, ipsum etiam Dauidionum legatum ad eos misisse: Ordines autem generales conuocati 6. Iunij, Prouincias, legitimis & iustis conditionibus, Reginæ tradere statuunt. *Ordines Belgij fœderati statuunt Reginæ Angliæ Prouincias tradere.*

Sexto itaque Iulij, Londinum appulerunt Prouinciarum fœderatarum delegati: Brabantiæ nomine, D. Iacobus Gryseus summus Brugarum Prætor; quamquam cum potestate non prorsus absoluta, ob vrbem Antvverpiam tunc temporis obsessam: Geldriæ nomine, D. Rutgerus Harseltus: Flandriæ, Noelus Caronus Schonvvallæ dominus, ægri Franconij Consul & Senator, plena quidem potestate non donatus, attamen admissus: Hollandiæ meridionalis & australis, Ioannes Douza, Nortvvichæ dominus, Ioannes ab Oldenbarnevelda, Iustus Meninus, Franciscus Maelsæus Doct. Zelandiæ, D. Iaco. Valckius, Status Consiliarius: Vltraiectí, Paulus Buisius Doct. Frisiæ, Felgerus Seytzma, Læsus Ioughema, & D. Hesselus Aysma præsidens: his magnificè admodum ac splendidè sumptibus Reginæ in Anglia accipiuntur: & 9. Iulij Grœnevvichæ ab ipsa Regina audiuntur, cui reuerenter suppliciterque, Prouinciarum nomine, Iusto Menino orationem agente, hæc quæ sequuntur exponunt. *Oratio qua Delegati dominium summum Belgij Reginæ Angliæ offerũt.*

Prouinciarum fœderatarum Ordines summas suæ Regiæ Maiestati gratias agere pro animi propensione, beneuolentia, & fauore Prouincijs summa necessitate laborantibus exhibito; & nuper-

ROBERTVS DVDLEVS LEYCESTRIA COMES REGINÆ ANGLIÆ
MISSV BELGARVM PRÆFECTVS.

& nuperrimè adhuc cõfirmato, cum Principe Auraico crudelissimè interfecto; per Dauidsonũ legatũ significasset, se summopere dolere, Ordines spe cũ Gallia. Rege fœdus ineũdi frustratos: attamen ob id sollicitudinẽ curamq; salutis Belgij nequaquã diminutam, verùm auctam, potissimùm necessitate vrgente. Eamque ob rem & Prouincias generaliter, Prouinciales aũt omnes & singulos suæ Maiest. manere perpetuo deuinctos, atq; obligatos hoc tantũ beneficium, fidelitate ac obedientia summa cõpensare. Cùm aũt Ordinum Proceres, tot arcibus, propugnaculis & vrbibus, post Auraici mortem, ab hoste captis, videant ad Prouinciarum Belgicarũ conseruationem opus esse summo aliquo Principe, qui eas defendat & ꝓtegat contra tyrannidẽ, oppressionem, & vim Hispa. & aliorum ijs deuinctorum, qui indies magis magisq; armis, & modis iniquissimis dictas Prouincias delere & funditus pdere, miserumq; populũ in perpetuã seruitutem redigere machinãtur. Indica etiã grauioré, sub intolerabili execrandæ Inquisit. Hisp. iugo, pertrahere nitũtur: certoq; sciãt, ciues & Prouinciales fr mis simè credere atq; confidere, Regiã suã Maiest. nequaquam passurum, populũ Belgicum crudelissimo, iniquissimo & longissimo bello ad extremam miseriam redigi à sequissimis hostibus, quorũ conatui & machinationi Ordinum Proceres totis viribus resistere studeant, vt ciues, socios & fratres, sicut æquum est, protegant, & quibuscunq; modis huiusmodi seruitutem auertant, libertatem, iura & priuilegia patriæ tueantur, vnà cum verę Christianæ religionis exercitio, cuius defendendæ sua regia Maiestas iure titulum gerebat; contra quã hostes tot fœdera inierant, & tam varias intidias & proditiones machinati fuerant: & adhuc omnibus modis perniciem, & interitum Regiæ Maiest. suorumque regnorum & Ordinum exitium atque excidium moliuntur. Deum autem Opt. Max. hactenus eam incolumem in maximum Reip. Christianæ & Ecclesiæ commodũ seruasse. Has pluresq; alias ob causas, dictos Ordinũ Proceres vnanimi & firmo consensu decreuisse ad suam Maiest. confugere: quandoquidẽ populus oppressus & summa necessitate coactus, ex veteri more semper ad Reges & Principes magnanimitate, pietate, iustitia & alijs præclaris regijsq; virtutib. præditos confugere soleat. Proinde Ordinũ Proceres ipsis mandasse atq; iniunxisse, vt imperiuni, summã potestatem, & legitimã gubernationem dictarũ Prouinciarum suæ Maiest. certis, æquis & legitimis conditionib. offerant: præcipuè ad exercitij reformatę religionis, & veterũ priuilegiorum, libertatũ ac consuetudinum conseruationẽ, & belli, politiæ & iustitiæ in ijsdem Prouincijs administrationem. Et quamuis Prouinciæ continuo hoc bello multa sint passæ, hostisq; plurimas vrbes & arces occupauerit: esse tñ in Brabantia, Geldria, Flandria & Transisulania vrbes & arces firmas, hostiadhuc contrarias: Hollandiam, Zelandiam, Traiectum & Frisiam integras & incolumes manere: in his multas esse vrbes & arces optimè munitas, flumina, ampla & profunda, portusq; insignes, quæ Regię suæ Maiest. hæredibus & posteris viui commodoq; varijs modis esse queant: de ijs autem multa narrare haud opus esse. Illud vnum inter alia præcipuè perpendendum: fœdus Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ, Oslendæ & Slusæ cum suæ Maiestatis regnis initum, proculdubio plenum magni maris Oceani dominium, & perpetuam certamque suæ Maiestatis subditis salutem atque prosperitatem allaturum.

Plenum maris dominium &c. Pẽdet ab Angl. & fœdera tis Prouincijs parter cõcordibus.

Rogant itaq; vt Regia sua Maiestas, conditionibus iam dictis probè confirmatis, pro se, suis posteris, & regni Angliæ legitimis hæredibus, reformatæ religionis, ꝓfectoribus, ius, principatum, & summũ dictarum prouinciarum accipiat dominiũ, populumque Belgicum, tanquam humillimos & obedientissimos subditos, in suam protectionẽ & clientelam perpetuam adsciscat: populũ profectò (absit iactantia dicto) suis Principibus semper fidelissimũ. Hac quidem ratione suam Maiest. tot egregias Ecclesias, quas Dño Deo his nouissimis temporibus in dictis ꝓuincijs colligere placuit, nunc multis locis admodũ territas, anxias & solicitas; & ante hostilem Hisp. inuasionem, multa maris, litorum, portuũ, fluuiorum, cõmerciorum & opificiorum commoditate ac frequentia, naturę dono, ditissimas ac florentissimas conseruaturã, populumque ab extrema pditione & perpetua seruitute tam animæ quã corporis liberaturam: idq; fore opus vere regiũ, Deo gratum, toti Christiano orbi vtile, gloria immortali dignũ, & suę Maiest. magnanimitati ac præclaris virtutibus conuenientissimũ: subditisq; magnam securitatem & prosperitatem allaturum. Ad hæc suæ Maiest. conditiones summa cum humilitate offerunt, rogant Deum, Regem Regum, vt Regiam Maiest ab omni hostium violentia protegat, in gloria in prosperitate prouehat, & in sancta sua custodia conseruet.

Hæ conditiones oblatæ inclytam ac omni laude dignã, Reginam ad egregiũ honorem animârunt, gratæq; imprimis & acceptæ fuerunt. Deinde vbi apud Regiam suã Maiest. hac de re deliberatum consultatumq; fuit, pactum cum delegatis initur: qui mox exponunt & declarant quas facultates, collationes siue cõtributiones, vt minimum conficere ac cõferre queant: quanti bellũ offensiuum sit constituturum, quid præterea à populo mansuetè ac beneuolè gubernato sit sperandum, si in suis libertatibus, iuribus & priuilegijs cõseruari queat. Compertum enim est, Hollandiam solã à tempore Pacificationis Gandauẽsis, nouem annorũ spatio, præter intraneos sumptus ad bellũ extra Hollandiam gestum, plusquã tricies quinq; centena flor. millia contri-

Conditiones à Delegatis Belgij oblatæ sunt Reginæ gratæ.

Digitized by Google

An. 1585. buisse. Exponunt prætera quantopere interfit Anglię. Regiones enim Belgicas lógisimo tempore varijs códitionibus ac contractibus cum Angliæ regno fuisse deuinctas, maximè ob situm & commoditatem vtrinq; locorum: cum Belgiũ plurimos habeat amnes desoendentes. & Anglia tanquam aduersa, ac è regione sit sita: ita vt difficultas vtrinque grauissima damna inferri, concordia aũt maris dominium teneri possit, non absq; maximè quæstu, sine quo neq; Angliæ regnum, neque Belgicæ Prouinciæ constare possint: cùm Anglia non multa habeat propugnacula aut munimenta præterquam vasti mœnia maris; Belgium autem firmis munirisq; vrbibus sit potens, & Belgæ nauigationem præcipuè exerceant: plurimiq; in Belgio sint nautæ, & nauiũ ingens copia, quibus marina Anglię mœnia capi, totumq; regnum facilè oppugnari atq; expugnari queat. Angliam autem commodissimos portus & locorum situs habere, quibus Belgarum quæstus ac negotiationes impedire possit: atq; has præcipuè ob causas tam varias olim pactiones vtrinq; reciprocéque initas fuisse, vt simul cõcordes extraneum dominiũ auerterent ac propulsarẽt: firmumq; fœdus Principes, reguli, toparchæ, Ordines & ciuitates mutuo semper seruarẽt.

Situm & necessitas vtriusq; regionis firmã concordiã requirit.

His omnibus vtrinque exactè perpensis; causa fuit, quod Prouinciarum fœderatarum Delegati, cum rursus Anglorum perpetuam protectionem peterent, benignè admodũ auditi fuere: maximè Auraico Principe Belgarũ Gubernatore iam interfecto, multis vrbibus ab hoste captis, & Fransico auxilio, instinctu aduersariorum. negato, rebusq; ferè desperatis: cùm periculũ esset, ne plurimis vacillantibus, & hostiũ blandiloquentiæ aurem præbentibus, pacto reconciliationis inito, viribus iunctis Angliam oppugnarent. Erant enim Hispani tam Anglis quam Belgis infensis, vt re ipsa satis cõstabat: nam paulò antè multas Anglorum naues in Hisp. stationibus ac naualibus, absq; vlla belli indictione inuaserant, & in nautas crudeliter sæuierant.

Pactum cum Anglis.

Has pluresque similes ob causas, pars vtraque pactum prouisionale ineundũ primò quidem censuit, quo vibi Antverpienii tunc temporis adhuc obsessæ ferri possint suppetiæ: verùm vbi ab hoste iam capta, Regina haudquaquam consultum reputans Belgicarum Prouinciarum principatũ sumummue dominiũ vel perpetuam protectionem suscipere (quanquam suos subditos ad id asserendum atque retinendum satis animatos videret) 10. Augusti cum Ordinum delegatis pactum inijt, idemq; postmodo ampliatum sequentes articulos paucis continet.

Articuli.

1. Angliæ Regina Prouincijs fœderatis auxilio mittet 4000. peditũ, cum 500. equitibus (numerus autem 5000. peditum, & 100. equitum paulò pòst constitutus fuit) sub Gubernatore generali Reginæ nomine, viro fama & auctoritate claro atque insigni, veræ religioni addicto, & sub alijs strategis ac militiæ præfectis eximiè probis: quibus omnibus belli totius tempore stipendia à Regina soluentur.

2. Quæ vt certò Reginæ reddantur; fœderatæ Prouinciæ, tam generali quàm singulari promisso obligatæ promittrent, se postquam Dei misericordia & Reginæ auxilio in pace ac tranquillitate fuerint restitutæ, exsoluturas omnia à sua Maiest. erogata, tam pro milite conscripto, & per mare transmisso, quàm pro stipendijs: nempe exposita primo belli anno, primo pacis anno numerabuntur, reliqua intra quatuor annos sequentes. quouis scilicet anno quartam partem soluendo: computabunturque omnia ad normam iustæ recognitionis vtrinque à delegatis præstandæ, ijdem quibus conuentio facta est rationibus.

3. Vt autẽ huius solutionis cautio ac fideiussio certior reddatur; intra mensem post huius contractus confirmationem, Gubernatoribus à sua Maiest. constituendis in manus tradentur vrbs Flissinga, & arx Rammekena in insula Valchera; præterea etiã ciuitas Briela cum duabus munitionib. siue propugnaculis ad eam in Hollan. spectantibus: quæ quidẽ loca à Reginæ præfidiarijs tenebuntur atq; occupabũtur, donec suæ Maiest. plena satisfactiõe erogatæ pecuniæ fuerint in oppido Londino redditę. Si aũt Ordinibus cõsultum præterea videbitur ad Prouinciarum, & totius Reip. tranquillitatẽ & concordiã, vt in alijs similiter oppidis, arcibus & ,ppugnaculis, suæ Maiest. præsidia collocentur, ea ex dictis 5000. peditibus, & 1000. equitibus constituentur.

4. Hæc oppida & loca securitatis & cautionis ergo suæ Maiest. data, tormentis bellicis, puluere nitrato, munitionibus & cõmeatu manebunt instructa, sicut Gubernatori generali suę Maiest. cõmodum, & æquum ad dictorũ locorum defensionẽ videbitur: que quidem omnia in cõmentariũ redigentur, & scriptis exactè mandabũtur, vt pòst, cùm necesse erit, fideliter restituantur.

5. Ordines ex oppidis & arcibus præfidiarios ocs euocabunt: manebunt aũt probi ciues, habitatores & gubernationib. præpositi: Suæ verò Maiest. Gubernatores iurisdictionem atq; auctoritatem tantũmodo habebunt in rebus ad locorũ defensionem ac protectionẽ spectantibus: neq; politię gubernationi ciuili se ingerent: neq; in alios vllos, q̃ in præfidiarios auctoritatẽ tenebũt.

6. Præfecti & milites præfidiarij nihil commercij aut fœderis clãdestini cum Ordinũ hostibus habebunt, neque vt alij habeant vllo modo patientur: verùm prorsus hostiliter quibuscunque modis contra ea agent.

7. Dicta oppida & loca in cautionẽ ac securitatem tradita, quod ad politiam, iurisdictionem, priuilegia, iura & immunitates attinet, secundum generales ac singulares contractus ac concordias,

Digitized by Google

dias,ſeruabunt & ſuas leges, & ſuos Magiſtratus ac Gubernatores, neque tenebuntur ſuæ Maie- An. 1585.
ſtati,aut ſuæ Maieſt.militibus exactiones,indictiones aut contributiones vllas præſtare.

8. Præſidiarij Angli exſoluent Impoſitiones & Canones, ſicut alij milites præſidiarij defendendarum regionum cauſa conſtituti. Impoſitiones autem nequaquam ſine generalis ſuæ Maieſtatis Vicarij conſenſu augebuntur.

9. Ne verò ciues & habitatores vrbium à Præſidiarijs opprimantur, curabit ſua Maieſtas, vt & ſtipendia ritè ſoluantur, & militaris diſciplina exactè ſeruetur.

10. Poſtquam ſuæ Maieſt.eiuſue ſucceſſoribus expenſæ,& erogatæ atque promutuæ cuiuis fuerint ſolutæ; mox oppida & loca cum ſuis tormentis bellicis & munitionibus omnibus reddentur in manus Ordinum abſque vlla difficultate aut exceptione. Nequaquam verò tradétur in manus Regis Hiſpan.aut aliorum patriæ hoſtium,aut alterius alicuius Principis aut Domini: ſed in vſum & commodum dictorum Ordinum tantum.

11. Præfecti & Gubernatores præſidiarorum ſuæ Maieſt.iuramentum fidelitatis præſtabunt ſuæ Maieſt.& Ordinibus generalibus ad dictorum locorum atque dependentium: 12. & ad veræ religionis Chriſtianæ,quæ nunc temporis in Anglia & in fœderatis Prouincijs exercetur, conſeruationem. 13. Idem quoque præſtabunt officijs militaribus præpoſiti, militum Præfecti, & ipſi milites, atque etiam ciues. 14. Militibus commeatus & annona ſuppeditabitur, & ſtipendia debita ſoluentur.

15. Gubernatori & præſidiarijs liberum exercitiũ religionis in Anglia confirmatæ permittetur: atque huius ergo templum ipſis in vnaquaque ciuitate concedetur.

16. Hi præſidiarij haud aliter accipientur & tractabuntur, atque alij qui ante eos in præſidijs fuerunt; maximè quod ad habitaculum & commeatum attinet. Curabunt autem imprimis Ordines his æquas leges de annona & commeatu, de pulueri nitrato, funibus bombardicis & glandibus adminiſtrandis conſtitui, non aliter atque ijs qui præceſſerunt præſidiarijs.

17. Suæ Maieſtati permittetur præter dictum ſuum Gubernatorem introducere duos ex ſuis ſubditis in conſilium Status, viros imprimis idoneos, veræ religioni Chriſtianæ addictos. Similiter etiam in Conſilium militare, dummodo Gubernatori neceſſe videatur. Poterunt & duo vrbium Gubernatores in Status Conſilium venire,& neceſſaria quæque indicare, &c.

18. Suæ Maieſt.Gubernator, & Status Conſiliũ rem monetariam in meliorem ſtatũ reſtituẽt.

19. Nullius aũt monetæ pretium abſq; ſuę Maieſt.aut ſummi Gubernatoris cõſenſu augebunt.

20. Idem ſuæ Maieſt. Gubernator generalis, & Conſilium Status rationem habebunt rerum omnium ad conſeruationem & ſalutem Reip.ſpectantium. Nihil verò mutabunt in detrimentum aut incommodum dictæ religionis Chriſtianæ,iurium,legum,priuilegiorum,conſuetudinum,libertatum,conſtitutionum aut decretorum Ordinum,prouinciarum,membrorum,collegiorum,aut habitatorum dictarum Prouinciarum, tam generatim quam ſingulatim.

22. Ordines neque generales neque ſingulares fœdus vllum cum hoſte inibunt inſcia, aut non conſentiente ſua Maieſtate: neq; etiam cum aliquo extraneo Principe clam eadem ſua Maieſt. aut Gubernatore generali.

23. Neque ſua Maieſtas fœdus inibit,aut pactum inſtitutumúe vllum iniri curabit cum Rege Hiſp.aut alijs Ordinum hoſtibus de rebus ad dictas Prouincias,aut generali, aut particulari ratione ſpectantibus,abſq; Ordinum generaliũ hac de cauſa conuocatorum conſilio & conſenſu.

24. Conſcribentur & ſoluentur extranei milites ad Prouinciarum defenſionem neceſſarij, à dicto Gubernatore generali, & Status Conſilio, Ordinum generalium permiſſu.

25. In locum defunctorum aut mutandorũ Gubernatorum tam Prouinciarum quàm vrbiũ & arcium limitanearum ſubſtituentur alij. Ordinum & Prouinciarum Proceres nominabunt duos aut tres viros imprimis, probos & reformatæ religioni addictos, ex quibus Gubernator generalis, & Status Conſilium vnum eligent.

26. Quotieſcunque Regia ſua Maieſtas naues inſtructas ad communem defenſionem in mare mittet (maximè cum hoſtes freta & maris anguſtias inter Franciam, Angliam & fœderatas Prouincias occupare tentabunt) Ordines totidem quoq; naues inſtruent, dumodo numerus olim, piæ memoriæ Principis Auraici nomine, an. 1584. per D. Dyarum oblatus non excedatur: aut etiam plures, cùm neceſsitas & facultates Ordinum poſtulabunt ac permittent. Hæ autem naues claſsi ſuæ Maieſt. ſociabuntur ſub Archithalaſsi, Angliæ præfectura ac imperio. Prædæ autem æqualis fiet diuiſio, habita expenſorum vtrinque ratione.

27. Naues ſuę Maieſt.mari cómiſſæ,liberum ſemper introitum & exitũ in dictarum Prouinciarum portubus & fluminibus habebunt,ijsque commeatus pretio æquo & iuſto ſuppeditabitur. Dictarum quoq; Prouinciarum naues bellicæ ac præſidiariæ eadem libertate & cõmoditate reciprocè fruẽtur in omnib.portub.non tantũ Angliç,ſed & alijs quibuscnnq; ſuę Maie.ſubditis.

28. Difficultates, lites & controuerſiæ ſi quæ fortè orientur inter Prouincias aut vrbes, quæ decretis, conſtitutionibus aut iure dirimi nequeant, ea ad ſuam Maieſtatem,aut ad Guberna-

An. 1585. torem generalem ſuæ Maieſtatis referentur, vt ſuper ijs cum Status Conſilio deliberetur ac decernatur.

29. Suæ Maieſtatis ſubditis liberum erit equos ex Belgio emptos, in Angliam tranſuehere, dummodo ius ad id conſtitutum perſoluant: ea tamen conditione, ne emptos alio tranferant.

30. Milites Angli qui in Angliam reuerti volent, liberè diſcedere poterunt: libello dimiſſionis, ſiue tuti itineris à Gubernatore generali ſignato & ſigillato muniti. Manebit tamen militum Anglorum numerus integer ac plenus, ne Ordines in conſcribendis aut transferendis, loco dimiſſorum, ſupplementis ſumptus ferre cogantur.

31. Gubernator generalis, Chiliarchæ, Strategi, Præfecti, & alij ſuę Maieſtatis milites ſolitum iurabunt iuſiurandum, dictarum Prouinciarum Ordinibus antea præſtitum, excepto hominio ſiue clientelari obſequio ſuæ Maieſtati debito, &c. Datum Noneſucchi.

Regina Angliæ rationes edit, ob quas Belgis ſuppetias ferat.

Tale quidem pacti ſiue contractus vtrinque initi fuit argumentum, atq; in rei memoriam cuderunt Zelandi nummos ex omni metallo, ſignatis ex vna parte inſignibus Zelandiæ, ſcilicet Leone ex vndis emergente cum inſcriptione, Luctor & emergo, ex altera parte erant inſignia ciuitatum Zelandiæ cum inſcriptione, Authore Deo, fauente Regina. Mox milites in Hollandiam mittuntur, primo ſub D. Ioanne Noreſio, poſtea etiam ſub alijs. Regina quoque typis edi iubet Anglicè & Gallicè rationes, quibus imprimis mota auxilium miſeris & oppreſsis Belgis præſtitit: His addit, repetit, mutua fœdera & pacta non tantũ inter vtriuſque regionis Principes, ſed & inter Ordines & ſubditos inita, ſancita atque ſeruata, mutuæ potiſsimùm defenſionis cauſa. Exponit præterea barbaram & crudelem Hiſpanorum gubernationem atque tyrannidem in Belgio: quibus denique mediis fuerit vſa Pacificationis ergò: ſed fruſtra: hinc verò tandem vrgente neceſsitate coactam Belgis ſuppetias ferre, tres potiſsimùm ob cauſas: Primò, vt Belgium reſtitutis, antiquis ac ſolitis libertatibus, priuilegijs ac gubernandi rationibus ad pacem concordiamque reducatur: Deinde, vt ſua Maieſtas ſecura & tuta ab hoſtium vicinorum inuaſione eſſe queat: Poſtremò, vt negotiationes & commercia inter ſuos ſubditos & Belgas fœliciter & tutè exerceantur.

Apologia Reginæ contra famoſos libellos.

Huic declarationi iuncta etiam fuit Reginæ Apologia, contra duas calumnias ſiue criminationes ſparſis famoſis libellis in Italia diuulgatas: nempe ingratitudinis Reginæ erga Hiſpaniarum Regem, vtpotè qui (vt quidem libelli auctor ait) Reginæ vitam, viuente ſorore ſeruauerit, cum mortis ſuppliciò legitimè eſſet adiudicata: præterea etiam perfidiæ, nempe, quod promiſsis ac muneribus corrumpere quoſdam tentaſſet, qui Principis Parmenſis vitæ inſidiarentur: & duos quidem ex ijs ſententia à iudicibus lata morte multatos eſſe, &c. Negat autem Regina ſororis ſuæ tempore de ſua fide aut ſinceritate vnquã dubitatum: eoque minus ſententiam mortis tali de cauſa pronunciatam: proinde opus haudquaquam fuiſſe ipſam ſeruare: fatetur nihilominus ſe Regi tunc temporis ob beneficia quædam fuiſſe deuinctam, verùm poſtea oportuno tempore benefacta compenſaſſe. Quòd verò ad Principem Parmenſem attinet, nullam profectò ſe, rebus exactè perpenſis, inimicitiarum contra eum occaſionem habere: quandoquidem de ipſo melius, quam de alijs omnibus Gubernatoribus ſenſiſſet: certò quoque ſciret eius morte bellum in Belgio finiri haudquaquam poſſe. Hæc aliaque his ſimilia Reginæ fuerunt argumenta.

Fliſſinga & Briela Reginæ traduntur.

Ad dicti contractus normam Ordines Belgij per Comitem Hohenloum, nomine quidem Comitis Mauritij Naſſouij, tunc temporis ſupremi Domini, vrbem Fliſſingam in VValchera Zelandiæ regione, vna cum arce Rammekenſi tradiderunt domino Philippo Sidnæo, Reginæ delegato, 29. Octobris an. 1585. qui dictæ vrbis & arcis Gubernator, conſtitutus eas Anglorum militum præſidijs muniuit. Briela quoquæ ciuitas cum ſuis propugnaculis in Anglorum poteſtatem tradita fuit.

Comes Lyceſtrius in Belgium venit.

Comes Lyceſtrius Robertus Dudleius, Ioannis Dudlei Northumberlandæ Ducis filius, à Regina ſuæ Maieſtatis loco ſupremus ac generalis omnium Anglorum in Belgio Gubernator conſtitutus, inſigni comitatu ac pompa Fliſſingam ex Anglia venit 19. Decemb. magnificeque admodum exceptus fuit. Res ab eo geſtas poſt narraturi, antè, quid interea in Belgio actum ſit, dicemus.

Martin. Schenckius Truck. ſeſqui militiæ ſe dedit.

Martinus Schenckius Nideckius, iuuenis à Domino Iſelſteyno educatus, poſtquam arcem Bleyenbekam, quam quidem ſuam vendicabat, cœpiſſet atque occupaſſet, ſe protectioni & clientelæ Principis Parmenſis, neceſsitate compulſus commiſit, quandoquidem auxilium ipſi ſuppeditaſſet. Schenckius hic bello comprimis ſtrenuus atque expertus ſumma cum laude ſub Parmenſe longo tempore militauit: victor prælio hoſtes in campo Hardenbergenſi ſuperauit: multaque alia bellator impiger egregiè geſsit. Oppidum Neomagum, Bredam quoque vrbem ſumma induſtria ac dexteritate Parmenſi ſubiecit: ob quæ præclara facta ſe reputabat, optimè meritum gubernationem quandam inſignem, quæ D. Hautepennio ex Barleymontia familia data fuit. Sub Parmenſi militans bis captus ab hoſtibus: primò quidem à D. Kurtsbachio, poſte

à D. Hoa

à D.Hochenſaxeno, vt ſuprà diximus, auxilij & fauoris parum à Parmenſi percepit: vnde quidē aut diffidentiæ aut inuidiæ ſe parūi fieri, contemnique animaduertens, Regis Hiſp. & Principis Parmenſis militiam, cùm neque Regis cliens, neque beneficiarius eſſet ſtatuit deſerere. Itaque menſe Maio, anno 1585. Adolphi Nieuvvenarij, Meurſij & Alpeni Comitis militiæ ſe addixit. Hic autem Adolphus Comes partes fouebat Truckſeſij Electoris Colonienſis, qui ob illatam ſibi iniuriam Prouincijs fœderatis belli ſocium ſe iunxerat. Relictā igitur admodum potentis ac victoriarū compotis Regis militia, Schenckius ſtipendia fecit ſub domino minus potente, nempe Duce expulſo & exacto, qui iam ſuccumbere vnàque cum fœderatis Belgij Prouincijs labaſcere ac prorſus deficere videbatur: vnde Schenckij inſignis ſane viri magnanimitas facilè conijci ac conſpici potuit. An. 1585.

Schenckius fidei probitatisque ſuæ certa argumenta edere cupiens, arcem Bleyenbekam aliaque loca munita Comiti Meurſio tradidit: conſpirationes quoque multas actionesq; arcanas varijs locis & oppidis, ſibi notiſſimas indicauit: qua quidē arte callidiſſimus ſagaciſſimusq; ea tempeſtate omnes facilè ſuperabat: imprimis autem Venloam & alia quædam loca ſignificabat; quibus ſine mora proſpectum fuit: docuit præterea quibus modis propugnacula, & oppida quædam ſuperari facilè poſſent: atque menſe Maio arcem Oueraſſelam, Blebergæ, propeque Grauiam, vt Hautepennio victoriæ commoditatem præriperet, cœpit.

Nieuvenarij, Vilerſius & Schenckius à Taxio ſuperantur.

Paulò poſt, die 23. Iunij, Schenckius & Comes Nieuvvenarius cum D. Vilerſio, militari Tribuno, Vltraiectinæ vrbis Gubernator, magno militum numero collecto, in ditione Epiſcopatus Traiectenſis, Amerongæ videlicet, prope VVikā, ſtratagema tentaturi proficiſcuntur: verùm Verdugo Friſiæ Gubernator imparatos per Ioannem Babtiſtam Taxium, potentiſſimis copijs inuadi, & inſidijs proximè ſyluam collocatis, vndique oppugnari curat. Strenuè quidem hic certatum fuit: verùm cùm vna ex equitū turmis loco cederet, Comitis Nieuvvenarij copiæ reliquæ ſe in fugam conieceruntipſe quoque Comes cum Schenckio VVykam fugit: Vilerſius vero grauiter lauciatus ab hoſte capitur, cum alijs circiter triginta. Capto mortem iudicis ſententia minantur hoſtes, eo quod Bouchainum oppidulum, longo antè tempore, non ſine doli ac clandeſtini fœderis ſuſpicione, dedidiſſet: verùm tandem, lytro haudquaquā exiguo ſoluto, alijsque captiuis pro eo dimiſsis, redimitur.

Marchio Vilerſium capitur

Hæc Baptiſtæ Taxij victoria poſt longum certamen dubiamque victoriam, tandem à duobus Comitis Bergenſis filijs, qui cum recentium equitum magno numero oportunè commodeque admodum aduenēre, promota fuit. Duo hi iuniores Comites Bergenſes, Principis Auraici ſororis filij ab ipſo Principe auunculo potiſſimum educati, Regis Hiſpan. partes, eo quòd patri Ordinibus Belgicis ſuſcepto adempta eſſet Geldriæ gubernatio, tenuerunt.

Nieuvvenarius & Schenckius collectis rurſum vndique copijs, propugnacula inter Vianam & Vltraiectum, alijsque locis fieri curarunt. Et paulo quidem poſt Schenckius, cæſis duabus hoſtium equitum turmis, vindictam ſumpſit: poſtea quoq; Grœningam, quorundam qui in vrbe erant, clandeſtino fauore & auxilio inuadere machinatur, verùm inſidijs detectis fruſtra operam ſumit.

Comes VVilhelmus Naſſouius, Ordinum Friſiæ nomine Gubernator, 23. Maij arcem Sclykenborgam, inter Kunderam & Steenvvyckam, præterea etiam Oldemertam, loca commodiſſimè ſita cœpit: vnde Verdugo Regis nomine Gubernator, Septemſiluarum & vicinorū agrorum habitatoribus maximam exactionem vi ac minis extorquebat: itaque ocyus Verdugo eo contendit, atque hæc non tantum loca, ſed & Tranſiſulana, nempe Rhaam, Rechterenum, Ruterbekam, & Schulenborgum ſuperat atque domat, & vicinos agricolas atrociter affligit, cum paulò antè, Iunio menſe propugnaculum Bergshofdæ expugnaſſet.

Ioannes Ducis Cliuiæ matrimonium.

Ioannes Dux Cliuiæ iunior, quem Regis Hiſp. fautores, Epiſcopatum & beneficiorum Eccleſiaſticorū bolis ineſcare conati fuerant, fratre natu maximo in Italia mortuo, Duſſeldorpij ſummā cum celebritate, magnificentia ac pompa vxorem duxit, Iacobam Marchionis Badēſis filiam. Hic quidem Dux Ioannes Belgico hoc bello acrem Ordinibus ſe præbuit hoſtem: fecit idem & vxor, vertim tandem demens ac mente prorſus captus eſt.

Sabaudiæ dux vxorem ducit Regis Hiſpan. ſecundam filiam.

Hiſpan. Rex Catharinam filiam ſuam ſecundam, ex filia maxima natu Franciæ natam, Saragoſſæ in Hiſpania matrimonio iunxit Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci, 10. Martij, 1585. hæc menſe Iunio cum marito Ducein Italiam, & inde in Sabaudiam venit, ample magnificēq; cùm omni, & ſua & Ducis familia aulica à Rege dotata. Dux præterea condecoratus ſummis titulis, nempe Regij per totam Italiam Vicarij, &c. cùm fama eſſet, filiam conqueſtam, quod ſolummodo Duci nupta eſſet, cùm antea regali ſplendore magnificentiaque educata atque ornata claruiſſet; Ducis autem facultates ac redditus huiuſmodi ſumptibus ſuſtinere vix poſſe. Peperit ei 2. Aprilis 1586. filium Philippum Emanuelem nomine, poſteaque plures alias proles.

Dona magni Turcæ ad Ioannem Ducem Cliuiæ.

Ad Regem Hiſpaniarum tunc temporis miſſi Legati ab Hely Solimano Turcarum Imperatore cum literis gratulatorijs ob pacem mutuam, & victoria contra hoſtes, honoraria inſig-

An. 1585. niaque dona attulerunt: Leones quatuor collaribus & catenis aureis ornatos: Afturcones siue equos totulatios duos, maculisalbis, nigris & ceruleis natura distinctos: macheras Turcicas, encaustico siue damasceno opere, auroque multo elaboratas, & ornatas duodecim: scuta sex admodum pretiosa & artificiosa: cornua monocerotum duodecim, singula palmorum septendecim: arculas, & plumas varias: lapides beozar quadraginta, singulos vnciarum quatuordecim: thecas cultellarias quatuor, cultrosque gemmis, lapillis pretiosis, & auro perornatos: aulæa tapetaque pretiosa, intextis Turcæ victorijs, scutis, & alijs insignibus pretiosisq; rebus, quinquies centenis ducalium aureorum millibus æstimata.

Peratorii Regi Hisp. missa.

Dona Sophy Persarum Regis Regi Hispaniæ missa.

Sophy, Persarum Rex, munera quoque Regi Hispa. per Legatos milit, auxiliumque ab eo contra Turcas petijt: quæ quidem munera rara & pretiosa admodum fuere: nempe canes venatici varij coloris, tapetes magni Tamerlani historiam summa arte pictam continentes: cornua venatoria, plumæ variæ, vitra firma haudquaquam fragilia, spondæ pretiosæ, & cortinæ victoriarum historijs exornatæ: omnia certè, vt Michael ab Isselt scribit, per quàm pretiosa.

Nouesij à Comite Meursio, & Cloetio capium.

Comes Nieuvenarius, Geldriæ Gubernator, & Hermanus Fridericus Cloetius strategus, alijq;, collecto ex vicinis præsidijs militum numero, certiores per exploratores facti, qua parte Nouesium oppidum Diœcesis Coloniensis (ob longam obsidionem à Duce Carolo Burgondo, ab hinc annos centum factam famosissimum) minus esset munitum, & quàm prope fabri ferrarij officina staret, vbi instrumenta ad oppidi portã effringendam parata inuenirentur, 10. die Maij, oppidum loco minus munito scalis suos milites scandere iubent: primi ocyus ad fabri officinam currunt, & instrumentis arreptis vi portam aperiunt, qua Comes cum suo equitatu intrat, forumque occupat: excitati ciues quidã apprehensis absque mora armis hostem repellere conantur, verùm eorum quatuordecim interfectis, reliqui fugam capiunt: victores præda opima potiuntur: erat enim multis opibus refertum oppidum, maxima parte ex vicinis agris tanquam in tutum locum inuecta. Ciuitatis gubernationi mox præficitur Hermanus Fridericus Cloetius, miles imprimis strenuus: qui mox cum suis præsidiarijs agros Diœcesis Colonienlis circumcirca depopulatur, & ad conflagrationis redemptionem habitatores coegit.

Dux Cliuensis, vt horum excursiones à suis limitibus auertat, propugnaculum è regione, ab altera scilicet Rheni parte construit: habebant enim Hollandi liberum transitũ Coloniam vsque.

Rurortum à Schenckio captum.

Martinus Schenckius, Rurortum oppidulum ad Rhenũ, vbi Rura ex VVestphalia in Rhenum labitur, non procul Duysburgo, capit: cum enim nonnulli suorum antè intrassent, ipse nocte ingreditur, locumque vallis & propugnaculis festinatò munit.

Comes Egmũdanus pro Lanouio redemptus.

Comes Egmondanus longo tempore in Rammekens arce Zelandiæ captiuus, atque ob inimiam in vinculis impatientiam, in Hollandiam transuectus, tandem amicorum intercessione, pro Lanouio, qui annis quinque & medio captiuus fuerat, & ante captiuitatem suam prope Engelmunsterum, Egmondanum Ninouæ ceperat, redimitur. Lanoius verò quanquam minor ordine ac dignitate, grauiores tamen redemptionis conditiones ac leges inire debuit, compulsus Regem Nauarræ fideiussorem constituere, qui suas possessiones in Flandria pro eo oppignerauit ad centies mille coronatorum summam vsque: præterea promittere, se contra Hispanum Regem non militaturum: neque arma vlla absque Regis Galliarum, tanquam suprem i sui domini expresso mandato gesturum: fideiussores quoque dare Duces Lotharingium & Guisium, iisdemque omnia sua bona pro fideiussione obligare: præterea secundum natu filium vno anno obsidem relinquere pro centies mille coronatorum summa: polliceri insuper se, neque contra Lotharingium, neque contra Guisium militiam exerciturum: & his quidem alijsque conditionibus liber emittitur, filio maiore natu domino Tilignio in arce Tornacensi, interim captiuo manente, tandem autem pro Hispanis quibusdam nobilibus redempto.

Hæc quidem iniquitas ac seueritas in extraneos, Belgicis Nobilibus maximè dedecori fuit, vtpotè qui ordine ac dignitate maiores extraneo minori anteferri ac præponderari non potuerint. Verùm Comes Egmondanus amplis promissis, & aurei velleris insigni dono facilè pacatus fuit. Lannouius inde Geneuam profectus, arma nihilominus contra Lotharingiæ Ducem, in Sedani oppidi defensione, Regis Galliarum supremi sui domini mandato ac consensu gessit.

Variæ machinationes tunc temporis ad Græningam ciuitatem fame, atque egestate præmendam structæ fuerunt. Hollandi & Frisij Orientales præsidiarias suas naues plerunque in Amisio amne instructas habebãt, quandoquidem Græningensibus ex Emda ciuitate commeatus, frumentum, sal & reliqua necessaria omnia adferrentur: & certò constaret Parmensem omnibus modis moliri Amisium occupare, atque ea commoditate classi Hispanicæ armatæ liberam nauigationem parare, deniq; etiam ipsa ciuitate Emdana pro suo arbitrio potiri. Emda enim, Leodium, Aquisgranum, VVesela, & plures aliæ vrbes impedimento Regi Hisp. erant, quo minus voti compos fieret.

Cumque

Cumque ob eas quas diximus cauſas Hollandiæ Ordines, & alij Emdanorum nauibus impedimento eſſent, ne quid Groningenſibus aduenherent, Comes & ciuitas Emdenſis miſſus ſæpè ad Knopium Architalaſſum Ordinum, & ad ipſos etiam Hollandiæ & Friſiæ Ordines legatis, grauiter conqueſti ſunt: verum præter verborum blanditias & longas de diè in diem procraſtinationes nihil ab Ordinibus acceperunt, donec machinationes aggrediendi commoditas daretur. Proinde Emdenſes ſex naues præſidiarias & liburnicas plurimas inſtruxerunt, poſtquam quadraginta naues omni mercium generis varijs locis onuſtæ, ab Hollandis fuerunt retentæ. Sex his nauibus præſidiarijs, & liburnicis cælocibuſque Emdenſes 2. Nouemb. ſe nauigationi ſolutis anchoris commiſerunt, & ab Ordinum Architalaſſo vi quadam poſtulatum naues retentas dimitti. Ad hæc Architalaſſus, qui nauibus ſuis omnibus inſtructis mare verſus acceſſerat, & propè Berchemum commodo loco erat, definitè expreſſeque reſpondit, id ſibi à ſuis Dominis nequaquam mandatum eſſe. Dum verò interea rurſum Emdam verſus conſultandi cauſa mittuntur Emdani, horrida tempeſtas quinto Nouembris die oritur, non ſine nauium omnium ſummo periculo. Ipſa prætoria nauis cum tormentis machiniſque bellicis omnibus ſubmergitur: ipſe Architalaſſus Knopius difficulter admodum in aliam nauim confugiens vitam ſeruat. Architalaſſus quoque Emdanus ſumma neceſſitate coactus, præſidiariæ ſuæ nauis & aliarum malos ocyus amputari ac ſterni curat. Præſidiarijs autem nauibus potenti Dei manu ita diſperſis, reliquæ onerariæ & holcades liberæ domum velis contendunt. Præſidiarij Emdanæ claſſis in diſceſſu Ommeum Euveſenum virum nobilè Emdanum Ordinibus militantem, fortuna aduerſa hic captum, Emdam auehunt.

An. 1585.

Ordinum naues Amiſium amnem occupant.

Emdenſium & Ordinum naues infeſta tempeſtate ortæ, diſſipantur.

Ita quidem Dei ſummi prouidentia, inimititi æ iam manifeſtè inter Emdanos & fœderatarum Prouinciarum Ordines ortæ, ſubitò auerſæ coercitæque fuerunt. Aeſtate ſequenti Ordinum præſidiarij ijſdem locis Emdanorum naues rurſus retinent: verùm 24. Julij Anglorum ſedula interceſſione acconciliatione ſiunt concordes: poſtea tamen ſæpè ad diſcordias redeunt.

Angli qui ſub præfectò Noritſio primùm ad ſuppetias Antverpienſibus ferendas aduenerant, Comitis Meurſij copijs iunCti Yſelortum propugnaculum ad Iſalæ & Rheni confluentem, 500. paſſibus ab Arnhemio ſitum & à Verdugo nuper captum, rurſus obſidione cingunt: quod quidem poſt longam ſtrenuamque defenſionem, tandem viribus, puluere nitrato, glandibus, aliiſque rebus deficientibus, menſe Octobri deditur: victores inde ad propugnaculum Bergershoofdum veniunt, eodemque, deditione potiuntur; præſidiariorum præfectò, milite inſigni Turco, qui propugnaculo præerat in ipſorum poteſtatem tradito.

Yſelorum & Bergshoofdum propugnacula ab Ordinibus capiuntur.

Comes Carolus Manſveldius qui cum præcipuis Principis Parmenſis legionibus, maximè veteranis militibus Hiſpanis, ex agro Rauéſtevnio Bommeler vvértam verſus, in hoſtem aliquid tentaturus venerat, Emplæ & locis vicinis inter Buſcumducis & inſulam Bommelanam cum ſuis manſit: verùm ruptis à Comite Hohenloio aggeribus, & amnibus inundantibus, vndique cincti concluſique in ſolo admodum humili, ſummo in periculo verſantur: Hohenlous enim qui feſtinanter miſſas ex oppido Dordraco & alijs locis naues vectorias, cæloces, ſ. latas, & actuarias habebat, hoſtes vndique cinctos maxima fame, egeſtate & neceſſitate, non ſine extrema deſperatione præmebat, & in aggeribus, templis, locisque alterioribus, duræ hiemis tempore, nempè 11. & 12. Decemb. abſq; foco aut igne permanere cogebat: verùm mox mutato aere, gelu ſuperuenit: quamobrem Hohenlous metuens ne hyems ſuas naues nimio gelu conſtringeret, & ab hoſte, glaciei commoditate, oppugnaretur, nauibus dimiſſis, cum ſuis abit: propugnaculo Lochtano, incuria negligentiaque turpiter relicto. Atque ita 12. Decembr. Hiſpanorum & aliorum militum agmina periculum euadunt, Buſcoducenſibus opem magno cymbarum & nauigiolorum numero opem ferentibus; & commeatum & neceſſaria quæuis mox aduehentibus, eo tempore quo Parmenſis Bruxellæ triumphum læti & noui introitus celebrauit: qui triſti de ſuorum periculo ac neceſſitate nuncio accepto, ſumma cum feſtinatione eò proficiſcitur: verùm Herentalæ in ipſo itinere certior factus de ſubita hac per gelu liberatione, Bruxellam reuertitur: actiſque Buſcoducenſi ciuitati ingentibus gratijs, pauperibus octoginta boues, ipſi autem ciuitati phialam auream magni prætij, loco muneris honorarij dono dat.

Hiſpani Emplæ inundationibus & nauibus obſeſſi, fortuna caſu euadunt periculum.

Comes Meurſius & Schenckius clandeſtina rurſus conſilia pactaque inierant cum nonnullis, qui cùm propè mœnia in vrbe Nouiomagenſi habitarent, clandeſtina opera muri partem labefactarant, eodemque, quo machinatio palam facta fuit, tempore, penè perruperant: Meurſius autem & Schenckius fruſtrati, tam ſuos quàm Anglos milites in Betuam perducunt, & locis pagiſque vicinis caſtra collocant, quadratumque propugnaculum menſe Nouembri è regione vrbis Nouiomagi conſtruunt: inde tormentis æneis maioribus ciuitatem infeſtant, & globis ignitis paſſim incendia inferre ſtudent: verùm flamma, vna aut altera domo ardente, ocyus ciuium diligenti opera extinguitur: quin & tormento quodam æneo breui, quod mortarium vocant, globos ignitos ingentes in vrbem iaculari conantur, ſed fruſtra: nam ob tormenti breuitatem, & fluminis amplitudinem in vrbem vſque iaculari nequeunt.

Propugnaculum è regione vrbis Nouiomagenſis cõſtructum.

Digitized by Google

Hautepennius interea Nouiomagi & locis vicinis, magno nauium, peditum & cymbarum numero apparato, copias suas in Batauiam vulgò Betuam vehi, & per amnem è regione Bommelæ collocari curat: hi mox Hollandicas naues expellunt, circa decimum quintum Nouembr. diem, aquarum abundantia, & larga ex niue & pluuia inundatione iam diminuta. Cumque Hautepennij exercitum, peditum nempè equitumque sex plus minus millia, amnem traiecisset, Meursiani & Angli hospitia domiciliaque, quæ Lentæ & Ofterholti occuparant, relinquunt atque incendunt. Ordinum quoq; milites, dum Hautepennius propugnaculum è regione Nouiomagi constructum obsidere meditatur, discedunt: Præfidiarij arcis Dornichæ aliique complures Tielam, Arnhemum oppida vicina, tutaque loca petunt. Hautepennius victor vlteriùs tendit: castra & propugnacula multa, inter quæ Dukenborgum, capit. Berghoofdum & alia loca munita præfidiarij fuga sibi consulentes relinquunt: quæ omnia Hautepennius mox capit: inde Grauiam obsessurus proficiscitur.

Hautepennius Ordinum copias fugat.

Parmensis quoque cum suis Hispanis Clonderam, Roggenhillam, & Gertrudis-bergas in Brabantia, gelatarum aquarum ope capere meditatur, sed frustra.

Taxius Ordinum copias cædit Boxmi in Frisia.

Taxius Verdugonis in Frisia Vicarius, cadè hyeme, mense Ianuario, præfidiarijs militibus, vndique collectis, VVestergauvvam, cum per glaciem itinera paterent, inuasit; & VVorcomium, Hindelopam, Coudemum, aliaque loca multa diripuit, verùm simulac glacies solui cœpit, discessit: VVinsumi & Ripæ agricolas arma capere aggressos cecidit. Mox à stratego Steynio Maltzio Dano Comitis VVilhelmi Nassouij, & fratris Vicario exiguus militum numerus colligitur Boxumi, vno circiter à Leovvarda miliari: hos subitò Taxius cum magno equitum & peditum numero cingit atque inuadit: multi fugam capiunt: plurimi dum strenuè resistunt, cæduntur. Interfecti & capti hoc certamine Steynius Maltzius, & alij Frisij multi viri nobiles: à parte Taxij cæsus Comes Osvvaldus VVilhelmi Bergæ Comitis filius, eiusque frater Comes Hermannus laesus: cecidit quoque Henricus Deldenus militiæ præfectus insignis. Commissum fuit hoc prælium 27. Ianuarij, 1588.

Appij Comitj turma cæsa.

Eodem fere tempore Schenckius eruptione ex Venloa in hostes facta, magnum Hispanorum numerum, paucis fuga seruatis, interfecit: paulo ante equitum Italorum turma sub Appio Contio, partim cæsa, partim capta.

Aureum vellus.

Rex Hispaniarum cum intellexisset Prouincijs fœderatis ab Angliæ Regina suppetias venisse, Parmensi auxilium pecuniarium per varias vias misit: stipendiarijs enim VValones tam Antvverpiæ, quàm alijs multis locis seditiones ob stipendia non soluta excitarant. Aduenerunt quoque in Belgium à Rege missi Marchio à Guasto, & Pesquara ex Daualorum familia, pluresque alij: Marchio sub Parmense equitatui præficitur. Rex præterea vt Belgarum proceres sibi deuinciret, aureum vellus Comiti Arenbergio, Marchioni Varrabonio, Vergio, Egmondano, Barlamontio, Montignio, multisque alijs promisit, tunc misit. Verùm ob turpes abusus, bellum ciuile, & Regis absentiam, magnificus & insignis aurei Velleris torquatorumque Procerum ordo parui fieri cœpit. Ipsi quoque Parmensi aureo vellere, vt supra diximus ornato, restituta est, ob officia egregiè præstita, arx Placentina, emissis Hispanorum præsidijs: Misit & Pontifex Romanus dona consecrata Parmensi. Rex quoq; multos proceres Belgas Comitum titulis decorauit, alijsque modis ornauit, vt sic eos sibi deuinctos teneret.

Anniuersaria memoria, Antvverpiæ ex pulsorum Gallorum.

Ianuarij 17. instituta est Antvverpiæ anniuersaria memoria cum sollenni supplicatione, ob expulsos ante tres annos in Furia, vt vocant Francica, Gallos, in perpetuam cladis Duci Andegauensi, tunc quoque Duci Brabantiæ, illatæ memoriam: quod quidem egregium factum Catholici Romani hoc modo sibi potissimum attribuunt.

Sixtus Pontifex obeliscum Romæ erigit.

Sixtus Pontifex quintus huius nominis, eximiæ industriæ ac scientiæ causa ex Minorita factus Papa, mirè & infolenter admodum se gessit: Regis Hispan. & Principis Parmensis negotia summoperè promouit in Belgio, & vtrunque honoribus, qui quidem non magni ipsi constabant, affecit. Fuit hic Sixtus admodum magnanimus atq; magnificus: incepit Romæ opus prorsus augustum & magnificum, à multis quidem antea exoptatum ac perpensum, sed nequaquam præstitum: Vrbis enim Romæ ornandæ causa, Obeliscum Vaticanum ex loco sordido & deiecto transtulit. Obeliscus hic lapis est solidus ex Thebaidis regionis Aegyptiæ rupe, tempore Cæsaris Augusti, ante Christum natum excisus, vt scribit Plinius, & per Nilum fluuium in mare, inde Romam aduectus sumptibus Caij & Neronis Cæsarum, atque in Circo Vaticano erectus, vbi annis circiter 1600. stetit. Solidus hic siue integer lapis lõgitudiné habet 107. pedũ, infra partem quadrata latitudinem 12. supra autem qualibet parte quadrata, 6. pensitatus libris 976. mille, & 148. quem Pontifex Sixtus miris quidem instrumentis & trabium machinis: 40. funiculis, 77. equis, & 900. operarijs fecit leuari, auehi, & rursus erigi ante D. Petri templum loco amplo & amœno: eleuatus exstat supra terram altior quam in stylobata palmis Romanis octo: in summitate siue fastigio posita est crux consecrata. Constitit hæc translatio & exornatio obelisci, circiter octaginta ducalium aureorum millibus.

Plura

Plura huiusmodi opera imprimis magnifica Sixtus Pontifex ornandæ Romæ causa aggressus est: imò plateas quadriuiaque domibus & monasterijs instructa, ædificijs funditus dirutis complanauit, vt D. Petri & Pauli statuæ quas super Adriani & Antonij columnas collocarat, altera in alterius conspectu starent. Hæc paucis, ob summam raritatem, quamuis præter nostrum institutum, hic sint dicta. An. 1586.

Postquam nonnulla varijs locis acta narrauimus, nunc ad Comitem Leycestrium reuertamur, qui ab Angliæ Regina missus, & auxiliaribus Anglorum copijs præfectus, ipsiusque Reginæ personam repræsentans, cùm 19. Decembr. in Zelandiam classe appulisset, magnificè acceptus est. Cum ipso simul aduenere Comes Essexius iunior, prioris tori suæ vxoris filius, Barones quoque Aw deleius, & Northus, cum multis equestris ordinis proceribus valdè illustribus, inter quos Robertus Larmainus & alij nobiles viri non pauci qui numerum circiter 700. equitum simul confecerunt. Ex Zelandia Leycestrius in Hollandiam venit, vbi in omnibus ciuitatibus & locis, per quæ transijt, summus ei honor triumphusque fuit exhibitus, arcusque triumphales, quorum construendorum arte ac industria Belgæ præ reliquis omnibus nationibus excellunt, erecti. Inde Hagam venit mense Ianuario, magnificentissimeque excipitur, huc enim fœderatarum Prouinciarum Ordines generales conuenerant: qui Calendis Februarijs, anno 1586. illi transferunt gubernationem generalem fœderatarum Prouinciarum, scilicet Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Traiecti, Frisiæ, Transisulaniæ, aliorumque oppidorum & locorum quæ adhuc in Flandria & Brabantia possidebant. *Ordines Comitti Leycestrio gubernationem generalem Prouinciarum tradunt.*

Ordinum proceres ijsdem actis ac tabulis quibus gubernationem tradunt, hæc quoque addunt: Quandoquidem Illustrissimæ Reginæ iam exoratæ, atque Religionis & virtutis amore permotæ, placuerit auxiliares equitum & peditum copias mittere, ijsq; Comitem Leycestrium plena potestate atque auctoritate præficere, ad bellum terra mariq;, communi bono, pro summa sua prudentia, & negotiorum necessitate, ad initi contractus normam gerendum, difficultatibus omnibus occurrendum, Prouinciasque suæ Maiestatis nomine protegendum ac conseruandum: Ideo ipsos, secundum suæ Maiestatis sententiam, perspecta D. Comitis prudentia, probitate, in bellicis ciuilibusque negotijs experientia, & magno erga Religionem zelo, eum constituere ac pronunciare fœderatarum Prouinciarum generalem Gubernatorem & Archistrategum: eandemq; Prouincias ei offerre, vltra auctoritatem à Regina acceptam: tradere quoque summam iurisdictionem & absolutam auctoritatem bellum gerendi terra & mari, pro suo arbitrio, in Prouinciarum & ciuitatum vtilitatem ac protectionem: præterea potestatem absolutam agendi, & constituendi quæcunq, archistrategi suo primarij militum ducis officio competunt: mandantes quibuscunque militum tam equitum quam peditum præfectis, militibus quoq; & nautis Ordinum sue Prouinciarum æra mœrentibus, vt suæ Excellentiæ in omnibus obsequium, fidelitatem & obedientiam præstent: permittunt præterea vt sua Excellentia in rebus politicis tali iure ac potestate vtatur, quali Gubernatores generales olim in Belgio, etiam sub Carolo Quinto Imperatore legitimè sunt vsi: saluis interim Prouinciarum iure ac priuilegijs: dantq; ei insuper potestatem colligendi, recipiendi, administrandi, exigendi atq; exequendi omnes & singulas exactiones, suæ Excellentiæ Prouinciarum consensu ac pronuntiatione iam permissas, adhuc permittendas, cogendas ac colligendas in belli vsum. Atque hæc quidem omnia mutuo iureiurando confirmari petunt, salua interim fide, saluoque hominio Reginæ Angliæ debito. Actum Hagæ Calend. Februar. 1586. Subscript. Aersens. *Tabulæ actorum inter Ordines & Leycestrium.*

Ad horum actorum normam Leycestrius gubernationem suscipit, eique Ordinum proceres, officijs publicis præpositi, Prouinciarum gubernatores, præfecti, strategi, & milites debitum præstant iuramentum: qua quidem in re sedulam in primis dant operam Comes Hilaurigius Nassouius, Comes Hohenlous, alijque strategi & militiæ præfecti, fataguntque milites beneuolos, faciles ac voluntarios reddere, vtpotè qui in huiusmodi negotijs pecunias ac munera gratitudinis ergo accipere soleant. *Leycestrium gubernationem suscipit.*

Angliæ Regina rerum gestarum nuntio accepto perturbata, irataque, existimansque hæc ideò potissimum fieri vt amplius quam decreuerat obligaretur, ocyus eò mittit, D. Thomam Henneadgeum equitem auratum, sui Cubicularij Vicarium, cum literis 13. Februar. quibus significat, se ægrè ferre, absolutam gubernationem Comiti Leycestrio traditam; idq; absurdum valdè sibi videri, quandoquidem ipsamet huiusmodi oblationem sibi factam recusauerit. Ministro autem siue clienti onus sua Maiestate recusatum, absq; suæ Maiestatis consensu imponere, videri profectò ignominiæ aciniuriæ manifestæ magnum esse indicium: quasi suæ Maiestati prudentia iudiciumque desit, neque perpendere aut discernere queat, quid accipiendum quidue recusandum sit: idque præter alia imprimis repugnare declarationi typis hisce de rebus editæ, qua palam testificata erat, se Belgicis Prouincijs tanquam vicinis opem ferre, haudquaquam verò protectioni absolutæ aut gubernationi supremæ se velle ingerere. His autem actis, vnum quemque contra existimandi ac iudicandi occasionem sumpturum: idque imprimis facturos il- *Angliæ Regina de commissa gubernatione Belgij.*

Digitized by Google

An. 1586. cturos illos, qui acta Principum iudicare ac censere pro libitu ac arbitrio licitum existimant: ita vt inde suæ Maiestatis famæ ac honori maximè detrahatur. Proinde vt palam fiat quam iustè ac honestè hac in re procedere statuerit, vult iubetque dictam auctoritatem reuocari, & prohibet ne Comes aliaquàm in mutuo contractu comprehensa auctoritate vtatur: id quidem si seruetur, vtile procul dubio Reipubl. futurum. Addit præterea hanc recusationem non ea de causa fieri, quòd Prouinciarum salus suæ Maiestati curæ non sit; sed quod suo honori consulere, & maleuolorum inimicorum que ora obturare velit: Reliqua dicenda latori literarum commisisse, &cæt.

Ordinum proceres auctoritatem Leycestrio tradita excusant.

Ordinum proceres, cum hæ literæ magnum scrupulum incussissent, 25. Martij ex vrbe Amsterodamensi respondent, & qua possunt humilitate ac cõmoditate factum excusant, asserunt-que hæc nequaquam, suæ Maiestatis ampliusquam contractus continebant, onerandi aut obligandi, sed necessitatis sic postulantis causa fuisse acta: auctoritatem enim comprimis esse necessariam, & præstare vt Prouinciæ vnum, quam duos Gubernatores habeant: consultiusque visum fuisse, suæ Maiestatis subditum ac clientem, quàm alium eligere & præficere: eique talem, qualem alij antè eum habuerant, eamque quouis tempore reuocabilem, dare auctoritatem. Dictionem verò, *absoluta*, tantum additam fuisse distinguendi discernendique causa ab ijs qui prouisione tantummodo instituuntur, atque instructionibus mandatisq; obligantur: vtque maior inde comparetur obedientia ac reuerentia ad disciplinæ militaris conseruationem, contributionum promotionem, & faciliorem rerum commissarum exequutionem: non vt suæ Excellentiæ summum imperium prorsus tradatur; idque Romanorum & aliorum exemplo, *salua dignitate Principatus & dominij, quæ remansit penes populum*, præterea vt hinc hostium conatibus ac machinationibus facilius resistatur: populique conseruata ac perturbata metu corda recreentur. Huiusmodi autem reuocationem non sine confusione fieri nunc posse. Neque hæc acta contractui repugnare, dummodo summum imperium & proprietas Prouinciarum penes ipsos Ordines, gubernatio autem siue administratio earundem penes Comitem, more aliorum Gubernatorum, maneat: summumq; imperium siue dominium referatur, donec suæ Maiestati placeat illud accipere. Sperare autem, Regiam suam Maiestatem misere afflictarum Prouinciarum rationem habituram, & quod confirmatio conseruatioque auctoritatis, & gubernationis Comiti traditæ maioris sint momẽti quam ingentis exercitus; copiæ, exactè perpensuram: idq; D. Hennedagium latius suæ Maiestati declaraturum, &c. Amsterodamo, 25. Martij, 1586.

Hæc summa fuit Epistolarum vtrinq; missarũ de gubernatione Leycestrio tradita. Quanquam autem Regina hac excusatione aliquo modo fuerit pacata, ipsius tamen Leycestrij auctoritas apud plurimos hanc ob rem fuit imminuta.

Leycestrius contributiones recipit.

Leycestrio Gubernatori mox in manus traditæ fuerunt omnes Prouinciarum contributiones, quæ in annos singulos vnius quinquies centena florenorum millia conficiebant, præter emolumenta publici commeatus, præfecturas maris, & Reginæ subsidia: Leycestrio autem in suum vsum annuè centena florenorum millia numeranda.

Leycestrius disciplinam militarem edicit, & commercia cum hostibus inter dicit.

Mox disciplinam militarem suis militibus edicit: decretoque 4. Aprilis Traiecti prohibetur aduectio quæcunque commeatus, annonæ, armorum, munimentorumque bellicorum & mercium versus hostes, eorum socios, & loca neutri parti addicta: prohibentur etiam quælibet commercia, & mutuæ negotiationes per epistolas, colly bos, aut alias quascunq; pactiones cum hostibus initæ.

Leycestrius præcidit quascunque nationum naues contributiones imponere, &c.

Verùm Ordinibus decretum istud minimè placuit, multis grauiter de eo quærentibus. Itaque noua contributionis generalis inuentio paratur in quarumuis nationum nauigationem, in belli vsus impendendæ: quandoquidem Anglia, Hollandia & Zelandia nunc fœdere iunctæ testatam haberent leges præscribendi quibus modis & quibus locis negotiari liceret: huiusmodi autem constitutione existimabat Leycestrius, omnes nationes mare nauigantes cogi posse ad literas tuti itineris & fidei publicæ à se emendas, turò nauigandi libertate permissa, aliquid in commune bellum contribuentibus. Verùm epistolis vltro citroque missis, istud consilio Angliæ nimis durum & difficilè visum fuit: quandoquidem Franci, Schoti, Dani, Oostlandi ægrè ad id præstandum possent cogi: hinc factum vt hæc contributio non successerit. Decretum nihilominus manet: vnde quidem maximæ difficultates non sine Prouinciarum graui damno ortæ sunt: mox enim multæ negotiationes extra fœderatas Prouincias translatæ fuerunt: quandoquidem multi diuites mercatores & nautæ qui Antverpia alijsq; locis relictis eò habitatum venerant, discesserunt, neque in Prouincijs fœderatis vnde negotiari non liceret, habitare voluerunt; sed multi in vrbes, Hamburgum, Bremam, Emdam, Stadenum & alia loca transmigrarunt, vnde liberè in Hispaniam, Italiam, Lusitaniam & insulas nauigare possent: atque ita negotiationes & merces in multas regiones & vrbes dispersæ sunt & traduxerunt. Quam ob rem necesse tandem fuit in Hollandia & Zelandia huius decreti gratiam facere, conniuere, & occidentem versus rursum commercia permittere: alias enim breui omnem negotiationẽ & nauigationem

Damna Prouincijs illata ob Leycestrij decreta.

Digitized by Google

gationem ditissimosq; habitatores climinassent, quandoquidem hæ Prouinciæ piscatione, na- An. 1585.
uigatione, arte manuaria & negotiatione quæstum imprimis faciunt.

Præmiatores ex Anglia Belgas spoliant.

Angli quos Rex Hisp. vbique in suis dominijs, manu iniecta retinuerat, & naues confiscauerat, mox præmiatorum instar, necessitate vrgente py raticam exercuerunt, specie quadam repressaliæ siue violentæ repetitionis, cum bellum nullum inter Angliam & Hispaniam publicè esset indictum: & decretum decreticque gratiam in suum commodum verterunt, naues occidentem versus tendentes, & inde venientes quascunque potuerunt, hostiliter inuaserunt, diripuerunt, & prædæ exposuerunt. Cum enim Belgæ in Hispania, Lusitania & insulis difficulter admodum, aliter quam hostium nomine negotiari possent, eorumque institores siue factores in Hispania habitantes, tanquam Hispani reputarentur; hac suspicione nauium captarum possessio præmiatoribus fuit addicta, corruptibilium q́ue mercium venditio adiudicata, datis fideiussoribus, mercibus q́ue proclamatis an re aut post taxationem siue æstimationem longè minore quàm æquum erat pretio: ipse autem dominus siue possessor debuit coram iudice legitimè probare competentibus litium formulis ac testibus merces suas esse: parumque interierando aut codicibus rationarijs potuit præstare: neque, re sibi adiudicata, restitutionē nancisci: nautæ enim magnam bonorū partem diripiebant, merces minoris quam æquum est æstimabantur & vendebantur. & pecuniæ consumebantur: erant præmiatores, exercitores siue partiarij valde potentes, imò Comites. Barones, equites aurati & summis officijs præpositi ijsdē oris: marinis quo naues aduehebantur: nautæ insuper, vt & alibi plerique omnes, admodum rudes, qui citius verbera quam pecunias aut bona reddunt: ita vt plurimi mercatores potius existimarint bonorum pati perditionem & iacturam, quam in peregrina regione lites, non sine graui molestia maximisque sumptibus sequi contra proceres & officijs præfectos, qui Reginæ & amplissimi Consilij decreta & mandata varijs argutijs, Priuilegijs & effugijs illudere, atque irrita reddere nouerant.

Regine Angliæ edicta contra præmiatores.

Ordines huic tanto regionum & mercatorum damno occurrere cupientes, sæpe ad Angliæ reginam missis literis, & legatis grauiter conquesti sunt: Itaque sua Maiestas edictis, proclamationibus & statutis contra editis voluit & iussit, vt præmiatores sufficientes fideiussores dent mandatis se accommodent, neque alias quam hostium naues inuadant, & in Hispaniæ tantum regionibus ac limitibus: nullas spolient aut prædę loco habeant nisi in Angliam aduectas & iudicis sententia pro iusta præda manubijsq; habitas. Hæc edicta cùm exiguo tempore seruata aliquo modo prosuissent, mox officijs præfecti, qui lucrum inde venabantur, indicijs, documentis, & extortis testimonijs, imò grauibus tormentis, bonas huiusmodi leges irritas reddiderunt, rationesque allegarunt, æquum esse hac in re conniueri, quandoquidem ob auxilia Belgis lata ex omnibus ferè portubus & ostijs marinis sint expulsi: rationem aliquam ineundam victitandi, quæstum faciendi, in marina nauigatione se exercendi, sustentandi, &c. Hinc euenit vt multæ naues ex Hollandia & Zelandia, maximè autem ex Oostlandia, iter Occidentale, Italiam, Hispaniam & insulas versus transuerso cursu ponè Angliam & Schotiam, Anglorum prædationes vitandi causa, non sine Anglorum magna infamia, nauigauerint: quod quidem iter nunc valdè vulgare & commodum, præcipuè æstatis tempore factum est.

Vlerla vrbs in VVestphalia à Schenckio & Cuecio capta.

Interea dum Leycestrius ordinem suæ gubernationis constituit, Martinus Schenckius & Hermannus Fredericus Cluetus Nouesij gubernator, ambo strenui militum duces, postquam multa quæ minus succesſerant tentassent, expeditionem nouam suscipiunt, cum equitum & peditum copijs vltra Rhenum in VVestphaliam mense Martio contendunt, vrbem VVerlam, interea dum ciues in suburbio ædium extinguendo incendio occupantur, scalis scandunt & capiunt, arcem autem quæ acriter à Ioanne VVerminckhausio defendebatur, capere nequeunt: mox aggeres & valla cótra iaciunt, reputantes vrbem & arcem optimè sitas esse ad domandam totam VVestphaliam. Collecti autem vicini agricolæ, & pedites & equites, cum aliquot viris nobilibus simul circiter quatuor millia, castra collocant medio ab vrbe milliari: hos Scenckius eruptione facta inuadit, in fugam vertit, & octingentos plus minus interfecit: post multas autem eruptiones, & arcem capiendi machinationes, tandem intelligit hostem Hautepennium cum Epiſcopi copijs, & Italis equitibus Rhenum transisse, & Verdugonem, Parmensis mandato aduentare: proinde decimo à capta vrbe die ipse cum suis eam diripiunt, prædam curribus & equis auehunt, optimates captos abducunt, & lęti animosique euadunt: in itinere milites Hautepennij obuios victoriosi cędunt: indemnesque Berckam prędа onusti veniunt. Schenckius reuersus à Leycestrio eques auratus creatur, torque aureo 1000. coronatorum donatur, & ab Anglis summo honore afficitur.

Grauia obsessa à Parmense.

Parmensis prima hyeme per Carolum Mansveldię Comitem Grauiam vrbem ad Mosam curarat obsidione cingi, quatuor propugnaculis circumdari, & ponte Mosę flumini impositio vitro citroque claudi, commeatumq; intercludi: in propugnaculis collocati erant mille quinquenti prędiarij, præterea Hispani milites plus minus quinquies mille: reliqui in castris medio ferè mi-

An. 1586. ferè miliari ab vrbe agebant, quos quidem D. Hemertus vrbis gubernator frequentibus eruptionibus inuasit.

Postquam hi Grauiam tribus & amplius mensibus hoc modo cinctam obsederunt, Comes Leycestrius ex Haga Comitis per Harlemum & Amsterodamú, Vltraiectum venit, & equites circiter mille quadringentos in Velouiam siue Veluam Niekerckam vsque misit, vt, suppetias Grauienlibus ferant: misit præterea Comitem Hohenloium, & Noritium Anglorum peditatui præfectum, cum duobus peditum millibus, qui commeatum in vrbem inferant, equitatu enim nihil agi poterat. Hi primo impetu propugnaculum Molenschantzæ medio à Grauia miliari inuadunt: deinde propugnaculo nouo se muniunt, quàm fieri potuit proximè vrbem, ad Mosæ ripam, à latere Geldriæ inter Grautam & Batenburgum, non procul à munimento Hispanorum, propè pontem. Propugnaculum istud 15. Aprilis noctè trecentorum militum & fossorum aliquot opera inceptum, mane in trium pedum altitudinem fuit erectum. Id simulac resciscunt Hispani, ocyus ter mille, opus impediturі, aduenіunt, operariosque secundo aut tertio impetu propellùt: fugientes in itinere nongentis circiter subdiarijs obuiâ veniunt, gradumque sistunt: tum viribus iunctis Hispanos inuadunt, eosque propellunt proximè inceptum propugnaculum ad constructa vsque munimenta. Hispanis circiter quingentis interfectis multisque vulneratis. Ceciderunt hic septem Hispanorum strategi, & duo magnæ auctoritatis viri: ereptumque hosti tormentum quoddam æneum à victoribus auehitur. A parte Hohenloij, & Noritij, quorum copiæ Angli & Belgæ erant, cæsi circiter centum quadraginta: Noritius ipse lancea vulnus in pectore accepit: & D. Ioannes Borovvcfus bombarda læsus digitum amisit.

Pugna propè Batenburgū.

Hohenloius commeatum in Grauiam vrbem mittit.

Postea Hohenloius tormẽtorum bellicorum violentia castrum Batenburgicum capit cum alio quodam munimento, & Emplam arcem: tum perfosso aggere inundat agros, abundantes enim aquæ Mosam replebant: & cymbis commeatum præsidiaque bis in vrbem vehit, municamque D. Hemerto gubernatori abiens committit.

Parmensis, quamuis ciuitati Grauiæ commeatum suppeditatum sciret, nihilominus postquam bellicis tormentis & oppugnationibus eam superari posse intelligit, cum omnibus suis copijs 12. Maij eo tendit, vrbemque viginti quatuor tormentis bellicis vltra Mosam flumen, & ab vtroque fluminis angulo verberat, oppugnatq; adeò valide vt præsidiarij munimenta pauca seruare potuerint: deinde ficta impressione præsidiariorum animos tentat, qui mox, instinctu fortasse quorundam Hispanis addictorum, aut ciuium graui oppugnatione sibi, vxoribus, & prolibus timentium (quandoquidem etiam belli optimè expertis oppugnatio periculosa admodum videbatur) animos desponderunt: ipse Gubernator Hemertus cum aliquot strategis ad transigendum cum Parmense facile perductus fuit; multis militibus præsidiarijs, & strategis nonnullis acriter resistentibus ac contradicentibus: quandoquidem pridiè eius diei Hemertus scriptis ad Leycestrium literis, se hosti animosè repugnaturum, vrbemq; seruaturum promiserat. Itaque Parmensi Grauia deditur 7. Iunij, ea conditione, vt præsidiarijs, & ciuibus qui vellent, cum armis, facultatibus, vxoribus, prolibus, quocunque luberet, abire liberum esset, ipsisque naues quibus Bommelam vsque nauigarent fuerunt concessæ: ciuibus quoque conditiones satis æquæ datæ.

Grauia Parmensi deditur.

Interea Leycestrius, cum intellexisset conatum Parmensis contra Zutphaniam & Doesburgum, meditatur quanquam adhuc imparatus, contra hostem tendere cum exiguo exercitu ter mille peditum & mille equitum: itaque iter instituit propè Arnhemum, vltra Rhenum, in Bethuam, vbi propugnacula Berchf-hoofdum & Luytefortum, castrum quoque Bemelum & alia quædam loca munita expugnat.

Mandat quoque Martino Schenckio stratego negotium inuadendi insulam Grauevveertam propè Telonium sitam, vbi Rhenus se in duo flumina diuidit, vnum Rheni nomen seruat vltra Arnhemum; alterum VVahalis dictum, Nouiomagum præterfluit, ibidemque ingens & firmum satis propugnaculum construendi quo Batauiam Insulam vulgò Bethuam defendere queat.

Schenckius propugnaculum construit propè Telonium vnum procul à Grauevveert.

Interea verò dum Leycestrius vltra VVahalim exercitum ducere, & Parmensi obsidionẽ Grauiæ impedire meditatur, adfertur ei nuncium, vrbem hosti deditione traditam: quamobrem summoperè admiratus, metuensque ne Parmensis Bommelam petat, ipse mox in eius territorium vulgo Bommelerv vertam cortendit, fuosque milites in vicina loca mittit.

Iubet autem Leycestrius D. Hemertum Gubernatorem, & quosdam militum præfectos, qui Grauia Bommelam venerant, apprehendi, Vltraiectum vehi, iure rem agi, & morti eos adiudicari, præsentibus omnibus ferè militum præfectis: quanquam neque proditionem neque clandestinum fœdus cum hoste inijssent, sed iuuenili quadam rei militaris imperitia v[illegible]e Grauiam hosti tradidissent: morti autem adiudicantur, magis ad disciplinæ militaris promotionem, quæ vbiq; desiderabatur, quã aliam ob causam Leycestrius, cuius gratiæ ac misericordiæ iudicij exequutio à Iudicibus fuit commissa, Hemertum, & duos militum præfectos Bauum & Coborke-

Leycestrius iubet D. Hemertum decollari cum alijs.

Digitized by Google

Coborkenum publicè decollari iubet: quæ quidem exsequutio nimis rigida ac dura multis visa est: erat enim hic Hemertus iuuenis strenuus & Baro ex præcipuis illius Prouinciæ familijs, quâquam animo instabili ac indomito: vt autem vitam seruaret, obtulit Reginæ Angliæ militarem suam operam, suis sumptibus in Belgio aut alia quacunque regione, vbi sua Maiestas vellet, sternuitate militari erratû damnumq; refarturus: sed frustra. Huiusmodi rigor tolerandus fuit, ipse quadam melioris disciplinæ militaris, cuius quidem exsequutio atq; exercitium tunc promitebatur: verùm non successit: quamobrem plurimorû virorum nobilium, prouincialium, incolarum, & aliorum animi fuere auersi: maximè cum V Veltzium Angliæ militiæ præfectum, ab Hohenloio captum, infignem proditorem, qui cum alijs sui similibus ciuitatē Aloſtam in Flandria hosti tradiderat, nequaquam morte multatum, sed militari præfectura, & magna auctoritate promoueri viderent: similiter & Roelandum Iorckium, transfugam, & proditorem: perfidia insignem. Parmensis Grauia vrbe potitus, facile Megam & Bateburgum superauit: mox Venloam equitibus luſtrari circumcirca iubet; vrbem satis magnam, & natura, situ, alijſq; modis optimè munitā, duplici fossa circundatam, in Geldria ad Mosam flumen sitam. Eò ipse cum omni suo exercitu contendit, castra collocat, maximam copiarum partem vltra Mosam, reliquam in Brabantia disponit. Erant in obsessa vrbe Schenckij vxor, soror, & reliqua familia cū 70. circiter stipendiarijs: quibus vt subsidium ferrent Schenckius & Rogerius V Villianus Anglorum militum præfectus, cum centum plus minus equitibus vrbem intrare moliuntur: itineribus autem ab omni parte exactè obsessis, nocte irruptionem in hostium castra faciunt, ad Parmensis vsq; hospitium perrumpunt, multosq; interficiunt: verùm cùm nullæ trāseundi viæ paterent, & loca omnia maximo hostium numero essent cincta, atq; aduentante iam die validę copiæ in eos irruerent, recessierunt V Vachtendonckam versus, desideratis circiter 40. equitibus, ijsdemque partim occisis, partim captis. Iunij die 20. Comes Mansveldius munitissimum pagum & castrum Arsenum, Parmensis iussu oppugnat, tormentis verbérat, & capit.

Venloa obsessa capitur à Parmensi.

Cùm autem Venloenses insulā ante Venloam vrbem commodè sitā muniuissent, Parmensis propugnaculum tribus pontibus sue magnis cymbis superimponi curat: eo constructo, insula quidem primò, postea verò munimentum à 300. Hispanis capitur 26. Iunij. Hac de causa ciues, bellicosi alioquin semper habiti, animis labascunt, pacisci cum hoste volunt, & præsidiarios pacisci recusantes vrbisq; muros defendentes excludunt, pugnantibusq; obsunt & resistunt. Hinc vrbs Parmensi deditione traditur 28. Iunij, cōditionibus latis æquis: Præsidiarij cū armis, vnaq; Schenckij vxor cum familia liberè discedunt. Parmensis inde Nouesium proficiscitur, vt pòst narrabimus. Cum autē annonæ penuria laborarent Prouinciæ Parmensis gubernationi subditæ, necesse fuit frumentum & reliqua vitæ necessaria ex longinquis circumitacentibus regionibus aduchi magno cum militum comitatu qui mercatores merces q; turò perducerent: quanquam sæpè ab hostibus interciperentur & spoliarentur. Accedit q; quadam vice vt 40. currus ex Iuliacensi, Cliuiensi & Leodiensi regionibus, à mille & amplius equitibus & peditibus, tedritatis ac defensionis causa deducti, in Brabantia non procul ab Antverpia à Gubernatore Bergosomæ, Barone V Villongbyo & 400. equitibus & peditibus maxima parte Anglis, inuaderentur & spoliarentur, 27. Maij, plurimi interfecti, 180. capti, currus 400. retenti: interceptores frumenta quæ auchere non poterant profuderunt, dissiparunt, combusserunt: tum ita festinatione abitum maturantes, cum scirent maximas præsidiariorum Antverpiensium copias contra eos approperare.

Bergosomenses turrim horum frumenta quæ auchere non poterant profuderunt, dissiparunt, combusserunt: tum ita festinatione abitum maturantes, cum scirent maximas præsidiariorum Antverpiensium copias contra eos approperare.

Comes Hohenlous, & D. V Vilhelmus Polhamus Anglus equitum Magister, eques auratus, in Brabantiam quoque populatur excurrerunt, Langestratam diripuerunt: plura patrauerunt si clandestinum fœdus quod cum locorum aliquot municrorum præsidiarijs inierant, succesſisset. Hæ excursiones vias admodū periculosas reddidere, præcipuè in Archiepiscopatu Colonienſi, qui vndiq; hostiliter infestabatur. Accidit autē inter alia infortunia, vt cùm maxima multitudo nobilium, mercatorum, rusticorum & aliorum numero simul plus minus 3000. Berchemi in regione Iuliacensi congregati ad nundinas Colonienses proficiscerentur, & armorum aliarumq; mercium maximam copiam aduecherent, magno impetu à militibus præsidiarijs Bebberi & Genadendalæ, qui Archiepiscopi sue Ecclesiæ Colonienſis stipendia mœrebant, inuaderētur. Cum enim tota hæc multitudo in tres globos diuisa, cum 150. militibus Iuliacenſibus tanquam defenſoribus, ordine instructo cum carris & curribus propè Lonckersdorffum, qui pagus medio à Colonia miliari distat, veniſſent, à dictis præsidiarijs hostiliter inuaduntur: præsidiarij enim primo milites Iuliacenſes cædunt, & in fugam vertunt, deinde mercatores, aurigas & reliquos resistentes inuadunt, postremo etiam duas aut tres armatorum turmas in ipso conflictu aduenientes miserè trucidant: occisi crudeliter in huius prœlij loco plus minus trecenti viri, mulieres, pueri, nobiles ignobiles, nulla ætatis, sexus conditionis habita ratione: prædæ omnia fiunt: plurimi Coloniam confugiunt: vulneratorum maximus numerus. Hic fructus belli incepti à Capitularibus Ecclesiasticis Colonienſibus lasciuia vel animi alacritate magis instigante, quā necessitate vrgēte, dum ferre recusant vt Archiepiscopus & Princeps

Præsidiarij in itinere propè Lunckersdorf sum cæsi & profligati à ſuis præsidiarijs. Fructus & merces belli à Colonienſibus incepti.

An. 1586.

An. 1586. vxorem legitimam habeat: ipſum autem Electum nouum Epiſcopum Bauarum coniugatarum & meretricum magnum fouere numerum tolerant. De dicto prædiariorum facinore ac latrocinio graues quidem quærelæ fuere, verum neque vindicta, neque pœna vlla ſequuta eſt.

Hæc pluraq; huiuſmodi ſæpiùs antè & poſt experti atque paſſi ſunt: maximè cùm Nieuuvenarius, Schenckius, Cloetus & alij hoſtilia quæque aduerſus omnes ferè VVeſtphaliæ & Diœceſis Colonienſis ciuitates machinati, circa Coloniam omnia incendijs deformarunt. Vno enim eodemq; fermè tempore in Epiſcopatus Colonienſis iurisdictione flammis vaſtarunt, circiter quinquaginta pagos aliaque loca: taceo prædas, depopulationes, latrocinia ab ipſis Colonienſium itipendiarijs qui omnem eam regionem depauperarunt, oppida, pagos & villas deuaſtarunt, perpetrata: ſicut ex ijs quæ de Nouefio oppido referemus, ſatis patebit.

Parmenſis Nouefium obſidione cingit.

Parmenſis Venloa potitus, Epiſcopi Bauari rogatu, 10. Iulij Nouefium oppidum aggreditur, hinc ingentem gloriam ſe nacturum exiſtimans, eſt enim Nouefium vrbs optimè munita, non procul à Rheno flumine, celebris maximè propter obſidionem à Carolo Burgondiæ Duce bellicoſo & potente imprimis, fruſtra, toto anno, non ſine operæ & expenſarum iactura ab hinc annos centum factam. Miſerat autem Parmenſis ad Nouefium vndique obſidendum ingentem exercitum Hiſpanorum, Italorum, Germanorum, Belgarum, Burgundionum & VValonum quibus præerant, tanquam duces Marchio Barrabonius, Comes Carolus & Octauius Manſveldius, Comes Arenbergius, Ioannes Mauriqueus de Lara, Bonicquius, Licquius, Camillus Capazucca, Gaſto Spinola, plureſq; alij, quorum ſingulis ſuæ erant legiones: & Marchio de Guaſto equitum præfectus. Fuit autem obſidio hæc ampla magnificaque imprimis: nam Parmenſis exercitui ex Colonia vrbe alijſq; vicinis locis quæcunq; neceſſaria abunde aduehebantur: ipſe in celebri Genadendalenſi monaſterio hoſpitatus gladio & pileo conſecrato à Pontifice Romano miſſo decoratur: à Bauaro Epiſcopo Colonienſi, Duce Cliuienſi iuniore, Marchione Badenſi & alijs Principibus viris inuitatur.

Ciuitate obſeſſam gubernabat Hermanus Fredericus Cloetus, iuuenis nobilis & ſtrenuus, qui cum milleplus minus militibus acriter hoſti reſtitit.

Oppidani in inſula ante Nouefium, inter ipſam vrbem & Rhenum amnem, propugnaculum exſtruxerant: id autem cum ſe nequaquam hoſti reſiſtere poſſe viderent, reliquerunt, nauim quoq; prædiariam deſertam, Berckam verſus tendentem, fluctibus & vento cõmiſerunt: cùm verò Hiſpanus quidam ſtrategus cum ſuis copijs nauim & propugnaculum cœpiſſent, prædiarij eruptione ex vrbe facta hos inuadunt, ſtipendiarios cædunt, ſtrategum apprehendunt. Mox in ipſa inſula Parmenſis maiora tormenta bellica, magno vndiq; numero aduecta collocat: vrbemq; 30. tormentis, 138. plus minus vicibus circa Nederam & Rhenenſem portas verberat. Nulla adhuc muri ruina aut labefactatione facta, foſſa autem inter inſulã & vrbem impleta & tecta dierum 40. ſpatio, Parmenſis vrbem ſibi tradi poſtulat, prædiarij poſtulanti audiunt, deliberandi ſpatium, procraſtinandi imprimis cauſa, & ſubſidij ſpe, petunt: cumque armorum induciæ vtrinq; eſſent promiſſæ, & Parmenſis ipſe propè portam veniſſet; alij ab alia parte vrbem tormentis maioribus impetere incipiunt, hoſtem dolum machinari præſentientes: mox vtrinq; acriter tormentis bombardiſque certatur non ſine vitæ ipſius Parmenſis magno periculo: primi autem huius rei auctores ſciri non potuerunt. Parmenſis ſe neſcio & inuito hæc attentata fuiſſe affirmat: poſtea conditiones alias offert, quibus liberè cum armis, monilibus, ſarcinis exeant, reſpondent obſeſſi Nouefium oppidum eſſe imperiale: neque Regem Hiſpanum neque Epiſcopum Bauarum in illud quicquam poteſtatis aut iurisdictionis habere: poſtulant tempus deliberandi, & Imperatorem; Principes præpoſitoſque conſulendi. Hinc offenſus Parmenſis, poſtquam 30. & amplius horas hoſtium dilationibus ac procraſtinationibus perdidiſſet, ſine mora iubet triginta maioribus bombardis à mane in veſperum vſque muros vrbis duabus ruinis labefactari, & turres quaſdam ruptas occupari: vnde oppidani hoſtem rurſus armis, incendijs, igne volatili, expellere tentant. Læditur hic Cloetus Gubernator glande in fœmore: quæ maximè cauſa fuit vt prædiariorum animi frangerentur. Acta ſunt hæc ipſo Diui Iacobi die, quamobrem tota ea nocte Hiſpani triumphos ingentes agunt. Poſtridiè rurſus portam Rhenenſem tormentis verberant: oppidani autem rupta reparandi, aut aliud agendi cauſa oportunitatem quærunt: mittendo ad Parmenſem vt de vrbis dedicione pacifcantur.

Nouefium incendio orto, à Parmenſe capitur.

Cum verò Hiſpani inſtructi ſtarent ad vrbem oppugnandum, caſu quodam ignis ad duarum turrium defenſionem præparatus puluerem nitratum inuaſit: mox domos quaſdam ſtramine tectas, & materiam & faſces quibus murorum ruinas reparare volebant, inflammat, ventorumque impetus incendium per totam vrbem ſpargit. Hiſpani incendium conſpicati celerrimè oppugnationem aggrediuntur. Oppidani incendio perterriti metuque magno perculſi plurimi fugiunt. Germani, Belgæ, & Burgundi vrbem ab altera quoque parte inuadunt: verùm hic ſtrenuè repugnatum fuit: ignorabant enim oppidani quid ſocijs ab altera parte euenifſet. Parmenſis copiæ vlterius graſſantur, & paucos in vrbe reſiſtentes inueniunt: maxima enim pars fugam

Digitized by Google

fugam cœperat, & vi per hostilia castra eruperat. Victores victoriâ prosequuntur, & ad Cloetum vulneratum lecto decumbentem perueniunt: Cloetus simulac de incendio intellexit, id restingui iubet, sed frustra, ob nimiam ventorum violentiam: Mortem minantur victo victores: ipse tanquam militiæ præfectus tractari postulat: sed frustra: nam laqueis collo iniectis eum è seneſtra suspendunt, contra iustæ militiæ normam ac consuetudinem; similiter duos alios strategos, & concionatorem Fosserum Oppenheymium: suspenti domo ardente comburuntur. Maxima vrbis pars flammis deformatur. Viri qui fuga sibi non consuluerunt, trucidantur: fœminæ nonnullæ cum pueris, inter quas Cloeti vxor, & sorores liberæ discedunt. An. 1586.

Parmenſi victori victoriam vndique gratulantur ſui. Vrbs vacua Epiſcopo traditur. Inde Parmenſis exercitum mittit ad expugnãdum Meurſium, Alpenum & arcem Crakoam, quæ loca Comitis Nieuvvnarij & Meurſij erant: his ſuperatis, vlterius contra Berckam tendunt: ipſe Parmenſis 13. Auguſti huc quoq; aduenit. Antè verò vrbem defendendi cauſa intrarant Schenckius, & Morganus Anglorum Tribunus, cum mille circiter Anglis, & alijs octingentis militibus imprimis ſtrenuis, vnaque commeatum, annonam & neceſſaria inuexerant, victoriæ curſum Parmenſi pro viribus impedituri. *Parmenſis Meurſium, Alpenum & Crakoam capit.*

Interea dum Parmenſis omnia ex animi ſententia agit, Leyceſtrius exercitum quàm poteſt maximum colligit, ipſiſque Prouincijs poſtulantibus in Ooſtlandia duo equitum & tria peditum millia, mille præterea cuniculorios conſcribi curat. Conſtituit præterea Flandriam inuadere, vt Parmenſem ab obſidione Nouenſiana, ſi fieri poſſet, retraheret.

Proinde Comiti Mauritio Naſſouio, & D. Philippo Sidneio Fliſſingæ Gubernatori mandatur, vt cum tribus circiter militum millibus in Flandriam proficiſcantur, & Neuſam petant. Motta enim Neuſeos à parte Oſtendæ in anguſtum coëgerat, aggere caſtrenſi in D. Catharinæ cæmiterio conſtructo, & arte clandeſtina machinabatur Oſtenda potiri, præſidiarijs quibuſdam ære corruptis. *Mauritius & Sidneius in Flandriam commendant.*

Nihilominus præſidiarij qui Oſtendæ, Sluſæ & Neuſæ erant, maxima id temporis damna Flandriæ intulerunt, interceptis cæliſque ijs qui frumentum in vrbes Brugas, Ypras, & alia loca vehebant, quæ maxima miſerandaque penuria laborabant. præcipuè autem Brugæ, ex qua cum quidam ciues eximij Petrus Briſchoveus Conſulis filius, & Ioannes Peenus de maxima ciuitatis miſeria ad conſanguineos Sluſæ habitantes ſcripſiſſent, ciuitatemq; libram optaſſent, ab æneatore hanc ob cauſam accuſati ambo capitis condemnantur, & gladio feriuntur: alij præterea Religionis cauſa ſuſpecti ciuitate eijciuntur.

Prædiarij Parmenſis qui circa Brugas agebant, præſidiarios Sluſianos qui in hoſtilem agrum excurrerant, opprimere vndiq; circundatos conantur: verum ſocijex Sluſa appropérantes ſuis opem ferunt, hoſtes cingunt, & centum ſeptuaginta cædunt, inter quos tres ſtrategi. Hæc acta ſunt menſe Februario 1587.

Mauritius & Sidneius 16. Iulij nocte ex propugnaculo Neuſæ in Flandria diſcedunt, verſus Axelam vrbeculam ea in regione commodiſſimè ſitam, eamq; ſumma dexteritate, abſque magna clade nonnullis ſuorum per murum aquas diuidentem intrantibus, capiunt, cùm in præſidijs militum cohortes quatuor eſſent: capiunt inſuper propugnacula vallaſque circumiacentia: & aggeres, vt certior firmiorque maneat victoria, perfodiunt. Tradi Hulſtam vrbem non procul inde ſitam poſtulant: verùm nuntio huius rei Antvverpiana præfectus, ocyus Hulſtam præſidiarijs munit. *Axelam Mauritius & Sidneius capiũt.*

Poſt hæc Sidneius feodus clandeſtinum init cum nonnullis Graueſingæ præſidiarijs, qui ob non ſoluta ſtipendia ſe offenſos ſimulabant, & vrbem tradituros promittebant: ipſe 27. Iulij cum magno militum numero, ſtlatis nauigijſ; 3 planis ex Fliſſinga eò contendit: nonnulli ſuorum ad portum appellunt: ij verò qui antè pauci numero intrarant, dolum ſentiunt: mox equites circiter quadraginta ex vrbe contra Sidnei cohortes ſubitò erumpunt, Anglos plus minus triginta interficiunt: reliqui ad naues ſalui reuertuntur. *Sidneium frustra Gueſingam petiit.*

Leycęſtrius cùm mente Auguſto exercitum collegiſſet, primam aciem ſub Ioanne Noritio, & Thoma Cicilio miſit, vt caſtra propè Rhenum ad Fanum Diui Seuentri ponant: ipſe verò 6. Septembr. Arnhemo Eltenum verſus in Cliuiam proficiſcitur, vnà cum Principe Emanuele Antonij Portugalliæ Regis filio, Truxſetio Electore Colonienſi, Comite Mauritio Naſſouio, Comite Philippo Naſſouio Principis Auraici defuncti fratris filio, Comitibus Solmenſi & Oberſteyno, Comite Eſſexio ſummo equitum Anglorum præfecto, Baronibus V Villongbyo & Northeo, D. Gulielmo Pelhamo Anglorum militum tribuno, D. Philippo Sidneio, & alijs magnæ auctoritatis viris: recenſitoq; exercitu numeraui pedites plus minus 7000. equitesque 1400. verùm cùm hic exercitus ſibi ſufficere non videretur, ad Parmenſem (qui duodecies mille pedites, & ter mille quingentos equites habere dicebatur) propellendum, & vrbem Berckam obſidione liberandum, Doesburgum oppugnare conſtituit, vt Parmenſem ab obſidione Berckenſi retrahat. *Leycęſtrius caſtra mouet.*

An. 1586. Oppidum Doesburgum in Comitatu Zutphaniensi, Teutsburgum siue Drusiburgum à Druso Tiberij Cæsaris filio est nuncupatũ, qui Rhenum vltra Arnhemũ fossa deriuari curauit in Isulam ad Doesburgũ oppidum, quæ nunc quoq; temporis Drusiana fossa nominatur. Vrbs altis muris, veteri more, & fossis satis amplis ac profundis cincta est. Erant in ea præsidiarijs Parmensemisi trecenti VValones sub duce Sampsone, & ciues armipotẽtes plus minus quingenti.

Doesburgum à Leycestrio obsessum & captum.

Leycestrius Hohenloum, Essexum, Sidneium & alios militiæ præfectos cum quingentis equitibus & octingentis peditibus nocte ad lustrandam, & cingendam vrbem mittit: ipse ex Elteno 9. Septembris cum reliquo exercitu sequitur: foueas militari more ocyus fodi iubet: die tertio decem tormentis bellicis maioribus dispositis, duæ muri ruinæ haudquaquam exiguæ cadunt: quas oppidani quãta potuerunt festinatione ac diligentia obstruxerunt ac muniuerũt; cumque fossa sexaginta amplius pedes lata & tres alta vrbem ambiret, visa fuit oppugnatio admodum difficilis: verùm optimè animatis militibus, Leycestrius oppugnationem tentandam constituit: ad quam Hohenloum cum Germanis & Schotis, & Noritium cum Anglis & Irlandis destinat. Id simulac obsessi vident, deditionem certis conditionibus offerunt: quibus negatis, vrbem, salua tantummodo vita deditum. Intrant in superatam vrbem D. Ioannes Borongeus, & VVilhelmus Stanleus, gubernatione Borongeo commissa.

Leycestrius Zutphaniam versus proficiscitur.

Vt autem à Bercka Parmensem retrahat Leycestrius, Zutphaniam versus, vnam ex quatuor primarijs Geldriæ vrbibus, præ cæteris Comitatus nomine celebrem, populosam, & probè munitam iter instituit: quam quia commeatu egere intelligebat, meditatur aut capere, aut Parmensem eò pertrahere, quod & euenit. Erat Zutphaniæ in præsidijs Ioannes Baptista Taxius, vir bello strenuus, Verdugonis Frisiæ Gubernatoris Legatus. Cumque ab hac ciuitate ad Isalam sita, tota Velua & Hollandia infestarentur, Ordines non longè antè vltra flumen propugnaculum construxerant: verum inde inundationibus & nimia aquarum violentia postquã fuere expulsi, mox Zutphanienses illud, duabus alis, tanquam anterioribus vallis adiectis munierunt: & quia Zutphanienses exactiones incendiarias per totam Veluam huius propugnaculi commoditate extorquebant, Hollandi ante duos annos, decem fere mensibus illud frustra obsederant atque oppugnarant. Leycestrius aucto exercitu, iuncta parte magna illorum qui sub D. Rihouio & Cosmo Pescarengio ad inuadendam Flandriam erant collecti; castra per fluminis ripas & vicina loca ante ipsam vsque vrbem Zutphaniam decimo octauo Septembris disponit, & pontem ex collectis cymbis medio ferè ab vrbe miliari construit: & prætoria magnificaque Procerum ædes & arces, imprimis Hack-vortam & Vordam capit.

Castris hoc modo collocatis, Leycestrius Dauentriam celeriter contendit: erant enim in hac ciuitate adhuc discordiæ, & ciues cum alijs ciuitatibus contribuere, mutuumque fœdus seruare recusabant: intrat in vrbem maxima dexteritate cum peditibus circiter quadringentis, & duabus equitum turmis. Cumque hic nuncium accepisset Parmensem Berckam reliquisse, magna festinatione versus sua castra properat, eaque quàm citissimè contra Zutphaniam potentius munit.

Parmensis metuens ne Leycestrius aliquid contra Zutphaniam moliatur, intelligensq; Berckam optimè munitam & expugnatu difficilem: cum iam insulam ante vrbem, in Rheno, occupatam muniuisset, & alijs propugnaculis vallisque cinxisset, commeatu quoque & necessarijs omnibus satis prouisum reputaret, die 12. Septemb. inde discedens Vesaliam versus proficiscitur: cumque Burickam Cliuiæ vrbem & arcem cœpisset, & ponte ex nauibus structo Rhenum transisset, atque ab altera parte Relæ alijsque locis propugnacula, quibus pontem & itinera tutiora redderet, fecisset; Borckloam venit, inde commeatum in Zutphaniam per suos emissarios ipsemet præsens, inuexit. Leycestrius simul ac inuectum commeatum præsidiarijs non posse sufficere intelligit, proxima vice præsidium in itinere impetere constituit, idq; negotij Noritsio & Stanleio cum peditum, alijs autem cum equitum ingenti numero mandat. Cumque 22. Septembr. Parmensis rursum in vrbem annonæ aliquid matutino tempore aduehi suis emissarijs, turmis videlicet equitum plus minus septem, & bis mille sclopetarijs & lancearijs mandasset, mandata exsequuntur, & loco quodam munito prope pagum VVarusfeldium, medio ferè ab vrbe miliari subsistunt, interea dum vehicula, curriculaque vrbem intrant: id postquam à triginta equitibus nunciatum fuit, Noritsius, Essexius, VVillongbius, Stanleius, Sidneius, Russellus, & Io. Noritsius cum circiter 200. equitibus & 1500. sclopetarijs maioribus, & lancearijs summa festinatione eò contendunt, hostesq; citius quam putarant, ob ingentem nebulam, offendunt: mox à Parmensis copijs rapidè ac furenter sclopetis maioribus impetuntur, ex locò valde commodo instar propugnaculi: densas crebrasq; glandium grandines strenuè viriliterque admodum ferunt, neque quisquam loco cedit, mirum in modum omnes simul constantes: tum hostes ignari quantus Anglorum esset numerus, quos propius accedere videbant, ocyus equitum turmam sub præfecto Georgio Cressieso Albanense emittunt, qua acerrimè oppugnata, dissipataque, plurimis cæsis & captis, mittunt Comitem Hannibalem Gonsagam cum sua turma,

Præsidium interea dum commeatus in Zutphaniam mittitur.

Digitized by Google

turma, quæ similiter succumbit, ipse Hannibal interficitur, aut læthali vulnere læditur: victores ulterius ad ipsos vsque pyrobolarios siue sclopetarios grassantur: quibus tertia quoque turma primò resistere velle videbatur, verum mox terga vertit: itaque disceditur, postquam duæ Anglorum victrices turmæ centum quinquaginta hostes interfecissent, & grauiter vulnerassent, Anglis circiter triginta interfectis & vulneratis, inter quos D. Philippus Sidneius, qui cum equum mutare vellet, in fœmore glande vulneratus, vigesimo quinto post diè moritur: vir nobilis, ætate florens, prudens & bello strenuus, plurimum deploratus, Flissingæ Gubernator, & sororis Leycestrij filius: defuncti cadauer in Angliam translatum, Londini magnifice sepultum est. Angli cum vires Parmensis exploratas non haberent, sua castra repetunt, Parmensis quoque sua. An. 1586.

D. Philippus Sidneius mortalitatem.

Leycestrius propugnacula è regione Zutphaniæ superare molitur: castra in Velua ad Yssulâ flumen collocat. Parua est ante vrbem insula, ad quam ex vrbe per vadum pede ferè sicco iter patet, quæ nonnunquam à triginta tantum præsidiarijs custodiebatur: hanc oppugnat & capit Leycestrius, hostibus nonnullis cæsis, captis, in fugam versis: superatam insulam fortius munit: suum exercitum ante valla & munimenta Zutphaniensia ducit, & à continenti pontem ad ipsam vsque insulam construit: ab ea enim ne oppidani in propugnacula subsidium mitterent facilè impediri poterat: præterea castrenses fossuras confici, tormentaque collocari curat. Parmentis simulac insulam captam cognouit, vrbi metuens, decimo quarto Octobris die cum exercitu valido sub ipsam vsque vrbem venit, annonamque copiosè inuehit: postridiè ad duo miliaria, Borckloam vsque retrocedit: inde VVeselam versus, Burickam vsque: constructoque ponte Rhenum transit: & valetudinarius Bruxellas proficiscitur: Marchionem Rentium Dominum Montignium ex familia Lalaignia exercitui morbis & inedia presso præfectum constituit.

Leycestrius propugnacula Zutphaniensia obsidet.

Leycestrius decimo sexto Octobr. propugnaculum minus siue propugnaculi alam Septentrionem versus tormentis verberat, & post prandium oppugnari iubet: erant autem hic præsidiarij circiter trecenti, in maiori verò propugnaculo, octingenti, & in vrbe bis mille, ipsi quoque Parmensis vix duobus aberat miliaribus. Cùm autem neque ex vrbe neque ex propugnaculo quisquam resisteret aut succurreret, expugnata fuit, hæc propugnaculi ala. In expugnando, Edouardus Stanleius, Anglus, vir nobilis, vna cum Guilhelmo Stanleo chiliarcha legatus, admodum strenuè se gessit: in hostile enim propugnaculum transilijt, hasta hostis eum impetere volentis, quam arripuit & forti manu tenuit: cumque hostis eam extorquere conaretur, Anglum superius pertraxit, atque inde metus hostem inuasit: quæ quidem præcipua victoriæ occasio fuit, proinde Leycestrius eum meritò equitum auratum creauit, & sexcentis florenis annuè donauit. In expugnatione nó amplius quam octo interfecti: verùm Comes Hohenlojus grauiter in facie vulneratus.

Leycestrius propugnaculum quoddam Zutphaniensi vi capit.

Edwardus Stanleus re strenue gesta eques auratus creatur.

Proximo die Leycestrius maius propugnaculum oppugnare constituit. Minoris autem siue Septentrionalis propugnaculi, de quo diximus, & insulæ meridionalis commoditate, transitus inter maius propugnaculum & vrbem prorsus impediri potuit; idque metuentes præsidiarij, nocte; tormentis relictis, antequam hostis sua tormenta disposuisset, in vrbem confugiunt: atque ita hæc propugnacula, præterea arx Nienbekana, Boxberga & alia quædam loca vicina capiuntur, vnde tota Velua ab incendiariorum violentis extorsionibus fit prorsus libera.

Zutphaniense maius propugnaculum præsidiarij relinquunt.

Zutphaniam vrbem oppugnare nequaquam consultum visum fuit, eo quòd optimè munita, circumdata, cincta, sitaque esset inter Dauentriam, Dusburgum, Lochemum Doettecomum & dictum propugnaculum: sperabat autem Leycestrius deditionem, penuria paulatim vrgente: proinde media ferè hyeme castra mouet, quod & Parmensis facit: milites in præsidijs disponit: strategos aliquot nobilesque Anglos magnis honoribus ornat, & auratos equites creat.

Propugnaculum expugnatum muniri curat Leycestrius, gubernatoremq; constituit Rolandum, Iorckum cum octingentis Anglis peditibus, & centum equitibus, qui Veluam ab hostium incursionibus tutam reddat. Huic Rolando hanc gubernationem committi, agrè tulerunt Ordines: nam quamuis Ordinibus & Prouincijs Belgicis longo tempore militasset, fuit tamen eius fides, tanquam perfidissimi proditoris, ipsis suspecta: verùm Leycestrius nimis credulus & suis Anglis fauens, sponsorem se pro Iorkio constituere voluit.

Rolandus Iorckius propugnaculi Zutphaniensis gubernator constituitur.

Dauentriæ gubernatorem dedit VVilhelmum Stanleium, equitem auratum, cum 1200. Anglis & Irlandis siue Hybernis peditibus, & 200. equitibus: cui non satis etiam fidendum præmonent Ordines, quandoquidem hosti antea stipendiarius militasset.

Stanleius fit gubernator Dauentriæ.

Doesburgi gubernationem accipit D. Ioannes Borougius, cum 800. peditibus & 200. equitibus, ad arcem Bronckhorstam defendendam: quibus quidem copijs, & præterea ijs qui Lochemi, Herenbergæ & Doetecomi erant, præsidiarijs, Zutphania arcte satis circundata obsessaque erat.

Digitized by Google

An. 1586. Leycestrius cùm summa iam hyeme Parmensem discessisse intellexisset, certò quoque sciret milites in Oostlandia conscriptos, perfidorum aliquot, quos in sua militia habebat, pactione, atque clandestino cum Parmensi fœdere, diuertisse, magnoque cum dedecore, nulla vrgente necessitate, aufugisse, videretque neque tempus neq; locum dari plura agendi; liberata ab obsidione Bercka, vnde Chiliarchus Morganus iam redierat, Hagam profectus est. Cùm autem sui, insula ante Zutphaniam relicta, castra mouerent, à Taxio acriter inuaduntur, verum subsidiariorum strenua opè euadunt, sex aut septem Anglis desideratis.

Leycestrium castra monet.

Postquam Leycestrius Hagam venit, Ordines grauiter quæruntur, & mense Augusto traditos articulos repetunt, atque ipsa postulatio fuit nomine equitum auratorum, nobilium, & ciuitatum Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ: Sunt autem hi, qui sequuntur, articuli.

Ordinum postulationes ad Leycestrium & querelæ.

Postulant vt pecuniæ & contributiones ab vno & solo Ioanne Rinholto hactenus administratæ, in manus Thesaurarij ab Ordinibus electi conferantur: & vt solutionum rationes liquidò pateant signatę chirographo Gubernatoris, & trium ex Consilio Ordinum dictarum trium Prouinciarum, & ne aures præbeat consiliarijs clandestinis Prouinciarum inimicis.

Vt subsidia militum Anglorum suæ Maiestatis integra sint & plena, 5000. peditum, & 1000. equitum: ijdemque recensentur & stipendia accipiant, scientibus & præsentibus Ordinum Commissarijs, secundùm contractus initi normam.

Gubernator extraneos milites, ad 23. Articuli normam conscribat Ordinum consensu, ne Prouinciæ plus æquo grauentur.

Ad 24. Articuli regulam, nulli Prouinciarum, vrbium arcium aut munitionum gubernatores constituantur, nisi prius à tribus Prouincijs delecti proponantur: ex quibus Gubernator & Status Consilium, vnum quem volent, eligant.

Vt disciplina militaris rectè seruetur: ne milites aliquo, non præsente delegato, proficiscantur: vt expensorum ratio conscripta tradatur, ad quas Prouinciæ stipendiorum solutionem referant: ne communis respublica, quæ contributionem pendere tenetur, plus æquo opprimatur obruaturque, &c.

Vt præsidiarijs stipendia soluantur: nam quòd his non satisfiat, militum præfectos grauiter conqueri, & seditionem rebellionemque metuere. Quartam enim contributionem Hollandię partem sufficere præsidiarijs Hollandiæ limitaneis: & mediam partem Zelandiæ contributionum præsidijs Zelandiæ: proinde tres tertias Hollandiæ partes & mediam Zelandiæ reliquas, vltra stipendia præsidiaria bene collocandas esse.

Ne in agris aut pagis currus, cunicularij, aut fossores vi cogantur aut extorqueantur.

Ne quis Priuilegiorum contempto iure, extra Prouinciam in ius vocetur.

Vt infracta & diminuta Magistratus Vltraiectensis auctoritas rursus erigatur ac restauretur.

Ne Vltraiectum ab Hollandia separetur, sed sub Gubernatore Comite Mauritio eidem rursus iungatur.

Vt decretum 4. Augusti & literæ 25. augusti restrictoriæ, de negociatione & nauigatione in Prouinciarum perniciem editum reuocetur & quod commercium relinquatur liberum.

Ne pecuniæ Curiæ admiralitatis vel Admirallio debitæ aliò diuertantur, aut in alios quàm rei maritimæ vsus applicentur.

Ne extrancæ & nouæ contributionum colligendarū formulæ posthac amplius vsurpentur.

Vt extranei seditiosi, nouarum rerum auctores, repudientur: Ne Brabantis aut Flandris qui male apud suos publicas administrarunt pecunias, administratio committatur, &c.

Ad hæc Leycestrius varijs adductis excusationibus, restaurationumq; promissis, spem amplam dat: verùm in Angliam ob turbas ibi exortas iam sibi proficiscendum causatur.

Leycestrium abire volens committit Consilio Status generalis gubernationis auctoritate confignata.

Ordines Leycestrio discessum quibuscunque modis dissuadere studunt: sed frustra: itaque Reformatio tota in eius reditum differtur. Rogatus autem ordinem ac rationes gubernandarum Prouinciarum constituere, die 24. Nouemb. auctoritate consignata generalem Prouinciarum gubernationem Status Consilio commisit.

Leycestrius admissio à Consilio status admissi tecte Ordinibus præstat.

Verùm eodem diè dictam auctoritatem secretò atque expeditè restrinxit, sibique auctoritatem & iurisdictionem supra omnes gubernatores Prouinciarum, vrbium & arcium, & alia insuper regalia iura reseruauit: quin & Status Consilio & Prouinciarum gubernatoribus ac præfectis solitas iurisdictiones ademit: vnde quidem postea multum damni ac detrimenti Prouincijs, Leycestrio autem multum molestię ac difficultatis euenit. Hoc tempore culi fuerunt nummi ex vna parte habentes simiam quæ catulos nimia affectione occidit cum inscriptione, *libertas ne ita chara vt Simia catuli*, In reuerso, vir adstans igni dum vult euitare fumum incidit in ignem cum inscriptione *fugiens fumum incidit in ignem.*

Leycestrius in Angliam proficiscitur.

Itaque Leycestrius abiturus, Prouincijs & Ordinibus id animo non satis æquo ferentibus, valedicit breui rediturus: per Zelandiam Angliam petit, & in Angliam 4. Decembr. appullit. Paulò post Ordines ad eum delegatos nomine Prouinciarum mittunt, qui loco Consilij Prouincialis

Digitized by Google

uincialis ei adsint, & vrgeant, instentque dictis querelis, vt melior gubernandarum Prouinciarum ratio constituatur. Fuere autem delegati D. Iacobus Valckius, Status Consiliarius, Guilhelmus Suylenus Niuellæ dominus, D. Iustus Meninius, Dordraci Consiliarius & Pœtionarius, D. Nicasius Sillanus Amsterodami, Consiliarius & Pensionarius, & D. Kaminga Frisius: hi simul in Angliam appulerunt in fine mensis Ianuarij 1587. domumque attulerunt argenteam deauratá crateram, equans statura hominem, summa industria & exquisitissima arte elaboratá verè Regale donum. An. 1585.

Hoc anno in Anglia conspiratio maxima palàm facta est, quæ quidem Reginæ & Regni Ordinibus suspicionem scrupulumque ingentem iniecit. Conspirarunt enim aliquot iuuenes nobiles, inter quos præcipui Antonius Babbingtonus, Salsberius, Sanageus, Tichboreus, Abingtonus, Tylneius, Baruy velus, & plures alij, vnà cum Iesuitis ex Francia missis. Constituerant hi Reginam Elisabetham, aut lectica insidentem, aut equo vectam sclopetis traijcere, & mox reliquis conspiratis & coniuratis, adiuuantibus Schotiæ Reginam è captiuitate liberare, eamque Angliæ & Schotiæ Reginam coronare, asperius contra Ordinum Angliæ Consilium agere, & omnem regni & religionis gubernationem mutare. Facinus hoc in Francia apud Guisianos & Catholicos Anglos rebelles conceptum, & in Anglia propemodum inceptum, manifestè deprehensum fuit: hinc bis circa finem Decembr. Londini quatuordecim ex illis accusati, facinus confessi, rheda ad paribulum in pegmate erectum raptati, suspensi, & laqueis mox relectis amoti, in scamno viui adhuc in quatuor partes, spectante populo, dissecti: capita & quartæ partes, ex patriæ consuetudine, portis & pontibus impositæ fuerunt. Mortem obierunt hi simul omnes Romani Catholici sed alij alijs in fide & opinione sortiores: verùm plurimi ob iuuenilem ætatem nimis inconsiderati, & temerarij, suam temeritatem deplorauerunt. *Conspiratio in Anglia p. Scotiæ Regina.*

Huius conspirationis causa, Schotorum Regina rea agitur, tam ex dictorum nobilium confessionibus, quam ex suis ad alios, & aliorum ad ipsam scriptis, atque interceptis Epistolis. Quia verò tunc temporis variæ de Schotiæ Regina rumores fuere sparli, & rara insolitaq; admodum res multis visa est, Monarcham, Regem, Reginam, Principem in iudicium vocari, carnificibus tradi, & capite plecti; historiam nobis notam paucis hic referemus: dum enim hæc agerentur in Anglia suimus, & à reitibus occultatis atque fide dignis rem omnem audiuimus. Neque Lectori hanc narrationem, quamuis excurrere à proposito videamur, fastidium parituram arbitramur: res enim & ad Angliam & ad Belgiú spectat: cùm vtraque regio Schotiæ Reginæ mortèà grauissimis sit liberata periculis. Perlegimus quidem multorum, Reginæ tam amicorum quam inimicorum, hac de re scripta: nos verò paucis hic ea, quæ publicis actis probè exanimatis atque perpensis verisima comperientur, narrabimus.

Maria Stuarta, Scotiæ Regina, filia Iacobi V. Scotorum Regis, qui filius fuit Iacobi IIII. & Margareta Angliæ, Henrici Regis VIII. sororis: ita vt Iacobus V. Mariæ pater, & Elisabeth nunc Angliæ Regina, ex sorore & fratre nati fuerint. Habuit Iacobus V. vxorem Mariam filiam Claudij primi Ducis Guisij, quæ ei infelicem hanc filiam Reginam peperit anno 1542. Octo tantum dies nata patrem amisit: educata à matre & tutoribus: sex annos nata deducitur in Franciam, anno 1558. 19. April. nubit Francisco Francæ Delphino, qui post Rex Franciæ eius nominis secundus fuit. Hinc gloriosior facta Maria, simul ac Elisabeth Angliæ coronam accepit. Angliæ & Hiberniæ Reginam se nuncupauit, & vsa est insignibus: postmodum verò vi coacta & titulum & insignia reliquit. Viduata viro 26. Decembr 1560. dotaria, & Franciæ antipherusis fruens, summis in delitijs & voluptatibus vixit. Anno 1561. in Scotiam profecta: 1565. nuptit iuueni Anglo, forma præcellenti, Henrico Stuarto D. Darnley fuæ amitæ filio, cui 1566. 19. Iunij Iacobum sextum, nunc Scotiæ Regem, peperit. *Mariæ Scotiæ Reginæ origo, nuptiæ & coniugia.*

Henricus autem Zelotypus, Dauidem Risnoum Italum musicum insignem, Reginæ imprimis dilectum, è mensa Reginæ sublatum occidi curauit: Regina iram aliquandiu dissimulat: necemque in nobiles illos, qui Regis iussu homicidium perpetrarant, vlciscitur: nobilibus autem à Rege relictis Regem odiosum reddit, vt eo facilius Regem vlciscatur, quem iam summoperè oderat, capta amore Iacobi Hepurni, Scoti Comitis Bothveliæ viri admodum formosi, quem cum alijs nonnullis eo induxit, vt Regem maritum clàm interficeret, cui paulò antè venenum miscuerat: cumque hinc ægrotus langueret Rex, nocte lecto decumbens strangulatur, moxque domus puluere nitrato incenditur, anno 1567. Ipsa quidè tanto amoris æstu in Bodvvelum flagrauit, vt mentis impos neque crudelitatis, neque infamiæ rationem vllam habere potuerit. Scripsit ad eum literas amatorias multas & varias, quarum nonnullæ typis impressæ, vnde & effrenatus amor & crudelitas humanam naturam excedens liquidò patuit. Hæ verò Epistolæ postmodum fuerunt inuentæ inter Bodvveli chartas: quandoquidem eas se purgandi causa seruarent, de fœminea inconstantia dubitans, quanquam eas flammis tradere iussus. Vidua vitam non sine summo dedecore agens, nupsit statim huic Bodvvelo, qui hâc ob rem vxore relicta diuortium fecerat: palsim ,ueper suos Legatos in Francia & alijs locis, etiam apud *Regina Scotiæ Regem maritum interficiunt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

iuunculos Guisios sparsit ac diuulgauit, se à Bodwvelo 500. equitibus comitato, vi raptã: ob viri autem summam dignitatem, & vt bellum intestinum in suo regno præcaueat, eidem nupsisse. An. 1585.

Maria rapta à Bodwelo homicida.

Hæc Reginæ acta à Scotiæ nobilibus, & populo adeò ægerè & molestè fuère accepta, vt simul in eam acie constructa insurgerent: ipsa verò ad pugnam imparata, milites blandis verbis pacare conata, Bodwvelum in quem culpam omnem reiecit, ablegat: mox verò à subditis apprehensa tanquã scortum & mariti interfectrix accusatur: vili autem habitu induta, inculta, squalida, puluerulenta, reputans hac ratione populi animos ad misericordiam facilius commoueri posse, Edimburgum non sine magno despectu & opprobrio ducitur, filio coronam & regnum resignare, eique tutores constituere cogitur. Loclenæ arci in lacu sitæ custodiendæ traditur. Bodwvelus maritus summa pressus necessitate in Daniam tandem confugit, vbi in captiuitate phreneticus & amens decimò pòst anno miserè vitam finiuit.

Capitur à subditis.

Anno in custodia transacto Regina insigni dexteritate & amicorum ope ex alta feneſtra audacissimè, non tamen sine periculo delilijt, carceremque euasit: deinde milites collegit, ad se vlciscendum: verùm exercitus collectus mox à Regis & tutorum potentioribus copijs cæditur & dissipatur: ipsa in Angliam profugit anno 1568. splendideque hic accipitur, non tamen sine custodia.

Carcerem euadit, & fugit in Angliã confugit.

Regina Angliæ varias Mariam Scotis subditis reconciliandi rationes sedulò init: verùm à Scotiæ Ordinibus de nece mariti & alijs facinoribus accusatur: eaque de causa Scoti Legatos magnificos egregiosque in Angliam ad Comitia huius negotij erga constituta mittunt, qui de Maria iudicium ab Angliæ Regina ferri, aut in ipsorum manus eam tradi instanter postulant, additis tandem etiam minis. Recusat id Regina, nec iudex huius causæ esse vult: Scotos autem verbis pacare studet, existimans temporis successu viam aliquam reconciliationis inueniri posse: itaque & vitam & honorem Mariæ conseruauit: custoditamq; magnis sumptibus in summa libertate sustentauit, ita vt venari, aucupari, domicilia mutare, & amplissimis cuiusque

Criminis accusatur.

Legatos suos iubet.

Ab Angliæ Regina protegitur, & in libera custodia seruatur.

Prouinciæ palatijs pro voluntate frui integrum ei fuerit. Comiti autem Salopiæ, vt plurimum eam obseruandi & Reginæ Angliæ sumptibus splendide tractandi cura fuit commissa: inseruierunt ei familiares sui ministri: quibus libertas data fuit eam adeundi, eius nomine vbique terrarum fœdera contrahendi atque seruandi: habuit & legatum assiduum in aula Reginæ Ioannem Lesleum Episcopum Rossensem.

Verùm hæc beneficia ab Angliæ Regina amicè præstita nequaquam sibi sufficere reputans, & impatienter nimis fortunam aduersam ferens, ingrata ac temeraria, quosdam Catholicos Romanos in Anglia clàm sibi deuinxit, inter quos Comites Northúberlandiæ, & VVestmorlandiæ, qui rebellione excitata erectis signis militaribus contra Principem Reginam in prœlia venerunt, omnes simul Catholicæ Romanæ religionis, & Reginæ liberationis studiosi: quorum plurimi vitam amiserunt: ipse Northumberlandus Eboraci capite truncatus, VVestmorlandus autem in Belgium fugit. Postea verò Maria clàm de nuptijs cum Duce Norfolckiæ contrahendis egit: Dux autem hac de causa in carcerem coniectus, veniam tandem impetrat: verùm post coniugio iterum intentus, non sine maximo Reginæ Angliæ periculo id peragere tentauit, ope ad hoc à Pontifice & Duce Albano promissa: cuius criminis conuictus capite truncatus fuit.

Machinatur turbas in Anglia, & titulos ac ius suum in Angliæ regnũ demonstrat.

Sacrificus quidam Henricus nomine, qui in dicti Legati Episcopi ædibus commorabatur, libellum typis edi curauit, quo Mariæ regni Angliæ & Hyberniæ titulum attribuit: ob quam & & alias clandestini fœderis causas Legatus ex Anglia discedere coactus est.

Post hæc, cum Rex Hispaniarum, vxore postrema Ioanna Austriaca mortua, viduus esset, Maria eius coniugium ambijt: verùm Rex cui id parum placebat, eam fratri suo Ioanni Austriaco vxorem dari popposcit, qui tunc temporis Belgij Gubernator id vnù aucupabatur, occasiones quæritans, quibus eam tanquam legitimam vxorem è manibus Reginę Angliæ, aut iure aut vi dimitti ac liberari postularet. Quæ postquam Angliæ Regina intellexit, eam, animo nonnihil alienata, cautius quàm antè obseruauit.

Regis Hispa. coniugium ambit.

Maria autem impatientissimè suam sortem ferens, quascunque euadendi vias quærit: & vi Angliæ regnum, ad quod faciliorem, quàm ad Scotiæ, aditum sperabat, nancisci meditatur: proinde fœdus cum omnibus nobilibus & rebellibus Anglis patria profugis init, & Morgano, qui Doctorem Parryum, vt Angliæ Reginam interficeret, instigàrat, pensionem soluit. Scribit præterea ad amicos omnes, sollicitetque operam dat, vt Guisij & Princeps Parmensis, Romani Pontificis, & Hispaniarum Regis auxilio, Angliam inuadant. Ad varios, præcipuè verò ad Bernardinum Mendosam Legatum Hispanum in Francia, Epistolis missis, obnixè rogat, vt Regi Hispaniarum significet, se eum Angliæ, Hyberniæ, & nili filius Scotiæ Rex ad Catholicã Roman. religionem redeat, Scotiæ hæredem instituturam, multaq; alia insuper addit, Regem Hisp. hac ratione facilius ad Angliæ regnum inuadendum permoueri posse existimans. Atque hinc quidé euenit, vt multis sollicitantibus & instigantibus, Antonius Babingtonius Anglus iuuenis

Liberationem suam morte Reginæ Angliæ quærit.

Digitized by Google

An. 1586. iuuenis imprimis alacris, diues & nobilis, cum magno factiosorum iuuenum nobiliũ numero: (quorum sex Reginã Angliæ interficere certò cõstituerant) permotus fuerit facinus insigne aggredi, fatagens Mariã custodia eximere, eamq; Angliæ Reginam proclamare, statũ religionis & gubernationem Regni mutare, & Consiliarios atque alios supplicijs punire. Cùm Babingtonio Maria Epistolis crebris agit, consultatque de commodissimis institutum peragendi vijs, nempe de Catholicis Romanis in Anglia sub Chiliarchis & Strategis nouo quodam prætextu distribuendis, maximè autem de rebellione, tanquam belli principio, in Hyberniã excitanda, vt extrancæ militum copiæ ex Hispania, Francia, Belgio, alijsque regionibus Angliæ oris commodè appellere possint. Quæ omnia tam suis quam aliorum Epistolis, & spontaneis plurimorum nobilium & aliorum testationibus, de quibus ob id facinus miserabile sumptum est supplicium, sub vitæ exitum perfeuerantes rem ipsam confitentibus, confirmata fuere.

Antonij Babingtonij & aliorũ iuuenũ nobilium, ad cõspirationem excitati.

Angliæ Regina vtitur agit contra Scotiæ Reginam.

Quapropter Angliæ Regina anno 1586. mense Octobri, in arcem Fodringaiam ad Scotiæ Reginam mittit 36. Legatos, Ordinum Parlamenti Proceres, cum alijs suis Consiliarijs, & regni officiarijs ad numerum 47. inter quos etiam Catholici fuere nonnulli, qui ream examinent; causidicos quoque & actores qui accusent. Post longas tergiuersationes ac moras, tandem in maiori arcis aula coram prædictis Proceribus comparuit, magnifice admodum comitata virjs suis nobilibus, & fœminis honorarijs: postquam in sede sua fedit, significatur ei ab Angliæ Cancellario huius conuentus causa: Angliæ Reginam & Principem longo tempore multa ac ea tolerasse, anteqùam ad actionem contra eam instituendam induci potuerit: nunc autem diutiùs haudquaquam ferre posse, ne fruſtra gladium à Deo traditum gestare videatur: non quod sua tantum, sed Dei, & regni interſit, &c. constituisse proinde accusationem aduersus ipsam intentare, & excusationem audire.

Eius forensis contra Scotiæ Reginam.

Ad hæc respondet Regina insœlix, firma protestatione palamque testatur se liberam & natam esse Reginam, nemini nisi soli Deo subiectam, illi soli reddendam à se rationem: postulat proinde in actis contignari suam comparitionem neque sibi, neque alijs Regibus, Principibus, fœderatis, neque filio Regi esse præiudicio: id simul ac in actis scriptum fuit, mox proferuntur accusationes omnes, præterea Epistolæ sua manu scriptæ, aut subsignatæ, ad D. Bernardinum Mendosam, & Antonium Babingtonium; variaque responsa, suorum Secretariorum testimonio probata: multa etiam testimonia eorum qui morte erant multati, captiuorum quoque & aliorum: proferuntur insuper Epistolæ quas à Throgmortonio, Francisco Engelfeldo, D. Pagetto, & Carolo Pagetto acceperat: Contra quæ omnia audacter multa obijcit, negatque constanter, se Angliæ Reginæ dilectæ suæ sororis vitæ insidiatam; quod si verùm sit, precatur ne Dei faciem vnquam contempletur: fatetur quidem se, vt liberari posset, multa fecisse & scripsisse, & Catholicis afflictis liberandis operam dedisse, & adhuc operam sedulam dare, eosdemque sanguinis sui effusione ferre ac protegere imprimis cupere: & hæc quidem lachryman dixit. Ad quæ dominus Thesaurarius respondet, Principem suam neminem propter conscientiam morti afficere, si debite & ciuiliter, vt bonos subditos decet, viuant. Postea duos Consiliarios sibi inimicos esse conquæritur: suorum Secretariorum Chirographa haudquaquã negat: sed aduersus ea excipit & opponit: multa crimina obiecta purgare tentat: Babingtoniũ se nosse negat: facta autem Comitis Arondelliæ Ducis Norfolciæ filij captiui mentione, plorat atque eiulat, & hanc familiam tam dura sui causa perpessam, se summopere dolere ait.

Postridie rursus præsto adest: principio protestatur, declaratque rursus, se quicquid fecisset, pro Romanorum Catholicorum Angliæ liberatione fecisse: potius sibi videri, vt Hesler, quàm vt Iudith sit: potiusque pro populo orare, quàm Magistratum de medio tollere. Sæpè quidem obtulisse, si libera resistueretur, se omnibus viribus seditiones componere ac sedare conaturam. Libertatem sibi dandam esse, dummodo filius Rex, & Guisij Ducis filius obsides dentur. Ad id respondet D. Thesaurarius Angliæ, verùm quidem esse, & Reginæ suæ sic placuisse: verùm Scotorum Ordines nequaquam consentire aut permittere voluisse, vt Rex in Angliam veniret. Hi plurescque alij sermones fuere habiti, ipsa subinde plorante: tandem sigillatim Proceres alloquitur Actis verò omnibus in commentarios relatis, discedit conuentus.

Purgauit se friuolis admodum excusationibus, in eo potissimum fiduciam collocans, quod Regina esset nata & coronata, nullius iurisdictioni aut imperio subiecta. Id verò haudquaquã eo sensu acceptum fuit: quandoquidem coronam regnumque resignauerat, & in Angliam superias petens confugerat, omnique principatu orbata, defensionem quam rogauerat, à sua Maiestate impetrauerat. Ob quæ profectò beneficia in tanta necessitate ab Angliæ Regina sibi collata, eidem maximè deuincta obligataque fuit: neque eo loco vbi tunc erat, vllum alicuius iuris priuilegium postulare aut vsurpare potuit, quod tamen ei sui fautores atque assecłæ persuaserant: qui quidem multo consultius fecissent, si ei humilitatem & animi demissionem, quæ suspicionem auertere potuisset, inculcassent, neque multam potentiam ac confidentiam, quæ exitij præcipua fuit causa, proposuissent.

Hæc

Hæc examinatio mox oblata est Londini tribus Regni Ordinibus, quod Parlamentum vocant, ex ecclesiasticis, nobilibus, & populo constans, qui simul omnes conficiunt, circiter quadringentos viros præstantes, quorum iudicium & sententia super hac re requirebatur. Hi post longam ac maturam deliberationem (cuique enim liberum est suam eloqui sententiã) Mariam mortis ream iudicant, & vt Regina rei iudicatæ, confirmationẽ, diuulgationem & exequtionẽ fieri iubeat, & se, patriam, & religionem conseruet, supplicant: Mariam prorsus esse obduratã: nullam superesse pœnitentiæ aut emendationis spem: irrequietam competricem dominandi desiderio, & vt ex ipsius Epistolis liquido cõstat, sanguinolento odio flagrare: vtpotè quæ suis mandanerit, si rebus aduersis fugam capiat aut succumbat, ipsi nihilominus Angliæ Reginam trucidari curent, professa id facinus legitimum, honestum, & insigni laude atque mercede cælesti dignum, quandoquidem à Pontifice Romano sit regno exclusa, excommunicata & diræ proscripta. Pericula etiam in quibus Respublica, Regnum & Religio, Maria viuente & incolumi, versarentur, explicant: Proinde nequaquam illam tolerandam, cui vitam concedere, *crudelis esset misericordia, &c.*

Maria Scotiæ regina mortis rea iudicatur à tribus Angliæ Ordinibus.

Rationes ob quas Regina Scotiæ de medio tolienda.

Cùm verò Ordines certũ ad hæc responsum à Regina non reciperent; rursus, maiori quàm ante instantia flexis genibus orant & significant, nihil pœnitentiæ aut emẽdationis ab ipsa Maria exspectandum, nihil securitatis arcta custodia, iureiurando, obligationibus, chirographis, obsidibus, aut exilio sperandum, idque certissimas ob causas.

Ad hæc Regina Angliæ ne iam quidem affirmare vel negare quicquam voluit: sed vbique locorum, in Francia, Scotia, in suo quoque regno, viros prudentes, Legatis missis, consuluit quid in negotio tam difficili potissimè agendum videretur: an infelicis huius Scotiæ Reginæ, suæ consanguineę & cognatæ, fœminæ Reginæ, sicut & ipsa, vita vllo modo seruari posset, cùm suæ Maiestatis, Regni & Religionis securitate ac incolumitate. Qua de causa ex Scotia Legati D. Matinus, & à filio Rege, & ex Francia D. Bellieureus in Angliam veniunt, multisque in medium allatis, hæc in omnium Principum præiudicium ac damnum fieri dicunt, neque fas esse de summi alicuius Principis capite agere. Ad quæ Regina Angliæ respõdet: Attentata huiusmodi facinora inulta dimittere, periculosum damnosumque esse. & Regi Franciæ, & sibi, & omnibus Christiani orbis Principibus. Metu pœnæ grauis ac crudelis animos eiusmodi domandos ac cohibendos esse. *Expedit enim Reipublicæ, ne malefacta maneant impunita.*

Regina Angliæ consulit vicinos principes de morte Mariæ.

Addunt Legati præterea, Mariam Reginam tanquam supplicem in Angliam venisse: proinde eam iniquè captiuam teneri. Captiuum quoque peccare non posse, &c. Respondet Angliæ Regina, Liberum sibi esse, eam tenere captiuam ad normam veterũ legum, consuetudinum & contractuum inter Scotiam & Angliam. Mariam vsurpasse atq; adscripsisse sibi Angliæ coronam: cedere verò iure coactam: id tamen nondum esse factum. Omnibus notissimum esse, Captiuum quamcunq; ob causam, si in captiuitate crimen committat, reum criminis, & pœnæ obnoxium esse. Cùm verò Bellieureus pergeret, diceretq;, rem esse prorsus absurdam atque inauditam, Scotiæ Reginam, summam Principem, Anglici regni iustitiæ subiectam esse, & negaret talem sententiam in orbe terrarum vnquam fuisse latam: Respondetur, Mirum esse, Legatos viros imprimis doctos, & expertos tale aliquid allegare, cùm sciant, *Quod delinquens in alterno territorio, & ibi repertus, puniatur in loco, vbi habita ratione dignitatis, honoris aut primulegij*: idque ita vbique terrarum acceptum atque vsurpatum esse: in causa Roberti Regis Siciliæ, Bernardi Regis Italiæ, Elisabethæ Reginæ Hungariæ, Caroli II. Regis Neapolitani, & Conradini, & Deiotari, &c. Reginam Scotiæ, cum in Anglia nunc sit, Angliæ legibus quoque subiectam esse. Principes extra suas ditiones, tanquam homines priuatos esse, quanquam Principum dignitatem teneant.

Causæ Legatorum Principum pro Maria Scotiæ & responsiones.

Postremo cupiunt Legati nomine suorum Dominorum sideiubere nihil posthac attentatum iri: & ne quid mali fiat, facilè impediturос: id ipsum Reginæ Scotiæ amicos quoque cautiores & confirmatiores, chirographis & sigillis. Respondet Angliæ Regina, Huiusmodi cautiones & fideiussiones nihil sibi mortuæ profuturas: Regni sui viros prudentes & consultos, neque in talibus promissis, neque in Mariæ perpetua captiuitate securitatẽ vllam posse collocare, &c. Hæc pluraque alia quę longum esset hic referre, fuerunt allegata.

Post hæc Angliæ Regina 4. Decemb. 1586. anno regni 29. per tubicines publicauit edictum magno sigillo regni corroboratum cõfirmans prędictam sententiam, & ad perpetuam memoriam in actis publicis referri iubet, & Baronem de Buckhurst, & alios ad miseram Scotiæ Reginam mittit, qui omnia, quæ in ipsius causa fuerant acta, ei exponunt, eamque secundum patriæ leges morti adiudicatam declarant: his auditis, conqueritur de iniuria sibi facta, tanquam Principi absolutæ, & nemini mortalium subiectæ, &c. Ab eo autem tempore exaugurata & omni regio ornatu exuta fuit.

Nuntium de mortis sententia Mariæ Scotiæ adfertur.

Cumque iam nihil quã executio sententiæ restaret, & Anglię Regina ob assiduã Parlamenti siue Ordinum sui Regni instantiam, executionem negare aut differre vlterius nõ posset, quandoquidem

Digitized by Google

An. 1587. doquidem indies diuersarum in regno tubarum nuntia audiebantur, tandem prídiè Purificationis festi, anno 1587. vt aliquo saltem pacto subditis satisfaceret, acta confirmationis sententiæ, & mandatum atque authoritatem supplicij mortis sublignauit, & à Cancellario, vt in Anglia moris est, magno sigillo signari iussit, absque vlla tamen limitatione temporis, quo morte puniretur: sed tantummodo vt hæc parata haberet, quocunq; tempore fieri iuberet. Sperans hoc modo subditos pacari, & Scotiæ Reginæ addictos & fautores à suis machinationibus, vtpotè quæ ad ipsius mortem accelerandam tenderent, auerti ac deterreri posse. Signatam hanc mortis sententiã, & sigillo munita acta dedit suo Secretario Dauidsono referuãda, donec vlterius hac de re decerneret. Verùm Dauidsonus mandatum aure aut animo non satis rectè percepit, aut parui fecit: sententiam latam amplissimo Senatui quadam reuerentia motus tradidit, neque significauit sibi mandatum à Regina vt reseruarent, aut non ostenderet; incogitantia haudquaquam perpendens, quàm longe Principum mandata tendant, & quàm exactè obseruari debeãt. Verùm ille publico iudicio ob violatum mandatum, à regni Proceribus grauiter mulctatus, diù in carcere detentus, & Secretarij loco motus erat.

Angliæ Regina signat sententiã sup plicij contra Scotiæ Reginam.

Senatores Anglí Scotiæ Reginam capite plecti iubent, inscia Anglíæ Regina.

Senatores nonnulli visa sententia sigillo munita, quàm multa solicitatione diù postulauerãt, & iuri prorsus conformem sciebant, haudquaquam vlterius differendum aut morandum existimant, ne si conspiratio aliqua oriatur, omne malum ipsis imputetur: cumque insuper perpenderent, quæ pericula damnaque Reginæ, patriæ, religioni, & ipsis accidere possent: Reginæ quoque clementiam optimè perspectam haberent; vnanimi consensu rationem sententiæ exequendæ ineunt, negotio haudquaquam amplius Reginæ significato, quæ contrà reputarat, neminé tam audacem qui se inscia tale quid inceptaret: ita vt illi quibus mitissimum Reginæ ingenium probè erat cognitum, existimarent, Scotiæ Reginam nunquã mortis supplicio multatum iri mandato Reginæ Angliæ, nisi res nouæ rursus attentatæ liquidò comperta fuissent.

Itaque Senatores amplissimi Regina nescia, mox sententiæ acta & iudicij scripta, vnà cùm Epistolis mandati, & exequutionis forma mittunt per M. Robertum Bealeum, Regij consilij ab Epistolis ad Comites Salopiæ, & Cantij, ambo proximè vicinos tunc temporis arci, in qua misera Regina erat, iubentque vt cum alijs Dominis, Ordinis equitibus, nobilibus & præfectis eius regionis, vnà cum D. Amicio Pauleto, & D. Druo Druy rio, quibus arcis custodia erat cõmissa, sententiam latam exequantur.

Hi die constituto in arcem Fodringayam cõueniunt, cum captiuæ Reginæ, ritu soleni pridiè negotium ipsis mandatum significassent. Respondit autem misera se paratam esse, & id diù exspectasse. Interrogantique quando exequi mandata vellent, constitutus est dies Mercurij, 18. Februar. 1587. stylo nouo.

Varias autem allegant excusationes, proponuntque summam necessitatem, quæ Reginam & regni Proceres ad extremum hoc decretum impulit: simul orant, vt patienti animo ferat: multæ præterea aliæ rationes, admonitiones, & sermones vtrinque accesserunt.

Postridiè, 18. Febr. aut 8 stylo Anglico, mane hora septima, dicti Comites, equites aurati, nobiles, præfecti, in arcem conueniunt: ita vt circiter ducenti in arce præsentes fuerint, excepta custodum turma, & familia.

In maiori aula constructum erat theatrum, latum pedes duodecim, altum duos, fulcro, tanquam sepimento, cinctum: omnia panno nigro velata, in medio tella cum puluinari. In aulam hanc postquam dicti Domini conuenerunt, missus est hora octaua nuncius, qui eorum nomine significaret Reginæ, Dominos, vt iniunctum munus exequantur, conuenisse, & quando parata esset cupere certò scire. Nuncius postquam cubiculi ostium clausam inuenit, reuertitur: paulò pòst iterum mittitur: inuenitque ostium apertum, tum vni ex ministris, vt rem Reginæ significet iniungit: is verò eam nondum paratam esse refert: post mediam autem horam, cum Domini tertio misissent, eam mox paratam fore respondetur. Media post hæc hora elapsa, Satrapa Reginam accedit, eamque cum prætextatis & honorarijs suis puellis ac pedisequis, genibus flexis suppliciter orantem inuenit: mox ipsa surgit, seque paratam dicit: tum inter duos viros nobiles media ex cubiculo, in anteriorem præsentiæ cameram, vt vocant, ducitur: hic omnes suos domesticos tam viros quam fœminas stantes ac lachrimantes videt: quos vt Deum temeãt, & superioribus obediant, monet: singulis valedicit, fœminas osculatur, viris manum osculandam præbet, vtque bono sint animo, & Deum pro ipsa rogent, orat.

Mox Domini omnes se obuios ferunt: Salo præ Comes eam his verbis alloquitur: Domina, adsumus vt tibi Regiæ Maiestatis mandata referamus, & quæ tibi heri dicta fuere, exsequamur: simulq; mandatorum auctoritatem maiori Angliæ sigillo munitam ostendunt. Ad hæc respondet, Sibi vtique placere: malle enim se mori quam viuere. Conuertens autem se videt primarium suum ministrum Meluinum, cumque sic affatur: Meluine, fidelis famule, quamuis tu ex protestantibus es, ego verò Catholica, & vnus tamen tantum sit Christus, ego tua Regina nata & vncta, ex sanguine Henrici septimi Angliæ Regis prognata, tibi mando, vt ficut coram Deo ra-

Scotiæ Reginæ admonitiones ad filium Scotiæ mittit.

Digitized by Google

Deo rationem reddere cupies, ita filio meo charissimo syncerè & verò significes, nuntiumque referas, me cum orare, vt Deo seruiat, Ecclesiam Catholicam protegat & conseruet, & regnum suum in pace ac tranquillitate gubernet: neque se (quod quidem ego feci) alteri subijciat: quæ quam desiderauerim hanc Insulam suo regno adijcere, & in concordiam reducere: id nunc quidem liberum ei relinquo, vtque ita seruet ac teneat, moneo: ne huius sæculi prudentiæ nimium fidat: quandoquidem id, neque stabile, neque commodum semper est, verùm in Deo spem suam collocet: ne male suspicandi ansam Reginæ Angliæ præbeat, imprimis caueat: id si fecerit, se salutem & benedictionem à Deo consequuturum. Et tu, Meluine testis eris, dicesque meo filio, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, & fidelem Catholicam, vt & semper fui professa. Addit præterea huiusmodi plura, ad quæ Meluinus respondit: Venerandæ suprema Princeps, sicut tuæ Maiestati fidelis hactenus fui seruus, ita hæc Maiestatis tuæ nouissima verba & nuncia filio tuo Regi fideliter referam. An. 1587.

Deinde conuersa ad Proceres, petit presbyterum & omnes domesticos sibi adesse, vt coram Regem Franciæ & amicis testentur eam Catholice mortem obijsse. Dicunt Proceres, Alter constitutum esse, ne præsentes nimio fletu animum eius labefactent ac perturbent: rihilominus tandem quinque famuli, & duæ famulæ, qui ei seruiant, admittuntur. Rogat præterea, vt famulis, tam viris quam fœminis tuto & libero commeatu abire, & ipsis dona ta tenere liceat: hęc & similia promissa ac concessa fuere. Postea ducitur in aulam, conscendit theatrum, residet in sede, duobus Comitibus simul assidentibus. Tum Secretarius sententiam, & exsequutionis auctoritatem ac mandatum clara voce legit.

Erat habitu decoro, ornata veste nigra serica valde pretiosa, fibulis, bullis, & margaritis consita: caput redimitum findone siue peplo tenui ad terram vsque dependente: fœmina facie admodum formosa, principum fœminarum sui temporis pulcherrima, qua quidem pulchritudine ac venustate ad sui amorem, quoscunque facilè pertraxerat: statura mediocris, corpore vigore firma. Scotiæ Reginæ in theatrū adducta habitus, vultus & forma.

uida ac firma, nonnihil pinguior & crassior solito, verùm valitudine non satis bona. Manu crucifixi effigiem ligneam vel osseam ferebat, & librum: de collo crux aurea, & agnus Dei, de cingulo sperulæ precatoriæ, quas rosarium vulgo vocant, pendebant.

Proximus adstabat Doctor Richardus Fletcherus Decanus Peterborgius: qui, cum eam, dominorum mandato, sacris verbis instrueret, eius sermonem audire nolens, impediuit loquentem, ne gloriam, quod Catholica Romana moreretur, amitteret, idque solum in omnibus suis excusationibus, scripris & actis præcipuè curabat: persuasa hoc nomine ac prætextu omnia crimina posse tegi: cumque diceret se à Decano perturbari; Comes Cantij eam alloquitur: Domina, doleo summopere te id recusare, & vana atque superstitiosa hæc, manibus tractare. Tum illa, decet inquit, me Christi figuram manibus tenere, vt eius recorder. Respondet Comes, præstare eum mente tenere: & quamuis oblatam Altissimi gratiam audire recuset, omnes tamen cupere Deum omnipotentem pro ipsa orare, vt dimissis peccatis, in regno cœlorum recipiat.

Ad hæc respondet: Orate, ego quoque orabo. Mox Decanus genibus flexis piam atque conuenientem orationem, clara & intelligibili voce recitat, orans pro ipsa, pro Angliæ Regina, & Angliæ regni salute ac prosperitate; eiusque verba circumstantes omnes sequuntur ac reddunt. Interea dum hæ preces funduntur, ipsa verbis Latinis voce altiore, crucifixi figuram manibus tenens, orat.

Oratione finita, Lictor flexis genibus veniam ab ipsa petit, quam & illi, & omnibus qui hactenus eius vitæ insidiati fuerant, toti quoque mundo concedit, sicut sibi sua peccata condonari cupiebat: tum orationem ex animo fundit, rursus in genua procidens, & delictorum omnium veniam rogat, dicitque se spectare per vnius Christi mortem & effusum sanguinem, æternam salutem consequuturam; & ante crucifixi figuram humiliter prostratam lubenti animo sanguinem profusuram. Orat præterea pro Angliæ Regina, vt longo tempore bene & pacifice regnum gubernet, & Deo seruiat: præterea pro felici statu ac prosperitate totius Insulæ: afflictæ Christi Ecclesiæ finem miseriarum precatur: rogat pro filio Rege, vt iustè gubernet, & ad Catholicam Romanam Ecclesiam conuertatur: postremo diuos & diuas omnes, vt pro se Deum orent, precatur: rogatque vt Deus pro immensa sua misericordia, mala atque aduersa omnia ab Insula Britannia auertat, peccata morituræ condonet, & vita defunctæ animam in cœlestes suas manus recipiat. Reginæ Scotiæ oratio.

Tum surgens, ad mortem se præparat: dum verò tunicam superiorem, iuuantibus pedisequis exuit, & vterque lictor iuuare etiam vult, dicit se nō consuetam coram tanta multitudine, aut ob eiusmodi honorarijs ministris (carnificibus videlicet) vestibus exui: postquam brachia manicis exuta fuere, reliquum tunicæ ad pectus vsque demissum manst: vestis interioris thoracem ligulis à tergo vinctum festinans exuit, & manicas ex holoserico induit, reliquo corpore fibucula tecto: tum expedita, honorarijs pedisequis osculo dato, valedicit: quæ dum alta voce

An. 1587. plorant & eiulant, lachrymas siſtant monet, manu benedicit, & è theatro diſcedere iubet: ad miniſtros quoque conuerſa, eos crucis ſigno munit, & ſe Catholicam mori, teſtes eſſe cupit: poſt hæc ſubitò in genua procidit animo prorſus intrepido ac conſtanti, neque vultu, neque colore mutato, neque vllo timoris mortis ſigno edito. Vna pediſequarum ei oculos velat corporali conſecrato, linteo videlicet tenui admodum & pretioſo, auro intertexto. Genibus flexis, clara voce orat Pſalmum ſeptuageſimum, *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum*, &c.

Maria Scotiæ Reginæ ſecuri percutitur.

quo finito, magna animi conſtantia corpus inclinat, & collum trunco imponit, clamans: *Inmanus tuas Domine commendo ſpiritum meum.* Interea verò dum alter carnificum eius manus inferius detinet, alter manu vtraque ſecuri bis ferit, & caput amputat: atque ſic Maria vitam finit, nata annos quidraginta quatuor, aut paulò amplius. Lictor mox caput eleuat, & populo oſtendit, clamans: Deus Reginam conſeruet. Reſpondet populus: Sic pereant omnes Dei & Reginæ hoſtes.

Caput verò dum lictor amputatum eleuat, ex ornatu ſiue mitella excidit, viſumque eſt valde canum, & capilli non ita pridem cute tenus abraſi. Nihil veſtium aut ornatus lictoribus relictum, ſed pretium pro ijs numeratum: omnia ſanguine adſperſa, tam in lictore quam alijs, adempta & ſtatim abluta fuere, ipſius etiam theatri aſſeres: niger pannus, & reliqua ſanguine maculata, ſtatim in ignem coniecta & exuſta, ne quid ſuperſtitionis inde oriretur. Corpus balſamo conditum in loculo ſiue capulo repoſitum eſt.

Interea dum clauſis caſtri portis, ſententiæ exequutio peracta fuit D. Talbotus, Comitis Salopiæ filius, nuncius in curiam ſumma feſtinatione miſſus eſt. Poſt ridiè, morte Reginæ Londini nunciata, ciues paſsim in plateis feſtos ignes conſtruunt, & campanas ſummo gaudio pulſant. Atque hinc quidem Regina Angliæ, Scotiæ Reginam, ſe inſcia, morte multatam percipit: quamobrem ſummopere commouetur, & commota manet: idque illi qui mortis auctores præcipui fuerant, comprimis ſenſere. Longo poſt tempore veſtem nigram lugubrem induit, ſæpius conqueſta ſanguinem tam generoſam haudquaquam ſe inſcia & inconſulta fundi debuiſſe: maiorem ad id requiri reuerentiam, obſeruantiam, & ceremoniarum cultum. Cùm verò ſepulturæ mentionem nemo facere auderet, poſt longas tandem moras, menſe Auguſto, ſex poſt mortem menſibus, ſepulta fuit: atque interea temporis nemo ex defunctæ familia ibi detenta diſcedere potuit. Sepulta eſt Peterborgi iuxta Catharinam Hiſpaniæ Reginam: exſequiæ

Angliæ Reginæ valde commota ob Scotiæ Reginæ mortem.

maximâ pompa & multis ceremonijs celebratæ ſiſco Reginæ Angliæ, pluſquam centenis florenorum millibus conſtiterunt. Conabantur quidam poſtea cadauer ipſius, aut ſaltem partem eiuſdem ex ſepulchro tollere, iamque ciſtam plumbeam perfregerant, verùm ac ligneam penetrantes interpellantur, pannum holoſoricum ſepulchro impoſitum turentes, ex quibus tres comprehenduntur, & ſuſpendio necantur.

Memoratu atque notatu imprimis dignum, infelicem hanc Reginam ſecuri fuiſſe percuſſam 8. Februarij, 1587. cum ante annos viginti 10. Februarij, 1567. maritum Regem Henricum interfici curaſſet. Hinc diſcant Principes & magnates meminiſſe ſententiæ Virgilianæ.

Æneidos 3. virgil. 7. *Diſcite iuſtitiam moniti, & non timere Deos.*

BREVIS DESCRIPTIO
POLITIAE ANGLICANAE.

D. ſcriptio Politiæ Anglicanæ.

CVm iam ſæpius à nobis Angliæ ſit facta mentio, quæ vtpotè Belgiæ vicina, arctiori cum illis nuper fœdere eſt coniuncta, operæ pretium facturus mihi ſum viſus, ſi de Anglicis legibus, conſuetudinibus & politijs (quæ cum Belgicis minimè conueniunt, qua gratia inter ipſos ſubinde diſcordiæ & lites oriuntur) pauca hic inſeruero: eò magis, quod vix de ijs apud Auctores exteros quicquam ſcriptum reperiatur.

Hæc Inſula totius Europæ maxima, eleganter & docte eſt Latinè deſcripta à Guilielmo Camdeno, quapropter nos de Legibus & Inſtitutis eius ſic agemus. Complectitur in ſe Angliam & Scotiam; De Scotia, quia ibi iure vtuntur Cæſareo, à nobis non alieno pauciſſima dicemus.

Anglia ſubiecta Romanis. Pictis & Scotis, Saxonibus, Danis, & poſtremo Normannis.

Hæc Inſula, haud dubie à peregrinis incolis primum eſt habitata, videlicet, Gallis & Belgis: Primùm à Iulio Cæſare, ſexaginta annis ante natum CHRISTVM occupata, & deinde porrò ab alijs Romanorum Imperio ſubiecta, declinantibus Romanorum rebus à Septentrione per Pictos & Scotos; dein à Meridie per Anglo Saxones ex Oſtlandia, Hollandia & Zelandia venientes ſubiugata, à quibus, Inſula Anglia vocata eſt, quod præcipui eorum ex Angloen Cherſoneſi, Cymbricæ regione eſſent oriundi.

Poſt illos Dani claſſe potentes, Inſulam hanc ſuo imperio ſubdiderunt, pauciſque annis ea ſunt potiti, cum ſuperuenit, Guilielmus cognomento Conqueſtor, Ducis Normanniæ filius nothus,

Digitized by Google

nothus, qui anno CHRISTI 1066. Angliam (quæ aliquot annis à Dannorum imperio ad Reges nomine Anglici redierat) in potestatem suam redegit. An. 1887.

Is fuit Edvvardi Confessoris è Saxonibus Angliæ Regis consanguineus, ab eoque adoptatus hæresque in regni successione institutus, quo prætextu Haraldum incolarum consensu regnum iam possidentem expulit.

Duxerat Guilielmus iste Baldvvini Flandriæ Comitis filiam, per quam affinitatem, magna pactus est auxilia nauium & militum; instructus itaque classe nauium, quarum maior pars exiguæ soluit ex Sabi ad sanum Valerij, traiectoque directè mari appulit prope Pensey in Sussexia, vbi se statim muniuit, & postridie Hastingæ: tandemque magno prœlio, in loco qui nunc dicitur Battell Abbey, ideſt, monasterium de Bello, quod ibi prœlium fuit consertum, Regem Haraldum cum fratre, ingenti Anglorum multitudine cecidit.

Atque ita armis Regem se constituit, legesque deuictis pro arbitrio posuit, collectas ex antiquis Normannorum, Brittannorum, Saxonum & Danorum legibus & consuetudinibus, vt videlicet ipsis essent acceptiores, quia quodammodo illis erant assueti. *V Vilhelmus Conquestor, Normannus dat leges Angliæ.*

Hæ leges à Iure scripto Imperatorio, quo vicinæ Nationes omnes vtuntur, longe differūt. Constant enim placitis, iudicijs, & constitutionibus, quæ tandem in consuetudines abierunt, & leges dictæ sunt, non tamen scriptæ: has leges Normannicæ suæ linguæ allegari, & inter litigandum recitari voluit, donec Edvvardus III. Angliæ Rex constituit, vt Anglica lingua causæ agerentur, & latina lingua in publica acta referentur. *Anno Regni Eccles. c. 15.*

Incolis terras omnes hæreditarias, possessiones que ademit, quas inter Nobiles & milites suos distribuit, vt eas ipsius beneficio in feudum possiderent, quod hodie eorundem faciunt hæredes, vocantque hoc *Tenura*, quod feudum duplex est, Tenura vt vocant in *Capite* per seruitium militare, & Tenura in *Socagio*, quo astringuntur ad Colendam terram, quod seruitium *Soccagij* olim paruo fuit redemptum, atque hac ratione omnes qui terras possident, eas in feudum habent, id est, ob eas ad seruitium aliquot Regi præstandum deuinciuntur: Exceptis incolis Cantij, qui quidem à V Vilhelmo tandem fuerunt subiugati, sed seruata antiquorum priuilegiorum suorum incolumitate, quibus adhuc ex parte gaudent, & ad militaria seruitia eo nomine non astringuntur, vbi inter filios æqualis est distributio hæreditaris, quàm Gauelkynde, vulgo vocant; quæ vox Germanica vel Saxonica sonat donatio omnibus filijs. Sed extra Cantium, & quædam alia loca, vbi qui minimus est natu filius, è simili consuetudine totius patrimonij hæres est, & per reliquum regnum filius primogenitus solus paternarum possessionum est hæres: idque quo Regi seruitium suum maneat integrum. Secundogenitus & reliqui deinceps filij de primogenito quodammodo dependent, aut inseruiunt, qui ijs commodissima qua potest ratione prospicit, vti & filiabus si quæ fuerint. *Primogenitus in Anglia solus hæres inter fratres.*

Filijs non natis, filiæ inter se paternam hæreditatem æqualiter partiuntur. Si pater moriens impuberes relinquat liberos, qui immediatè in Capite seruitium fundi Regi ipsi debent, illorum liberi statim transferuntur ad quendam pupillorum siue V Vardorum Regiorum magistrum, (sic enim vocant, qui eo nomine amplissimam Curiam publice tenet) qua & Regi de V Vardis, & V Vardis de agrorum fecuritate cauetur: Legis verò quæ hanc prærogatiuam Regiam agnoscit, verba sunt hæc. *Rex Angliæ habebit custodiam omnium terrarum eorum, qui de ipso tenent in Capite per seruitium militare, de quibus ipsi tenentes fuerint seisiti in Dominico suo, vt de feudo, die quo obierunt, de quo timuerint per huiusmodi seruitium: dum tamen timuerint ipsi aliquod tenimentum ab antiquo de Corona, vsque ad legitimam ætatem hæredis.* *Durante Pupillorum minoritate Rex vel dominus feudorum ea feuda possidet, eorumq; fructus percipiunt.*

Si verò illud fundi seruitium, inferiori alicui Regulo, vel Domino debebatur, Dominus à quo terræ eius agnoscuntur, tanquam curam habens seruitij quod Regi debetur, statim puerum seu hæredem, omnemque eius hæreditatem sit ab illo tentam, in potestatem suam redigit, fructusq; eius omnes percipit, cæterùm ad nihil obligatus, quam vt pupillum (quem illi V Vardum vocant) alat, necessariaque ei suppeditet, alijs nullis eo nomine reddendis rationibus obnoxius. Lex tamen in hæc verba sancitur: *Custos, quam diu custodiam terræ huiusmodi habuerit, sustentet domos, parcos, vinaria, stagna, molendina, &c. ad terram illam pertinentia, de exitibus terræ eiusdem, & reddat hæredi eum ad plenam ætatem peruenerit, terram suam totaliter instauratam, de caracis & omnibus alijs rebus ad minus, sicut illam recepit: & si ille inde destructionem vel vastum fecerit, amittat illam custodiam.*

Præterea eam habet in pupillum, pupillamue potestatem, vt pro arbitrio cum qua virli persona (*modo non sit nimia disparitas, quam dispargamentum vocant*) nuptias contrahere faciat; quod intellige ante annum ætatis 21. si fuerit masculus (tum enim à tutela liberatur) si fœmina ætatis 14. vel 16. & si fortè pupillus pupillaue (vulgo vvarde) nuptias oblatas recusēt, eas rēdimit hoc modo, vt ipsis legis verbis vtar: Si quis hæres pro Domino suo se noluerit maritare, non com-

Digitized by Google

An. 1587. pellatur hoc facere, ſed cum ad ætatem peruenerit, det domino ſuo & ſatisfaciat ei de tanto, quantum inde percipere poſſet, ab aliquo pro maritagio ſuo antequam terram ſuam recipiat.

Hæc lex à Vilhelmo Conqueſtore primum inuecta eſt, poſtea verò eius Succeſſoribus à populo indulta, ob prætextum videlicet, quod dictæ terræ datæ ſint, & poſſeſſæ ſub conditione ſeruitij militaris Domino ſeu Regi præſtandi: quia verò impuberes ſeruitium Domino debitum explere non poſſunt, æquum illis videtur vt Dominus, qui idem ſeruitium ipſe præſtat, aut præſtari ab alio curat, terrarum interea vſufructum habeat.

Hac conditione terræ ſerè omnes venduntur, aut ad certum temporis ſpatium vtendæ dantur, qui contractus appellatur Leaſſe, à Gallico ſeu Normanico verbo Laiſſer, id eſt, permittere. Hæ verò terræ quę ſic ſeruiunt, Regi non poſſunt per venditionem in alium transferri, niſi impetrata licentia Regis.

Pupilli venditur & permutantur.

Feudorum enim Domini iſtiuſmodi, ſiue is fuerit Princeps ſeu alij, qui in eius generis terras dominium habent, plerumque ex iſs maximum faciunt lucrum, dum pupillos, pupillasue feudatarias permutant, aut vendunt illis, qui filiabus, neptibus, aut filijs, eos eastue matrimonio collocare expetunt: Multis tamen indignum & iniquum videtur, vt homo liber & nobilis venderetur, & reuenderetur, aut dono alicui daretur, vt equi ſolent & boues: ob hanc cauſam, pupilli ſæpè malè educantur, quia non committuntur matribus, aut proximis agnatis & conſanguineis, niſi illi id à Domino (qui alias nullo affectu erga pupillos mouetur) pretio impetrent. Non deſunt tamen ipſis ſuæ rationes, quibus omnia hæc excuſent & defendant.

Mulieres nihil habēt proprium, planeque maritu ſubſunt.

Mulieres ibi plane ſunt in maritorum poteſtate, excepta ea, quæ eſt vitæ & necis. Vir ducens vxorem, fit dominus omnium bonorum eius mobilium, vt ſunt pecunia, annuli, & reliqua mundi muliebris vaſa aurea & argentea, omniſque ſuppellex, &c. Terræ autem hæreditariæ ad proximos eius hæredes perueniunt: *Si ſine hærede de corpore ſuo exeunte* (quæ iuris Anglici verba ſunt) *mulier deceſſerit.* In gratiam verò maritorum huiuſmodi verbis, lex antiqua concipitur, quam *Courteſiam Anglicanam* vocant. *Si vir terras in matrimonio cum vxore acceperit, & ex illa hæredem filium, ſiue filiam ſuſceperit, infansq́, ille, vel ſemel vagire auditur, ſi vir vxore ſuperſtes ſit, ſiue hæres viuat aut moriatur, terræ illæ mariti quoad vixerit, remanebunt.*

Quicquid mulieres lucrantur, aut acquirunt, ſtante matrimonio, id maritis acquirunt; nec poſſunt vendere, vel alienare teſtamento, vel alio modo, ſua, aut mariti bona.

Morientibus maritis mulieres acquirunt tertiam partem redditauum, terrarum defuncti, eorumque vſufructu gaudent, dum viuunt. In pecuniam verò, vel ſuppellectilem maritorum, nihil habent iuris, niſi quatenus defuncti teſtamento id fuerit conſtitutum. Nihili plus iuris habent ſiliæ familias, quia omnia ſunt in diſpoſitione & adminiſtratione Executorum in teſtamento denominatorum.

Si maritus diſcedit inteſtatus, omnia eius bona committuntur diſtribuenda iudicio Epiſcopi aut eius vicarij, qui lege ſcripta iubentur adminiſtrationem committere viduæ defunctæ, ſi quam habeat, vel proximis agnatis: qua de cauſa, Londini & alibi, antiquam habent conſuetudinem, videlicet, vt defuncti bona omnia, in tres diuidantur partes; quorum prima deſtinatur ſumptibus funerum, legatis & donationibus à defuncto factis, ſecunda pars cedit mulieri pro ſua portione; Tertia verò liberis inter ſe æqualiter diſtribuenda conceditur, modo, non fuerint terræ hæreditariæ, quæ omnes (vt ante dixi) ad primogenitum pertinent, atque hinc fit, vt puellæ diuites, & viduæ valde ambiantur, & ad nuptias expetuntur, nam ſi vlduæ rurſum nubant, liberi earum nihil ab ea amplius hæreditatis conſequuntur, quia vt dictum eſt omnia earum bona fiunt mariti propria.

Mulieres in Anglia patrij nomen amittunt.

Ob eam cauſam mulieres matrimonio iunctæ, patris & familiæ ſuę nomen amittunt, & mariti adſumunt, niſi forte Duciſſæ, Comitiſſæ, aut Baroniſſæ, quæ inferioris Ordinis maritis ſe iunxerint. Eæ enim prius nomen titulumque honoratiorem apud vulgus retinent, quanquam in Iure ſtricto, non item.

Antiquitus mos hic fuit apud Anglos, vt puellæ aut ſponſæ ſponſis traderentur à patre, vel proximo earum parente ad valuas templi, pro qua ſponſus aurum & argentum in libro paſtoris ponebat, tanquam pretium quo Sponſam emebat.

Quæ ſunt matrimonia legitima in Anglia.

Matrimonia legitima & iuſta in Anglia habentur, ſi ambo contrahentes coram presbytero & teſtibus in templo coniungātur: quod tam accuratè tenent, vt ſi filij procreati ante matrimonium, & poſtmodum nati in matrimonio ſunt legitimi, ita quoque ſi vidua prægnans quæ modo conceperit ex priori marito, nuptias ita, vt iam dixi contraxerit, infans natus in ſecundo illo matrimonio, hæres ſit illius matrimonij & mariti, ſin autem grauida fuerit tempore matrimonij, filius ſic natus habebitur filius prioris mariti.

Nemo

Digitized by Google

Nemo in Anglia filios nothos aut illegitimos facere poteſt legitimos, referuataque eſt ea auctoritas ſoli Parlamento, hoc eſt, Comitijs regni, quæ conſtat ex Principe, & tribus regni Ordinibus. An. 1587.

Nullus poteſt legitimare, quam Parlamentum.

Etſi mulieres vbi omninò ſint in poteſtate viri, tamen ex conſuetudine, ipſis cum Belgis aliſque communi liberam rerum domeſticarum habent adminiſtrationem; nec ita concludun tur, vt in Hiſpania, Italia, & alibi ſolent. Imò ſi viris fuerint obſequentes, beneque de ipſis meritæ ſolent ferè ab ijs teſtamenti executrices conſtitui, cautioremq; bonorum partem cum adminiſtratione portionis liberorum conſequi.

Si mulier terras hæreditarias maritò affert, illæ fiunt filij primogeniti vel filiæ, nec poteſt maritus eius dictas hæreditates diuendere, aut alienare per ſe; quia proximis hæredibus debentur. Solent mulieres dotatæ in contractu matrimoniali à Maritis ſtipulari, vt ſi illi prius moriantur, certam donationem propter nuptias ipſis concedant.

Liberi matris hæreditatem conſequuntur.

Liberi non ſunt in poteſtate Parentum, ſed ſtatim atque ad paupertatem, vſumque rationis venerunt, poſſunt ſua bona vendere, donare, vel per ea acquirere.

In Scotia vſurpant Ius ciuile, in Anglia non item, niſi in Curia Admiralitatis, vbi quæſtiones agitantur de rebus in mari, & extra Angliam geſtis. Ius Canonicum verò adhuc obſeruatur in teſtamentis, Legatis, Matrimonijs, & quibuſdam alijs cauſis Eccleſiaſticis, quæ à Pontifice Romano non dependunt.

Ius ciuile in Scotia: apud Anglos in Curia Admiralitatis.

Quæcunque autem obuenerit inter eos de iure diſceptio, tribus olim rationibus terminabantur, Parlamento, Monomachia, Ordinaria litigandi è iure via: Parlamentum propter ociſij inopiam, quia maioribus Regni negotijs vacat, priuatos reatus ſolet excludere. Singulare illud inter litigantes Monomachiæ certamen, abijt in diſſuetudinem: Eius vtrò pugnæ ratio hæc erat, cùm vel pertinacia litigantium, vel iuris ancipiti propter obſcuritatem in nimis propiuinqua ſpecie æquitatis, cuentu terminari, alio modo lis nequiret, ipſi litigatores, vel ſi certamini pares non eſſent, eorum vicarij gladiatores, fiſtæ, bacilloque tantum vſi, vt Myrmillo & Retiarius apud Romanos, tam diù ſe inuicem cederent, quo ad fortiori de cauſa concederetur, ipſimet deuicti confeſſione, qua confeſſione cadebat, cauſa patronos cauſæ. Hanc verò tam barbaram conſuetudinem Chriſtiana pietas ſic pene ſilentio exterminauit, vt nulla iam alia expediendæ litis ratio ſuperſit, quàm quæ è iuris, litigandique ordinaria forma procedit.

Ad omnes cauſas, tam ciuiles quam criminales propria habent tribunalia, Iudices, officiarios, Regiſtrarios, Aduocatos, & Procuratores maximo numero, qui cognoſcunt; & indicant ſecundum leges, vel ſtatuta in Parlamentis ſuis facta, de rebus fiſco obnoxijs, & alijs cuiuſcunque generis.

Pro Scabinis, qui de facto iudicent, vtantur duodecim viris, qui ritè à populo ad id munus appellantur: hi poſt præſtitum Iuriſiurandum de veritate dicenda prolata particula affirmatiua, vel negatiua, de præcipua cauſa parte, hoc eſt, de facto, ſententiam dicunt coram Tribunali & Iudice, vbi resper Aduocatos vtrinque (Iudice omnia dirigente) teſtesque audiuntur.

Duodecim viri iſti conſentire inter ſe ſuper facto debent, antequam cœtus eorum diſſolui poſſit, qui ſine cibo, potu, & igne concluſi detinentur, donec aliquid certi inter ſe ſtatuerint, niſi forte ex illis quidam moriatur, quo caſu duodecim virorum ille cœtus (vulgo Iurie, quia omnes, vt dixi, ſunt iurati) ſoluitur. Vbi Iurati iſti affirmatiuè vel negatiuè vno ore pronunciarint, quid ſibi de facto videatur; tum Iudex ſententiam de iure profert. A qua raro fit appellatio, aut Reuiſio, niſi in Cancellaria quæ Curia, vulgo conſcientiæ ſiue æquitatis appellatur: Atque ita breui lis finitur, ſed non ita plene, quin inde rurſum ſæpè maiores lites oriantur alio nomine.

Duodecim viri loco Scabinorum.

De crimine accuſari coram Iudice, nemo poteſt antequam duodecim viri de facto Inquiſitionem habuerint, factumq; & factoré eiuſmodi iudicauerint, vt coram Iudice ſiſti poſſit: vbi iam reus in ius adductus criminis accuſatur, nouirurſum duodecim viri eliguntur, pro qualitate facti & perſonæ. Si fuerit extraneus, ſex erunt Angli, & ſex Extranei (Idem fit in cauſis ciuilibus, cùm altera partiù ſit extraneus) Reo itaque à prioribus duodecim viris ſemel criminis damnato, aduocato vti non licet, ſed cauſam ſuam ipſe tueri coram Iudice, & duodecim viris debet; vbi & teſtes iure coguntur deponere ea, quæ de re propoſita nouerunt, eaq; iureiurando ſuo confirmare. Eſtimatio teſtium ſtat iudicio duodecim virorum, qui pro vt ſibi dictat conſcientia de facto iudicare debent affirmatiuè vel negatiuè ſecundum quod ipſorum dictum, Iudex ſententiam pronunciat de iure.

Forma Iuris in ea ſis crimina obuenit.

Suſpendio ſtrangulant hominem ob furatos 12. denarios Anglicos; verùm vti hac in parte leges habent rigidiores, ita Iudicibus etiam poteſtas datur legem mitigandi, & vitam reis condonandi pro mortis ſupplicio manus adultione eos punientes; idque ſi in libro Pſalmorum, vel

An. 1587. Clericus pauca verba legere posit, in causis quibus hoc lege permittitur, verùm non eis liber cóceditur, qui fores aut seras effregerint, aut vlli vitæ discrimen pepererint. Simili moderatione etiam vtuntur in crimine homicidij.

Nullo rigore vtuntur in examinationibus, nullas quæstiones, aut tormenta adhibentes ad eruendam veritatem, dicentes: nemo tenetur prodere seipsum, & hoc nimis esse seruile, quare per testes omnia probare ibi debent, excepto casu proditionis aut criminis læsæ Maiest.

Ob cædem intentatam, venenú propinatum, noctu structas insidias, Sclopetum in aliquem exoneratum, vel telum immissum nemo morte punitur, si pars altera non moriatur, etiamsi tamen fuerit læsa. Hoc enim legis Anglicanæ axioma est; *Voluntas non reputabitur pro facto, nisi in causa proditionis*; sed exitus in maleficijs spectatur, & non voluntas duntaxat.

Mortis supplicia. Omnia ferè crimina suspendio puniuntur, corporaque mox sepeliuntur, ni fuerint insignium latronum & sicariorum, quæ de catenis ferreis suspendunt.

Perduelles. Perduellionis Rei post suspendium adhuc palpitantes mox in quatuor secantur partes, Capita in ponte, membra in portis perticæ affixa collocantur.

Magnates. Magnatibus & è nobilitate præcipuis ex Regia gratia caput trunco impositú securi abscinditur.

Hæreticos. Hæreticos viuos comburunt, Item, vxores quæ maritos, famuli qui heros, Clerici qui Episcopos aut ordinarios interficiunt, aut quouis modo necant; quod vulgo vocant (petit treason) id sonat paruam proditionem.

Rarum supplicij genus, quo pertinaces sui hæredibus terras suas saluas à fisco reseruant. Damnatorum bona omnia fisco adiudicantur, sed si quis pertinaciter Iudicium omne recusauerit, nec Regni iure subijcere se voluerit, & obmutescens coram tribunali steterit, in eius bona fiscus nihil habet iuris, sed hæredes eius ad possessionem omnium terrarum eius & bonorum immobilium admittuntur, mobilia autem & suppellectilem fiscus sibi vendicat: puniuntur interea nihilominus pertinaces illi raro supplicij genere: comprimuntur enim inter duos asseres, quibus ingentia pondera super imponuntur, donec crepent & ita moriantur.

Gubernatio ciuitatum Anglicæ. Ciuitates per Angliam gubernantur à ditioribus Ciuibus, quos quia multa possident, verisimile est operam daturos, vt ciuitas in pace conseruetur: hi à populo per manuú extensionem è corpore ciuium, ad hoc munus eliguntur, vocantur Aldermanni, id est, Seniores: horum numerus apud Londinenses est XXVI. præter quos Prætor vulgo Mayor, eligitur ex prædictis & duo Proprætores, vulgata latina voce, vice Comites dicti, Anglicè Sheriffs. Mayor iste seu Prætor summum habet in ciuitate Londinensi imperium, & est Regis locum tenens, cui semper præfertur gladius.

Hi Magistratus sunt annui, nullum accipientes stipendium, præter exigua quædam commoda, quæ hinc inde acquirunt. Interea, maximorum sunt sumptuum & impensarum, tenentur enim patentes semper omnibus habere ædes, omnesque melioris notæ Ciues, & Nobiles, qui eos accedere voluerint, splendida mensa excipere, certumque numerum lictorum, viatorum, seu apparitorum (Seriantos vocant) alere, quibus vtuntur in citandis, arrestandis, aut captiuis ducendis delinquentibus. Prædicti Magistratus ciuiliter admodum per vrbem incedunt togati veste cocacea & purpurea comitati dictis suis apparitoribus etiam togatis, planeque inermibus.

Exactiones Ciuium. Ciuitates sua habent Ambatha, Sodalitia & Collegia, his præsunt Decani seu Tribuni, ex quibus simul constat corpus seu generale Consilium ciuitatis.

Senatus Aldermannorum suos habet Pensionarios, Iuris Anglici peritos, horum primus vocatur Recordator, qui ciuitatis Orator passim est: præter quos sunt peculiares ciuitatis Camerarij, Scribæ, & alij eiusdem generis.

Ciuitates nullum habent ærarium publicum: quare, si qui sumptus maiores & extraordinarij publicè sint faciendi, vti fit in exstructionibus, aut etiam in minoribus, vt in extraordinarijs vigilijs, purgandis plateis, alendis pauperibus & similibus, tum à singulis domibus certa quædam summa exigitur, pro ratione impensarum faciendarum. Alias liberi sunt ab omnibus impositionibus, nisi fortè Principi subsidia in Parlamento cum cæteris, ex propria liberalitate concesserint.

Qui extra ciuitates veniunt, simili satis modo reguntur, per Præfectos quos illi *Iusticiarios pacis* appellant.

Descriptio Parlamenti. Suprema Angliæ potestas & auctoritas est apud Regem siue Principem: proximum ab eo locum obtinet Parlamentum, quod ipsum constat primum ex Rege tanquam capite, dein ex maiore Nobilitate (qua continentur, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones regni) Tertio ex Episcopis & quibusdam Abbatibus priuilegiatis, qui simul congregati, conficiunt honoratiorem Parlamenti partem, quam vocant maiorem domum.

Post hos eliguntur in singulis Regni Prouincijs ab illis, qui optimo iure terras tenent, & Freeholders appellantur, duo præstantes & insigniores viri, tum in singulis oppidis municipijs & villis

Digitized by Google

& villis Priuilegiati præcipui duo ciues denominantur, qui repræsentaturi in regni comitijs lo- An. 1587.
ca vnde veniunt, ab ijsdem accipiunt potestatem audiendi, loquendi, assentiendi, iudiciumque & suffragium suum liberè proferendi nomine Regionis, ciuitatis, aut Villæ, à quibus sunt delegati: nec requiritur vt amplius post acceptam potestatem consensum suorum aliqua in re petant; quia deputantes tenentur rata habere omnia, quæ Deputati fecerint vel dixerint.

Hi ita congregati circiter numerum ccc c. aut amplius nominantur Inferior domus Parlamenti, quibus solent interesse Consiliarij Regij non Barones vel è familia.

Priusquam isti ad publicum consessum admittuntur, Iusiurandum ab eis exigitur, quod Principem (qui nunc est Regina) agnoscant prosupremo Gubernatore Ecclesiæ Anglicanæ in terris, Papamque abnegent, quia is olim maiorem Regibus iurisdictionem in Anglia sibi vendicabat.

Quo facto, liberè quælibet publicè eloqui in Parlamento possunt, nullam eo nomine pœ- *Forma precedendi in Parlamento.*
nam à Rege metuentes: sed si libertate illa abutantur, ab alijs qui in Parlamento sunt, repræhenduntur.

Congregatio ista inferioris domus virum graué & eruditum eligit, quem Proloquutorem appellant: ad hunc omnes in scripto deferunt, si quid habent, quod ad bonum publicum facere existimarent.

Idem munus in superiori domo obit Cancellarius, vbi notandum, quod hi ipsimet suffragium habere non possunt.

Scripta ita oblata à dictis officiarijs toti Cœtui præleguntur, in quorum approbationem vel improbationem, si quis verba facere voluerit, aperto capite surget; quod si forte plures surrexerint, initio facto à primo, omnes ordine audiûtur, sine errationis interruptione aut altercatione; quia singuli Proloquutorem alloquuntur, non se mutuo, ne nominantes quidam aduersam partem, solum quod sibi de re videatur simpliciter eloquentes, vbi semel finem dicendi fecerint, amplius eò de ipsis eadem de re loqui non licet, ne quidem si sententiam mutassent, sed proximè.

Nulla exprobratoria aut contentiosa verba ibi allegari aut præferri possunt, alias statim ab omnibus vno ore explodûntur.

Item si quis offendiculum præbuerit verbis seditiosis aut minus decentibus in Principem, eius Consilium, aut alies inuectus, non modo auctoritate totius consensus compescitur, sed & in carcerem ad pœnam se dignam luendam conijcitur.

Vbi propositio aliqua per tres continuos dies sine notabili oppositione prælecta est, quærit Proloquutor (qui est vt dixi Cancellarius in superiori domo) an hoc statutum erit & ratum; si- que potior pars approbauerit, Scriba sic subscribit; *Soyt baille aux Commons*, id est, detur seu ostendatur Communibus, vt huntur enim adhuc in similibus antiqua Normannorum formula. Tum scriptum illud decenter ad inferiorem domum à Proloquutore defertur, consessuique proponitur. Eadem omnia obseruat Domus inferior erga Superiorem.

In Superiore Domo, singuli Barones & Episcopi suam habent suffragium, absentesq; alium substituunt; in quem omnem suam potestatem transferunt: In inferiori domo non ita, quia non habetur ibi absentium ratio. Si superior Domus ab inferiori aliqua in re dissentiat, deputantur vtrinque Commissarij, qui post deliberationem & opinionum inter se collationem habitam rem componunt, post quæ solum hoc restat, vt à Rege idem confirmetur.

Princeps siue is fuerit Rex, seu Regina, primo publici illi conuentus die maxima cæremonia, summoque tum splendore & maiestate trabea coccinea indutus, cum omni maiore Nobilitate, & Episcopis omnibus etiam trabea coccinea (quam Parlamentariam vcant) indutis, maxima pompa superiorem domum adit; quæ tota præciosissimis aulæijs & tapetis ornata, in honoratiori & editiori loco habet Regiam sedem seu thronum, cui altè super intensus est auratus pannus quadratus Principis capiti imminens.

Ante pedes Principis sedet Cancellarius (qui pro Principe loquitur) & Thesaurarius; ad dex- *Forma Consessus in Parlamento.*
teram consident Archiepiscopi & Episcopi; ad Sinistram, Duces Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones.

In medio Saccis Laneis rubro panno tectas insident diuersorum tribunalium Iudices, sacrorum archiuorum (vulgò Rotulorum) Magistri, Secretarij status qui suffragium quidem nó habent, sed ea demum gratia adsunt, vt de iure si quæstio oriatur, respondeant, & instrumenta & scripta publica, si opus sit, ex archiuis promant. Saccis illis Laneis Parlamentum monetur, vt commodum lanarum & ouium non negligant.

Sed Superiorem Domum ita congregatos, interiorique septo concluſam accedit Inferior Domus: Cui Princeps aut Princeps aut pro Principe Cancellarius breui oratione occasionem dicit Parlamenti instituti.

Eodem modo quo duæ istæ domus seu Cameræ conuentum suum auspicantur, ita etiam *Recessus.*

Digitized by Google

An. 1482. finiunt: vbi tum omnibus congregatus, vt ante dictum est, Cancellarius pro Superiore Domo, & Proloquutor pro Inferiori Regiæ Maiestati agunt gratias pro cura & sollicitudine, quã pro Republ. suscipit; orantque vt sancire sua auctoritate velit, ea quæ à se ibi sunt comprobata. Ad quæ Princeps respondet, se omnia inspecturum, & recogniturum.

Nullum enim statutum concernens vitam, membra, aut bona, legitimum habetur, aut pleni roboris, antequam ab vtraque Domo seu Camera fuerit approbatum, & Regiæ auctoritatis assensu confirmatum, æstimaturque illud tam totius Regni consensu constitutum. Post illa ibi leguntur, omnia, quæ in prædicto Parlamento sunt constituta; ipsique quibus Princeps assensum præbuit subscribitur. *Le Roy veult*, vel si Regina sit, *La Royne le veult*, id est, Rex vel Regina id vult. Si quid Principi non probetur, illi subscribitur, *La Key* (vel) *La Royne auduiser a*, id est, Rex vel Regina super eo deliberabit. Suntque ifliusmodi statuta nullius valoris, statimq; abolentur. Alia verò tabulis & Registris, & dein typis mandantur, legisque vigorem & plenissimum robur habent.

Reges Angliæ absoluta fruuntur potestate.

Reges & Reginæ Angliæ post abiectum semel Pontificium iugum, plenam Monarchiam exercent, in suo Regno, habentque absolutam auctoritatem & potestatem tam in bello, quam in pace, vt pacem renuant, aut bellum cuicunque volunt, vicino statui vel Principi indicunt, vel vt rursum eosdem, si libitum fuerit, in amicitiam, aut confœderationem assumant, idque solum re communicata cum priuato suo Consilio: quod Consilium sibimet ipse ex Nobilitate maiori vel minori, vel ex Ecclesiasticis pro arbitrio eligit: eoque numero quo voluerit. His communicat, quæ & quantum vult de suis negotijs, vt sunt literæ, nuntia, nouaq; sibi ab exteris Principibus allata, rursum, quæ vel ipse directæ, vel per Secretarios Status, hinc inde intelligit, ipsis reuelat, vel celat. Hi Consiliarij iusiurandum fidelitatis & silentij ipsi præstant.

Belli tempore in Campo martio seu exercitu Princeps absolutum summumque habet imperium; adeo vt voluntas eius verbo expressa sit instar legis, in omnes vitæ & necis habens potestatem, puniens quos vult, & ob quæ vult, sine vlla forma Iuris, nec adhibitis (vt dixi) XII. viris, quemadmodum extra bellum solet: absoluta illa potestas vocatur, Lex Martialis, siue Ius belli.

Habent etiam Reges Angliæ absolutam potestatem in cudenda moneta, eiusque valore augendo vel minuendo promulgato solum ea de re edicto.

Moneta Anglica gerit effigiē, insigne, & titulum Principis. modus, pondus, & prætium monetæ, in Principis sunt arbitrio, quod subditi dicunt, ci satis possunt concredere quia in illa moneta Principij suos reddtus patrimoniales, telonia & vectigalia soluunt.

Pondera mertium tam siccarium quam liquidarum à Parlamento statuuntur. Potest etiam Princeps dispensare de multis per statuta impositis, si viri ad ipsum solum pertinent; In multis verò, quarum media pars Delatori debetur, pro sua parte dispensare tantum potest. Idem potest in Criminalibus si res eum tantum attingit.

Reges distribuant omnia officia Ecclesiastica & Secularia.

Princeps omnia Suprema Regni numera & dignitates, siue ea fuerint Ecclesiasticæ seu Seculares, inter suos distribuit.

Habet ius Annatarum in omnibus beneficijs & Ecclesiasticis promotionibus, exceptis beneficijs bonisque vniuersitatum & collegiorum Priuilegiatorum.

Edicta & mandata omnia Principis nomine promulgantur, dicunt Angli vitam suam & bona ad Principem pertinere, quo significare volunt, neminē apud se habere inorum aut mixtum imperium, quam Regem, à quo non est appellatio, propterea in omnibus causis, quæ vitæ vel membri amissionem concernunt, hac vti solent formula, vt causas Coronæ appellent, quas solus Rex tractat, nec præter ipsum potest quispiam de causis ifliusmodi dispensare. Et quanquam olim aliqui comitatus mcerum imperium exercuerint, id amplius in vsu ibi non est, temporisque progressu abolitum, plane est, quia lege scripta comprobari non poterat.

Reges Angliæ sibi habent merum & mixtum imperium.

Præter Nobilium tutelam quam dixi Principem habere & potestatem collocandi in matrimonio cui volet, pupillos sibi feudatarios. Princeps etiam curationem habet Insanorum, siue ira nati sint, siue per morbos aut infirmitates tales deueniunt, quod intelligendum, si terras possideant, quarum inuestitura ad Principem pertineat.

Regalia & Prærogatiua multa Principi.

Gaudet Princeps magnis prætereà alijs prærogatiuis & Priuilegijs, quæ Regalia vocantur; hæque toties crescunt, & augentur, quoties sapiens aliquis Princeps populo quod charus diu imperet.

Inter alia permissum est Principi per totum annum omnia vitæ necessaria pro certo statutoque prætio e foro & agris capere, longe infra prætium quo subditi illa emunt, idque ad familiam Regiam, naues bellicas alendas, vel extruendas, vel ad quæcunque alia Regis seruitia.

Princeps etiam vetat multas merces necessarias, importare, aut exportari, vt illam licentiã beneficij loco concedat, cui voluerit.

Denique Princeps in Anglia habetur pro vita, capite, potestate, & auctoritate omnium rerum, quæ

Digitized by Google

rum, quæ in Regno: nec est alibi Princeps qui magis à suis honoratur. Nemo enim ipsum alloquitur, vel ei inseruit, quâ adorantis in more & in genibus. Omnes in præsentia Principis capite sunt aperti, nec hoc solum, sed in primaria aulæ Regiæ Camera (quæ vulgò Camera præsentiæ dicitur:) nemini licet ambulare, aut tecto esse capite etiam absente Principe. An. 1

Vt Angli inter Europeos primi facilè fuerunt, qui Christianam Religionem assumserunt, ita hoc tempore primi Religionis Reformationem receperunt. Episcopos Reformatos enim, ordinemque Ecclesiasticum retinent, quos in honore habent; vtpote, sub Principe Ecclesiæ res administrantes, & Iurisdictionem sibi ex officio debitam decenter exercentes.

Descriptio ocium Angli-ca.

Gens Anglica elatior est magnanima, corpore conspicuo, sed imbecilliori, quia Insulani, ex pleraque parte alba, præsertim fœminæ, quæ vultus sui albedinem mitellis laruis & galeris à Solis iniurijs manuumq; candorem assiduo chirotecarum vsu studiosè conseruant, quod adeò frequens ibi est, vt rusticæ fœminæ tam familiariter dictis curiositatibus vtantur, quam apud Belgas & Germanos Aulicæ & Nobiles.

Præterea gens est natura sua audax inflata, animosa, impetuosa, in bello crudelis, primo congressu calida, mortis contemptrix, ad hæc iactantior, dolosa, planeque dissimulationes Aulicæ tum verbis tum moribus, quam illi pro summa habent prudentia, vt plurimum eloquens & hospitalis.

Angli multum commedunt, bene se pascunt, præsertim carne, vt Germani in nimio potu, sic Angli in nimio cibo peccant, ad quod Regionis vbertas magnam præbet commoditatem.

Fructus tamen non ita sunt solidi ob defectum Solis, nec tantæ virtutis, vt in Gallia & Belgio; quin & Herbaristæ ipsi fatentur gramen non eius esse efficatię vt in dictis locis, quâ ob causam etiam sit, vt caro ibi tenerior sit, minusque solida, etiam si maximam eius habeant copiam, & saporis alioquin satis sit grati.

Gent Anglica non laborio-sa.

Angli non tam laboriosi sunt & industrij, vt Belgæ & Germani, vitam, vt plurimum otiosam agentes, Hispanis ea in re similes. Artes manuariæ quæ plurimum in se habent laboris & difficultatis, maioremq; requirunt industriam, ab exteris & peregrinis exercentur; multas pascunt oues (vti faciunt Ociatores Hispani) quæ tenuem ex quisitamque reddunt lanam, ex qua posterioribus his 20. annis, delicatos tenuissimosque pannos conficere didicerunt; magnum alunt famulitium, multasque feras, voluptatis fuæ causa; quibus libentius operam dant, quam colendis suis agris. Habitant Insulam in piscoso admodum mari sitam, Portusque totius Christiani orbis commodissimos, potentes sunt classe nauibusque abundant, interea tâtum non piscantur, quantum ad Incolarum vsum sufficiat, ita vt à vicinis pisces emere cogantur.

Vestitus Anglicus.

Vestitu vtuntur splendido, nitido, & sumptuoso, in eoque admodum sunt inconstantes & varij, paruo tempore durantes; sunt quæ tam viri quam fœminæ nouitatis adeò studiosi, vt singulis annis formam vestium mutent, & cum rusticantur, vel ex domo secedunt, animi gratia, vel alibi proficiscantur, contra quam reliquæ gentes, quam elegantissimè possunt, se vestiunt; delectantur ferè materia vestium leui & diuersi colore, obque crebram suam mutationem tantam vestium multitudinem non habent, vt solent Belgæ, nec possident etiam tantam suppellectilis ornamentorumque domus minus necessariorum copiam.

Anglica lingua.

Anglorum lingua Germanica est corrupta, admixtis aliquot verbis & phrasibus gallicis & Britanicis, à quibus nationibus hoc retinent, vt celerius loquantur, quam Germani, qui cum Spiritu, verba sua pronuntiant, Angli solo linguæ motu sua efferunt, quâdo voces ipsis desunt, vtuntur latinis. In Cornvvallia quæ extrema Angliæ ora est, versus occidentem, Itemque in VVallia, in vsu est vetus Idioma Britânicum, quod illi ibi sua lingua vocant etiam hodie Cymraeg, Anglicè verò VVelshi appellant, mutuata hac voce à Germanis.

Posteritas Regis HEN-RICI VIII.

In successione Regia, Angli ferè communem legem sequuntur, vt post mortem filiorum sine liberis, filiæ succedant: Præsens Regina ELISABETHA sorori Mariæ successit, quæ successerat EDVVARDO fratri: est que vltima liberorum sui Patris, vtriusque stirpis Lancastriæ, & Eboracensis: Rubræ & Albæ Rosæ legitima hæres. Pater eius HENRICVS VIII. duas habuit sorores, quarum maior natu Margareta nupta fuit Iacobo. IIII. Scotorũ Regi, è quo susceptè filium Iacobum V. patrem Mariæ Stuartæ Reginæ Scot: nuper capite plexæ, quæ peperit Henrico Stuarto marito & gentili suo Iacobum VI. præsentem Scotorum Regem.

Auth. Ioan. Zesten Scot lib. 9.

Mortuo autem Iacobo. IIII. dicta Margareta Henrici VIII. soror secundas nuptias contraxit cum Archibaldo Dovvglasio Comite Angusio, ex quo matrimonio nata est Margareta Douglassia. Ortis verò inter dictas coniuges dissidijs; vbi Margareta intellexit dictum Archibaldum, ante nuptias secum contractas hidem matrimonij dedisse Fœlicæ Bothvvelij, diuortiũ cum eo fecit. Interea re in iure examinata, dicta filia ex illis nata, legitima est declarata, ob ignorantiam matris, quæ contraxerat ignara præcedentis mariti desponsationis. Itaque rursum suis Iuris per legitimum diuortium facta, tertio nuptiis Henrico Stvvarto Meffensi Regulo.

Marga-

Digitized by Google

Margareta Donglaſſia elocata eſt Mattheo Stuarto Lennoxiæ Comiti, cui peperit duos filios, Henricum Stuartum Dominum Darnley Mariæ Reginæ maritum, patremque ex ea præſentis Scot. Regis Iacobi VI. & Carolum Comitem Lennoxiæ, qui ducta in Anglia Elizabetha Candiſti, vnicam ex ea genuit filiam, Arbelam, quæ hodie Anno 1593. cum Comitiſſa Salopienſi à via materna adoleſcentula adhuc viuit. An. 1587.

Minor natu ſoror Henrici VIII. Maria, nupta primum eſt Francorũ Regi Ludouico XII. quo ſine liberis defuncto, iuncta eſt Carolo Brandonio Anglo, Duci Suffolciæ; ex hoc marito ſuſcepit Maria duas filias, Franciſcam, & Leonoram.

Franciſca coniux fuit Henrici Graij, Marchionis Dorſeti, qui & Dux Suffolciæ huius nuptijs eſt factus: Hæc tres peperit filias, quarum primogenita Iana Graya nupta Guilfordo Dudleyo Northimbriæ Ducis filio, nullis procreatis liberis, cum marito capite plexa eſt: quia prætexto teſtamenti Edvv. VI. declarata erat publicè Coronæ hæres proxima, & Angliæ Regina, in præiudicium Mariæ, & Elizabethæ.

Secundo genita Franciſcæ filia fuit Catharina Graya, quæ cum adhuc impubes deſponſata eſſet filio Comitis Pembrochij, clandeſtinas nuptias cum Edvvardo Seymer, Comite Hertfordiæ Somerſeti Ducis & Protectoris Angliæ filio contraxit; Quamobrem contractantes Reginæ Elizabethæ iuſſu apprehenſi & in arce Lond. fuere cuſtoditi & mulctati. Interea dum hi ita coniugati in arce cuſtodiuntur, duos ibi filios procrearunt; Edvvardum Seymer Baronem de Beauchamy, & Thomã Seymer, qui ambo nuper ſibi vxores è familijs equeſtribus ſumpſerunt.

Tertia Franciſcæ filia Maria marito infra ordinis ſui dignitatem iuncta ſterilis obijt.

Eleonora Franciſcæ ſoror deſponſata eſt Henrico Clifford, Comiti Cumberlandiæ, ex quibus prognata eſt Margaretha Clifford, Henrici Stanlei Comitis Darbiæ vxor, quæ peperit Ferdinandum Strangij nunc Comitem Darbiæ, qui duxit filiam Ioannis Spenſerij equitis; & VVilhelmum Stanleium.

Atque hi ſunt omnes poſteri, qui ex vtroque Henrico VII. & VIII. ſunt procreati.

Sæpe tentarunt Principes vt ex maxima hac Inſula duo regna Angliæ & Scotiæ in ſe complectente, vna fieret Monarchia, & per nuptias in vnum coaleſceret, magnamque huic rei dedit operam noſtra memoria Henricus VIII. cum regni Scotiæ hæreditas obueniſſet Mariæ nuper Anno 1587. in Anglia capitis ſupplicio affectæ. Verum huius conatibus Imper. Carolus V. & Rex Franc. clam obſtiterunt, quia intelligebant non poſſe duo hæc regna vniri viresque iungere, ſine ſummo ſuorum præiudicio, ob commodiſſimum eorum ſitum (vnde Gallis Belgiſq; facillimè poſſunt nocere) & portuum ſuorum maximam oportunitatem, quibus ſæpe vſi vicinorum nauigationi & negociationi magnas difficultates & damna intulerint. Quare etiam Imperator Carolus Magnus Belgarumque itidem Princeps, vt ab huiuſmodi ipſorum vexationibus ſuos liberaret, frenumq; Anglis imponeret, fœdus cum Scotis init, quod ab eo tempore diligenter eſt obſeruatum, & recentioribus inſuper tractatibus aliquoties cõfirmatum, per quod Galli Scotis neceſſitate aliqua preſſis ſuccurrere proprijs ſuis ſumptibus tenentur. Scoti contra ad auxilium Gallis ferendum quidem obligantur, ſed Franci Regis ſumptu & impenſis. Qua etiam gratia multi è Nobilitate Scot. à penſionibus ſunt Regi Franc. idque vt hac ratione Angli in officio contineantur, qui haud facilè alias domari poſſunt. Situs enim (vt dixi) regionis portuumque ſumma commoditas vicinis valdè vtilis commoda ac omnino neceſſaria incolas regni ad pyraticam exercendam quodammodo pellicit, dum è tectis, imò è lectis ferè ſuis littus ſuum præternauigantes innumeras conſpiciunt naues maximis diuitijs oneratas. Atque hæc eſt ratio cur vicini non patiantur Angliam cum Scotia ſub vnius venire imperium: Recitaturque ad hanc rem faciens quiddam quod accidit cum ad Henr. 8. caſtra iuxta Caletum Carolus Imp. & Franciſcus Rex Franc. colloquij cauſa conceſſiſſent, in porta Regij tentorij Sagittarij Angli effigiem depictam viderunt, cum hac inſcriptione. *Cui adhæreo præeſt*: quo viſo cœperunt dicti Principes cogitare, Si iam hoc rerum ſuarum ſtatu, ita de ſe ſentit Anglus, quid nobis ab eo eſſet expectandum, ſi vtriuſque regni gubernacula potiretur.

Hæc etiam præcipua facile cauſa eſt cur prudentiſſima Angliæ præſens Regina omnibus bene & matureconſideratis, etiamſi extra ſpem liberorum ſit, tamen præſentem Scotiæ Regẽ Iacobum VI. hæredem ſuum declarare nolit; aut iure naturalitatis (vt vocant) in Anglia vſitato, donare, quia videlicet extra Angliam natus terrã hęreditate conſequi in Anglia non poteſt, multoque minus ipſum Regnum (vt inde inferunt) niſi fortè per Principem & Parlamentum naturalitati fuerit reſtitutus. Ob eandem hanc cauſam idem Rex patrimonium ſuum in Anglia ſitum non poſſidet, ſed pro eo ex mæra Reginæ gratia & liberalitate penſionem quotannis accipit.

Ratio cur Angliæ Regina Succeſſorem non declaret.

Quia verò Scot. Rex Anglis eſt extraneus & Angli natura ſua extraneorũ & aduenarũ ſunt contemptores, ac proinde etiam ſuperbiores, quam vt extranei imperium admittant, præſertim Scoti, cuius regnum antiquitus ad ſe pertinere ſemper prætenderunt: Ea inquã gratia grauiſſimas cau-

Digitized by Google

An. 1587. simas causas habet Angliæ Regina, cur Successorem suum non declaret: eaque ratione Competitores inter se non committat. Nam si Mariam nuper capite plexam proximam suam hæredem denuntiasset, plurimos iam in suum caput hostes concitasset, quibus maiorem contra se cóspirandi materiam suppeditasset, maiusque eorum in se odium concitasset, tum Mariæ ipsius mortem odiosiorem effecisset. Vt taceam quod inter subditos quotidianarum conspirationum & aspirationum argumentum reliquisset, quorum aliqua pars Roma. Religioni addicta nullas eiusmodi occasiones neglexisset, vnde alij qui exactiorem Religionis Reformationem requirunt, ansam etiam tumultuandi caperent; ad quos insuper quamplurimi accederent, qui inopia rei familiaris oppressi omnes ingenij neruos intendant, quo nouas turbas ciere possent, quibus non deesset multi præterea alij præsentis Angliæ status inimici.

Interea verò dum Regina Successorem non declarat, certumque sit ob summam suam auctoritatem & subditorum amorem eius adoptionem maximi futuram apud suos ponderis, omnes competitores detinet quietos sibique deuotos, & in assidua spe quod de ipsa benemerendo, obsequiaque continuò præstando, adoptionem eius promerebunt. Prospiciens quid tempus interea pariet in illis nouis, periculumque indies faciens virtutis & præstantiæ personarum, quæ succedere sibi possent. Non enim Regem Scot. affinitate petentem, de cuius liberis & futuris hæredibus adhuc dubitatur, aut aliam quemuis temere vult excludere, vel rursum subditis externum Principem sibi hæredem inuitis fortè, aut contra ipsorum commodum obtrudere. Qua in re matura deliberatione, diligenti inuestigatione magno rerum vsu cum certitudine & securitate coniuncto est opus.

Præterea commodum Reginæ non est vicinis suis Gallis & Belgis (cum quibus durante hoc cum Hispanis bello amicitiam, fœdusque accuratè colere tenetur) vllam æmulationis præbere occasionem, aut materiam consultandi, quibus modis consilijs eius obesse vel prodesse possent. Dum multi viri prudentes & hystoriographi similem irresolutionem vel non declarationem in Carolo potentissimo Burgundiæ Duce non improbarunt, qui vnicam suam filiam & hæredem nulli dum vixit, collocare voluit. Solent enim ferè Principes Zelotypia moueri ega Successores.

Contenderunt iam aliquoties à Regina Angliæ, Ordines in Regni Comitijs seu Parlamento, vt Successorem suum nominaret, quod illa semper pro sua prudentia recusauit; quinimò sæpè illorum Priuilegium & loquendi libertatem in eo loco repressit; petens, vt eius rei amplius non fieret mentio, sed suæ prouidentiæ, & discretioni, maternoque in subditos & Rempubl. amori & studio eam committerent, certos eos faciens maiori curæ rem sibi esse, quam fortassè credant.

Anno 13. Reg. Elizab. capite primo.

Post, illa edicto vetuit ne quis vllo scripto vel impresso libro expresse & directè designet,
" declaret, & affirmet, quancumque personam particularem esse aut debere esse verum & legitimum hæredem & successorem Regiæ Maiestatis. Sancitum etiam est eodem edicto Parlamentario sub pœna læsæ Maiestatis, ne quis neget municipialia Angliæ iura non immutata non debere ius coronæ dirigere, aut Elizabetham Reginam cum auctoritate Parlamentaria non posse
" leges ferre sufficientes & validas ad limitandam Regni coronam, & eiusdem dissensum, limitationem, hæreditatem & gubernationem, eorumque titulos & iura posse restringere, vel limitare & regere qui fuerint quacunq; ratione competitores. Adeò vt multi qui soliciti talia curant, sibi satisfacere debeant, vbi cogitabant prudentissimæ Reginæ rationes & facultates non deesse, quibus omni venturo malo prospiciat, nisi Deo, qui Regum corda in manibus habet aliter fuerit visum. Hæc sunt quæ fedula inuestigatione & longa experientia de Anglia didicimus.

Mort Ducis Parmensis, cui Princeps Parmensis succedit.

Anno 1586. 2. Septembr. mortem obijt in Italia, Octauius Farnesius, Parmæ & Placentiæ Dux, filius Principis Petri Ludouici Farnesij, pater Alexandri Principis Parmensis, cuius mater Margareta Austriaca Caroli V. Cæsaris filia naturalis, olim Belgij Gubernatrix, ante mortua: itaque Alexander Princeps Parmensis Gubernator & Archistrategus in Belgio Philippi Hisp. Regis nomine, Dux & hæres Parmæ & Placentiæ factus est; qui ob strenuè præstitam operam, & insignes pro Rege victorias, ab eo arcem vrbis Placentiæ liberam accepit. Rex enim qui eam longissimo tempore præsidiarijs Hispanis munierat, ea maximè de causa quod patri & auo parum fideret, mox post patris mortem præsidia exire, & arcem liberam filio tradi iussit, qui præsidiarios Belgas sub præfecto Hallero Bruxellano arci imposuit. Cumque Parmensis Bruxellas rediisset, delegati Parmensium & Placentinorum eò venerunt, eum pro domino hereditario recepturi: quibus Reynutium filium vnicum, nunc Parmæ Principem, ex Maria filia Eduardi filij Regis Lusitaniæ genitum cómendauit, ad quem iurisconsulti multi Regnum Lusitaniæ, tanquam ad proximum hæredem, iure pertinere existimant: nisi fœminę Salica lege & consuetudine excludantur, & suffragijs coronę traditio, masculą prole deficiente, committatur, quod quidem semper fuisse seruatum Lusitanę Historię tradunt.

Reynutius Princeps iuniar Parmensis iure hæreditario, qui Portugallię regnatur.

Cardinalis Cranuellani mors.

Eodem anno, die D. Matthei festo, in Hispania obijt Antonius Perenotus Cardinalis Granuellanus,

Digitized by Google

tullanus, olim Episcopus Atrebatensis, anno ætatis septuagesimo, natus anno 1517. 20. Augusti, vir comprimis industrius, peritus, plurimis naturæ dotibus præditus: qui turbarum omnium & seditionum in Belgio præcipuus auctor fuisse dicitur, odio contra nonnullos & contra Religionem Reformatam incitatus, quæ etiam causa fuit, vt Angliam vi inuadendam consuleret. Fuit & nouorũ Episcoporum, qui in Belgio anno 1564. creati, summus, vnde præcipuæ in Belgio ortæ seditiones & turbæ. Factus Archiepiscopus Machlinienſis, Archiepiscopatũ ante mortem reliquauit Ioanni Hauchino Diuæ Gudulæ Bruxellis Parœco. Hic nouitius Machliniæ Archiepiscopus libellum Louanij typis impressum edidit, Confessionem videlicet Christianæ fidei, quam omnes veri Christiani profiteri tenerentur: plurimis ad id passim vi coactis. Hinc origines omnium nostri huius æui turbarum, seditionum, discordiarum, & bellorum: hæc fundamina, & hæ causæ præcipuæ sanguinis crudelissimè fusi, tot pœnarũ mortis & suppliciorum igne, aqua, laqueo & gladio. Ad huiusmodi autem inceptum stabiliendum atq; propagandum nouaquædam his temporibus in orbe genera hominum progenerata, in Belgij quoque præcipuas ciuitates gubernationi Ducis Parmensis subditas introducta sunt: ita vt præter innumeros veterum Monachorum ordines, nouitij Iesuitæ, Seminarij Capuchini, Crucigeri, & alij recens sint exorti. An. 1587.

Mense Octobri obijt, Dux Adolphus Holsatanus relictis quatuor filijs, & quatuor filiabus, videlicet Fredrico, Philippo, Ioanne Adolpho, & Ioanne Fredrico. Ioannes Fredricus paulò ante patris mortem Lubecensis Episcopus electus, & maxima natu filiarum Sophia Ioanni Duci Mechelenburgensi desponsa fuit. *Adolphi Ducis in Holſtani mors.*

Rex Poloniæ Stephanus Bathorus Groduæ in Lituania hoc anno 1586. 12. Decembr. diem abijt, Princeps strenuitate, iustitia, prudentia, & alijs multis virtutibus præditus: quibus magnam auctoritatem adeptus, ea tandem abuti cœpit: Insertis enim vbique locorum Iesuitis, Religionem Reformatam oppressit, & extinxit: ortis autem has aliasque ob causas Rigæ in Lituania maximis turbis dum occurrere, & auctores punire voluit, eius mors subditis lætitiæ occasionem dedit. Huic Epitaphium Cancellarius Poloniæ posuit, eoque eius acta descripsit, quod hic adscribere non inutile reputauimus. *Stephani Bathorus Poloniæ Rex moritur.*

EPITAPHIVM
REGIS POLONIAE.

STEPHANVS Magnus Rex Poloniæ, Magnusq; Dux Lithuaniæ
Princeps Transsiluaniæ
Victor, Triumphator, Pater patriæ,
Stephano Palatino, Catharinaq; Telegdia,
Natus anni 1533. V. Calend. Octobris,
Excessit 1586. Idib. Decemb.
Regnauit annos decem, menses VII. dies XII. Iudicia constituit,
Liuoniam Polonianq; Prouincias recepit.
Fines Lithuaniæ latissimo Velisiensi agro adiecto protulit:
Perterritus Mochmete primum, ac deinde Asclan, Chereu,
Tartarorum Chamis.
Podaliam pacatiorem cultioremq; reddidit,
Annuratem, Turcarum Imperatorem,
Vt Tartaro pacem legatione missa peteret,
Et Benderia à Kosacis deleta, nil moueret,
Nouaq; castella finibus imponi pateretur,
Opinione virtutis permouit, continuitq;.
Stipendium maius Transsiluaniæ, Imperium insuncti Sigismundi fratris filio impuberi
Imponere molientem deterruit.
Ianiculam Valachiæ Regulum, ob iniurias quas victus nobilitati
Intulerat, deijcere adegit.
Thesauroſq; qui cum ipso Valacho in potestatem suam venerant, repente sprenit. Omnium Regum, Principum,
ac populorum Nationumq; cum oras in se conuertissent.
Maiora pro Re hac publica & Christiana animo agitans,
Ac imprimis Moschouiam Poloniæ Lithuaniæq; aggregare studens, sexta die subito extinctus est
O mors inuida,
Non extinxisti virtutem Batoream,
Immortalis est.

Digitized by Google

An. 1587. STEPHANO Poloniæ Regi, Victori, Triumphatori, pio, patri patriæ, &cæt. Ioannes de Zamoiscio Cancellarius, & summus Dux exercituum Regni, &c. Vitâ, quam saluti gloriæque eius omnibus bellis periculisque deuouerat, Deo, non sc ita volente, superstes, Has lachrymas cum Griselide Bathorea vxore sua, Regi, patrono affiniique suo fundit.

Viueres Stephane, Maxime, viueres,
Nec Polonia Vngariaq;, ac
Nomen Christianum lugeret,
Nec improbi Barbari gauderent.
Sed viuit Deus, haud solito exultabunt gaudio.

Defuncto Rege, Poloniæ Ordines V Varsouvæ gubernandi regni, donec nouus Rex constituatur, consilium ineunt: & 30. Iunij 1587. locum quo eligatur, destinant V Varsouvæ in Polonia: huc nobiles omnes certatim, quantis quisque potest copijs, armati conueniunt: inter quos præcipuus Ioannes Samoiskyus summus regni Cancellarius, familiæ Sboroskyę hostis, eo quod Regis mandato Samuelem Boroskyum capite truncari curasset.

Competitores regni Poloniæ.

Fuere huius regni competitores, Primus quidē Ernestus, & Matthias & Maximilianus Austriaci, Rodolphi Imperatoris fratres, commendati atque promoti à fratre Imperatore, Philippo Rege Hispaniarum, Pontifice Romano & alijs Principibus, à multis quoq; primarijs Poloniæ viris, & à familia Sboroskya.

Secundus, Sigismundus, Ioannis Suecorū Regis filius: & Catharina Sigismundi Iagellonici Poloniæ Regis filia, ab amita Regina vidua Poloniæ in primis commendata, vtpote cui successionis iure regnum deberetur.

Tertius Theodorus, magnus Moschouiæ Dux, cui, quia amplam suam ditionem Lithuaniam ad mare Caspium vsque Poloniæ regno sesubditurum promittebat, nobiles Liflandiæ & alij comprimis sauerunt.

Quartus, Piastus quidam, & alij Poloniæ regno subditi proferuntur: defuncti quoque Regis consanguinei, fratris nempè filij Vayvodiā Turca summopere commendati, præter hos Dux quoque Parmensis.

Sigismundus & Maximilianus, vterq; Poloniæ Rex electus.

Omnium oblationibus atque legationibus auditis, cùm Nobiles inter se discordarent, tandem mense Augusto, partes, quibus Zamoskyus potentissimiq; Episcopi suffragabantur, Sigusmundum Suecum eligunt, alij verò Maximilianum Austriacum. Horum vterque à suis electoribus conditiones oblatas accipit, pollicitisque confirmat, & ad diadema regale obtinendum, suorum multa sollicitatione atque intrigatione sese parat: deniq; alter alterum ne in suum regnum veniat, monet, ac prohibet. Verum Sigismundus annorum 21. iuuenis, natus anno 1566. 20. Iunij, per Dantiscum in Poloniam venit: venit & Maximilianus cum exercitu tumultuario, vrbemq; V Varsouviam, quam Cancellarius Zamoskyus pro Sigismundo tenebat, & tanquam totius Poloniæ præfectus defendebat, obsedit. Tandem Maximilianus, magna sui exercitus parte cæsa, tormentis bellicis relictis, profligatur, & Silesiam versus contendit, vt nouo fortioque exercitu se contra hostem muniat.

Sigismundus Rex Poloniæ coronatur.

Sigismundus autem triumphali introitu Cracouiam vrbem ingressus, diadema accipit 27. Decembr. 1587. & Sigismundus tertius nuncupatur.

ARGVMENTVM: Lib. XIIII.

DISCORDIA *& suspicio inter Leycestrium, milites Prouinciales, & Hohenloi. Discordia Vltraiecti. Parmensis V Voudam capit. Parmensi Stanleius Daventriam, Torekus Zutphaniam tradit. Hac de causa Prouincię Mauritio summam imperandi potestatem dant, & cum Leycestrio, epistola missa, expostulant: idq; in peiorem partem accipitur: huius rei gratia Baro de Buckhorst in Hollandiam mittitur. Maxima annonæ caritas, rapida pestis, & luporum ingens numerus in Belgij Prouincijs. Parmensi subditis: summa præmente penuria, 800. & amplius naues ex Belgio Oostlandiam frumenti conquirendi causa petunt. Draco duas contra Hispaniam expeditiones suscipit. Candischius iter circum orbem terrarum conficit. Hautepennius ab Hohenloto cæditur. Geldria ciuitas à Baddone Scoto hosti traditur. Sluisa obsessa, & tormentis valdè concussa, Parmensi deditur. Leycestrij querelis; & de sua auctoritate ad Iunium epistolis permoti Ordines summam auctoritatem & gubernationis formam, quam Rege Hisp. relicto, tenuerunt, & potestatem ipsi concessam exponunt: & Hohenloum reconciliare student. Conquæritur Leycestrius de Ordinibus, libro typis edito. Respondent Ordines: &*

Digitized by Google

dines; & suam auctoritatem formam q̃ gubernationis equitum auratorum, nobilium, & ciuitatum, quos Ordines repræsentant, Leycestrio proponunt & exponunt, proponit. Leycestrius Reginæ nomine Pacificationem: eam Ordines detrectant: Regis Daniæ interceßio per Rantzouium facta, et ab Ordinibus recusata, euidenter exponitur. Recusationis causa Rex offensus Hollandis Oostlandiam versus per Zontam nauigantibus 30. florenorum millia extorquet. Motoris discordiæ metu. Ecclesiæ, & Trajectenses ad Ordines scribunt. Virisq; respondetur. Conspiratio Leydæ: Anglorum fautores puniuntur. Negocijs Belgy variè & exactè disceptatis in Anglia, Regina Leycestrum reuocat domum, gubernationem deponere ac resignare iubet. Meppela capitur. Donavvius expeditionem militarem pro Nauarro in Franciã facit: verùm bello male administrato profligatur: Nauarrus tamen Ducem loyensium superat & delet. Rex Franciæ ex vrbe Parisiorum à Guisianis & eorum fœderatis pellicitur. Schenckius Bonnam vrbem capit: vrbs victa rursus à Parmensis exercitu obsidetur, & capitur. Angliæ Regina Pacificationem denuò proponit: Ordines quid contrà sentiant, ostendunt: Regina nihilominus delegatos in Flandriam mittit, qui frustra de pace agunt. Præsidiarij Medenblickenses seditiosi reprimuntur: Geertrudæ-bergenses & alij pecunias numerata pacantur. Russelius Flissingæ Gubernator offensus VVallachriam domare frustra conatur. Angliæ Regina, & Hispanica classis aduentans, zelum vtrinque tollunt. Maximilianus Austriacus in Polonia cæditur. Rex Daniæ moritur. Hæc omnia intra annum, aut paulo amplius gesta sunt Parmensi & Leycestrio gubernantibus. An. 1587.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

IBRO superiore diximus quid in fœderatis Prouincijs sub gubernatione Comitis Leycestrij sit actum: nunc quomodo hæc gubernatio Prouincialibus placuerit, & quantæ hinc discordiæ sint ortæ dicemus.

Cùm Leycestrius primùm in Gubernatorem generalem esset acceptus, rogatus fuit Hohenlous, vtpote, qui plurimum apud milites polleret, cùm maxima pars sub eius imperio esset, vt milites voluntarios redderet, & ad nouum iusiurandum præstandum induceret: quod quidem milites, nisi stipendij meriti ratione prius inita, & solutione facta, aut alia mercede accepta, facere plerunq; recusant: nihilominus id ab eis impetrauit Hohenlous, pollicitus se in difficultatibus quibuscunque quæ incidere possent, eos defensurum, & conseruaturum haud aliter atq; Principis Auraici piæ memoriæ tempore.

Cùm verò Leycestrius militarem gubernationem Hautenij, defuncti VValachriæ gubernatoris, D. Philippo Sidnæo Flissingæ gubernatori tradidisset: maxima Chiliarchiorum pars, inter quos Comes Philippus Nassouius, Comes Georgius Euerardus Solmensis, Comes Obersteynius, & alij viri nobiles peditum equitumq; præfecti, numero simul viginti duo, id egerimè tulerunt, veriti ne quæque natio, ex veteri consuetudine sub sua legione, pro ordine & meritis cuiusque, nempè militiæ satelles ad vexellarij, legatus ad strategi, strategus ad supremi Legati, & hic ad chiliarchi officium paulatim non promoueretur; Comiti Hohenloio libellum supplicem obtulerunt, rogaruntque prout ipsis staret, & apud Comitem Leycestrium intercederet, vt veteri more, defuncti nempè Principis Auraici tempore, tractarentur, & ne nationes permiscerentur: sin minus, stipendia iam merita exsoluerent, atq; missionem darent, ne ab equitibus & peditibus exprobrantibus atque expostulantibus audiant, Belgicarum legionum gubernationes & officia extraneis esse data; id in ipsorum damnum ac dedecus vergere, quasi ipsis fides, vt antea, non habeatur. *chiliarchi & militum præfecti petunt sua iura seruari vt olim, & comiti Hohenloio libellum supplicē Leycestrio offerendum dant.*

Hohenlous libellum acceptum Leycestrio statim obtulit: Leycestrius autem ægrè ferens, eum ab Hohenloio potius quam ab alio confectum reputat: hinc alienatio ingens atq; suspicio inter militum præfectos orta est, maximè cum viderent præsidia mutari, transferri, atque aliò mitti, Prouinciarum gubernatoribus & militum præfectis inscijs, quibus & scientibus & consultis id fieri solerat; & Leycestrium suos Anglos passim in optimis, amplissimis & commodissimis præsidijs disponere, & post Grauiam amissam Belgicos milites contemnere, tanquam parum fideles (vt tunc quidem rumor spargebatur, epistola à Noritio archistrategoad Leycestrium scripta) atq; asserere, solummodo Anglorum probitati atq; integritati fidendum, quæ quidem *zelotypia inter Leycestrii & milites Belgas.*

Digitized by Google

epistola tunc Chronicis Anglorum Londini impressis inserta fuit: imò Leycestrium Hohenloio dixisse, se omnibus locis Belgarum præsidio munitis, deditionem timere.

Lis inter Hohenloium & D. Eduardum Noritsium.

Postea cum in conuiuio lis esset orta inter Hohenloium & D. Edouvardū Noritsium Ioannis Noritsij archistrategi fratrem, Noritsius literis quas cartellas vocant, ad Monomachiā siue singulare certamen prouocauit Hohenloium, tunc temporis decumbentem & ægrum ex vulnere ante propugnaculum Zutphanien se acceptoridq; Hohenloius ægrè admodū tulit, prætendens, stratego gregario ac priuato haud quaquā licere, sub pœna capitis, huiusmodi prouocatorias literas, nisi summo Principe sciente ac consentiente mittere. Leycestrius autem qui in Noritsij ibat sententiam, idq; licere asserebat, Ordinibus contra sentiētibus, summopere indignabatur. Hæc & plura alia in Hohenloi Apologia Leydæ impressa videre latius poterit Lector.

Fuit & Vltraiectī ingens in gubernatione discordia: nam ciuium, & optimatum magna partē in exilium missa, Brabantus quidam Gerardus Prouinsius, alias Dauentriensis appellatus, & alij extranei gubernationem susceperunt, Leycestrio clam approbante ac confirmante, spe videlicet data, Angliq Reginam summam gubernationem accepturam, atque ipsos protecturam: qua quidem occasione Vltraiectenses id temporis se quodam modo ab Hollandia contra pactos Vnionis articulos segregrarunt. Ad has discordias tollendas atq; extinguendas, fuere eo tempore in Anglia Ordinum Legati, vt supra dictum, quorum negotia neglecta atque postposita fuere ob Reginę Scotiæ mortem, quam Angliæ Regina, suis Consiliarijs summopere offensa, ægerrimè ferebat, ita vt nihil in curia tunc agi aut statui potuerit. Cùm verò Legati primò in Angliam venissent, constitutum fuerat, vt D. Baro de Buckhurst Consiliarius imprimis doctus ac prudens in Hollandiam mitteretur, lites discordiasq; compositurus: verùm interea ob Reginæ causa mortis, Reginæ Scotiæ erga suos Consiliarios offensionem, iter in diem vsque 23. Maij procrastinatum fuit, quo cum Prouinciarum legatis ex Anglia profectus est.

Interea multi casus aduersi in Belgio euenerunt, quæ discordiæ incrementa præbuerunt, de quibus antequam vlterius pergamus, hic nunc dicemus.

VVesopa arx Parmensi vendita.

Dux Parmensis hac hyeme milite & pecunijs auctus est. Ordines Artesiæ & Hannoniæ conuocauit, exactionem ingentis summæ imperauit, eamque consequutus est. Cum Hispanis & Italis militibus qui recens aduenerant, mense Ianuario profectus, V Vouvvam Marchionis Bergensis arcem, non procul à Bergosoma in Brabantia sitam, optimè munitā, cœpit, à Gallo præsidiariorum militum præfecto, nomine Marchanto, natione Celta, antè in ciuitate Grauia præsidiario, traditam 17. Ianuarij. 20. florenorum milibus, aut paulò amplius numeratis. Erat hic Marchantus Fremino stratego inimicus, cumq; in Curia Hagę grauiter accusauerat: interea verò dum Freminus, se purgandi causa, Hagę esset, Marchantus arcem hosti vendidit: qui quanquā Ordinibus anteà etiam suspectus esset, aliter tamen disponendi commoditas haud quaquam fuerat, maximè ob acta restrictoria Comitis Leycestrij per quę, vt supra diximus, imperium omne in oppidorum, arcium & præsidiorum gubernatores tenebat: Nihil præterea Parmensis memoratu dignum in Brabantia tunc temporis gessit. Reliquerat Leycestrius Dauentriæ, vt

VVilhelmi Stanlei vita, & mores.

suprà dictum est, Gubernatorem V Vilhelmum Stanleium Anglum, cum 1200. peditibus & circiter 200. equitibus præsidiarijs Anglis & Hibernicis quanquam inuitis & contra obsulentibus Ordinum proceribus. Stanleius enim antè Hispano Regi militauerat: Leycestrius tamen tanti eum faciebat, vt in generalē totius exercitus præfectum Ordinibus commendaret: erat enim natus clara ac nobili familia: habebat iu Anglia vxorem & proles, quas patri adhuc superstiti alendas reliquerat: dicebatur autem cum aliis contra Angliæ Reginam conspirasse, vt Scotiæ reginam ad Angliæ diadema promoueret: cuius criminis nc tandem accusaretur, metuebat.

Stanleius itaq; vrbis Dauentriæ iam gubernator, primò cum Yorcko Zutphaniensis propugnaculi præfecto, deinde cum Taxio Zutphaniæ gubernatore clam egit de tradenda vrbe, compensatione ac mercede satis opima propositā: cumq; vrbem amplam, potentem & bene munitam cognosceret, & multos præsidiarios ægrè huic proditioni consensuros certò sciret; callida ratione inita, de stipendij solutione conqueri occipit, cum tamē debitum exiguum esset, & paulò antè vnius mensis stipendium esset solutum. Dauentriæ vrbis consul simul acarcanum fœdus de vrbe Taxio tradenda percepit, id mox Status Consilio significauit, & Stanleium cum suis amandandum consuluit: verùm neque Status Consilium, neque Prouincialis gubernator, ob restrictoria, quorum mentionem fecimus, Leycestrij acta, eum vt abiret & obediret, cogere potuerunt, absque expresso Leycestrij mandato ex Anglia transmittendo: id autem absque aura & vento secundo transmitti non posse sciebat Stanleius.

Ordines cum consilij nihil aliud superesset, consuluerunt vt Noritsius archistrategus Dauentriam contenderet, & ciuium auxilio in suam potestatem rediger et. Noritsius nequaquam dubitans quin magna præsidiariorum pars ei esset auxiliatura, Consulem vt tacitè ac quietè se gerat, monuit. Verùm Stanleius simulac Noritsium iter in stituisse intellexit, sub vesperam 28. Ianuarij equo consenso vrbe exijt, postquam præsidiarijs militibus eorumque præfectis persuasisset,

Digitized by Google

fuasisset, ciues, eò quod stipendij solutionem exigerent, constituisse eos inuadere atque opprimere: se verò vt securos tutosque reddat, abire, & maiores præsidiariorum copias introducere velle, quibus ciues ad stipendium persoluendum cogat: vtque institutum commodius perficiat, duplices ante vrbis portas dispositi excubias, eorum maximè, quos sibi imprimis addictos crederet. Quibus sciebant: cumque vesperi abijsset, postridie mane hora quinta rediit, vnaq; Taxium Zutphaniæ gubernatorem cum 600. peditibus & 300. equibus adduxit, qui in ipsis adhuc tenebris vrbem intrarunt, captamque firmo præsidio munierunt. An. 1587.

Stanleius mox causas publicari iussit, quibus se apud Senatores, ciues, & milites purgauit, nec; sibi proditoris ignominiam vllo modo inurendam declarauit, quādoquidem Hispanici Regi iuste suam ciuitatem ac hæreditatem tradidisset, vt; id faceret, vrgente conscientiæ longo ante tempore permotum se asseruit: proinde eos qui in militia manere, & Regis stipendijs meereri cupiant, Regis liberalitatē percepturos; reliquis liberum discessum permitti. Hinc plurimi, quorum maxima pars Hyberni, aliquot mentium stipendio donati sub eo manserunt. Ciuibus arma adempta: multis, inter quos duo concionatores, discedere, literis tuti itineris a Taxio cōcessis permissum. Vrbs neq; direpta, neq; ciues spoliati, præter paucas admodum domos, inter quas vna Concionatoris: vt huiusmodi humanitate reliquæ ciuitates facilius ad deditionem pertraherentur. *Stanleius tres suorum cohortes Zutphaniam, Steenvvyckam, & Oldenzelam misit.*

Stanleius tres suorum cohortes Zutphaniam, Steenvvyckam, & Oldenzelam misit, ipse cum reliquis tanquam adhuc gubernator in vrbe mansit, donec inde in Hispaniā profectus est.

Rolandus Yorckus propugnaculi Zutphanien sis gubernator, cum 800. peditibus, & 100. equitibus, à Leycestrio, inuitis Ordinibus qui eum in signem proditorem reputabant, ad arcendum hostem constitutus fuit. Erat hic Rolandus honestis parentibus natus Londini, militaratque Ordinibus longo tempore, quamquam parua ei fides haberetur. Fuerat Gandaui Vicarius Chiliarchi Ioannis Emby lij, primi Senatoris, cum quo de vrbibus Teneramonda & Gandauo Parmensi tradendis conspirarat: atq; ea de causa Emby ius capite truncatus Gandaui, ipse vero captus, & Bruxellas auectus fuit: postremò, vrbe Bruxellensi Parmensi tradita, liberatus, operam suam Parmensi præstitit in Schaldis amne, ad sæpimentum siue pontem contra Antverpiam. Post amicorum, quos sibi conciliauerat, opera recōciliatus, in Anglium summa cum æstimatione ac dignitate rediit: inde cum Leycestrio in Hollandiam venit, fuitque per D. Philippum Sidneium maximo in honore habitus, & apud aunuculum Leycestrium tantæ auctoritatis ac fidei, vt, Ordinum proceribus resistentibus ac contra suadentibus, custodia propugnaculi Zutphanien sis ad hostium insultus auertendos perne cessarij, concredita ipsi fuerit. *Rolandi Yor. cheymores & vestes.*

Eodem autem die quo suis Dauentriæ deditionem significarat, frustra eos in præsidijs hærere persuasit, & stipendium ab Hispaniarum Rege potius accipiendum consuluit: hinc instigati præsidiarij signa militaria hastilibus detracta diruperunt. Duæ vero Belgarum cohortes discesserunt, alij quoque multi quocunque lubuit abierunt. Ipse Yorckius Zutphaniam venit: vbi mercedē à Rege Hisp. vna cum Stanleio accepta; aliquandiu infamis ac contemptus hæsit, post verò miserè vitam finijt. Taxius autem fortissimo præsidio propugnaculum muniri curauit. *Yorckius propugnaculo Zutphaniensi præfectus.*

Amisso Dauentriæ oppido, & Zutphaniæ propugnaculo, fœderatæ Prouinciæ ingentem metum, dolorem & solicitudinem conceperunt: metuebant enim ne Angli reliquarum vrbium, arcium & munitionum præsidiarij idem aggrederentur, quod Galli, Ducis Andegaui & Brabantiæ tempore, vno eodemq; die varijs locis tentarant. Proinde conuentum absque mora indicunt Hagæ 6. Febr. incommodis periculisq; animosè omni desperatione depositā occurrere paratis mandant, (pro summa quę pœnes ipsos erat, auctoritate) Comiti Mauritio, Principi Auraico nato, tanquam Hollandiæ & Zelandiæ legato siue Vicario, vt summum imperium quod illi, gubernatore generali absente, competebat, necessitate iam vrgente susciperet, Reipublicæ cōsulat & assistat: iubent præterea vt omnes chiliarchi & militum præfecti, ij præcipue qui Prouinciarum stipendia mœrebant, illi fidelitatis, obedientiæ & obsequij sacramentum præstent: quod vt mox fiat, quoquouersus delegatos mittunt, non vt Leycestrij dignitatem vel auctoritatem diminuant, sed vt Prouinciales gubernatores restituant, & redintegrent restaurentq; ea, quæ in hoc negotio contra veteres Prouinciarum consuetudines & contra omne ius diminuta erant: quo quidē modo præcipuas ciuitates sibi deuinxerunt, & reliquos Anglos fideles & obsequentes seruarunt. Verùm hinc tantum vulgi contra Anglos fastidium & murmur est ortum, vt necesse fuerit Ordinibus decreto edito demonstrare, inter omnes nationes esse bonos & fideles, malos quoque & infideles, proinde non omnes simul improbos esse reputandos. *Ordines generales Prouinciarum gubernationem Comiti Mauritio committunt.* *Edictum contra Anglorum calumniatores.*

In hoc perturbato rerum statu, Deputati Ordinum generalium epistolam expostulatoriā 4. Februar. 1587. scriptam; in Angliam ad Regiam Maiestatem, & præcipuè ad Leycestrium mittunt, qua miserrimum Prouinciarum statum exponunt, & quam citissimè remedium adhibendum consuluit: quam quidem epistolam à Leycestrio in peiorem partem acceptam, hic commodè apponendam existimamus, vt Lector Prouinciarum statum ex ea facilius intelligat: erat autem excusa & edita varijs linguis, tali argumento.

Digitized by Google

An. 1587. Liquido satis constare, neque opus esse commemorare, quàm sincera fide & prompta voluntate suæ Excellentiæ aduentus ab omnibus Prouincijs & ciuitatibus fœderatis earumq; Magistratibus fuerit acceptus, quomodo ei gubernatio generalis sit tradita respectu honoris & obseruantiæ erga illustrissimæ Reginæ Maiestatem, ob singularia beneficia Prouincijs ab eadem Maiestate præstita: tum etiam ob spem quam conceperant de beneuolentia, fauore ac voluntate suæ Excellentiæ ad suæ Maiestatis statum conseruandum.

Ordinum epistola expostulatoria in Angliam missa. 4. Februar. anno 1587.

Et quamuis debito suo officio satisfacere cupientes, optarint ad Prouinciarum, & honoris atq; auctoritatis suæ Excellentiæ conseruationem, in generalis gubernationis traditione eiusmodi moderationem & normam potuisse seruari (præter potestatem gubernatori generali competentem, qua ei liberum esset secundum tenorem contractus suæ Maiestatis decernere ac statuere) per quas Prouinciarum status, & dignitas auctoritasq; suæ Excellentiæ potuissent conseruari: tamen cùm viderent suam Excellentiam modo, moderatione aut mensura certa non esse contentam; tandem difficultatibus ac scrupulis quibuscunque postpositis, omnia decreuerint constituerintque pro suæ Excellentiæ voluntate: quamuis facilè considerarint, huiusmodi constitutione ac permissione fenestram multis auaris, ambitiosis & pernitiosis hominibus tam indigenis quàm extraneis esse apertam, per quam suis commodis studeant, in summum dedecus ac damnum suæ Excellentiæ.

Querela de consilio Clanculario.

Qui quidem ipso facto suæ Excellentiæ diffidentiam iniecerunt, cótra fidelissimos Prouinciarum protectores ac fautores, imò contra Ordines ipsos, & Magistratus tam generales quam particulares, cùm viderent se voti compotes fieri non posse quamdiu sua Excellentia ex Ordinum consilio ac sententia gubernaret. Huic autem diffidentiæ commodum fundamentum substituerunt, videlicet clancularij Consilij institutionem: eaque ratione auaras, ambitiosas & seditiosas suas technas atque artes dolosas promouerunt, non obstantibus optimis Consilij Status, generalium ac particularium Ordinum, & fidelissimorum præstantissimorumque virorum, consilijs.

De moneta rejectorum nobilium.

Imò cò res perducta est ab huiusmodi vafris ac subdolis hominibus, vt prima discordia sit orta inter Prouincias & suam Excellentiam, causa monetæ duplicis Nobilis aurei, forma rosæ Anglicæ signati, Amsterodami cusi: qui quidem nummi tunc temporis prætio duorum florenorum vltra iustum valorem, respectu aliarum pecuniarum, in vsu fuere: ita vt hac moneta magno numero cusa, distributa & erogata, Prouinciæ centena aliquot florenorū millia ad belli sumptus soluendos facilè lucrari potuissent: verùm id lucrum omne in auarorum aliquot hominum singulare commodum, & in commune Prouinciarum incommodum cessit.

De decreto contra emendum Ebenum; uectigal.

Neque dubium, hinc ortum esse decretum illud improbum de negociatione & nauigatione, editum & promulgatum inuitis Ordinibus, plurimisque in contrarium oppositionibus, ac manifestissimis difficultatibus frustra allegatis: quo equidem decreto sublatæ fuerunt facultates & commoditates, quas Deus, natura, & situs Prouinciarum, ad earundem conseruationem concesserunt, imprimis permissio ac licentia merces quasdam, quibus Prouinciæ facilè carere, & hostes parum proficere poterant, euchendi.

De discessu conscriptorū militum.

Quorum incommodorum ac impedimētorum causa euenit vt hostis æstate præterita profligatus non fuerit, quod suæ Excellentiæ & omnium rectè sentientium iudicio ac sententia facilè fieri potuisset, si tempestiuè duo aut tria millia equitum, & tria Germanorum peditum millia collecta fuissent; quod proculdubio sperarēt, maximè lectis epistolis, ante, videlicet 8. Maij, ad ipsos scriptis, quæ continebant, suam Excellentiam extraordinariè etiam decreuisse rationem 150. millium florenorum, quibus exercitus colligeretur, ad castra collocanda, & prælium maturè ineundum. Quibus verò modis atque fallacijs, pecunia omni iam parata, hæ stipendiariorum copiæ fuerint dispersæ atq; alienatæ, Ordines hactenus certò cognoscere non potuisse.

Stipendia ante tempus soluta.

Ab aduentu suæ Excellentiæ nullum equitum aut peditum, quos sua Maiestas in Prouinciarum auxilium concessit, delectum fuisse habitum: imò ex initis rationibus satis compertum, stipendia equitum suæ Maiestatis soluta fuisse magno Prouinciarum sumptu ac onere, à 12. Nouembris, anni 1585. quamuis horum equitum pars dimidia non fuerit parata aut instructa tribus post mensibus: ita vt suæ Maiestatis pecuniæ inutiliter fuerint consumptæ, non tantum equitum & peditum solutione, maximo Prouinciarum damno.

Militum penuria.

Imò eosdem milites pessimè fuisse acceptos, & in miseria ac paupertate viuere coactos, non sine Prouincialium incommodo atque oppressione.

Difficilis solutio stipendij militum in transeorum.

Quin & intraneis militibus difficillimè stipendium fuisse numeratum, eosque peius quam vllo totius huius belli tempore fuisse acceptos: quanquam Prouinciæ minimè consenserint aut promiserint tam ingentes contributiones tempore adeò breui paratas exhibere: quę quidem causa fuit quod Resp. miserè fuerit afflicta.

Mineram publicorum administratio

Ex eodem quoq; fonte prodijsse, vt multi fucati hypocritę & Hispanis fauentes, tam harum quam aliarum regionum officia dignitates & auctoritates, illegitimè & importuni adepti, cœperint

Digitized by Google

perint in omnibus fœderatis Prouincijs palàm agere aduersus plurimos Prouinciales & habitatores, contra Prouinciarum leges, libertates, consuetudines & Priuilegia; ipsosque Magistratus legitimos Prouinciarum, & ciuitatum tanquam indignos atque suspectos reijcere & contemnere. An. 1587.

inceptis ac indigna tradita

Atque eo res tandem horum opera deuenit, vt publica auctoritas ijs quibus legitimè competebat, fuerit adempta, in eorum locum constitutis hominibus priuatis, plebeis, idiotis, ad publica munia administranda haudquaquam idoneis, qui carcere, exilio, absque vlla iuris forma vel causæ declaratione, iniquè agunt contra patriæ libertatem, legum & priuilegiorum defensores, & fidelissimos, Reip. conseruationis, quietis & pacis, assertores.

Quos quidem homines peruersos nequaquam puduit apud vestram Excellētiam, & passim apud alios quoscunque legitimum statum & gubernationem Prouinciarum in controuersiam pertrahere, & pro animi arbitrio diffamare, iudicare, reprehendere Ordinum auctoritatem, & omnes Prouinciarum Magistratus, Nobiles, ciuitates, tam generatim quam singulatim, quos Ordines per delegationem repræsentant, denique omnibus modis conari, Prouincias, regiones & ciuitates discordes reddere, & priuatos plebeiosque homines constituere, qui impediant ne quid in Prouinciarum negotijs absque instructione & præsentatione transcriptionis regionum & ciuitatum agatur.

Id præterea præstiterunt, vt debita auctoritas legitimis gubernatoribus, ac præfectis (alijs introductis) sit adempta contra leges contractus cum sua Maiestate initi: gubernationis tradi- *Legitimis imtionem variè diuisa: ita vt contra Ordinū demonstrationes, & decreta à sua Excellentia accepta, atque inita, omnia sint in Prouinciarum statu administrata pro eorū libitu, qui aut status prorsus ignari, aut manifesti hostes fuerunt.* *pune gubernatorum auctoritas adempta.*

Præcipuas etiam ciuitates, arces & munitiones Prouinciarum traditas esse potestati eorum, *Vrbes & arqui Ordinibus legitimas ob causas fuerit suspecti, imò proditionis & perfidiæ erga Prouincias conuicti, atque suspecti semper habiti, quamuis sua Excellentia se vadem pro ipsorum fide ac probitate constituere voluerit.* *ces suspectis commissæ.*

Quæ quidem technæ adeo impudenter & audacter fuerunt confectæ, vt quidam illorum manifestè coniuncti, atque palàm hostes & proditores Prouinciarum cogniti, tolerati, & è iu- *Proditores nō*stitiæ potestate ac manibus fuerint erepti. *punitī.*

Fiduciam autem omnem, vt dictum est, in vno & solo suspicionis fundamento collocarūt, in quod pertraxerunt & detinuerunt vestram Excellent. & alios Proceres Anglos contra Consilium Status & Præfectos Prouinciarum: quæ etiam præcipua causa fuit dissidij inter Anglicam nationem, & Prouinciales qui multis iam annis fideliter suis officijs functi fuerunt.

Postremo hinc etiā aliæ machinationes sunt enatæ. Cum enim Status Consilio à vestra Ex- *Querela de*cellentia gubernatio Prouinciarum manifestè esset cōmissa, vestra Excell. absente, & à vestra *actis restricti*Excellentia ad normam nostræ sententiæ ea de re esset confecta solennis auctoritas, siue acta *omni gubernat.*data 24. Nouembr. paucis, post vestræ Excell. discessum, diebus, ostensa & in lucem edita fuit, *tionis absente*alia auctoritas eodē die signata & data à vestra Excellentia, qua præcipui articuli ad Prouincias *Gubernator.*spectantes tuæ Excellentiæ speciatim fuerunt reseruati, sublata dispositione consilij Prouinciarum: ita vt decretum tunc conceptum, & imprimis conuentiones ad conseruationem & salutem Prouinciarum & præcipuarum ciuitatum, in Angliam fuerit transuectum, actis siue auctoritatibus in Anglia retentis: vnde, proh dolor, hæc mala nunc orta cernimus.

V Vilhelmus enim Stanleius constitutus à tua Excellentia Gubernator vrbis Dauentriæ, & *De Stalei &*Rolandus Yorkus Gubernator propugnaculorū Zutphaniæ dictis actis siue auctoritatibus con- *Yorcki prodi.*fisi ac subri, superiores & præfectos in his Prouincijs cognoscere recusārunt. Cumque tua Ex- *tione.*cellentia abeunte, bonā solutionis stipendij partem accepissent, & postea cum suis cohortibus Prouinciarum sumptu sustentati fuissent, denique tua Excellentia absente, vnius præterea mensis stipendium accepissent; se tamen vltra modum superbè, immodestè, & crudeliter gesserunt: & tandem vtercque 29. die mensis præteriti, perfidè & scelestè hosti vrbem & munitionem ipsorum tideicommissam tradiderunt. Stanleio testificante, se traditionem feciſſe, exonerandæ conscientiæ, & Regi Hispan. suam vrbem reddendi causa: quo quidem facinore magis inhonestum, damnosum & perfidum, toto huius belli tempore non est auditum: summopere etiam metuendum, ne prædiatiæ legiones Bergozomæ, Ostendæ, & aliæ eandem perfidiæ viam ingrediantur.

Et quamuis conatus machinationesque Stanleij & Yorcki satis tempori deprehenderimus, tamen neque nos neque Status Consilium obstare potuimus, quandoquidem auctoritatem & supremum mandatum, secundis quas diximus actis confignatis tuæ Excellentiæ reseruatum, non habuerimus.

Neque sumus ignari suam Maiestatem, & tuam Excellentiam hæc parum æquè accepturas: verūm id liberè tuæ Excellētiæ asserere possumus, nos ægerrimè tulisse horum locorum custo-

Digitized by Google

diam ac defensionem (nobis contra suadentibus) huiusmodi hominibus fuisse commissam, imò ipsum Stanleium nobis commendatum atque oblatum, vt qui toti exercitui esset præficiendus.

Et quanquam, vt supra diximus, omnes has technas, & fictas actiones contra Prouinciarum salutem, periculaq; omnia quæ acciderunt, longo ante tempore præmiserimus, sicut vestra Excellentia satis intelligere potuit ex nostris demonstrationibus ac probationibus, & proinde iustas legitimasque occasiones ac rationes resistendi, (quod quidem prædecessores nostri contra Prouinciarum Præfectos & Principes sæpè fecerunt) habuerimus: tamen ne vestræ Excellentiæ auctoritas, quàm Prouincijs imprimis necessariam scimus, diminueretur: incommoda hæc patienter hactenus tulimus, sperantes vestrâ Excellentiam tot admonitionibus & quotidianis experientijs, tandem ad perpendendum grauissima damna & pericula, quæ Prouincijs per huiusmodi dolos & technas acciderunt, & ad remedia statim adhibenda permoueri posse.

Verùm cùm Prouinciarum Status in tanto rerum discrimine haudquaquam sine debita auctoritate. & summo mandato conseruari possit: & populus his quas dixi perfidis, damnosis ac detestandis actionibus & factionibus in summam diffidentiam sit pertractus: nos & Ordines Prouinciarum, ciuitatum & membrorũ, his rationibus permoti ac compulsi talem gubernandi viam & negocia Prouinciarum administrandi rationem iniuimus, qualem ipsa necessitas postulat: cuius rei vestram Excellentiam certiorem reddere voluimus.

Deputati Ordinum, Prouinciarũ statũ Leycestrio cõmendant.

Existimantes autem, hæc omnia ab hominibus perfidis contra vestræ Excellentiæ sinceram opinionem acta esse; rogamus, harum Prouinciarum Statum suę Maiestati commendare velis, vt equitum & peditum auxiliares copiæ, quas sua Maiestas Prouincijs cõcesserit, meliore ordine, disciplina, & stipendij solutione cõtineatur: & vt suæ Maiestati placeat pecuniæ summam Prouincijs suppeditare, vt perdita recuperari queant: quibus quidem modis & alijs quos nobis Deus concedet, Prouinciarum natura & dispositione iuuante, speramus nos defensuros, & laudabiles nostros conatus exequuturos ad conseruationem veræ Christianæ religionis, priuilegiorum, libertatis, & harum Prouinciarum salutis, contra Hispaniarũ Regem, Malecontentos, eorumque fautores, nostros hostes: totisque viribus conaturos fœderi cum sua Maiestate inito fideliter satisfaccre.

Ne extra Prouincias literæ suæ sinceris concedantur postulant.

Neque id reticendum existimamus, literas tuti itineris & cõmeatus, quas vestra Excellentia concessit extra has Prouincias, tanquam eorundem Gubernator, per Burggrauium, aduersari atque repugnare saluti ac legibus Prouinciarum: postulamus proinde, ne posthac huiusmodi diplomata tuti itineris aut commeatus concedantur.

Stipendiarij militesq; ab eis ad nutum Ordinum delegandi.

Rogamus præterea, id vestra Excellentia statuere velit, vt omnes harum Prouinciarum stipendiarij milites, cuiuscunque nationis, exceptis ijs, quos sua Maiestas in locis suæ securitatis habet, se gerant ad mandata illorum, qui ad gubernandum & Remp. constituendi sunt cum Status Consiliarijs, sequendo contractum cum sua Maiestate initum, in Prouinciarum negocijs promouendis.

Paulus Busius è carcere liberatus.

Et cùm Paulus Busius à vestra Excellentia in Status Consilium admissus atque electus, in custodiam, contra Prouinciarum leges & Priuilegia traditus, & sex menses præter æquum, in carcere detentus fuerit, à nemine mortaliũ interea temporis accusatus; nos cum liberaiimus legitima promissione facta, *iudicio sisti*, cùm in ius vocabitur, *sub pœna convicti & confessi*, fideiuisione ac cautione præstita ad summam vsque vicies quinque millium florenorum, vt continentur in literis, quarum exscriptum his adiunximus: qui quidem Busius præsentem se exhibuit ad respondendum omnibus ijs qui cum accusare, aut in ius pertrahere voluerunt.

Scriplimus etiam suæ Maiestati, quarum literarum exemplar his adiunctum. Rogamus Deum creatorem, vt vestram Excellentiam sanam, saluam & longæuam conseruet. Hagæ 4. Febru. 1587. Vestræ Excellentiæ imprimis studiosi Ordines generales fœderatarum Belgicæ Prouinciarum. Subscriptum: *Decreto eorundem Ordinum.* Signatum C. *Aerssen.* Inscriptum: *Suæ Excellentiæ*, &c.

Ordinum Epistola amulis in Anglia in peiora comparit disrepta.

Hæc Epistola in malam partem in Anglia, præcipuè à Leycestrio, accepta fuit: quamuis ibi dem non pauci essent, qui eius gubernationem in Belgio Prouincijs admodum grauem, & suæ Maiestati parum commodam & honestam existimarent. Leycestrij autem fautores simul ac se accusatos intelligunt, continuò factiones & inimicitias in Prouincijs excitare student, & literis ad Synedria siue consistoria Vltraiecti, & aliarum ciuitatum missis, grauiter de hac Epistola conqueruntur, eiusdemque exemplar descriptum vnà mittunt: conqueruntur quoque de Ordinibus à quibus missa erat: communi omnium consensu scriptam negant; sed paucorum hanc fuisse operam, eorum maximè qui Leycestrio parum æqui sunt, asserunt: proinde suam Maiestatem valde commotam, existimare, neque sibi neq; suis fidem haberi, & prorsus nescire quid de ipsis statuere aut sentire velit, &c.

Fautores quoque Leycestrij in Hollandia & Zelandia, qui de hac Epistola, quæ clàm habebatur,

Digitized by Google

batur, nihil audierant, re tandem intellecta, Epistolæ scriptores & auctores in conuentu accusandos censent, vtque id permittatur in generali cõuentu Ordinum postulant. Ordines autem post de his scripto conquerruntur, & tanquam schisma siue diuisionem inter Prouincias strui aiunt: si verò quid acrius in Epistola scriptum sit, id temporis necessitati, summæ perplexitati atque angustiæ, Dauentria & Zutphania perditis, imputandum esse. An.1587.

Regina huic Epistolæ, & delegatorum, qui in Angliam sub finem Ianuarij venerant, postulationibus satisfacere volens, decreuit (vt & antea constitutum erat) ad Ordinum Belgij Proceres mittere Baronem de Buckhurstium, præcipuum Consiliarium, maximæ auctoritatis virũ, & D. Clericum, iuris Doctorem, vt cum D. Noresio & Roberto VVilkesio negotia Prouinciarum ad meliorem statum reducant, & discordiam dirimant. *Baro Buckhurstius & D. Clericus ex Anglia legati in Hollandiã.*

Hi die 23. Martij ex Anglia cum dictis Ordinum delegatis discesserunt, & cum Ordinum Proceribus negotia probè & prudenter transigerunt, summasque Ordinibus, ob res bene administratas, gratias egerunt. Leycestrius autem cum suis, Buckhurstij, Clerici, Noresij & VVilkesij acta ægrè tulerunt, & tanquam iniqua reputárunt: verùm tandem omnibus pacatis, de Leycestrij in Belgij reditu deliberatum fuit.

Cumque D. Philippus Sidneius Vlissingæ Gubernator, in Zutphauiéli obsidione globo vulneratus mortem obijsset, Regina in defuncti locum misit D. VVilhelmum Russelium, Comitis Bethfordiæ filium, equestris Ordinis virum, summa probitate ac dignitate insignem, verùm eo loci inexpertum: appulit is 23. Februar. vnà cum Terlonio, olim Zelandiæ Archithalasso, qui longo tempore in custodia ob suspiciones detentus, post verò liberatus atque absolutus, in Angliam, vt Reginæ gratias ageret, profectus erat. *D. VVilhelm. Russelius Vlissingam Gubernator mittitur.*

Sicut hoc anno 1587. fœderatæ Belgij Prouinciæ grauissima damna, infortunia, & intestinas discordias passæ sunt: ita reliquæ, Regi Hisp. reconciliatæ, maxima annonæ charitate, fame, necessitate, morbo, mortalitate vexatæ fuerunt: idq; potissimum, quod ob bellum diutinum agri, neq; culti, neq; consiti fuerint, & frumẽtum in vicinis etiam regionibus aliquot annis non satis feliciter prouenerit, atque in ingens pretium excreuerit: eamque ob rem fœderatarum Prouinciarum Ordines non tantum frumenti euectionem, vt multorum voluntati satisfacerent, prohibuerunt: verùm etiam naues præfidiarias in Albe, Amisio, & alijs fluuijs, in Flandriæ quoque limitibus collocârunt, atque hoc modo quascunque potuerunt ad hostem aduectiones impedierunt; cùm plurimi existimarent, Prouincias vrgente fame ad generalẽ defectionem pertrahi accogi posse, verùm ea res eos fefellit: nam limitaneis & exterioribus vrbibus, præsidijs militum munitis satis prospectum erat: reliquæ autem interiores, neque generalem defectionem facere, neque in defectionem ire potuerant: & ex vicina Germania, Francia & Anglia passim alimenta, licet magno pretio, conquirebant, neque tanta, vt antè, copia opus erat, populi videlicet numero valde minuto: nihilominus plurimi fame & morbis ex penuria ortis miserè interierunt. *Albis, Amisi & alia fluminea clausa. Fames & pestis in Prouincijs Belgicis Regi Hispan. reconciliatis.*

Miseria, paupertas, fames, pestis & morbi, in quas Prouinciæ Deo & Regi, vt vocant, reconciliatæ inciderunt, neque calamo describi possent, neque scriptori fides haberetur. Nam in Flandria, imprimis Brugæ, Ypræ, Cortracum & minores aliquot ciuitates & pagi, in Brabantia quoque ciuitates multæ, miserandum in modum desertæ, vastatæ & deletæ fuerunt, habitatoribus maxima parte profugis, & fame, paupertate, peste enecatis, ita vt multi insignes pagi, in quibus 1000 2000. 3000. domus bene habitatæ fuerant, derelictæ & vastatæ sint, præcipuis in locis luporum & aliarum ferarum antra conuersis; hominumque domicilijs ac cubilibus, proh dolor, lupórum catulis repletis, quorum numerus in Brabantia & Flandria tunc adeo creuit, vt non tantum bestias & pecora, sed, his deficientibus, etiam pueros, imò mulieres & viros inuaserint & dilanierint; infantes quoque ex sinis & maternis imò paternis brachijs eripuerint. Numerati in agris Gandauo ad duo miliaria proximis, centum & amplius homines à lupis deuorati, qui ob habitatorum paucitatem occidi aut fugari non poterant. Canes gregatim per agros errantes efferi nimia fame, pecora, homines, & alteri alteros inuaserunt atq; deuorarunt: & vt paucis dicam, tanta fuit agrorum vastatio, vt neque campi à syluis, neque fossæ & aggeres à vijs altioribus discerni, neq; areæ, dirutis ædibus, nosci à possessoribus potuerint: adeo omnia vastata & arboribus, dumetis, spinetis, tecta fuerunt. *Prouincia bellica vastatur & à lupis feritate bestijs infestantur.*

Tanta quidem hoc anno dictis locis fuit fames ob nimiam annonæ charitatem, vt Antvverpiæ, Bruxellæ, Gandaui & alijs ciuitatib. probi & bonæ æstimationis homines honestè ac splendidè vestiti, panẽ vesperi incogniti mendicarint: imò diuites plurimi holoserico veste vestiti, cum ex prouentu redituq; annuo nihil reciperent, suppellectili & rebus mobilibus venditis & cõsumptis, mendicare coacti sint. In colluuionibus & fordium congeriebus platearum, perquisita à famelicis ossa, raporum putamina, aliaque vesca: imò Brugis mortui canis cadauer in platea inuentum esca ciuibus familicis fuit. *Diuites mendicant.*

Frumenti caritas nunquam similis audita. Antvverpiæ vertilla (vt vulgo vocant) siliginis librarum *Frumẽti pretium ingens.*

An. 1587. librarum circiter 120. vendita fuit 20.22.& 24. florenis; tres autem floreni coronarum aureum Francicum conficiunt: vertilla piforum 13. florenis, & triticum pro rata parte pluris. Bruxellæ saccus Siliginis 24. tritici 32. 33. florenis. Brugis mensura vulgo pileus dicta, septem libris Flandricis, cubus mensuræ pondus est. Ita vt veles, siue lasta, Siliginis vt vocant, excurreret passim in summam octingentorum circiter florenorum: quæ quidem annonæ caritas longe superabat eam, quæ anno 1546. fuerat, cùm Amsterodami veles emebatur 68. aureis, qui nunc temporis æstimati conficerent circiter florenos 163. quæ quidem summa tunc reputabatur caritas. Carnes quoque maximi fuerunt pretij: libra veruecinæ 9. stuferorum, bubulæ 5. porcinæ 6. butyri 8. etiam pluris.

Librarum 16. vncias continentium.

Anno autem sequenti annona valde fuit laxata, quòd agri mediocriter essent culti, & maxima hominum pars diminuta: ita vt Antverpiæ vertilla Siliginis non multo pluris floreno venierit. Verùm hæc annonæ laxitas nequaquam comparanda cum ea, quæ in Belgio fuit anno 1548. tunc enim veles Siliginis empta fuit 68. florenis aureis, quæ ante duos annos (videlicet anno 1546.) constiterat plus minus 160. vt nunc pretij pecuniarij æstimatio est. Tunc 68. florenis aureis Germanicis siue 160. florenis Brabanticis venijt, veles tritici, veles Siliginis, veles hordei, veles auenæ, quartarius tunnæ butyri, 300. libræ lardi, 300. libræ cafei, 100. cafei manuales, thorax, par alcecorum, pileus, pera, ouis, opima, dolcum cereuilliæ Ioppensis, dolium cereuisiæ Rostochiensis; sex præterea stuferis arrhæ epularis loco reliquis. Hæc memoriæ causa sint dicta, vt hinc clarè videamus, quid Deus offensus, quid propitius præstare posit.

Prosperitas & opulentia Prouinciarum fœderatarum.

Contra verò in Hollandia, Zelandia, & alijs Prouincijs fœderatis frumentum eiusdem continuè pretij, licet satis magni, permansit. Habebant enim mare apertum atque liberum, & quæstum piscatione, nauigatione & negociatione marina, faciebant: eamq; ob rem tanta hominum multitudo ex alijs regionibus eo transmigrauit, vt in vrbibus domicilia pretio quamuis maximo conducenda nulla fuerint: proinde oppida ampliare, & agros domibus instruere necesse fuit: itaque his Prouincijs bellum in summum commodum cessit. Inhabitatores multo quæstu vbique diuites euaserunt, quamuis maximo numero aucti, ingentes exactiones, indictiones, liberi irineris tributa, vectigalia, nouosque indies canones penderent: vnde continenter 100. & amplius, naues præsidiariæ, 20. circiter peditum, & equitum duo milia solutionem maximæ partæ accepere: reliquum prælijs ineundis, & oppugnationibus propellendis, alijsque ad bellum necessarijs impensum fuit. Hæc quæ dixi, lectores & posteri facilè credent, cum insignes vrbium munitiones, ædificia sumptuosa, portus nouos, nouas vrbes, nouas in vrbibus plateas, tormentorum bellicorum, munitionum, nauium maximarum ingentem, & nunquam ante visam copiam, multaque alia, huius belli tempestate structa, parta, auctaque videbunt.

Naues 800. Prouinciarum fœderatarum simul Orientis versus nauigantium Apr.

Ingens autem, de quo diximus, negociationis & mercaturæ fœderatarū Prouinciarum quæstus, liquidò satis indepatet, quod verno tempore huius anni ex Vlia 580. ex Briela & Zelandiæ fus contenderint: quarum partem cum Orefundam traijcerent, Daniæ Rex detineri iussit, & 200. & amplius, simul autem 800. & plures, tam maiores quam minores naues Oostlādiam versus pluſquam triginta dalerorum millia extorsit. ob damnum, & vim illatam, & torquem auream à præmiatoribus (vt quidem prætendebat) Caio Rantsouio, suo ad Parmensem legato, domum terrestri itinere redeunti sublatam, qua de re post latius agemus.

Franciſ. Draci nauigatio in Indias. Regem Hiſp. in feſtidi causa.

Postquam hic nauigationis mentio facta est, commodè narrabimus de Francisco Draco equite, qui cum ex Anglia orbis terrarum globum circumnauigasset (vt supra diximus) duas insuper memorabiles nauigationes peregit, eo imprimis consilio, vt Regem Hispan. infestaret & damno afficeret: priorem instituit anno 1585. versus Indiam Americam, vt ingentem thesaurum, quem Rex quotannis inde recipiebat, præriperet, quod & aliquo modo præstitit. Soluit autem ex Anglia 22. Septemb. 1585. habuitque naues maiores circiter 20. & liburnicas aliquot, viris 2300. præcipuè militibus classiarijs munitas, & D. Christophori Carleili, vicarij sui fidulę gubernationi commissas: cursum habuit Insulas Bayonnas versus, & per Hispaniæ oras, Canarias vsque, Palmam Insulam prædiuitem superare meditans: verùm cum & introitum, nimis difficilē, & mare valde ferum ac procellosum videret; vlterius, Hesperiongeras siue Cabo verde Insulas versus nauigauit, & in D. Iacobi Insulam mense Nouembri venit: hic classiarij milites vrbem, vnde populus in montes confugerat, cœperunt, & in ea quatuordecim diebus manserunt: profugi enim ciues olei, vini, farinæ, fructuum, & reliquarum rerū ad vitam necessariarum satis reliquerant: qui cum neq; prædationem neque incendiū redempturi compararent, classiarij vrbem & obuia quæque flammis deformārunt.

Dracus capit vrbem S. Dominici. & Carthagenam.

Inde iatra 18. dies, classem Insulæ Hispaniolę siue S. Dominici, appulerunt: interea verò temporis febris grauissima & pestifera classiarios inualit, multosque extinxit. Cùm verò nocte, proximè S. Dominici vrbem appulissent, eam oppugnarūt, & ea parte qua iter terra patebat, irruperunt; facillimè vrbe potiti, quod maxima ciuium pars aufugisset. Vrbs hæc ampla est, pulchris ædificijs, & magnificis templis instructa: plateæ amœnæ, latæ, rectæ; domus excelsę lapidibus

lapidibus conſtructæ, portæ, portus, propugnacula eximia. Tandem cum toto menſe hic manſiſſent, neque ciuium profugorum quiſquam domos redempturus adueniret, maximam earum partem diruerunt & exuſſerunt: cumque pro reliquis, quæ ſupererant, vigintiquinque ducatorum millia accepiſſent, inde continenter Americam verſus nauigârunt, vrbemque Carthagenam, ſiue Carthaginem nouam, aggreſsi oppugnâre: verùm habitatores præmoniti quibuſcunque potuerunt, modis reſtiterunt, poſtquam fœminæ, pueri, & ſerui profugi pretioſiora quæque aſportârant: tandem verò vrbe non ſine magna vtrinque clade grauique damno ſuperata, ſex ſeptimanis hic commorati, cùm domos plurimas diruerent, & flammis vrbem deformarent, ciuibus centies & decies mille ducatos extorſerunt, poſtea tormétis omnibus ſimul auectis diſceſſerunt. An 1587.

Conſtituerant autem nauigare verſus Nombre de Dios, atque inde terra petere Panama, maris Meridionalis portum, quo Regis aurum & argentum ex Peruuia aduehebatur, idque circa ea loca deripere decreuerant: verùm mutata ſententia, quòd tertia ferè pars ſeruentibus febribus periiſſet, conſultiſsimum reputârunt in Angliam reuerti, & optima quæque in ipſo itinere prædari atque vaſtare. Menſe autem Aprili profecti verſus D. Antonij promontorium, ad extremam Occidentalem partem Cubæ, cùm inde ad alios fines Inſulæ Hanauæ peruenire non poſſent, menſe Maio floridæ oras verſus claſſibus iter inſtituerunt: & Auguſtinianam vrbem aggreſsi, arcem prælidiariis 150. Hiſpanis munitam ceperunt, & flammis delerunt. Inde in Virgineam nauigârunt, vbi longo tempore Angli multi habitârant: quos cum viderent à ſocijs atque amicis relictos magnam omnium rerum neceſſariarú penuriam pati, in claſſes partitos nauibus receperunt, pariterque in Angliam 6. Auguſti, anno 1586. redierunt, aduexerunt 240. plus minus tormenta maiora bellica, eaque omnia, exceptis 30. aut 40 ex ære conflata.

Alterum iter inſtituit Dracus, anno 1587. magno inſignium nauium numero inſtructus, quibus Hiſpaniæ limites aggreſſus, Regi Hiſpaniarum damnum nititur inferre, eumque ſpoliare apparatu armorum & machinarum, quo claſſem contra Angliam & Belgium inſtruere dicebatur. Menſe autem Aprili in Caleti Andoloſeni portum velis contendit Dracus, & ſex actuarias Hiſpanorum naues, iter impedire volentes, in proxima propugnacula conſugere coegit: mox plurimas maiores & minores, onuſtas & vacuas, centum & amplius velis ſimul inſtructas ſtrenuè inuaſit & combuſsit: inter quas actuaria Marchionis S. Crucis 1400. vaſorum capax; plurimas circulis ligneis, remis, vaſorum materijs, tignis, & alijs inſtrumentis ad claſſem regiam apparandam, multas quoque vino, oleo, tritico, ficubus, vuis paſsis, annona alijsque rebus ad victum neceſſarijs onuſtas: nonnullæ autem ad arces & propugnacula proxima conſugerunt: ingens nauis ex Ragula, mercibus onuſta, mille vaſorum capax, triginta tribus tormentis æneis munita, fuit ſubmerſa: piſcatorum retia innumera rupta & direpta: quo quidem damno tota illa regio ſummopere turbata & exinanita eſt: inde abiens Dracus, Caſcaletú Portugalliæ præternauigant, vbi Marchio S. Crucis cum actuarijs aliquot nauibus reliquas ſeruare ac defendere fruſtra ſtudebat, hoſti nequaquam reſiſtere auſus. Ita Dracus ſpolijs onuſtus domum redijt. *Dracus altero itinere plurima hoſtium naues capit & exurit.*

Thomas Candiſchius Anglus vir generoſus, eadem quoq; tempeſtate cum duabus nauibus mundi globum circumnauigauit, & per fretum Magellanicum in mare Meredionale ingreſſus, prædamq; opimam nactus, per promontorium Bonæ ſpei, quod Cabo de bona eſperanza vulgo vocant, direptis, exuſtis, & ſubmerſis viginti plus minus Hiſpaniæ ſubditorum nauibus, dimiſſis ſpolijs vna naue reuerſus eſt in Angliam 18. Sept. 1588. *Thomas Candiſchius Anglus ſpolijs onuſtus domum redijt.*

Laxata iam per Belgium annona, & frumento in horrea inuecto, Parmenſis per omnes Iuriſdictionis ſuæ Prouincias, exercitu colligit, expeditionem in Hollandiæ partem illam, quam Veluam vocant, parare ſe ſimulans. Hę copiæ circa initium Maij in Brugenſium viciniam venire cœperunt, paulatim creſcentes, vtq; Sluſenſibus minus ſuſpecti eſſent, ſpargunt ſe, Duce Lamottio, Ardenburgum mitti, vt inde damnoſas toti Flandriæ Oſtendenſium & Sluſenſium depopulationes reprimerent. Cùm iam omnis exercitus eſſet in procinctu, & tam Germanicæ quam Belgicæ aliæq; externarum nationum legiones collectæ, ad Sluſæ obſidionè tenderent; Parmenſis ipſe 7. Iunij Bruxella egreſſus, proximo die Brugas venit 9. turmas ſecum ducens, quas reliquæ ſequebántur. Horum aduentus, & præcedens de eorum per Flandriam apparatu, fama, animos Oſtendenſium & Sluſenſium valde cómouerat, adeo vt ab vtriuſq; loci Præfectis, crebri nuncij, & literæ mitterentur in Zelandiam, & Hollandiam, vt ſibi de commeatu, militie, armis, & reliquis munitionibus ad bellú neceſſarijs proſpiceretur, contra imminentem ſibi hoſtium vim. Vidi inter alias, literas Arnoldi Gruneveldi Sluſenſium tum Præfecti ad Ruſſelium Fliſingæ Præfectum 9. Iunij datas, quibus ei ſignificabat, ſe diligenti inquiſitione habita, tam per publica ciuitatis granaria, quàm per priuatas ciuium domos, non plus inueniſſe frumenti & annonæ quam ſufficere poſſet ad ſtos alendos pauciſſimis diebus. *Narratio de obſidione Sluſenſi.*

Ruſſelius huiuſmodi literis excitatus iam ante Bergẽſi præſidio aliquot cohortes accíuerat, quæ paulò pòſt in tempore venerunt. Ad Mauricium Auraicum 11. Iunij inſuper pro militibus ſcripſit:

Digitized by Google

An. 1587. scripsit: Pro annona verò & munitionibus bellicis, (vti vocant) misit ad Zelādiæ Ordines Legatū Vanheillum, cum Nicolao Meetkercho, Sluſenſis Præfecti vicario, ea tū gratia eo ablegato, à quibus cum promiſſa reſponſi loco accepiſſet, (quia Zelandi periculum tantum quantum ſcribebatur eſſe negabant) Ruſſelius per eoſdem inſtitit 10. Iunij, & 11. mettuensque interim ſolitas dilationes dicto Vanheilio expreſsè mandat, vt aſſumpto in auxilium ſuum Magiſtratu Fliſingenſi, frumentum vbi eſſet, inueniret, quod Sluſam ſine mora tranſmitteret, qui eodem die, diligenti inueſtigatione inuentam nauem frumento oneratam, pro auctoritate ſibi data Sluſam vehi iuſsit, qua diligentia Sluſenſibus toto obſidionis tempore de frumento fuit proſpectum. Eodem die è Bergenſi & Oſtendenſi præſidio in Zelandiam appulerunt tres cohortes, quibus Ruſſelius vnam è ſuis cum ſelectis aliquot militibus addens, quatuor iuſtas cohortes impleuit omnes 800. ferè efficientes.

Appulerunt tum etiā ex Anglia Rogerius VVilliems eques, & aliquot nobiles Angli, quos ob rumorem de hoſtium apparatu circa Oſtendam, Regina (quæ in cuſtodia ſua oppidum illud habebat) miſerat, vt illud collectis ex vicinia viribus, contra hoſtiū oppugnationem tuerentur. His intellecto, quod hoſtis Sluſenſibus immineret, operam ſuam libentes ipſis obtulerunt. Itaque factum eſt, vt omnes ſimul 12. Iunij ex Zelandia ſoluerent cum quatuor dictę cohortes Anglorum, & quædam naues inſtructæ armis, globis, puluere tormentario, aliiſque bellicis inſtrumentis, quantum per anguſtiam temporis fieri poterat, itemque nauis frumento onerata. Hę ſimul eodemque die incolumes omnes Sluſam appulerunt, non ſine magno periculo tamen, quia hoſtis de præterito propugnaculum quoddā Sluſenſibus, prę ripuerat & portui cū tormentis ſuis imminebat, infeſtus. Præſidiarij Sluſenſes hoc modo aucti, creuerunt ad numerum 1600. ſtatimque eodem die quo appulerunt, ad Ruſſelium & Zelandos ſcripſerunt, vt de reliquis ſibi ad obſidionem ſuſtinendā neceſſarijs, proſpicerent. Quod fruſtra tamen fuit, reuerti fuerunt coacte. Parmenſis caſtra in Caſanto potuit maiorq; exercitus eius pars, quæ ad Breſquin erat, Propugnaculum Blanquenbergenſe expugnauit, vt ab ea parte ab Oſtendenſibus tuti eſſent. Obſeſſi initio crebras validiſsimasque in hoſtem excurſiones fecerunt, in quibus etſi hoſti clades magnas attulerunt, multos tamen è ſuis deſiderārunt. Magnam fortitudinis laudem hic nacti ſunt inter nobiles Belgas, Nicolaus Meetkerchus (à cuius latere nunquam diſcedebat minimus eius frater Adolphus) & Carolus Herogerius, Nicolaus Maudius, Capitanei & alij quam plurimi. Inter Anglos Rogerius VVilliems, Nicolaus Bæskeruilde, Francifcus Vere, equites Colonellus Huntley.

Mauricij Bra bantiam in cuſtionibus paſſat.

Mauricius Auraicus tum temporis Ordinum nomine præcipuus Dux, nuntio de Sluſæ obſidione accepto, cum ingenti militum numero in Brabantiam cōtendit, aliquid aggreſſurus, quo Parmenſem ab obſidione auocet. Itaque vnà cum Comite Hohenloio in Brabantiam incurſione facta, viginti duos pagos, & duas vrbeculas diripuit & cremauit. Conſultum dein putauit Buſcumducis oppugnare vſus opportunitate maximè tum paſsim inundationis, & vrgentiſsimæ famis, qua omnes tum ibi premebantur. Sperans Parmenſem hac ratione cogi poſſe, vt ab obſidione incepta deſiſtat. In quo fallebatur, quia Parmēſis loco manens, in Brabantiam miſit Hautepennium Barlamontij filium cum 42. peditum cohortibus, & 25. equitum turmis, quæ Boxtellæ prope Buſcumducis caſtra locārunt.

Interea cum Sluſenſibus nemo ſubueniret, nec apparatus vllus ab Ordinibus fieret, omnes ad Comitem Leycestriæ exclamarunt, eius præſentiam & auctoritatem requiri, ex officio dicentes, vt Sluſenſibus ſuccurri poſſet. His intellectis Leycestrius, reputans occaſionem ſibi dari laudem & gloriam adipiſcendi, maximè cum Ordines, vt rediret, inſtanter petiſſent: In Zelandia feſtinanter traiecit, Fliſingamque maxima omnium exſpectatione, & applauſu 6. Iulij appulit, adducens ſecum bonum numerum nouorum militum. Hoc Anglorum ſuorum auxilio Leycestrius Sluſam liberare ſatagens, neceſſaria quæque ad repellendum hoſtem terra marique præparauit.

Mauricius vbi de Leycestrij aduentu reſciuit, aſſumpto ſecum Schenckio & Noreſio tribunis in Zelandiam ad Leycestrium cum aliquot cohortibus Belgicis & Anglicis venit, relicto ibi Hohenloio cum tribus hominum millibus ad limites Hollandiæ, & Hemertſchenum aggerem defendendum, ſperans maiores copias (vti conſtitutum erat) ex Geldria, Friſia, & Traiecto ipſi auxilio aduenturas, quod tamen non eſt factum. Hohenloius nihilominus propugnaculum Engelenum vi cœpit. Hautepennio fruſtra & infœliciter ſubſidiū ferente. Hohenloius enim eius equitatum obuiam profectus, maiorem eius partem deleuit, Hautepennio ipſo lethali vulnere fauciato, vnde & paulò pòſt interijt 13. Iulij. Hinc locus cum ſuo propugnaculo, Creuecoeur (quod ſonat Cordolium ſeu Crepacordium) dictus eſt, quod corda animique militum hic crepauerint, & fracti ſint, dum vim Hohenloij ſuſtinere conantur, quod Galli dicunt Creuer d'cœur.

Hautepenni⁹ ab Hohenlōio cæſus occi. ur.

Engelenum cur ab illum Creuecœur.

Dictus Hautepennius proximè præcedenti Ianu. Geldriam ciuitatem ſibi à Paitono Scoto, præſidij

præfidij ibi Præfecto traditam, Parmenſis nomine occuparat. Cùm enim Paitono vrbis cuſtodia eſſet commiſſa in abſentia Schenckij, & Leyceſtrius iratus ipſi eſſet minatus, ſe, eo remoto, Stuartum in locum eius ſuffecturum: Paitonus iniuriam hanc, quam ſibi factam prætendebat, vlciſci & interea ſe in tutum collocare volens; cum Hautepennio de tradenda ipſi vrbe egit. Militesitaque ſuos armari iubet, mandatum ſibi id à Schenckio Præfecto militiæ fingens, qui ea nocte (vt dicebat) cum equitatu erat venturus, & contra hoſtem, pro more ſuo, iunctis ſibi præſidij illius viribus, aliquid machinaturus. An. 1587.

Geldria ad lacum Scelo, Parmenſis ditionis.

Cùm ergo Præſidiarij Schenckium de nocte adeſſe putarent, Paitonus Hautepennium cum ſuis introduxit, Præſidiariis ſerò comperto dolo & ſruſtra reſiſtentibus, quorum nonnulli, qui in arcem confugerant, pretio dato vitam redemerunt. Amiſit hoc loco Schenckius equorum bellatorum, armorum, aliarumq; rerum pretioſarum magnam copiam.

Vt ad Sluſenſes redeam. Parmenſis eos maxima vi oppugnabat, propugnaculum primum inuadens, mœniaque triginta tormentis maioribus, & octo alijs oblongis, quos Colubros à ſimilitudine vocant, aſsiduè percutiens. In ſumma 17400. ictus in eos agens. Ex quibus in ferijs D. Iacobi ab hora tertia matutina ad Quintam promeridianam facilè 4000. fuerut dati: adeo vt Parmenſis ipſe fateretur, ſe nunquam vno die, tanta violentia, & tam continuo impetu in aliquos actum meminiſſe. Tantam ingenti & inaudita tonitruum vi, ruina mœnioruſn facta eſt ad 250 paſſus. Per quam ruinam oppugnantes ſepties ſummis viribus impreſsionem fecerunt, ſed ab obſeſsis, haſtis & bipennibus ea virtute ſuere excepti, vt poſt magnam ſuorum ſtragem inde auſugere ſint coacti. Ex quibus diebus vno pugnatum eſt in mœnibus, ſimulatque in locis ſubterraneis (vbi cuniculos hoſtis egerat, ab hora nona matutina, ad vndecimam promeridianam, quo ardentiſsimo conflictu, Marchio Rentiacus ſuit læſus, Lamotius Tribunus dextrum brachium amiſit, Streppenus legionis, Burgundicæ ductor, cum multis clari nominis militum præfectis, & alijs ad numerum 700. eſt cæſus, totidemque ſuere ſaucij, vt hoſtis poſtea ipſe eſt faſſus, cum obſeſsi 150. tantum eo die deſiderarent.

Poſt factam 250. paſſuum ruinam, & tot violentiſsimas inuaſiones, Sluſenſes ſe ſpatio decem & octo dierum ſunt tutati, haſtis, gladijs & ſclopetis cominus quotidie pugnantes, munitiones enim ſuas exercat hoſtis 300. paſsibus intra externorum mœniorum ruinas, vnde ſingulis horis obſeſſos ſuis ſclopetis inſeſtabat, è vallis ſuis abigere eos nitens. Eam neceſsitatem hac ratione ipſis faciens, vt præcipui omnes militum præfecti, & officiarij continuas illas octodecim noctes vigilibus adeſſe, & in ipſis vallis cibum capere cogerentur. Virtute & indefeſſa vigilantia ſua tam diù locum tuentes, donec continuo machinarum impetu mœnia, vallaque omnia adeo fuere labefactata, vt milites non ſufficerent ad latiſsimas ruinas contra hoſtilem irruptionem amplius defendendas: niſi (quod fieri non poterat) relicto oppido ſolum propugnaculum tueri voluiſſent.

Ad hæc per cuniculos etiam oppugnabantur, quia oppidum hypogeis, cellisq; ſubterraneis plenum eſt: erat enim olim commodiſsimum ſuum totius regionis portum, (nunc temporis multa arenarum mole obſtructum) ibi ſtabulum (vti vocant) & emporium omnium vinorum quæ ex peregrinis regionibus in Flandriam aduehebantur.

Obſeſsi propterea, ne de improuiſo ſub terra obruerentur, Cuniculos etiam contra egerũt, hoſtemque ibi obuium habentes: ſingulis ferè horis aſperrimè cum eo pugnabant continuos nouem dies gladijs, clypeis & ſclopetis, donec ex 1600. qui erant initio, ſeptingenti tantum ſupereſſent.

Cùm iam ſeptem obſeſsi fuiſſent hebdomadibus, Leyceſtrius collectis paſsim terra marique viribus, cum Mauricio Auraico, aſſumptis in concilium ſuis ſtrategis, de Sluſa liberanda ſedulo agit. Magna erat parata claſsis, militibus claſsiarijs à Mauricio inſtructa, cui præfuit, vt ſupremus Prouinciarum Admiraldus ipſe Mauricius, ei adfuit, frater eius nothus Iuſtinus à Naſſavv, Zelandiæ Admiraldus, & alij Nauarchæ Belgæ. *Leyceſtrius molitur Sluſam obſidione liberare.*

Leyceſtrius cum 25. cohortibus peditum, & 6. turmis equitum 29. Iunij ex Zelandia verſus, Oſtendã contendit: quo conuenerunt D. Carolus Havvart, Angliæ Admiraldus, Comes Cumberlandiæ cum aliquot nauibus & magna parte nobilitatis Anglicæ, qui tam auxiliandi, quam viſendi cauſa ex Anglia eò confluebant.

Conſtituerat Leyceſtrius Sluſanum portũ in ipſo introitu inuadere, & vlterius cum aliquot nauibus bono præſidio munitis, in locum certũ ſub arce ſatis profundũ biennio proximè elapſo (vt ferebatur,) inundatum peruenire, vbi naues tuto conſiſtere poſſent.

Verùm maris Præfecti, Naucleri, & alij rei nauticæ periti, imprimis Zelandi, contra ſentientes, nequaquam conſultum exiſtimarunt rem quam perfidere non poſſent tentare, & in certam perniciem naues & milites adducere. Variæ hic fuere hac de re ſententiũ opiniones & diſſentiones, quæ multorum animos exacerbarunt.

Digitized by Google

An. 1587. Itaque videns Leycestrius se nihil mari posse efficere, quid terra præstare possit, deliberat. Quare cùm 30. Julij Ostendam appulisset, ad eumque multa nobilitas Anglica præter 5000. hominum quæ adducebat, accessisset: etsi tantas, quantis opus erat copias non haberet, tamen cum ijs quas habuit tertio Augusti, Ostenda egressus propugnaculum Blanckebergense aggreditur, & quod Parmensi ad exercitum suum à parte Ostendæ protegendum imprimis commodum esset, capere in animum inducit.

Sed cum locatis ibi castris per 300. vel 400. sclopetarios (musketas vocant) ex proximis aggeribus propugnaculum oppugnari iussisset, aliquotque ictus duabus Campestribus suis machinis, quas aduexerat, in illud dedisset, nec præsidiarios terreri eo cerneret, quod bene essent muniti, interimque noua acciperet, quod Parmensis cum omni exercitu ipsi veniret obuiam, vlterius pergendum non duxit, tam vt hostem à tergo non relinqueret, quàm quod imparibus viribus contra hostem ire dissuaderetur, quare sub noctem, secreto cum suis Ostendam est reuersus, non sine damno.

Cùm ipsemet Parmensis omninò decreuisset soluere obsidionem, si vidisset Leycestrium versus Sluisam tendere, vel Blanckenbergam diutius oppugnare, quia rumor erat ingentem exercitum ex Anglia aduêtare, quod postea anno 1588. Legatis Anglicis ingenue fassus est Comes Arenbergicus.

Sluisa Parmensi deditur. Interea obsessi, qui tam paruis (vt dixi) viribus tot tantasque oppugnationes, & 17400. tormentorum ictus duos iam menses fortissimè sustinuerant, nec vllum toto illo spatio ad se venire viderant, præter Capitaneũ Hart (qui bis terúe transnatabat, vt de eorum statu Leycestrium & Ordines faceret certiores) & de auxilio ferè desperarent, ob Leycestrij & Ordinum non nullam æmulationem, viribus & animis frangi cœperunt.

Hostis enim iam promuralia occupabat, quotidieque cuniculos agebat, adeò, vt in vrbem venisse rumor esset. adhæc è viginti machinis quas initio habebant, quatuor tantum restabant, quas hostis tormentorum suorum ictibus fregerat, nec tantum puluer is tormentarij habebant reliquum, quo medium diem pugnare possent.

Honorificæ conditiones Sluisensibus concessæ. Quare cum omnium iudicio impetum hostium, si quem pro more faceret, duodecim horas sustinere non possent, conditiones sua virtute dignas ab hoste acceperunt, videlicet vt cum sarcinis (vti vocant) & monilibus, quibus verbis substantia omnis significatur, erectis expansisque signis armati, funalibus sclopetorum incensis, globulisque quot ore tenere poterant, ad naues vsque Zelandicas descenderent. Fuerunt que septingenti numero reliqui (vt dixi) è 1600. qui ita oppidum Parmensi reliquerunt 4. Augusti.

Leycestrius itaque Ostenda cum suis rediens, à classiarijs, quos in itinere obuios habuit, de occupata Sluisa nuncium intellexit, quare in Zelandiam 5 Augusti veniens, culpam omnem in pecuniæ & militum paucitatem reiecit, socios etiam Admiraldi Zelandici accusans, interque alios Martinum Droghe, quem 11. Augusti Flisingæ capi, & in carcerem Middelburgensem duci iussit. Sed post Leycestrij in Anglium reditum (qui fuit 17. proximi Decembris) à Comite Mauricio & Ordinibus seruata, quæ in tali re solet, iuris solennitate, quia nemo se offerebat, qui ad dictum diem reum accusaret, liberatus est post sextum captiuitatis mensem.

Cur Parmensis Sluisenſib. op tatas cõcesſit conditiones. Ne autem mirum alicui videatur Sluisenses ea necessitate pressos, tam honorificas ab hoste impetrare potuisse conditiones, paucis rationem dicam. Sex diebus antequam oppidum hosti dederent omnes Capitanei cum Præfecto Concilium habuerunt, in quo vnanimiter concluserunt (viso periculo in quo versabantur, & parua auxilij spe) concipiendos esse articulos, qui si hosti se dedere cogerentur, sibi non essent dedecori, nec demonstrata hactenus virtute indigni.

Quod & factum ibi est, iurarunt que ordine omnes quotquot aderant, se potius quàm alijs conditionibus oppidum hosti dederent, mortè pugnantes oppetituros, aut incensa cum oppido arce, per agros circumiacentes, & passim inundatos, vt possent, euasuros.

Horum articulorum & desperatę deliberationis exemplar, cum literis suis ad Leycestrium & Ordines miserunt per tabellarium, qui inter natandum ab hoste, qui scapha eum persequebatur, apprehensus & submersus est, eaque ratione hosti consilium Sluisensium innotuit. Qui, re intellecta, potius quam illos ad desperatum facinus adigeret, ob spatium ipsis pro sua prudentia in hoc putauit, certum incerto præferens, atque ita omnia ab ipsis præscripta se obseruaturum sanctè promisit, & chirographo confirmauit. Publicè enim confessus est, se ea obsidione 45. Capitaneos desiderasse, cum plurimis alijs militum præfectis, & maiorem militum numerum, quàm in obsidionibus Nuysij, Graue, Berkæ aut Venloæ amisisset.

Hæc cùm Leycestrio infœliciter cederent, eius auctoritatem apud populum (quæ initio magna fuit) non mediocriter diminuerunt, quam tamen eius clientes & fautores augere & firmare studentes, culpam omnem in Ordinum Proceres reiecerunt, dicentes, eos auctoritatem Leycestrio traditam ipsi adimere velle, vt soli regnarent, & Leycestrius titularis tantum Gubernator esset.

Decimo-

Decimoſeptimo Auguſti, Leycestrius ex Zelandia ſoluens proximo die Bergas ad Schaldim appulit, vnde ſtatim omnes quas adduxerat copias, ad Hochſtratam occupandam emiſit, ſed nullo ſucceſſu. An. 1587.

Vigeſimoquarto Auguſti, Bergas Dordracũ eſt profectus, quo Ordines (vt mox dicemus) ad eum conuenerunt: poſt illa vilitatis, hinc inde (prout res poſtulabat) ciuitatibus, decimoquarto Nouembris in Zelandiam redijt, vbi inter alia Capitaneos præfidij. Veræ, vt poſtea apparuit, clàm ibi conciliauit eo profectus 21. Nouembris. Tandem 17. Decembris Elisinga ſoluens, in Angliam redijt.

Diximus de æmulatione, quæ erat inter Ordines & Leycestrium, hęc indies magis magisq; creuit nominatim per huiuſmodi occaſionem. Habebat Leycestrius in Hollãdia Secretarium ſuum Iunium Ioannem Iuriſconſulti filium. Ad hunc paulò antè, quàm ex Anglia veniret Epiſtolam 10. Iunij ſcripſerat, qua ſibi deuinctos addictosque amicos & fautores firmare & fouere ſtudebat. Hæc Epiſtola Ordinum animos iam ante offenſos mirum in modum exacerbauit; Statim enim Leyda Iunium apprehendi, & hanc Epiſtolam cum alijs eius chartis & inſtructionibus ab eo capi iubent, vtque ſuper ijs interrogetur, & quid Leycestrius hac Epiſtola exèqui velit, accuratè examinetur mandant. Epiſtolæ autem huius argumentum, fuit eiuſmodi.

Mi Iuni, Quandoquidem breui ad vos reuerti decreuerim, conſultum mihi imprimis viſum eſt, vt præter Epiſtolas à me ad diuerſos hac de re ſcriptas, in ciuitates nobis addictas proficiſcaris, & noſtri ſtudioſos, quos optimè noſti, ſuæ Maieſtatis voluntatem auxilia Prouincijs ferendi, & meam quouis modo eadem promouendi ſignifices. Et quia D. Buckhurſtus, & alij Prouincijs perſuadere voluerunt, Reginam conſtituiſſe pacem cum Rege Hiſpaniarum inire, & petere, vt Prouinciæ ſimul aſſentiantur: tu liberè ipſis aſſeuerabis, dictum Dominum tale mandatum nequaquam accepiſſe, neque ſuam Maieſtatem de pace quitquam egiſſe, ſed tantùm modo perſcrutari atque expiſcari ſtudiuiſſe, quid tandem Rex Hiſpan. Pacificationis gratia Prouincijs offerre aut concedere vellet: iam verò, cum nihil certi videre aut colligere queat, pergere, & quæcunque defenſioni prouinciarum conueniant, ſedulò promouere: vt liquido ſatis conſtat ex claſſe in Hiſpanias ſub præfecto Draco miſſam, ex meo quoque reditu cum magnis militum copijs, quibus ſua Maieſtas ſtipendia ſoluit, præterea etiam ordinaria ſolitaq; auxilia fert. Significabis etiam optimatibus, præfectis, & alijs, tibi imprimis notis, quorum id ſcire intereſt, me ſeuerti ea mente, ſententia & conditione, vt priſtinis difficultatibus atq; turbis omnino abſtineatur, legitimaque auctoritas Prouincias gubernandi, & ſummum dominium adminiſtrandi mihi tradatur, abſque vllis Ordinum obſtaculis aut oppoſitionibus, vt antè: vtpotè quibus ſufficere debeat auctoritas prætenſa ſub Carolo V. Cæſare, & Philippo Rege, neque vlterior, meq; ſaltem gubernationis tempore. Præterea me nequaquam cupere negotia magni momenti tractare, abſque Conſilij Status, quod ex Prouincialibus conſtituetur, conſenſu. Addes inſuper, hanc eſſe Regiæ ſuæ Maieſtatis voluntatem, & mandatũ ſua Maieſtate mihi iniunctũ normam, vt rurſus in Angliam reuertar, dummodo impetrare nequeam ab Ordinibus certam, vt oportet, auctoritatem; ne alioquin ſpecie tantum, & ſcripto Gubernator eſſe videar, quarum equidem rerum amicos beneuoloſque certiores fieri cupio, vt in tempore proſpiciant, atque caueant, ne mihi quicquam mali, in ipſorum magnum malum, ipſis etiam inuitis, euenìat. Vale. Grunevvichę, 10. Iunij 1587. *Subſcript.* Tuus R. Leycestrius. *Superſcript.* Dilecto & fideli noſtro Secretario Iunio, *&c.* *Leycestrij Epiſtola ad Iunium.*

Ordines generales eum ſatis intelligerent, quid Leycestrij amici ac fautores machinarẽtur, & quid hac potiſsimùm Epiſtola præſtare vellent, tandem nomine Equitum, Nobilium & Ciuitatum Hollandiæ, Zelandiæ & Friliæ, demonſtrationes & admonitiones, quas prius compoſitas & conſtitutas eo vſque diſtulerant, ad Leycestrium qui Dordraci erat, menſe Auguſto mittunt.

Demonſtrant autem debiti officij cauſa, Prouincias Reginæ Angliæ imprimis eſſe deuinctas, quandoquidem religionem & ſalutem Prouinciarum promouerat, eaque in re ſuæ Excellentiæ opera vti cuperet, quandoquidem ſummum imperium accipere recuſaret: eique Prouincias maxima obſeruantia ac obedientia paratiſſe, haud aliter atque olim Carolo V. Cæſari, & alijs Principibus. Sed quoniam reuera compererant, homines quoſdam inquietos, & tumultuoſos conari inter Ordines, Prouincias, & ſuam Excellentiam diſcordias excitare, & Ordinum auctoritatem, ſuæ Excellentiæ, tanquam Gubernatori generali reſpectiuè competentem, confundere ac perturbare. *Ordinum demonſtrationes Leycestrio exhibitæ menſe Auguſto, Dordraci.*

Idcirco diſſentionem ſcrupulumq; omnem tollere cupientes, conſtituiſſe ſuæ Excellentiæ declarare, ipſorum fuiſſe & eſſe ſententiam, dictarum Prouinciarum ſummum imperium, Principe deficiente, debere ad Ordinis equeſtris Proceres, ad Nobiles & Ciuitates redire: atque hac lege; Philippo Hiſpaniarum Rege, olim Prouinciarum domino, nunc relicto; omnia ſummi imperij iura legitimè eſſe vſurpata atque exercitata: ita vt hac ratione cum diuerſis Principibus, *monſtrarunt.* *Principe deficiente, demininum redire ad Prouincias Proceres, nobiles & ciuitates de-*

An. 1587. bus, maximè autem cum sua Maiestate transegerint, & suæ Excellentiæ auctoritatem Gubernatoris, & Præfecti generalis contulerint: quod quidem aliter facere non potuerunt.

Præterea vt maleuolorum & factiosorum ora obturent, declarant Ordines nequaquã per homines priuatos, seu per equestris dignitatis Viros, Nobiles, & Ciuitates repræsentari: eosque prorsus errare, qui existimant Ordines ex priuatis aliquot hominibus cõstare, & culpam quam in eos prætendunt, Ordinibus iure imputari posse. Imò eam semper Ordinũ fuisse sententiam, Si quis ex eorum conuentu, aliqua in re peccasset aut deliquisset, eundem iure puniri, & alijs exemplum fieri debere: Proinde, si sua Excel. aliquos nominare queat, omnes simul operam daturos, vt tales grauiter puniantur.

Quia verò turbarum auctores controuersum ambiguumq; constituunt, an suæ Excellentiæ collata sit talis auctoritas qualem Carolus V. Cæsar habuit in Prouincijs, aut qualis Belgij Gubernatoribus ab eo constitutis tradita fuit: id suam Excellentiam scire cupiunt, Etiamsi Ordines, Gubernator, publicisque officijs & iustitiæ administrandis præfecti, tempore Caroli V. aut Principum prædecessorum, Gubernatori generali Belgicarum Prouinciarum iuramento deuincti non fuissent: inde tamen summo imperio ipsis competenti nequaquam præiudicandum, verùm id pertinere ad generales & singulares Prouinciarum Ordines, sicut olim ad Carolum Cæsarem: maximè de constituendo Gubernatore, sicut Carolus Dominam Margaretam, Mariam Reginam, Ducem Sabaudiæ, & alios Gubernatores generales constituit, non tamen ijs summum imperium commisit, verùm id sibi seruauit: idem nunc quoque prorsus esse, exceptis tantum ijs, quæ fœdere cum Regina inito sunt mutata.

Ordines eam potestatem obtinent in Gubernatorem generalẽ, quã Carolus Imp. in suos Gubernatores habuit.

Reputant autem, sicut omnia tempore Caroli V. Cæsaris, à Gubernatoris generalis Belgij dispositione dependerunt: ita etiam nunc à dispositione suæ Excellentiæ, & Status Consilio dependere ad normam contractus, qua gubernatio ei tradita fuit: nisi quod ea, quæ Caroli V. nomine solent constitui ac decerni, nunc nomine signo & sigillo Ordinum generalium constituantur ac decernantur: dummodo ad Prouincias simul, & communiter spectent: si verò singulatim, nomine & sigillo ciusdem Prouinciæ.

Præterea æquum esse, vt Prouinciarum singularium Gubernatores, Præfecti, Præpositi, officiorum administratores publici, milites, & huius conditionis alij omnes, iuramento obligentur generaliter fœderatis Prouincijs, & suæ Excellentiæ, tanquam earum Gubernatori generali: Prouincijs quoque, & ciuitatibus atque membris earundem, in quibus operæ officijque prætandi causa constituentur, singulatim, fidem sacramentumque præstent: quandoquidem suæ Excel. tanquam Gubernatori generali, Tribunis quoque, Strategis & eorum Vicarijs atque delegatis obedire teneantur.

Quod verò ad absolutam auctoritatem ac potestatem suæ Excellentiæ in re militari administranda concessam attinet, reputant Ordines, eam extendi in omnes militiam exercentes, & terra & mari, tam suæ Maiest. auxiliatricis, quã Prouinciarum stipendia merentes, ita vt imperium in omnes habeat, eorumque opera in retistendo & nocendo hostibus vti possit: ius quoque & disciplinam militarem exerceat: nequaquam tamen plures conscribat, quàm suæ Maiest. pecunijs subsidiarijs, & Prouinciarum contributionibus, ex Ordinum sententia & decreto, exsoluere queat

Ordines belli negotia minitationem à Prouinciarum gubernatoribus administrari iubeat.

Petunt præterea vt sua Excellẽtia Belli negotia mari ab Archithalasso, & præsidiorum mutationem à Prouinciarum gubernatoribus administrari iubeat.

Ordines Prouinciarum gubernatoribus & præfectis legitimis atque ordinarijs.

Et vt post hac concordia, amor & fides inter Ordines & suam Excellentiam constantius foueatur atque seruetur, petunt ea reparari ac restaurari, quæ per quosdam turbarum ac discordiam amantes, nomine suæ Excellentiæ anno præterito acta erant in oppidorum & regionum gubernatoribus & Præfectis constituendis, & præcipuis administrandæ politiæ, & iustitiæ officijs conferendis, contra decretum deferendæ gubernationis: & ea præstari, effectaque reddi, quæ ab Ordinibus vniuersim, & sigillatim ad normam pacti cum sua Maiestate initi, & præscripti præcedentibus demonstrationibus suæ Excellentiæ exhibiti, postulata fuerunt. Cupiunt præterea, vt placeat suæ Excellentiæ missos facere turbarum motores, neque vllam fidem in negotijs ad Prouincias spectantibus habere Prouincialibus, aut externis hominibus vllis, qui discordiæ & distidentiæ semina inter Ordines & suam Excellentiam spargere, Prouincias perturbare, & honorem nomenque suæ Excellentiæ periculo exponere machinantur.

Ordines Nohenloiũ Leycestrio reconciliare studẽt.

Ordines eodem ferè tempore quo hæc constituerant, & Leycestrio exhiberi curarunt, Comitem quoque Hohenloium virum summæ apud milites auctoritatis, cui Ordines & Prouinciæ ob varias strenuè atq; fideliter nauatas operas deuincti erant, Leycestrio reconciliare studuerunt: miseruntque D. Capellæum, Nortvvikium, Cooperum, & Caminganum delegatos, vnaque Guilielmum Bardesium, & Iacobum Valckium, Consiliarios & deputatos Consilij Status, ad Comitem Hohenloium, tunc Veræ in VValachria agentem, qui petant, vt ad Comitem Leycestrium discordiæ derimendæ causa veniat: quandoquidem concordia nunc maximè ipsis sit neces-

Digitized by Google

sit neceſſaria, & prouincijs fidelis eſſe perſeueret, &c. Ad hæc reſpondit Hohenloius, ſe Germanum & liberum eſſe Comitem, haudquaquam Prouincijs fœderatis ſubditum, aut vllo officio obnoxium vel obligatum: ſuamque operam Archiduci Matthiæ, & Duci Andegauenſi & Brabantino recuſaſſe: neq; conſtituiſſe ſe vllo modo clientelę, aut militiæ ſuæ Excellentiæ dedere, eo quod illi non fideret, tam ob natam inter eos diſcordiam, quàm ob Noreſij Epiſtolam prouocatoriam, cuius cauſam in Comitem reijcebat, tum quod id quod permiſiſſet, tum quod Edwardum Norcium equitem creaſſet, inſuper præſidia ſuæ gubernationi cõmiſſa, mutare, ipſo inſcio, molitus eſſet, promiſſa quoque non ſeruaſſet, &c. An. 1587.

Hohenloius recuſat militare obſequiũ Leycestrio præſtare.

Rogatus præterea, vt ſaltem Prouinciarũ gratia aliquid remittat, (neceſſariò enim alterum cedere debere) & Prouincias conſilio iuuet, monet ne Prouinciæ vllo modo à ſua Maieſt. aut à ſua Excellentia diſcedant: quin potius honeſtã ſibi miſsionem dari poſtulat, vt examicorũ voto German. aut Daniã abeat: petitq; memores eſſe velint officij militaris ſub Comite Mauricio Naſſouio, & Leyceſtrio, Prouincijs à ſe præſtitis: cupere enim oppida, caſtra, propugnacula militiam, & reliqua quibus præfectus erat, Ordinibus & Mauritio in manus tradere, ea conditione, vt Iura & Priuilegia ijſdem propria ſeruentur, & ſicut tempore Principis Auraici defuncti, gubernẽtur: idq; ea imprimis de cauſa poſtulare, quod videat Prouincias doloſis quorundam machinationibus peſsimè tractari, & popellum atque plebis fecem (nonnullis apertè nominatis) Ordinibus & Magiſtratui palàm reſiſtere, & conari Ordinum auctoritatem imminuere: eos autem acriter puniendos, & extra aulam eliminandos ſuadet.

Hohenloius poſtulat Ordinũm & Gubernatorũm auctoritatem reſtitui.

His peractis, & Ordinibus, quibus iuramento ſe deuinctum fatebatur, in integrũ reſtitutis, ſe loca omnia lubentiſsimè traditurum, & omni modo ſuæ Excel. ſubmiſſurum, omnem quoq; honorem & obedientiam ei, imprimis autem Regiæ Maieſt. exhibiturum pollicetur: poſtremò ne ſuæ Maieſt. occaſionem querelæ aut offenſionis præbeant, rogat.

Cùm verò Hohenloio ad hæc reſponderetur, vt eadem ſuæ Excel. coram exponat, & Mauricium, cuius erat vicarius, fidelitatis iuſiurandum ſuæ Excel. iam præſtitiſſe: ait, ſe hac vice nihil præterea facere poſſe, rogatque vlterius vrgere deſinant, antequam Prouinciarum & Ordinum iura ſint redintegrata: Mauricium clietem & ſubditum, ſe liberum & Germanũ eſſe Comitem, neque ad hæc cogendum, niſi vltro conſentiat & adſtipuletur: permanſurum nihilominus Prouincijs amicum & fidelem, vtpotè quibus iam 14. annis militauerit, verùm vltra ſtipendium, centena quinquaginta dalerorum millia, vt Prouincijs & ſuæ Maieſt. officium commodumque præſtaret, expenderit. Rogat poſtremò hæc beneuolè referre velint. Itaque Delegati poſt varios ſermones & honeſtas proteſtationes diſceſſerunt. Hæc omnia 10. Auguſti 1587. ſunt acta, & à Secretario Gylppino ſcripta atque ſubſignata.

Non tantum hæc, ſed & plura alia Comes Hohenloius apologia typis excuſſa edidit ac diuulgauit, eaque quæ Leyceſtrius 7. Sept. ſignificarat, imprimis refutauit, ad quæ breuitatis cauſa lectorem remitto.

Leyceſtrij ad monitio ad propoſitiones Oratorũm exhibitas.

Leyceſtrius tam ob admonitiões Dordraci ſibi exhibitas, quàm alias ob cauſas ſummopere commotus, Ordinibus qui Dordracum conuenerat, multa quoque proponit: inter alia autem Principem ſuam Reginam poſtquam alij Principes Prouincijs auxilia negaſſent, earũ miſertam tandem religionis, & veterum fœderum cauſa oppreſsis ſubueniendum ſtatuiſſe: ſe autem, Prouincijs petentibus, gubernandi onus à Regina ſibi impoſitũ, pro ſummo erga Prouincias amore nulla ſuæ ſenectutis, quæ quietem & tranquillitatem potius requirebat, habita ratione ſuſcepiſſe, & anno præterito operam omnem in Prouinciarum cõmodum & auxilium nauaſſe; poſtea verò, neceſsitate vrgente, in Angliam diſceſsiſſe, intereaq; Dauentriam & Zutphaniam proditione hoſti traditas, ſe verò huius culpæ expertem: attamen ſuam famã & auctoritatem apud Prouincias in dubio & controuerſia poſitas, non ſine ſuæ nominis detractione: imò literas ab ipſis ad Reginam ſcriptas, maximè 4. Febr. non tamen abſoluto Prouinciarum conſenſu, quibus non tantum in Belgio, ſed etiam in Anglia apud Reginam, exiſtimationi atque honori ſuo falſis criminationibus detrahebatur: nihilominus omnibus coram Regiæ Maieſt. in meliorem partem interpretatis, iam rediiſſe. Præterea de amiſſa Sluſa ſe excuſat, culpamque omnem in Archithalaſsi miniſtros & nauium præfectos reijcit: inſuper de diſcordia cum Hohenloio refert: de ſtatu quoque belli, & quomodo bellum ſit gerendum diſſerit, ſe quidem bonam ab ipſis conſtitutionem expectaſſe, verùm nihil præter nouitates de ſummo imperio ſibi fuiſſe propoſitas, ad ſuæ auctoritatis limitationem ac diminutionem, pactionibus, conditionibus, & Epiſtolis Middelburgo ad Regiam Maieſtatem miſsis prorſus contrarias.

Leyceſtrius cõqueritur de Epiſtola 4. Febr. ſcripta.

Sequidem de negligẽtia & dilationibus, vnde incommoda grauiſsima Geldriæ impẽdere videbantur, proteſtari: nullo enim modo ſibi eſſe imputanda; quandoquidem occurrere ſit paratus, dummodo nummi & milites promiſsi exhibeantur.

Leyceſtrius proteſtatur.

Verùm poſtquam intellexiſſet, quoſdam ſummam Prouinciarum neceſsitatem & inopiam, vtpotè quæ tantos ſumptus ferre non poſſent; alios Pacificationem inter ſuam Maieſtatem &

Digitized by Google

An. 1587. Ducem Parmensem in excusationem adferre: sequidem vt ipsorum consilia atque incepta promouerent, in conuentu Haghæ proponi & exponi mandasse, vt perpendant an Prouinciarum facultates bello gerendo sufficiant, idque re ipsa, & non verbis aut literis, manifestè aperiant: quod si faciant, Reginam subsidia continuaturam: sin minus, haudquaquam æquum esse, vt sua Maiestas ad normam contractus auxilia continuet, & ipsi nihil præstando onus omne Reginæ imponant. Id enim imprimis ipsis perpendendum, Reginam maximos ad Angliæ & Hibernię defensionem sumptus facere, & ipsorum maximè causa cum Hisp. dissidere: suos quoque subditos ob arresta & placita ab ipsis constituta, in Francia ingentia damna pati. Proinde si ipsorum facultates & suæ Maiestatis subsidia non sufficiant, viam adhuc, ad pacem conficiendam, post amissam Sluisam, à Parmensi propositam patere: verùm suam Maiestatem nihil certi de ea, nisi re omni priùs ipsis proposita ac significata, constituere voluisse. Oblatam quoque ipsis fuisse Regis Daniæ & aliorum sedulam operam: proinde pessimè facere, & pœna graui dignos esse, quod Reginam vituperent & culpent, cùm contrarium manifestè pateat, quandoquidem Dracus in Hispaniam profectus, reuersúsque sit, vt bellum contra Hispanos quocunque posset modo continuet. Suam quidem Maiestatem nō tam strictè inito fœdere obligatam, quin si velit, de pace cum Hispaniarum Rege agere possit: attamen nihil de ipsorum negotijs velle, inuitis ipsis agere.

Facultatibus Ordinum ad bellum gerendum non satisfacientibus, via patere ad pacem declarat Leycestrius.

Leycestrius pusillanimem se ostendit.

Verùm si ad bellum necessaria suppeditare nolint aut nequeant, quærit quod tandem à se vel à Regina præstari cupiant, nihil recusaturam iri. Si consultum ipsis videatur gubernationem, & contributionum distributionem, pro sua & Consilij dispositione, ad præscripti fœderis normam, sibi permittere; & liquidò demonstrent, bellum cum ordinarijs Reginæ subsidijs posse contra hostes continuari: sequidem omnē suam operam impendere velle, dúmodo eam quam hactenus habuit auctoritatem retineat: si verò ipsorum facultates ad suæ Maiestatis, & sui honoris defensionem non sufficiant, necessariò sibi rursus protestandum esse.

Si ex auctoritatis consignatæ formula de ordinaria contributione ducentis, videlicet florenorum millibus in singulos mēses, limitationem ponere velint, se quidem decreuisse eam nullo modo accipere, quandoquidem secundum à se initum calculum, sufficere non posse ad satisfactionem præsidiariorum, multo autem minus ad castrorum stationum sustentationem.

Postulat plura ad bellum conferri.

Proinde si neq; melior modus aut ratio inueniri, neque cōtributiones ampliores cōsici queant, se quid hic ageré, aut quid commodi ipsis præstare possit, prorsus ignorare: postulare proinde extremam ipsorum sententiam, qua intellecta, suæ Maiestati, vt maturæ suis rebus consulat, significet.

Regina Angliæ veteres se ærea cum regnicolis & circumstantibus seruare cupit.

Postremo autem sibi mandatum ait, vt declaret, suam Maiestatem ad ferenda subsidia per motam, non tantum causa veterum contractuum & fœderum inter Principes, verum etiam causa amicitiarum, negociationū & pactionum cum ipsis singulatim Prouincijs, & vrbibus vtrin que contractarū, vt ex chartis & instrumētis multarū vrbium, imprimis Dordraci, Delfforum, Leydæ, Harlemij, Amsterdami, Brilæ, Middelburgi, Campuerę, Zirickzeæ, & aliarum, quæ instrumenta nunc temporis adhuc integra ac illæsa manent, satis constat: atque has potissimùm ob causas maximè cupere subsidiorum contractum iniri, idque ipsis velle significari: vt perspecto cognitoque suæ Maiestatis propenso animo, ipsi debitum quoque præstare studeant, non tam causa veterum contractuum, negociationum, instrumentorum, formularum, & obligationum; quàm postremi contractus subsidiarij, anno 1587. 6. Sep. initi in vrbe Dordracensi.

Hanc demonstrationem Leycestrius cum Epistola etiam typis impressa, ad omnes ciuitates misit, qua conqueritur Reginam & se falsò accusari de Pacificatione cum hoste, in Prouinciarū damnum, inita: se quoque insimulari, quasi vrbes Hispanis traditurus aduenisset: excusationibus præterea ad se purgandum adductis, tandem responsionem definitam ad suam demonstrationem scripto dari ac mitti petit.

Ad hæc Equestris Ordinis viri, nobiles & ciuitates Hollandiæ, & Occidentalis Frisiæ 16. Octobr. Harlemi responsum typis edunt in hanc, quæ sequitur, sententiam.

Ordinum responsio ad Leycestrij demonstrationem.

Bellum quidem anno 1572. ab ipsis legitimè cōtra Hispanos fuisse susceptum, Principe Auraico duce, ad Prouinciarum religionis, & priuilegiorum conseruationem: verùm cùm metuerent, ne non continuari posset, primò omnium confugisse ad Angliæ Reginam, tāquam veræ religionis protectricem, legatis anno 1573. & 1576. ad eam missis: postea ad Alenzonium Ducem, eoque mortuo, Galliarum Regem frustra rogasse, vt summum dominium acciperet: postremo autem, cum de Reginæ Angliæ subsidio ac protectione à Dauidsono legati, & alijs, spes bona data esset, mox suæ Maiestati Prouinciarum dominium per Legatos obtulisse, atque subsidium ad normam initi contractus impetrasse. Gratias proinde suæ Maiestati summas agere, eidemque deuinctos fateri, quod suam Excellentiam ad subsidiarias militum copias gubernandas, & res bellicas consilio & armis promouendas miserit: suæ quoque Excellentiæ habere gratias, quòd præsens conditionem fœderatarum Belgij Prouinciarum gubernationem præfectu-

ramque

ramque generalem acceperit. Ab ipsis quidem nihil esse prætermissum in perficiendis & præstandis, contractus siue fœderis, conditionibus, in gubernationis traditione, in contributionum consensu, in honore, auctoritate, gratiarum frequentissima actione, suæ Excellentiæ deferendis. An. 1587.

Exhibuisse quidem, ante suæ Excellentiæ abitum, summa cum reuerentia demonstrationem ac querelam, & res imprimis necessarias propoſuisse; verùm ijs nihil petijsse aut optasse; quam in suæ Maiestatis sueque Excellentiæ commodum prorsus obsequi, & Prouinciarum salutem promouere.

Suæ Excellentiæ extra Prouincias discessum haudquaquam deprecari potuisse, concessisse autem duos aut tres menses, ea conditione vt absentiæ tempore, gubernatio generalis ad normam constitutionis antè factæ, Consilio Status committeretur, & Prouinciarum gubernatoribus legitima auctoritas permitteretur.

Verum cùm post aliquot septimanas à suæ Excellentiæ discessu, palam comperiretur, actis, siue decreto quodam consignato, auctoritatem tam Consilij Status in gubernatione generali, quam gubernatorum Prouinciarum, ita restrictam & diminutam esse, vt, præter alia, proditioni Dauentriæ & Zutphaniæ; antè satis quidem manifestatæ; decreto huiusmodi obstante, occurri non potuerit; Ordines necessitate compulsos fuisse hæc incommoda auertere, non ad honoris vel auctoritatis suæ Excellentiæ diminutionem, sed ad auctoritatis ac potestatis gubernatorum restitutionem siue redintegrationem. *Ordines coguntur de restitutione auctoritatis.*

Literas quidem, post perfidam Dauentriæ & Zutphaniæ proditionem, acri & vehementi stylo ad suam Excellentiam fuisse scriptas, animis metu perculsis, & necessitate summa vrgente; attamen, ne suæ Excellentiæ honor detraheretur, adeo tectè, vt ea de re parum plebi innotuerit, antequam exscriptum literarum exemplar ex Anglia ad Vltraiectenses mitteretur, & literis quibuldam 10. Martij in vulgus sparsis auctoritati Delegatorum detraheretur: neque aliam ob causam exscriptum earundem literarum exemplar ad suam Maiestatem fuisse missum, quâ vt melior instructio, melior etiam & breuior resolutio Legatis daretur: sed cum in peiorem partem accipi scripta hæc intelligant, palam declarant, non suam Excellentiam, sed illos qui eam frustrati sunt, notatos ac reprehensos fuisse: rogantque vt literarum acrimoniam & vehementiam, ipsorum offici & præstito iuramento, libero Ordinum vsui, maximè autem summæ Prouinciarum consternationi imputetur ac concedatur. *Excusant acrimoniam epistolæ 4. Febr. scriptæ.*

Agunt autem suæ Excellentiæ gratias, quod heroicam suam virtutem & magnanimitatem palàm, præteritis infortunijs nequaquam obstantibus, ediderit, & constans deliberatusque perseueret non tantum pro Prouincijs intercedere paratus, sed iam reuersus omnem operam adhibeat, vt Sluisam vrbem ab obsidione liberet. De militum copijs à Comite Hohenloio promissis nihil quidem certi ipsos affirmare posse, sperare autem eum beneuolentia pacatum iri. Vicinarum Prouinciarum sedulam operam ad Sluisam obsidione liberandam, expensis centenis, & amplius, florenorum millibus, satis quidem ipsis perspectam esse: verum quomodo vrbs tam facile in hostium potestatem venerit, ipsis ignotum, &c.

Laudant eius decretum contra populares factiones & seditiones, vtque id exequutione peragi & seruari curet, rogant.

Cupiunt sedulò agere vt reconciliatio cum Hohenloio ineatur, dissidiumque prorsus dirimatur: id autem ex controuersia de gubernatorum Prouincialium officio natum existimant: verum eius finem breui sperant.

Operam eos dedisse vt equites & pedites Germani colligantur, & in Prouincias mittantur, castraque statiua in duos menses, belli peragendi causa, collocentur, stipendia militibus soluantur, & vrbes arcesque commeatu & rebus necessarijs muniantur: cum Nassouio Archithalasso consilia de bello nauali quoque inijsse.

Nobiles & ciuitates Hollandiæ curasse, demonstrationes quasdam suæ Excellentiæ offerri Dordraci, vt de ijs consilium ineat: si quid præter ius aut æquum in ijs sit demonstratum aut postulatum, id ex ipsa demonstratione, & alia proximè addenda declaratum iri.

Ex his omnibus palàm ac manifestum fieri, suam Excellentiam nullam habere occasionem contra Hollandos protestandi, aut ipsis vrbium amissionem, & alia incommoda imputandi.

Neque mirum esse, Ordines, cùm noua onera subitò imponuntur, grauiter conqueri: nam si perpendatur, Hollandiam (quæ nunc quindecim annos contra hostem potentissimum bellū gessit, & onera grauissima tulit) adhuc duobus post remò elapsis annis in sumptus belli terra gesti; omissis sumptibus belli naualis, & alijs singularibus quamplurimis, videlicet munitionum limitanearum vrbium & arcium, hospitiorum, militarium, lignorum, cespitum, & candelarum pro prælidiarijs, & alijs insuper expensis multis computatis & non computatis; contulisse plus minus trigesies nouies centena florenorum millia: facilè liquebit, hæc sine summo onere maximaque difficultate confici non potuisse. Nullam proindè dari occasionem conquerendi de *Hollandos sola parte duorum annorum contulisse tri-*

Digitized by Google

An. 1587. Hollandis, vtpotè qui multo plus contulerint, quàm in Anglia fuerit declaratum: quanquam grauissima in nauigatione & negociatione interea etiam passi fuerint damna.

gesies nouies centena flore rorum millia. & amplius.

Mirari proinde, non sine suspicione, certam rationem exigi, qua constet, ipsorum facultates cum suæ Maiestatis supperijs nequaquam ad bellum debitè gerendum sufficere posse.

Principum Auraici & regionum constantia.

Principem Auraicum, Dei Opt. Max. auxilio, absque tam insigni Reginæ Angliæ subsidio, cluitates & arces parum munitas contra vim hostilem defendisse: neque mediam horum sumptuum partem, quanquam ingentes terra & mari haberet copias, expensam; neque hoiusmodi declarationem aut cautionem vnquam postulatam fuisse: & nunc quidem nullam postulandi occasionem dari; quandoquidem id vel ad summam iactantiam ac temeritatem, vel nimiam de Dei gratia & fauore diffidentiam, tendere videatur.

Proinde cum perspiciant suæ Maiestati nequaquam commodum aut oportunum videri, summum Prouinciarum dominium accipere, aut ampliora auxilia ferre: nihil restare, nisi vt, Deo fauente, huiusmodi facultatibus & medijs bona belli ratio constituatur, & talis militum atque stipendiariorum numerus habeatur, cui absque magna difficultate, mediocri saltem ratione satisfieri possit, seruata concordia, norma & disciplina militari: atque inde exitus fœlix, Deo propitio, speretur.

Nihil quod quidem sciant, ab ipsis fuisse decretum aut statutum quod suæ Maiestatis subditis damno in Frácia esse possit: verum sæpius fuisse conquæstos de statuto Vltraiectranno 1586. 4. Aprilis sancito, quo negociatio prohibebatur, clam & nescijs Ordinibus, neque vt damna inde prouentura declararent, admissis: idque summo Prouinciarum incommodo, & vicinorum graui offensione.

Ipsos, quod ad Pacificationem attinet, confidere, nihil à sua Maiestate suaque Excellentia, contra contractus normam tentatum iri, sine Ordinum generalium consensu. Intelle xisse quidem quod Daniæ Rex proponi mandassset, & quid inde actum esset: Reginæ quoque animum, & quid præterea sua Excellentia offerri curarit, ex D. Buckhursti verbis percepisse: eaque omnia tacitè ac placidè satis Prouinciarum membris communicata fuisse, vt omnium his de rebus sententia cognosceretur: sermonem quoque de sua Maiestate habitum fuisse summa cum modestia, obseruantia & reuerentia: ita vt inde nulla sumi occasio potuerit, dicendi, pacem à sua Maiestate ipsis nescijs tractari. Illos proinde qui suam Excellentiam, vt falsa omnia hæc, vera crederet, induxerunt, meritò esse acriter castigandos & puniendos.

Ordines Hollandiæ cupere fœdus cum sua Maiestate initum, & auctoritatem suæ Excellentiæ de latam confirmare ac seruare: & bis centena florenorum millia in singulos menses contribuenda, suæ Excellentiæ & Consilio Status committere, ea conditione vt reliquæ Prouinciæ similiter faciant: verùm vt ea contributionis, quam conferent, parte, præsidia & onera belli in Hollandia, & ea quæ expromiserunt, primò omnium soluantur, quandoquidem æquitas ipsa postulet, vt tales conditiones, in omnibus contributionibus præscribantur, eamque esse consuetudinem hactenus vsitatam, & in exactione nouennali, tempore belli contra Franciam permissa, seruatam, qua Hollandi non multo amplius in singulos annos soluerunt, quàm nunc in singulos menses, nacti inde conditiones imprimis amplas ac vtiles.

Ordines reputant contributiones ad bellum gerendum sufficere.

Rationes belli cum Legato Buckhursto præsentibus belli præfectis initas, non esse tantas, quin auxilia 5000. peditum & 1000. equitum suæ Maiestatis, & contributiones bis centenorum millium florenorum in singulos menses sufficere, imò parte reliqua insignes equitum & peditum copiæ conscribi & obligari possint qui certis anni mensibus, vrgente necessitate ad inuadendum hostem suam operam præstent. Atque hæc quidem omnia, si bona gubernatio ac dispositio adhibeatur, procul dubio facilè confici posse.

Tributa tuti itineris, euectionum, & spoliorum, sufficere debere ad belli sumptus.

Quod verò ad nauium apparatum bellicum spectat, Ordines semper reputasse, & etiamnum reputare, præsertim præsidiorum tuti itineris causa, tributa euectionum, spolia denique marina, non tantum suffectura huic satisfactioni; sed si bene administrentur, ingentem etiam summam superfuturam, quibus, commodo aliquot mensium tempore, bellum offensiuum geratur, aut loca obsidione cincta liberentur.

Abrogata euehendi annonam licentia regionibus damnosa.

Quòd classiarijs annis duobus proximè præteritis stipendia debita nó sint persoluta, quodque reliquatio vel debitum in tantam excreuerit summam, id inde euenisse, quòd plus æquo concessum fuerit opinioni quorundã, qui existimarant, Prouincias fertilissimis Europæ regionibus limitaneas, vicinas & amicas fame frangi ac confici posse, atque ita bello finem imponi, cùm his persuasionibus & falsis opinionibus ne minima quidem ciuitas aut arx fuerit superata; sed plurimæ ab hostibus captæ, maximè cum facultates ab ipsa natura Prouincijs concessæ non vsurparentur.

Ordines Legatum fœderis hortantur vt regiones defendat.

His omnibus ordine expositis, rogant, responsionem hanc in meliorem partem accipiat, diuino numini rem committat, & heroico præstantique animo Prouincias defendere perseueret: certoque sibi persuadeat, Dei omnipotentis auxilio, Reginæ copijs militaribus plenè recognitis, &

Digitized by Google

gnitis, & bis centenis florenorum millibus in menſes ſingulos conſerendis, præterea pecunijs ex Brabantia, Geldria, Flandria, Tranſiſulania, & alijs hoſtiũ regionibus, pactione, redemptione & alia quacunque ratione conficiendis, bene collocatis, non deſore, quo bellum geratur, militari diſciplina ritè ſeruata: maximè cum tributa tuti itineris & mercium euectionis, commodiſſimè ad fœderatarum Prouinciarum defenſionem, ſuæ Maieſtatis vtilitatem, ſuæ Excellentiæ laudem, maximè autem ad communis hoſtis damnum fuit inſtituta: & incertam captioſamque pacem aggredi, aut de Prouinciarum ſalute deſperare haudquaquam ſit neceſſe. An. 1587.

Poſtremò Ordines ſuæ Maieſtati ſummas agunt gratias, quod Prouincias & ciuitates contractibus & pactis olim cum Angliæ Regibus & Belgij Principibus, nonnulliſq; ſingulatim ciuitatibus initis, frui benignè permiſerit: Ipſos quidem operam omnem adhibituros, vt ſua Maieſtas, ſua Excellentia, & Anglorum natio, nihil, præter quæ vicinos deceat, amicitiam, à fœderatis Prouincijs exoptari ſentiant. Actum vt ſupra.

Præter hanc reſponſionem exhibent ſuæ Excellentiæ euidentiorem articulorum Dordraci propoſitorũ declarationem, qua exponitur, Ordines imprimis cupere, auctoritatem ex fœdere cum ſua Maieſtate inito, atque Ordinum generalium decreto, ſuæ Excellentiæ traditam, ſeruari ac teneri: vtque omnis diffidentia ac ſuſpicio prorſus tollatur, petunt, ſua Excellentia promiſſum & iuſiurandum ea de re factum Ordinibus ſeruet. *Ordines Leycſtrio eandem rem omnem exponũt.*

Cumque diuerſis actis ac decretis, maximè verò epiſtola ad ſuæ Excellentiæ Secretarium 10. Iunij, vt ſupra dictum, ſcripta, Ordinum auctoritas dubio periculoſque fuerit expoſita, conſultum neceſſariumq; aiunt, vt firmior certiorq; declaratio reddatur poteſtatis & iurisad Ordines ſpectantis, cuius defendendi cauſa iureiurando erant deuincti.

Niſi autem legitima auctoritate atq; poteſtate Prouincias gubernandi, ſint ſtabiliti ac confirmati; nullo ipſis iure licitum eſſe Hiſp. Regem imperio deponere, eius violentiæ reſiſtere, cum Gallorum Rege, aut Anglorum Regina fœdus inire, aut ſuæ Excellentiæ gubernationem tradere, quod quidem conſtanter firmiterque, rebus omnibus Ordinum nomine peractis præſiteranter: Petunt proinde, vt ea quæ ſuæ Excellentiæ nomine, vltra auctoritatem ipſi conceſſam, acta ſunt, reſtaurentur: ſua verò auctoritas eadem maneat quæ Prouinciarum Gubernatoribus tempore Caroli Quinti Imperatoris: qui quanquam ſummi Heroes & Principes, ipſiuſq; Caroli conſanguinei eſſent, auctoritatem tamen non habuerunt pacem aut inducias ineundi, noua bella aggrediendi, fœdera cum extrancis principibus aut regionibus contrahendi, decreta ſiue placita ad Prouinciarum ſtatum ſpectantia conſtituendi, imprimis de re monetaria, de commercijs cum extraneis & neutræ parti addictis, aut alijs negotijs quibus vicini Reges, Principes aut Reſpublicæ offendi potuiſſent, de nouis legibus aut conſuetudinibus introducendis, de belli oneribus vltra quàm Prouinciæ permittere vellent aut ferre poſſent, augendis, &c. *Quid Carolus V. Imp. regionum Gubernatoribus permiſerit. Qualem Ordines poteſtatem & auctoritatem tetigerint.*

Negotia autem quæ à Gubernatoribus generalibus diſponi & adminiſtrari ſolent, eadem penes ſuam Excellentiam, tanquam Gubernatorem, Ordines manere velle, declarant: vt prudenter diſponat conſtituatque, adhibito Ordinum, & Prouinciarum, atque ſuæ Maieſtatis ſubditorum conſilio: Præterea vt quæcunque nomine Gubernatorum generalium ſub Carolo Quinto Cæſare edi ſolent, ea quoque ſuæ Excellentiæ nomine edantur: quæ autem olim Caroli Cæſaris nomine, ea nunc Ordinum auctoritate imperentur. Has conditiones neque contractui cum ſua Maieſtate inito, neque actis delationis, quibus auctoritas ſuæ Excellentiæ ab Ordinibus tradita eſt, vllo modo repugnare.

Secundum articulum controuerſum, ad militum iuſiurandum, & Gubernatorum ſingularium auctoritatem attinere: Nam cum præſtitum iuſiurandum minus æquum iuſtumque eſſe videant, petunt, vt ſecundum initi contractus normam milites fidelitatem Prouincijs generaliter, & ſuæ Excellentiæ tanquam Gubernatori generali; Prouincijs quoq; ciuitatibus & membris ſingulis quorum vſui & defenſioni applicabuntur, aut in præſidijs diſponentur, obedientiam iureiurando promittant: tribuni etiam & præfecti militum ipſique milites gubernatoribus ſingularibus eorumque Vicarijs, ijs quibus agent locis aut Prouincijs, obedientiæ ſacramentum præſtent. *Iuſiurandum ex præſcripto contractus præſtari à militibus petunt Ordines.*

Atque hæc imprimis poſtulari, quandoquidem ius Gubernatorum Prouincialium conſeruari, & præſidiariorum mutationem & militum diſtributionem per eoſdem Gubernatores adminiſtrari cupiant: quam quidem auctoritatem ſi habuiſſent, dictamque iurisiurandi formulam ſeruari curaſſent; neque vrbs Dauentria, neq; arces & munitiones Zutphaniæ ab hoſte captæ fuiſſent: ſed Gnbernator, dolo antè ſignificato, maturè proculdubio occurriſſet.

Hinc Ordinibus occaſionem præcipuè datam conſeruandi ac retinendi iura Gubernatorum Prouincialium, tum iurisiurandi obedientiæ, tum præſidiorum mutationis cauſa. Hanc neque nouitatem eſſe, neque ad diminutionem auctoritatis ſuæ Excellentiæ vergere: quandoquidem imperium in Prouinciarum Gubernatores ſacramento deuinctos habeat, quorũ opera commodiſſimè omnia exſequi queat, vtpotè quibus conditiones & ſitus Prouinciarum & vrbium *Ordines poſtulant auctoritatem Gubernatoribus regionum per missi.*

Digitized by Google

An. 1587. vrbium optimè sint notæ. Contrarium autem nuper accidisse, cum idiotæ & plebeio cuidam fuerit mandatum, cohortes Anglorum in vrbem Vltraiectensem ducere, arma ibi distribuere, & præsidiarijs vt exeant iubere, clam ac prorsus nescio Gubernatore.

Proinde diminutionem iuris Gubernatorū Prouincialium nullo modo permittendam, cùm nec iusiurandum nec fœdus id ferant: atq; inde Prouinciarum præcipua iura & Priuilegia, quorum causa tam diu bella gesserant, damnaque grauissima tulerant, prorsus infringantur.

Neque familiæ Nassouiæ; in memoriam Principis Auraici optimè de Prouincijs meriti, vt qui & vitam & facultates defensioni earum impenderit; neque Mauritio Nassouiæ Comiti, debitam auctoritatem, etiam ante fuæ Excellentię in has regiones aduentum iure ipsis competentem, nunc diminuendam, neque talem iniuriam inferendam: cùm fuæ Excellentiæ auctoritati nihil hac ratione detrahatur.

Possulant rē bellicam benè administrari.

Necessitate summa etiam fuisse coactos, populo & militibus stipendiarijs prouidere, vt Prouinciarum contributionibus & permissionibus debita, onerasque persoluerentur; præcipuè autem ex rata parte ac portione cuiusque Prouinciæ, eiusdem Prouinciæ onera, quibus obligata erat, penitarentur: vnde non leuem perturbationem ortam sciebant.

Possulant abusus corrigi.

Postremum articulum continere restaurationem eorum, quæ anno præterito prauorum quorundam hominum fraude, vel errore, commissa erant contra iura & pacta Prouinciarum: præterea commonitionem, ne fua Excellentia in Prouinciarum negotijs fidem post hac habeat illis, qui dissidia inter suam Excellentiam & Ordines machinantur: vt sic mutua fides & concordia foueatur atque seruetur. Præterea eodem articulo declarari, ipsos citatos fuisse à secundo membro Ordinum Vltraiectensium, secundùm proximioris Vnionis iuramentum ac promissum. Ad hæc, quosdam tam Anglos quàm Prouinciales fœderatarum Prouinciarum status ignaros, & priuati commodi studiosos, se Prouinciarum gubernationi ingessisse, & suam Excellentiam dolis delusisse.

Postulant autem vt perlegat ac peruoluat, & æqui bonique consulat, has demonstrationes exhibitas, non vt præterita dissidia ac damna repetantur, sed vt futuris occurratur, & Dei ope, Ordinum concordia, dictisq; Prouinciarum contributionibus, & Reginæ suppetijs, omnia Ordinum consilio & consensu rectè administrentur, & medijs quæ Deus situ atque natura Prouincijs concessit, communis hostis vires debilitentur. Deum proculdubio acta secundaturum, haud aliter atque olim, cùm Prouinciæ ne mediam quidem facultatum nunc oblatarum partem habuere. Hæc summa est proximioris Ordinum demonstrationis, exhibitæ Harlemi 16. Octobris, 1587.

Eodem quoque die Proceres equestris Ordinis, Nobiles & Ciuitates Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ, fuæ Excellentię exhibent normam quādam iuris manu scriptam, & typis excusam, dictis in regionibus longissimo tempore, pro libertatum, Priuilegiorum & consuetudinum conseruatione vsurpatam: quam, licet typis diuulgatam, non frustra hic adscribendam existimauimus.

Declaratio veterum Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ consuetudinum.

Ordinis equestris Proceres, Nobiles, & Ciuitates Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ, Ordines earundem regionum repræsentantes, frequenti communicatione, deliberatione & relatione inter Nobiles & ciuitatum, Senatores habita super regionum statu, ad normam iurisdi & officij, pernecessarium reputarunt, legitimum Hollandiæ & Orientalis Frisiæ statum his literis explicare, certò fidentes, Lectorem æquo & tranquillo, prout miserandus regionum status postulat, iudicio rem omnem perpensuros.

Forma gubernationis Comitum Hollandiæ et Zelandiæ.

Constat manifestè Hollandiā cum Frisia Occidentali & Zelandia ab hinc octingentos annos gubernatam fuisse à Comitibus viris & fœminis illustribus, & ijsdem, à Proceribus, Nobilibus & Ciuitatibus, earundem regionum Ordines repræsentantibus, summum imperium dominiumque legitimè traditum & translatum fuisse; Comites autem imperio accepto, prudenter & modestè in gubernatione se gessisse, neq; bellum vllum incepisse, pacem cum hoste inisse, exactiones imperasse, aut alia negotia ad regionum statum spectantia egisse (quanquam semper Consilium Nobilium, & præstantium virorum earundem regionum præsens habuerint) absque consilio & consensu Nobilium & Ciuitatum, qui quotiescunque necessitas postulabat semper conuocati fuerunt: idemque Consilium dictos Nobiles & Ciuitates quocunque tempore, & quibuscunque in negotijs benignè audiuisse, ijs fidem habuisse, & quæcunque ad regionum statum & salutem spectantia postulabant, effecta reddidisse.

Legitima gubernationis causa Comites Hollandiæ summo in honore habiti, &c.

Quæ quidem perfecta & legitima gubernatio, fructus protulit insignes in dictorum Comitum honorem ac gloriam, & simul in regionum & subditorum prosperitatem ac salutem: vnde proculdubio factum est, vt Hollandiæ, Zelandiæ & Occidentalis Frisiæ Comites; licet ditionum non admodum amplarum domini; apud Principes & Potestates tam Christiani Orbis quàm alios summo, in honore fuerint: vt satis testantur fœdera coniugiorum cum potentissimis Christiani Orbis Regibus & Principibus inita; atque imprimis Guilhelmus, secundus eius nominis

nominis Romanorum Rex electus, anno 1247. Qui cum plerunque victorioſi, limites regionum contra hoſtium potentiſſimorum violentiam ſtrenuè defenderent,à vicinis fuere formidati. Imò,certò conſtat Hollandiæ & Zelandiæ ſtatum intra octingentos annos nunquam fuiſſe ſuperatum aut debellatum domeſticis aut extraneis belliſ:quod an de alijs regnis(Republica Venetorum excepta) dici verè poſſit, incertum. Huius autem tantæ proſperitatis nulla alia eſt ratio, quàm concordia, amor, firmaque pactio inter Principes & Ordines earundem Prouinciarum:quandoquidem Principes, quià ſeipſis nullam poteſtatem habebant, nihil prorſus abſque Nobilibus & Ciuitatibus exſequi poterant, cùm nullæ eis ordinariæ eſſent facultates, præterquam Canones & publica vectigalia, quibus familiæ aulicæ & officiorum palatinorum expenſas,operas & mercedes ſoluebant. An. 1587.

Statum gubernationis Hol. landiæ & Zelandiæ amicquiſſimum.

Conſtat præterea, qualem dictarum regionum Ordines habuerint auctoritatem ac poteſtatem Principesà recto deuios,&prauo conſilio in ſubditorum damnum ſeductos in viam rectam reducendi, non tantum admonitionibus & poſtulationibus, verùm etiam, ſi maturè malum non corrigeretur, ipſi facto acriter reſiſtendi, eoſque qui Principes ſeduxerant, aut eorum facilitate abuſi fuerant, pro meritis puniendi : quod quidem multa & varia exempla ſatis docent.

Ordinum regionis auctoritas & poteſtas.

Liquet etiam,Ordinum muneris & officij fuiſſe,tutores Principibus dare annis minoribus, idque Comiti V Vilhelmo eius nominis quinto,mentis parum compoti,factum eſſe.

Poſtremo, dubium non eſt, ſummi regionum dictarum imperij adminiſtrationem legitimè ſemper penes earundem Ordines fuiſſe,regionibus,Comitis morte,minori ætate, dementia,errore,aut alio caſu aduerſo,legitima Principum adminiſtratione carentibus : Idque etiam ſeruatum fuiſſe tempore familiæ Burgundicæ ; nempè cum poſt Ducis Caroli, & eius filiæ Mariæ mortem Maximilianus vi contrarium auſus, Ordinum ſpreta auctoritate, regionum ſtatum ſummo periculo expoſuit. Quin & Carolo quinto,annis minori,tutores Ordinum auctoritate fuiſſe conſtitutos, & regionibus iuſtos legitimoſque gubernatores datos : eundemq; Carolum regionũ Status & Ordines(quamuis multis in rebus durante libertate, dominium Burgundicæ familiæ valde ſuerit diminutum) maximi ſemper feciſſe, cum ſuum ſtatum nulla ratione melius firmari poſſe viderent: filiumque Philippum Hiſp. Regem prudenter inſtruxiſſe, & varijs propoſitis exhortationibus monuiſſe,atque oſtendiſſe,eum non ſine ſui ſtatus magno periculo harum regionum ſtatum paruipendere poſſe : quod equidé Philippus re ipſa ſatis iam eſt expertus magno & ſuo & regionum damno:cum huius belli nulla alia origo,inueniri queat (licet multi varia cauſentur)quàm quod regiones nimia Hiſpanorum & aliorum extraneorum militum violentia & crudelitate voluerit prorſus domare ac ſubiugare, imò cogere ad ea ferenda ac facienda quæ Ordinum conſilium iniqua & damnoſa iudicauit.

Error de Ordinum auctoritate.

Quæ omnia quanquam extra omnem controuerſiam eſſe ſciamus,tamen hic neceſſariò referenda exiſtimamus, quandoquidem multi ambiguè & variè hac de re ſentientes, Ordinum conuentum reputent ac cenſeant, prout perſonas in conuentu præſentes arbitrantur mœreri, & negotia quæ tractantur exigere; iudicantque, illos qui ex Nobilibus & Ciuitatibus ad Ordinum conuentum deputantur & delegantur,ſe tanquam Ordines gerere, auctoritatem ac poteſtatem ſummam tenere,atque pro arbitrio regionum negotia diſponere, retorquendo hac ratione omnes actiones ad ſingulare ipſorum onus, odium & inuidiam. Verùm exactius ea quæ iam dicta ſunt & alia maximi momenti negotia,ab ipſis Principibus, & Ordinibus, comprimis in Hollandia & Zelandia quindecim nunc proximè annis elapſis, acta perpendenti facilè patebit,Ordinum auctoritatem nequaquam in adminiſtratione,auctoritate ſiue poteſtate triginta aut quadraginta virorum qui in conuentu præſentes ſe exhibent, conſiſtere. Imò ipſius Regis Hiſp. procuratores,qui huiuſmodi argumentis ſemper regionibus aduerſati, Ordinum auctoritatem in contemptum perducere machinati ſunt, nunc re vera experiuntur quam grauiter errarint, & ſeducti delirarint.

Vt autem vnde Ordinum auctoritas oriatur,cognoſci certò queat, ſciendũ in primis,Principes omnes qui legitimè gubernarunt,non tantum traditione,permiſſu & arbitrio Prouinciarum, gubernationem auſpicatos eſſe, verùm etiam vt omnia corporum membra, quibus tanquam caput erant,ſalua,illæſa & integra manerent,curare debuiſſe:quod quidem (quandoquidem à fallacibus & ambitioſis hominibus facilè decipi ac circumueniri potuerint) certum perpetuumque eſſe nequaquam potuit, niſi Prouinciales ac ſubditi poteſtatem haberent ſe opponendi,& iuſta ratione atque via quibuſcumq; machinationibus ac dolis reſiſtendi,& ipſos Principes, omnium membrorum nomine, de conſeruatione libertatis ac ſalutis admonendi, imò crudeliter ac tyrannicè agentibus reſiſtendi, omnibus regionum facultatibus ac viribus ſimul adhibitis:& hanc quidem præcipuam eſſe cauſam,quòd dictarum Prouinciarum habitatores in duos diuiſi ſint Ordines,Nobilium & Ciuitatum.

Ordinum auctoritas vnde orta.

Nobiles vnius membri loco habentur, ob amplitudiné ac dignitatem profapiæ (quæ, abſq; iactantia,

An. 1587. iactantia, talis, tamque est vetusta, ac alia in toto orbe vlla) & dominiorum quæ in dictis regionibus possident, vnde ferè omnes summis, mediis & infimis iurisdictionibus fruuntur, & in negotijs omnibus simul de regionum statu deliberant, atque in publico conuentu comitijsque vna cum Ciuitatum delegatis siue deputatis consultant.

Nobilitatis Hollandiorum & Zelandorum summa vetustas.

Ciuitates ferè omnes eandem gubernationis habent formam, Collegium nempè Senatorum, ex præstantissimis ciuibus: sunt autem hi in quibuldam ciuitatibus 40. in alijs 36. 32. 28. 24. aut 20. numero: Collegiaq; omnia tam antiqua atq; ipsæ ciuitates, ita vt principij aut primæ originis nulla amplius sit memoria. Senatores semel electi, in officio, quâ diu viuunt aut ciues manent, perseuerant: in mortuorum aut ciuitatem relinquentium locum, mox alij, ex ciuibus, ab ipso collegio eliguntur, vt numerus compleatur. Penes hæc Collegia tantum modo auctoritas est deliberandi, decernendi, & constituendi ea quæ ad regionum & ciuitatum statum spectant: Quicquid verò deliberant, decernunt & constituunt, id omne absq; vlla infractione aut oppositione ratum à reliquis ciuibus habetur.

Ciuitates Hollandiæ, Zelandiæ, &c. gubernantur ab electis Collegijs Senatorum, &c. penes quos plena & absoluta est potestas.

Ab his Collegijs eliguntur singulis annis Magistratus ordinarij, quatuor, tres, aut duo Consules siue Burgimagistri, & septem aut plures Senatores sine Scabini, qui vnius anni spatio funguntur officio. In nonnullis ciuitatibus huiusmodi electiones fiunt prorsus absolutè, in alijs duplicis numeri nominatione, vnde ab ipso Principis Vicario soliti numeri fit electio.

Consulibus commissa est ordinaria iurisdictio, & administratio rerum politicarum, facultatum & reditiuum, custodia quoque & salus ciuitatum. *Officium Consulum.*

Senatorum Collegia, ordinariæ administrationi iustitiæ tam in rebus criminalibus quam ciuilibus vacant: & summas, medias & infimas habent atque exercent iurisdictiones. *Officium Senatorum.*

Ab his Magistratuum Collegijs ciuitates Hollandiæ, Occidentalis Frisiæ, & Zelandiæ, absolutè gubernantur: Principes autem ipsi nullo modo se gubernationi vnquam ingesserunt; soliti tantummodo Vicarium siue Legatum qui iustitiam exerceat, constituere. Hæc paucis de vera gubernatione Hollandiæ & Zelandiæ dispositione sint dicta.

Vnde facillimè colligi potest, Collegia hæc Magistratuum & Senatuum, vna cum Nobiliũ virorum cœtu, integrum statum & totum corpus incolarum & ciuium repræsentare: neque vllam gubernationis formam excogitari posse, per quam certiori cognitione totius dispositionis aut status regionum ratio constitui, constituta que maiori concordia, auctoritate aut continuatione peragi ac seruari queat: Proinde nequaquam mirandum, statum harum regionum fuisse (si quis alius in toto orbe) semper immutabilem ac durabilem. Nobilium autem & ciuitatum collegia non conuocantur nisi à delegatis constituris. Cùm negotia imprimis necessaria ac vrgentia conuentum consiliumq; postulant, mox libello qui præcipuos articulos deliberãdos ac resoluendos continet, vocantur. Mittuntur autem delegati, quibus maximè fidunt, cum tali mandato ac resolutione, qualem regionibus vtilissimam existimant. Comparent Nobiles numero competente: Ciuitates verò Consilem vnum mittunt cum Consiliariorum numero pro negotij difficultate necessario. Delegatis autem belli tempore, ob plurimas quæ tunc plarunque occurrunt difficultates, negotia omnia ad salutem ac conseruationem status regionum spectantia, semper generali mandato committuntur, vt in regionum vtilitatem deliberent, decernant, & statuant quæ ex vsu reputabunt præcipuè ad iura, libertates & priuilegia conseruanda, & infractiones quascunque arcendas ac propellendas. Hi delegati in vno simul conuentu Ordines regionum repræsentant: non tamen ipsi sua persona vel auctoritate sunt Ordines, sed tantummodo præcipuorum Dominorum mandato constituti. Neque reputandum quenquam illorum ambitione quadam se ingerere, aut promouere ad huiusmodi delegationes, cùm hic populus natura ambitionem talem abominetur, & ambitiosis omnibus sit inimicissima: neq; hæc suspicanda sunt in tam liberis electionibus; neque existimandum, quenquam in hac tanta aduersitate, quam regiones, Deo permittente, nunc patiuntur, esse, qui regionum negotia tractare expetat, vnde nihil præter summas difficultates, molestias, odium, contumelias, iniurias à nostræ causæ aduersarijs (qui etiam viros imprimis probos ac fideles falsissimis persuasionibus sæpe fefellerunt, finceros regionum defensores iniquissimè calumniando) absq; vllo commodo sit exspectandum. Eamque ob causam huiusmodi delegationum officia, inter munera necessaria sunt reputanda. Omnes autem qui aliquam harum regionum administrationem exactè perspexerunt, satis testabuntur, quantæ semper fuerit difficultatis viros expertos & rerum vsu doctos ad huiusmodi iniuncta onera subeunda pertrahere. *Qui & quales sint Ordines.*

Hi verò delegati iam reuersi, præcipuis dominis ac proceribus acta omnia fideliter referre ac renunciare tenentur.

Istud quidem gubernationis Hollandiæ, Occidentalis Frisiæ, & Zelandiæ est fundamentũ: in quo regionum status quingentos, sexcentos, septingentos & amplius, vt vetustissima monumenta testantur, annos, firmiter requieuit: Hinc (Dei omnipotentis præcipuè, auxilio, regiones in periculosissimo hoc bello hosti potentissimo adeò fortiter strenuè atq; vnanimiter restiterunt,

Digitized by Google

restiterunt, vt longissimi huius belli tempestate nullam earundem regionum membrum vnquam, nisi extrema violentia, corpori fuerit ademptum aut diuulsum: nulla inter ciues fedtio, nulla inter milites conspiratio euidens in Hollandia aut Zelandia orta: neque vlla tantæ concordiæ ratio (Dei omnipotentis manu excepta) reddi posse videtur, quàm quod omnia iuste, maturè, ingenuè, sincere atque aperte acta fuerint: vnde & multis miseriis & ruinæ illis, quæ olim ad Ordinum conuentum conuocari non solent, nimirum omnibus (ipsa fatemur qua id potuerunt) in Ordinum solemni conuentu contestus & loquendi libertas contigit, vt rerum publicarum administratione probe ab omnibus perspecta ac cognita, onera, qua aliquot inscite ordinanda videntur, beneuolis animis simul ferantur, & concordia absque infractione seruetur: atque eius rei potissimum causa Nobilibus & ciuitatibus liberum fuit, tali numero, & talibus ex Senatus corpore viris, quotiescunque vitium ipsis fuerit, comparere; dummodo dicti viri ex regionum priuilegia non excludantur.

An. 1587.

Liberta de quendi in cam ciuitas ac pro des regionibus multum conducunt.

Si forte aliquis comprobare ac demonstrare queat, quenquam Nobilium, aut à Ciuitatibus constitutorum ad legati munus in Ordinum conuentu obeundum, quicquam aliter quam ad præscriptum mandatum egisse: is quocunque tempore facti sui rationem coram proceribus suis dominis reddere tenetur: sin minus, ipso iure pœnæ est obnoxius: & quicunque tale de ictum bona fide reuelat, is profectò vir patriæ amantissimus habetur. Verum illi qui regionum Ordines contemnunt, Ordinumq; acta carpunt & calumniantur, toto quidem cœlo falso, si existiment se cum Nobilium personis & ciuitatum delegatis singulatim agere; dummodo etiam non demonstrent ac probent, ipsorum aliquem absque mandato quidquam egisse, aut suæ legationis limites excessisse. Sed quanquam in multos quibus per ignorantiam aut imperitiam tale quid euenit, non grauiter, ad modum animaduertatur: illi tamen qui prudentes scientesque id agunt, sunt profectò status & Reipublicæ inimici, cum nihil aliud moliantur, quàm fundamenta, vt ædes corruant, suffodere; & tam Principem quàm populum perdere. Nam quæ est Principis potestas, sine responsu consensuque subditorum? quem consensum, quam connenientiam seruabit? quid subsidij accipiet, si eò se perduci sinat, vt ab Ordinibus qui communitatem repræsentant, aut, vt proprius dicamus, à suo ipsius populo, dissentiat? Quo modo etiam regionum status constare queat, si communitas eò perducatur vt repugnet Ordinibus, hoc est, Nobilibus, Magistratui & Senatui Ordinum, qui populi defensores sunt legitimi, quique, vt Reipublicam communem defendant, sæpe etiam Principum & Gubernationum malcuolentiam & indignationem incurrunt. Proinde æqui iudices omnes manifestè intelligent, communem regionum statum nullos habere magis nocentes, atroces aut capitales hostes, quàm illos, qui se regionum Ordinibus generalibus opponere nituntur. Verùm talem non reputo eum, qui singulatim contra aliquem agit, quod domini sui mandatum in Ordinum cœtu transgressus sit, vt supra diximus, aut alio modo ipsum deliquerit. Proinde extendum, eos, qui summam auctoritatem ac potestatem penes regionum Ordines esse dicunt, non intelligere de personis singularibus, siue delegatis singulatim, sed de eorum dominis præcipuis, nempe de Ordinibus & Ciuitatibus, quos, mandatu ac delegationis authoritate ac potestate, repræsentant. Quod multi quidem Principes & Potestates, ipsa etiam Angliæ Regina cum Ordinibus generalibus agens, & sua etiam Excellentia communem munus, vt generalis Prouinciarum Gubernator suscipiens, ita intellexerunt; neque vlli mortalium controuersum aut dubium id vidcri potest. Neque credere possumus, quenquam existimare, bono fundamento, aliter quam nunc, statum hucseruari retinerive posse. Aut hunc sequi deberet, ipsos Nobiles, Magistratus & Senatus ciuitatum nunc temporis non habere eandem exercitij summæ præfecturæ potestatem, quam olim, sicut demonstrauimus; imo etiam in fœdere cum sua Maiestate contrahendo, & suam Excellentiam in gubernatione constituendo habuerunt: alioqui in controuersiam traheretur, non tantum firmitas stabilitasque contractuum cum sua Maiestate, & commissionis atque gubernationis suæ Excellentiæ; verum etiam quicquid Ordines quindecim annis iam proximè elapsis suæ defensionis cauta egerunt. Verùm hæc, nisi qui regionum ut hostis infestissimus, nemo obijciet.

Distinctio inter Ordines, & subditos & ciuitatissimum.

His omnibus satis euidenter demonstratum existimamus, quàm necessario Ordinum auctoritas debeat conseruari, cum sit præcipuum, cui totus Regionum status innititur, fundamentum, quod absque Reipublicæ ruina labefactari non potest. Hinc quoque liquidò patet, summam potestatem & auctoritatem penes Ordines omnibus in rebus nunc esse, haud aliter atque temporibus Principum defunctorum. Ita decretum Hagæ, 16. Iulij. Constitutum quoque vt horum omnium traditio in manum fiat. Actum Harlemi, 16. Octobr. 1587. *Subscriptum*: Decreto Ordinum Hollandiæ. *Subsign.* C. de Rechter.

Quia verò supra in declarationibus, de Pacificatione diximus, operæpretium erit hic quoque paucis referre, quomodo Leycestrius Hagæ 3. Septembris, per Confinarium Valckium, & Meninum, Hollandiæ & Frisiæ Ordinibus, Reginæ Angliæ nomine, significarit, Regiũ sum-

An. 1587. moperè desiderare regionum statum noscere, & scire an bellum in finem vsque continuare velint, maximè cum ducenta florenorum millia in singulos menses præfidiarijs stipendia soluendis non sufficiant: reliqua etiam multa, nondum soluta, debeant, quæ non sine contradictione ac molestia conquiri possent: à sua autem Maiestate nihil præter 5000. pedites & 1000. equites expectandum, quandoquidem Hispaniam, Franciam & Scotiam timeat: cupere proinde certò scire, an non multo consultius ipsis videatur pacem inire, quam permittere, oppida & arces paulatim capi: Se quidem, si pacem petant, libenter interceſſuram: Si verò soli (quod nequaquam suadebat) pacem facere vellent, id quoque per suam Maiestatem liberè ipsis licere. Ad hæc & ad plura alia cum sibi responderi cuperet, Hollandi & Frisij eodem Septembris die tertio respondent, Ipsos nihil aliud vnquam meditatos aut conatos esse, etiam Principe Auraico, piæ memoriæ, adhuc viuente, quàm patriæ & Religionis defendendæ causa bellum ad extremum vsque finem continuare: & amplius in huius belli vsum à Prouincialibus contribui quàm suæ Maiestati significatum fuerit: imò Hollandos trimestri spatio proximè elapso quinquies centena florenorum millia conquisiuisse, paratosque indies amplius conferre, & animis factisque promptissimos permanere.

Regina Angliæ Ordinibus Pacificationem proponit.

Quod verò ad interrogationem de pace attineret, Nobiles & Ciuitates, Ordinibus generalibus id significaturos, eorumque sententiam intellecta, statim responsuros, &c.

Rantzouius iunior capitis Ordinibus Pacificationis rationes exponit.

Hæc autem oblatio ac propositio de Pacificatione, visa est Regionibus admodum intempestiua: cùm existimarent suæ Maiestati satis factum esse epistola Hagæ 7. Februar. 1587. ad eandem Maiestatem scripta: quæ, quòd Regis Daniæ interceſſionem contineat, necessario hic inferenda videtur: eius autem summa hæc est: Cùm prælidiarij Bergosomenses, hostes quosdam inter Namurcum & Bruxellas obuios inuasissent, atque inter alios Rantzouium quendam adolescentem nobilem ex Dania cœpissent, & eius hippoperam (quandoquidem, vt cæteri hostes, se defenderat) rapuissent, in eaque pecunias, torquem aureum, & epistolas multas inuenissent, & nonnullas aperuissent, Rantzouium captum vnà cum epistolis omnibus ad Ordines in Hagam aduexerunt: hic Rantzouius iniuriam sibi factam conqueritur: quandoquidem à Rege Daniæ ad Principem Parmensem, in Belgarum, vt quidem dicebat, commodum legatus sit: refert præterea, Regem suum mense Maio anni præteriti virum nobilem in Hispaniam misisse cum articulis pacis in Belgio tractandæ: hunc reuersum iam nuncium adferre, Regem Hispan. suam sententiam scripto Parmensi significasse, eique negotium omne commisisse: se verò à suo Rege missum ad Parmensem, vt cum eo de Pacificatione, de loco, tempore, & missione delegatorum agat: Anglorum etiam Reginæ, vt suos quoque legatos mittat denunciatum fuisse.

Articuli autem postulati hi fuere: Rex Religionis libertatem, veteraque priuilegia Belgis permittat: & Anglorum Reginæ statim caueat am fideiussionem quæ indemnitatis constituat. Rex Religionis libertatem recusat, reliqua verò Regis Daniæ, & Ducis Parmæ arbitrio permittit.

Ad hæc respondent Ordines, ipsos nunquam id à Regi Daniæ requisiuisse, neque id vnquam animo concepisse: imò contrà, cùm anno 1586. Leycestrius ex Hollandia abiens Pacificationis aliquo modo mentionem feciſſet, ei responsum fuisse, nihil ipsorum statui magis esse periculosum aut damnosum, atque Pacificationis mentionem: Hanc vnam esse ex Hispani dolosis strophis, qui cum satis perspectum habeant, neq; diutinum bellum, neq; grauissima damna hactenus passa, neque violentam & iniquam prætectorum nobilium necem impedire posse, quo minus Ordines debito iustoque fungantur officio, aut latum pedem à constantiæ firmissimo discedant fundamento, sed honestis armis constantibusque animis hostem superare facilè queant, armis nempe præclaræ virtutis, quibus olim Romani Carthaginenses superarunt; nunc tandem fame atque inedia Hispaniam premente, negotiationis lucro deficiente, regnoque à militibus exhausto, aliisq; huiusmodi damnis vrgétibus, summa necessitate coactum cœptas machinationes omittere, atque Pacificatione proposita dolos machinari; quæ Pacificatio sola regionibus plus damni vno die, quàm laminæ gladijque multis iam annis intulisset, procul dubio inferret. Non esse opus hic veteres aduersariorū referre fallacias & perfidias in Mauros (quorum loco Belgas ab Hispanis haberi nequaquam dubitabant) perpetratas, Maurorum centenis, & amplius, millibus, dolosa pacis prætextu, gladio, fame, seruitute interemptis. Hanc autem perfidiam cum scelestissimis in Belgas commissis facinoribus haudquaquam esse comparandam: quandoquidem fallaci Pacificationis Colonienſis prætextu, summa Imperij Principum potentia, virtute & auctoritate proposita, Artesiam, Hannoniam, Insulas, Machliniam, Buscumducis aliaque loca in defectionem pertraxerint.

Proinde non tantum pacificationem, verùm etiam pacificationis solam mentionem ipsis esse damnosam: Nam, vt veterum sapientum scripta satis ostendunt, pars imbecillior reputata, semper damnum, nunquam lucrum actionibus de pace accipit. Satis ipsis perspectos esse consilij Escouedi productione particularium tractatuum effectus: vnde inter prouincias, ciuitates & priuatos

Digitized by Google

priuatos, contentiones, suspiciones, dissidia orta, maximè cùm vnusquisque suo, non communi commodo studeret, alijs in tempore reconciliari, alijs maturè sarcinas componere & discedere parantibus: vnde toti Belgio exitium prouenisse, constat. Tale etiam consilium Gandaui & Brugis habitum: in quo nihil nisi de Religione permittenda, & de Regis nunc experti sarisatque vsu docti prudentia, & id genus alijs, actum fuit. Quæ quidem de pace actiones, mortis hominum plus quam centies millium causa fuerunt: & plus mali, quàm perfidissimi patriæ proditores, attulerunt: erant enim laquei quibus aduersarios commodissimè capi reputabant. An. 1587.

Ipsos varijs iam experientijs didicisse, discordiam, & negligentiam incoriamque ex huiusmodi Pacificationibus simulatis prodentem rem summoperè esse metuendam: exemplo fuisse acta cum D. Ioanne Austriaco, & Selleo, dolis plena, maximè cùm contributiones omnes starim suspenderentur: quandoquidem tale sit plerunque hominum ingenium, vt quilq; id quod maximè sibi placet, facilè credere soleat.

Non ipsos ignorare quam grata acceptaque sit omnibus pax vera atque sincera. Paucas nationes talia belli incommoda passas: posteros profectò summopere miraturos tam acre ac longum bellum contra Monarcham potentissimum ab ipsis tam strenuè constanterque gestum.

Multas præterea difficultates in articulis conspici. Nam etsi Religio, quam Rex adhuc negare videbatur, ipsis concederetur, esset tamen ille idem, non alius, qui eandem ipsis antèa. Domina Duce Parmensi & D. Ioanne Austriaco gubernantibus, promiserat: mox autem, simulac oportunum satis visum, promissione ac fide decipulæ atque laquei loco vsi sunt aduersarij: neque id Duci Albano dolosa excusatione imputandum, cùm ille nihil absque Regis mandato egerit. Illum eandem esse personam, neque vllo modo mutatum, sed similem prorsus manere, & (quantum libet fœdus cum Anglia inierit) suæ Maiestatis interitum opera Bernardi de Mendosa machinari: Romanum Pontificem omnia posse condonare: Hispanos id tantum operam dare, vt canes custodes ac vigiles expellantur, ipsique expulsis lupus in oues fæuiat.

Etsi verò Rex Religionem permittat, Romana tamen religio permissa manere deberet: eamque ob causam maioribus præsidiarium copijs, maioribusque sumptibus opus esset; neq; pax solida aut firma maneret, quandoquidem hostes in ædium luminibus haberent.

De Priuilegijs nihil certi aut firmi sperandum esse, quandoquidem ille idem eas concederet, qui eadem violasset ac rupisset: & sicut ipsi sua, ita & ille sua habere vellet: si autem controuersia vtrinque de priuilegijs oriretur, ipsos non aliter atq; leo æquum & canem in venatione, tractaret, &c.

Quod ad tertium articulum attinet, de Angliæ videlicet Regina, dicunt ipsos suæ Maiestati imprimis esse deuinctos, eiusdemque prosperitati atque saluti studiosos esse debere, tam fidelissimæ protectionis, quàm aliorum beneficiorum causa: Petunt autè exactè perpendi, quantum lucri Hispanus faceret, & quam facilè singulos opprimeret, si suam Maiestatem auellere ab ipsis posset: rogant proinde eam quidem vt fœdus continuare, Regem verò Daniæ, vt Pacificationem Prouincijs maximè damnosam missam facere velit.

Et hæc quidem omnia Ordines, Anglorum Reginæ, mense Februario literis significarant: verùm ob id nequaquam Pacificationis negotium fuit omissum, sicut pòst latius narrabimus. Ordines autem Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ hac æstate mense Iulio legatos in Daniam miserunt qui Rantzouvvij retentionem excusent, cui quamuis de damno satisfecissent, pacatumque abire permisissent, sciebant tamen Regem adhuc commotum, quod cognosceret operam suam Pacificationis causa non esse acceptam. Cumque anni principio classis circiter 58 o. nauium ex Hollandia, & circiter 200. ex Zelandia & Briela (incredibili profecto copia) orientales regiones versus, per Zontam (sunt hæ fauces, siue viæ arctæ sub Daniæ Regis dominio) contenderent, Rex eas retineri iusserat, ob vim, iniuriam, incommodaque Legato suo Rantzouvvio illata, vt prætendebat, illata, torquem aureum ei ademptum, &c. eamque ob causam plus quàm triginta dalerorum millia inuitis extorserat. Hollandorum autem Legatis de hac iniqua & violentia nauium retentione conquerentibus responderi Rex iussit, se suo Rantzouvvio recusare non posse compensationem damni & incommodi in captiuitate accepti, cùm Ordinum milites Rantzouvvio literis assertorijs munito epistolas eripuerint, relignarint, rursusque obsignarint: neque in huius facinoris authores animaduersum fuerit.

Rex Daniæ. Ordinum nauis retinere iubet.

Hollandorum legatis Rex Daniæ responsum dat.

Præterea rogantibus ne impedire vellet quo minus prò fœderatis Prouincijs, sub militiæ præfecto Rantzouvvio conscriberentur, responsum fuit, Regem id quidem non impediturum, sed operam Rantzouvvij militum præfecti suæ Maiestati necessariam esse: Quin & ipse Rex de iniuria ac vi quam Hollandorum naues portui Bremensi inferre machinabatur, conquestus est. Itaque Hollandorum Legati, Regem non alloquuti discesserunt: erat enim Rex tunc temporis imprimis occupatus, Scotorum Legatis magnificè excipiendis, cum quibus de sua filiæ nuptijs agebat. Atque hac ratione Daniæ Rex passum dispendium abundè refarciuit atque recuperauit.

Rex Habebant

Habebant quidem fœderatæ Prouinciæ tunc temporis optimam commoditatem, huic triginta millium dalerorum diſpendio, & aliȝs grauiſſimis damnis occurrendi, incommodumque anticipandi, erant enim potentes admodum in mari, & maximè in Zonta: verùm prudenter habita ratione ſui ſtatus, & iræ atque perturbationis quam Rex conceperat, quòd ſuas impenſas, operas, pronamque voluntatem ad pacem conficiendam floccipendi videret, hæc omnia in bonam partem acceperunt, & æquo animo tulerunt, non tamen ſine vulgi murmure atque exprobratione.

Hollandia, Zelandia, & reliquæ fœderatæ Prouinciæ omnes cùm hac tempeſtate admodum ſollicitæ & anxiæ eſſent, tam diſidij cum Gubernatore Comite Leyceſtrio, quam inteſtinæ diſcordiæ cauſa, cùm ſummopere, neà Regina derelinqueretur, metuerent; mox quiſq; pro ſuo arbitrio ſe his negotijs ingerere voluit: probi quidem animo ſincero, quanquam minus prudenter: improbi autem peruerſo ac doloſo, quamuis tectè inſtrumentis ſatis bonis vterentur.

Eccleſiæ admonent Ordines & Eccleſijs reſpondent Ordines multa monendo.

Qua de cauſa, Eccleſiæ, ſynodo congregata, miniſtris verbi quatuor delegatis, ſalutem religionum, conſeruationem Religionis, concordiamq; & fœdus cum Anglorum Regina & Leyceſtrio Comite, commendare conſtituerunt: quod cum ſcripto actum eſſet, Ordines decimo ſexto Octobris, ſcripto etiam reſponderunt; ea quæ poſtularant, ſeriò ab ipſis curari: pariterque monuerunt, diligenter præcauere vellent, ne in Eccleſiam irrepant, aut miniſtrorum verbi authoritate aut nomine illi qui Religionis prætextu regionum proceres & præfectos vituperare, & in odium, contemptum, ſuſpicionem pertrahere ſtudebant: quandoquidem id genus homines, Flandriam, Principe Auraico, piæ memoriæ, gubernante, in exitium pertraxerint: quod & nunc abſque magna difficultate facere poſſent, inſolitas & extraneas gubernationes promouendo, quarum cauſa vltro citroque literas mitti, certo ſciebant. Ordines quidem nihil aliud cupere quam initum cum Angliæ Regina fœdus ſeruari. & auctoritatem Comiti Leyceſtrio competentem ex promiſſo, vt æquum eſt, confirmari: mandare præterea, vt omnia ſtudia in ſinceræ concordiæ ſtabilitatem, & Eccleſiæ Chriſti ædificationem dirigant; atque exemplum à Flandriæ Eccleſijs ſumant, Deumque rogent vt procerum & præpoſitorum acta ſecundet, &c. Hæc autem quia typis ſunt edita, vlterius adſcribere operæpretium non putauimus: imprefſa lector, ſi volet, legat.

Vltraiectenſes ad Motium deſcribunt, & reſponſum accipiunt.

Huius negotij cauſa Vltraiectenſis ciuitatis Prætor, Conſules, Senatus, & Magiſtratus omnis acriter admodum ad Hollandiæ Ordines ſcripſerunt 21. Septembr. ſcriptaque etiam typis promulgarunt. Hollandi autem 16. Octob. reſponderunt, miſſam epiſtolam nimia animi affectione ſcriptam eſſe ab hominibus extraneis qui ſe gubernationi fraudulenter ingeſſerant, & ſimulatores atque controuerſias clam alere, Ordinumq; Hollandiæ proceres ſuſpectos reddere ſtudebant, &c. Promiſerunt autem & antiquo fœdere regioni Vltraiectinæ & vicinis omnibus fideli iuſtaque gubernatione ſatisfactum iri: quandoquidem occaſionem habeant maiore cura negotia fœderis adminiſtrandi, dum ſuas ciuitates Reginæ Angliæ, ſubſidij cauſa, pignori obligarãt, & ipſi tantum modo literas dederint. Expoſuerunt præterea, falſo & iniquè de contributionibus Hollandicis obijci: cum liquidò pateat, multis nunc annis, præter neceſſaria vrbium, arcium & munitionum Hollandiæ præſidia, præter belli naualis grauiſſimos ſumptus, & alia onera, etiam in alijs fœderatis Prouincijs, nouem, plus minus, peditum millibus, & amplius mille equitibus ſtipendia ſoluta fuiſſe, ex Hollandorum tantùm contributionibus.

Conſpiratio Lugduni, ad Leyceſtrij auctoritatem ſtabiliendam.

Dum autem vulgus ab Ordinum & Anglorum diſſidia diuiſum tumultuatur, multi quibus diſſidij occaſio non ſatis perſpecta erat, ſeditioſas machinationes paſſim ſtruunt, & Leyceſtrij auctoritatem vi ſtabilire conantur: maximè autem Leydę ſiue Lugduni Batauorum. Hic enim multi, quorum magna pars ex Flandria & Brabantia eò confluxerat, vna cum Nicolao Maldeo D. Manſardi filio, militum præfecto, cuius cohors vna tunc in vrbe erat, omnia pro animi arbitrio agere. Magiſtratum Ordinibus addictum apprehendere, Leyceſtrium ea qua vellent auctoritate munire ac introducere ſtatuerant: quod vt commodè effectum redderent, conſilium callidum inierant, nempè vt Maulde us veniam diſcedendi à Senatu doloſè peteret, armatuſque cum ſuis baſilicam & vnam portarum vrbis per quam cohors alia intrare poſſet, occuparet; viribuſque collectis ſimul clamarent, Viuat Regina Angliæ, & ſua Excellentia.

Hæc cùm Leyceſtrio ſignificaſſent, nimis diu antequam inſtitutum aggrederentur procraſtinarunt: nam interea dum morantur, Andreas Schottus, eiuſdem vrbis ciuis dolum Magiſtratui detegit atque aperuit: mox Iacobus Volmarus Hander, & Coſmus Peſcarengius militũ præfectus apprehenduntur: Maulde us confeſtim vrbe exire cogitur: Ordines ſimulatq; rem omnem perceperunt, Maldeum propè V Vordam à D. Poelgheeſtio apprehendi, & Leydã duci mandant: tribi examinatus, nulla adhibita tortura, omnia quæ ſupra diximus, confeſſus eſt. Senatus autem Leydenſis, præſente Comite Mauritio Hollandiæ Gubernatore, habita criminis exacta ratione, ne ſimile in alijs etiam ciuitatibus poſt tentaretur, vt Dux Andegauenſis antea tentarat præcauerunt, & Ordinum auctoritatẽ, his occaſionibus valde labefactatam, promouerunt

mouerunt, maleuolis etiam metum incutere studentes, sententia 26. Octobris, 1587. lata. Iacobum Volmarum, Cosmum Pescarengium, & Mauldeum capitis condemnarunt, quandoquidem conspiratio huiusmodi non tantum in tanta vrbe, sed in minoribus etiam ciuitatibus, secundum scripti iuris normam, læsæ Maiestatis crimen habeatur: itaque ex loci consuetudine eodem die capite truncati sunt: duorum quidem primorum capita palis in oppidi propugnaculis altè erectis affixa, Mauldei autem caput humo conditum fuit. Mauldeum mortuum supì dolebant & lamentabantur, erat enim iuuenis ætate florens, D. Manfardi filius. Principisque Auraico officij plurimum præstiterat: sed cum Slusæ in præsidijs fuisset, subtilium obsequiis pro animi sui arbitrio non fuisse missum ægerrimè tulerat, idque Hollandis præcipuè imputarat: hinc à Cosmo & alijs ad rebellionem facilè inductus fuit. Cosmus autem Ordinibus haudquaquam æquus erat, summamque sibi iniuriam fieri reputabat, quod merita officiaque non satis largè pro suo arbitrio compensarentur: atque ob id Leycestrij gratiam ac beneuolentiam captabat: erat filius Itali, ex eorum genere, qui vsuram, quam Lombardam vocant in Flandria exercent. Volmarus in Flandria natus, sed Leydæ ciuis factus, se supra modum, (cum alijs nonnullis extraneis (qui vt se à criminis suspicione purgarent, postea coram iudicibus fuere citati) extraneis gubernationibus promouendis ingesserat: cùm tamen ipsorum, vtpote extraneorum, nihil interesset: quin potius hic in defensionem ac tutelam recepti, gratos se præbere debuissent.

An. 1587. Lucas Volmarus fuit Leydæ Senator, Consul, & Magistratus capitis rerum cum imperio.

Ordines hanc iuris exsequutionem, quamuis multis rigida satis videretur, necessariam reputarunt, & typis excusam ediderunt; quandoquidem tempus tale supplicij exemplum postularet: atque hoc facto suam auctoritatem summoperè promouerunt.

In Anglia vbique de dictis Belgarum negotijs, dissidio in Hollandia, belli statu, & contributionibus, de postulata Leycestrij auctoritate & gubernatione, deque propolita pace, varius fermo & variæ fuerunt sententiæ, alijs Ordinum proceres æquos, alijs iniquos reputantibus: multi existimabant bis centena florenorum millia singulis mensibus bene collocata, & Regi-næ quinque peditum millia, & equitum mille, numero completo, & stipendio bene soluto, præterea quæ ex agris limitaneis, cõmeatu tuti itineris, & mercium permissionibus conflarentur, atque extorquerentur, præter naulum præsidiarium sumptus, sufficere posse ad bellum defensiuum gerendum, & aliquot anni mensibus exercitum in castris alendum, hostemque inuadendum: dummodo pecuniæ rectè collocarentur, & non priuatis hominibus, sed toti Status consilio committerentur. *Varius fermo in Anglia de Hollandicis negotijs.*

Idem quoq; Reginæ significatum fuit: additum præterea, nullam debere fieri de pace mentionem, quandoquidem nihil certi præstari posset; pacis etiã propositiones nihil à Belgis Prouinciarum & vrbium defectionem pariturus: vnum quemque enim prima reconciliatione primam potiorem que promotionem venaturum: idque & chiliarchos, & strategos, & milites certatim conaturos, præterea Regem Hispaniarum eo lubentius & facilius cum fœderatis Prouincijs pacem initurum, vt commodius Angliam oppugnare queat.

Angliam, licet hostes habeat multos, parum timen, quandoquidem in mari sit sita, habere quod metuat, maximè si Hollandos & Zelandos amicos habeat. Verùm si harum Prouinciarum naues, nautæ & opes Hispanorum viribus iungantur, tum Angliæ ingens periculum procul dubio imminere posse. Hollandorum enim & Zelandorum vires mari anno proximè elapso satis perspectas fuisse, cùm Albim & Amisium amnes, & portus multos suis præsidijs firmare potuerint: atque hinc liquido satis constare, in ipsorum esse potestate pannorum Anglicorum, & aliarum mercium euectiones impedire.

Si enim soli & ab alijs quodam modo relicti hæc præstiterunt, quid non, Regis Hispaniarum potestate atque auctoritate socia, fauente, & adiutrice, præstare præterea possent; vnde mox & Daniæ & alijs regionibus ingens metus incutiatur. Proinde neque Belgas relinquendos, neque ipsorum animos singularis cuiusdam pacis ineundæ metu frangendos, epilogi loco declarant.

Angliæ Regina postquam dissidium & dissensionem inter fœderatas Prouincias & Comitem Leycestrium haudquaquam minui, sed augeri perspexit; Comitem in Angliam reuocare consultum maturè reputauit: maximè cum sub hyemem parum bello profici posse videret: quandoquidem Ordinum equites & pedites propè Bremam collecti, varias ob causas variè diuiti, militia relicta discesserant, & castris collocandis designatæ copiæ omnes sacramento absolutæ, dimissæque erant. *Angliæ Regina Leycestrium in Angliam reuocat ex Hollandia.*

Leycestrium in Angliam reuersum mense Nouembri, iubet sua Maiestas Belgij gubernationem deponere atque resignare vigesimo septimo Decembri, stylo veteri, in hanc quæ sequitur formulam.

Robertus Comes Leycestrius, Baro Dembygius, &c. suæ Maiestatis Angl. legatus, & fœderatarum Belgij Prouinciarum Gubernator atq; strategus generalis, omnibus has literas lecturis *Comes Leycestrius gubernationi Pro.*

Digitized by Google

An. 1587. cturis salutem. Postquam illustrissimæ Anglorum Reginæ, legationem generalem suarum copiarum militarium, in fœderatarum Belgij regionum, ex promisso, subsidium, nobis committere placuit, ad normam fœderis cum earundem regionum Ordinibus initi: Ordinum generalium proceres nobis dictarum regionum gubernationem tam in rebus ad politiam quam ad iustitiam spectantibus, secundum transcripti, die Febr. 1586. confecti, commissionem & auctoritatem, transtulerunt atque tradiderunt. Verùm cùm nobis, statu & negotijs regni postulantibus atque vrgentibus, iniunctum sit in Anglia manere, & suæ Maiestati seruire: absentes autem auctoritatem atque præfecturam nobis traditam, ad Belgicarum regionum commoditatem & vtilitatem exercere aut exsequi, vt præsentes, nequeamus.

Provinciarum fœderatarum regimen.

Nos dictas ob causas, gubernatione & præfectura earundem Prouinciarum, & alijs oneribus exonerari, & absolui cupientes, literis nostra manu subsignatis resignauimus resignamus, reliquimus & dimittimus, relinquimus & dimittimus munia hæc iniuncta: cessamus quoque desistimusque prorsus ab omni exercitio & exsequutione auctoritatis, nobis quomodocunque modo à dictorum Ordinum proceribus traditæ: damusque ijsdem Ordinum proceribus liberam potestatem, regionum gubernationem administrandi, adhibito simul Reginæ consilio, sicut ad regionum salutem, conseruationem commodissimum & defensionem vtilissimumq; reputabunt. Actum Londini, nostro nomine, & nostrorum armorum sigillo. die 17. Decemb. 1587. Subsignatum, Leycestrius; & obsignatum suæ Excellentiæ armis gentilitijs. Subscriptum, Suæ Excellentiæ decreto ac mandato subsignauit D. Burggraue.

Postquam Leycestrius fœderatis Prouincijs relictis, gubernandi munus depoluit, & resignationis acta primò ad Ordines generales à D. Kyllegreyo suæ Maiestatis Consiliario Kalend. April. 1588. lata fuerunt, controuersiæ nonnihil sedari cœperunt; de quibus vlterius hic agere supersedebimus, alia, & maxime vicinorum, facta relaturi.

Meppela in Frisia capit, & rursus relinquit.

Adolphus Meurlij & Nieuvvenarij Comes mense Septembri cum suis ex Frisia obuiam iturus Germanis superioribus, quos paulò antè Ordines non procul à Brema conscribi iusserant, verùm conscripti varias ob causas non venerant, sed dispersi militiam re'iquerant; Meppelam ad Amisium sitam non procul à Linga, inuasit, vnius equitum turmæ opera, qui duodecim ferentarios frumentandi causa emiserant, à quibus porta subito fuit occupata. Verùm cùm relicto hic præsidio, Syvollam 16. Septembris, adductis aliquot captiuis rediissent, præsidiarij partim auaritia, pecuniæ summa numerata, partim metu, quòd Baptista Taxius Hasselam non procul inde sitam cepisset, Meppelam prorsus reliquerunt.

Comes VVilhelmus Nassouius, Ioannis filius, Frisiæ Cubernator, 2. Nouembr. Principis Auraici filiam, Comitis Mauritij Germanam sororem duxit vxorem, quæ tribus tantum post nuptias annis vixit.

Tumultus in Gallijs.

De Galliarum statu libr. XII. diximus, imprimis autem quo modo Guisiani Sanctæ Ligæ, siue sacri fœderis robore, & Philippi Hisp. Regis potentia firmati, Galliarum Regem institutum Belgarum regiones suo regno iungendi relinquere coegerint, postquam hoc pacto firmam in suo regno pacem stabiliri posse sperasset. Verùm Guisiani hac conditione nequaquam contenti cum compulerunt, omnia cum Rege Nauarræ & Reformatæ Religioni addictis inita pacis fœdera renunciare, eosdemque summa violentia in suam aut ipsorum obedientiam redigere atque subiugare, ipsis quoque præcipua munia atque officia regnum & militiam gubernandi tradere. Hinc Nauarræus & Religionis propugnatores coacti exercitum in superiore Germania, amicorum quos ibi habebant auxilio fedula potissimum Pordiliani Sigueisiorum domini opera collegerunt, Duce Boilloneo, & Comite Castillionio Archithalassi Frãcig filio, ad copias introducendas constitutis.

D. à Dhonaw Nauarræo in Gallijs militat.

Eratque huic Germanorum exercitui præfectus D. Fabianus Burggrauius à Dhonau, à Duce Ioanne Casimiro ipsis commendatus: cumque circiter quinque equitum millia & peditum non exiguus numerus simul essent, ijsque Heluetiorum millia plus minus octo se iunxissent, proximè Lotharingiam inter Sequanam & Ligerim contendentes, in Franciam penetrarunt, Rege ab vna, & Guisianis ab altera parte sequentibus & commeatum intercludentibus. Interea Nauarræus suum exercitum probè instruxerat in agro Pictonico, vt aduenientibus Germanis commodè iungerentur: contra quem Galliarum Rex D. Ioyeusium suum sororium cum quatuor peditum legionibus, & mille quingentis equitibus miserat: Nauarræus autem propè Corrasium obuios hostes strenuè inuasit atque deleuit; Duce ipso Ioyeusio cum fratre, & multis Comitibus, Marchionibus & alijs proceribus interfectis: plurimi capti; pauci fuga seruati, inter quos D. Louardinus.

Prælium propè Corrasium in quo cæsus Ioyeusius.

Germanorum copiæ Gallicas exuit, coalescunt.

Nauarræus quanquam hac victoria potitus, non tamen ad Germanorum copias peruenire, aut præterea quicquam cum laude ac victoria exsequi potuit, maximè ob prauam administrationem, inconsultum consilium, & perniciale dissidium. Tandem Archistrategus Dhonau, cum suis Aigneanæ negligenter excubias ageret, nocte oppressus inopinatò fuit 14. Nouemb.

Cumque

Cumque multi (auctore, vt passim dicebatur, quodam nomine Hongryo) spretis & falso insimulatis strategis & præfectis, à Nauarræo ad hostes deficerent; penuria Heluetios quoque, ab hoste pecunia accepta, domum reuerti coegit, similiter & Germanos: verùm Galli, qui neque clàm abire neque se abdere poterant, strenuè violenterque hostili agmine rupto euasserunt, Castillionio & Boilloneo ducibus. Obijt autem in itinere Comes Marchæ Boilloncitrater: & ipse Boilloneus paulò post Genevæ è vita discessit. Equitatum fugientem Guisiani celeriter insequentes agrum Montbeilliartum destruunt: & depopulantur: hinc grauibus ortis querelis, vindicta à Germaniæ Principibus intentatur; quibus à Duce Lotharingio & aliis damni solutio aliquatenus promittitur. Hæc mala passus Nauarræus ab offensiuo bello destitere, & defensiuum tantummodo gerere, necessitate compulsus est. An. 1587.

Guisiani cum reliquis sanctæ Ligæ fœdere deuinctis, hoc Nauarrei infelice bello, magis elati animis, cum omnem regni gubernandi potestatem sibi assumere atque arrogare vellent, iamq; Regem vilipenderent, cuiq; leges præscribere studerent; Rex hanc ob causam zelotypia animo concepta, mense Maio 1588 certa sibi fecuritate cauere, seque munire Parisijs meditatur. Gallius autem eo veniens præcipuo Parisiensium regiminis fe ingessit, & oppidanos, vt contra Regem fese munirent, eumque cum suis exire cogerent, instigauit. Tandem diffidio hoc dirempto, Rex fecuritatis firmæ causa Regni Ordines Bloysij conuocauit, qua de re post latius dicemus. *Guisiani Regē Galliarum in certa pelunt.*

In Diœcesi Colonienſi, Martinus Schenckius militiæ præfectus strenuus ac peritus, dum 22. Decembr. Bonnam vrbem vltra Coloniam inuadere machinatur, nocte ad Rheni portam prope telonium, mortarium, tormenti bellici genus, puluere nitrato plenum defodi iussit in terra, non tamen adeo clàm & tacitè, quin vrbis excubitores, quibus adesset exclamarent: mox machinatores, nullo dato responsio, in hara quadam vrbi proxima porcos irritarunt atq; vexarunt, vt ijs grunnientibus & reciprocantibus, operi intentorum strepitus non audiretur: mane autem hora tertia, 23. Decembr. igne in mortarij puluere nitrato refertum iniecto, portæ fracta, introitus patuit: inde proximam portam petunt, eamque securibus & malleis effringunt, excubitores interimunt: verùm tormentum amotum subitò ab oppidanis non sine magna oppugnantium clade explosum fuit, interfecto Ioanne V Vighmanno militum præfecto: inde ad portam Stochemensem ruunt, qui valido impetu fracta, equitatus sub Gerhardo Baleo irrumpit. Schenckius simul ac cum alijs primus vrbem intrauit, equũ celeriter consendit, quem quia in hostium agmina curreret, cohibere vix potuit: postea excubijs vbique dispositis vrbem certo ordine, certoque temporis spatia diripiendam suis dedit. Pauci eues interfecti: milites præfidiarij, partim interfecti, partim fuga seruati: vrbis Gubernator Bylleus, Doctor iuris, Bruxellensis, per fossas & mœnia feminudus euasit. *Schenckius Bonnā capit.*

Schenckius omnem commeatum atque annonam ex vicinis pagis in vrbem absq; vlla mora conuehi, eam bene muniri, atque vltra Rhenum ingens propugnaculum confici iubet: ipse interea ad Ducem Cassimirum, & ad Principum Imperij conuentus comitiaque profectus, eis vrbem Bonnã, qua, tãquam Tribunus huc Marschalcus Truxsesij Episcopi, potitus erat, offert; vt in Principum Imperij potestatem tradita, contra Hispanos Imperij hostes defendatur. Respondent autem Principes, ipsis hanc quam opportunum aut commodum videri, Hispaniarum Regẽ expugnare, vt qui Imperij quoque sit membrum: auxiliaque multorum sæpe auxiliatoribus male successisse; imprimis Galliarum Regi, Reginæ matri, & Reginæ Angliæ, quæ nunc pacis conficiendæ causa legatos in Flandriam miserat. Schenckius his pluribusque alijs excusationibus nequaquam permotus, animosè ac strenuè hosti se oppositi.

Verùm Bauarus Episcopus Colonienſis multis sollicitationibus à Rege Hisp. impetrauit, vt Parmensis auxilia ad Bonnam recuperandam præstaret, ne nouum inde bellum in Germania oriretur. Parmensi autem cui præcipue erat iniunctum, vt magnam Hispanorum classem exspectaret, & simul Angliam inuaderet, eo misit Principem Chimayum, Ducis Arschotani vnicum filium, qui Flandros maximo cum dedecore deceperat. Chimayus mense Martio cum exercitu eo contendit, interea dum Cliuiæ Dux inducijs octo mensium conficiendis dat operam. *Chimayus nomine Parmensis Bonnam obsidione cingit.*

Chimayus anno 1588. equitum Belgarũ equis publicis merentium sex turmas adduxit, Ducis Arschotani sub D. Desquamesio, Marchionis Hauræi sub D. Conroyo, Comitis Reulij sub D. Rollantio, Henninij sub D. Baldechio, Comitis Bassij sub D. Plumalonio, turma quoque Cimaij sub D. Vinclyo præfecto: his iungebantur equitum ferentariorum turmæ, quibus præerant Georgius Gersia Albanensis, D. Ioannes à Cordua, D. Philippus Roblesius, D. Marchio Benturoleius, Contrerasius, Georgius Bassetius: præterea leuis armaturæ equites quibus olim Rolandus Yorckus præfuerat: peditum quoque Lotharingiorum, Leodiensium, Germanorum tam superiorum quam inferiorũ legiones aliquot. Quia verò præcipui militiæ præfecti in Flandria cum Parmensi manserant, ad Angliam simul inuadendam, mandatum fuit

An 1587. Verdugoni, Frisiæ Gubernatori, vt vna cum Taxio suo vicario auxilia Cimayo ferret. Missus quoque eo fuit D. Mauricius Larræus ad dirigendas instruendasque copias, eo quod regionis situm optimè nosceret: verùm mox in Flandriam, ad expeditionem contra Angliam, redijt. His copijs cum locorum situs exploraretur, & vrbs obsidione cingeretur, primò Ioannes Baptista Taxius, Dux rei militaris optimè expertus glande occiditur: & Coloniæ summo cum honore sepelitur. Vrbem Bonnam obsidione cinctam, longo quidem tempore D. Otto Baro Potlitius, Christophorus V Volffius, & alij strenuè defenderùt: tandem verò post obsidionem semestrem cum subsidij nulla spes superesset, & Petrus Ernestus, Comes Mansfeldius se obsessoribus iunxisset, vrbs hosti 29 Septembr. 1588. dedita fuit: præfidiarijque cum armis, sarcinis exierunt.

Bonna hosti rursus deditur.

Hoc anno, 4. Augusti in Italia obijt VVilhelmus Dux Mantuanus, & 9. Octobris Magnus Florentiæ Dux, cui successit frater Cardinalis Ferdinandus, qui postea Ducis Lotharingiæ filiâ duxit vxorem.

Angliæ Regina in Hollandiam legatos mittit pacis tandis causa.

Angliæ Regina, quanquam Ordines animum conficiendi pacem non haberent, tamen 20. Octobr. Doctorem Herbertum libellorum Magistrum, & Ioachimum Ortelium, Ordinum actorem Legatos misit, vt Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ sententiam studiumque de pace intelligerent, & suæ Maiestatis animum declararent, vt quæ nequaquâ vlterius videretur, posse actionem cum Parmenti honestè excusare. Multos subditorum, alios quidem bono ac simplici zelo, alios odio ac inuidia permotos, Hispanorum maximas vires ac facultates suæ Maiestati proponere, atq; addere, præcipuos Ordinum fœderatarum Prouinciarum Proceres haudquaquam pacem, sed Gubernationem & dominium in subditos, bellumque defensiuum cum suæ Maiestatis subsidio expetere, vt interea administratione, honore & commodo fruantur: hinc suam Maiestatem exhaurirì, subditos mercatores & nautas extenuari, atque ad paupertatem redigi. Proinde consultum videri, vt quam pacem & securitatem Hispanus sit oblaturus inquiratur: hoc enim potissimè modo fisti posse ingentem apparatum classis longo iam tempore instructæ à Rege, & ab ipso etiam Parmenti, ad quos tota ferè Europa concurrere videbatur: ob eam enim maximè causam, suam Maiest. compelli ingentes sumptus facere, &c.

Prouinciæ incertâ pacem recusant.

Ordines fœderatarum Prouinciarum, conuocatis equestris ordinis Proceribus, nobilibus & ciuitatibus, de hac propositione consultaturi, haudquaquam ob internas & externas difficultates, militum rebellliones & factiones, aut armatæ Hispanorum classis, quam tanta potentia atque violentia aduenire fingebant, minas, animis fracti: rebus omnibus exactè perpensis, constantes ac deliberati quæcunque de pace cum hoste ineùnda propositiones recusarunt atque denegarunt: idque liberè ac planè Reginæ Legatis respondérunt: imò Februario mense anni sequentis, Consiliarios Lozeum, & Casenbrotum ad suam Maiestatem miserunt, qui ne vllum pacis fœdus ineàtur, rationibus, quæ sequuntur, in primis propolitis dissuaderent.

Duobus annis Prouinciæ eo tuendæ con. maiorum summarum millia, & amplius consumpsisse.

Perpendendum esse imprimis, Prouinciarum fœderatarum statum nequaquam reputari debere aut posse adeo desperatum, maximè habita ratione potestatis & pronæ voluntatis contributiones ad communem patriæ defensionem necessarias conferendi: cùm duorû annorum, quo Leycestrius Gubernationi præfuerat, spatio, octuagies centena florenorum millia, & amplius ad sumptus tantummodo belli duobus illis annis terra & mari gesti, promptè fuerint conquisita.

Prouincias, si rectè gubernentur, facillimè posse dictas contributiones continuare, imò maiores præstare: quandoquidem hi qui pro veræ Religionis, & suæ libertatis conseruatione arma capere fuére coacti, potiores facultates, aut commoditates, quam nunc nunquam habuerint: ita vt, nisi humanum fallatur ingenium, optimus proculdubiò exitus sit sperandus.

In Prouinciis fœderatis firmissima & amplissima arces superesse, quæ hostil. longo tempore resistant.

Quod verò ad regionum adhuc simul fœderatarum situs & munitiones spectat, certum est, in toto orbe vix vlla esse loca munitiora: quandoquidem sexaginta, & amplius vrbes & arces adhuc supersint, quæ hostium violentiæ acriter resistant: nullam proinde desperandi ansam dari.

Dissidia in Prouincia orta sopiri proculdubiò posse, si à Pacificatione desistatur, & suæ Maiestatis animus ad Prouinciarum defensionem ac conseruationem apertè declaretur, viroque virtute præstanti negocia committantur, qui pactum cum sua Maiestate initum seruet, sedulòque agat, vt omnia pari consensu atque concordia administrentur, & vnicuique suum ius, officium auctoritasque relinquatur ac seruetur: quod quia hactenus factum non fuit, hinc dissidia primo nata fuisse.

Causæ ob quas Pacificationi Ordines recusant.

Ex colloquio de Pacificatione orituram de religionis & Reipublicæ conseruatione desperationem, Prouinciarum desolationem, præstantissimorum optimorumque virorum, primò quidem, deinde populi plebisque discessum: multorum præterea inconstantium, & minus stabilium tam à religione quam à Reip. defectionem.

Romanæ religioni addictos, hinc animos, vires atque robur sumpturos.

Plurimos

Plurimos religionis reformatæ & patriæ amantes ſumma cum difficultate contributiones collaturos: & potius abitum extra Prouincias cum ſuppellectile & mobilibus bonis meditaturos. An. 1587.

Religionis Romanæ fautores omnibus modis cõtributiones remoraturos & impedituros, vt eo celerius faciliusque pacem maturent.

Militiæ autem præfectos, equitum Magiſtros, & ſtrategos, militesque tam terra quam mari, quibus hinc ſtipendia difficilius parciusque ſoluerentur, ſibi quoque conſulturos, & ne pace inita parui æſtimentur, ſuſpicaturos: proinde conaturos imprimis ſingularem inire cum hoſte tranſactionem, proditiones & ſeditiones ſtruere, & quidquid agere, vt tempeſtiuè in gratiam & militiam ab hoſte recipi, & quocunque pacto pecunias adipiſci queant, non ſine euidenti plurimarum vrbium & arcium perditione.

Prouincias & vrbes, inter quas cõtrouerſiæ, aut ſunt, aut olim fuerunt, mox hoſte inſligante operam daturas, vt ſingulatim in tali rerum ſtatu agant, & alia aliam præuertat; iuramentis aut promiſsis quibuſcunque, antea præſtitis, nequaquam obſtantibus.

Tali autem militum confuſione, tumultuatione, contributionum ceſſatione, aliiſque occaſionibus ſupra dictis, populum ad inobedientiam, & Rempublicam omnem eo perduci poſſe, vt ſua Maieſtas (etiamſi maximè velit) neque ſua neque Ordinum auctoritate efficere queat, vt pacificationi deſiſtatur: & hoſtis pro animi arbitrio pacis conditiones pactaq; facillimè conficiat.

Pace optimis etiam conditionibus conſtituta, partem vnam eorum qui in religione optimè inſtructi ſunt & confirmati, extra prouincias abituram: alteram verò, religionem apertè aut tectè negaturam, atque ita in Prouincijs manſuram.

Regem Hiſpaniæ dominio pacis conditionibus potitum, tribus primis menſibus maximâ officijs publicis præfectorum & Magiſtratuum, tam Prouinciarum quam ciuitatum partem ſibi obſequentem & officioſam, ad quidquid agendum atque exſequendum proculdubio habiturum.

Mox præcipua Ordinum Hollandiæ dignitate potituros Comitem Egmondanum, & Dominum Naeldewyka, Comitem quoque Lignyum tanquam VVaſſenaræ dominum, & multos Hagenus alios hoſti addictiſsimos, qui reliquos viros nobiles in ſuas partes pertrahent, à quibus, vt plerunque fit, ciuitatum Magiſtratus dependebunt.

Dabuntur tribus primis menſibus plurimæ occaſiones vltionis & animaduerſionis ob res præteritas, tam in Prouinciarum indigenas, quàm in ſuam Maieſtatem, & ſuæ Maieſtati ſubditos, non ſine euidenti, non tantum in his, verùm etiam in Anglia & alijs regionibus, ruina religionis.

Res Galliarum belli continuatione poſſe, quod ad religionem attinet, confirmari.

Regem Hiſp. eſſe mortalem: eo mortuo facilius firmam pacem ſucceſſuram, & conſtantius permanſuram.

In defenſione huius cauſæ æquiſsimæ ac iuſtiſsimæ, imprimis intendendum atque inniten-
dum auxilio & gratiæ Dei: quandoquidem reſtota ſpectet ad Dei honorem & gloriam, atque ad diuini verbi conſeruationem: maximè cùm opem & gratiam Dei hoc in bello toties ſint experti.

Præter has rationes paſsim reſponſi loco exhibitas, fuit id quoque temporis typis editus libellus cui titulus: *Neceſſaria de Pacificatione conſiderationes*, imprimis ad Virgilij inſignem ſententiam: *Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem*: auctor anonymus allegat præter veteres hiſtorias, exempla etiam quædã noſtri temporis, de Proteſtantibus in Germania, Ducę Saxoniæ, & Lantgrauio: ſimiliter & de Proteſtantibus in Gallia: quibus declarat, hos omnes nimium fidendo fuiſſe deceptos: contrà verò illos qui conſtanter ſe defenderunt, & in Dei miſericordia & ſuæ cauſæ æquitate ſpem collocârunt: inter quos Magdeburgenſes, Rochellenſes & alij; non tantum religionem & libertatem ſeruaſſe, verùm etiam auctores præcinuos libertatis religionis in Germania & Francia fuiſſe. Dicit præterea, Reges & Principes nequaquam ſuis ſubditis arma contra ipſos ſumentibus condonare: Prouincias autem non tantum arma contra Regem ſumpſiſſe, ſed & ipſum abiuraſſe, religionem mutaſſe, & cum alijs Principibus fœdera contraxiſſe. Oſtendit inſuper, Regem eſſe crudelem, aſperum & inclementem; conſiliariosque habere admodum exacerbatos, varijs exemplis probat: pulchrè etiam diſſimulare noſſe, eamque firmam tenere regulam, Regnandi cauſa fidem infringi poſſe: &, Principibus ſubditos blandis verbis & promiſsis, vt marribus filiolos pomis & piris, fallere liberum licitumque eſſe.

Libellus pacificationi diſſuadens typis editus

Regis & Principum natura

Parmenſem Regis miniſtrum diſſimulandi artem callere, quandoquidem Italus ſit: Italos autem ea arte nationes omnes longe ſuperare: eiq; diſſimulare imprimis eſſe proprium; quandoquidem ex Pontificum Romanorum progenie ſatus natura ipſa ad id iit inclinatus. Refellit intuper argumenta quæcunque à Rege Hiſpan. adduci poſſent. Refert quæ damna Pacificatio

Dux Parmenſ. diſſimulationem inſignat artifex.

Colo-

An. 1587. Colonienſis & ſingularia priuataque de pace in Flandria colloquia regionibus intulerint: & qua fraude res peracta ſint. Allegat & vulgo tritum prouerbium: ſi fœmina aures prabeat, & ciuitas ad colloquium veniat, fœminam ſe ſubmiſſuram, ciuitatem autem mox dedi tionem paſſuram. His pluribusque aliis argumentis allegatis, infert, fidelem eſſe, verùm neminitidere, optimum eſſe. Deum autem ſummum cum perſeuerantia imprimis ſupplicandum, felicemque exitum eſſe ſperandum.

Ordines rurſus nummos edunt ad perpetuam rei memoriam, anno 1580. cuſos, cum effigie Leonis, columnæ, in qua Ducis Albani ſtatua erecta, alligati, cuius collare, Inquiſitio vocatum, muſculus rodendo rumpit, cum inſcriptione, *Roſti Leonem, Lorus. Mus liber at*: ab altera parte, Papa & Rex Hiſpaniarum cruces & caduceapaciſq; ligna offerendo leonem allicium, vt collare rurſus tibi indui permittat: verùm id Leo renuit, cum hac inſcriptione: *Vincit Leo pernegat.*

Cauſæ quibus Regina adpacificationem permouetur.

Quamuis hæc omnia ad diſſuadendam Pacificationem allegarentur, Regina tamen Angliæ ad incipiendam per motu fuit, bonas, vt quidem reputabat, ob cauſas: forte quod de Prouinciarum fœderatarum rebus diffideret, propter diſcordiam inter Prouinciarum Ordines, & ſuos Anglos, qui in priorem partem auxiliare fœdus interpretabantur, eo quod ſumptus ad continuandum bellum graues admodum reputarent, & bello offenſiuo exitum felicem breui ſperaſſent: pacem quoque ipſorum negociationi vtilem ac neceſſariò comprimis exiſtimarent: maximè autem omnium eam mouit perſeuerans Parmæ Ducis inſtantia, cum quo negotium eò vſque iam inceptum erat, vt ſine dedecore vlterius recuſari non poſſet.

Parmenſis quidem (vtpotè ſummus diſſimulandi artifex) Anglos ſomnolétos, negligentes atque imparatos ad defenſionem contra inſtructiſſimam potentiſſimamque Regis Hiſpaniarū inuincibilem claſſem reddere, Angli autè arcanas Parmenſis machinationes perſcrutari, eumque Pacificationis prætextu diuertere ac remorari, ea maximè tempeſtate, ſtudebant: & colloqui atque audire nequaquam obſtuturum reputabant.

Regina Legatos ad pacem conſtituendam mittit.

Regina ſuos Legatos circa 20. Febr. 1588. Oſtendam, Flandriæ vrbem miſit, tunc temporis optimè Præſidiarijs Anglis munitam, quibus præerat D. Ioannes Conway: fuerunt q; Reginæ Legati, Comes Derbiæ, vir inter reliquos Angliæ Proceres valde potens, & Ordinis periſcelidis eques; Baro Cobanus, quinque Kintijp rum Gubernator & cuſtos, diciturque Ordinis etiam eques; D. Iacobus Craft eques; tres ſimul iuſtimi Cõſiliarij; præterea Valentinus Daleus, & Ioannes Rogerſius, libellorum ſupplicum Magiſtri, & vtriuſque Iuris Doctores.

Parmenſis nomine Regis Philip. miſit Maximilianum Comitem Arenbergium, Ordinis aurei velleris equitem, D. Champigneium celebrem Imprimis virum, & D. Richardotum, cum Maſio & Flaminio Greuier, vtriuſque Iuris Doctoribus, qui cum Brugas vſque peruenifſent, per nuncios multo tempore vtrinq; actum eſt de loco conuentus, & an pro illis qui ſe in hoſtis poteſtatem traderent, obſides dandi eſſent. Tandem poſt trimeſtrem diſputationem, Angli facile ſe præbuerunt, contenti, non datis obſidibus, Eorburgum, Flandriæ ditionis locum, venire. Hic 6. Iunij ceptum eſt de pace agi.

Poſt varias vtrinque propoſitiones, tandem articuli aliquot à D. Iacobo Craft Conſiliario & delegato Regiæ, fuerunt inſcijs ſocijs, propoſiti, qui ad pacem in maximum fœderatarum Belgij Prouinciarum damnum tendebant. Eius verba multi quidem in meliorem partem interpretabantur, & ad explorandos Regis Legatorum animos dicta reputabant: nihilominus Craft in Angliam reuertus, hanc ob cauſam aliquandiù cuſtodijs retentus fuit: eoque paulò poſt vita functo, ſcripta omnia in defuncti domo perquiſita, atque inde aſportata fuerunt.

Angliæ Regis delegati in Belgio dimittuntur.

Cùm autem tractandæ pacis cauſa conuentus iam ageretur, Hiſpanorum claſsis ſubitò ſuperuenit menſe Auguſto ipſique Delegati Bombardarum tonitrua audierunt: atque hinc Ducis Parmenſis fraus, ſimulatio, factaque verbis contraria liquido patuerunt: quandoquidem quibuſdam Anglorum delegatis ſuò ore per fidem & honoré Principis ante affirmarat, Regis claſſem nequaquam contra Angliam venire: quod & Regis delegati ſimiliter aſſeuerarant. Angli autem domum vocati, diſcedendi facultatem petierunt, eamque honeſtè impetrarunt, non tamen ſine metu & ſuſpicione, eo quod obſides non haberent. Laudarunt verò Parmenſem, quòd hac in re promiſſa ſeruaſſet: itaque re infecta, & Pacificatione interrupta diſceſſerunt.

Diſſenſio & factiones in ciuitatibus Prouinciarū, &c.

Quanquam Leyceſtrius, vt diximus, fœderatarum Prouinciarum gubernationem diſpoſuiſſet, magna tamen in Prouincijs manſit factio, eorum maximè, qui commodum inde aucupabantur, & proinde eius reditum variis modis promouere ſtudebant, non ſine populi in ciuitatibus, & militum præſidiariorum in omnibus ferè præſidijs tumultu & ſeditione: imprimis autem Gertrudis bergæ, Medéblickæ, Nardæ, VVorckomij, Heuſdæ, & aliis locis præſidiarijs. Heuſdæ autem primo ſedatus fuit tumultus ſtipendij trimeſtris ſolutione, poſtea quoque cum reliquis facilè tranſactum eſt.

Cum Medenblickæ & totius Northollandiæ gubernationi multo tempore præfuiſſet, D. Theodorus

Theodorus Sonoyus, ſeque fideliter & ſtrenuè admodum in multis negotijs & expeditionibus geſſiſſet, vt ſuprà diximus, tandem, poſt Dauentriæ & Zutphaniæ proditionem, ab eo, ſicut & à cæteris, nouum Comiti Mauricio, tanquam Vicario præſtandum fuit iuramentum: id verò Sonoyus, eò quod neque abrogationis neque confirmationis literas à Leycestrio Ordines deferrent, recuſat, & deliberandi ſpatium poſtulauit: huius autem recuſationis cauſa ortum diſſidium à D. Blonckhurſto, Reginæ Legato mox fuit diremptum. Verùm poſtea, cùm Mauricius cohortem Domini Arnoldi Duneuordi Medenblickam miſiſſet, diffidentiæ quadam occaſione, intromiſſa non fuit: quin & Mauricius & Hohenloius poſtmodum co profecti cum ſuis familijs excluſi etiam fuerunt: huius quoque delicti gratia facta eſt Sonoyo, quòd ſe dolere id factum, & ſuſpicionem fruſtra concepiſſe, & aliter rem ſe habere quàm putarat, ſe comperiſſe diceret. Cumque hæc & alia in menſem uſque Ianuarium 1588. agerentur, Sonoyus, vt ſuam cauſam defenderet, vſus eſt auctoritate mandati Northollandiam gubernandi, quòd à Leycestrio acceperat, ſicut & antea à Principe Auraico habuerat: dictamque gubernationem & auctoritatem, Mauricio quidem Vicarij nomine nominato, retinere, paremq; poteſtatem exercere, & diplomatis huius efficacia, liberum licitumque ſibi eſſe prætendit. An 1587 Sonoyus ſe defendit. Leycestrio non fuisse Sonoyo mandatum.

Cùm verò Ordines Hollandiæ hęc in contemptum atque contumeliam Ordinum tendere reputarent, huic malo occurrendum cenſuerunt, ſtatuerunteque, vt Sonoyus tantum 150. militibus Præfidiarios ad Medenblickæ defenſionem & cuſtodiam haberet; reliquos in Prouinciarij obſequium mitteret, certis, vt Ordinibus placeret, deſtinandos locis. Sonoyus autem cùm vix ſexcentos milites haberet, ſe ijs nequaquam poſſe carere, ſed ad ſuæ vitæ & loci cuſtodiam & ſecuritatem opus habere dixit. Ordines perſeueranter inſtantes, Sonoyo deos libellos ſupplices cum notis marginalibus Leycestrij obtulerunt, quibus ei præcipiebatur, vt ſe Ordinũ decreto & arbitrio accommodaret. Hinc ſeditionem milites excitarunt, & diſcedere, niſi ſeptuaginta duobus menſibus dinumeratis, recuſarunt, armaque ciuibus Medenblickenſibus adempta in Sonoij ædes aſportarunt, ipſoſque ciues per ſingulas hebdomadas ſtipendia ſoluere coegerunt.

Hinc in reliquis etiam ciuitatibus, eiuſdem legionis milites, ad quos hi literas miſerant, ſeditionis occaſionẽ ceperunt, maximè in Geldria, Frisia & Transiſulania. Sonoyus ab Anglis & alijs eiuſdem factionis inſtigatus atque animatus, milites ſtipendiarios omnibus modis excuſabat, eosque Reginæ Angliæ iuramentum præſtiſſe, & multa id genus alia allegabat. Mittuntur tandem ad eos D. Famarſus, D. Svveuenſelius, Petrus Kieſius, Conſul Harlemi, & M. Adrianus Antonius, Conſul Alckmariæ: hi cum calculi rationem, & meliorem quàm alij milites habebant, ſolutionem obtuliſſent, nihil ab obſtinatis impetrarunt: nihil quoque D. Nicolaus Bruyninckius & alij ad eos poſtea miſſi obtinuerunt.

Cùm autem ſeditiõ ſolutionem pagis circumiectis, iniquè admodum extorqueret, & in agricolas tanquam hoſtes ſeuirent; Ordines Hollandiæ eos vi coercendos ſtatuerunt: idque negotium Comiti Mauricio mandarunt, qui exercitu militum, collegarum iuratorum, & ciuium vicinarum vrbium collecto, & nauibus præfidiarijs apparatis eos obſedit, oppugnandiq; onus Vilerſo militari Tribuno, qui paulò ante ſumma cum diſſicultate ex captiuitate redierat, commiſit.

Seditioſi arctè obſeſſi, & vi armata vndique ſepti, à pertinacia deſtiterunt: & obſidione in menſem vſque Aprilem 1588. continuata, diſſidium diremptum fuit. Angli enim & ipſis ad dicti. primo obſtirmati & pertinaces, poſtquã Leycestrij gubernationem Ordinibus traditam, & Ordinum auctoritatem ratis decretis confirmatam cognouerunt, rebus exactius perpenſis, ſeſe ſubmiſerunt: militesque præfidiarij literis tuti itineris & commeatus acceptis, vrbem reliquerunt, eamque Mauricij agmina intrarunt. Sonoyus factum purgandi cauſa, Alckmariam venit, qui poſtea ciues Medenblickenſes, & alij magnum detrimentum in bonis attulerunt. Medenblicke ſe dedit. Præſidiarij ab Ordinũ copijs domiti.

Sub idem tempus circa menſem Februarium & Martium, etiam Præſidiarij milites in caſtro Brakelæ, & oppidis Huyſda, & Gertrudenberga tumultuati ſunt, debita ſibi ſtipendia motus cauſam prætexentes: quorum illi qui Brakelæ erant, breui tempore à Comite Hohenloio obſeſſi, in Ordinum poteſtatem venerunt. Heuſdani accepta magna pecunia ſumma, iamdiu ipſis debita fuerunt pacati. Gertrudenbergenſium verò ſeditio, reliquis videbatur deſperatior, quia prætextu ſeruitij fidei que Reginæ Angliæ debitæ, nec Ordines generales, nec particulares, nec Comitẽ de Hohenloio (qui hactenus ipſis præfuerat) nec ipſum Mauricium aut alium vllũ Magiſtratum agnoſcebant. Rem nullam habere aut contrahere cum alio volentes, quam cum Barone VVilonbeo, Anglicarum copiarum in Belgio præfecto, inſignia bellica vexillaque petulãter lacerare, nihilq; quod ad ſummam inſolentiam addi poſſet, omittere, nec aliter quã iurati Reip. hoſtes ſe gerere, naues ex Holland. in Zeland. & alio cum licentia Ordinũ, euntes, hoſtiliter intercipere cœperunt, verùm interceſsione dicti Baronis VVilonghbie, furor iſte paulũ eſt ſedatus menſe Iulio, numeratis ipſis per Comiſſarios Ordinum ducentis & ſexdecim florenorum Præſidiarij ſeditioſi. Hoſtilia & ſeditioſa.

Digitized by Google

An. 1588. norum millibus, pro ſtipendio 24. menſium, idque certis conditionibus, de quibus cum poſtea cum Ordinibus non conuenirent, interlabentibus aliquot menſibus, ſeditio rurſus orta eſt, oppidumque ab Ordinibus obſeſſum, vnde cum ſpem omnem perdidiſſent reconciliationis cum hoſte contraxerunt, ſeque eius poteſtatis fecérunt, vt poſthac dicemus.

Diſſidentiæ inter Ruſſelii Præfectum Fliſingæ & Ordines.

Fliſingæ eo tempore, Reginæ nomine præerat Vilhelmus Ruſſel, eques, filius natu minimus, Comitis Bedfordiæ, qui cum ſuis quos apud ſe habebat Anglis vehementi ſtudio in tranſuerſum raptus, multa contra Ordines & Mauricium Auraicum agitabat, ſtudens vbicunque potuit, eorum authoritatem apud populum diminuere, motus ſuſpicione quam aduerſus eos ab initio conceperat, quadamque diſſidentia ſibi perſuaſit, iampridem eos dare operam, quod Fliſinga ipſum expellerent.

Ruſſelius vetuſtus Fliſingam ambijt præfecturam militiæ Zelandicæ.

Vtautem melius penitiusque cauſa iſtius diſſidentiæ mutuæ inter eos intelligatur, quędam altius repetemus, vt initijs intellectis, conſequentia & progreſſus eorum facilius percipiantur.

Cùm Ruſſelius circa Iulium anni 1587. Fliſingam veniſſet, oppidi illi à Regina præfectus, ſperabat Ordines Zelandiæ honoris cauſa ſtatim ſibi delaturos præfecturam militiæ, ſeu legionis vulgo regimentum VValachriæ, quia ea prædeceſſori quondam ſuo Philippo Sidneo fuerat conceſſa, quo ſe nulla in parte inferiorem, aut minus beneméritum exiſtimabat, dum hæc aliquo tempore fruſtra exſpectat, nunciatur ipſi, per quoſdam è ſuis emiſſarijs, Ordines Zelandiæ cógregaatos, de Præfecto militiæ ſuæ, in locum demortui Sydnei creando acturas: commendatumque iam illis eſſe Comitem Solmenſem. Aderat tum ipſi Belga quidem Petrus van Heide, quem Comes Leyceſtrię à Rege Naŭarræ ſibi commendatum, illi pro tempore miſerat. Huic Ruſſelius rem omnem aperit, probeque de ſua voluntate hac in re inſtructum ad Ordines Zelandiæ ablegat. Qui vbi Ordinibus ſignificaſſet Ruſſelium certiorem factum, ipſos illo die deliberaturos de nouo militiæ ſuæ Præfecto, & propterea amice eos rogare, ne in inſtituto pergerent, vllumue ad locũ illum eligerent, antequã Comitis Leyceſtriæ ſupremi vnitarum Prouinciarum Præfecti, (cuius intererat hoc ſcire) ſententiam ſuper ea re intellexiſſent. Senatus Zelandiæ illi reſpondet, ſe nihil eiuſmodi illo die in animo habere, eaque gratia Ruſſelium ſecurum eſſe iuſſit, præſertim cum ea res non tam eſſet ſui arbitrij, quàm Præfecti Prouincialis Mauricij Auraici.

Van Heide miſſus ad Ordines Zelandiæ.

Van Heide cum hoc reſponſo Middelborgo rediens, vti in mandatis habebat, in via ad Aldegondium deflectit, quem Ruſſelij verbis rogat, vt candide ſibi diceret, quid hac de re ipſi videretur, quod ille fecit libens, liberéque ei narrauit, aliquoties iã hac de re fuiſſe deliberatũ, multaſque eſſe cauſas, cur exiſtimaret Ruſſelium præfecturam illam non obtenturum, quarum prima erat, ne in conſuetudinem ſeu legem hoc abiret, vt Præfecti Fliſingenſes omnes præfecturam militiæ Zelandicę iure quodam præſcriptionis ſibi vendicarent. Propterea ne Ordines aut Præfectus Prouincialis Mauricius Auraicus libertatem diſponendi de hac præfectura, & conferendi in quem volent, amittant, credere ſe ipſos eam præſenti tempore Fliſingenſi Præfecto non daturos, vt interim omittam contradictiones & murmura nobiliorum belli ducum nationis Belgicæ, qui cum Philippus Sydneus ea præfectura donaretur, ſibi iniuriam fieri ſunt conqueſti, proteſtatiq; iſtiuſmodi præmia, tam pio ſuo merito quam ex ſupremi ſui Præfecti promiſſo ſibi deberi.

Cauſa cur Ruſſelium præfecturam Zelandiæ non obtinuit.

Hæc intellecta Ruſſelio fideliter retulit van Heide, notatusque ab eo tempore eſt Ruſſelius malam de Ordinibus opinionem concepiſſe, quæ aucta eſt, vbi paulò pòſt ſupra nominatum Comitẽ Solmenſem ſe præterito ad præfecturã, quam ipſe ambieret promotũ audiret. Ob hanc repulſam Ruſſelius factus ab Ordinibus alienior potuiſſet adhuc bonis honeſtisque rationibus pacari, vti vir erat animo ſyncero, & candido, cuius argumentum aliquod eſſe potuit, quod Mauricium poſtea officioſè, & optimè Fliſingæ exceperit, amicèque communicauerit. Sed cum ſubſecuta eſt obſidio Sluſenſis, & odium inter Ordines & Comitem Leyceſtriæ, in cuius verba Ruſſelius iurauerat, eius cauſa offenſi animi vtrinque facti ſunt offenſiſimi, ad quæ mala accedebat hoc etiam, quod vix vnum aut alterum apud ſe haberet, qui rerum Belgicarum peritę ſaniora conſilia ipſi daret, multitudine parasitorum ſtipatus, confecti partim inopia rei familiaricoactorũ. partim ex ijs qui iudiciũ pro factis timentes è manib. Ordinũ effugerant, prompti ad vlciſcendas priuatas ſuas iniurias, maledicentes Ordinib. calumniasque de ijs ſpargendo, præ tendentes ſe Anglis inſigniter addictos & fidos. Hi Ruſſelium dicta repulſa factum ab Ordinibus paulò alieniorem (facilitate eius abutentes) ita exagitarunt, vt ad extrema tandem venire cogerent, fruſtra ipſis cõtra nitente Petro van Heide: nullus eum prę teribat dies, quo non noua de dictis vel factis Ordinum aliquid ipſi adferrent, quibus animum eius magis ac magis exacerbarent, palsimque venabantur, explorabantque hinc propoſito ſuo inſeruientes occaſiones.

Si qua nauis (vti ibi mos eſt) cum licentia Ordinum ad hoſtem nauigaret, incitabant Ruſſelium, vt eam interciperet, Fliſingamque adduci iuberet, ibique bona omnia, tanquam iure belli

Digitized by Google

belli capta, siue forma processus sui Iuris faceret, hoc enim ad officium eius pertinere clamabant, vt negociationem cum hoste impediret. Rursum si quæ naues mari aut milites terra in vicinia Flisingæ transirent (vti occasiones in bello sunt vltro citroque transmittendi naues vel milites) persuadebant iſti Russelio, naues & milites istos expresè missos, vt stratagemate ab ordinibus concepto, Flisingam occuparent. His quotidiani Flabellorum istorum insusurrationibus, Russelius ita transfuerum raptus est, *adeoq; sui oblitus*, vt tandem veritus non sit, se apertè ita gerere, ac si Ordines pro hostibus haberet, hinc crebræ visitationes & inspectiones domuum per ciuitatem & nauium etiam in portu Flisingensi stantium, sub prætextu quod nunciatum sibi esset ibi latere quosdam, ab Ordinibus & Mauricio Auraico missos, qui tumultu per oppidum excitato, Anglos vellent ejicere. An. 1588.

Diffidentia Russelij.

Cum Ordines hæc egerrimè ferentes, Russelium sæpè per Magistratum Flisingensem, & familiares monerent, orantes, vt istis rumoribus nō ita facile crederent, parū aut nihil effectum est, vocatus etiā subinde honoris causa ab Ordinibus Zelandiæ, ad solennia conuiuia nunquam venit, persuasus se eò accersi, vt captus ibi detineretur.

His modis annus 1587. transactus, circa initium anno 1588. casus superuenit, qui mutuas istas diffidentias, quàm maximè auxit. Faciebat Dux Parmensis magnam scapharum per Flandriam apparātum, quibus Zelandiæ Insulis præcipuè minabatur: qui vt arceri ab Insula VValachriæ facilius posset, consultum videbatur, turmam aliquam equitum eò accersere. Hanc occasionem sumpsit Russelius scribendi ad Ordines Zelandiæ, & ad Concilium Status, quo sibi liceret turmam suam, quam Bergis ad Zoom habebat in VValachriam accersere, promittens disciplinam eiusmodi inter milites suos seruaturum, vt incolæ nihil haberent, quod conqueri possent, sed interim dum responsum exspectat, intelligit non suam sed Villersij Marischallī turmam, in Zelandiam aduentare. Quæ res Russelium supramodum cōmouit, eoque redegit, vt neglecto saniori omni consilio, quam primum Tympanistam miserit, in Soutlandiam ad loci illius incolas, omnesque rusticos vicinos publico edicto vetans, ne vllos equites aut pedites ibi reciperent, nisi ſtatim à Præsidiarijs Flisingensibus eos inde pelli ipsorum periculo & damno vellent.

Russelius petit sibi mitti suā turmam equitum, quod non obtinuit.

Russelius vetat edicto, ne in VValachrā equites Ordinum recipiantur.

Simulque scripsit expostulatorias ad Consilium Status de iniuria sibi facta, cui non modo tantillum fauoris erat recusatum, sed quod in sui contemptum, alterius Turma, suæ erat præfata: idque cum tam amice & studiose hoc ab illis contendisset, quare eos sibi occasionem deesse aiebat, maximè defendendi, & certo credendi, eos nescio quid contra se machinari, propterea diserte profitebatur se non passuros vllos milites venire in VValachriam, aut circa castrum Ramekens, dicens habere occasionem diffidendi ijs, qui sibi non fiderent, nec vlli debere videri mirum, si hoc turbulēto tempore omnia haberet suspecta, quia cum iste præfectura de vita & honore simul & semel amittendis periclitabatur.

Literæ Russelij expostulatoriæ ad cōsilium Status.

Ad quos Consilium Status 20. eiusdem Februarij ita respondit. Literas tuas quinto huius mensis stylo veteri datas, accepimus, & cum Ordinibus generalibus, iam Hagæ congregatis, communicauimus: qui post communicationem super argumento eorum simul habitam, nobiscum valde doluerunt, aduentum turmæ equitum Capitanei Villersi in Zelandiam, tantam animo tuo de nobis impressisse diffidentiam, quæ hac tempestate præter mala & incōmoditates quas habemus, nihil præsenti Reipub. nostræ statui maius afferre præiudicium potest, quam mutua internos diffidentia. Cuius certè nullam existimamus tibi à nobis datam occasionem. Nam quod ad turmam illam equitum attinet, illa à Comite Nassouiæ, Domino Mauricio missa est, non à nobis, qui pro auctoritate quam habet, tanquam Præfectus Hollandiæ & Zelandiæ, eam cum literis suis Patentibus, eò misit, in eum solum finem, quantum intelligimus, vt rusticos & incolas ducant ad excubias, vbi aditus litoris sunt faciliores. Ad quam rem 60. equites sufficiunt: ex quibus audimus constare dictam turmam, qui numerus militum tantus non est, quo quis audere vel tentare quid possit contra oppidum & castrum, quorum custodia tibi est commissa. Quantum ad nos, iudicamus equitatum valde incommodum esse Insulæ VValachriæ, hoc anni tempore, plusque damni facturum ibi prospicimus, quàm seruitij. Propterea visum nobis est (vbi redierit dictus D. Comes Mauricius) cum ipso ea de re seriò agere & petere, vt quemadmodum misit, sic reuocare ex VValachria, quàm primum equites illos velit. Ideoque etiam rogamus, vt apud nos instare desinas, quo tua turma eo mitti possit, quia maiori damno quam commodo equitatum ibi fore censemus. Male etiam nos habuit, cum in literis tuis vidimus declarationem illam, qua indicas te non permissurum, vt vlli milites veniant in VValachriam, aut circa oppidum & Iurisdictionem Flisigensem, & castri Ramekens. Nec minus etiam doluit id, quod nunciatum nobis est, te ad pulsum tympani, edicto publico vetuisse Soutlandiæ, ne vlli milites Ordinum ibi reciperentur. Quapropter facere non potuimus;

An.1588. quin his tibi in memoriam reuocaremus, quod directè feciſti contra Contractum, cum ſua Maieſtate initum, dum tua iuſſa & mandata extendiſti ad reliquam Inſulam VValachriæ, quæ remanet ſub iuriſdictione, mandato, obedientia & diſpoſitione dominationis Prouinciarū, tanquam generalis quam particularis. Quamobrem rogamus, vt deſinas hoc modo infringere dictum Contractum. Quia ex hac re, vtpotè valde præiudiciabili ſtatui iſtarum Prouinciarum, multa mala prouenire poſſent. Denique rogamus, vt prauas omnes opiniones & diſſidentias, quas contra nos, aut nationem iſtam concepiſti, deponere velis. Nam nihil vnquam magis ſtudiumus, quam tecum bonas correſpondentias continuare. Cùm omni candore, quemadmodum facturi porrò ſumus, ad promouendum ſeruitium Maieſtatis Angliæ, & conſeruationem Status vnitarum Prouinciarum. Tantum abeſt, vt vel tantillum tibi diffiſi fuerimus: certusque eſſe potes, quod nullo modo aſſentiri vellemus iis, quæ tenderent contra ſeruitium tuæ Maieſtatis, aut ad diminutionem tuæ dignitatis, vel auctoritatis in eo loco vbi es conſtitutus. His nos officioſè tibi commendantes, Deum oramus, vt te diù conſeruet incolumem. Haga Comitis 20. Februarij, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, infra ſcriptum. Tui ſtudioſiſimi amici.

Tenentes Concilium Status iuxta ſuam Celſitudinem.
Signatum Chriſtian. Heugeus.

Inſcriptio erat, Domino Ruſſelio, Præfecto à ſua Maieſtate oppido Fliſsingæ, & caſtro Ramekens, ſuper impreſſo literis magno Sigillo Comitis Leyceſtriæ, vtpotè ſuprem Præfecti vnitarum Prouinciarum.

Quo animo fuerit Ruſſelius poſt acceptas has literas, facilè quiuis conijciet, cumque apertè non poſſet, clàm quæſiuit, qua via illos probè vlciſceretur, quod occaſione conſpirationis Campveresium ſtrenuè egit, quæ vt intelligatur qualis fuerit paucis dicam.

Cùm Comes Leyceſtriæ ex Hollandia rediens circa initium Nouembris anni 1587. Fliſſingam veniſſet, vt inde in Angliam traijeret, profectus etiam eſt Campveram, vbi præſentia ſua, magniſq; pollicitationibus Capitaneos illius loci ita mouit, vt clàm Ordinibus & Mauricio Auraico (cum quibus Leyceſtrius ſimultates tum alebat) fidē darent, ſe oppidum illud pro Regina & Leyceſtrio eius Legato, ac ſupremo ſuo Præfecto, contra alios omnes conſeruaturos. Clandeſtini huius contractus conſcius Ruſſelius, omnem dabat operam, vt dictos Campuerenſes, in illa erga Anglos deuotione, omnibus beneuolentiæ officijs contineret. Tempus verò occaſionem iam præbere videbatur, id quod occultum haſtenus fuerat in lucem proferendi, cum turmæ equitum Vilerſianæ edicto Ruſſelij, vt ſuprà diximus, non reciperentur. Senatus Zelandicus ſtatuit, vt 30. equites mitterentur Middelburgum, 18. Campueram, & 12. Armuydam, donec vnde venerant reuocarentur. Middelburgenſes Senatui obtemperantes numerum equitum ſibi conſtitutum receperunt, at Præſidiarij Campverenſes inſtigante Ruſſelio, & ab illis perſuaſi ſiue coacti Armuydenſes, equites ſibi à Magiſtratu deſtinatos intromittere recuſarunt, proteſtantes ſe nullū militem in oppidum ſuum admiſſuros, quam qui veniret cum mandato & literis patentibus Comitis Leyceſtriæ, ſui ſummi Præfecti, quem ſolum in huiuſmodi caſu agnoſcebant. Nec hoc ſolum, ſed contractum inter ſe iniuerunt, quem ſolenni iureiurando omnes confirmārunt, ſuaque manu & ſigillo Capitanei confignārunt, hocque modo ſignatum, in Angliam ad Comitem Leyceſtrenſem miſerunt, qui pro fidelitate ſua, ipſis magnas egit gratias donauitque ſingulos Capitaneos, & Præfectum Vigilium 4. aureis catenis, quæ ſingulæ valebant 100. libras Anglicas, additis literis plenis ingentibus pollicitationibus: & Theſaurarium Zelandiæ, Mandemaker, & alios ad reconciliandos miſſos in vinculis tenuerunt. Coegerunt iſti Præſidiarios ciuesque Armuydenſes, vt ſuum exemplum ſequerentur, minitantes ſi id facere recuſarent, ſe illis nauigationem ac negotiationem, imò etiam ſalis confectionem (quæ ipſorum diuitiæ ſunt) impedituros domoſque ipſorum ad ſalem coquendum extra oppidum poſitas in cenſuros.

Campveriſes & Armuydēſes tumultuantur.

Quo factum eſt, vt dicti Armuydenſes, contractum iniuerunt & inter ſe iurauerunt, in hæc verba, 11. Martij 1588. Ballivus, Burgimagiſter & Conſules ab vna parte, & Capitaneus Hubertus de Paus, cum officiarijs & militibus ſuis ab altera parte, Quod ſe mutuo iuuarent, contra omnem inuaſionem hoſtilem, aliorumque qui præſentem Prouinciæ illius ſtatum lædere vellent, idque pro arbitrio & bona intenſione Maieſt. Angliæ, & Celſitud. Comitis Leyceſtriæ, vtpotè cui ab Ordinibus delata eſt ſuprema præfectura Vnitarum Prouinciarum. Quodq; reſpectiuè ab vna vel altera parte mutationem præſidiariorum non facerent, nec fieri permitterent, ſiue ad auctionem præſidij, ſiue ad diminutionem, niſi poſt communicationem inter ſe habitam, bonamque omnium correſpondentiam communi conſenſu approbatam.

Contractus Armuydenſ.

Contractus iſte publica præconis voce euulgatus eſt dicto die 11. Mar. 1588. Cùm iam antea Comes Leyceſtr. præfecturam vnitarum Prouinc. depoſuiſſet, & diſertè reſignaſſet, præterito Decemb. 1587. quod tñ populo nondum innotuerat, quia magnates Angli hoc eos celauerant.

Cùm

Cùm repentina iſta mutatio præter ſpem accidiſſet, iuſſit Senatus Zelandiæ, vt equites Camverenſibus deſtinati, collocarent in loco munito ad littus Zelandicum ſito, vulgo de Haerek. Reliquos, quos Armuydenſes recuſarant, Middelburgum ire mandauit, donec ſimul omnes reuocarentur. An. 1588.

Interea Ruſſelius, haud ſegniter partes ſuas agebat, vt Campverenſibus & Armuyddenſibus animos adderet, nec tantum literis ſuis factum eorum collaudabat, magnaſque eo nomine gratias illis agebat, aſſiduisque nuncijs ipſis, vt in incœpto grauiter pergeretur, adhortabatur, ac præſentia etiam ſua, caterua ſuorum aſſeclarum bene ſtipatus, confirmare illos inſuper volait, coramque monere, vt cautam Anglicam ſemel ſuſceptam, fortiter tuerentur. Pollicens Reginam, & Comitem Leycestrię, fidele eorum ſeruitium liberaliter compenſaturos. In quo negotio promptiorem ideo ſe præbuit Ruſſelius, quo conſequeretur Præfecturam totius Inſulæ: tenēs iam ſub imperio Eliſingam, Campveram. & Armuydam, quare metus etiam inceſſus eſt Middelburgenſibus, minæq; additæ, quod breui eorum portus nauibus bellicis, vallisq; circumiectis concluderetur, ſe reliquis ſocijs non coniungerent. Omniaque iſta ab Anglicarum partium propugnatoribus fiebant, acſi neceſſario ad id fuiſſent coacti, prætextu ſumpto quod Ordines, ni ipſi proſpicerent, iam hoc vnum agebant, quo Eliſingam dolo occuparent. *Ruſſelius & Campveram animos addit.*

Cùm Ordines Zelandiæ Prouinciales, item que Generales hoc malum tantopere inualeſcere, Anglorumque audaciam incrementum quotidie capere cernerent, & præſidia paſsim ſui officij obſtare, ita ſe gerere, acſi Reginæ, & non Reipublicæ Belgicæ, & Ordinibus fidem & ſeruitium deberent: ſeriò dabant operam, qua potiſsimum ratione huic malo occurrerent, vti ex parte iam faciebant ad Medenblickam. Miſerunt itaque Mauricium Auraicum Middelburgium, qui domeſticis ſuis tantum comitatus Medenblicka eo appelens; vix cœpit de remedijs, quibus præſentes turbæ pacari poſſent, cum Senatu Zelandiæ agere Cùm in Zelandiam appulit, 12 Martij. Admiraldus Angliæ Carolus Hovvard, cum 10. aut. 11. nauibus bellicis, aduehens ſecum 220. millia florenorū, ad ſtipendia militibus Anglis perſoluenda, *Venit, vbi tum ex Anglia Ruſſelij vxor.* Aduentus iſte Admiraldi inexſpectatus, cum tanto bellicarum nauium apparatu, occaſionem dedit quibuſdā ſpargendi rumorem, quod idcirco veniſſet, vt Mauricium Auraicum captum, in Angliam adduceret. Quod vbi ſuboluit Mauricius, ſubitò ſe ex Zelandia ſubduxit, & ad Claſſem ſuam, quæ ante Liliō in Schaldi tum ſtabat, ſe recepit. Interea cum Admiraldus literas & mandata quædam ad Mauricium haberet, miſit cum illis Aſſinem ſuum Edvvardum Hobeum equitem, ille ſumpſit ſibi comitem Petrum van Heile, nomine Reginæ octauus de turbis præſentibus, & præſertim obſidione Medenblekenſi, quæ tum adhuc durabat, oratum velle, vt pro auctoritate qua valebat apud Ordines, eos inducere ad obſidionem illam ſoluendam, pollicebaturque Ruſſelius Mauricio vicisſim omnia ſeruitia, quod illi decimoquinto Martij Mauricio declarārunt, qui eos humaniter excepit, & liberaliter dimiſit. *Admiraldus Angl. venit in Zelandiam.*

Interea Campuerenſes & Armuydenſes certiores facti, de aduentu admiraldi cum Claſſe, multa ſibi hac de re pollicebātur, cauſam veram ignorātes. Imaginabantur enim ex ipſis aliqui, Admiraldum cum aliquot nauibus bellicis moram ibi facturum, vt res Anglorum ijs in locis ſtabiliret. Alij ſpargebant, quoſdam ex Comitatu Admiraldi, cum aliquot nauibus itu os Medenblickam, auxilio ijs, qui tum ab Ordinibus obſidebantur. Conuiuium itaque ſolenne parabant, ad quod Admiraldum cum ſuis & Ruſſelio inuitārunt. Ad quos cum venire non poſſet, quia hoc ſolum agendum ipſi erat, vt pecunia quam aduexerat Eliſingam tuto portari curaret, miſſo ad ipſos cum literis ſuis, Petro van Heile ſe excuſauit, gratiasque ijs egit, officiaq; omnia quæ à ſe præſtari ipſis poſſent, obtulit.

Ita Admiraldus cum omni Claſſe Eliſinga ſoluit in Angliam, magna ſpe fruſtrans omnes qui aut ibi moraturum, aut Medeblickam profecturum ſibi perſuaſerant. Vix vela ventis dederat Admiraldus, quin Middelburgum iam redierat Mauricius, qui ad Ruſſelium 8. Martij huiuſmodi ſcripſit literas. *Literæ Mauricij ad Ruſſelium 8. Martij.*

Cùm ex Hollandia huc appuli, intellexi hic excitatas eſſe quaſdam turbas, quas quia, ante reditum meum in Hollandiam, componere libenter vellem ita, vt Deo, Reginæ & Reipublic. Belgicæ poſsit eſſe ſatisfactum: rogaui D. Valet/ Conſiliarium Status, vt ea gratia à me te adiret, & de rebus iſtis ſententiam tuam audiret. Vt ea audita, reque intellecta conſilium inirēmus, quomodo hoſti melius reſiſtere poſſemus, ne ille, nomine culpæ prærogatiuam aliquam contra nos arripiat. Quo facto, ſerò medicina pararetur.

Spero propterea, quod inter nos qui vnum ambo finem habemus, omnia facilè componentur. Rogo te propterea, vt dicto Conſiliario mentem tuam declarare ample velis, inueniesque me ſemper paratum, vt aſſentiar ijs quæ rationi non repugnant, vtque tecum talem habeam correſpondentiam, qualem negotia noſtra requirunt. His me tibi ſtudioſe commendans. Vale, &c. 8. Martij 1588.

Cùm his literis Mauricij, Conſiliarius Iacobus Valckius Fliſſingam veniens, vti vir eſt ingenio moderato, bonis verbis cum Ruſſelio egit, de turbis Campuerenſibus. Ad quæ Ruſſelius ſuum non eſſe factum hoc aiebat, ſed Comitis Leyceſtriæ, ſeque cupere (quæ poſſet) officia Mauricio Auraico præſtare: ſcripſitque per Valckium ad Mauricium in eundem ſenſum valde officioſè.

Vt autem experiretur Mauricius, quid Ruſſelius apud Campuerenſes per ſe faceret, miſit eo dictum Conſiliarium Iacobum Valckium, qui multa præmia ipſis eſt pollicitus, ſi Mauricio vtpotè ſuo Præfecto obedientiam præſtarét, verùm illi pacari non potuerunt, antequam ſtipendia ſibi debita acceppiſſent: certicque etiam eſſe volebant, ſe in præſidio illo manſuros; alias conditiones omnes accipere recuſabant.

Litera Mauricij ad Ruſſelium 12. Martij.

Hæccum Iacobus Valckius Mauricio retuliſſet, ſcripſit iterum ad Ruſſelium Mauricius 12. Martij, miſitque literas per Valckium, vt ei ſignificaret, quid cum Campuerenſibus egiſſet, ſimulque quam ſe erga ipſos præbuiſſet ſtudioſum concordiæ & vnitatis, vt rebus cum illis compoſitis, communi hoſti, qui tum inſtabat reſiſti poſſet, ſimulque rogabat Ruſſelium, vt ſuam ſententiam dicto Valckio aperiret, eiq; fidem haberet, non minorem quam ſibimetipſi, ſi præſens eſſet. Interea pollicebatur ſe claſſem apparaturum, vt hoſti, ſi quid tentaret, obuiam iri poſſet, 12. Martij 1588. Middelburgo.

Cùm his literis profectus Fliſsirgam Valckius cum Ruſſelio multis egit nomine Mauricij, ſed nihil potuit efficere, quia Ruſſelius non ſine ſuſpicione de his agebat, de in quod in manu eius non eſſet ea de re diſponere, antequam ex Anglia mandatum acceppiſſet, adeo vt formalia tantú iſta fuerint, donec poſtea menſe Iunio, opera Baronis V Villonghbei, qui idà Regina expreſsè in mandátis habebat, negotium iſtud fuit compoſitum, & Campvoréles cum Armuyden ſibus, ſub Ordinum & Mauricij poteſtatem redácti, vti etiam Medenblickenſes & Nerdenſes.

Litera Reginæ ad Ordines.

Prætereundum verò hic non eſt, quod Regina paulò antè hoc tempus ad Ordines generales ſcripſerat, grauiterq; eos accuſauerat, quod nimis malè tractaſſent Vltraiectenſes, quod crudeliter ſe geſsiſſent erga Leydenſes, & nunc etiam nimis rigidos ſe præberent erga Medenblikenſes, quos tunc obſidebant, vt ſupra commemorauimus.

Reſponſoria Ordinum ad dictas Reginæ literas.

Ad has Reginæ literas Ordines reſponderunt octauo Martij, quod Traiectenſes ciuiliter tantum de officio ſuo monuiſſent, quia ciues ſuos eiecerant, & extraneos ad adminiſtrandam Rempublicam promouiſſent, qui nullas in in vrbe poſſeſsiones (quarum perditionem metuerent) haberent. Negotium Leydenſe referebant ad librum ſe ipſum, qui ad excuſationem eorum, qui ſupplicio affecti fuerant, erat ſcriptus, & typis mandatus. In quo iuxta propriam auctoris confeſsionem, conſpiratio facta agnoſcitur, quæ ſecundum ius ſcriptum crimen eſt, ſi fiat non ſolum in primaria ciuitate, vt eſt Leydenſis, ſed & in minoribus oppidis.

Quod ad obſidionem Medenblickenſium attineret, excuſabant ſe propter nimiam præſidiariorum inſolentiam, indignaque ab ipſis perpetrata facinora ſupra à nobis commemorata, quam obrem iure & neceſſario eos punire debere concludebant.

Litera Mauricij ad Reginam expoſita Iatoria

Scribebat etiam ad Reginam Mauricius Auraicus vigeſimotertio Maij, conqueſtusque in ijs valde eſt, quod patrimoniales ſuæ ciuitates, ex quarum reditu cum fratre & ſororibus, totaque familia Naſſouica ſe ſuſtentarent, Campuera ſcilicet & Gertrudeberga (à quibus 40. millia florenorum annuè accipiebat) iam ſeditione contra ſe mota, prætextu ſeruitij ſuæ Maieſtatis, in ſummum erant adductæ periculum euidentiſsimæ perditionis

Conqueſtus etiam ibi eſt de Ruſſelio, quod ab eo fuiſſet accuſatus, ac ſi malis actibus Fliſſingam occupare, & vi ipſi eripere voluiſſet. Pro quibus iniurijs, ſibi honeſta ratione ſatisfieri poſtulabat, idque ſine vlteriori mora, aut maiori dilatione, quia vrgebat ipſum ad hoc rei neceſſitas, ſimulque reſponſum ſuæ Maieſt. ad literas ſuas deſiderabat.

Regina animaduertens, quo in ſtatu res eſſent, ſatisque ſciens in quanto verſaretur periculo, aduentu Claſsis Hiſpanicæ, etiam prudenter perpendens, nummos cuſos hoc tempore apud Hollandos, in quibus duas boues arabant inſigniti armis Regni Angliæ, & vnitarum Prouinciarum cum inſcriptione, trahite æquo Iugo, ex altera parte vrnulæ duæ mari innatantes, cum inſcriptione, frangimur, ſi collidimur.

Reſponſoria Reginæ ad Mauricii & Ordines.

Reſpondit Mauricio, perquam amenter primo Iunij, quibus pleniſsimè ipſi ſatisfecit, diſſerteque profeſſa eſt eius Maieſtas, ſe nullo modo approbare, aut ratas habere vllas prætentiones, quas Angli aut alij milites ſub nomine ſui ſeruitij protulerant, vt motæ per ipſos ſeditionis prætextum aliquem haberent. Aſſcribatque ſe reuocare quidquid ab eiuſmodi hominibus hoc modo eſſet actum, proque nullo habere ſe dixit.

Mandata quæ à Regina accepit VVillonghem Baro.

Expreſsáq; ea de re etiam literas dedit ad Baronem VVillongbeum ſuarum ibi copiarum Præfectú, mandans vt Ordinibus morem gereret, omniq; qua poſſet opera adeſſet, in reducendis ſub eorum obedientiam ciuitates Nerden, Medenblick, Campueram & Armuydam. Quod

& fecit

& fecit, vti in Apologia ſua, aduerſus quoſdam ex Ordinibus ſcripta, apertè profitetur. Scripſit eiuſdem argumenti literas Regina ad Killegreum, Ruſſelium, & alios, ne poſthac errarent, aut ſibi dicerent non prædictum. Eodem tempore ad Ordines etiam generales, literas dedit beneuolentia & fauore pleniſſimas. An. 1588.

Ita factum eſt, vt opera Baronis VVillonghbei primum Nerda & Medenblicka in ordinem fuerint redactæ, dein Campuera & Armuyda ad obedientiam Ordinum reuocatæ 20. videlicet Iunij, mediante bona pecuniæ ſumma, dimiſſuſque à Campuerenſibus, tum demum Theſaurarius Mandemakerus, quem captum hactenus detinuerant. Ordines ciuitate iam ſuæ poteſtatis factâ, Præfidiarios miſſos fecerunt, Capitaneosq; omnes munere abdicârunt. Publicatum etiam tum ab Ordinibus eſt Inſtrumentum reſignationis, adminiſtrationis rerum Belgicarum à Comite Leycestrienſi ante aliquot menſes iam factæ. 20. Iunij.

Præſidiarij Dauentrienſes & vicinarum ciuitatum 26. Februarij, beneficio aquæ paſsim con gelatæ, aſſeribus gelu impoſitis, ſcalisque admotis, oppidum Hattem nocte expugnare tentarunt. Iamque primi eorum, mœnibus conſenſis, victoriam clamabant, cum reliqui ſequêtes tanta multitudine eo conuolârunt, vt glaciem nimio ſuo pondere fregerint, atque ita plerique eorum fuerint ſubmerſi. Oppidum Hat tem fruſtra oppugnatum.

Verdugo à Rege Philippo Friſiæ Præfectus, anno præcedenti Delfzielę ad fluuiũ Amazin, prope Groeningam, ſeptem vel octo naues, quæ ante ibi ſteterant, armauerat, vt illis in Amazi dominaretur & prætereuntes naues ſpoliaret, præcipuè verò, vt (in omnem euentum) portum illum liberum tueretur aduenienti Claſsi Hiſp. Sed naues illæ, quemadmodum & Claſsis ipſa, paulò pòſt euanuerunt.

Diximus ſuperiori libro, quo pacto in Polonia duo Reges fuerint electi, Sigiſmundus Suecus & Maximilianus Auſtriacus: item qua ratione factum ſit, vt dum Maximilianus metropolim Poloniæ Cracouiam obſideret, inde fuerit pulſus, & Sigiſmundus eadem occaſione Rex coronatus. Qui paucis poſt coronationem diebus Rodulpho Cæſari, de corona & Regni ſignibus à ſe acceptis, per literas ſignificat, & Maximilianum fratrem ab eo, quamprimum ex Polonia reuocari, nec conſilio auxilioque ſuo & ſuorum deinceps iuuari, & de damnis contra communia fœdera datis, ſatisfieri petit. Quod ni fiat, teſtatur ſe diutiùs tot ſuis Regnique ſui incommodis deeſſe non poſſe. Iamque ex hoc tempore, nullo exſpectato reſponſo, id ſuſceperturum, quod & dignitas ſua & commiſſorum ſibi populorum iniuriæ à ſe requirant. 17. Decembr. 1587.

His Imperatori præſignificatis, ineunte anno Ioannes Zamoiſcius, Dux exercituum Regni, cui recens à Balthaſaro Bathoreo, & Borne miſſa adducti erant Germani, Vngari, & Tartari (quos Coſacos ſeu Heidocos vocant) iuſſu Sigiſmundi Cracouia mouet, & Maximilianum ex maiore Polonia in Sileſiæ fines exiguo comitatu, & viribus decedentem ad oppidum Bithin in ditione Ducum Bregenſium, aſſequitur. 1588. Ianuarij.

Sub idem tempus 22. Ianuarij 1588. venerant Maximiliano auxilio, copiæ quædam Vngaricæ, ſed defatigatæ ex itinere. His roborati Proceres Poloni Auſtriacarum partium, videlicet Staniſlaus Stanitsky, Comes à Gorca, Palatinus Poſnanienſis, Andreas Sborosky, Marſchalcus Curiæ, & alij cenſuerunt ſine mora prœliũ committendum. Horum ſententiæ aduerſatus Baro quidam Sileſius, Melchior Rederus conſilium dedit, vt anguſtus quidam aditus inter oppidum Bithin, & loca paluſtria (qua neceſſariò tranſeundum erat Cancellario) frequenti equitatu, & tormentis bellicis præmunirentur. Quod dum facere negligunt, nuncium afertur, Cancellarium per anguſtias illas, copias ſuas iam ducere. Quo audito, Rederus iterum conſuluit, vt in illos, qui anguſtias tranſierant, impetus fieret, atq; ita reliquorum ſequentium tranſitus prohiberetur. Sed nec tum quidem ei eſt obtemperatum. Quamobrem Cancellarius haud difficulter per anguſtias, copias ſuas ex 15. millibus confectas traduxit, aciemque ibi loco ad id ſelecto inſtruxit. 22. Ianuar.

Contra quem cùm repentè quinque hominum millia, quæ expedita habebat, duceret Maximilianus, ad oppidum Bithin vnius horæ ſpatio, etiamſi milites eius fortiter pugnarent, fuſus eſt & profligatus, deſideratis è ſuis circiter tribus millibus.

Maximilianus ipſe cum præcipuis Ducibus, & reliquo exercitu in oppidum Bithin confugit. Quod ſtatim à Samoiſcio eſt obſeſſum, qui incenſis ſuburbijs, perculsisque mœnibus, exitiũ omnibus præſens intentabat, adeo vt Maximilianus, oppidum amplius contra externam vim defendi non poſſe videns, habita cum ſuis deliberatione, ad vitandam maiorem ſanguinis profuſionem, deditionem ad vincentis arbitrium faciendam ſtatuerit. Maximilianus itaque Comitatus 12. Proceribus Polonis, ſuæ partis, ad caſtra Cancellarij progreſſus, ſeſe & Comites ſuos ei in poteſtatem dedidit, orans: vt reliquis ſuis militibus vitam concederet. Quod ei libens indulſit Samoiſcius, & ſeruauit (ſed cauere interea non potuit) quin multa virorum, fœminarum, & puerorum millia à Tartaris alijsque fuerint capta, abducta, & velut mancipia Turcis diuendita. Maximiliani Auſtriaci clades & captiuitas.

Digitized by Google

An. 1588. Cùm aduenientem ad ſe Maximilianum cum dictis Proceribus intellexit Zamoiſcius, obuiam factus clementiſſimè eũ ſine vlla inſultatione aut verborum aſperitate deditos accepit, amicisque verbis fortunam Maximiliani, & effuſum ſanguinem condolens, culpam mali totius conijciebat in eos, qui mala conſilia ipſi ſuggeſſerant, multisque eius generis ſermonibus eum affatus, in hoſpitium ſuum deduxit, vbi Principis in morem eum excepit: ſimiliterq; Proceres omnes dignißimè tractauit, qua re magnam apud omnes laudem & cõmendationem ſibi conciliauit.

Maximilian⁹ dedens ſe Cancellario humaniſſime excipitur, & captiuus detinetur.

Rex etiam Sigiſmundus accepto de Maximiliani captiuitate, & poſtulatis nuncio, eundem quem antea vultum (nulla lætitiæ geſtientis, ſed cõmiſeretionis potius ſignificatione edita) retinuit. Et ne debellatus iam Rex, ludibrijs aut conuitijs vllis afficeretur, vetuit ne Cracouiam tanquam in triumpho duceretur, ſed vt recta in Ruſsiæ arcem Craſniſtauam, non procul à Lublino extrema maioris Poloniæ vrbe, per Cancellarium duceretur, ibique honorificè ab eo haberetur, mandauit. Quo proximè ſequentibus Bachinalibus, ipſe Sigiſmundus, Comitatus Regina ſeniore, & Cancellario Maximilianum inuiſit.

Septembr. 1589. Manſit autem in ea arce Maximilianus vſque ad Septembr. anni M. D. XIC. cum inter partes, certis quibuſdam cõditionibus conuenit, quas Maxim. in libertatem reſtitutus iureiurando confirmaret. Qui cum ad limites Poloniæ ductus, animadueriteret milites, quos ſibi obuiam miſerat frater eius Imper. fortiores eſſe Polonorum præſidio, quo venerat comitatus, de iniquitate articulorum iam conceptorum conqueſtus, iureiurando eos confirmare recuſauit. Ita factum eſt, vt Calend. Octob. Pragam ad fratrem ſuum Imper. reuerterit.

Liberatio Maximil.

Mors Friderici Regis Daniæ. XIV Aprilis obijt diem ſuum Fridericus II. Rex Daniæ Anderſchouiæ in Zelandia, anno Regni ſui XXX. ætatis LIV. Princeps fortunatus, fortis, & iuſtus, amatus à ſuis & magnus Eccleſię, ac Literarum patronus. Reliquit ex vxore ſua Sophia filia Vlrici Ducis Megapolenſis tres filios, Chriſtianum, Vlricum, Ioannem, & quatuor filias, Eliſabetham, Annam, Auguſtam, Hedvvigem. Primogenitus Patri in Regno ſucceſsit, vocatus Chriſtianus III. Leius nominis, annũ agens ætatis vndecimum, natus quippe anno 1577. 12. Apr. Illi adiuncti ſunt quatuor Proceres Danici, apud quos ſummum imperium Regni Daniæ eſt durante minorennitate Regis. Horum nomina Nicolaus Kaas, Cancellarius, Petrus Munck Admiraldus, Georgius Roſenkrantz, Præfectus aulæ Reginæ, & Chriſtophorus Falckendorff, Theſaurarius.

Nouembr. 1589. Maxima natu filia Eliſabeth, nupta eſt anno M. D. XC. feſto Paſchatis, Henrico Iulio Duci Brunſvvicenſi. Secunda natu filia Anna deſponſata eſt ann. M. D. XIC. menſe Nouemb. Iacobo VI. Regi Scotiæ, in Norvvegiæ Caſtro Aggreshuyſen, quia Rex ſponſus eam inuiſens, aduerſa tempeſtate eò fuerat pulſus. Inde in Daniam profectus, toto Brumæ tempore, ibi hæſit vſque ad anni ſequentis verem, quo inde ſoluens, appulit cum vxore in Scotiam menſe Maio.

Legati Angl. apud Danos. Milèrunt multi Reges & Principes, tam Germani quam extranei Legatos in Daniam, qui defuncti Regis mortem condolerent: inter extraneos prima fuit Regina Angliæ, quæ menſe Iunio eo ablegauit Danielem Rogerſium, cui Comes Leyceſtriæ iungebat Petrum vanHeiliũ, qui à ſe iret, quique inde ad Regem Svveciæ cum literis Reginæ eſt profectus.

Legati Belgæ apud Danos. Poſt hos menſe Auguſto magnificam in Daniam Legationem deſtinarunt Ordines vnitarum in Belgio Prouinciarum, vt fœdera cum Danis renouarent, ſimulque diminutionem aliquam teloniſ conſequerentur, quod nuper Belgis, fretum Oreſundæ tranſeuntibus, erat impoſitum, quod ex parte impetrarunt. Caput Legationis erat Philippus Comes ab Hohenloe, cui adiuncti erant Florentius Brederodius, cum Doctore Sylla penſionario Amſterodamenſi, & Doctore Conrado, qui antequam in Daniam venerunt, prius apud Electores Palatinum & Saxonem, itemque alios Germaniæ Principes Legationes obierant, tardius q; propterea in Daniã appulerunt.

Venit eodem circa initium Octobris Legatus ex Scotia N. Stuatus, qui nuptias in Regis cum defuncti Regis filia Anna confecit, quæ poſtea, vt dixi, perfectæ ſunt.

Mors Henrici Principis Condenſis. Menſe Martio huius anni diſceſsit ex hac vita Henricus Borbonius, Princeps Condenſis, propinato ipſi veneno à miniſtro quodam ſuo homine atheo & deſperatæ ſalutis. Reliquit vxorem ſuam grauidam filiam Reguli *de la Tremouille*, quam aduerſarij eius familiæ, ſparſo de ea re rumore in ſuſpicionem propinati veneni adducebant. Ea filium poſtea peperit poſthumum patris cognomine præſentem Principem Condenſem.

ARGV-

ADMIRABILI *hoc anno 1588. Rex Philippus ingentem Classem in Angliam & Belgiam misit, Bullis Pontificijs instructam & munitam: Cui dum Parmensis iungere se cogitat, vt cum illis primum Angliam expugnaret, ab Hollandicis & Zelandicis nauibus aditu prohibetur, & Hispanorum classis ab Anglis profligatur, & Britannicis oris arcetur. Qua valde perturbata, cum Parmensem non accedere videret, circuitu per Scotiam facto in Hispaniam aegrè reuertitur, desideratis suorum duabus tertijs. Quamobrem Angli & Belgae Deo gratias agentes, publicas laudes dixerunt. Parmensis Tolen insulam Zelandicam frustra expugnare conatus, inde ad obsidendam Bergam conuersus operam etiam ibi perdidit. Moritur Comes Leycestria, cuius vita breuiter describitur. Oppidum VVachtendonck à Mansfeldio obsessum et deditur. Vltraiectenses turbae tandem componuntur opera Comitis Moersae, cuibus cum ijs, qui secessione inde fecerant, & Hollandis reconciliatis. Varia belli stratagemata à praesidiarijs Ordinum & Schenckio edita. Cameracenses etiamsi hostilia multa paterentur, neutraliter se gerunt. Cum coniuratis in Gallia sub nomine Sacri foederis, Regnum iam nimis aperte affectarent, Rex duos Guysios fratres Blesij interficiendos curauit. Paulò post ibidem moritur Regina Mater: cuius ingenium & postremum consilium describitur. Sorbona Parisiensis, Regi nullam amplius obedientiam à subditis deberi censent, quorum sententiam Papa confirmat, dum Regem excommunicat. Hinc maiores ciuitates ab eo deficiunt, quae causa fuit cur Nauarrensis se iunxerit. Parisienses cum Duce suo Aumalio ad Seulis profligantur: Quo successu Rex Parisiensem obsidionem aggreditur, in qua, ad vicum S. Cloude à Monacho Iacobo Clemente interficitur. Moriens coram primis Regni officiarijs toto ejus exercitu Nauarreum, successorem suum in Regno declarat: qui Regnum cum vtriusq; Religionis conferuatione suscepit: iamq; vires omnes ad debellandos coniuratos intendit. In Belgio mouent seditionem praesidiarij Gertrudebergenses: Hos obsidet Mauritius: quare partim vinctae partim auaritiae causa oppidum Parmensi vendunt: quo nomine tamq; patriae proditores proscribuntur. Mansfeldius Heymertum, Heylam & alias arces quasdam occupat; ibi Hispani seditionem mouent. Varrabonus expugnat Blienbekam. Noritsius & Dracus expeditionem in Hispaniam cum Rege Portugaliae suscipientes, Dysenteria & alijs, morbis (quibus maior pars militum absumpta est) impediti nihil operae pretium praestiterunt; quam quod in itinere multas naues frumento onustas coperint. Ianizarij & Spahij, Constantinopoli seditione mota, partim vrbis incendunt. Parmensis aegrotans de multis quibus offensus erat, apud Regem conqueritur. Schenckius infoeliciter Neomagum occupare tentans submergitur. VVilhelmus Comes Nassouius arces aliquot & munimenta in Frisia occupat. Hollandi & Zelandi Classium apparatum adornant. Comes Moersae vi pulueris nitrati interrimitur. Berckenses obsessi auxilium aliquoties accipiunt; & Varrabonus profligatur, tamen tandem vrbs deditur. Commeatus Steenbergensibus obsessis aduectus profligatis auxiliaribus intercipitur. Parmensis frustra Aquisgrano alijsq; Imperij ciuitatibus insidiatur; Dominium in ipsas sibi aperte vendicans, edicto nullam amplius neutralitatem admittens. Facta haec sunt* XVIII. *mensium spatio sub Parmensi & Mauritio Auraico.*

Digitized by Google

VM ex parte aliqua mirabilis euentus Anni Octogesimi octaui longo ante tempore à vatibus præcantati hactenus narrauerimus: Rem præ reliquis eiusdem Anni memorabilem & eximiam vti gesta est, ordine nunc recitabimus. Quæ in Belgio quidem acta non est, sed in Belgarum perniciem parata: videlicet quo pacto Rex Hispaniarum expeditionem cõtra Anglos & Belgas diu ante animo conceptam; communicato nunc cum Pontifice Rom. consilio susceperit. Vt Regnum Angliæ subiugaret & Religioni suæ Catholicæ restitueret, eaque ratione despectum, contemptumque sui apud Anglos honoremque ab illis sibi erepтum, (qui ante annos 34. ad Pontificias leges eos coégerat) multasque alias iniurias, quas alta mente repositas conseruabat, vlcisceretur. Deinde quod eandem hanc viam commodissimam iudicaret, qua Belgicarum Prouinciarum sibi hæreditariam possessionem recuperaret, præclusa Belgis per Angliam nauigatione, quod grauissimis argumentis, cui dentissimisque rationibus certo & facile perfici posse arguebatur, considerata tanta omnium rerum necessariarum Copia & apparatu, quo prospecti erant hi, qui rem ipsam instituebant, quam particularius iam describemus.

Apparatus Regis Hispaniæ ad subiugandam Angliam & Belgium.

Cum Rex iam plus quam 20. annis bellum cum Belgis paruo cum fructu gessisset, deliberatione cum suis habita visum ei est, ipsos mari rursum oppugnare, quod aliquoties quidem ante hac fuerat tentatum, sed non ijs quibus opus fuerat viribus, ad quam expeditionem nunc adhibere debuit potentiam, quod Anglos haberet hostes; quorum Insula ita sita est, vt nauigantibus in illis partibus plurimum prodesse, vel incommodare possit: Ea gratia primum illatu inuadendam censuit, persuasus à Secretario Escouedo alijsq; viris rerum peritis Hispanis & Belgis, itemque ab Anglis multis transfugis, faciliorem esse dictæ Insulæ expugnationem, quam Hollandiæ aut Zelandiæ. Ad hæc accedebat, quod Hispani iudicarent, longe vtilius Regi suo fore, vt Angliam & Belgium semel classe domaret, quàm, vt potentem classem perpetuò alere cogeretur, ad vtriusque Indiæ nauigationem liberam, tutamque à Drako Anglo, & eius similibus conseruandam.

In hunc finem, Rex multo iam tempore syluas quam plurimas excidi, naues que ex ijs ædificari per Italiam & Hispaniam iusserat, magnosque præterea apparatus ad eam rem requisitos fecerat, vt sunt æneorum tormentorum conflatio, Annonæ & Commeatus coaceruatio, armorum, instrumentorumque bellicorum Docuitio, militumque passim conscriptio & congregatio; adeo vt circa initium Anni 1588. tantam, tamque potentem Classem confecerit, & Vlisponam in Portugallam aduexerit, quantam nullis ante sæculis Oceanus à vidit.

Vnius Classis descriptionem Hispani valde copiosè & particulariter factam typisque mandatam publicarunt, in qua numerus, nomina, & magnitudo nauium, Numerus nautarum & militum, qui Classe illa vehebatur. Item quantitas tormentorum, armorum, globulorum, funiculorum ad incendendas Bombardas paratorum, pulueris Nitrosi, annonæ, & omnis deniq; apparatus Classici ponebatur. His omnibus addita etiam ibi erant nomina Præfectorum, Capitaneorum & Nobilium voluntariorum, quorum tanta fuit multitudo, vt vix vlla alicuius nominis apud Hispanos esset familia, aut quidam inter eos vir primarius, qui non in Classe illa haberet fratrem, filium aut Consanguineum, qui omnes, inuincibilis ista (vti eam appellabant) Classe æternam laudem & gloriam se acquisituros, aut maximis in Anglia & Belgio opibus & dignitatibus posturos se purabant.

Quia vero descriptio illa ex Hispanica in varias linguas vulgares trãslata in publicum prodijt, Summam eius tantum attingemus. Præfati primum nos vulgaribus receptis hodie verbis in nominibus diuersarum Nauium, & varij apparatus Classici vsuros, ne dum res nostra memoria inuentas, antiquis verbis Latinis exprimere nimis affectate studemus, obscuritatis notam incurramus, malamq; gratiam pro labore nostro apud Lectorem ineamus, nam de rerum veritate non de verborum eloquentia laboramus.

Numerus & quali tas Nauium Classis Hispanicæ militib. Nautis & machinis.

Portugallia suppeditauit sub præfecto generali Duce Medinæ Sydoniæ decem magnas Onerarias vulgo Galiones, duas minores celeres vulgo Assabras, circiter 1300. nautas, 3300. milites, 350. tormenta maiora seu machinas cum requisito apparatu.

Biscaya in Cantabria sub præfecto Iohanne Martines de Rycaldo, Admiraldo, decem galeones, 4. celeres vulgo Pataßas, 700. nautas, 2000. milites 250. tormenta bellica &c.

Guypuscoa in Cantabria sub præfecto Michaele de Oquendo, decem galeones 4. Pataßas 700. Nautas, 2000. milites, 280. tormenta &c.

Andaluſia

An. 1588. Andaluſia ſeu Bætica ſub præfecto Petro Valdeſio, etiam decem galionis 1. Pataſſam, 800. Nautas, 2400. milites, cum 280. tormentis bellicis, &c.

Alias Bertendana. Italia cum Inſulis ſub præfecto Martino de Ventendona alias Bartendona, decem galiones, 800. Nautas, 2000. milites, & 310. tormenta bellica, &c.

Caſtella ſub Iacobo ſeu Diego Flores Valdeſio, x IIII. galiones duas Pataſſas, 1700. Nautas, 2400. milites, & 380. tormenta bellica, &c.

Hulcades Germanicæ maiores fuerunt 23. ſub Iohanne Lopes de Medina cum 700. Nautis, 3200. militibus, & 410. tormentis bellicis, &c.

Triremes magnas Neapolitanæ vulgo Galiaſſæ, ſub præfecto Hugone de Moncada quatuor, in iiſque 1200. ſerui catenati ad remigandum. 460. Nautæ, 870. Milites, 200. tormenta bellica.

Triremes Portugalenſes ſub præfecto Diego de Mandrana 4. cũ 888. ſeruis catenatis, 360. Nautis, & 20. tormentis bellicis, cum cætero apparatu requiſito.

Pataſſæ & Sabreæ (quę Naues ſunt minores) ſub Antonio Hurtado de Mendoza fuerunt 22. cum 574. Nautis, 488. militibus, & 193. tormentis bellicis.

Præter dictas naues fuerunt aliæ 20. minores quas Caruellas vocant, quæ remis aguntur, & ad ſeruitia neceſſaria maiorum Nauium parantur, adeo, vt Computatione facta Naues huius claſſis fuerunt 150. ſingulæ de apparatu neceſſario & Commeatu ſatis proſpectæ.

Numerus Nautarum qui ea vehebantur fuit, circiter 8000. militum 20000. præter Nobiles & voluntarios. Tormenta bellica ſeu machinæ dictæ Claſſis fuerunt numero 2650. Naues iſtæ ingentis fuerunt capacitatis & vecturæ. Poterant enim ſimul ferre pondus triginta mille laſtarum, quæ efficiunt 60. mille tonnas aut 120. mille ſerias, vel dolias quas pipas vocant.

Galeonarum Deſcriptio. Galeones excedebant numerum 60. magnæque fuerant ſupra modum & affabre conſtructæ, magno robore eiuſque altitudinis vt arcium ſpeciem præ ſe ferrent aptiſſimæ defenſionis vel ad pugnandum cum ijs qui comminus ipſis adorirentur, non ad alias naues adoriendas, vt ſunt Anglicæ & Belgicæ quæ magna facilitate ſe in quamuis partem conuertunt. Supremæ harũ Nauium oræ è quibus pugnabatur, ita robore munitæ erant, vt ictum duplicis ſclopeti vulgo Muſquetæ ferre poſſent. Inferiores earum partes ſupra quam credi poſſet ſpiſſæ erant, & compactæ è trabibus ad latitudinem 4. & 5. pedum, adeò vt nulli tormentorum globi perforare eas poſſent, niſi qui ex proximo eſſent emiſſi: quod poſtea apparuit, cum bona globorũ pars compactis trabibus illis inhærens ſuit deprehenſa. Mali Nauũ veſtiti erant craſſis, piceque indurato rudentibus, quibus contra tormentorum ictus erant muniti.

Triremium quæ Galeaſſæ vocantur deſcriptio. Galeaſſæ (quæ ingentium triremium inſtar erant) eæ fuerunt magnitudinis, vt, Cameras, Sacella, turriculas, ſuggeſta, aliaſque maiorum domuum commoditates in ſe continerent. Hæ agebantur magnis remis, quos 300. ſerui Catenati in ſingulis earum impellebant, maximamque vim facere poterant impetu ſuorum tormentorum. Hæ omnes, vt & reliquæ multis tubis, flammis vexillis, inſignibus bellicis, aliiſque eius generis ornamentis fuerant decoratæ.

Tormentorum ferreorum, eorumque globi ferrei, & pulueris nitroſi reliquique apparatus deſcriptio. Machinæ ſeu tormenta bellica ex ære numerata ſunt 1600. & ex ferro fuſili conflata plus minus 1000.

Globorum ad ea pertinentium 120. millia.

Puluꝛis nitroſi, 1600. Quintales ſeu Centenæ.

Plumbi ad neceſſarios apparatus 1000. Quintales ſeu Centenæ.

Funiculi igniarijad Bombardas, tormentáue incendenda 1200. Quintales.

Præter hæc Muſkettorum & ſclopetorum erant ſeptem millia.

Bipennium, haſtarumque (quas Partiſanas vocant) 10. millia.

Magna item fuit Copia tormentorum maiorum, lati oris frangendis mœnibus neceſſaria vulgo Canones, & aliorum maiorum, quæ duplices Canones vocantur, & eorum quæ à longitudine colubri nomen habent; Cum Campeſtrium tormentorum bona quantitate, quæ p Campos cum exercitu conuehuntur.

Deſcriptio Commeatus aliuſque apparatus. Additus hic inſuper fuit omnis apparatus quo terra vehi & circumferri omnia poſſent; qualis eſt Curruum, rotarum vehiculorum. Item ligonum ratium & corbium. Præterea molorum & equorum ſatis magna copia; & quicquid ad terreſtrem exercitum inſtruendum requiri omnino poſſet. Panis biſcoti ea fuit Copia vt pro ratione mediæ Quintalis per menſem pro ſingulis perſonis ſufficeret ad integrum ſemeſtre, fuitque ſumma eius 100. mille Quintales ſeu Centenæ.

Vini fuerant 147. millia ſeriæ quas pipas vocant, etiam ad ſemeſtre. Lardi 6500. Quintales. Caſei 3000. Quintales.

Præter piſces, Orizam, fabas, piſa, oleum, acetum, &c.

Aquæ dulcis habuerunt duodecim mille ſerias vulgo, pipas, aliaſque præterea res omnes neceſſarias, vt faces, laternas, lampides carbala, Canabum, tergora bouina, & plumbum ad obturanda

Digitized by Google

obturanda foramina, quæ ex tormentorum globulis acciperent. Denique conuexerunt quid quid ad classem aut exercitum terrestrem requiri posset. An. 1588.

Hæc classis (vt Diego Pimentellus confessus postea est) æstimabatur à Rege ipso contineре 32. hominum millia, ipsique indies constare, 30. millibus ducatorum.

Fuerunt in hac Classe, Quinque Hispanorum Legiones (Hispani vocant Tertias, Galli Regimentum) sub imperio quinque Præfectorum, quos Hispani vocant Magistros Campi, Interque hos, multi veterani, è Legionibus Neapolitanis, Siculis, & Tercerę desumpti. Horum Duces seu Colonelli erant, Don diego de Pimentel, Don Francisco de Toledo, Don Alonzo de Lucon, Don Nicholas de Isla, Don Augustin de Mexia: quorum singulis suberant 32. cohortes; Ad quas accedebant præterea multæ Castellanorum & Portugalensium cohortes, quæ singulæ suos particulares habebant Præfectos, Capitaneos, Officiarios insignia & arma. *Milites Hispani & eorū Præfecti.* *Alias Lucon.*

Nulli, fœminas seu meretrices classe ista vehere, sub graui pœna licuit: quare fœminæ quasdam Naues conduxerunt, quibus Classem sequebantur. Harum aliquæ in Galliam tempestate delatæ, eo appulerunt.

Potentis huius Classis præfectus Primarius fuit, Don Alonzo Perez de Gusinam Dux Medinæ Sydoniæ & Dominus Sectæ Lucaret: eques velleris aurei, idque quia Marchio Setæ Crucis huic præfecturæ destinatus, paulò ante diem obierat. *Officiarij & Nobiles.*

Ioannes Martynes de Ricaldo fuit Admiraldus Classis.

Franciscus Bonadilla supremus Marischalcus, qui omnes iunctos sibi habebant Officiarios ad tantam multitudinem administrandam requisitos. Adeo vt Martinus Alarcon ibi egerit Administratorem seu Vicarium generalem S. Inquisitionis, Comitatus plus quam Centum Monachis, videlicet Iesuitis, Capuchinis, & alijs è quatuor Ordinibus mendicantium desumptis. Præter hos fuerunt etiam Medici, Chirurgi Apothecarij, & quicquid ad Nosodochium pertinet.

Præter dictos Officianos qui primarij erant viri, alij 124. viri imprimis Nobiles ibi fuere numerati, qui propris expensis & sponte sua vna sunt profecti, vt videndo discerent, rerumq; vsum acquirentes laudem pararent. Inter quos fuit Princeps de Ascoly, Alfonzo de Leiua Marchiones de Penna Fiel, de Gaues, de Barlango, & Comites de Paredes, de Yeluas plurefque alij Marchiones, Comites, ex illustribus familijs de Mendoza, de Toledo, de Pachicco, de Cordua, de Gusman, de Manricquis, & alijs magno numero.

Dum Hispani Classem hanc parant, Parmensis etiam Regis mandato in Belgio apparatum magnum fecit, quo Hispanis subueniat è multis ad eum finem naues ædificans, Naucleros & fabros Iesuitæ sectæ, ex Italia ad id accersens. *Apparatus Parmęjs quo Hispanos iuuaret.*

In Flandria fossas aliquot profundiores fieri curauit inter quæ alias fossam seu Canalem Yprensem, vulgo Yperlee, aliquod hominum millia operi illi adhibens, idque vt illac Antwerpia ex Gandauo Brugas naues traduceret; vbi plus quam Centum naues minores (vulgus Huedas vocat) iam colligerat, quas victu & Commeatu probè instructas via Slucensi in mare perducere statuerat, vel per dictum Canalem Yprensem profundiorem iam factum in aliquam Flandriæ portum transmittere cogitarat.

In Riuulo VVatenensi 70. Naues latis fundis ædificari etiam iussit, quarum singulæ triginta equos vehèrent, adaptatis ad eas pontibus quibus equi naues conscenderent, vel egrederentur: Eiusdem formæ alias naues 200. Neoporti collegerat, sed non adeò magnas. Dunkerckæ etiam 28. Naues quales ibi nanciscì potuit, ad bellum instruxit, Nautasque ad eas requisitas Hamburgi, Bremæ, Embdæ alijsque in locis conscribi curauit. Has naues onerauit magna trabium copia, quæ infra fuerant exacuatæ, & Cuspide ferrea munitæ, à latere verò falcatæ & aduncatæ vt connecti possent.

Graueling æ etiam comparauerat 20. milia vasorum quæ paruo tempore clauis compingi, cordisque inter se collegari possent, & in pontis formam componi; deniq; quicquid ad structuendos pontes, portuum que aditus palis, stipitibus alijsque modis obturandos requisiretur, parari iusserat. Ad hęc non procul à portu Neoportensi magnam falciculorum ligneorum struem conuehi, reliquumque apparatum ad vallum extruendum afferri curarat. Plerique Parmensis naues duas continebant fornaces ad pinsendum panem, magnamq; & incredibilem tellarum, frenorum equestrisque apparatus copiam. Conuehebantque etiam equos qui vbi in terram descendissent, machinas, tormenta, reliquumque apparatum bellicum traherent.

Præterea in vicinia Neoporti exercitum collegerat cui Camilluni de Monte campi Magistrum (vti appellant) præfecerat: is constabat 30. cohortibus seu insignibus Italorum, 10. VValonorum, 8. Scotorum & 8. Burgondionum, quę simul efficiebant 56. cohortes, quarum singulę continebant, 100. Capita. Prope Dixmudam lustrationes habitę 80. Cohortium Belgicarum, 60. Hispanicarum, 6. Germanicarum, & 7. Anglicarum, videlicet transfugarum, quibus præfectus erat VVilhelmus Stanleus eques Anglus.

In Subur-

Digitized by Google

An. 1588. In Suburbijs Cortracenſium quatuor millia equitum cum equis ſuis erant collocata. V Vatenæ 900. equi, quibus adſuit turma Marchionis Del. Gvvaſto equitum præfecti.

Concurſus Nobilium in Belgio.

Ad præclaram iſtam expeditionem & opinatam victoriam multi vndique Dynaſtæ Principes & Nobiles confluxerunt; ex Hiſpania Dux Paſtrana dictus, quidam filius Ruy Comes de Silua Princeps de Melito ſed reuera pro Philippi Regis filio ſpurio habitus. Item Marchio à Burgauo vnus ex filijs Archiducis Ferdinandi & Philippæ V Velſeræ. Veſpafianus Gonſaga ex familia Mantuana, magni nominis, in re militari & in Hiſpanijs olim vice Rex Iohannis Medicis filius naturalis magni Ducis Florentiæ. Amadeus à Sabaudia filius item illegitimus Ducis Sabaudiæ cum alijs quamplurimis minoris ordinis.

Papæ auxilia ad expugnationem Angliæ & Belgij.

Pontifex etiam Romanus Sixtus Quintus ad expeditionem iſtam promouendam, Crucem vti contra Turcas & Infideles, ſolet, publicauit, cum maximis indulgentijs quæ paſſim typis ſunt mandatæ. Has Bullas Angli & Belgæ ludibrio habentes, dixerunt Diabolum latronis inſtar, vias paſſim occupare, nec tales Salui conductus literas curare. Sunt qui affirment Pontificem, Regnum Angliæ cum titulo Defenſoris fidei, Regi Hiſpanię donaſſe, mandaſſeque vt id ea lege inuaderet, vt deuictum Regnum, tanquam Romanę ſedis feudatarius & tributarius poſſideret. In hunc finem Pontifex auri milionem ſeu 10. millia Coronatorum obtulit, quorum dimidium præſenti pecunia, Reliquumque vbi Regnum Angliæ, aut celebris aliquis eius portus ab eo eſſet ſubiugatus. Quoque magis hoc inſtitutum promoueretur, Doctorem quendam Gulielmum Alanum Anglum, quem ea gratia in Cardinalem aſciuerat) in Belgium ablegauit, cui omnem rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem per Angliam demandauit. Hic cum patriæ ſuæ inſenſior eſſet, Pontificis declarationem Anglicè excudi in Anglia diuulgandam poſt appulſum claſſis curauit. Qua ſententia excommunicatoria PP. prædeceſſorum confirmabatur, & Regina Angliç Regno ab eis abdicata, omnibus titulis honoribus & dignitatibus, tanquã vſurpatrix priuabitur, mandans obedientiam præſtent Parmenſi Duci Regis Catholici ſummoque Legato. Hancque per Angliam vulgari iuſſit eius exemplar, quia notabilis eſt, ſubiungendum duxi, ex Anglico tranſlatum.

Proclamatio Anglicæ à Carolali Alanol Pontificii nomine poſt appulſam claſſis, in Anglia diuulgandæ declarans ſententiam Pontificiam contra Reginam, & mandans obedientiam præſtari Parmenſi Duci.

Sixtus Quintus diuina prouidentia Paſtor vniuerſalis gregis Chriſti, ad quem continua & legitima ſucceſſione Eccleſiæ Catholicæ adminiſtratio & cura pertinet, animaduertens miſerias & calamitates, in quas celeberrima Angliæ & Hyberniæ Regna incidiſſent, quæ olim ob virtutes Religionem & Chriſtianam pietatem & obedientiam vſque adeò commendabantur, & nunc per impium & iniuſtum Elizabethæ prætenſæ Reginæ, paucorumque ei adhærentium imperium, non modo ad diſſolutum & ſibi periculoſum ſtatum peruenîſſe, ſed vt & infecta & venenoſa membra ſolent toti corpori Chriſtianorum labem & luem inferre. Requiſitiſq; ibi rationibus deſtituatur quibus alibi Principum Chriſtianorum auxilio vtitur, ad abuſus præueniendos, obedientiam & diſciplinam Eccleſiaſticam conſeruandã. Quia Henricus VIII. nuper Angliæ Rex rebellis & ſedis Apoſtolicæ delertor, ſe ſuoſque à Communione Chriſtianorum vi ſeque ſtrauit, & Elizabetha præſens vſurpatrix in eodem perſeueret, non ſine magna vicinarum Regionum commotione, & periculo, pertinacem & inpœnitentem ſe præbens, adeò, vt ſpes nulla ſit Regna illa aliquando reformari & ad Chriſtianæ Religionis exercitium, veram pacem, & quietem reduci poſſe, in illa adminiſtratione Regni priuetur.

" Propterea Sanctiſſimus noſter Pater cupiens (vti officium eius poſtulat) malo huic, præſen
" tibus fortibuſque remedijs à Deo ſibi ad vniuerſalis Eccleſiæ ſalutem inſpiratis prouidere, in
" citatus tam proprio quo ſemper fuit erga Angliam, quam prædeceſſorum ſuorum affectu & zelo. Itemque continua ſollicitatione vehementi & importuna adhortatione plurimorum, eorumque primariorum virorum dictæ nationis motus, ſumma diligentia apud varios Dynaſtas & præſertim apud præpotentem & Catholicum Hiſpanum Regem eſt vſus, auxilium eius ad hanc rem implorans per eam quam eſt erga Romanam ſedem reuerentia, per veterem amicitiam & conſanguinitatem quæ ſuę familiæ cum Regibus Angliæ intercedit, per ſingularem eius charitatem & beneuolentiam olim Catholicis eius regionis, demonſtratam. Pro eo quo eſt in vicinis ſuis Prouincijs, ea ratione, pacem & quietem conſequendo deſiderio, pro ſuo erga Catholicæ Religionis propagationem, & ad commune denique totius Europæ bonũ promouendum ſtudio & propenſione tum obteſtatus, vt vires omnes ſibi ab Omnipotenti Deo datas huc conferret, quo fœmina iſta de gradu deijciatur, ad hærenteſq; ei homines mali & humano generi noxij punientur, Regnumque à quo magna bona & plurima Reipubl. commoda eſſent expectanda, ad certam Reformationem & quietem reducatur.

Quare vt toti orbi iuſtitiam cauſæ huius notam faceret, & ſubditis ſimul eiuſdé Regni plene ſatisfieret, tum vt iuſtum Dei iudicium contra ipſam denunciaret; viſum eſt eius Sanctitati cum ſententia declaratoria contra hanc fœminam lata, cauſam etiam indicare, ob quam tali ratione contra eam proceſſiſſet.

Primum quia eſt Hæretica & Schiſmatica, ideoque à duobus PP. ſuis prædeceſſoribus excommuni-

communicata, Contumax, Deo & Supremę sedi inobediens, supremam auctoritatem & Ecclesiasticam Iurisdictionem in hominum animas contra naturam, rationem, contra Iura omnia diuina & humana præsumptuosa sibi vsurpatione, idę; tam virtute sententiarum latarum per Clementem VII. & Paulum III. quam publicæ declarationis fuimet Patris Regis Henrici.

An. 1588.

Causæ ob quas Henricus Regnum excommunicatus & Pœnæ vult.

Tertio, quia non modo Regnum contra ius omne vsurpauit (ob impedimenta prædicta) sed etiam contra veteris contractus olim inter sedem Apostolicam, & Regnum Angliæ initos tempore Henr. 2. cum dictum Regnum sedi Rom. se reconciliaret ob cædem D. Thomæ Cantuariensis. Quo tempore conuenit, ne quis in legitimum Regem Angliæ assumeretur sine consensu magni Episcopi, quæ Conuentio seu contractus postea à Rege Ioanne fuit renouatus, & iureiurando confirmatus. Quæ res Regno fuit vtilissima, rogatuque nobilitatis & populi ita confecta.

Nota.

Thomas Morus Papæ sub Henr. 8. martyr in scriptis suis alia hæc negat, dicit; PP. hæc præstare non posse, quia alias gentissimè inde inquisierat. Dicitque præterea Reges eam potestatem citra bendi fine Ordinibus & Baronibus Regni &c. non habere.

Ob multas grauesque iniurias, extorsiones, aliasque iniustitias ab ipsa & ab alijs eius permissione perpetratas, contra miseros & innocentes subditos vtriusque Regni.

Ob seditiones & rebelliones inter vicinarum Prouinciarum Incolas, contra Legitimum suum Magistratum naturalem q; Principem excitatas, quibus innumeras animas seduxit, multasque potentes regiones vastauit.

Ob hospitium datum fugitiuis hæreticis, Rebellibus, facinorosis publicisque maleficis, & protectionem eorum susceptam magno Christianorum regionum damno & detrimento.

Tum si verò hoc esset apparet ex actis Parlamitisque nusquam apparent vsu ea Papis vnquam proferri potuisse.

Item ob accersitum & pellectum potentem illum, & crudelem hostem nostrum Turcam, ad inuadendum statum Christianum & conuentam, pacem perturbandam.

Ob horribilem & diuturnam persequutionem Sanctorum Dei ob sanctos Episcopos male tractatos, spoliatos, carceri inclusos, & varia tormenta miserosque cruciatus & cædes sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ membris illatas.

Nota quod Papa de hac re & de alijs minus male fuerit informatus.

Ob inhumanam & iniustam incarcerationem & crudelitatem nuper exercitam contra gratiosissimam Principem Mariam Reginam Scotiæ, quæ accepto promisso securitatis protectionis & auxilij primum in Angliam confugerat.

Bannum & Abdicatio Reginæ quo ea absoluuntur subditi à iuramento fidelitatis.

Ob exturbatam veram Catholicam Religionem, Sanctorum Sacramentorum prophanationem, Item Monasteriorum, templorum, personarum consecratarum, memorię Sanctorum aliarumq; omnium rerum quæ ad æternam salutem faciunt, aut momentum adferre possunt.

Quòd verò attinet res seculares, statumque politicum, quia reiecta exclusaque antiqua nobilitate, homines obscuros & indignos ad ciuiles, & Ecclesiasticas dignitates promouerit, Legumque & iurium mercatum hac ratione instituerit.

Mandat tenuibus vt Dominis Parmenſi obediant.

Deniq; ob absolutam tyrannidem quam vsurpat & continuò exercet ad magnum Dei contemptum, miseri populi oppressionem animarum perditionem, Regionumq; destructionem.

Quare cum facinora ista eius sint naturæ & momenti vt aliæ ipsam Regni incapacem, alia vita indignam faciant, Sanctitas eius virtute omnipotentis Dei & Apostolicæ auctoritatis sibi commissæ, sententiam prædecessorum suorum Pij. V. & Gregorij 13. qua dicta Elizabetha excommunicatur, & regno abdicatur, renouat. Et iam his præsentibus literis eandem Elizabetham iterum excommunicat, omnique Regia dignitate, titulis, iuribus, & prętensionibus ad dicta Regna Anglię & Hyberniæ abdicat. Illegitimam eam veramque Regnorum vsurpatricem declarans. Subditosque eius terræ & alios omnes ab omni dominij fidelitatis & obiequij debito, & iureiurando aut ipsi aut alijs eius delegato præstito absoluens.

Expresse insuper præcipiens sub ira Omnipotentis Dei & pœna ne quis cuiuscunque fuerit, status aut ordinis vbi harum notitiam habuerit, vllum post hac obsequium fauoré, quodcunq; subsidium præstare ipsi præsumat: Sed vt omnes huc accurrentes vires suas, & studium omne apportent, quo dignum supplicium de illa sumi possit; vt tandem ea, quæ multis vijs à Deo eiusque Ecclesia se segregauit, defertam se, omnique mundano refugio destitutam cernens, ad culpam suam agnoscendam, seq; Iudicio Altissimi cum omni submissione subijciendũ, redigatur.

Mandatque proterea omnibus & singulis dictorum Regnorum Incolis alijsque omnibus vt pro virili sua prædicta exequantur, omne auxilium, tam publicum quã priuatum, dictæ personæ eiusque adhærentibus detrahendo. Vtque statim atque certiores de his facti fuerint, exercitui Catholico (quem ducit Illustris & victoriosus Princeps Alexander Farnesius, Dux Parmæ & Maiest. Catholicæ Legatus) collectis vndique quibus poterunt viribus, sese iungant, vt auxilium ferant prædictæ abdicationi & punitioni dictarum personarum, & restitutioni Sanctæ Religionis Catholicę, declarans omnes qui huic mandato inobedientes se præbuerint, meritas pœnas non subterfugituros.

Notum præterea fiat omnibus Institutum suæ sanctitatis, Regis Catholici, aut Celsitudinis dicti Ducis in hac expeditione non esse, vt Regna nominata opprimant, conquestumq; eorum faciant, vel leges, Priuilegia, aut Consuetudines eorum mutent, vel aliquę ibi sua libertate aut vita priuent (exceptis Rebellibus & Contumacibus), aut denique vllum mutationem introducant,

Digitized by Google

An. 1588. ducant, quam quæ communibus suffragijs à sua Sanctitate Maiestate Catholica & Regni ordinibus ad restaurationem & continuationem Catholicæ Religionis, pœnamq; illius vsurpatricem eiúque adhærentium conueniens, & necessarium iudicabitur. Certos omnes & securos faciens, quod omnes controuersiæ, quæ per abdicationem fœminæ huius incidere possent, (siue eæ de varijs rebus inter priuatos oriantur, siue etiam fuerint de Successione Regia, aut inter Ecclesiasticum & secularem ordinem contentio fuerit, vel denique vlla inter aliquos motæ sint discordiæ, qualescunque tandem eæ fuerint), componentur & discidentur omnia secundum leges, iustitiam & Christianam æquitatem sine aliqua iniuria aut damno. Nec solum conuenienter prouidebit, ne Catholici qui tot malâ perpessi sunt diripiantur; sed gratia etiam omnibus alijs conceditur qui pœnitentes summo exercitus præfecto se submiserint.

Cumque debita informatione facta, certiores facti simus multos ibi esse innocentes, qui ignorantia Christianæ fidei solum lapsi hactenus errauerint, quo nomine inter hæreticos etiam nihilominus sunt habiti. Huiusmodi personas nullo modo punire statuimus, sed clementer ferre, donec doctorum virorum colloquijs, sanioribusque consilijs, melius de veritate fuerint edocti, nec pertinaces se præbuerint, sed cupidos reuertendi Christiani sanguinis effusionem & Regionum destructionem quę ex quorundam Aduersariorum Principalium hominum noxiorum resistentia esset expectanda.

Præmiũ proditoribus pollicitum.

Propterea per has declaramus non modo licere omnibus tam publicis quam priuatis (extra iuxtaque illos qui expeditionem hanc susceperunt) dictæ vsurpatrici alijsque ei adhærentibus manum inijcere, eos capere & Catholicæ parti tradere, sed pro fideli singularique seruitio factum hoc eius à nobis æstimabitur, maximisque præmijs compensabitur, pro conditione videlicet personarum captarum aut proditarum.

Itemq; alij omnes qui ante hac auxilium præbuerunt aut posthac ad malorum punitionem & Catholicæ Religionis in Regnis istis restaurationem opem ferent, eam mercedem & præmium dignitatibus honoribusque nobis auctis, accipient, qualem bona & fidelia eorum Reipublicæ præstita seruitia omnino desiderabunt. Qua in re quantum fieri poterit, dabitur opera vt antiquarum, honestarumque familiarum, stemmatumq; dictorũ Regnorum ratio & respectus habeatur.

Indulgentia peccatorum concessa à Pontifice.

Postremo liber Commeatus, saluusq; Conductus per præsentes datur omnibus, qui se Catholicæ exercitui iungere voluerint, ad eumque Commeatum, apparatum bellicum aliaq; necessaria afferre voluerint, plena & liberalis satisfactio promittitur, & omnibus quæ ad dicti exercitus, seruitium, commodum ve ab ipsis suppeditabuntur. Monenturque singuli & dilectè iubentur, vt pro virili sua se parent, omnemque diligentiam adhibeant vt ipsorum opera cautè tollatur vim exercendi in puniendis illis qui mandatum hoc neglexerint.

Præter hæc omnia Sanctus Pater, pro paterna sua dilectione & singulari ad hanc expeditionem affectu è thesauro spirituali sacræ Ecclesiæ (quæ suæ custodiæ & dispensationi commissa est) omnibus qui adiumentum aliquod vel fauorem abdicationi & punitioni dictarum personarum, & reformationi vtriusq; Regni attulerint plenas indulgentias & peccatorum remissionem liberaliter largitur. Post debitam videlicet pœnitentiam, Contritionem, & Confessionem habitam secundum Dei leges & hominum, & receptam apud Christianos consuetudinem.

Hæc erat futura Pontificis declaratio, quam Classiarij statim atque in Angliam appulissent, ibi publicarent. Vt autem omnia ista tectius gererentur, omnisq; expeditio magis contra Belgas, quam contra Anglos suscepta videretur, libique persuaderent Angli verba hæc potius esse & minas quam serio, vereque rem agi, solennis quidam Conuentus, in quo de pace cum Regina tractaretur Bronckburgi in Flandria (vt supra commemorauì) est indictus.

Tractatum de pace instituit vt Prouinciæ negligentiam minuat sibi ab inuasione tueretur.

Contra quem vnitæ Prouinciæ apertè protestãtes, omnibus viribus suis eum impedire studerunt, magis opus esse monentes vt de propellendo arcendoque è finibus hoste, iam ipsis imminente cogitarent. Inter Anglos verò quidam pacem hanc valdè vrgebant, vtpotè Regno suo & statui perutilem, tam propter negociationis & nauigationis commoditates, quam vt diuturni belli sumptibus ea ratione pararetur, quibus accedebat, quod eo tempore optatis conditionibus eam ab Hispano impetrari posse opinarentur. Alij hac ratione Classem sibi iam imminentem alio diuertere & detinere, tempestatisque illius periculum ita euadere cogitabant. Vt, vt erat, Parmensis his artibus multorum Anglorum oculos fascinauit, aliquot etiam in Belgio pacis cupidorum: Quo factum est, vt contra expeditionem istam potentemque adeo Classem Angli & vnitę Belgarum Prouinciæ defensionem quidem aliquam parârint, sed non pro magnitudine periculi, quod à tanto apparatu erat metuendum, idque cum fama constans apud eos de tota expeditione tanto tempore fuisset. Verum credebant quibusdã qui dicerent, Classem hanc parari ad naues, quæ ex Hispania in Indias proficiscerentur tutò conducendas: Quod eo videbatur verisimilius, quod Naues vsque adeò essent magnæ & vastæ vt Hispani eas vadoso, periculosoque mari Britannico nunquam commissuri viderentur.

Tandem

affinis Comitis à Bona vento & Calua, erat is Magiſter Campi, (vt vocant) ſeu Colonellus cohortium: multique alij eadem in naui cum eo cepti. An. 1588. 32.

In Anglia captus erat (vt diximus) Petrus Valdeſius, vir multarum rerum vſu præſtans, magnique inter ſuos nominis: fuitque cum eo Don Baſco de Sylua, & Don Alonſo de Sayas, cum alijs. *Nobilis mortalis & captus.*

In Hybernia nobiles multi ſunt ſubmerſi: multi item à Barbaris ſilueſtribusque Hybernis interempti. Aduectus tamé inde fuit, Don Alfonſo de Lucon, qui Præfectus, vulgo Colonellus etiam fuerat 32. cohortium legionis, vulgo dictæ Tertiæ Neapolitanæ, cum Rodrigo de Laſſo, duobusq; ex familia de Cordua, qui cuſtodię Horatij Palauicini ſunt commiſſi: vt pro ijs commutatione facta redimeretur. Odetus D. Telignius, ſilius D. Lanouei, qui in arcis Turnacenſis cuſtodia detinebatur, in pugna prope Antverpiam captus. Denique nulla fuit in Hiſpania familia illuſtris aut prænobilis, quæ in hac claſſe filium, fratrem, aut conſanguineum non perdiderit.

In huius rei memoriam Zelandi nummum argenteum & æneum cudi iuſſerunt, qui in vna parte continebat arma Zelandiæ, cum hac inſcriptione: SOLI DEO GLORIA. In altera magnæ aliquot nauescum his verbis: *Claſſis Hiſpanica*, & in circumferentia eius: *Venit, Iuit, Fuit.* Anno 1588. Hoc idem eſt, acti dicerer: Claſſem Hiſpanicam hoc anno veniſſe, iuiſſe, & fuiſſe; de quo ſoli Deo gloria. *Ad rei memoriam nummus cuſi.*

Cuderunt & alium nummum, in cuius vna parte nauis erat fugiens, & mergens, in altera parte, quatuor viri flexis genibus, orantes, Deoq; gratias agentes; cum hoc dicto, *Homo proponit, Deus diſponit. 1588.* Cuderunt & in Hollandia varios eius generis nummos ad perpetuum rei memoriam veterum Romanorum more.

Dum admirabilis & ſupra fidem potés hæc claſsis Anglicas oras legebat, omnesque iam viderent, & audirent quod ante credere non poterant, populus omnis per Angliam ad Deum præcibus ſuis & ſupplicationibus ſe conuertit: præcipue verò exterarú nationum Eccleſiæ (quibus maxima timendi cauſa, quibusque nominatim Hiſpani dira fuerant minati, continua ieiunia & ſupplicationes ſuis indicebant, vt Dei iram, furoremque ob peccata ſua ſibi iam imminentem auerterent; quod ſcirent, præces vnicum eſſe contra omnes hoſtes, calamitates, neceſsitatesque, refugium ſolatium & medicinam afflicto oppreſſoque humano generi. Huiuſmodi dies precum in ſtrituti eſtant ſunt per vnitas Belgij Prouincias. *Angli & Belgarum vnitæ Prouinciæ, gratias, ieiunia, & Deo grates agunt.*

Cùm iam claſsis Hiſpana aliquo tempore abiiſſet, dies feſtus in Anglia mandato Reginæ, & in vnitis Belgarum Prouincijs iuſſu Ordinum, publice indictus eſt, quo omnes templum conuenire, Deoque laudes & gratias ibi dicere iubebantur; iniunctumque miniſtris eſt, vt ad id populum ſedulo adhortarentur: is dies fuit 29. Nouembris, qui totus in ieiunijs, continuis precibus, & gratiarum actionibus conſumptus ibi eſt.

Ipſa etiam Angliæ Regina, Londini de tam glorioſa ſua, ſuorumque liberatione Chriſtiane triumphauit, morem Romanorum imitata; curruque triumphali per vrbem Londineſem (comitantibus eam ſolennitèr omnibus Regni Ordinibus & Officiarijs) veſtibus triumphalibus vecta eſt à Palatio ſuo ad templum primarium D. Paulo ſacrum, equo deuictorum Hiſpanorum inſignia & vexilla extenſa propendebant. Stabantque ciues omnes Londinenſes ab vtroque latere platearum per ſocietates ſuas, & ambacta cum lignis & banerijs ſuis, erantque plateæ vtrinque veſtitæ panno Azureo, quæ cum dictis banerijs, magnificum & ſplẽdidum valde reddebant proſpectum. Regina in templum ingreſſa cum Clero & Aulicis ſuis, Deo gratias egit, publicamque concionem in cœmiterio coram ſe haberi mandauit: cuius nullum aliú fuit argumentum, quam vt Deo laus, honor, & gloria redderetur, nomenque Dei, gratiarum actionibus extolleretur. Verbisque ſuis populum alloquuta ad idem faciendum eſt adhortata, ad quæ populus maxima acclamatione ei lógiſsimam fœliciſsimamque vitam à Deo dari eſt precatus, ad confuſionem hoſtium ipſius. *4. Decembr. Regina Angl. Triumphans.*

Hac ratione magnifica ingens, & potens claſsis Hiſpanica (quam ipſi vbique inuincibilem appellabant) qualis, multis ante ſæculis nulla cœcanum nauigauit, in ſumos abijt anno 1588. magna auctorum ſuorum confuſione. De qua fœlicitate Reginæ vicini amici; omnes ei ſunt congratulati, multique verſus in eius honorem conſcripti à viris doctis ſunt, quorum aliquos, qui ad manus noſtras venerunt, adiecimus.

AD SERENISSIMAM ANGLIAE REGINAM, Theodorus Beza.

STrauerat innumeris Hiſpanus nauibus æquor,
Regnis iunctiurus, ſceptra Britanna ſuis.

Tanti

Digitized by Google

Tanti huius rogitas, quæ motus causa? superbos
Impulit Ambitio, vexit Auaritia.
Quàm bene te Ambitio merſit vaniſſima, ventui:
Et tumidos tumidæ, vos ſuperaſtis aquæ.
Quàm bene totius raptores orbis auaros,
Hauſit inexhauſti iuſta vorago maris,
At tu, cui venti, cui totum militat æquor,
Regina, ô mundi totius vna, decus.
Sic regnare Deo perge, ambitione remota,
Prodiga ſic opibus perge iuuare pios.
Vt te Angli longum, longum Anglis ipſa fruaris,
Quàm dilecta bonis, tam metuenda malis.

Cùm iam Claſsis iſta ita euanuiſſet, Parmenſis copiarum ſuarum partem in præſidijs collocauit: reliquam verò potioremq; partem in Brabantiam duxit, non ſine opprobrio & magna exprobratione eorum, qui expeditionis huius inſtitutum nunquâ probauerant. Hi iam Conſultores iſtos irridebant, qui Hollandos & Zelandos non auſuros portum Neoportenſem, & Dunkerkenſem obſidere cenſuerant, allegantes ipſos conſpectum tantæ claſsis nunquam ſuſtenturos; præſertim cum adfuturus binam eſſet Parmeſis tanta nobilitate & exercitu Regio commitatus, inſuperque claſſe potenti inſtructus. His indignatus commotusque Parmenſis irarum plenus, expeditionem contra ditionem Tolenſem & Bergam ſuſcepit, ſimulans ſe Hueſdâ Brabantiæ oppidum obſidere velle.

Inſulam Tolæ innuäis Regulum Montignium frustra.

Ita factum eſt, vt Montignij Regulus idemque Marchio Rentij, cum comite Octauio Manſveldenſi è Brabantia 700. vel 800. milites in Tolenſem Inſulam (per aquam quæ Vosmare appellatur, quaque à Brabantia, Tola ſeparatur) quæ vadoſa erat, ducere tentarent. Hi enim in duos greges ſe diuidentes, inuaſionem fecerunt defenſi à 2000. ſclopetarijs (quos musketarios vocant) qui in aggeribus conſtituti, omnes qui eis in Inſula illa reſiſtere vellent, globulorum ſuorum ictibus infeſtarent. Sed cum Inſula illa aggeribus longe eſſet inferior, globi dictorum ſclopetariorum campos latè ſuperuolabant, armentaque hinc inde & greges feriebant. Cùm verò ibi tum eſſet Georgius Eberhardus Comes Solmenſis, Mauricij Auraici in Zelandia vicarius comitatus 150. è ſuis militibus, is aggerum commoditate vſus, qui exſtructo pectorali (id eſt, muro terreo ad pectus defendendum facto) erant muniti, hoſtem in fugam conuertit; omnesque qui tâtis viribus & impetu ſub defenſione 2000. dictorũ ſclopetariorum per aquam venerant, redire coegit. Quod cum nondum ſatis ipſis eſſet, ſecundo pugnam ſunt aggreſsi, maiorem aliunde pugnandi commoditatem nacti, cui ſecundæ oppugnationi è ciuitate Tolenſi ſuperueuit cum ſua cohorte Capitaneus de Groo, qui laſsis recenti ſuo milite ſubueniẽs, iterum in fugã hoſtem compulit: cumque longa dimicatione puluis eorum oĩs iam eſſet conſumptus, non tantam cladem inferre potuerunt, quantam aliàs potuiſſent. Interea hoſtis ipſe conſeſſus eſt, ſe ibi plus quàm 400. ſuis deſideraſſe, quorũ maior pars in capite ictа fuerat, dum ex aqua, aut ſummis aggeribus eminerent. Fuêre inter cæſos duo Capitanei, Hiſpanus & Hybernus, Comes Octauius è Manſveld, ægre è luto euelli duabus haſtis potuit, vti & Marchio Rentiacus. Ex Zelandis militibus vnus tantum fuit cæſus, & duo laſi, quod dignum fuit admiratione.

Poſt illa, profecti ſunt Bergas ad Zomam, quam oblidere parabant, cum ſe Tola potiri non poſſe cernerent, virtute & vigilantia dicti Comitis Solmenſis prohibiti: qui ipſe toto tempore, quo milites Parmenſis prope erant, ſinguli noctibus in ipſo aggere vigilabat, quietemque capiebat: & de die in oppidum ſe recipiebat, quod multo tempore continuabat, quia hoſtes aggere aliquo potiri diù ſperabant.

Berga à Parmenſe obſeſſa.

Berga Marchionatus habent dignitatem, poſt mortem poſtremi è ſua familia Marchionis Iohannis veneno nuper in Hiſpania anno 1567. extincti, peruenit ad ſororis ſuæ filiam, natam ex Domino de Merode, & Peterſem; quæ nupta eſt Domino de Berſele, Baroni Brabanto, qui Regis Philippi & Hiſpanorum partes eſt ſequutus, etiamſi Leodij habitaret. Ciuitas iſta ſita eſt in Brabantia ad Schaldim, ſatisque eſt ampla & commoda, fundata ad fluuium Zomam, nunc per inundationem aliquantum à Schaldi diſsita, ſed commodo portu ad Schaldim ſe extendens, vbi caput ſeu promontorium quoddam habet; quod fortibus vallis, & munitionibus inſtructum præſidiarij cuſtodiebant. Præfuit eo tempore ciuitati quidam militum præfectus (Colonellum vocant) Thomas Morgam Campro Britannus, is ſucceſſerat in præfectura V Vilhelmo Drurio Equiti Anglo; maior præſidiariorum pars erant Angli, quibus iuncti erant aliquot Belgæ, & inter eos quidã ad prædas paſsim captandas compoſiti, vulgo Freybeuter qui indies in Brabantiã excurſiones faciebant, late omnia depopulantes; vias Antverpienſem, Bruxel-

Bruxellenſem, Mechlinienſem terra & aqua obſidentes, viatores, etſi iuſto militum commeatu An 1588.
proſpectos, ſpoliabant, miſereque diripiebant. Ingentia ſpolia indies & diuitias in vrbē reportantes. Plurimos ſubinde magni nominis nobiles & ciues, qui 10. aut 20. millia florenorum pro redemptione darent, captiuos ducebant: quæ cauſa fuit, cur omnes Parmenſis opem cōtra illos inclamarent, eumque ſolicitarent, vt ciuitatem iſtam obſideret.

Parmenſis ergo 24. Sept. ciuitatem iſtam obſideri iubet, eaſque gratia machinas, tormenta, corbes munitionales maiores, itemque paruos ad gerendam terram, malos, aſſeres, fabros, ſchaphas eo adducens. Primumque munitionem promontorij Bergenſis, quæ eſt ad Schaldim, deijcere conabatur, tormenta ſua in aggere collocans, vnde dictam munitionem crebris ictibus oppugnabat. Simulque aſtu rem tentare volens, duos Anglos, vt hac in re ſibi ſeruirent, ſollicitabat: quos ex eo nouerat, quod olim captiuos illos detinuiſſet; hi Parmenſis rogatu (vt videbatur) inducti receperant in ſe, (prætextu quod plerique præſidiariorum erant Angli) ciuitatem ipſi prodere: quoque hoc facerent probabilius allegabant Præſidiarios multas ob cauſas offenſos. Hi duo vocati Grieueſton & Redhead inſtructi ab ipſiſmet præfectis Bergenſibus, quibus conſcijs omnia agebant, ita probē rem geſſerunt (quia erant alicuius inter ſuos nominis) vt torques ſiue catenas aureas à Parmenſi iam acciperent, cum promiſsis longe amplioribus.

Stratagema iſtud eo vſque fuit adductum, vt Parmenſi promiſſum à Præſidiarijs quibuſdam Bergenſibus eſſet, ipſum 24. Octobris præcipuo vallo promontorij, quod in Boreali parte erat, potiturum, adque maiorem Parmenſis ſecuritatem, Grieueſtonus perſonam ſuam ipſi oppigneraſſit, ligandumque ſe præbuit, vt interimeretur, ſi militem Parmenſis intra munitionem dicti promontorij non adduceret. Iamque 30. vel 40. erant intromiſſi, & inter eos Grieueſtonus, cum Baro V Villonghbeius, Anglorum præfidiariorum Præfectus, portam penſile ſeu cratem ligneam demiſit. Cumque in tertio vel quarto ordine ſequeretur, Proditor Dauentriæ Stanleius, qui cum alijs Parmenſis præfectis, & ſtrategis preſſum ſe à tergo videns, à 4000. è ſuis, inter quos 1500. erat Hiſpani, idque anguſto admodum in loco: conſultum exiſtimarunt, virtute & fortiter pugnando munitionem occupare, vi tentes occaſione aquæ iam difficientis, æſtusque maris qui iam defluxerat, ſeptum ligneum, quod in mœnibus erat, aggreſsi vi abrumpunt, mœniaque conſcendentes cominus cum Præfidiarijs dimicant.

Verum cùm parata omnia ibi eſſet in Parmentium aduentum, magno ſuo malo à Præſidiarijs oppugnatores excepti fuere, fortiterque inde repulſi: ad quod accedebat etiam, quod æſtus maris refluens, coegerit Parmenſis copias inde ſe recipere, & tardè receptui maximo ſuo incommodo canere: quo factum eſt, vt multi ex illis fuerint ſubmerſi: quorum numerus additus ad interfectorum multitudinem multæ centuriæ fuerunt, interq; alios capti ibi ſunt, XVIII. vel XX. Hiſpani alicuius nominis. *Parmenſis Stratagema male ſuccedit.*

Parmenſis animaduertens hoc ſtratagema ſibi male ceſsiſſe, parumque ſpei ſupereſſe Bergæ potiundæ, ob iuſtas peditum equitumq; copias, quæ ibi erant in præſidijs, & quod Ducibus duobus fratribus Baxijs, Buſcoducenſibus, equitum præfectis, & alijs victoriosas hoſtiq; damnoſas excurſiones indies faciebant; caſtris motis recedere inde ſtatuit, eoque magis quod à Brumali tempeſtate oppugnatū ſe ſimul cerneret, quia multis pluuijs vicina Regio adeo eſſet inundata, aggeresque, & littora adeo lutoſa & lubrica, vt difficillimo itinere eo venire quis poſſet, vnde victus & annona indies ibi fiebat carior; adeo vt in exercitu eius, quæ ad Voſmariam erat, amphora aquæ dulcis veniret 5. groſsis, & interdum tribus ſtuferis; idque quia in vaſculis & amphoris Steinbergæ eo aſportari in humeris debebat: Cumque reliqua annona pro modo iſtē & rata veniret, ob viarū videlicet difficultatem (erant enim in Inſula Tolenſi facilè 3000. alijq; paſsim copiæ in vicinia) quæ Parmenſibus moleſti valde erant, damnaque grauiſsima, terra & aqua inferebant, fortunæ ſuæ diffidens, Parmenſis triſtis & melancholicus 12. Nouemb. Bruxellas conceſsit, ſuis mandans vt paulatim Bergenſem obſidionem ſoluerent, munitionesque paſsim exſtruerent, quibus Bergenſium excurſiones impedirent, collocatis ibi ibi præfidiarijs, vti & fecit Roſentaliæ, Turnhoutij, & per omnē ditionem Kempenſem. Hoc modo Bergā ab obſidione liberata eſt, hoſtibus magna ibi clade & damno affectis, multisq; item ex magnatibus & nobilioribus captiuis ibi relictis. Ab eotempore Bergæ meliori & ſecuriori multo fuit in ſtatu, melius videlicet exinde munita, item nouis ædificijs ornatior ſplendidiorque facta. *Parmenſis exercitus mouet, ſoluitque obſidionem Bergenſem.*

Poſt ſolutam obſidionem Bergenſem, Mauricius Auraicus Naſſouius, veræ in V Valachria *Mauricius in*
30. Nouembr. huius anni 1588. Marchio dicti loci inauguratur. In qua ſolennitate argenteus *angaratur in*
nummus ſparſus cum inſignibus Naſſouijs & Verenſibus coniunctis, & colligatis, cum hac in- *Marchionem*
ſcriptione. *Nodus Indiſſolubilis.* In altera nummi parte, manus erat ſeuaginatum tenens gladium *Veræ.*
cum inſcriptione. IE MAINTIENDRAY, quod eſt, Tuebor.

Spargebātur & quidā nummi cum duabus nauibus ſe mutuo apprehendentibus, Mercurijq; caduceū continentibus cum inſcriptione: AVXILIA HVMILIA. FIRMA CONSENSVS FACIT. Inauguratus etā fuit et in incly ta ciuitate Fliſsingenſi, ſed æmulorum quorundā gratia diſtatum fuit in an. 1590. 26. Auguſti.

Digitized by Google

Comes Leycestriæ (vt diximus) præfecturam, administrationemque vnitarum Belgij Prouinciarum resignauerat: hoc verò tempore actum iterum est, de earundem Prouinciarum administratione, & præfectura, alijs tamen conditionibus ei deferenda. Cumque res in consilio Ordinum iam statuta ferè rataque esset, Comes subito extinctus 14. Sept. in domo satis humili, in saltu sita prope Langleum in comitatu Oxonienſi, ſepultusq; eſt 20. Octob. VVarvvici: obijt anno ætatis 55. à multis deploratus, à multis etiam maledictis, & odio petitus, omnem fortunam expertus.

Mors Comitis Leycestrie.

Comitis Leycestriæ familia, vita & historia.

Natus erat, patre Ioanne Sutton siue Dudleyo, prænobilis quidem per patrem, vtpotè originem ducens à Baronibus Dudleis, nobilior tamen per matrem, filiam & hæredem vicecomitis Lysłei. Iohannes iſte pater, vir fuit magni animi, cuius conatibus, etſi paulùm obſtaret genus mortis patris eius (qui ab Henr. VIII. ob delictum capite fuerat plexus) ita bene tamẽ ſe in belli togaque geſsit, vt ad magnas dignitates à Rege fuerit euectus: nam præterquam quod causa matris, ad vicecomitatum Lysleum, Baronatum Somery Baſſet, &c. fuerit ſpeciali gratia admiſſus, ad ſocietatem equitũ Regij ordinis Garterij eſt aſcitus, creatusq; inſuper Comes, Marſchallus Angliæ, & Thalaſſiarcha ſiue Admiralius. Poſt illa, per Edvvardum VI. factus eſt anno 1546. Comes VVarvvici, iure aliquo ſanguinis Materni, tum Dux Northumbriæ, Princepsque conſilij Regij. Cùm autem duo Regis Auunculi, Admiraldus videlicet & Protector (qui fuit Dux Somerſeti, cum quibus Iohannes Dudleus ſimultatem habebat) capite leui de cauſa plecterentur, culpa omnis facti huius in hunc Iohannem Dudleum tum, vti & ſemper poſt fuit coniecta. Vnus è quinque filijs huius Iohannis duxit in vxorem Ioannam Grayam, filiam Ducis Nortfolciæ, cuius mater nata erat ex Maria ſorore ſecundo genita Regis Henrici VIII. relicta Ludoici XII. Regis Franciæ. Cumque haud multo poſt Edvvardus Rex anno 1553. ætatis 16. moreretur, teſtamento ſuo (vt ferebatur) adoptauit, Regnique hæredem declarauit, dicti Iohannis Dudlei nurum, excluſis ſororibus ſuis Maria & Eliſabetha, prætexens quæſtionem ſtatus matrimonij matris vtriusque earum: ſimulque quod Maria Pontificiam Religionem profiteretur, vnde colligebat ipſa regnante religionis exercitium per Angliam iri mutatum; tum quod per vtrãq; regnum ad extraneum aliquem transferri poſſet, & hoc Edvvardi Regis teſtamentum à præcipuis quibuſdam conſiliarijs & officiarijs fuit approbatum.

Poſt Edvvardi mortem hæc Ioanna Graia Regina eſt proclamata, Regnique poſſeſsionem opera Ioannis Dudlei, Ducis Northumbriæ ſoceri ſui, patris Comitis Leyceſtriæ (de quo loquimur) accepit. Verùm, cùm Maria inſtinctu legati Caroli V. Imp. Iohannis Scheyff (qui poſt ad Cancellariatum Brabantiæ eſt euectus) titulum Regium accepiſſet, ſeque armare & munire cœpiſſet, Conſilium Regium auſpicijs dictæ Ioannæ exercitũ contra Mariam. Præfecto ipſo Duce Northumbrio, miſit. Qui cum paſsim ab Incolis Regni, imò ab ipſis militibus ſuis deſeri ſe videret, quinetiam à Cõſilio, quod ipſum cum exercitu ablegauerat, deſtitui, eiuſdem Conſilij expreſſo mandato milites ſuos de Maria Regina agnoſcenda, iuſiurandumque fidelitatis ei præſtando induxit; omnia quæ ſibi à Magiſtratu, qui tum rebus præerat, iniuncta erant, præcisè, accurateque obſeruans, limites mandatorum non excedens. Interea paulò pòſt à Maria incarceratus, cauſa eius in Iure ſatis iniquè tractata, ipſeque capitis ſupplicio eſt affectus. Cùm ſpem veniæ aliquam concepiſſet vitæ præſeruandæ cauſa, Religionem reformatam abnegauit, rituque Catholicorum obijt.

Dux Northumbriæ capite plexus.

Seuera iſta contra eum procedendi ratio, populo non inuito exercitata, qui eum oderat, Autoremq; dicebat profuſi innocuiq; ſanguinis Ducis Somerſeti, Protectoris Regij. Ad quod accedebat hoc etiam, quòd non careret ſuſpicione mortis Regis Edvvardi: exiſtimabant enim plerique matrimoniũ hoc filij ipſius cum dicta Ioanna Graia longo ante tempore, ab eo fuiſſe animo conceptum, vt eà ratione Regiam dignitatem in familiam ſuam transferret.

Reliquit hic Iohannes ſuperſtites filios (vt dixi) quinque, viros fortes & præſtantes, Iohannem Comitem VVarvvici, D. Guylfordum, qui prædictam Ioannam Graiam duxerat vxorẽ, Ambroſium vicecomitem Inſulæ, poſtea Comitem VVarvvici, & Robertũ, qui poſt factus eſt Comes Leyceſtriæ, & Henricum Dudleyum. Qui omnes cum dicta Ioanna mortis erant damnati: verùm nemo ex illis, præter Guylfordum cum Ioanna proclamata Regina vxore ſua innocente, ſupplicio affectus eſt. Primogenitus, Comes VVarvvici in carcere obijt; Ambroſius, Robertus & Henricus aliquo tempore capti, tandem liberantur: qui cum Regis Philippi militię ſe darent, ductu Comitis Pembrochiæ, qui auſpicijs Reginæ Mariæ iuſtum Anglorũ exercitum ante fanum Quintini 1557. Regi Philippo auxiliarẽ adducebat: minimus natu Henricus in oppugnatione dictæ vrbis globo traiectus occubuit: quo factum eſt, vt reliqui duo fratres D. Ambroſius & Robertus actis Parlamenti in integrum reſtituti, officiorum, honorum & dignitatum Regni, à quibus ante publica ſententia excluſa fuerant, capaces ſint declarati.

Cõ Leyceſtrẽſis captium

Accidit autem, vt præſens Angliæ Regina Eliſabetha à ſorore Maria, tum regnante ob ſuſpicionem conſpirationis Thoma VVyati contra religionem Catholicam, & Mariæ cum Hiſ-

ſpano

ſpano nuptias, capta, turri Londinenſi committeretur, dum ibi adhuc captiuus eſſet prædictus, D. Robertus Dudleus, qui occaſione communis ſibi cùm Domina Eliſabetha fortunæ, & ob ſimilitudinem periculi, in quo ambo verſabantur, clementem, gratioſamque eius beneuolétiam ſibi parare, ex re nata ſtuduit, multaque ibi grata ſeruitia D. Eliſabethæ præſtitit, in pecunijs, amicisque ei comparandis, quæ magno ipſi vſui fuere & adiumento. An. 1588.

adhuc eſſet, Eliſabeth nãs Regina eidẽ cuſtodiæ commiſſa eſt.

His rationibus cœpit mutua illa amicitia, affectus & beneuolétia, quæ poſtquam è cuſtodia liberati ambo ſunt, maiora ſemper accepit incrementa, quæ continuarunt etiam, poſtquam Eliſabetha ad Regni faſtigium eſt prouecta; quæ eum inter omnes ſubditos, ſingulari fauore & affectu eſt proſequuta, adeo, vt de eo ſic exiſtimaret, imò ipſa ſubinde diceret, ſe ab illo amari, non eo affectu, quo ſolent Domini aut Principes à Subditis, aut beneficiati ab ijs, à quibus beneficia aut bona acceperunt, ſed naturali quodam & verè cordiali amore: cuius cauſam inde prouenire iudicabat, quod ſimul verſati fuiſſent in eodem periculo, & nunc ſimul bonam fortunã experirentur; ad eaque accederet, ætatis, morum, & animorum ſimilitudo.

Quare etiam ſtatim non ſolum eum ditauit, honoribusque vtpotè præfectura ſtabuli Regij, ordineque ſuæ aureæ periſcelidis, locoque principali inter conſiliarios ornauit, ſed & coniunctu Leycestriæ eum inueſtiuit, alijſque dignitatibus & præeminentijs, vti omnes ſciunt, con decorauit, ad ſumma ſemper promouere eum ſtudens. Nec hoc ſolum, ſed & fratrem eius natu maiorem Ambroſium, Comitem VVarvvici creauit, totam familiam eius cuehens. Perſeueratque in hac erga ipſum beneuolentia, pro ſua ſolita in amicitijs virtute & conſtantia, ad finem vſque vitæ eius: idque etiam ſi multos potentes ſummæque auctoritatis hoſtes & aduerſarios Comes ſemper habuerit, & ipſammet Regiam Maieſtatem grauiter ſæpè offenderit, vti cum in vxorem duceret viduam Comitis Eſſexiæ, cui ſciebat ob varias, magnasque cauſas vehementer ſuccenſere; ex qua filium ſuſtulit, qui iuuenis obijt. *Eliſabeth Regina Angliæ conſtans in amicitia.*

Hinc ita tenerè amauit, vt vix ſine illa in Hollandia diutius viuere poſſet, magnaque & ferè potior cauſa eſſet accelerati ſui in Angliam reditus: quia à Regina impetrare non potuerat, vt eam ſecum tranſueheret. Nouerat enim Maieſtas ſua impotentem mulieris animum, dicebatque, ſe nolle Reginam in Hollandiam mittere. Atque hæc vidua paulò pòſt mortem Leycestrenſis nimis humiliter tenuis fortunæ genere orto nupta eſt, cui nomẽ Chriſtophorus Blunt, fueratque is defuncti Leycestrenſis domeſticus miniſter.

Leycestrius iſte, quicquid famoſi libelli varia de eo iactarint, vir fuit magnanimus, ingenioſus, & generoſi animi, liberalis, eloquens, affabilis, inſignisq; aulicus. Qui ſibi omnium gratiã & beneuolentiam parare potuit, idque cum familia eius omnis, Pater, fratreſque eius, omneſque Dudlei nominis regnante Maria, ita omnibus fuiſſent odioſi, vt nulla vnquam in aliquo regno familia fuerit magis. Quod odium tantum fuit, vt cum pater eius Dux Northumbriæ, Londinum captiuus introduceretur, populus in eum omnis generis contumelias & conuitia, coniecerit: interque alios, mulier quædam ſtrophiolum ei oſtenderit, tinctum ſanguine protectoris Kegij, Ducis Somerſeti, quem ſanguinem iniuſtè ab eo effuſum, clamabat; *Vindictam mclamans.*

Verum Leycestrentis virtute ſua, & ciuili conuerſatione omne odium hoc extinxerat, & planè ſuperarat.

Omnes Comitis Leycestrenſis fratres, ſine hærede obierunt: ipſe verò filium ſibi cognominem ſuperſtitem reliquit, quem poſt fidem matrimonij datam, ſuſcepit ex Dongiaſia, filia VVilhelmi Hovvardi, Baronis Effingami, Admiraldi & Præfecti ſacri cubiculi Reginæ Eliſabethæ. Hunc in teſtamento ſuo illegitimum appellauit, quod neceſſariò faciendum ipſi erat, alioquin ſeipſum adulterij accuſaſſet, cum illa quàm iam pro vxore multos annos habuerat, deſerta huius filij matre, cui ante concubitum coram multis teſtibus ſoléniter fidem Matrimonij promiſerat: ac proinde etiam ſecundum iura ciuilia legitimus haberi poterat. Huic, tamen teſtamento ſuo meliorem bonorum ſuorum partem dedit: natus erat filius iſte annos 15. cum Leycestrenſis moreretur, procerus, fortis, & pulcher iuuenis, magnæque ſpei, qui ſolus illius Ramifamiliæ Dudleyanæ eſt ſuperſtes.

Parmenſis itaque exercitu (vt diximus) in obſidione Bergenſi ſoluto, pars eius vnà in præſidijs collocata, alteram cum ijs copijs, quæ ante Bonnam militauerant, Duce Petro Ernesto, Comite Mãsfeldio, ad oppidum VVachtendonck obſidẽdum milit, quod ſitum eſt in Geldria ad fluuium Neers vulgo appellatum, non procul à ciuitate Geldria. Qui menſe Octobri arcte obſidere illud cœpit, magnaq; tormentorum vi è duobus aggeribus ſiue collibus, quos ibi erexerat, oppugnauit, domorum faſtigia paſsim machinis ſuis deijciens, omneſque munitiones quæ contra ædificari aut erigi poſſent, diuerberauit. *Wachtendõck à Mãsfeldio obſeſſum & oppugnatum.*

Eiaculabatur etiam e machinis, ardentes ſeu igneos globos, quibus domos per oppidum incendebat: adeo vt ciues in ſubterraneis locis viuere cogerentur. Globi iſti facti erant in vicinio oppido Venlo, vbi cum auctores eorum periculum facere vellent, occaſione conuiuij, quod Iuniori Duci Cliuenſi ibi tum parabatur, mediam fere ciuitatem incenderunt.

An. 1588. Obſeſsi diù & fortiter ſe tuebantur, multosque ex hoſtibus ceciderunt, interque primos interfectus ibi eſt Dominus de Rimberg. Præſidiarij VVachtendonckani milites erant Schenkij, fortes admodum, præerat illis Capitaneus Landthar, qui inter alios è ſuis, loeſus etiam in pugna fuit.

Poſt quæ cum milites animo deſponderent, & Ordines vnitarum Prouinciarum commodè illis auxilia mittere ob temporis iniurias, non poſſent, ciuesque ob incenſas, deſtructasque domos, minus quàm antea voluntarios ſe præberent, poſt ſecundum obſidionis menſem tollerabilibus conditionibus, oppidum Mansfeldio dedunt, vigeſimo videlicet Decembris, exieruntque Præſidiarij incolumes, enſe ad latus cincto. Poſt illa, Mansfeldius caſtra inde mouens, ea in ditione Iuliacenſi, vt plurimum locabat, maximo incolarum detrimento & incommodo. Cœpitque tum è remotioribus locis oblidere, eminusque premere oppidum Berck.

Deſcriptio turbarum Vltraiectenſis.

Cùm iam aliquoties Vltraiecti mentionem fecerimus, quædam in præſentia particularius de eo iam narrabimus. Turbarum ibi motarum Auctores præcipui fuiſſe dicuntur, Gebhardus Prouinx, aliàs Deuenter appellatus, Buſcoduci bono loco natus, & alij extra ditionem Vltraiectenſem editi: qui ob varias cauſas relictis alijs Belgij Prouincijs eo conceſſerant, ibique ſub prætextu reformationis, alijſque artibus & rationibus vſque adeo imperitæ multitudinis animis, & beneuolentiæ ſe inſinuarant, vt non ſolum nomen & auctoritatem in Reipublica: ſed & principalia munera, & Magiſtratus vrbis, & ditionis Vltraiectenſis in fraudem Priuilegiorum, & dictæ Prouinciæ libertatum fuerint adepti. Quo in loco cum quieſcere, ſeque continere, netum quidem poſſent, Canonicos qui olim cum Epiſcopo Prouinciæ Traiectenſis Principe rerum adminiſtrationem habuerant, dexteritate quadam è Conſilio Status excluſerunt, alijsque artibus, omnes quos ſibi non addictos norant, vrbe exegerunt: interque eos, qui ante hac Reipubl. ſalutem, priuilegia & religionem, maximè propugnarant, & vnionis Vltraiectenſis, vulgò appellatæ, auctores, executoresque fuerant.

Cùm plærique iſtorum primarij eſſent illius Prouinciæ, & vrbis ad Hollandiæ Ordines ſe recipientes, auxilium eorum implorarunt: Qui cum honeſtis rationibus ciuilibusque perſuaſionibus & adhortationibus eos inter ſe reconciliare ſtuderent, operam omnem luſerunt.

Vltraiectenſes enim Leycestrenſi in Hollandiam tum reuertenti ſe inſinuantes omnibus officijs, gratiam eius & beneuolentiam, quia contra Aduerſarios ſuos ſe munirent, comparare ſtudueruntQuod eo ipſis ceſsit felicius, quod eodem tempore Ordines Hollandiæ cum Leyceſtrio (vt diximus) ſimultates magnas alerent.

Vltraiectenſes Leyceſtrienſem offenſumque adeo exacerbarunt, & inſtigarunt, vt Hollandos ſcripto publico accuſaret: Quod quemadmodum cauſa cur Regina Angliæ rem Belgicam arctius non amplecteretur, erat, quia ipſi optimæ & potentiſſimæ & optimæ Principi conditiones præſcripſiſſent, nec abſolutè Prouincias ei detuliſſent, qua ratione Maieſtati eius de quanſiſſent: ita etiam nunc quod Leyceſtrio leges ponere vellent, quem ipſum decebat (quia ea gratia venerat) leges illis conſtituere, cuius erat, mandata dare, non ab alijs accipere, regere, non regi, aliaque huius generis argumenta plura fuerunt aſcripta.

His factum eſt, vt Leyceſtrius cum ſuis Vltraiectenſes, magno fauore ſuerit proſequutus, adque maiorem eorum ſecuritatem & præſidium, aliquot cohortes Anglico nomini addictas, eis miſerit, cosque ita apud Reginam commendârit, vt ad ipſos 21. Februarij 1587. literas, plenas fauore & dedecit, quibus ipſis ſuprà omnes alios, gratam ſe beneuolamque futuram generalibus verbis promiſit.

Criminationes Vltraiectenſ.

Has Reginæ literas, Vltraiectenſes iſti in vulgus ſparſerunt, cui clàm per emiſſarios ſuos perſuaſerunt, Reginam ſupremam Dominationem vrbis & Prouinciæ Vltraiectenſis, ob beneuolentiam, qua ipſos complectebatur, ſuſcepturam. Quæ res animos multitudinis ita transuerſos rapuit, vt multi ſtrategi, Præfecti militiæ & Capitanei, in Angliam ſint profecti, impetraturi à Regina præfecturas ciuitatum, arcium, & munitionum dictæ Prouinciæ. Publicabant etiam apologiam ſuam Vltraiectenſes iſti, contra eos quos vrbe eiecerant, cui literas ſuas ad Hollandos iungebant. Permittebantque vt omnia apud ſe typis mandarentur, quæ contra Hollandos facerent, aut in detrimentum eorum cedere aliquo modo poſſent, vti ex dictis libellis adhuc proſtantibus liquido videri intelligique poteſt. Denique nihil non faciebant & dicebant, quod ad diſunionem & ſeparationem Hollandorum à ſe inſeruire poſſe exiſtimarent. Accuſantur etiam eo nomine, quod Leyceſtrenſem, Anglosque eius, rerum inexpertos incitauerint, maliſque conſilijs inſtruxerint, contendentes ab eo, vt nemo per vnitas Belgarum Prouincias, ad aliquam Reipubl. adminiſtrationem aut Magiſtratum admitteretur, quàm illi, qui non ſolum reformatam religionem profiterentur, ſed etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ in ea receptæ ſe ſubijcerent.

Ridiculum

RIdiculum quasi verò homini ambitioso, Libertino seu Atheo & Politico, religio foret reformatam religionem simulare, vt per illas ad honores & dignitates peruenire. Item, vt inter summos Magistratus, Senatores vrbium, aliaque munera principalia locus mercatori, aut mechanico (dum hoc vitæ genus adhuc sequeretur) vllus esset. Quod odiosum fuit nimis, quia per omnes Prouincias vix tot Nobiles ad res gerendas apti, aut alij in literis versati, & politici viri mercaturam non exercentes inueniri possent, qui ad gubernacula sederent, idéque quia totus ferè Prouinciarũ illarum cõ; Status in mercatura, nauigatione, piscationibus, alijsque eius generis negotiationibus constitit, de quibus nobiles & literari plerunque nihil intelligunt. An. 1588.

Ordines vnitarum Prouinciarum, visis his Vltraiectensium agendi rationibus, non sine causa, certisque indicijs verebantur, ne hostis occasionem inde diuisidij inter Prouincias alendi arriperet, sperans alteram ex factionibus sibi conciliare, quod consistoriales illi nuperque intrusi Magistratus, præ nimio partium studio, non considerabant. Animaduertebant præterea dicti Ordines, homines istos, qui negotia ista tantopere vrgebant extraneos esse Prouinciæ Vltraiectensis, nec bona vlla aut possessiones ibi habere, ac proinde etiam nihil posse perdere, ideoque de Prouinciæ illius salute minus esse solicitos, exactis iam vrbe potissimis libertatis Reipubl. patronis. Cui malo mederi Ordines volentes, primum bonis, politicisque rationibus dictos exules in domos, possessiones & pristinum dignitatis locum restituere conantur, qua via cum nihil proficerent matura deliberatione habita, dexteritate quadam milites in circumiacentes ditionis illius arces, & præsertim in vrbem Vltraiectensem introducere tentarunt, vt tutari eam contra imminentem hostium obsidionem possent. Metuebant enim, ne vrbs melioribus ciuibus iam orbata, & ab iis qui parum concordes inter se essent, nunc administrata, paruoque præsidio instructa, facilè ab hoste expugnari posset: eoque magis quod certum esset nuper intrusos Magistratus, etiamsi maxima ab hoste necessitate premerentur, nunquam Hollandorum auxiliares copias intromissuros, ne videlicet Magistratu quem vsurpabant, abdicarentur. Cumque iam Vltraiectensibus Hollandorum consilia subuisserent, maiori cura se contra Hollandos, quam contra communem hostem armare & munire cœperunt.

Quam obrem Prouinciarum vnitarum Ordines eo induxerunt Mœrsæ & Nevvenaræ Comitem Adolphum, Geldriæ Præfectum, vt Vltraiectensem præfecturam susciperet, institutumque ipsorum consilium ibi exequeretur. Qui assumpto secum D. Brakelæ, è familia Asevvyna, & alijs, Vltraiectum est profectus, occasionem tantum rem bene gerẽdi exspectans. Cùm ergò initio Octob. anni huius 1588. noui Magistratus creari, ibi pro more deberent, prænominatus Gerardus Prouinx, alias Deuenter, eiusque socij & adhærentes, certum hominem in Angliam iam diù ablegauerant, (metuentes ne sede sua remouerentur) vt inde solatium aliquod acciperent, & in statu suo, auctoritate Regiæ cõfirmarentur. Verùm morte Leycestrij, tum etiam quod Regina melius particulariusque de omnibus certior esset facta, (miserat enim & Comes Mœrsius Hartlebium quendam è suis in Angliam) parum solatij aut auxilijibi reppererunt. Rebus suis ergo noui isti Magistratus prospicere volentes, 5. Octob. Vltraiecti de nocte armati eum suis Curiam obsiderunt, ciuesque quosdam & inter eos Capitaneum quendam nuper ab illis exauctoratum, nominer Pyper, capere, aliosque sibi suspectos certæ custodiæ committere voluerunt, ne videlicet quidquam molirẽtur, dum Magistratus ipsi pro sua libidine renouarẽt, simulque Comitem Mœrsæ vrbe eijcere omni modo sunt conati.

Comes qui (vt dixi) occasionem aliquam hactenus obseruabat, hanc arripuit, sumptisque armis ciues in auxilium suum vocauit, dicens seditiosos istos contra suam personam hæc attentasse: quo factum est, vt omnes continuo ciues ad eum conuolarunt, alijsque facti sint superiores. *Comes Mœrsæ Vltraiectenses reuocat, & in integrũ restituit, Prouinciam illa Hollandiæ rursũ vnit.*

Iulianus Clarhage (qui relicta nuper præfectura Gorcomij, eo cum cohorte sua erat missus) audito tumultu nullius mali cõscius, dum ad Curiam visurus, quid rerum ibi gereretur, properat, ab obuijs bipenni per latus & costas traijcitur innocuus, multasque horas in platea pro exanimi derelinquitur. Vitam tamen seruauit, & cùm nocentibus innocens captiuus ducitur.

Carolus Trello, qui Prætorem vrbis egerat, in carcerẽ conijcitur. Gerardus Deuenter cum alijs primarijs suę factionis custodiæ à Mœrsio mandatur. Turma quędam equitum Anglorum turbis istis excitata armata comparuit, sed manus continuit, vti etiã fecit cohors dicti Clarhagij, & alia Villersij. Ignari enim isti causæ tumultus, nulli contendentium parti iũngere se voluerunt. Atque ita omnia composita sunt & pacata. Postridiè redierunt Vltraiectum ex Hollandia exules, qui vrbe fuerant exacti, nouusque ibi Magistratus est creatus ex præscripto legum & priuilegiorum dictæ Prouinciæ: quo factumest, vt vrbs & Prouincia Vltraiectensis rursum Hollandiæ vnita reliquisque Prouincijs conformis, quatenus fieri potuit, redditæ fuerit. Qua in re Comes Mœrsæ singulare & præcipuum quoddam officium communi causæ & Reipublicæ præstitit. Captiui qui pauci numero fuerunt, vt Deuenter & alij, paulò pòst liberi dimissi sunt.

Digitized by Google

An. 1588. Præſidiarij ab Ordinibus in diuerſis locis conſtituti, veluti Hueſdæ, Gertrudenbergæ, &c. varias excurſiones in Brabantiam fecere. Hi 800. numero pedites & equites, collocatis peditibus in equis vnà cum equitibus, Tilborgum prope Buſcumducis venerunt, vbi Præſidiarios à Parmenſi collocatos obtruncârunt, paucis reliquis, qui in templa ſe fugientes receperunt. Quos quum diù oppugnare conſultum non eſſet, ne tumultu excitato circumiacentium locorũ præſidiarij ad arma conclamarentur, vt auxilio ſuis venirent, ſpolijs onerati domum ſunt reuerſi.

Excurſiones præſidiariorũ Ordinum.

Fortitudo, audacia & felicitas, qua 100 milites in Brabãtia ſunt vſi.

Similes excurſiones fecerunt, & Præſidiarij Bergenſes ad Schaldim, inter quos centum fortes viri, cumq; his 5. vel 6 equites turmæ Baxianæ, ductu ab officiario militari (vulgo Sergeant) ad ſtratagema Burgloonium venientes, idque exſpectationi ſuæ non reſpondere cernentes, ferro viam ſibi per cuneum hoſtilem fecerunt, & Thienam tranſcurrerunt, vbi 5. vel 6 Hiſpanorum cohortes erant in præſidijs. Quorum nulla ratione habita, oppidum (quia amplum ſatis eſt) clàm ingreſſi, Præſidiarios Hiſpanos, tribus belli inſignibus ipſis ereptis, inde expulerunt, oppidumque deripuerunt. E quo egreſſi, dum in hoſtes rurſum (qui 400. erant, & commodiori ſibi loco eos ad pugnam exſpectabant) inciderent, viperrumpentes, viam per eos ſibi aperuerunt, inque præſidium ſuum ſpolijs onuſti, ſalui & incolumes contra fidem, & exſpectationem omnium ſunt reuerſi.

Commeatus Cortracenſiũ interceptus.

Ex præſidiarijs, Zelandiæ etiam 70. in Flandriam traijcientes, commeatum Cortracenſem interceperunt, profligatis omnibus militibus qui aderant, itemque 20. equitibus, & 30. mercatoribus qui in equis etiam erant. In primo congreſſu equos præſertim ſclopetis petierunt, quorum aliquot in poteſtatem redactis, ijſdem reliquos perſequebãtur, quibus debellatis, quidquid agi aut ferri poterat, ſecum abſtulerunt.

Stratagema Schenckij contra Neomagenſes tentũ.

Schenckius etiam otioſus non fuit, ſed ad oppidum Momedium excurrit. Menſe verò Decembri, Neomagum ſtratagemate expugnare tentauit, exiſtimans ſe commoditate vadoſæ foſſæ, cuniculis ſub mœnibus actis, mœnia puluere tormentario deijcere poſſe, verùm cùm aſſiduitate pluuiarum foſſa vrbis aquis repleretur, aliaq; inſuper incommoda accederent, conatus eius irritus fuit.

Plurima alia ſtratagemata, egregiaque facinora ab vtraque parte incœpta fuêre in Brabantia, Geldria, Friſia, modo cum damno, modo cum fructu auctorum, erant enim eo tempore vtrinque ſortes & exercitati milites, qui omnem occaſionem & ſubiectum gloriæ & honoris adipiſcendi paſsim quærebant & captabant.

Schenckius vallum ſuum erectum ad Elerwarden ſolo æquat.

Schenckius volens magnos ſuos ſumptus quos fecerat recuperare, Vallum quoddã in Rheno ad Hervvardam initio Nouembr. proprio motu ſine mandato Ordinum erexerat. Quod adhortatus à Mauricio Auraico, & interceſsione Baronis V Villógbei deſtruxit, quia Ordinum auctoritati præiudicium aliquot afferre videbatur.

Præſidiarij Angli qui Brielæ erant, ſeditiones ob ſtipendium ſibi non numeratum mouebant; mora enim ſolutionis facta quædam erat, tum oppidum remotum nimis erat ab hoſte, quàm vt commodi aliquid per excurſiones (vt alij) lucrari poſſent. Propterea Ordines Hollandiæ & Zelandiæ liberaliter ſtipendiũ præſidij illius pro Regina expoſuerunt, quia ex contractu Reginæ cum Prouincijs inito, breui reſtitutam iri ſibi expoſitam pecuniam ſciebant, atque ita difficultas omnis ſublata turbaque compoſita eſt.

Seditiones inter milites Parmenſes.

Multæ etiam ſeditiones, & magna rerum omnium inopia fuit inter præſidiarios à Parmeſi paſsim collocatos, ob non numerata ipſis ſua ſtipendia, cum Regij reditus omnes indici, itemq; vectigalia omnia ad continuas expenſas eius ſufficere non poſſent. Turbæ iſtæ Regij nominis auctoritate ſedatæ quidem ſunt, non tamen ita plenè, quin multi ex prudentioribus & exercitatioribus militibus, ſignis militaribus deſertis, ad Ordines ſe contulerint, certius ſtipendium ibi accepturi, ſimulque commoditatibus quas Ordinum milites excurrendo capere viderant, fruituri: quo modo præſidia Parmenſis denudata militibus bona ex parte fuerunt.

Parmenſis cũ Baligneo contractum inducẽtium init in gratiam Archieſie & Hannonie.

Cùm iam multo tempore Parmenſis Cameracum arte occupare nequiuiſſet (nam aperta vi illud aggredi per temporis rerumque incommoditatem ei non licebat) contractũ induciarum cum Baligneo vrbis Præfecto, pro Archeſianis & Hannonijs iniuit. Ad quod facilè inductus fuit dictus Balligneus, ob turbas Gallicas, per quas difficilè ei fuiſſet, auctoritatem ſuam ſaluam & præſidiarios ſuos, paruo ſtipendio, in officio continere. Quare negotiationem, hac ratione cum dictis Prouincijs inſtituens & continuans, primum pecunias ex Telonijs & vectigalibus ſibi parauit, dein ijſdem pecunijs ſe ſuamque auctoritatem eſt tutatus. Magna enim exercetur Cameraci mercatura telæ lineæ pretioſiſsimæ, quæ ab vrbe illa nomen capit. Texuntur enim ibi quotannis facilè 60. telarum millia, quæ ſingulæ (pretio inter ipſas æquato) eſtimatæ ad 40. florenos, ſurgunt ad vigeſies quater centena millia florenorum, quos ſingulis annis pro dictis tenuibus telis linteis, Cameracenſes accipiunt.

Tela iſta Cameracenſis tantæ interdum eſt ſubtilitatis & excellentiæ, vt aliqua inueniatur

Digitized by Google

22. vlnas, quæ valeat 300. florenos seu 100. coronatos gallicos, continens longitudinẽ circiter 22. vlnas Flandricas & amplius non ponderans (quod incredibile est) quam 6. 7. aut 8. vncias. An. 1588.

His commoditatibus adiutus Baligneus semper interea fluctuans & neuter ac veluti suprę-mus loci Dominus ibi fuit. Parmensis etiam, nulla dictarum induciarum habita ratione, varijs vijs vrbem stratagemate inuadere tentauit, ipsomet Episcopo Cameracensi Barlamontij filio (cui Baligneus vrbe interdixerat) Canonicisque eius ad varios secretosque suos conatus, institutaque promouenda, vsus. Verum omnia hæc eius consilia, cura & vigilantia Balignij detecta semper fuerunt. Et cum ambo per inducias plurimum vtilitatis caperent iterum semper sunt reconciliati. Baligneus autem si suis damnum aliquod esset illatum, in Artesiam & Hannoniam excursione facta repressalijs damna sua compensauit.

Cùm iam multos, mirabilis & notabilis anni huius 1588. euentus diu ante à multis vaticinatos narrauerimus, mortem videlicet Regis Daniæ, cladem & captiuitatẽ Maximiliani Austriaci, Regis Polonię, Interitum potentissimę classis Hispanicæ, Mortem Principis Condei; vlteriorem narrationem rerum Gallicarum nunc aggrediemur.

Narrauimus breuiter superioribus libris, quibus Hispani artibus Rex Franc. Henricus III. Supremum Belgij imperium & protectionem suscipere fuerit impeditus, coniurationę vide licet Guysianorum qui se coniungentes & colligantes caput suum pro formatum nominabant, virum senem & simplicem. Cardinalem Borbonium suamque coniurationem, istam appellabant SANCTVM FOEDVS. Siue Ligam Sanctam. Prætextus vero Conspirationis, siue coniurationis huius erat, Sanctæ Romanæ sedis & Religionis protectio communisque salutis & Reipublic. præseruatio. *Res gestæ per Galliam.*

Cùm fœdus seu conspiratio ista his prætextibus nixa, maiores indies vires sumeret (vti res istiusmodi Principibus suspectæ semper sunt, præsertim cum à subditis eorum geruntur) Rex, vt iam diximus, se contra eos munire Parisijs satigit. Quo animaduerso, Guysius Dux, Regem inde dexteritate quadam exire compulit. Ibique tum se excusans, Regis culpam omnem in Ducem Espernonium, eius Fratrem La Valetta, Bironium, aliosque fidelissimos Regis ministros coniecit, quos turpissimis grauissimisque criminibus, conuitijsque onerat: & supra omnes Espernonium, quem Rex vnicè amabat, & ad magnos honores opes, & auctoritatem euexerat. Quas fortunas Espernonio Guisij inuidebant, quem solum inter omnes, quiduis apud Regem posse animaduertebant. Cùm ergo Regem ad certam secum reconciliationẽ ineundam coegissent, eo ipsum impulerunt vt Espernonium à se dimitteret, eundemque quarundum Prouinciarum, quas administrabat Præfecturis, exueret. Denique vsque adeo Regem vrserunt, vt ad bellum contra Nauarreum suscipiendum compellerent, qua ratione proprias vires debilitaret & Protestantes opprimeret. *Espernonius ę-aijs à Conſœderatis accuſatis.*

Quæ de re cum amplius deliberandum censeret Rex, conuentum Ordinum Regni sui, instante iam Bruma anni huius 1588. Blesis indixit. In quo Guysiani & confœderati potentiores fuerunt. Ibi à tribus Ordinibus Ecclesiastico, nobilium, & ciuitatum, multa vltro citroque agitata sunt, de asserenda per Galliam Religione Catholica Romana, & extirpanda Reformata, deque excludendo Rege Nauarræo cum tota sua familia, à successione Regia. Quibus de rebus habitæ orationes & propositiones typis mandatæ passim extant. *Comitia Regni Franc. Bleſis indicta.*

Confœderati & Guysiani hoc præcipuè egerunt, vt Rex cum omnibus Regni officiarijs, in quoddam Edictũ, tanquam fundamentalem Regni Legem iurarent, quo Edicto Rex Nauarræ tanquam hæreticus, iure suo, in successione Regia, priuabatur. Quod, non prius audito Nauarræo, Rex fieri non posse asserebat, in quo Nobilium ordo Regi suffragabatur. Verum alij duo Ordines Ecclesiasticorum nempe & ciuitatum Regem Nauarræ, omnesq; hæreticos & hæreticorum liberos, in æternum, successionis Regiæ incapaces absolutè declarandos esse contenderunt. *Guyſiani Nauarræum à ſucceſſione Regia excludere ſtudent.*

Cùm hæc à Guysianis instanter vrgerentur, iussit Rex per suos proponi (nam præsens ibi nunquam erat) conueniens etiam esse vt reliquę fundamentalis Regni leges videlicet quæ concernunt crimen læsæ Maiest. simul nunc iurarentur. Quod Guysius dum Regina mater ei proposuit, se facturum dixerit negauit, animaduertens se eo peti, tam quod Regem Parisijs fugasset, tumultu dicto vulgo Barricades, quàm ob alia sua facinora quorum conscius sibi erat.

Quamobrem Guysiani & confœderati, violentum aliquod consilium cœperunt, quo ad institutum suum peruenirent, freti duorum Regni Ordinum beneuolentia, & præsertim auxilio Regis Hispaniæ, Ducumq; Lotharingiæ & Sabaudiæ ipsis vicinorũ. Iamq; Marchionatũ Saluzij Sabaudus Regi eripuerat, nulla prius facta belli significatione, hunc solum prætextum allegans, quod metueret ne Protestantes eam prœoccupantes, sedem belli ibi figerent. Quæ magna fuit in tali Principe ingratitudo, qui tam ratione sanguinis, quam beneficiorum plurimis nominibus Regibus Galliæ esset obligatus. *Guyſianorum Coniuratio.*

Rex de vi quam parabant Guysiani certior factus, metuensq; ne Parisios abduceretur, ibique à di- *Rex præ Zo-*

Digitized by Google

An. 1588. quæ à dictis Ordinibus, omnibus Guysianorũ petitionibus assentire cogeretur, ea qua de re per quosdam ex ipsa familia Guysiana (vti æmulatio inter Principes maior quam inter minores semper est) certo informatus, statuit omnino vim eorum præuenire, morte improuisa & inexspectata, Capita factionis auferẽdo, reliquosque in certam custodiam dando. Ad eam rem exequendam, habebat exercitum in Pictonibus, cui præerat Dux Neuersius. Sique opus fuisset, habebat item & alterum exercitum quem ducebat Maynius, quo Sabaudo bellum inferre posset. His apud se certo constitutis, vti erat insignis simulandi artifex, addictißimum se Guysio simulabat, præ se ferens, ac si illum supra omnes euehere voluisset, omnemque rerum administrationem ei committere, vt olim fecerat fratri suo Alenconio, &c.

Iosyphi Guysiani occidere statuit.

Accidit autem die veneris triduo ante Natales, vt Rex, simulans se è ciuitate Blesensi Religionis causa proficisci velle, Guysium mane è consessu Ordinum per Secretarium subitò, ad se accerseret. Accelerauit autem Rex eo magis instituti sui executionem, quod iam intellexisset Guysium die præcedenti cũ fratre suo Cardinale & Archiepiscopo Lugdunensi, de summa suarum rerum deliberasse, occasione capta ab extraordinaria Regis erga se beneuolentia, quam suspectam habebat. Guysius itaque subitò accersitus, incertus quid faceret, quærebat ab Archiepiscopo Lugdunense an iret. Quo censente, fortiter in eo quod cœperat pergendum, simulque dicente pusillanimem Regem tantum non habere audaciæ, vt ipsum offenderet; Guysius eius contilio præcipuè fretus, tum quod accersitus obedientiam denegare Regi non auderet; ad Regem iuit, non sine suspecta sollicitudine tamen, fratrem Cardinalem sui causa in Comitijs sollicitum relinquens. Regium ergo hospitium ingressus, primas & secundas excubias satellitum transierat, iamque regis Cubiculum appropinquans aulęum leuabat, cum statim ab vno aut altero qui eum ibi expectabant (quibus mox 4. vel 5. alij accesserunt) apprehensus & multis vulneribus est confossus, primum contra vim sibi factam exclamans, & retrogrediens gladio suo se tueri frustra conatus, postremoque misericordiam implorans.

Cadet Ducis Guysij.

Cùm prostratus ita iaceret Guysius, Rex qui in proximo erat secretiori recessu, strictum gladium manu tenens, vt eum vel mortuum aut postremum spiritum ducentem videret, est egressus, curioseque vultum eius intuitus inquirebat num adhuc spiraret, cadauerque apud se secretè admodum asseruari curabat.

Atque ita idem Guysio accidit quod 18. ante annos in Laniena Parien si, Galliæ Admiraldo Regulo Chastillonio fecerat, quem spirantem adhuc & semianimem è fenestra præcipitari iusserat, studioseq; admotis facibus intuebatur an ipsus esset, quem necatum volebat, strophiolo suo sanguinem è facie eius abstergens, vt eum agnoscer et, atque ita corpus cruentum pedibus conculcans & protrudens, abiectißimis quibusque famulis & Caculis militaribus, omni genere ignominiæ afficiendum & ad patibulum protrahendum tradidit. Hinc iustum Dei iudicium etiam in hoc mundo videre licet.

Dum Guysius ita interficeretur, frater eius Cardinalis (quem sollicitum de eo in conuentu publico manifestè iam diximus) vocem exclamantis & vim patientis audierat, ideoque accurrere eo volebat cum filio Guylij, cum Duce Nemourfio fratre eorum vterino, Marchione Delbuef, Episcopis Lugdunensi & Ambianensi & alijs, interquos fuit Secretarius Guytij, sed prohibitià Regijs Marescallis fuerunt, qui euaginati gladijs omnes suo loco manere coegerunt, dicti Guylij Secretarius scedulam è fenestra arcis, in qua detinebatur, eiecit, in qua scripserat hæc verba. *Pour certain le Duc de Guise est mort.* id est, pro certo Dux Guysius est mortuus. Per quam scedulam Lugdunum allatam, certior factus est Dux Maynius de morte fratris. Quare fuga sibi consuluit & rebus suis, vt potuit, prospexit.

Cardinalis Guysianus interficitur.

Postea adductus est Cardinalis ad Regem, in Cameram vbi frater eius Guysius confossus iacebat. Sed post aliqua verba cum eo habita, reducitur, & postridiè etiam occiditur. Quod tum consultißimum visum est, quia multi pro eo intercedere, alios qui ad incrẽdendum instigare audebant, quod suspicionem non carebat.

Post paucos dies vtrunque cadauer in magno atrio aulæ est combustum, cineresque in auras & fluuium proiecti, cineres, inquam, eorum qui causa fuerant tantæ copiæ sanguinis effusi totque incendiorum & cinerum passim excitatorum.

Dux iste Guysius Henricus, fraterque eius Cardinalis, viri fuerunt magno ingenio & ad res gerendas apto, vt fuerat etiam eorum pater. Hi omnes ad summos honores semper aspirabant, ambitioni suæ Religionis zelum prætexentes. Cumque viderent, præfertim Dux iste, se ad successionem Regiam peruenire non posse prætextu stirpis Carolinæ, à qua stemma suum deduci fecerat, partem saltem Regni vsurpare aut maximam rerum administrationem in eo obtinere prætendebat.

Rex quam primum portas Ciuitatis Blesis claudi iussit, suumq; hoc factum apud Regni ordines excusauit, simulque Prouincias omnes & ciuitates de eo per literas fecit certiores, ostendens se hoc necessitate coactum fecisse, ne vitam ipse amitteret. Emisit etiam qui alios ciusdem factionis

factionis caperent, ciuitatesque & arces in potestatem suam redigerent, sed sero, nam cum Rex, vt dixi, præmetu factum accelerari iussisset, nõ potuit ita omnibus rebus prospicere, quin prædictæ ciuitates & arces citius ab aduersa parte certiores fuerint redditæ, quam per illum, vti iam diximus de Duce Maynio Guisij fratre. Vix enim horam intromissi erant coniurati Aureliam, cum Regij eo venirent, eademq; fortuna vsi sunt Regij Lugduni & alibi adeo vt quibusdam momentum temporis tantum defuerit ad rem bene gerendam. An. 1589.

Catharina Medices Regis mater, filia Laurentij Medices, Ducis Vrbini & Magdalenæ Comitissæ Bononiæ & Auerniæ, parum in hoc negotio potuit, quippe quæ tota iam erat in apparatu nuptiarum neptis suæ è filia & Carolo Duce Lotharingio, cum agnato suo Ferdinando Medices, Magno Duce Hetruriæ. (Quæ nuptiæ maxima pompa celebratæ sunt, Calend. Maij Florentiæ) tum etiam quod illa circa hoc tempus plerunque corpore male haberet, vnde paulò pòst cædem Guisij, 5. videlicet Ianuarij 1589. Blesijs defuncta est. *Mors Reginæ Matris.*

Fuit ista maximi ingenij & animi fœmina, sed valde ambitiosis, mirumque in modum dolosis affectibus, passionibusque mulierebribus obnoxia. Scribunt de ea Franciscus Guicciardinus & Paulus Iouius. Quod ipse Clemens VII. PP. Patruus eius, dum se excusaret Carolo V. Imper., quod eam ipsi vxorem non daret, affirmauerit prædictum in eius natiuitate fuisse, quod statum illius Principis, cui nuberet, destrueret. Fuit enim ambitiosissima, dominationem semper affectans, modo prætexu Religionis, modo alijs artibus in stitutum suum obumbrans. De cuius agendi rationibus integræ & iustæ Legendæ sunt conscriptæ. Oderat maximè omnium, absolutam auctoritatem filiorum suorum, quum Reges facti essent, particeps eius fieri volens. Cum Regnum fuit pacatum, tum inpacata fuit maximè, quia tum nemo eius opem aut operam requirebat aut implorabat. *Historia vitæ Reginæ Matris.*

Ideò simultates & lites serebat, Principes Regni, imò filios suos inter se committebat. Cum Rex Carolus filius eius, prouectioris ætatis factus, illam amplius non curaret, tum illa ad filium Henricum, qui proximè eum sequebatur, refugiebat, cuius auctoritatem summè euchebat, vt sic vnum deprimendo, alterum extollendo media inter eos constituta ab vtroque coleretur & obseruaretur. Quod dictus Rex Carolus sero tandem animaduertit.

Cùm Henricus ex Polonia accersitus, eius præsertim opera ad Regnum peruenisset, agnoscens quantum ipsi obligatus eo nomine esset, primis aliquot annis omnem Regni administrationem ipsi reliquit, voluptati se interea dedens. Verum vbi deinceps negotia Regni cognoscere, resque ipse administrare cœpit, aliud tùm refugium ad Franciscum filium natu minimum habuit, quem mirum in modum euexit, tandemq; ad Ducatum Brabantiæ &c. promouit. Quibus artibus effecit vt auctoritatem suam longò tempore fuerit tutata. Filio hoc defuncto, alias nouas inuenit in stituto suo inseruientes rationes, vtaque ad id tum est Guysianis & confœderatis. Duas res continuò & præcipua quasdam cura agens. Prima erat vt proximus Regni hæres ipsi esset obligatus, vt ad soluendi iam eucctus huius obligationis nomine, ipsi morem gereret. Secunda vt qui Regnum possidebat successorem suum in tanta auctoritate & honoris fastigio ab ipsa collocatum quodammodo vereretur, atque ob hanc causam, ipsam obseruaret, quia necessariò opera eius sibi esset opus. Quare cùm postremis temporibus Regem Nauarræum, tam ob Religionem, quam ob alias causas in stituto suo minus aptum iudicaret; per cõfœderatos, Guysianos, Ducem Lotharingiæ eiusq; filium natum è sua filia, turbas dare voluit, eosque iam in scenam prodire rat. Sed Rex cæde Guysianorum, conatuum istorum cursum omnem interrumpit, ipsisq; senio morboque confecta obijt. Relatum interea est ipsam Regi filio suo, dum morereturr, optima consilia dedisse, videlicet vt prima statim occasione, Regi Nauarræ, alijsq; sanguinis sui Principibus se sociaret, qui semper bonos veros que Francos se præstiterant. Nec à fide, debitaque obedientia vnquam vel latum vnguem discesserant, etiamsi Rex Religionis causa plurima bella ipsis intulisset, cum coptra Guysiani prætextu Religionis Regis vitæ & Coronæ insidias struxissent, simul monens satis iam pro Religione esse pugnatũ, finem belli fore prædicens, vbi Religionis libertas esset concessa qua ratione Regnum suum assereret. Quod si ante multos annos factum fuisset, iam quietum & potens Regnum possideret. Sperabat propterea si Rex cum Principibus Sanguinis sui se reconciliaret quod concordia illa iram Dei à Regno declinaret. *Mirabiles ambitiosæ artes Reginæ Matris.* *Consilium Reginæ Matris morbundæ datum filio Regi.*

Supplicium istud de Guysio & fratre eius Cardinalem sumptum, magnam in omnibus per Europam admirationem excitauit. In Gallia verò maximam rerum mutationem perturbationemque commouit, idque quia Rex ex improuiso & in ipso instanti, vt dicunt, seu temporis puncto, cui bus omnibus ita prospicere non potuit, quin confœderati, illique qui factioni erant Hispanicæ, cum præcipuis ex ordine Ecclesiastico iam irritati, & maxima indignatione contra Regem cõmoti. Primarias ciuitates contra Regem animarint, & rebellare fecerint. Et primum quidem in Aureliam, vt quæ Regi proxima tum erat, deinde Lutetiam. Interrogarunt aut Sorbonistas suos & Theologos Lutetiani, an populus Regni Galliq; posset liberari & soluì à sacramento fidelitatis *Sorbonistæ Parisienses populum à debita Regi*

Digitized by Google

An. 1588. fidelitatis & obedientia Henrico Regi præſtitæ, & an tuta conſcientia poſſit idem populus armari, vniri, & pecunias colligere & contribuere ad defenſionem & conſeruationem Religionis Catholicæ & Romanæ, ad verſus nefaria cõſilia, & conatus prædicti Regis, & quorumlibet aliorum illi adhærentium, & contra publicæ fidei violationem ab eo Bleſis factam, in præiudicium prædictæ Religionis Catholicæ, & Edicti Sanctæ vnionis, & naturalis libertatis conuocationis trium ordinum Regni. Super quibus articulis à 70. Doctoribus, cum Decano ea gratia congregatis, cõclusum eſt. Populum Sacramento ſolutum & liberatum, & licitè armari contra Regem in ea cauſa poſſe. Quam concluſionem inſuper viſum eſt eidem Pariſienſi facultati tranſmittendam ad Papam, vt eandem auctoritate ſua confirmaret. Qui dictam concluſionem probauit, Regemque excommunicauit ni Cardinalem Borbonium, adhuc captiuum, alioſque Eccleſiaſticos liberos dimitteret, eædemque Cardinalis Guyſij expiaret, pœnitentiamq; agens veniam peteret, Papa ad hæc ſpem etiam confœderatis auxilij ſui faciebat.

obedientia, & iuramento fidelitatis liberant. poteſtaſque eis facium arma contra eũ gerendi.

Sixtus V. excommunicat Regem.

Primariæ Galliæ ciuitates rebellant.

Principales omnes Galliæ ciuitates, Aureliam & Lutetiam ſunt imitatæ, videlicet Toloſa, Rothomagum, Lugdunum, Ambianum & quædam aliæ quæ anno 1572. tempore Lanienæ Gallicæ, plurimum præ cæteris ſanguinis effuderant, tanto in hac re correpti zelo, impulſu inſtinctuque præſertim Eccleſiaſticorum, vt Regem quamuis maximè Catholicum plurium ſcelerum accuſarint, infamioribuſque acignominioſioribus contumelijs affecerint, quàm vnquam quempiam alium fuiſſe vidimus, legimus, vel audiuimus. Nec in ſuggeſtu ſolum (è quo ſermo veritatis ad ædificationem populi prædicari ſolet) ſed alijs omnibus in locis, & congreſſibus, nomen eius diffamarunt, Titulum & inſignia Regia paſſim deijcientes & eradentes. Imaginem eius ad patibulum trahentes, & ſuſpendentes: magnum inſuper famoſorum libellorum numerum varijs linguis in vulgus diſperſerunt, & publica auctoritate munierunt, adeò vt nec in antiqua, nec in moderna hiſtoria, ſimilia nulli videre, aut intelligere, vnquam contigerit. Regem vſque adeò Catholicum Romanum, & Religioſum, vt ſeueriorem longè ordinem Franciſcanorum inſtituerit, quique indies peregrinationes ad varia templa, Religionis & indulgentiarum ergo, ſuſcipiebat, appellabant Maledictum hæreticum, Tyrannum, Latronem, Sicarium, Proditorem, Pſeudochriſtianum, Hypocritam, periurum, nebulonem, Nigromanticum, Sodomitam, in ceſtuoſum, ſanguiſugam, ſacrilegum. Denique quidquæ præterea criminum, & ſcelerum excogitari poſſet, eorum, Regem ſuum accuſabant. Nullo non ludibrij irriſioniſque genere eum excipientes, vt ſimiliter nunquam vlli vel gentiles, vel hæretici in Tyrannum vllum fuerint inuecti. Inter famoſos iſtos libellos. Latinus quidam Lugdunianno 1591. apud Ioannem Pillehote impreſſus extat, qui mirabilia eius generis continet. Allegantur enim in eo leges ciuiles & Canonicæ, quibus non ſolum confœderatorum iſtæ agendi rationes approbantur & confirmantur, ſed Belgarum etiam cauſa fatis clarè defenditur, in eo quod ad tuendam vitam Religionem, & Priuilegia, arma contra Regem ſumpſerint. In quo tamẽ confœderati Belgas rebellionis ſemper accuſarunt.

Inaudita & nefaria criminationes Regis & confœderatis impoſita.

Rex Franciæ cum Rege Nauarræ vnitur.

Rex ſe à ſubditis ſuis ita oppreſſum videns, qui præfecto ſibi Duce Maynio, ſub prætextu Sancti fœderis, ipſum hoſtiliter inuadebant; poſt longas multaſq; deliberationes, coactus tandem fuit, cum Rege Nauarræ primo ſanguinis ſui Principe, ſe vnire, cuius videlicet præcipuè intererat, Rem Gallicam ſaluam eſſe, perſuadebaturque à prudentioribus ſuis Catholicis Rex, Regem Nauarræ pro hæretico, Barbaro, Saraceno, Turca, Iudeo, aut Idololatra haberi non poſſe, quod nunquam adhuc hæreſeos eſſet conuictus. Ac proinde pro Chriſtiano Principe potius habendum, qui eundem cum Catholicis Deum verum, & ſaluatorem adoraret, eaſdem ſcripturas ſacras, eandem fidem Catholicam, eandemque ſalutem crederet. Quemque rebelles ipſi antehac in auxilium & fœdus ſuum vocaſſent.

His rationibus perſuaſus Rex, inducias vnius anni cum Nauarreo init, ea lege, vt Nauarreus in hoc bello ipſi militaret. Proteſtatus interea ſe ad hoc faciendum, ſumma neceſſitate (ad quã rebelles eum impulerant) fuiſſe coactum. Qua in re aliud ſe non reſpicere aſſerebat, quam conſeruationem Religionis Catholicæ, vtilitatemque publicam bonorum fideliumque ſuorum ſubditorum. Nam hac ratione inuaſio omnis & vis, quam Nauarræus contra Catholicos parauerat, impediebatur. Omneq; malum quod fortè ex eo ſuo facto prouenire Romanæ Religioni poſſet in confœderatos conijciebat, qui hac ſua rebellione cauſam eius faciendo prębuerant.

Reges Galliæ & Nauarræ conueniunt ſe mutuo amplexan es. Pralium Senlianum.

Poſt hæc Reges ambo magna omnium admiratione & congratulatione Bleſis conuenientes, poſt fraternam compellationem, mutuoſque amplexus, vires & copias coniunxerunt: Interea Dux Longeuilleus cum Regulis de Humieres, Bonniuet, De la Noue, Du Giurij, & alijs, decimoſeptimo die Maij, Ducem Aumalium qui iunctis copijs Pariſienſium oppidũ Senlis in Picardia obſidebat) vi loco cedere coegerunt, liberatoque iam oppido, Aumalium cum ſuis perſequuti, 2000. ex eius militibus ceciderunt, reliquis profligatis, machinis tormentis inſignibuſque bellicis omnibus ipſis ereptis. Paulò poſt hæc Rex Pontoyſium occupat.

Dein Reges potenti manu Parienſienſem obſidionem iunctis viribus ſunt aggreſſi, ſperantes

rantes se vrbem nondum satis munitam, & adhuc fluctuantem in potestatem breui posse redigere, præsertim cum multis ibi adhuc tibi addictos haberent. Ibi Rex Franc. ad Dumnum Cloudijin castris cum suis agens, à Monacho Dominicano, Iacobo Clemente dolosè interficitur. An. 1589.

Henricus Rex Franc. à domi nicano Iacobo Clemente interficitur.

Monachus iste natus 23. annos à quibusdam sui Ordinis, itemque à Guysianis inflagitatus ad hoc facinus fuisse dicitur. Inter quos maximè accusatur vidua Ludoici Ducis Montpenserij, interfectorum Guysiorum soror, cum Matre sua Ducissa Nemoursij, cum quibusdam alijs, quorum alij odio alijReligionis prępostero zelo impulsi fuere, credentes se in eo, gratum Deo, & Reipub. officium facere. Hic monachus promissis æternæ salutis animatus, alijsque multis adhortationibus confirmatus, Parisijs cum literis probè fictis artificioseque sigillatis, est egressus, instructusque ijs mandatis, quæ cucullam eius Monachalem non sapiebant, primo die Augusti multo mane ad Sanctum Cloudum venit. Iubet Regi significari se Parisijs missum à quibusdam Regi addictis, quos nominabat. Secretaque quædam ab ipsis afferre, quæ Regi cuperet communicare. Hæccum Regi essent nunciata (qui modo è lectulo surrexerat, seque adhuc vestiebat) Rex monachum in conclaue suum vocari, suosque secedere inde iubet. Qui ingressus literas Regi tradidit. Quas dum legere Rex cœpit, cultellum venenatum è manica extraxit, & in ventrem Regis adegit. Quem è corpore suo Rex ipse extrahens clamauit, monachumque eodem petens læsit. His nobiles & ministri eius superuenientes, monachum in primo feruore iræ suæ trucidarunt, & postea combusserunt. Vulnus à medicis & chirurgis inspectum & attrectatum mortale non iudicatur. Quod Regi ijsque qui cum eo erant, animum, addidit qui statim suos per literas vbique de hoc facinore fecerunt certiores. Verùm cum circa vesperum, vulnus recrudescere, & inflammari ob venenum, quo cultellus fuerat infectus, cœpit: Medicique ex eo mortis periculum esse iudicarent: Rex iterum ad se Regem Nauarræum in præsentia aliorum Principum sui sanguinis, officiariorum Regni & Ductorum exercituum accersiri iubet, eique Regni sui administrationem committit; reliquis in mandatis dans vt debitam ei obedientiam præstarent, Regnumque & subditos conuenienti commendatione, & magna protestatione ei tradens; iusiurandum ab eo exegit, quod Regnum pacificè gubernare, & vtramque Religionem permitteret ac protegeret, donec vtili aliquo, Sancto, Generali, seu nationali concilio, ea de re certi quid esset constitutum. Atque ita ad mortem se parans postero mane 22. hora postquam vulnus accepisset, diem obijt. Corpus eius aromatibus conditum aperto currui est impositum, & per exercitum, remque cum exercitu per multa oppida & ciuitates vectum, vt ad mitericordiam & vindictas subditi commouerentur. Tandem Compiegni sepelitur.

Henricus III. moritur.

Parisienses vt & aliarum multarum ciuitatum confœderatarum incolæ, maxima ex hac cæde lætitiam conceperunt, multique ex magnatibus, diem festum præ gaudio celebrarunt.

Mira res & vix audita, vt Rex adeo Catholicus à monacho interficeretur. Tum singulare opus prouidentiæ diuinæ, quod à tali hoc sit factum, per quem Rex Nauarræ omni culpa & suspitione liberaretur, quo alias, sine vllo dubio, grauatus ab aduersarijs fuisset, vt ea ratione, à iure Regni excluderetur. Mirabile etiam hoc Dei opus fuit. Quod sic stantibus in Gallia rebus, Regno in multas partes diuiso, Deus Nauarræ Regem tamquà manu apprehensum, ad Regem in mediam Galliam duxerit, inque medio Principum & officiariorum Regni constituerit. Denique potentem exercitum ei in manus dederit, cuius opera ad Regnum, sibi viam faceret. Ex quo iudicium facere hostes eius debent, ipsos parum contra illum valituros. cui Deus tam manifestè fauerit: nam secundum hominum captum, fieri non posse videbatur, vt eo peruenire vnquam posset.

Rex ergo Nauarræ, Gallorum Regnum suscipiens Henricus eius nominis III. appellatur, iusiurandumque rursum Ordinibus, Regnique Prouincijs præstat, se eos protecturos, vti bonum Regem decet. Particulariterque Catholicis promittebat, se eorum Religionem libertatemque sartam tectam conseruaturam. Quod verò personam eius attinebat, sanctè pollicebatur, quod se submittere vellet libero alicui Concilio generali vel nationali, aut etiam illi qui meliora doceret. Nec Reformatæ Religionis exercitium introducturum, vbi ante non esset, donec publico consensu aliter esset prospectum. Officiarijs Coronæ, Nobilitati alijsque Ordinibus sua Priuilegia confirmabat. Denique iurabat se cruentam recentemque adhuc Regis cædem, pro exigentia Iustitiæ, vlturum &c.

Rex Nauarræ factum Rex Franc. Henricus III. vocatus iuratis se Catholicè Religionem protecturum.

Ad illa, Principes Regij Sanguinis, alijque Principes, Duces, officiarij Coronæ, Comites, Barones, equites, &c. Iusiurandum fidelitatis debitæque obedientiæ ei præstiterunt, simulque se ad vlciscendam defuncti Regis sui mortem, iureiurando suo obligarunt.

Nouo hoc Rege in Regno ita constituto, etsi morte defuncti Regis occasio odij sublata videbatur; nō potuerunt tamen præcipuæ Galliæ ciuitates, & confœderati adduci, vt se dicto Regi subijcerent, sed auxilijs Papæ, Regis Hispaniarum, Ducum Sabaudiæ, & Lotharingiæ freti, in rebellione sua perseuerarunt. Quanquam multo maior potiorq; nobilitatis pars ad Regis partes tum transierit. Verum cum Princeps sit fortis & bellicosus & ad arma & inter arma natus; fœliciter

An. 1588. fœliciter procedit in rebellibus istis puniendis & in ordinem cogendis vti ex sequēti narratione breuiter apparebit.

Historia Geertrudenbergica.

Egimus supra de seditionibus præsidiariorum diuersorum oppidorum in Belgio & præsertim Geertrudebergæ. Quæ tandem perdita ea ratione est, & in Hostium potestatem venit. Historiam eius breuiter ab initio narrabimus. Geertrudeberga oppidum est situm in Meruvva siue Vlacka vulgo dicta, quæ Regio inundata quodammodo est à Rheno, & Mosa, è regione Dordraci, pertinetque ad Principem Auraicum, oppidum diue admodum & fructuosum piscationibus, quæ frequentissimæ ibi sunt adeo, vt vno die sæpe octodecim millia Stuionum, Salmonum, piscium que quos Elfe vocant, retibus capiantur.

Oppidum istud inter Hollandiæ limites numeratur eaque gratia, iusto militum præsidio muniri solet.

Cùm præsidiarij isti, quorum plerique erant veterani, anno 1588. seditionem mouerent, 10. Martij scripto in lucem edito declararunt, quod ab eo tempore quo Reginæ Angliæ iuiurandum præstitissent, magnæ discordiæ & simultates inter milites Prouinciarum & ciues dicti oppidi essent ortæ, quæ non mediocre periculum saluti dicti oppidi afferrent, illudque in certissimum discrimen conijcerent. Quæ mala omnia orta præcipuè esse dicebant ex malis agendi rationibus, inconsideratis imprudentibusque sermonibus Comitis ab Hohenloe, qui frequens in ore illud habebat, & passim spargebat, se potius Hispani quam Angli partes sequuturū. Quibus verbis præsidiarios ad periurium & perfidiam incitare velle videbatur. Fructum horum sermonum agendique rationem fuisse perditionem oppidi Sluisensis, irritam infructuosamq; arcis Brakelæ obsidionem, multaque eius generis alia. In tempore propterea contra maleuolorum conatus sibi prospiciendum esse dixerunt. Primum itaque stipendium sibi debitum solui petierunt. Qua in re cum sibi ab Ordinibus nullis conditionibus satisfieri paterentur, eo insolentiæ progressi sunt, vt hostiliter se contra Ordines gererent, lacerati & disruptis; signis suis militaribus, contributionibusque Brabantiæ in suum commodum & solutionem (vt dicebant) conuersis. Tandem ægrè adducti eò multis instantijs sunt, vt Baroni V Villōgbeo, Anglicarum copiarum in Belgio tum Præfecto, aurem præberent. Deputati ergo illorum cum alijs, 26. & 27. Iulij 1588. conuenientes in naue bellica, quæ in propinquo ad excubias agendas erat collocata, primum veniam eorum quæ 10. Martij præterriti commiserant sibi dari petierunt. Postulârunt deinde vt sibi liceret in præsidio Geertrudebergensi manere sub imperio V Villōgbei, aut Ioannis V Vingfeldij equitis, qui sororem V Villōgbei viduam Comitis Cantij duxerat, aut alterius cuiusuis, qui nomine Reginæ Angliæ ipsis præesset: Tum vt à Regina in numero copiarum auxiliarium, quas Prouincijs vnitis præstabat, haberentur, & sic Reginæ stipendium vna cum Anglicis copijs acciperent. Denique vt, si quid eorum quæ dictis articulis proposita erant, ab Ordinibus Vnitarū Prouinciarū nomine obseruaretur, V Villongbeus id suppleret, simulq; vlcisceretur tanquam iniuriam factam militibus Maiest. Anglicanæ. Præter hæc omnia, plenam stipendij solutionem sibi numerari petebant.

Seditio præsidiariorū Geertrudebergensium.

Articuli petiti à Geertrudebergensibus propositæ.

Ordines & Mauritius omnes istas conditiones facilè admiserunt, verum hoc exigebant vt post stipendium ipsis solutum, quicunq; eorum in præsidio illo militare cuperent, redigerentur ad vnam cohortem peditum 150. & vnam turmam 150. equitum, quorum 100. essent hastati & 50. sclopetati. Reliqui conscriberentur inter cohortes Anglicas quas Regina alebat Bergæ ad Scaldim, vbi stipendium tractationemque more reliquorum Anglorum, haberent præstito scilicet sacramento quod auxiliares copiæ solent. Item vt V Villongbeus cum sua cohorte in propria persona oppidum ingrederetur; præsidiarijque in numerata pecunia acciperent 20. mentium plenum stipendium, seu 200, millia florenorum, præter summam quam mutui nomine iam acceperant. Prædicebant præterea Ordines Hollandiæ (vt fecuri fierent à dolo quem metuebant) se dictas pecunias antè nō numeraturos, quam Mauritius & V Villungbeus promitterent, oppidum illud à Prouincia Hollandiæ non iri seperatum, atque ad maiorem cautionem & fecuritatem, iusiurandum in tali casu solitum à præsidiarijs exigi postulabant, &c.

Cùm has conditiones cautionesque vltro citroq; darent & acciperent, V Villōgbeus seorsim cum præsidiarijs longe alijs conditionibus conuenit. Quod facile potuit ob plenam potestatem quam Ordines Hollandiæ ei dederant, ideo, quia ipse & V Vingfeldius Ordinibus sanctè promiserant se oppidum Geertrudebergæ in Hollandorum aut Mauritij manus tradituros, quod ob hanc causſam facere se velle dicebant, quod Regina Angliæ ipsis scripsisset, ipsis negotijs dicti oppidi immiscere sese nolle. V Villōgbeus igitur hoc iam agens, maius periculū se euitare existimans, in bonum finem omnia faciens, imperitus & ignarus doli & technarum veteranorum istorum militū, passus est sibi ab illis imponi, & se vana spe illudi. Ita factum est vt plusquam 216. millia florenorum præsidiarijs fuerint numerata, & pro vna equitum turma, de qua inter partes conuenerat, duæ sint confectæ. item q; duæ etiam peditum cohortes præfecto ipsis V Vingfeldio, nullis bonis officiarijs ei iunctis, nulloq; sacramento, vt pollicitierant,

Præsidiarijs Geertrudebergensibus numerantur 216 millia florenorum.

à præsi-

Digitized by Google

à præſidiarijs præſtito. Sed planè contra expectationem Ordinum præſidiarij iſti cum nouo præfecto V Vingfeldio genio indulſerunt, pecuniiſque quas acceperant, conuiuia, ſumptuoſaſque epulas extruxerunt. Hoc ſolum ſtudentes, quo retinere dictam pecuniam poſſent, quia inuitis Ordinibus eam ſibi datam eſſe probe ſciebant. An. 1587.

Ideo ſuæ cum ſuſpecta omnia haberent, ip poſterum de ſolutione ſua ſecuri eſſe voluerunt. Quo factum eſt vt in omne genus inſolentiæ eruperint. Qua de re Mauritius & Ordines apud V Villoghium grauiter conquerentes, ipſum vt malo huic mederetur rogarunt. Cumque eodem tempore quidam ex præſidiarijs Geertrudebergenſibus ciuitati Bergenſi ad Scaldim auxilio eſſent profecti, omnè dederunt operam, quo eos ibi detinerent, impedirentque, quo minus ad præſidium ſuum redirent, reliquoſque qui in præſidio erant, ad officium faciendum cogerent. Quam rem præfectus militiæ Norritius, qui tum eo Legatus à Regina venerat, rogatus ab Ordinibus, operam ſuam omnem eſt pollicitus.

Verum V Villoughius dum nimis dulcibus lenibuſque remedijs vtitur, nihil effecit. Quin contra Præſidiarij animadiuertentes Ordines quicquam contra ipſos moliri, ciuibus ſuis arma omnia eripuerunt, naues præternauigantes ſpoliarunt, omnibuſque telonijs & contributionibus manum iniecerunt, literas ſalui conductus Ordinum patibulo affixerunt, ciuesque incentem regionem ad contributionem coegerunt. Denique nihil eorum quæ ab hoſtibus fieri ſolent omiſerunt. *Geertrudeber genſes iecerunt ſeditionem.*

Moniti de his extraordinarijs agendi rationibus præſidiarij, literis ſuis 27. Nouembris datis à Præfecto V Vingfeldio, & Anglicis aliiſque Capitaneis ſignatis proteſtati ſunt, ſe morituros potius omnes, quam cuibus arma reſtituerent. Cumque à Norritio ad expeditionem Portugalliæ (cuius cauſa Legatus à Regina venerat) & ab ordinibus inuitarentur, aut ad liberandam obſidionem V Vachtendonckranam vocarentur; dixerè reſponderunt, ſtatutum ſibi eſſe, hoſti potius, quam Mauritio aut Ordinibus militare.

Vbi iſtorum inſtitutum conſultumq; reſciuerunt Mauritius & ordines, animaduerterunt que eos, transfugas omnes ad ſe recipere, aliosque præſidiarios ad ſimilem rebellionem inſtigarunt: tam que certò nunciatum ipſis eſſet, Geertrudebergenſes ſa ſecundo die Februarij, millesimo quingentesimo octuageſimo nono cum Parmenſi contrahere cœpiſſe, videntes Mauritius Ordinesque prædicti, Nec V Villoughium, nec Norritium, nec conſiliarium Bodium, remedium parto malo afferre poſſe, ipſum que adeo V Villeghium in Angliam proficiſci, poſt maturam ſuper hac re deliberationem habitam, Geertrudebergam terra mariq; obſidere ſtatuerunt; tam vt periculum, in quo ipſum oppidum verſabatur, auerterent, quàm vt circumiacentia loca, quibus, eius occaſione, malum imminebat, conſeruarent. *Mauritius aliique Geertrudeber gam.*

Ita factum eſt vt decimo quinto Martij Mauritius cum exercitu oppidum acceſſerit, amicaſque literas à præſidiarios, per tympaniſtam dederit. Quibus ſignificabat ſe intellexiſſe V Vingfeldium aliosque Capitaneos cum hoſte contrahere velle. Quia ex re, quanta ipſos infamia & periculum manebat demonſtrabat, bonaſque conditiones conueniendi ſecum ipſis ſimul proponebat. Ad quæ V Vingfeldius cum alijs Capitanis reſponderunt, ſe ab hoſte potius auxilium petituros, quam Mauritio aut Ordinibus ſe ſubijcerent, tympaniſta ſeu nuncio Mauritij ſuſpendium minitantes.

Cumq; vicina ciuitas Dordracenſis ipſis etiam ſcriberet, V Vingfeldius literas arreptas publicè dilacerauit, nec legere quidem eſt dignatus. Denique cum V Villoghius literis ſuis decimo octauo Martij ad fororium ſuum datis, eum rogaret, vt inde potius ſe reciperet, quam eius præſentia offendiculi cauſam vllam præberet. V Vingfeldius 20. Martij, in hunc modum ei reſpondit. Quia à Mauritio accuſabatur, quod tanquam peregrinus, qui nihil ibi proprij, lucrum potius ſuum & commodum quæreret, quam honorem aut Reipubl. bonum (vt ea ratione militum animos ab eo alienaret, contraque eum irritaret) ideo ſe reſpondere ad illa. Quod omnes qui talia de ſe ſpergerent, mentirentur, hocque ita eſſe gladio ſuo tueri ſe velle ciebat. Ad hoc quod de præſidio illo deferendo ſcriperat V Villoghius, fidem ſe dediſſe præſidiarijs dicebat, quod cum illis ibi viuere vellet & mori, quandiu ſcilicet illi oppidũ pro Maieſtate Anglica, aut communi Prouinciarum bono tueri & propugnare (vti ſacramento obligati erant) vellent. *Reſponſum V Villoghei. ad literas V Villoghei.*

De dicto oppido, Mauritio Auraico aut Ordinibus tradendo, certum ſe eſſe affirmabat, præſidiarios illud potius hoſti tradituros, quia iam omnes id erant proteſtati. De victu & annona neceſſaria, in menſem adhuc oppido eſſe proſpectum, tantoque tempore pro Regina & communi Reipub. bono illud conſeruaturum, & ſi interea nemo ipſis ſubueniret, coactos fore, ad facienda ea, quæ non libenter alias facerent, &c.

An. 1589. Interea Mauritius oppidum summa vi oppugnabat, mœnia tormentis machinisque bellicis percutiens, contraq; præsidiarij in ipsum tormenta sua explodebãt, adeò vt ex Mauritianis interfecti fuerint, Adrianus Cornelij, bellicq; nauis Præfectus, Capitanei Brederodus, & von der Aa. Item Landas Præfectus satellitij Mauritiani. Vulnerati ibidem sunt Dominus Ioannes von der Doest/ Viceadmiraldus, Hollandiæ, & Capitaneus Sydenburgius, cum alijs ad numerum facile 50. qui ibi sunt desiderati. Inter quos fuit Marescallus Villers, qui globo ictus, paulò pòst inde obijt. Vir supra omnes, qui tum apud Belgas militabant, in re militari exercitus: & à bona fide in patriam summè commendatus.

Geertruden berga tormen ta percussa.

Marescallus Villers cæsus.

His tamen non perterritus Mauritius satis magnam mœniorum ruinam facit. Quumque per ruinam oppidum inuadere iam pararet, Præsidiarij pactum quoddam fictitium proposuerunt. Huic postridiè superuenit ingens tempestas, adeò vt machinarum, quæ nauibus vehebantur, vsus non esset, quia eleuatione aquarum machinæ nimis altè iacebant, quam vt ferire oppidum possent.

Interea notatum est, tam ex signis, quæ noctu facibus fiebant, quam ex literis, quæ de mœnibus Bredanis deijciebantur, Geertrudebergenses clandestinas cum hoste communicationes habere, postquam Bruxellis literas à Parmensi 24. Martij datas & alteras Breda 29. Martij datas ab Odoardo Lansavechia accepissent. Tum etiã quia iam Parmensis ipse, Bredam, quæ duobus tantum milliaribus abest, venisset.

Mauritius nunciat Geertrudenbergen sibus veniam delictorum et fœcus.

Quamobrem statuit Mauritius inde recedere, vt ipsis (quatenus fieri poterat) occasionem eriperet, dicendi se coactos fuisse hosti se dedere, sperans hoc suum factum, apud synceriores cordatioresque inter ipsos, pondus aliquod habiturum. Ea gratia 2. Aprilis veniam delictorum, certamque securitatem nunciari ipsis curauit, certiores eos faciens ipsos vana spe fauoris Reginæ Angliæ, quam ipsi sibi promiserant, deludi, actusque & instrumenta quædam ipsius Reginæ, ea de re facta, ex quibus rei veritatem discerent, eis transmisit, monens interim quàm turpem & ignominiosam periurij maculam sibi inureret.

Quarto Aprilis alteras ad illos literas dedit quas Liuino, verbo Dei ministro commisit. His sanctè affirmabat, se Capitaneorum aut officiariorum, vel alicuius è præsidiarijs, mortem non expetere, sed securitati eorum omnibus modis velle prospicere, etsi qui eorum sibi adhuc militare vellent, se eos, eodem loco quo reliquos habiturum promisit, reliquis copiam faceret, eo quo vellent se recipiendi, bonaque sua omnia secum asportandi, hoc solum requirens, vt oppidum sibi saluum asseruaretur.

Ad quas eodem die quarto Aprilis responderunt, certo sibi constitutum esse in præsidio suo manere, ibique, vt ante Reipubl. inseruire, præfectumque ac gubernatorem quem vellent sibi eligere.

Præsidiarij Geertrudebergenses oppidum Parmensi vendunt & tradunt.

Quinto die Aprilis iterum à Mauritio plena securitas ipsis denunciatur & promittitur, fidesque publica datur omnia quæ præterea impetrare vel contractu fieri sibi stipulassent, accuratè ipsis fore obseruata. Postulans vt aliquos è suis deputarent, quos ea gratia ad ipsum ablegarent: sed frustra, quia nono diè Aprilis Legati Parmensis intromissi, à præsidiarijs sunt, cum quibus ante contraxerant, & iam pro 15. mensium stipendio oppidum tradere promiserant, quod stipendium acceperunt. Nec fuerunt inter omnes illos variarum Nationũ milites, præter duos, qui se Mauritio dediderint, tantum potuit auaritia in perfidis periurisque istis hominibus, à quibus Religio & pietas omnis exulat.

Conditiones à Parmensi ciuibus & præsidiarijs Geertrudebergensibus cõcessæ.

Conditiones ciuibus oblatæ fuerunt valde tolerabiles. Generalis videlicet delictorum venia, libertasque data vel manendi vel abeundi ad spatium duorum annorum, sine vlla Religionis inquisitione, omniaque Priuilegia eis fuere confirmata, præter ea quæ Regis auctoritati adscripta fuerant, eis restituens. Et si qui ex illis militare ipsi nollent, ijsdem Priuilegijs vti nihilominus poterant, sexque menses adhuc in oppido manere. Potestas insuper ijs facta est legitimis iuridicisq; rationibus debita sua repetendi, quæ Brabanti, Hollandi aut Zelandi, vt ex contributionibus caperent, ijs assignarant.

Vtque illis ostenderet, se agnoscere gratum seruitium, quod Regi præstiterant, Præter decem mensium stipendium, quod eis ex contractu debebatur; pro honorario insuper ipsis numerauit, quinque aliorum mensium stipendium, vt citius exire inde possent. Præterea omnibus qui

Digitized by Google

bus qui ex Regis copijs ad eos transfugerant, in eorum gratiam venia delictorum est concessa. Omnes captiuos, quos cœperant, & cum quibus de redemptionis prætio conuenerant, non nisi lytro soluto liberarent, exceptis personis Ecclesiasticis, quos sine prætio dimittergnt. Ioanni VVingfeldo, & Carolo Honingho Anglis copia fiebat, quo se vellent, cum familia, bonisqua & Cæmelijs recipiendi, literæque salui conductus ad eum finem eis sunt datæ. Acta sunt hæc Bredæ in nomine Regis 10. Aprilis, 1589. An. 1589.

Præsidiarijs hoc modo post acceptum stipendium & honorarium, oppido egressis, Carolus Mansfeldius eodem die cum suis intrauit. Ordines verò Generales vnitarum Prouinciarum, Præfectos Capitaneos & milites Geertrudebergenses vt sceleratos & perfidos proditores proscripserunt, suspendioque tollendos publica sententia pronunciarunt, vbi vbi inueniri possent, pro singulis militibus, qui captiui ad ipsos adduci possent, 50. florenos, & pro singulis officiarijs, 100. florenos, & captiui bona, præmij loco, promittentes. Fuerunt quæ omnia eorum nomina ad 650. in dicta sententia expressa, & locis publicis affixa. *Præsidiarij Geertrudenses suspensione signis ab Ordinibus includuntur & proscribuntur.*

Horum præcipui fuerunt Ioannes VVingfelt Anglus præfectus, Florentinus von Dorpe/vulgo Lange Floor, præfectus Vigilum, Henricus von Krebboom/alias Nues, Vicarius. Gerardus Abrahami, &c. Ecbebecken/ ligniferi cuiusdam turmæ. Thomas Lommelo, præfectus legionarius. Carolus Honninges & VVillielmus Thomas Capitanei, cum suis Vicarijs, ligniferis, tam turmarum quam cohortium.

Milites isti Geertrudebergenses paulò pòst inter Parmensis militiam in magnum venerunt contemptum, deriſique passim ab omnibus, contumelijsque affecti, MERCATORES sunt vocati, multiq; eorum à militibus vnitarum Prouinciarum capti, suspensi statim ad exemplum aliorum, hinc vlla misericordia fuerunt; nec potuit quisquam eorum reconciliationem obtinere, per vllas amicorum intercessiones, aut vllas culpæ excusationes. VVingfeldius cum Bredæ aliquandiu ad soluenda debita, à socijs fuisset detentus, tandem clam in Angliam traiecit vti & Honninges alijque cum eis Angli vbi inglorij iam viuunt.

Ordines in sententia & proscriptione militum quam publicauerant, dum seditiones eorum narrant, VVillongbei etiam mentionem fecerunt. Contra quos ipse in Anglia libellum Apologeticum Gallice & Belgicè publicauit. Verum Legati Ordinum qui in Anglia tunc erat, apud Reginam de libello illo dolentes & protestantes, receperunt se probaturos falsa esse omnia, quæ ibi maximè in præmio à VVillongbeo, contra Ordines erant posita. Quare Reginæ iussu prohibitus est dictus libellus & exemplaria omnia reuocata.

Amissio ista Geertrudebergæ damnosa fuit vniris Prouincijs, sed primo statim tempore fluminis transitus obsederunt, nauibusque aliquot bellicis piscationes, viamque sibi liberam fecerunt.

Comes Mansfeldius cum maiori parte copiarū Heusdam se recepit, quod Brabantiæ oppidum est & vicinam dictæ Bergæ. Huic præerat Dominus de Famars præsidio satis instructus; statuebat Mansfeldius locum hunc eminus obsidere, tam vt impediret præsidiariorum excursiones, quam vt commeatus aduectionem prohiberet, & sic tandem fame pressas subigeret. Ingressus etiam Regionem Bommelverdt, quæ plana est, Bommelenſique ciuitati paret, occupauit ibi arces Hemert, & Brakelam cum alijs vicinis. *Comes Mansfeldius obsidet Heusdam occupat Hemert & alias munitiones.*

Bommelam quebratagemate secreto, opera quorundam amicorum quos ibi habebat, libens expugnasset, sed artes eius fuere detectæ, cuiusque amici in ciuitate apprehensi capitis supplicio fuere affecti. Ditionem Hemertensem deferere propter inundationes est coactus, dicta arce tamen adhuc in potestate retenta. Expugnauit etiam Seuenbergam cum arce, sed munitionem, quæ in vicinia extructa est, capere non valuit. Quæ causa fuit cur Seuenbergam paulò pòst deferere cogeretur.

Mense Maijo tres equitum turmæ videlicet Mauritij, Marescalli Villersi iam defuncti, & præfecti legionarij Chinskij, egredientes inciderunt in Geertrudeberganos præsidiarios aliosque eorum socios, qui eos ad Ossam propè Buscumducis profligarunt, captus ibi est inter alios Capitaneus Ryfoire & Vicarius Chinskij, cum multis alijs. *Tres turmæ Ordinum profligatæ.*

Dum Mansfeldius, Dux Pistranus, & Princeps de Ascoli, cum multis nauibus & scaphis, nauticisque arcem Heylam in insula Bommelensi obsident, Mauritius, Hohenloius & Solmsius, mense augusto, collatis ex vicinia præsidiarijs, Heusdenſibus commeatum & subsidium attulerunt, idque in conspectu hostilis exercitus, qui obsidione eos premebat. Arx Heila summa vi interea oppugnatur & plusquam 900. tormentorum ictibus percutitur. Quamobrem præfectus eius Sydenburgius 24. Augusti arcem hosti tradidit, inuitis & contradicentibus suis militibus, quorum maior pars eius occasione & impulsu est cæsa. Quare & deinceps à partibus Hispanorum mansit. *Heila à Parmenſi expugnatur.*

Digitized by Google

An. 1589. Exercitus Parmenſis inde Louenſteinium venit, quæ arx eſt ad extremam oram Inſulæ Bommelenſis, ibi munitionem extruxit, ſperans ſe ita Louenſteinio potiturum, ſed obortis paſſim ibi inundationibus coactus fuit inde diſcedere.

Cùm iam dictus exercitus Parmenſis per obſidionem Heuſdanam, expugnationem Hemertenſem, Heylenſem aliarumq; munitionum ſibi iam ſatis cautum & tutum in ea parte exiſtimaret, Ductores eius menſe Septembri fluuium Mozam traijcere ſtatuebant, animo inuadendi Tiletanam ditionem, vnde Buram pergerét, aut Traiectum. Verùm Hiſpani, orta inter ipſos & Italos ſeditione (quam Paſtrana & Aſcoly contra Parmenſem alere credebantur) fluuium traijcere recuſarunt. Clamantes *Viue il Re, Fuora il mal gouerno.* Cumque Mansfeldius cogere eos veller ſclopetis bombardiſque ſuis eum petierunt, ac fugarunt, ſeque in præſidium ciuitatis Grauæ receperunt.

Hiſpanorum ſeditio in exercitu Parmenſi. Id eſt, viuat Rex fora proijciamus malam guber nationem.

Cumque Mauritius, collectis iam viribus, tranſitum ipſis paſſim prohiberet, arcem Heilam iterum munitionibus circunſtructis obſidens; factum eſt vt Miles Parmenſis inſtáte hyeme excitum diſſoluere fuerit coactus, inſtructiſque de conuenienti Præſidio arcibus Hemert & Heila, aliiſque ſuis munitionibus ad oſtium fluuij Dyſæ prope Buſcum ducis, inde diſcedere.

Blienbeka à Varrabone occupata.

Obſidebatur eodem tempore Blyenbeka à Marchione Varrabonenſi, Burgundo, Geldriæ præfecto, à menſe videlicet Maijo. Is plurimis tormentorum ictibus oppidum percuſſit. Maximum enim congeſtæ terræ aceruum ſeu collem (vulgò Catte) ante oppidum exerarat, è quo bombardis ſuis obſeſſos in mœnibus pugnare prohibebat. Multi tamen ex obſidentibus fuerunt cæſi, interque alios architectus Piatto.

Tandem cum plerique Capitaneorum eſſent interfecti, interque reliquos nullus eſſet imperandi aut obediendi ordo, contentiones ortæ inter eos ſunt, per quas factum eſt, vt quadraginta militibus ejectis, reliqui qui manſerant, arcem 24. Iunij hoſti tolerabilibus conditionibus dediderunt. Quod factum ideo eſt quia Schenckius ſufficientes copias ad ſubſidium obſeſſis ferendum, conſcere non potuiſſet, cum ad hoc, & ſimul ad Berckenſes commeatu iuuando tria peditum millia & octingenti equites requirerentur.

Drakius & Norreiſius cũ Rege Portugalliæ Hiſpaniam inuadunt.

De ſucceſſu Claſſis Hiſpanicæ iam ſupra commemoraiimus. Quæ res occaſionem quibuſdam dedit, cogitandi de inuadendo etiam Rege Hiſpaniæ, aſſumpto ſecum Antonio Rege Portugalliæ, ſparſiſque paſſim ſunt huiuſmodi ſermones, Regem Hiſpaniæ nullibi eſſe imbecilliorem, quam in ipſa Hiſpania, tum allegata exempla Romanorum, qui Scipionem in Africam ablegarunt, vt ea ratione Carthaginenſes compellerent ad reuocandum Hannibalem ex Italia. Huius expeditionis auctores in Anglia fuerunt Ioannes Norritius, & Franciſcus Drakius equites celeberrimi, qui cſueperunt ſe exercitum quindecim millium in Hiſpaniam ducturos, & Regem Portugalliæ Antonium in Regnum reſtituturos; ſi modo Regina 130. millia florenorum ad eum finem concederet, & aliquot ſuas naues ad eam rem commodaret; Pollicentes ſe cæteræ quæ requirerentur cum amicis ſuis confecturos.

Ad hunc finem literas patentes à Regina ſibi dari petierunt, quibus ſumma & plena poteſtas ipſis daretur captas omnes naues, & ſpolia, quæ in hac expeditione acquirerẽtur, inter ſe diuidendi. His conditionibus conſcripſerunt, 14. Legiones peditum (vulgò Regiments) & 600. equites cum 3000. nautis, aſſumpſeruntque 12. machinas duplices à frangendis muris (vulgo muerbreſers) dictas.

Cum de expeditione iſta inter conſiliarios Reginæ, variæ & diuerſæ eſſent opiniones & ſententiæ, vbi alij allegabant pericula, alij ingentes ſumptus qui requirebantur, alij æmulationem duorum præfectorum quæ ſuperuenire poſſet, aliáque eius generis plurima. Multi, qui voluntariè ſumptus non exiguos ad expeditionem illam promouendã fecerant, tardiores, minuſque prompti ſunt effecti. Expeditio tamen ſuſcepta eſt, non tamen cum prouiſione & apparatu requiſito.

Hollandi partem aliquam Anglici peditatus & equitatus, qui apud ipſos erat, commodabant, ſed equites illi ſtatim atque in Angliam venere fuerunt exauctorati, quamquam pauci ex illis retenti adhuc fuerint, ſed peditum vna Legio, Duce Nicolao Meetkerckio, Adolfi Meetkercki Flandriæ præſidis filio, profecta ad expeditionem eſt.

Claſſis ideoq; expedita cùm non ſufficienti nauium onerariarum numero pecunia & commeatu eſſet inſtructa, & iam ſtaret in anchoris ad Douerian oram Cantiæ, occurrerunt illis in freto 70. vel 80. naues Hollandicę, Rupellam pro ſale nauigantes, commeatu pecunia alioque omni apparatu inſtructiſſimo, Angli Hollandos ad ſe venire, militeſque expeditioni deſtinatos in naues ſuas recipere coẽgerunt. Quod Principibus, rerum ſuarum neceſſitate ita poſtulante, per conſuetudines licere videtur, modo debitũ naucleris ſtipendium ſoluant.) Cùm igitur iam ſimul integrum menſem Pleymouthæ hæſiſſent, vela ventis dederunt 29. Aprilis. Numerus na-

Digitized by Google

metus nauium erat 140. inter quas 26. erant bellicæ, aduehentes secum Regem Antonium, Dominum Emanuelem eius filium, Rogerium VVillielmum equitem, duos fratres Ioannis Norretij Eduardum & Henricum, Thomam Sidneium, aliosque plurimos nobiles & Capitaneos nauales & copiarum terra ducendarum, Hos paulò post optimo nobilium stipatus comitatu sequutus est Comes Essexius. An. 1589.

Quarto Maij appulerunt Coronnam in Galiciam, aliquæ naues (rectum cursum non tenentes, in Gilliam diuerterant) tamen octo hominum millia in terram expofuerunt, contradicente & dissuadente hoc ipsis Rege Portugalliæ, qui nihil in illis terris sibi vendicabat. Angli tamen inferiorem Coronnæ ciuitatem, consensis scalis, inuadentes expugnarunt. Vnde plerique in superiorem ciuitatem, quæ munitior erat, confugerunt, quam Angli, crebris tormentorum ictibus, actisque cuniculis, frustra expugnare tentarunt. Quare & discedere inde iam statuerant. Cum ipsis nunciatur Comitem de Andrada & Altamira in vicinia esse, & militem colligere, quem aggressi in fugam egerunt, atque ita inde decimo septimo Maij se receperunt, incensa prius ibi magna naue, quam Galeonam de Sancto Ioanne vulgo vocabant, quæ Viceadmiraldum classis Hispanici, superiori anno vexerat, incenderuntque & alias ibi plures naues. *Norrisius & Drakius appellunt in Galliciam.*

Profecti itaque versus Portugalliam, vigesimo sexto Maij Penicham appulerunt. Inde sine sarcinis aut carris expediti Vlysiponam contenderunt, vbi in suburbijs castra locant, duas noctes ibi moram facientes. Suburbia, illa omni genere prætiosarum mercium & aromatum refcta repleta, quorum valor milionem auri facile excedebat. Verum cum Angli septem dierum itinere lassi idque intensis caloribus, quibus erant inassueti, sine equis, tentorijs, & consueto cibi & potus genere, sine machinis bellicis, alioque eius generis apparatu essent, vixque numerum quinque millium implerent; nihil ibi effecerunt operæ pretium, eo magis quod Vlysiponenses prædiarij, qui recens aduenerant, excursiones in ipsos facerent: paucique Portugalenses ad Regem suum confluerent, qui Anglos sperare faciebant aliquot millia ad se statim concursura. Qui ideo se temere manifestare non putabant consultum, quia Anglos tam tenui apparatu, tam que incerto dubioque statu videbant, vt diu ibi manere non posse manifeste cernerent. Quod ex eo satis apparebat, quod Rex Antonius persuadere Anglis non posset, vt diutius quam duas noctes ibi manerent. *Angli appellant in Portugalliam. Lusitaniæ Vlysiponam.*

Ita factum est vt magna cum festinatione relicta Vlysipona Cæsaiam sint profecti. Vbi Drakius, occupata arce, cum nauibus bellicis in statione morabatur, quia vlterius Vlysiponam, vti multi sperarant, progredi non poterat. Considerantes itaque valde magnam militum partem ex aeris mutatione, & inusitato vsu fructuum, mellis æstuque intemperatiori & aquæ potu indies mori (quia Angli audaces quidem sunt, animoque militari sed complexionis delicatioris) discedendum sibi inde duxerunt, cõtradicente & protestante Rege Antonio, qui eos aliquot adhuc dies libens ibi detinuisset, aut paruam militum & nauium numerum, quibus fortunam suam experiri posset, ab eis impetrasset.

Sed cum Angli continua suorum morte deterrerentur, & iam classem sexaginta Hulcarum Osterlingicarum in mari sibi obuiam cœpissent, aliasque eiusdem generis indies adhuc expectarent, frumento alijsque mercibus onustas; decimo quarto Iulij ex Portugallia solue- runt eodemque mense in Angliam sunt reuersi. In reditu, oppidum Vigo in Biscaya diripuerunt, & incenderunt. Captis, vt dixi, in flumine Vlysiponenti prædictis Hulcis Hollandorum naues liberas dimiserunt, pro nautico laboris præmio & commeatu; quem ab illis acceperant, frumentum quod Osterlingis eripuerant, eis offerentes, quod illi capere recusarunt, metuentes ne in Osterlandia eo nomine posthac molestarentur, verum postea per Legatos debitum suum Osterlingorum in Anglia sibi solui petierunt, sed ferè frustra. *Norretsius & Drakius nimio militum interitu perterriti in Angliam reuertuntur. Hulcasque Osterlingorum sapiunt.*

Milites omnes suos dimiserunt, dato singulis eorum coronato aureo, præter arma quæ habebant, vtque testatur ipsemet Libellus in Anglia impressus, vix sex millia ex tredecim millibus, quæ ad expeditionem fuerant profecta, in Angliam redierunt, exceptis illis qui in Galliam diuerterant. Atque omnes illi quidem morbo, paucissimi hostili ferro perierunt. *Rex Hispaniæ nullibi impotentior quam domi.*

Atque ita infeliciter expeditio ista eis cessit, non tam quod animus aut victus eis deesset, quàm prouidentia, matura deliberatio, disciplina, sufficiensque apparatus. Non tamen mutarũt opinionem suam, propterea Duces huius classis, videlicet quod Hispanus domi quam alibi sit imbecillior, quodque via hæc vnica sit diuertendi bellum & militem Hispanum à reliqua parte Christiani orbis, si bellum ei in Hispaniæ moueretur, vbi diuitiæ eius Indianæ intercipi solum possint.

Interceptio naulum Hanseaticarum siue Osterlingicarum, quæ frumento oneratæ, circuitu facto Scotiam & Hyberniam lato oceano præternauigauerant, in Anglia libello quodam apologetico ea de re facto defensa est, titulus autem libelli huius est.

Digitized by Google

An. 1589. Declaratio cauſarum quibus Sereniſſ. Maieſta. Angliæ Claſſiari jadducti, in expeditione ſua Luſitanenſi quaſdam naues frumento alioque apparatu, bellico ad vſus Hiſpanorum Regis in vicinis Baltici Maris Regionibus comparato, dum ab ijs Vlyſſiponam tenditur, atque in ipſis faucibus Vlyſſiponæ, cœperunt, 30. Iunij, anno Domini 1589. ac Regni Maieſtatis ſuæ 31. Hoc libello breuiter docetur, quam neceſſario Regina bellum defenſiuum gerat contra Hiſpanum, cum quo omnes rationes pacis hactenus inire ſtuduit. Namque repetitur admonitio à Regina Hamburgenſibus facta, qua prædixerat ſe nec poſſe, nec velle permittere, vt naues frumento inſtrumentiſque aut apparatu bellico onuſtas ad Hiſpanum veherent. Nec valituram poſthac apud ſe in eo caſu Neutralitatis Oſterlingorum excuſationem. Quod exemplorum allegatione æquum eſſe probatur.

Declaratio cauſarum cur Angli frumentum Oſterlingorum ceperint.

Ratio etiam redditur cur Hanſiaticis Priuilegia ſolita in Anglia ampliùs non indulgeantur. Hi ſtamen ſibi ſatisfieri non ſunt paſſi Oſterlingi, ſed conuentibus pluribus ſuper ea re habitis, ob ſententiarum opinionumque diuerſitatem nihil certi adhuc ſtatuerunt, patientes interea, ob rei iniquitatem, vt omnem frumentum & apparatus bellicus, in Claſſiarios Anglicos incidens, capientium fiant, ſed quidquid interea damni per tales occaſiones ab Anglis ipſis inferatur, in acta publica ad certam rei memoriam refertur.

Contra libellum iſtum euulgata eſt Confutatio quædam latinè ſcripta à quodam Oſterlingicæ domus, apud Antverpienſes, Secretario. Quæ pro libello famoſo potius quam pro rationabili aliqua confutatione cenſeri debet: quia auctor, ſui & rei quam tractat planè obliti us, in mœram maledicentiam erumpit, colligens ibi omnia probra & contumelias, quæ vnquam ab aduerſarijs Reginæ, non dico prolata, ſed ſomniata vnquam fuere, concludenſque adhortatur Principes omnes Chriſtianos, vt iuncti Regi Hiſpaniarum Reginam domare conentur.

Variæ opiniones de diſcordia inter Anglos & Hanſiaticos.

Angli interea in variis regionibus grauiter paſſim accuſantur, quod alieno tempore, parui lucri cauſa, Hanſiaticas ciuitates, cum Regibus Poloniæ, Daniæ, & Sueciæ, aliiſque Principibus hoſtes ſibi faciant, quos lenioribus amicioribuſque rationibus & modis tractare decuerat potius quam illos exacerbando (cum multi inter illos Romanæ Religioni adhuc ſint addicti) occaſionem illis dare, libenter ſuppeditandi Regi Hiſpaniarum Naues, adparatum bellicum & militem pro pecunia ſua, quibus nouam rurſum claſſem contra Angliam parare poſſet, qua ratione illi priuatas ſuas iniurias, totius Reipubl. Anglicanæ interitu vlciſcerentur. Vti in Hiſtoria Anglorum ob ſimiles cauſas legimus Danos & Saxones Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur inuaſiſſe, & poteſtati ſuæ ſubieciſſe, primum ad certâ contributionem eos cogentes, quam vulgo Daniſgelt (id eſt pecunia vel denarius Danicus) appellabant, & poſtea ſuo imperio ſubiecerunt, quod mediatè ante tempora Gulielmi Conqueſtoris accidit.

Seditio & incendium Conſtantinopolitanum.

Inter res admirabiles anni milleſimò quingenteſimo octuageſimo octauo, referri meritò poſſet quod Conſtantinopoli accidit die Paſchalis, vbi orta ſeditione Ianitzariorũ & Spachiorum (qui præcipuam conficiunt militiam præſentis Imperatoris Turcici Amurathis 3.) cauſa fuit monetæ adulteratio in qua ſtipendium ipſis erat numeratum, adeoque fuerunt irritati vt ab ipſo Imperatore Turcico nec præcibus, nec pretio compeſci potuerint, donec dictus Imperator metu ipſorum compulſus eis tradiderit, monetæ huius auctores Beglerbegum ſeu Vicarium ſuum in Græcia, ſummumque ſuum Theſaurarium, quos Imperator Turca vnicè amabat. Hos Ianiſarij ſtatim publicè capitis ſupplicio affici curant, cogentes præterea Imperatorem alios ſuos officiarios, pro ſua libidine, munere ſuo abdicare. Quo nondum contenti, domos Iudæorum, quo tutius eas diripernt, incenderunt. Cuius incendij flamma, vento ſlante, vſque adeo auctaeſt, vt pluſquam duodecim millia dominum Iudæorum, abſumpſerit. Quod damnum ad multas auri milliones fuit æſtimatum.

Parmenſis è Germania Spadã proficiſcitur.

Parmenſis hoc anno grauí morbo correptus eſt, huius morbi variæ & multæ dicebantur eſſe cauſæ, videlicet quod 10. ſuperioris Nouembris, Berga Mechliniam proficiſcens, è ponte in aquam incidiſſet, cui caſui multa alia mala accedebant. Qualia erant dolor conceptus ex infortunio Claſſis Hiſpanicæ, & obſidionis Bergenſis, vnde re infecta decedere fuerat coactus. Item quod indies per Piſtranum & Aſcolũ multa in eius contumeliam & deſpectum fierent, tum etiam quod intelligeret ad literas quaſdam Cambijà ſe in Hiſpaniam miſſas (per æmulorum ſuorum quos ibi habebat inſtigationẽ) acceptas non eſſe, nec pecunias pro ijs ſolutas. Cum ſummam tamen dictarum literarum eſſet aliquot centies mille Ducatorum. Quare valde laborabat vt Mercatoribus Italis, qui Antverpiæ erant, aliquo modo ſatisfaceret. Mortuus etiam ſub idem tempus erat patruus eius magnus Cardinalis Farneſius in quo multum habuerat præſidij, ægrotans itaque & triſtis menſe Maijo Spadam ad Balnea conceſſit, Montfortij, aut in vicinia hoſpitium capiens, ibidemque aquas Spadenſes ſanitatis cauſa bibebat.

Schenckius fruſtra tentat Neomagum.

Martinus Schenckius, cum paulò antè Arcem ſuam Bleienbekanam obſidione liberare fruſtrà conatus eſſet, Berckam cõmeatum ſæpius inuexiſſet, paucis etiam diebus ante in conſpectu

Marchionis

Marchionis Varrabonij,7. Augusti prope VVesaliam 7.cohortes peditum,& 3.equitum,in Frisiam tendentes,pecunia ad solutionem stipendiorũ missa erepta,cæcidissent,stratagema infœlix in vrbem Neomagum instituit, circiter 20 paruis & magnis nauibus, & 5.Pontonibus,milite & tormentis bene instructis, equitibus per terram eo. missis. Hoc apparatu & milite 20. Augusti, ex propugnaculo, vulgo perspicillum siue spelunca Vulpina nuncupato, Vahalim descendit ter tio post victoriam suam die, vt circa vesperam Neomagum peruenire posset. Sed cum ea nocte ventus non flaret, & aqua altior esset, quam vt naues, in quibus remigibus vti non poterant, hastis propellerent, somnulenti aurora iam surgente,eo deueniunt. Pontones, quia remigando aptiores, celerius ad vrbem perueniebant; milites his impositi tumultum excitant, qua de causa confestim aliqui ex ciuibus arma arripiunt: ita Schenckius non expectatis reliquis rem aggre diendam censebat, antequam plane lucesseret, & prope May portam appellens,inde ad portam S.Anthonij currens, milites suos duobus præparatis trabibus eam impetere iubet, quam etiam non obstante,quod muro obfirmata esset, effringebant, effractis: quoque cancellis ferreis quarundam ædium, quas occuparant, inde forum vel aliũ locum occupare conati. Interea reliquæ naues aduentabant, in ciuitatem eiaculantes, & vicissim ciues ineas. Qui tandem è longinquo, meticulosi tamen & frustra ædes inuadere incipiunt, donec binis tormentis campestribus adductis, & in domum exoneratis Prætidiarij cum ciuibus Schenckianos rursum eijcerent, cæteris nondum præsentibus,interim equites Hessiacam portam aperire tentabant, verùm serius,nam antequam ceras effregissent, iam planè dies erat,quare lapidibus aliisque armis repellebantur. An. 1580.

Negotio ita duobus locis non succedente,quod tardius luce præuenti aduenissent,& omnes ciues, fœminiæ etiam in armis essent, reliquæ etiam naues non aduenirent, Schenckius cum suis ad naues recessit, quas paratas non reperientes, difficulter intrare poterant; nimia autem festinatione plurimi in Pontones illas 4. vel 5.se recipiebant,quarum quædã nimio onere deprimebantur,& natationis imperiti,submergebantur,inter quos etiam Schenckius ipse, ita armis præpeditus vt emergere non posset.

Naues oneratæ sesquimiliari intra vrbem appellentes,Præfectum suum desiderabant.Pontonum vnà ad Turrim S.Huberti propellebatur, inde cum recedere non posset, milites lapidibus obruebantur, aut se in flumen præcipitare cogebantur. Aliæ naues hæc omnia aliquandiù spectabant, & vento destituti prætermauigare non audebant; tandem tamen illarum duæ nebula adiuti transibant, reliquæ in hostium manus, militibus inde elapsis, deuenerunt. *Schenckius submergitur.*

Neomagenses victoria hac aliquantulum recreati,retibus & harpagonibus homines & prædas è flumine piscabantur, inter alia reperiebatur cadauer egregijs armis, & vestibus indutum, quod in terram extractum Schenckij dignoscitur, ex vulnere capitis ante Steenvvikum, altero in latere prope Arnhemium, & tertio in fine incipite accepto, id suspensis prius duobus captiuis, in quatuor dissecarũt partes, capite Turri S.Antonij impositio, vnde tamen paulò pòst iussu Marchionis Varrabonij, Geldriæ Gubernatoris, cùm multi ciues Neomagenses innocentes ex vindicta ab illius militibus morte afficerentur, sublatum est, & cum cadauere cistæ impositum, in Turri quodam asseruatum est, donec Comes Mauricius vrbe rursus subiugata, illud more militari, magnificè in templum maius coram summo altari in Ducum Geldriæ sepulcrum sepelliri curaret.

Atque ita Martinus Schenckius vitam peregit, vnus ex audacissimis, prudentissimis, & clarissimis Capitaneis, suo tempore præcipuus. Vti hoc eximia strenua & gloriosa ipsius gesta, prœlia, conflictus, velitationes, arces suę Bleyenbekanæ ab obsidione liberatio clarè testantur. Vbi obsessores ipsos obsidebat,pro libitu cogebat. Item stratagemata ipsius in superatione Neuiomagi & Bredæ pro Duce Parmensi, cuius seruitio ob benefactorum malam recompensationem se abdicauit,& Truchsesio suisque confœderatoribus se iunxit. Primò Enchusio,deinde Isselsteinio, pro puero famulatus erat. Eos cum multis alijs Capitaneis,& nobilibus in propugnaculo Ghoer obsedit, & ad deditionem coegit. Deinde VVerlam VVestphalorum cœpit, multa præclara & strenua ibi gerens. Post callidissimè Bonam inuasit, cum multis & innumeris alijs machinationibus, admiratione non indignis. Ætate sua erat adhuc Iuuenis, in bellis enutritus, & planè Martis filius, eximius machinator, secretus, vafer, audax, & vltra modum agilis consilij. Cùm hostes ipsum ebrium & somnolentum putabant, ipsorum muris sæpius, aut portis,insidebat. Liberalis aut profusus potius, & inter milites valde amatus. Hostes ipsi obijciebant, ipsum optimè quidem vrbes superare posse, ægrè tamen seruare. Sed parum hoc ipsius encomia minuebat, conseruationem locorum suis Dominis ac Principibus cõmittebat: qui ægrè ipsi in omnibus satisfacere poterant. Ideo quod natura elatus, obstinatus & austerus erat. Sæpius ipsi cum Ordinibus male conueniebat. Tandem tamen submittere se & accommodare incipiebat. Et cum eo tempore, Generalis militiæ Marischalcus Dominus Vilbergius obiret, constitutum erat, vt ipse, nisi morte præuentus,eo munere decoraretur. Sed obijt in flumine VVala prope Nouiomagum, viduam fine liberis relinquens. *Mart. Schenckij à Neydeken, encomiũ.*

Digitized by Google

An. 1589. Circa hoc tempus Truchſefius, ex Hollandia in Germaniam, aliquam ſuarum miſeriarum compenſationem nanciſci ſperans, ſeceſſit.

Geſta in Friſia. In Friſia ſub æſtatis initio Gubernator Comes VVilhelmus Naſſouius, callidam in Delffzielam machinationem tentabat, ſed fruſtra. Quare continuo, per mare, per terram, Reydam Pen Inſulam verſus, è regione Embdæ, ad Amyſiam procedebat, eam afsiliebat, occupabat, & circumcirca muniebat. Præterea & alia propugnacula inuadebat. Ad hoc impediendum exercitus iſte & nummi (quæ Schenckius, vt ſuprà memorauimus, in Eri-eto Lippenſi cedebat, & abripiebat) Verdugoni miſsi erant. Deinde 20. Octobris, Comes VVilhelmus aliud ad hoc propugnaculum, Soldkamp, in orificio Reedi penſi vi exp ugnabat, vbi ad 80 cedebatur, multi etiam capiebantur, idque omne Verdugone conſpiciente. Qui cum expugnationē impedire non poſſet, exercitum ſuum in paludem, ad Græningenſem viam intercludendam, diſponebat.

Comes Morſenſis, cum Prædiarijs Lochemicis & alijs 28. Auguſti pagum in Epiſcopatu Monaſterienſi, Greuam, inuaſit, vbi ingens equorum mercatus celebrabatur, eum turbarunt, & vltra 1000. equos abduxerant.

Vnitarij Prouinciarum nauili militarib. præparatio. Hollandi & Zelandi, ad tuendam nauigationem, circa hoc tempus, viginti naues militares extrui curarunt, 60. aut 100. vaſorum capaces eas Pineſſas vocabant, quæ humiles erant, & remigationibus aptæ. Hiſce mercantium naues, conducebant verſus Angliam & Galliam, & piſcationes tutabantur, maxima téporis parte ad latus Flandricū, circa Sluſam, Neoportam, & Duinkerkam, ad hoſtem é mari arcendam, ſe continebant. Tum temporis aliquando 100. aliquādo etiam 114. militares naues ingentes, & mediocres mare ex vnitis Prouincijs nauigare, numerabantur. Scaphis alijsq; curſorijs nauibus non numeratis, omnes vnitarum Prouinciarum ſumptibus.

Cumque harum nauium, quædam ante portum Dunkerkanum excubias agerent, & interim quaſdam naues eminus in mari conſpicerent, eas, vnà tantum naue relicta, quæ erat Viceadmirallij Harlemenſis Iacobi Antonij, reliquæ inſequebantur. Duynkerkenſes vnam iſtam nauem ſolam illic relictam conſpicientes, ſubitò quaſdam naues emiſerunt, & vnam iſtam cinxerunt, diù inuicem pugnantes, ita vt interim fluxu maris, prope Caletum agerentur, tandem cum diutius reſiſtere non poſſent, igne puluerī tormentario immiſſo, ſeſe & omnes oppugnatores inter emerunt.

Duynkerkanorum Piratarū coercitio. Duynkerkani indies viribus & nebulonibus aucti, Ordines conſulebant, quomodo eos reprimere poſſent. Omnes relegatos & exules, facta leuium ſcelerum remiſſione, iterum reuocabant, qui alis in mari Aquilonari Anglicos & Belgicos piſcatores & mercatores maximè deripiebant. Reliquos cum eo iterum allexerant, deinde vigilijs & ſtationibus compeſcebant, & multos capiendo, ſuſpendio punierunt. Quo maximum ſuperſtitibus metum incuſſerunt, ita vt per raro auderent, portum exire, donec deinde Gallicis Ligiſtis ſeſe iungerent, quorum portubus Hable de Grace & alijs vnà vtebantur, & iterum inualeſcerent.

Diuerſa vrbi Bercka facſtalia. Vrbs Bercka ad Rhenum, in Colonienſi Epiſcopatu, diuerſis Hiſpanorum Ducibus fuit obſeſſa, eam Ordines ſæpiſsimè grauiſsimis ſumptibus, munitionibus & victibus refecerunt, tam per Comitem Moerſenſem, Villerſium, & Schenckium, quam deinde in Ianuario per pontem vltra Rhenum, hoſtibus præſentibus, tranſmiſſum. Poſtea in Iulio iterum ipſi ſuccurrebatur, per Propugnaculum Reeſenum.

Comitis Moerſenſis obitus. Deinde, Comes Moerſenſis, poſt Schckij obitū, cum ipſius milites in Propugnaculo Schenkij tumultuantes ſedaſſet, & 5. Octobr. Arnhemij puluerem tormentarium diſtribuere occupatus eſſet, ſcintella candelæ in puluerem decidente, lætaliter ipſum vulnerauit, adeo vt 7. Oct. moreretur. Quia paucis diebus ante ipſius obitum, Comiti Valckenſteinio, Baroni à Potlitz, & Equiti Franciſco Vere, 200. equitibus, & 2. millibus peditibus, Berkam iterum prouidere mandarat.

Hi, etiamſi Marchionem Varrabonium 6. aut 800. peditibus, & 500. equitibus proſpectum eſſe, cognouerant: nihilominus tamen iter ſuſceperunt, & Propugnaculum, Colonienſis Regnita dictum, 2. tormentis concuſſerunt, & ſuperarunt. In quo prædiarijs collocatis, Rhenum prope domum Loo traiecerunt, vbi Varrabonius in via verſus Zeckenhouen, cum integro ſuo exercitu, eos à tergo aggredi & ſuperare propoſuerat, verùm Franciſcus Vere cum 4. Anglicis vexillis, & Chriſtophori VVolſtij turma, tam fortiter ipſi reſiſtebat initio, vt poſtea acerrimus inde conflictus oriretur, adeo vt vltra 600. iſtic in loco Verraboniorū proſtrati cernerentur, multi vulnerati, & ſubmerſi. Decem vexilla erepta, vnū laceratū, & 17. vexillis, quas antea

Marchio Varrabonius in literatiue Berckenſi profligatur. viderant. Tres etiam equitum turmæ proſtratæ, vno inſigni, & 200. equis amiſsis. Ex quibus Anglipro rata portione 120. equos accipiebant, quibus ipſius Marchionis equus intererat, Marchio autem cum difficultate euaſerat. Paucos notabiles captiuos, ob pugnę vehementiam, accipiebant. Inter quos Vicarius quidam, & deinde Comes Italicus Auenturierus, Cardinalis Caraffæ nepos, grauiter vulnerati, reliqui Officiarij, maxima ex parte cœſi.

Duran-

Digitized by Google

Durante adhuc conflictu, Comes Carolus Mansfeldius, cum 70. vexillis ex Brabantia eo aduenit. Id cùm Comes Valckensteinius & Potlitzius cognoscerent, continuò cum equis & curribus onustis, Berkam versus prope Mansfeldij exercitum properabant. Quare præsidiarij erumpebant, & hostem in vicinis vndique aggeribus ingulabant, & submergebant. Mansfeldius eos tam animosos, & accuratè dispositos curribusq; inclusos, conspiciens, difficilè ipsos aggredi reputabat. Ideoque eos dimisit, reditu ipsos commodius aggredi statuens. Verùm Valckensteinius cum suis curribus ante vrbem exoneratis, per aliam viam, Reesam versus, flumine traiecto, redibat. An. 1589.

Mansfeldius autem Berckam arctius premere statuens, Propugnaculum prope Reesam, ob fossarum exiccationem, deditione accepit: quare obsessis difficilimè succurri poterat. Quod obsessi considerando, & victum iam diù multumque desiderando, tandem postquam æquissimæ condiciones ipsis proponerentur, quas posteà ipsis, si ipsorum inopiam Mansfeldius resciret, denegaret: & cùm Mansfeldius concessisset, vt quosdam ad Ordines ablegarent, & succursum peterét, si Ordines sex hebdomadarum spacio ipsis succursum promiserint, ipsum tamdiù exspectaturum. Quibus Ordines post longam ablegatorum retardationem respõderunt, ipsis hoc tempore impossibile & nimis incommodum esse, vrbem sibi tam procul sitam liberare, & conseruare. Ideoque se Gubernatori, cæteris Officiarijs & militibus, summopere gratias habere, quod tam fideliter, fortiter & constanter se gesserint, rogare præterea porrò idem præstent, & si diutius se sustinere non possunt, vt tum sibi prudenter consulant, quo milites & seipsos saluos educere possint. Quo tristi accepto responso, 30. Ianuarij, D. Seyno à Dorth, vrbis Gubernator, Capitaneis, Arnoldo Rese, VVilhelmo Muser, & signifero Iohanne Gruebero, assumptis, oblidibus datis vrbe ad Mansfeldium exiuit, & cum eo quam potuit salubriter transegit, vt Præsidiarij 3. Febru. vexillis volantibus, ardentibus cordis, tympanistis sonantibus, impedimentis & mobilibus exeant, & 50. nauibus, ac conductoribus VVesalium vsque conducantur. Item vt Capitaneus Dauid Saxo, captiuus sine redemptionis precio relaxetur. Ciuibus etiam optimè pactis prospiciebatur. Atque ita pactis cõuentis, vrbem Gubernator, claues tradendo, & se cum vxore & filiabus, Præsidiarijs & ciuibus saluando, in manus Mãsfeldij tradidit. Qui cùm vrbem intrasset, & magnam ciborum frumentorumque copiam inuenire speraſſet, diligenti ædium in spectione habita, ne tantum panis in tota vrbe inuenit, quo canem suũ exsatiari posset. Quàm ipsorum inopiam mira calliditate, ad supremum vsque diem occultârant. *Berckæ à Mãsfeldio obsessæ, & ad deditionem coguntur.*

Atque ita Parmensis Belgij Gubernator hanc & alias vrbes Episcopatus Colonienſis, ex requisitione Archiepiscopi Colonienſis, Ernesti Bauari (vti spergebat) occupauit: sed tamẽ præcipuas vrbes suis præsidiarijs diù retinuit munitas. Imò posteà diuersas alias vrbes in Cliuia, vt Gocham, Reesam, Embricam, dolo inuadere, machinatus est: sed frustra, propterea quod consilia ipsius nimis maturè detecta. *Parmensis in diœcesi Coloniensi multas vrbes per præfidiarios sibi seruat.*

Præter hæc parum, tam Parmensis quam Ordines hoc anno intentarunt. Parmensis pecuniam & militem in Galliã mittendi sollicitus, in Hannoniã Binsam secesit, vbi ipsum alloquen di gratia, Dux Maynius, aliaq, S. Ligæ capita conuenerunt. Ordines verò Regi Galliarum, munitiones pulueres tormentarium, frumentum, naues classicas, & 10000. millia florenorum, per D. Brederodium, Iustinum Nassouium Zelandiæ Admirallium, Dominum *de la Pree*, & alios suppitabant: qui in Octobri è Belgio soluebant. Regina Angliæ subsidio mittebat Regi, Baronem VVillongbi, 4000. Anglis, & 200000. millibus florenorum. *Auxilia vtriq; parti in Gallia missa.*

Hac hyeme Præsidiarij Bergezomẽses crebras eruptiones in Brabantia instituebant. VVilricham prope Antverpiam, proptera quod malè eos exceperant, & tributa non soluerant (quod Dragonius ipsis inhibuerat) conflagrarunt.

Marcellis Bax equitum Magister, cum alijs Bergezomensibus Capitaneis, 160. equitibus, & 70. peditibus, in Decembri Antverpiensem conductum 3. vexilla Germanorum, qui aliquot currus munitionibus onustos, Steenbergam saluocõducere volebant, impugnauit. Bax in Ericeto quodam ipsos exspectauit, suos sylua absondebat, cumque eos in Ericeto conspiceret, quibusdã suis equitibus cum Vicario suo, eos ne curribus sese cingant, circundedit, quod ita factũ, nam cum paucos eminus equites viderent, consueto ordine progrediebantur. *Præfidiarij Bergezomenſ. comitatũ Antverpiensem, intercipiunt & cædunt.*

Cùm iam Baxius cum paucis suis equitibus, quorum quisque peditem à tergo ferebat, propius accederet, ipsi hoc animaduerterunt, quare continuò, ad locum sylueſtrem, prorepserunt. Id videns Baxius pedites secum vectos deponebat, & equitibus properanter in eos irruebat, cum ad currus peruenirent, multos ijs inclusos, & ordine dispositos milites, sub tribus volantibus vexillis, conspexerunt, eos sæpius assiliebant: quia verò pedites necdum aderant, non poterant continuò ipsorum ordinem perfringere, qui sclopetorum iaculatione fortiter se defendebant. Tandem, cùm pedites procul aduenire videbant, agmem quadrigarum conficere ceptabant, quod Baxius cum 10. aut 12. sclopetarijs, qui alijs citius adderant, valide impediebat, & iterum illos assiliebat: quo, ordo turbatus, vexilla tria erepta, Præfectus Malditzius cum alijs

Capita-

Ann. 1789. Capitaneis captus, cum 200. militibus, quorum maxima pars vulnerata, reliqui cæsi & fugati, Tria hæc vexilla numero erant 400. hastiarij, 200. sclopetarij, cæteri mercatores, Lixæ, & rustici erant. In curribus vestimenta pro cohorte D. Ferdinandi Gonzagæ confecta, & alia mercimonia inueniebant & diripiebant.

Hæc victoria Bergozomenſibus maximi conſtabat. Capitaneorum equi omnes, aut cæſi, aut læſi, Bax tres optimos equos amittebat, duos in loco, tertius bis globo traiectus, ipſum Bergozomam ferebat. Vnum vexillum integrum, reliqua lacerata cum literis & prædis Mauricio mittebant.

Aquisgranenſis vrbis ſtatus & conditio, Belgicis turbis durantib.

Aquiſgranum vrbs celebris & Imperialis, libera intra Coloniam & Vltraiectum ſuperius, proximis annis ciuibus & commerciis multum per Belgas ab Hiſpanis eiectos accreuit. eo quod Belgis vicina, & libera atque neutralis ſit. Ifthuc multi reformatæ religionis addicti Belgæ, cum familijs ſuis demigrarunt, quorum frequentia reformata religio ita accreuit, vt ſpes eſſet, ibi, communibus Magiſtratuum ſuffragijs liberum non ſolum, ſed & publicum, ipſis exercitium conceſſum iri: niſi Cæſaris authoritatem, & vicinorum poteſtatem metuiſſent. Ijstamen non obſtantibus, in maioribus ædificijs religionem priuatim exercuerunt, magna Catholicorum, & vicinorum, præcipuę Parmenſis, & Ducis Cliuenſis exprobratione, qui aliarum quærelarum prætextu, diuerſa ab Imperatore mandata obtinebant, quibus Parmenſi, Duci Cliuenſi & Leodienſi iniungebat, & permittebat, vt Aquiſgranenſes ſibi obſequentes & ſubditos redderent. Aquiſgranenſes diù multumque ſcriptis ſe excuſarant, & Imperatorem pacarunt. Sed quia Rex Hiſpaniæ & Parmenſis, deſperabant aliquam dominandi poteſtatem in Belgio conſequi, niſi prius vicinos quosque ſibi addictos & ſubiectos reddidiſſent. Cùm iam Ducatum Iuliacęnſem & Cliuenſem ſibi fauentes haberet, pernicioſum ipſi fore putabat, ſi rebelles ipſius Belgæ eo refugere poſſent. In vicinis Colonienſi, Leodienſi, & Monaſterienſi Epiſcopatibus Creaturâ ſuam Erneſtum Bauaricum conſtitui, curarat: ſperans, vt ſubditis paulatim exeſis & exenteratis, ipſi politicam dominationem, eccleſiaſticâ retenta deferret. Vti Vltraiectenſes anno 1527. ſub Henricum Bauarum Epiſcopum deuenêre. Imperiales vi bes Coloniam & Embdam etiam quacunque occaſione, aut modo accipere ſperans.

Mandatũ Regis Hiſpaniarum, contra Aquiſgranenſes.

Idcirco cum diuerſas ob cauſas, tam ab Imperatore quam Duce Cliuenſi, pertractatum ſit, Parmenſis ctiã Regiâ Authoritate, vt vicarius Ducis Brabantiæ, & Lymburgę, & Aquiſgranenſis vrbis Præpoſitus, ipſos omnibus Priuilegijs, & libertatibus in Belgio habitis, priuauit, nec eam pro neutrali vrbe habere amplius voluit, ideo quod fugitiui rebelles Regis eo reciperentur. Atque vt omnia plenius percipiantur, ipſius Edicti exemplar ſubiungere viſum fuit.

Dilectis & fidelibus noſtris, Cancellario & Conſiliarijs Brabantiæ, ſalutem & amorem, Cum magno noſtro dolore, notorium ſit quibuſcunque, ciues vrbis Aquiſgranenſes (cuius nobis poſt Imperatorem ſuprema protectio, & præfectura incumbit) præteritis annis, contra ius, omnemque æquitatem, contraque concordata, & contractus olim inter noſtros Prædeceſſores, Duces Brabantiæ, Limburgi, & ipſos initos, imprimis autem promiſſa nobis facta, varias res nouas ad præiudicium incommodumque noſtrum, vicinorum, quin & ipſorum tendentes introducere; Imò in vrbe illa veterem Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam Religionem abrogare, ordinariam electionem Senatorum, perniciosam Sectam Caluinianam, aliasque falſas doctrinas introducendi cauſa, immutare conatos eſſe: Præterea non obediuiſſe Mandatis Imperatoris, neque auſculataſſe noſtris diuerſis admonitionibus, quibus aduerſus eos ad conſeruanda nobis officia debita, auctoritate prædicta vſi ſumus, neque ciuitate eieciſſe profugos, & ſeditioſos, ex Prouincijs noſtris bannitos. Qua in re magnoperè ratione diuerſarũ Iurium & Iuriſdictionum, quas in ea ciuitate habemus lædimur, conſiderato, quod ſupradicti contractus violantur. In quo eorum pertinacia & inobedientia eo magis perſpicitur, quod non obſtantibus varijs S. Cæſareæ Maieſtatis monitis, & varijs tam ipſius quam noſtro nomine Legatis miſſis, qui nihil efficientes abſque vlla ſatisfactione aut reſpectu ſemper redierunt, iam decennio perſeuerauerint. Ita vt ab eo tempore hæreſes palàm magisque exerceri, ac propagari cœperint quam vnquam antè, omninò flocci faciendo illa, quæ hoc anno iam tertio ipſis per noſtros Commiſſarios, adiunctis Cæſareæ ſuæ Maieſt. Legatis indicari fecimus. Cumque inſuper certò cognouerimus, multos ex noſtris ſubditis & incolis vrbis Antverpienſis, & aliorum locorum (qui noſtro permiſſu cauſa Religionis, extra noſtras Prouincias, in locis neutralibus commorandi cauſa profecti ſunt, quo caſu etiam ipſis poteſtatem bona ſua vtendi, fruendi indulſimus) domicilia ſua in dicta vrbe Aquiſgranenſi, quaſi neutrali inſtituerint: non ſolum propter protectionem, quæ nobis poſt Imperatorem, tanquam ſummo Prætori competetit, verùm etiam propter Contractus nobiſcum initos, pollicitoq; ab Aquiſgranenſibus nobis facta, nimirum in ea ſolummodò Catholicam, Apoſtolicam, Romanam Religionem ſartam, tectamque conſeruandi, nihilque è contra innouandi aut immutandi (quam ob cauſam ciues varijs gratijs, Priuilegijs, immutabilibus & libertatibus donauimus, minimè ipſis (quamuis præmoniti

moniti contrarium faciant) indulto, vt profugos & bannitos, qui in noſtris Prouincijs habitare non poſſunt, recipiant, aut cõmorari permittant. Idcirco iura, auctoritatem, tractatuſque cum noſtris vicinis erectos, tueri, iniuſtitias, miſerias, & pericula ex eiuſmodi mutationibus certò emergentes, quæ etiam ſubditis noſtris Aquiſgrano vicinioribus, inde euenire poſſent, auertere, quin & conſtitutiones, leges, conſuetudinesque huius vrbis (cuius protectores & defenſores ſumus, vti prænominatis contractibus conuentum eſt) conſeruare volentes, re bene cum dilectiſsimo noſtro Nepote, Duce Parmenſi & Placentiæ, Equiti noſtri ordinis, harumq; Prouinciarum noſtrarum Vicario, Gubernatore, & Capitanco generali (donec S. Cæſarea ſua Maieſtas, & nos alia remedia, quibus ad obedientiam nobis debitam redigantur, ordinauerimus) deliberata, ſuſpẽdimus omnia illa iura, Priuilegia, immunitates & libertates, quas ciuitas Aquiſgranenſis, tanquam Prætor ſupremus dedimus & permiſimus, nimirum Vectigalium, Gabellarum, impoſitionum in Ducatu noſtro Brabantiæ, Limburgi, & alijs locis, vbi iſtis immunitatibus & Priuilegijs vti ſoliti ſunt. Mandantes omnibus Collectoribus & Receptoribus, quorum cumque vectigalium, & Impoſitionum, vt ad eas ſoluendas ciues Aquenſes, tanquá extraneos & eiuſmodi Priuilegia non habentes, cogant abſque vlla fraude ſiue diſſimulatione, donec nobis ea plenè præſtiterint, ad quæ nobis obſtricti ſunt. Inſuper dubiorum tollendi cauſa, ſubditis quibus ex noſtris Prouincijs diſcedendi, & in neutralibus locis habitandi, ſuaſque bona vtendi fruendi poteſtatem dedimus, his certiores facimus, mentem noſtram non fuiſſe, neque eſſe, vt ipſis propter rationes ſuprà deductas, ibidem tanquam loco neutrali commorari liceat; mandantes itaque, vt vel in Prouincias noſtras redeũtes Catholicè, & quietè ibi, vti ipſis in contractu Antverpienſi, & aliarum ciuitatum permiſſum eſt, viuant, vel inde alio commigrent, quemadmodum ipſis conceſſum eſt, idque intra dies quadraginta, poſt huius Edicti Antverpiæ, vel Traiecti publicationem, ſub pœna amiſsionis præfatarum gratiarum & Priuilegiorum, confiſcatione quoque omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ in Prouincijs noſtris poſſident, quæ omnia ſtatim elapſo termino ita fieri & executioni mandare præcipimus. Atque ne quis præſentis huius ordinationis, declarationis & iuſſus ignorantiam prætendat, certiores facimus & mandamus, vt ſine dilatione & mora, has publicari & promulgari curetis, vbicunque in ciuitatibus & locis noſtrarum Prouinciarum, & Ducatuum Brabantiæ, & Limburgi, vrbi Aquiſgranenſi vicinioribus, in quibus huiuſmodi publicationes fieri ſolent. Ad cuius conſeruationem proceſſatis in pœnam contra inobedientes, ſine vllo fauore aut diſſimulatione, in his, quæque huc pertinent, vobis plenariam poteſtatem, auctoritatem & mandatum ſpeciale faciendi, exequendique dantes, vtque ſinguli vobis adiumẽto ſint ac obediant, iubentes. Ita nobis placet. Datum in ciuitate noſtra Binſi, Sigillo noſtro in formam Placati ſuperimpreſſo, 10. Decembris, anno 89. An. 1589.

Harum publicatione facta in Belgio, bona Belgarum Aquiſgrani habitantium arreſtari, & annotari cœperunt. Nam etſi, qui quod amitterent habebant, alio commigrarent, tamen reliqui abſque intermiſſione ſuorum exercitiorum ibi permanſerunt. Quidam etiam à parte pecunia prorogationem impetrarunt, & poſtea, cum ob bella Parmenſis exequi hæc non poſſet, planè tranſigerunt. Tandem autem Aquiſgranenſes Priuilegia ſua à Romano Imperio accepta coram Principibus Imperij, Camera Spirenſi, & Imperatore ipſo defendere tentarunt.

ARGV-

BELLO *in Gallia durante, respirant & reficiunt se quodammodo Prouinciæ vnitæ, interea tam rerum ad Religionem spectantium quam ciuilium, & bellicarum curam rationemq; habentes: quæ omnia, descripta quoque Hollandiæ natura, & statu ordine recensentur, Prouinciæ Regi reconciliatæ male administrantur, militibus stipendia non soluuntur: inter hos Hispani præcipue excitato tumultu, vrbem Cortrickensem in Flandria occupant. Mauricius Comes Nassouius opera Hieraugerij, naue clam militibus instructa, vrbē Iredanam capit. Quamobrem Dux Parmensis per Comitem Mansfeldium copias suas, eam rursus obsidendi causa, vndique colligit: nihil tamen tentatur. Prænominatus Comes Mauricius exercitum suum educit: propugnaculum, vulgo* Knotsenburg *dictum, è regione vrbis Neomagensis erigi curat. Philippus Rex Hispaniæ sub prætextu protegendi, suam dig. Proceres Catholicos Gallos, bello Gallico se se immiscet. Sixtus V. Pontifex id quoque temporis moritur. Comes Egmondanus cum valido exercitu in Galliam ad Ducem Maynium proficiscitur: qui paulo post à Rege Nauarræo cæditur, Egmondano ipso in prælio occumbente. Vrbs Parisiensis à Rege obsidetur: ea ad extremitatem ferè redacta, Regio autem exercitu inopia laborante, auxilio Ducis Parmensis obsidione liberatur. Hic oppidum Corbeil, quod paulo antè occuparat, iterum relinquit, & quamplurimis ex suis desideratis in Belgiū reuertitur. Comes Mauricius, Hemerda, Heila, & munimentis propè* Eschouue/ Creuecœur, ter Heiden *&* Rosendal *iunctæ Steenbergæ, potitur. Hispani Britanniam inuadunt. Conuentus Rhenensis & VVesphalici Circulorum Coloniæ habetur, inde Legati tam ad Ducem Parmensem, quam Ordines Prouinciarum vnitarum mittuntur, qui restitutionem locorum Imperio subiectorum postulabāt: his Ordinibus respondent, etiis rei causam præsertim in Hispanos transferentes, cum Colonienſibus & Leodiensib. de neutralitate seruanda agunt. Imperator denuo reconciliationem cum Rege apud Ordines tentat, sed frustra. Comes Mauricius ex improuiso munimentum prope Zutphaniam strategemate occupat: obsidet deinde in continenti ipsam Zutphaniam & Dauentriam: quas intra paucos dies ad deditionem cogit. Inde in Frisiam profectus, Propugnaculum Delfzielæ cum aliis similiter occupat. Parmensis Knodsenburgum obsidet, & oppugnat, cum Comes Mauricius in Betouiam cum exercitu rediens obsidionem soluere compellit, multis ex illius equitibus cæsis & amissis: confestim q; in Flandriam tendens, oppido* Hulst *potitur, & regionem Vlasianam tributariam facit: Parmensiq; id impedire conante, & exercitum suū committente. in Geldriam reuersus Neomagum tandem in potestatem redigit. Prædones, vulgo* Freybeuter *appellati, puniuntur. Angli nauibus suis bellicis inopinatò adortis, nauem Regiam* La Reuengæ *dictam, quamuis diu fortiter q; resisteret, amittunt: hoc damni tamen, oppressis quibusdam nauibus, ex Orientali India mercibus onustis reſarciunt, vnde Regis mercatura patefit. Bellum Gallicū, nouo exercitu à Principe Anhaltino ex Germania adducto, renouatur. E contra Pontifex Fœderatos gallos milite & bullis iuuat. Vrbs Rothomagensis à Rege obsessa. Parmēsis in Galliam redit, eam, La Fera prius capta, obsidione liberat: quem tamen Rex statim Sequanam transire, ac in Belgium recedere cogit. Ita Rothomagum & Lutetia rursus obsidentur & coangustantur. Legati Imper. Bruxellas veniunt ad pacē cum Prouincijs vnitis transigendam. Ordines scriptis respōdent, & tractationem certis de causis recusant. Vnde ijs locis bellum quoq; denuo redintegratur. Comes Mauricius obsidet, & oppugnat, Steenwvikum, quo potito, confestim arcem Couerdanam adoritur, machinis bellicis ferit, suffoditq;. Eam Verdugo liberare conatur, verum quamplurimis suorum militum cæsis, repellitur, & Arx sese dedit VVilhelmus Cluiæ, Iuliæ, & Montis Dux moritur. Parmensis rursus expeditionem in Galliam adornat, sed diem suum obit Atrebati, cum paulò antè Comes Fontanus in Belgium aduenisset. Petrus Ernestus, Comes Mansfeldius gubernationem ex confirmatione Regia, vsque ad aduentum Archiducis Ernesti continuat, Nobiles Belgæ Regi addicti, ab eo variis titulis, honoribus, officijs q; cohonestantur, ac decorantur. Hæc omnia acciderunt triennio Parmensi, & Comite Mauricio in Belgio, gubernantibus, atque Nauarreo in Gallia regnante.*

LIBER

Bello Gallico ardente Prouinciæ vnitæ fejere fessum.

BELLVM Gallicum, statum rerum Belgicarum valdè immutauit: nam Artesia, Hannonia, Luxenburgum, Namurcum, Flandria & Brabantia penitus deuastata: tanquam Prouinciæ Gallis vicinoires, impressionem, inuasionemq; hostilem à Gallis metuebãt, cùm iam Hispaniarum Rex apertè S. Fœderi: vulgo Ligue nunc̃poto: tãquam caput præsse inciperet, eamq; ob causam Parmensem eius reidiligentem curam habere iuberet, transmissa sæplus in ingenti pecunia conducto etiã in finibus nouo exercitu, quem Comes Egmondanus in Galliam deducebat.

Ita Prouinciæ vnitæ, quæ à certis nobilium & ciuitatum deputatis, suprémum Magistratum repræsentantibus, gubernabantur: à continuo insultu tam potentis hostis aliquatenus liberatæ sunt. Quandoquidem autem gubernatio ista plurium (quamuis aliàs securior, & in resolutione perfectior) difficulter & lentè procederet, posterioribus duobus annis temporis rationem habentes, res suas stabiliebant. Componentes primò simultates discordiasque inter Ordines & Anglos, deinde seditiones militum prædiatiorum hinc inde ortas. Quæ vtex voto perficerent magna prudentia, pecunijs & disciplina opus erat.

Quoad Religionem, quæ gubernationis nõ minima pars est, semper: vti sapientis sæpius relatum est, secuti sunt sententiam Statuum generalium, & Principis Auraici Consilium, pacem Religionis obseruantes, durum & indecens existimantes, quempiam in conscientia sua molestare, vel cogere, quin potius operam dantes, vt alirer sentientes pijs bonisque doctrinis, & orationibus vincerent. Et cum viderent reformatæ Religioni addictos magis libertati & conseruationi patriæ studere, vtpotè qui ob persequutionem aduersæ partis inuicem firmiter cõnexi essent, Prouinciæ his potissimum confidebant. Itaque consultabant quomodo in tali statu (qui popularis & multorum capitum erat) discrepantes inter se opiniones conciliarent, ac ob imminens bellum ad concordiam reducerent; qua in re omnis ipsiarum fortitudo consistebat; idque significabant duabus columnis simul iunctis, quibus in sigillis suis cõmunibus vtebantur. Quapropter nullius cuiusue etiam sectæ conscientiam constringere voluerunt, modo seditiosa non esset, qualem Annabaptistarum esse aiebant, quod Magistratum nocentes morte vel gladio punientes reprehenderent & damnarent, his congregationes non permittebantur.

Reliquas Sectas, consultius putarunt, stantibus ita rebus, cõcionibus diuinis supprimere, mandantes vt his bonis exemplis prærirent, eosque fraterno amore deuincirent, quem in finem in Ecclesijs suis acri disciplina vtebantur, ad euitandum omne scandalum.

Ijs qui confessionem Augustanam profitebãtur, in quibusdam ciuitatibus liberum fuæ Religionis exercitium concedebatur. Catholicis Romanis autem illud ad tempus denegabatur, donec post firmam stabilemq; initam pacem, aliud à Statibus generalibus statueretur: interim in Baptismo & sepulturis à Reformatis nullo modo grauati: in contrahendo matrimonio hic seruabatur mos, vt præcedente consuete proclamatione publicè in Curia coram Magistratu legitimè copularentur.

Prouinciarum vnitarum inter per nam deum. statu.

In testimonium, quod vnicè Concordiam, Religionem præ oculis haberent, hoc anno cudebantur nummi, quibus ab vnà parte insculptæ erant duæ manus inuicem contextæ, adiunctis sex columnis firmiter coadunatis, hac inscriptione latina, DEO IVVANTE, ab altera parte columna vnica, magno libro (cognominatũ Religio) insistens eidem superimpositus erat pileus, libertatis signum. Columna hæc à sex viris, quibus ex illas Prouincias vnitas, videlicet, Geldriam, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Transisulanam & Vltraiectensem ditionem, designabant, renebatur: additis his verbis. HAC NITIMVR, HANC TVEMVR, quasi dicere vellent, vnanimes ac concordes Religioni innixi libertatem conseruamus.

Prouinciarum vnitarum gubernato.

In generalem gubernationem Prouinciarum vnitarum, Consiliarius ex Nobilibus & Inreconsultis ab vnaquaq; Prouincia eligebatur; quibus Regina Angliæ ex pacto inito duos consiliarios adiungebat. Antea enim consilio solus D. Bodeley cum Secretario Georgio Gylpin adhibebatur: qui & cum altero Secretario Christiano Huigens, & alijs officialibus in mandatis habebat, consultandis quibuscunque causis, ti Ordines Prouinciarum, aut etiam generales (quibus consilium hoc suberat) præsentes non essent, adesse, easque vna dirigere. Præter hos vnaquæque Prouincia ordinarium suum consilium Prouinciale habebat.

Comes Mauritius vnitarum Prouinciarum. Gubernator & belli supre mus Imperat.

Gubernator Hollandiæ, Zelandiæ, & Admiralius maris, in locum patris sui creabatur, Illustris & generosus Mauricius, Comes Nassouiæ, Princeps Auraicus. Vicarius eius erat, Philippus Comes ab Hohenlo, Præfectus iam veteranus atque belli experientia celebris. Vltraiectenses, Transisulani, Geldrienses quoque in gubernatorem suum eligebant, dictum Comitem Mauricium; V Vilhelmus, Iohannis Comitis Nassouiæ filius natu maximus, vir prudens & ex-

Digitized by Google

An. 1590. pertus, constituebatur Gubernator Frisiæ. Comes hic Mauricius à pueris apud patrem in bello educatus, atque negotiorum administrationi semper adhibitus fuerat, filius eius erat fecundus, frater ipso senior Philippus Comes Buranus, vt supra relatum, captiuus in Hispaniam deductus, ibidem adhuc detinetur. Illi committebatur à Prouincijs suis generalibus Statibus omnis exercitus terra marique ad continuandum bellum, rebus necessarijs, quibus poterant, ipsum iuuantes. Huius administrandi causa suos habebat Consiliarios militares, quibus tempore expeditionis duo ex Ordinibus Prouinciarú adiungebantur, qui prospicerent, ne limites contractuum cum vicinis initorum transgrederentur. Cæterum cum in procinctu non esset vnà cum Ordinibus alia Prouinciarum negotia tractabat: & quoniam ex vnitis Hollandi, Zelandique præcipui, ac potentiores essent, multa consilio & opera Aduocati Hollandiæ, D. Iohannis Oldenbarnefeldij, vtpotè viri doctissimi, & longe prudentissimi peragebantur.

Cõtributiones vnde Prouincijs maximũ commodũ redundabat.

Prouinciæ quoque communi consensu, ingentem pecuniæ summam contribuebant, idque vix vlla subditorum incómodo vel grauamine, exemplo simili in alijs Regionibus nunquam viso vel audito, ita nimirum vt magis magisque indies ditescerent, & potentiores fierent. Accidebat hoc inde quod inaudita & quasi incredibili inuentione & sapientia ab ipsis hostibus magnam pecuniarum vim ad se pertraherent. Nam omnia illa, quibus abundabant vectigali, vulgo Licentijs nuncupato, soluto ab hostibus exportari, & deuehi permittebant. Hoc augebant vel minuebant, prout visum erat, & hostis rebus illis indigere videbatur; hoc etiam temperamento adhibito, vt hostis nullibi viliori pretio merces, quam apud se comparare & emere posset. Hostes exiguo vectigali, quibus indigebant, veluti materialibus, quæ aliundè facilè haberi non poterant, importare permittentes: magno rursus, quibus facile carere poterant. In summa maximam accuratamque commerciorum quorumcunque rationem habentes.

Præterea pecunias suas ita vtiliter collocare sciebant, vt Reges, Magistratus, & militiæ Præfecti inde exemplum sumere possent. Cùm Præfectis, Capitaneis, & militibus paruo contrahebant, sed exactè soluebant stipendia promissa. De quo quidem Duces quidem conquerebantur, considerato, quod Capitaneus vnius cohortis apud hostem plus lucri facere posset, quam apud Ordines Præfectus decem cohortium. Sed quia stipendia sua certò consequebantur milites, in eosque grauis disciplina exercebatur, vt sine læsione cuiusuis ciuitates, villasque liberè transirent, vbique accepti, & grati essent, necessariaque pro iusto pretio in promptu inuenirent (quod vnicuique Regioni postea de quota contributionis suæ deducebatur) accidebat, vt quis solus, pecunia onustus, absque armis & de noctu, vti ijs locis valdè vsitatum est, tutò iter facere posset. Quare etiam ob concordiam, & fidelitatem inter se in ipsis Prouincijs milites præsidiarios non habent, sed saltem in locis limitaneis, & hosti proximis.

Numerus militum & nauium bellicarum.

Militum autem, quibus vtebantur, erant pauci, at veterani, & exercitati, fortesque quorum virtute mira facinora perficiebant; numerus peditum hoc tempore censebatur viginti milium, equitum millium duo, qui hostium agros longe lateque deuastabant, & ab incolis Contributiones extorquebant. Præterea ad naues centum bellicas, rebus omnibus necessarijs bene instructas, sustentabant; quarum opera tam in mari Oceano, quàm alijs fluminibus vtebantur, harum militibus altero post reditum die stipendia persoluebantur.

Insuper considerabant, quo modo pecunias colligerent, quibus aliquot mensibus in anno maiorem militum numerum alere, & limites suos offensiuo bello extendere, Regi etiam Galliæ terra marique auxiliari possent.

Impensæ Reginæ Angliæ bellicæ.

Ita Regina Angliæ, vigore Contractus cum Prouincijs initi, suis præsidarijs Vlissingæ & Brielę singulis bimestribus, hoc est, *f*6. die, per mercatores ex ærario suo solui curabat, centum vigintiquinq; millia, ducento & sexaginta flor. non numeratis trecẽtis millibus, quos extraordinariè in pedites, & equites suos quotannis erogare cogebatur.

Tali prudenti administratione Ordinum, eorumque officialium Prouinciæ vnitæ, admodum diuitijs accreuerunt, vti hoc tempore constat ex magnificentissimis, amœnissimis & sumptuosissimis ædificijs, vbique fortissimis quoque munimentis, ac multitudine hominum vndique eo confluentium, quorum plurimi destituti domibus, naues ad id idoneas inhabitare coacti fuerint, tandemque ciuitates, suburbia sua, latius longiusque aduenas recipiendi causa extendere, & dilatare necesse habuerint, idque Portibus, mœnibus, propugnaculis, portis, ornamentisque, admiratione & scriptu dignis, vti videre est in omnib. vrbibus, ex Frisia in VValachriam, Zelandiæ Insulam vsque.

Prouincia vnita varios artifices ad se allicuit.

Certum quoque est ipsos concessis & datis varijs Priuilegijs & immunitatibus, omnis generis artifices opifices que, qui sub Hispanico iugo viuunt ad se callidè allicere: vnde quicquid alig Regionis artificiosum peculiareq; habent, ad se pertrahunt: videlicet Lanifices, Textores, Linteones, Phrygiones, Sericarios, Polymitarios, & similes. Ita vt ibi agriculturæ, artes mechanicæ, piscaturæ, nauigationes, mercaturæque præ alijs Regionibus maximè floreant, & à multis viris doctrina, prudentia, sapientia, singularique cura præstantibus conseruentur & augentur.

Vnde

Vnde Prouinciæ vnitæ pro sua magnitudine, cum fertilisimis & diuitijs abundantisimis Regionibus totius orbis terrarum non immeritò comparantur: non obstante, quod tam vehementi bello, à tamque potentisimis Europæ Principibus exagitentur. Hinc incolarum prudentia, fortitudo, constantia, humanitas, & in negotijs suis sedulitas, & ad qui duis idoneitas, à vitaque Belgarum seu Batauorum virtus colligi potest: qui à Iulio Cæsare, Cornelio Tacito, & alijs antiquioribus scriptoribus feruntur à Romanis totius orbis terrarum dominis, pro bellicolisimis & fidelisimis habitis. Quare olim Romanorum Imperatores ex ijs suos satellites & custodes eligerunt, cosque Romani Imperij socios & amicos appellârunt. Populus talis cuius naturæ probitas, ex suis Priuilegijs lingua, & cõsuetudinibus elucet. Ab ijs defenduntur Francisci seu Galli, qui non rectè Franci, sed potius Frihansij nominantur: vnde etiamnum hodie septuaginta duæ illæ ciuitates Hantiaticæ, fœdera, Priuilegia, nomenque suum habent, eoque locorum maxima ex parte ortæ sunt, ac originem sumpserunt ex Trantisulania, vbi etiam hodierno tempore tres celebres ciuitates Hantiaticas videlicet. Dauêtriam, Campos, ac Schvvollam videre licet. Salij populi Freyhansiorum socij iuxta Isulam, Rheni, brachium habitarunt, vti indicat, etiamnum nomen Regionis Salandt/ item oppidum Oldenzeell. Hinc lex Salica in Gallia sub Rege Varamundo initium & nomen habet, quod latius describitur, & probatur per virum doctisimum Hadrianum Iunium in suaBatauia.

An. 1590.

Frezi ex Trz. Francus oriundi.

Si autem Lector conditionem, & naturam harum vnitarum Prouinciarum exactius agnoscere, & scire possit, breuiter Hollandiam, reliquarum hoc tempore & bello præcipuam, describemus breuiter, vnde cæterarum statum coniecturari licebit.

Hollandia regio est non admodum magna, à Maresdiep/ vulgo nuncupato vsque ad Mosam saltem 18. in longitudinem, & in latitudinem quibusdam locis vnum miliare comprehendit, ita vt vndique & vnde libet, itinera vnius diei ad extremos eiusdem fines perueniri queat. Tertia pars aqua est: nam intus quinque adhuc lacus seu maria habet, videlicet Harlemicum, Scher/Beemster/Warth/ & Purmer/ quoduis eorum eius magnitudinis, vt vix transpici possit, valdeque piscosum. Lacus autem minores habet plurimos. Reliqua pars terra fertilisima est, & maxime ex pascuis constat; præter montes arenosos, vulgo Seeduncn/ nominatos, quas mare eijcit ab eiusdem impetu aggeribus ingentibus defenditur; quorum constructio, ac conseruatio, pluris quam tota Regio æstimantur. Quamuis autem dicto modo defendatur: tamen cum Oceano ipso inferior sit, & ob id aqua pluuialis excurrere non possit, ea inundaretur, & submergeretur, nisi artificiosis machinis aquæductorijs, & molis quæ vento agitantur, per diuersos aquæ ductus, & canales in mare eijceretur. Qui duplices ianuas habent, quæ mari decrescente sponte aperiuntur, accrescente rursus occluduntur. Sumptus in hæc singulis annis impendendos, si quis calculare vellet, incredibile existimaret, hanc Prouinciam nihilominus tantum bellum sustinere & gerere posse.

Hollandiæ descriptio.

Sed Regio est admodum populosa, comprehendens circiter triginta vrbes, & 400. pagos, omnes incolis plenos, qui nauigando, piscando, negotiando, sale coquendo, naues ædificando, aggeres construendo, retia texendo, rudentes aliaque instrumẽta rei nauali, & piscationi idonea & necessaria faciendo, sese sustentant; excepta agrorum cultura, qui etiã fertilisimi sint, tamen ob multitudinem hominum fit, vt fruges vix quarte parti sufficiant, nihilominus tamen tanta copia frumenti abundat, vt alijs impartire possit.

Populus.

Fertilisima habet pascua iumentis alendis, Leporum, Cuniculorum, & id genus ferarum copiam: producit quoque equos egregios & fortes. Diligentia, sedulitate, reique nauali peritia, incolæ, ita semper frumento, Sale, Butyro, Cascis, Halecibus salitis & fumigatis, piscibus, & telis lineis abundant, vt in Germaniam, Ostlandiam, Galliam, Angliam, Hispaniam, Italiam, imò in Africam & Indiam vsque deuehant. Pretium butyri, & cascorum, eo modo euectorum nõ computatis ijs, quos ad propriam & belli necessitatẽ referuant, pluris quam 200000. florenis æstimatur.

Hollãdiæ fertilitas.

Sexus etiam fœmininus, cuius infinitus est numerus, (quia virorum plurimi in mari aut bello moriuntur) tam est diligens, & sedulus, vt nendo, & telam Hollandicam texendo vbique terrarum celebrentur. Populus certe comis, humanus, simplex, hilaris, ad quamuis rem honestam idoneus, & pronus.

Hollandicæ fœminarum industria.

Id quoque in exemplum ignauarum, de fœminis addere operepretium esse duximus, nimirum eas tanta esse industria præditas, vt in maritorum absentia virilia negotia administrare, mercaturam exercere, rationes inire, & de vna ciuitate in alteram, absque vlla famæ suspicione vel læsione, quod in nulla alia Regione videre est, ire & redire possint, quod fœminis ibi paulò plus impij tribuit, quàm extranei (apud quos magis ambitio, & superbia, quam simplex honestas regnat) laudent. Etsi etiam fœminæ cum viris maiorem negotiationis, quam alibi cũram habeant, tamen pro optimis matronis liberos educandi optimeq; rem familiarem administrandi, & domos suas varia suppellectile domestica instruendi gnaris habentur.

AD 1590. Quamuis Regio sit amœna, ligno tamen ad vsum necessarium destituitur, sed è contra multis paludibus beata est, vnde lutum rētibus extrahunt, quod à sole siccatum, in quadratam formam dissecant, & cespites nominant, quibus ad coquendam cereuiliam, pinsendum panem vtuntur in tanta affluentia, vt vicinis suis largè impertiant. Prouinciam hanc præterlabitur Rhenus, præcipuus Germaniæ fluuius, qui in tres partes sese diuidens, videlicet Iſulam, Lecam, & VVahalim, vnà cum Mosa ex Gallia oriunte, in mare excurrit. His fluuijs, naturæ commoditate nauigatio vel permitti, vel impediri facilè potest, prout necessitas vrget, vnde etiam hodierno tempore, mercibus, quæ tam mari quam prædictis fluuijs aduehuntur, vectigalia, vulgo Lecenten/ imponendo, magnam vim pecuniæ ad continuationem belli, extrahunt.

Hollandia carens ligno.

Hac de causa nauium numero, ædium numerum excedente, fit vt tota hæc Prouincia, cellarium, promptuarium, & horreum sit omnium mercium ex Oriente in Occidentem, & rursus ex Occidente in Orientem transuehendarum, æstate in Orientem, & hyeme in Occidentem nauigando. Præter tantam nauium copiam Nautas & Piscatores habet expertissimos, non prædæ, sed honesto lucro deditos.

Prædicta nauium nautarumque abundantia inde colligi potest, quod an. 1587. vltra 600. naues Hollandicæ à Rege Daniæ arrestatæ fuerunt quot iam naues præter has, eodem tempore in Norvvegiam, Angliam, Schotiam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Turciam, aliasque Regiones & Insulas abierunt? certè numero incredibili. His addantur alia centena genera nauium, qui in mare Oceanum, Norvvegiam, Angliam, Schotiam, Irlandiam piscatum nauigant, & nullum portum intrant, nisi vnde egressi sunt: vnde ijdem pisces & haleces iterum alijs nauibus alio veluntur; imò eo vbi capti sunt. Et quamuis nautarum, qui in transuehendis mercibus hinc inde operam dant, vti supra dictum est, magnus sit numerus, tamen plures inueniuntur piscatores, qui simul & eodem tempore piscatum eunt.

Atque, quod mirandum est, plurimi & multa millia domi & in ipsa Hollandia, alio genere nauium flumina intranea nauigando victum quærentes se sustentant. Nihilominus etiam agri coluntur, bella contra potentissimum hostem geruntur, ciuitates à suis ciuibus sine extraneorum præsidio defenduntur & custodiuntur.

Si quis sumptum in huiusmodi naues factas, & thesauros fortunæ marijs commissos æstimare vellet, profectò admiraretur. Hoc supputari potest, quotānis in Hollandia, quæ tamen ligno caret, mille tam magnas quam paruas naues Oceano nauigandi o idoneas de nouo fabricari, quarum singulæ simul omnibus computatis, antequam malis & velis instruantur, 2000. coronatis constāt, quod in summa efficit quadragies centena florenorum millia. Nauiculæ quibus domi vtuntur, non minoris æstimandæ. Quanta mala, & vela, eiusque generis res aliæ, tandem etiam anchoræ, tormenta, commeatus necessarius ad perficiendum naues, imò denique quando varijs iam mercibus onustæ sunt constant?

Hæc si quis consideret, non mirabitur, Prouinciam hanc tam paruam, tanto Monarchæ sese audere & posse opponere, imò facilè credet, Hispanos tandem de subiugatione eius desperaturos, & renunciaturos, cum se contra inuasionem hostis inundatione agrorum, vti Leydæ accidit, defendere possint: ad extremum etiam redacta tantam habeat copiā nauium, quibus tam homines, quam animalia, bona imponi, indeque tanquam ex Insula aliqua, relictis aut incensis vrbibus & domibus, sese tueri queat. Atque hæc de Hollandia.

Zelandiæ descriptio.

Quæ de Hollandia dicta sunt, etiam ferè omni ex parte de Zelandia intelligenda sunt, vtputa eiusdem naturæ & conditionis, & populus æqualis. Nisi quod Zelandi Hollandis aliquanto fint fagaciores, nimirum soli, & vicinis calidioribus paulò proximiores: sed fertilitate, nauigationibus ac piscationibus omninò adæquanda. Vna eademque forma gubernationis regitur, ijsdem Legibus & Priuilegijs vtitur, quemadmodum etiam longo tempore ab vno eodemque Gubernatore gubernata fuit.

Zelandia præcipuè tres comprehendit Insulas, quæ ab inuicem mari diuisæ, vel inundatæ sunt, videlicet VValachria, Schouvvenia, & Zuitbeuerlandia: Omnes inter Hollandiam, Flandriam, Brabantiam, & mare Oceanum sitæ, aliquantum Meridiem versus, vnde etiam hyeme nauibus commode portus intrare & exire possunt, quod in Hollandia fieri non potest.

Zelādicorum aggeris externi longitudo ad 40 miliaria se extendit. Internique contra 4. accreuisset, vel alluisset.

Zelandiæ diuitiæ, vis ac potentia colligenda est, ex contributionibus, quas Præfecti aggeribus, vulgo Dickgrauen appellati, collectant. Circuitus Insularum Zelandicarum, aggeribus munitus, est miliarium quadraginta, & in singula miliaria computantur Radij 400. atque in singulos Radios pedes 12. His exceptis multos habet aggeres internos, transfersum per regiones sese extendentes, & olim loco aggerem externum fuerunt, antequam tanta pars terræ iterum adijcit. Præterea, vt harum Insularum magnitudo cognascatur, sciendum est, montes ibi esse arenosos seu colles, vulgo Zeduinen/ quos Procellæ maris & ventus eijcit, eorumque in

VVala-

VValachria & Schouvvenia plurimos. Impensæ horum prædictorum aggerum externorum ingentes admodum sunt; nam Radius quisque 12. pedum constat decem libris Flandricis, hoc est, sexaginta florenis: quod in miliare computando efficit quatuordecim mille libras, aut octogintaquatuor mille florenos, ita vt computatum sit externos hos aggeres quatuordecim scilicet miliarium constitisse quingentis & sexaginta millibus libris Flandricis, vel quod idem est tribus millionibus, trecentis & sexaginta millibus florenis, exceptis impensis in eorum conservationem quotannis faciendis. Vnde harum Insularum diuitiæ, & Prouentus æstimari possunt, qui omnes ex earum frugibus, & nauigationibus conquirantur, & lucrentur oportet. An. 1590.

VValachria quatuor habet ciuitates, Middelburgum, Campueram, Vlissingam, & Armudam. Ex quibus Middelburgum à postrema sua obsidione, & vrbis Antverpientis ab Hispanis subiugatione, diuitijs, populo ac mercatura valde accreuit, ita vt ciuitatem ampliare, & nouis portibus, vallis, portisque ornatissimis munire necesse fuerit. Non ita dudum veteri Turri impositum est culmen altissimum cum gallo deaurato, in gratiam nauigantium, vt illis melius loco signi inseruiret, cuius summus addito etiam egregio Horologio & campana, viginti sex millibus libris, aut centum quinquaginta sex mille florenis æstimati sunt. Hæc breuiter de Holandia & Zelandia.

Prouinciæ vnitæ florebant quoque eo magis, quod Prouinciæ cum reconciliatæ cum vicinis suis omne onus belli sentirent, & non obstantibus Regis maximis diuitijs miserè depopularentur, ac quotannis ex India multis myriadibus auri aduectis, atque continuis exactionibus, quarum maxima pars in vnitarum Prouinciarum commodum cedebat, vexarentur. Parmensis ipsemet anno 1585. coram deputatis vrbis Antverpiensis confessus est, Regem vltra sexaginta milliones in bellum hoc impendisse, exceptis Prouinciarum Contributionib. quibus plane exhaustæ essent. Et ita maxime Regis diuitiæ, quibus Principibus & sapientibus mundi formidabilis videbatur, non solum (quia alijs bellis & negotijs externis sese immiscebat) nihil effecerunt: sed etiam quandoque parua pecuniæ summa deficiente, optima rei gerendæ occasio adempta, & victoriæ cursus interruptus, imò diuina prouidentia planè à manib. eruptus est: vti accidit post victoriam contra Comitem Ludouicum adeptam, occupationem vrbis Harlemi, Zirckfei, & aliarum. *Prouinciarum reconciliatarum cum Rege miseria.*

Quæ omnia potissimum ex mala regimine extraneorum, cui non nisi insames, auari & proprium magis quàm Regis commodum quærentes interesse cupiebant, quos deficientibus alijs ex necessitate rebus præficere Regem oportuit: quemadmodum videre licuit in militibus Hispanis, qui iam diu in Flandria commorantes pro stipendiorum solutione sollicitarent, quandoque etiam pannos loco pecuniæ acceperant, quo non solum Præfecti militares, sed etiã mercatores milites de fraudabant & emungebant, ita vt quod pro quatuor florenis ipsis datum erat, vix vno & dimidio vendere possent, tali autem confusione magis inter Germanos, & Belgas, quàm Hispanos vtebantur, quos timebant. Nihilominus tamen & hi initio anno 1590. tumultu excitato vrbẽ Cortricensem in Flandria inuadunt. Cùm enim ciuiũ plurimi duos Prædones viuos comburi spectatum iuissent, hac opportunitate ciuitatẽ intrant, & cæsis quibusdam ea potiuntur: vndè scribebant & mittebant ad quoscunq; sue nationis, vt sese associarent; tentabant quoque similia in vrbem Brugensem, & alias: verum contra prospectum erat. Itaque in dicta vrbe & circumcirca diù omnem petulantiam exercuerunt, quos etiam Princeps ipse de Ascoli non poterat comprimere: sed eundem inuitum loco obsidis apud se detinebant. *Præfecti Regij malè administrant.* *Hispani ob non solutum stipendium tumultuantur, & Cortry occupant.*

Tandem cum hæc confusio ex auaritia Officiariorum euenisset, quidam adueniente Comite Fuentano ex Hispania anno 92. acriter puniebantur: qui Dominum de Sussay, & alios incarcerari, quosdam etiam capite truncari iubebat, & ita Præpositos rei nummariæ, vulgo Finantz, paululum reformabat.

Enarrata iam natura, & statu harum Belgicarum Prouinciarum, indicare pergemus, quomodo Parmensi pecunia & milite destituta, atque bello Gallico impedito, Ordines Prouinciarum vnitarum, huius opportunitatis rationem habentes, fines earum tam vi, quam stratagematibus varijs dilatare, conati sint. In primis subtili inuentione recuperarunt arcem, & vrbem Bredanam, quàm ante octo annos amiserant. Cumque res scitu & lectu sit digna, plenius eam describemus.

Philippus Comes à Nassau, Comitis Iohannis filius, vrbis Gorcomensis, VVorcummensis, & Arcis Leevvensteinij Gubernator, collocutus est ad nomine Mauricij Auratici Principis, cũ viro quodam nobili, Carolo Herauguirio Cameracensi, vnius cohortis Præfecto, de stratagemate aliquo contra arcem & vrbem Bredanam instituendo, addens Nautas quosdam eius ditionis, & familiæ Nassouicæ vasallos ex singulari erga Principem naturalem affectione officia sua ad id prompte obtulisse, ac cum naubius suis soliti essent, ligna cespitesq; in arcem & vrbem aduehere existimare eo prætextu facinus aliquod egregium tentari, & perfici posse. *Comes Mauritius stratagemate vrbe & arcem Bredanam occupat.*

Herauguirius re bene deliberata, & periculis omnibus consideratis, Hagam (quo circa fi-

Digitized by Google

An. 1590. nem Februarij veniebat ad Comitem Mauricium plenius de hoc negotio cum S.E. tractaturus, proficiscitur. Ibi concluditur opera Nautæ Adriani Bergensis, qui Cespites (quibus Præsidiarij maximoperè indigebant) in Arcem aduehere debebat, facinus illud audax inchoandum, & ad D. Oudebarneueldium, vt de pecunia, commeatuque necessario, casu quo res succederet, prouideret, scribendum.

Cùm Nauta hoc Herauguirius ita egit, vt nauis sua in Pago Luere duabus miliaribus ab vrbe distanti, tecto depresso tegeretur, vt 70. milites recipi possent, deinde Cespites in formam laterum, ordine & altè superimponerentur. His adornatis negotio perficiendo statuebatur vltima Februarij: impediebantur autem aliquot diebus glacie & gelu, non absque periculo & metu, ne res innotesceret. Herauguirius è cohorte Comitis Philippi 16. viros, quibus præerat Capitaneus Iohannes Logier: ex cohorte D. de Famars, ex oppido Huesden etiam 16. milites, quibus præerat Capitaneus de Farnet. Ex cohorte Domini Lirensis milites 13. quibus præerat Matthias Heldius locum tenens, & ex propria cohorte præstolabatur sub Capitaneo Gerhardo de Prais, milites 24.

His Herauguirius nocte nauè ingredi proposuerat, sed cũ ab ea casu aberrarent, & de executione desperarent, de naue incendenda, antequam res patesceret, consultabant: exspectabant tamen in noctem proximã, Comiti Mauricio nauem in Clunderis esse significantes. Ita die lunæ vesperi nauem intrarunt, ibique vsq; ad diem Iouis commorati sunt, quia vento aduerso impediti, neque sursum, neque deorsum venire poterant, interim magna penuria cibariorum, vtpotè qui sibi de ijs non prouiderãt, laborantes, & ingens frigus perpetietes. Quapropter noctu cogebantur è naui ad Propugnaculum Nordam excurrere, vbi multis calumnijs à suis afficiebatur, quos tamen tandem bonis verbis placabat, & sese exemplo statuens, periculo, ignominia, honore & vtilitate consequenti, si ei obtemperarent, propositis induxit, vt negotium denuo tentarent. Cùm iam tota die eo loci cõmorati essent, nauem quarta parte miliaris ab vrbe iacentem, die Iouis vesperi rursus intrant, & die Sabbathi manè circiter horam 10. prope siluam, vulgo Netgersbusch nuncupatam, non longe ab Arce, ni ab vno latere in terram adiguntur. Interim dum refluxum aquæ exspectarent, & nauis interius rupta esset, tanta aqua repleta est, vt milites ad genua vsque in aqua stantes, de vita desperarent, vtputa qui iam intra Arcem conclusi

Periculi Heranguirij cum suis.

sese mouere non auderent: verùm crescẽte aqua miraculosè nauis spontè obstructa est. Interea quoque dum ibi hærerent, Præfectus vigilum accedit, nauem visitaturus, hanc intrans, seneſtrã Cameræ, in qua milites latebant, aperit, nihil autem inueniens, quietus recedit. Eò enim momento, singulari quodam fortunio, nullus militum erat, qui tussi ieuaxaretur, aut alias hisceret, qua tamen, ob nimium perpessum frigus, maximè laborabant, vt vererentur, ne forte seipsos proderent. Inter cæteros locumtenens, Lirani adeo tussiendo fuit vexatus, vt alijs suum ipsius gladium ipsum, ne omnes prodat, interficiendi causa, obtulerit. Post nonam iterum horam, aqua crescente, cataracta arcis aperitur, nauisque intromittitur, & quia ob magnum glaciei

Maximũ Heranguirio imminens periculum.

Itali nauem proitabunt.

acerum difficilè promouebatur, ipsorum Italicorum militum excubias agentium adiumẽto, trudendo trahendoque (Troyanorum exemplo, Græcorum equum, ligneum admittentium) fuit recepta. Naue iam immissa & alligata, Vigilum Præfectus arcis, sub vesperum singulis vigilum domunculis bene cespitibus prospici mandauit.

Hoc mandato, ilico tot cespites exportarunt, vt concauitas ferè, magno nautæ & latentium angore, conspiceretur. Verùm nauta industrius admodum & astutus, cum singulis mediocri ter portionem distribuisset, labore se desessum simulabat, & socijs suis argentum suppeditabat, vt ipsi milites exportantes ad pocula se reficiendi gratia, inuitarent: & ne reliqui cespites ante

Alterum Heranguirio imminens periculum.

sequentem diem exonerentur, efficiant. Atque ne fraudem inde olfacerent, & finistre forte suspicarentur (dum cognouerat, arcis præfidiarios Comitem Mauricium in itinere esse resciuisse, & ob id vnam tantum nauem intromittere voluisse) ipse quoque exiuit, quasi etiam se reficere vellet, interim clàm se subduxit, & Mauricio, vt vt res succesisset, significauit.

Gubernator verò Arcis & vrbis Lansa Vechia callidè subornatis coryczis persuasus, Mauricij stratagemã Gertsdebergã paratũ. Vesperè iam obscuro vigilijs; dispositis, alter nauta, ne ltrepitus latentium adhuc facilè audiantur, sæpius subinde sentinam, quam nauis à glacie perforata esset, exhauriuit: his ita prospere agentibus, ad mediam vsque noctem in naui le secreto continuerunt.

Herauguirius e naue suos euocauit.

Tum demum, D. Herauguirius, tempus tunc esse existimans, milites admonuit, atque rem diuino freti auxilio, aggrediendam fortiter hortatur. Sic itaque nautæ sentina demandata, cuius continuo strepitu, suos omnes, adstantibus prope, neque tamen scientibus vigilibus, naui eduxit, binis caterus sub Lamberto, & Seruetto Capitaneis, distribuit. Ille ad portum Septentrionalem abire iussus. Hi cum altero iuxta Armamentarium ad portam vrbem, vrbis versus tendit. Cum iam suis ordine præiret, Italus quidam ipsum acclamabat, cui nihil respondebat, sed propius accedendo, gulam ipsi comprehendit, & vociferari prohibuit, si vitam retinere velit

velit, deinceps de rerum ſtatu ipſum quærens, quot numero eſſent præſidiarij? Reſpondet Italus, trecenti quinquaginta. Ad quod Herauguirius, videns ſuos timebundos, ſe certò ſcire, haud vltra quinquaginta eſſe, & quamuis multo plures ſint numero, tamen cœpto inſiſtendum. Ad excubitores progredientes, ab vno foris conſtituto acclamantur, Qui va la, cui reſponſi loco, breuiori haſta pectus pertrudunt. Hinc armorum acclamatio ſuborta, pugna cum Vigilibus, & Vigiles viſitantibus conſerta. Signifer è domunculo exſiliens, in Herauguirium, ipſum brachio vulnerans, iterum tamen varijs inflictis ictibus ſuccumbens. Reliqui bombardis & haſtis iſtos qui adhuc in domunculo, per feneſtras & oſtium, contuderunt, ipſoſque gratiam expetere coëgerunt, quam tamen, ob ſummam pericula, minimè impetrarunt. An. 1590.

Interea armorum acclamatio à Paulo Anthonio Lanciauechia locum tenente incœpta, qui ab alia parte vſque ad ſummum arcis propellebatur, vnde eruptionem tentabant 36. militibus. Qui, Paulo Anthonio vulnerato, refugere cogebantur. Hic Capitaneus Heruetius itidem vulneratur.

Interea in vrbe etiam armorum acclamatio oriebatur, quidam arcis portam vrbem verſus igne incendere, contra Herauguir continuos ictus molichantur. Hæ porta iam expugnata & quibuſdam Herauguerij ſatis cuſtodita, Herauguerius, cum cæteris ſuis, ad aliam Excubitorum domunculam, propè arcis magnam aream, properat. Vbi quidam licet reſiſtebant, tándem tamen proſtrati.

His ita mira felicitate peractis, ignitiſque ſignibus editis. Continuò Hohenlous Comes cum Mauricio arci appropinquauit: quia verò exterior arcis porta aperiri ob glaciē, nequibat, Hohenlous cum militibus ſuis ſæpimento palorum confracto cataractam propè latroierunt. Hoc facto Iunior Lanciavechia cum Hohenloio conuenire inſtituit, ea conditione, vt liberè cū ſuis dimitteretur. Haud multò poſt Mauricius equitibus & peditibus comitatus (Inter quos, Comes Philippus à Naſſavv, Comes Solmenſis, D. Franciſcus Vere Anglorum Præfectus; item Admiralius Iuſtinus Naſſouius, Admiralius Verduoſs, Dñ Famars, alijq; Præfecti complures.

Cumque Hohenlous Comes Ciues ad redintegrandā cum ſuo Domino vnionem admoniſſet, & inter ea Comes Mauricius diurum vrbis portarum oppugnationem inſtitueret, Ciues Tympaniſtam emittunt, veniam Conſules ablegandi & conueniendi, poſtulando. Qua conceſſa, quidam delegebantur, & hora necdum præterita, paciſcebantur. Scilicet, vt ciues depræda tionem duobus menſtruis ſtipendijs, à militibus redimerent. 90000. florenorum militibus. Ad quod Comes Mauricius armis ſæpoſitis, Dominum von der Nooth/ Capitaneum ſuæ Guardiæ, intromiſit vrbis curiam aliaſque firmiora loca cuſtodiendi ergo

Inter alia, hic inſerendum, quod poſt primam in arce factam acclamationem Turma Equitum Marchionis de Guaſto, & quinq; cohortes peditum Italicorum, præ metu & timore adeò turbati, vt portarum vnam perfregerint, & ſummo cum dedecore aufugerint. Licet etiam ciues, depræda tionem metuentes, omnem opem & fidele auxilium ipſis offerrent, & vrbem defendere vna rogarent. Nihil verò profecerunt; ſed porta diſrupta fugam dederunt. Relicta, præter prædas ſuas, inſigni puſillanimitatis memoria, (euidentiſſimo diuinæ pœnæ argumento) inauditorum furtorum, prædationum, ſortationum, adulteriorum, horribiliumque, facinorum ſuorum commiſſorum, quorū me miniſſe indecorum ne dicā facere. Quæ Parmenſis, cōſiderata clade, & nata infamia, Hiſpanorum inſtinctu, vindicare non præterijt. Quoſdam enim præcipuos, capite mulctauit; Cæſarem Gintra, Iulium Gratianum, Terlantinum, Marquitij de Guaſto Subſtitutum, & Præfectum Vigilum, qui minus diligenter nauem perluſtrarat.

Miranda hæc fuit & paucorum ſanguine, varijs tamen præcipitibus pugnis confecta expugnatio. Vnus namq; oppugnantium proprio infortunio, in tenebris, in aquam cadendo ſubmergendo perijt. Præſidiariorum arcis, haud vltra 40. deliderabantur.

Pro hac Inſigni Victoria, Vnitæ Prouinciæ Deo publicas laudes & gratiarum actiones debitè egerunt, feriis, Ieiunijsque vbique vnanimiter celebratis. Percuſſis in æternam rei memoriam, aureis, argenteis & æneis nummis. Hac inſcriptione: Bredam 4. Martij. Anno 1590. per Comitem Mauricium Hiſpanica ſeruitute liberatam. Alia in parte, foſſa & nauis ceſpitibus plena, depicta, qua milites ſcandendo exibant. Circumſcriptione tali, vincendi aut moriendi parati. 4. Martij & porro, Merces Inuicti animi.

Vrbe fortiter feliciterque dictis modis expugnata, Comes Mauricius Ordinum conſenſu, D. Herauguirium, vrbis arcis, & territorij Bredenſis, plenaria Gubernatione, Capitaneū Lambertū Caroluin, verò eiuſdē vrbis & arcis Vigilū Præfectura decoruit. Reliquos Capitaneos, & milites gregarios, ſingulos, deſcripto nummo aureo & adiuncta pecuniæ ſumma, donauit. Facta proinillione, vnumquemque illorum pro cuiuſque dignitate & virtute, quacunque occaſione oblata ad auguſtiora fore promotum. Nautæ itidem liberaliter muneribus & honorarijs ſinguli honorati.

Herauguerius vrbis & arcis Gubernator conſtituitur.

Digitized by Google

An. 1580. Continuò etiam vrbi, iuxta ſtatutum Ordinum, D. ab Oldenberneuelt, munitionibus & victualibus pro ſeſquianno octauo ad decimũ diem proſpexit. vnaque quadringentorum equitum, & duodecim centuriarum peditum præſidio collocato. Ciues itidem quinq; centurijs diſtributi, vt ex parte etiam præſidiarijs, vigilijs excubijſque ſuccurrerent. Idque Satrapa Bermini Prætore Aſſendelfftio, Leuchtenburgo, aliiſque electis Capitancis.

Parmenſis Mansfeldium Bredam mittit, qui ter Geyden propugnaculum extruit.

Facta hac clade Parmenſis, Martio necdum elapſo, Carolum Mansfeldium, 4000. circiter comitatum millibus Bredam iſtorum excurſiones reprimendi gratia allegauit. Quare Mansfeldius cum ſuis circumcirca, Oofterholti, Tetrungeni, aliiſque commodiſſimis locis ſeſe diſpoſuit. Arcem Seuenbergenſem, aliaque fortiora loca expugnauit. In pago Terheydæ intra Seuenbergam & Bredã, ad fluuium Marcktam munimentum ingens & firmum exſtruxit, ponte vltrà fluuium facto, quo omnem aduectionem commodè impedire poſſet, nec iſthinc prius, quam munimento plenè confecto, diſceſſit, vrbem hac ratione fubigere ratus.

Mauritius exercitum e duxit, & ante Nouiomagũ propugnaculum Knodſenburgum extruit.

Interea, Menſe Maijo, munitiſſimum Propugnaculum, propè Seuenbergam, Nordam dictum ad flumen ſitum, Mansfeldius obſederat, & 13. & 14. Maij, ſeptem tormentis, millies ducentiesiacularat, pariter crebriusimpugnarat, maiorem etiam naucm, inſigni ſpeculatorio in mali ſummo exſtructo, militibuſq; maioribus bombardis in eo, interiores à defenſione prohibendi gratia, collocatis, adduci iuſſerat: pontes etiam foſſam impugnando traijciendi cauſa confecerant. Bis vallum aggredicbantur; ſemper tamen repulſi. duorum Capitaneorum Italorum & aliorum quorundam notabilium Belgarum iactura. Sex aut ſeptingenta homines pro hoc propugnaculo occubuiſſe computabantur. Eam maximè ob cauſam, quod nauis igne fortuito accenſa, & milites omnes combuſti fuerint. Quare Mansfeldius pluribus è ſuperſtitibus vulneratis recedere fuit coactus.

Dum hæc agebantur, vnitæ Prouinciæ exigua quædam caſtra ſub Comite Mauricio & Hohenloio collegerant, ijs Menſe Maijo in Bethauiam recedebant, & è regione vrbis Nouiomagi, ad ripam VValæ fluuij, vrbem angendi animo, ingens ibi Propugnaculum exſtruere cœperunt, eoque Mansfeldium Nordam deſerere, Mauriciumq; fugare, vt ſtatuerit, effecerunt. Verum imparem ſe viribus expertus, mutauit propoſitum. indeque in Leodienſem regionem, propè Moſam receſſit. Quare Mauricius per integram iſtic æſtatem commoratus, donec omnia ex ſententia contra vrbanorum impetus confecta eſſent. Qui Mansfeldij freti auxilio, vehementiſſimè tormenta ſua in Operarios explodebant. Verum his parui penſis, Menſe Iulio, Propugnaculum ad mediocrem defenſionis neceſſitatem aptum redditur. Knodſenburgumq; inſignitur. A contis, quod ſcilicet iſthic conti fint abſcondiri, quibus Nouiomagenſes tundendi. Munitionibus ilico, tormentis, aliiſque requiſitis proſpicitur, & Capitanei Gerhardi Iunij 400. militum præſidio firmatur. Hoc Propugnaculo Ordines Bethauiam, à contributionibus Hiſpanorum vindicarunt, VValamque flumen, ſuarum Prouinciarum limitem conſtituerunt, vna ſperantes, hinccótinua tormentorum violentia, Nouiomagos tandem ad deditionem fore ſubigendos.

Comes Mauricius VVaelam flumẽ, infra à Bommelia, vſq; ſupra ad Domum vectigalis Ducis Cliuenſis, ſiue ad Propugnaculum Schenckij, ſuis caſtris muniuit ad impediendum ne hoſtis ipſis militaribus nauibus ſuccurrat. Putabant enim Mansfeldium in agro Leodienſi, indies viribus creſcentem VVaelam traijcere ſtatuiſſe, vti Nouiomagi ardenter flagitarant, qui Propugnaculi continuos ictus metuentes, ſecum diſſidere ex parte cœperunt, ita vt plures præſidiarios admittere Parmenſi recuſarint.

Ordines nouã nauigandi foſſam per Bethauiam effodiunt.

Eodem tempore Ordines, nouam nauigationibus aptam foſſam, per Bethauiam infra Nouiomagum à Rheno In VValam fodiendo perduxerant, & inſerius Vallum firmiſſimum iecerant. Ita vt Nouiomagum, eminus linqẽtes, flumen hinc inde pernauigare poſſent, & ſimul in ſeriorem, Bethauiam, vſque propè Dordracum, firmiorem & ab aquarum inundationibus tutiorem reddiderint. Aliud adhuc munimentum Ordines in Inſula VVorna ſupra Bommelam propè Herwverdam per Comitem Solmenſem, conſtruxerunt.

Mauricius Geldriæ Gubernator efficitur. Verdugo in Frifia Ementilium ſuperat.

Quam ob Mauricij induſtriam reliquæ vnitæ Geldriæ Prouinciæ, Comitem Mauricium Naſſouicum, natum Ourangiæ Principem, &c. In Gubernatorem ſibi delegerunt A Parte Hiſpanorum Marchio Varrabonius Gubernationem locorum ſibi ſubiectorum, tenebat.

In Friſia multas poſt flagitationes Verdugoni Gubernanti plures copiæ à Parmenſi tranſmittuntur. Loco quod argentum milites ſedandi poſtularat, (vti ex literis Groningæ 15. Martij datis & intercepris videre fuit) plures milites itidem egentes & tumultuantes Parmenſis mittit. Ita vt propè 65. peditum centurias, & quinque equitum turmas in numerato. Tandem cum aliam rationem ſuos ſedandi reperiſſet, ex improuiſo, pluribus præſidiariorum abſentibus, & ſtratagema molientibus, Propugnaculum Ementilium expugnauit, inde Nieuzielam procedens. Quare Ordinum Gubernator Comes VVilhelmus à Naſſauv etiam copias conſcripſit, & cum Menſe Iulio à Mauritio per Oberſteinium ſubſidium acciperet, Collum caſtra poſuit.

Eregio-

E regione, ab altera parte Opschlagij Verdugo sua castra figebat. Istic vterque cunctando, & quomodo alter alteri circumuenire posset, consulendo, multum temporis sine fructu magno, haud paruo tamen dispendio, consumpserunt. An. 1590.

Eo tempore, bellum Regis Hispaniæ nomine, non tam anxiè quam antè, gerebatur idque per hoc, quod Rex Hispan. firmiter secum concluserat, hinc inde, Sanctæ Ligæ sese iungendo, bellum Galliarum Regi inferendi. Non obscurè perspiciens, Henricum Quartum nouum Regem constituturum, vt ipse sibi supra omnes alios sit timendus. Scilicet vt eum (qui virtute militari præstantissimus, & super hoc Reformatæ Religioni addictissimus esset, deinde etiam qui potissimum titulum Regni Nauarræ possideret) initio summopere reprimat. Alias verendum admodum, ne non solum suum recuperet, sed etiam, cum ob Religionis zelum, tum Regni ampliandi studium, Belgium Regi præripiat. Tum etiam ob vindictæ cupiditatem in Ducem Sabaudum, qui ipsius adminiculo Marchionatum Saluciæ, parêtibus suis eripuerat, iamque etiam Coronæ Franciæ Competitorem se declaret, vti alias Prouincias in hoc etiam instigarat, exemplo Lotharingiæ Ducis, Langrienlijs alijsque, iniuriam facientis. *Rex Hispaniarum Galliæ bellum inferre, & Henricum à se Regem constitutum, vt ipse sibi supra omnes timendus sit.*

Ea propter Rex Philippus, optimo consilio statuerat, bellum Gallis inferre, potius, quam sibi inferatur. Cui rei omnem industriam & potentiam suam destinauit. Etiam Papam Sixtum Quintum vna instiguit, cumque, cùm metu, tum consilio, perterruit, proponens, Hæreticum Galliæ Regem omnibus vijs modisq; conaturum, bellum in Sabaudiam, inde in Plementium, consequenter in Italiam, dirigendi, vt Papam Romanæ Ecclesiæ Principem hostem suum, & pro Antechristo habitum, suffocare, & Christianismum reformare, queat: quo fundamine hoc tanè tempore, in Italia Excommunicationes, subniti planè videntur. Hæ persuasiones Papam primò aliqua ex parte commouerant, Ligæ etiam sese iungendi. Postea vero dum obsteterent, Regem Hispan. aliud quid ambitiosè vænari, aliud secum inijt consilium: Studens orta in Gallijs dissidia, mitioribus mederi remedijs; Audientiam Nobilibus Galliæ Catholicis, Regique addictis clementer largiendo, pro Rege præcandum, iussit; quo conuertatur, &c. vndè spes optima erat, Regem Excommunicatione facile absolutum iri. Hoc ad stabiliendum, talibus vsi rationibus: minus difficiliusque obedientiam & officium Vasallorum erga Dominus prohiberi posse, quam vxorum erga maritos, filiorum erga parentes, seruorum erga dominos, quamuis etiam excommunicati fuerint, &c. Sicitaque Papa ibi metuens, ne Rex Hispan. potentia Regum Galliæ (qui ipsum semper frenum iniecerint, & in alios inferiores vicinos fœuire pro genio & ingenio suo, cohibuerint,) infracta atque subacta, deinde pro innata Hispanorum domina diauaritia omnes alios infirmiores status, aut Duces Italiæ supprimat, ipsique pro libitu imperet, legesque præscribat. Regis Hispaniæ sententiæ itaq; subscribere abnegauit, aliaque tentanda secum callidè & secretò conclusit. *Papa Sixtus V. magno zelo obijt.*

Quæ dum effecta reddere, laborarent, & ingentes thesauros, insigne aliquid tentandi, comparcillet, quo Italiam ab Externorum potestate redimeret, Politicus hic & planè magnanimus Papa Sixtus Quintus, hoc anno 27. Augusti morte fuit anticipatus. Cui, breui spacio, tres sibi in-uicem successerunt. Qui etiamsi Regi Hispaniarum magis essent propensi, nihil tamen ob breue vitæ curriculum præstare potuerunt.

Nihilominus tamen Rex Hispaniarum Philippus Ligæ Consœderatoribus Gallis, (quorum caput Carolus Lotharingius, Dux Maynij, Generalem Præfectum status, siue Coronæ Galliæ iese nuncupans) diligentissimè pecunias subministrauit, & Parisijs, Præter Ordinarium Legatum suum Dominum Bernhardinum à Mendosa, etiam Ioannem Baptistam de Taxis, & Commendatorem Iohannem Moreonem sustinuit. Tum Duci Sabaudiæ de pecunia & milite abundè prospexit, quo irruptionem facere posset. Vltrà hoc, Parmensi res gallicas imprimis procurandas committebat. Qui tota hyeme in locis Galliç limitaneis suis copijs sese continuit, tandem etiam, mense Februario, Philippum Egmundanum 1500. lanciarijs equitibus è turmis Ordonantiæ selectis, & 4. aut 500. sclopetarijs, alijsque peditibus, eoque ablegauit. *Comes Egmundanus à Parmense in Galliam mittitur.*

Contra Henricus 4. nunc Galliæ & Nauarræ Rex, (vt relatum superius) præcipuas omnes vrbes oppositas & rebelles; nobiles autem maxima ex parte habebat sibi addictos & subiectos: ijs multa heroica & regia facta præstitit. Hyeme præcedente suos, in tres diuiserat exercitus. Vnum sub Duce à Longeuille in Picardiam: Alterum, sub Marischalco de Aumont in Champagniam misit, Tertium ipse in Normandiam duxit, vbi securum se à littore maris reddere, & subsidium ex Anglia, aut aliunde accipere posset. *Res gestæ in Gallia*

Rege, ob diuisum suum exercitum, labefactato, Dux Maynius viribus tertia parte facilimè superans, Regè è vestigio Diepam vsq; persecutus, ipsum inuadere, vrbemq; obsidere statuens. Erat Marchionè à Ponte Ducis Lotharingiæ seniori filio, comitatus. Hic crebras velitationes subierunt, vtraq; parte fortissimis militibus succumbentibus. Postea, cum Rex alios suos exercitus ex Picardia, alijsq; regionibus vocarat, Dux Maynius castra mouit, se cum Parmense quid tractaturum simulans, quo vrbes ad Seconam fluuium, ipsi Hypothecæ loco tradere posset. *Dux Maynius ante Diepam venit. Velitationes ante Diepam instituæ.*

Cùm

An. 1590. Cùm verò Rex alacriter ipsum insequeretur, celerrime Seconam traiecit. Quare Rex iuxta Seconam Meulanum vsque tendens, viam inde Parysios instituit, suburbia deprædando combu-

Regis Galliæ res sub 1590. anni initio gestæ.

rendoque. Istinc Estampesiam, Vendosinam, Alanchoniam, aliasq; vrbes inuasit, omnes præter 14. aut 15. non superatis; quarundam tamen vrbium sumptuosa & periculosa fuit obsessio. Tanta hæc victoria, vt hostem bimestri spacio Vendosina, Tourſa, Anioto, & Mayna Prouincijs expulerit.

Interea Parmensis, quamquam cum Duce Maynio transfegerat, nullam tamen limitaneam vrbem recepit, atque multa irustra in Cameracum machinatus, nihilominus tamen Egmondanum Comitem 1500 equitibus, alijsque peditibus (vt supra recensui) ipsi transmisit: quibus Dux Maynius fortior redditus prælium cauſabatur, cum Rex iter Dreux ab obsidendi instituisset, Maynius ipsi obuians, prælium Regi propè pagum Iourrij, 14. Martij indicebat. Rex circiter 2000. equites bene instructos, & 8000. pedites: Dux Maynius cum Ligistis, 4000. equites, & 12. aut 13000. pedites habebat. Rex aciem suam ex animi sententia accuratè disposuerat, ipse in medio & fronte acie ante equites sese sistebat, quorum priora membra mere ex Principibus Comitibus, Equitibus S. Spiritus, & præcipuis Dominis ac antiquissimis Nobilibus Galliæ constabant. His acie ita dispositis, Rex ante consictum, alta voce, præces ad Deum, & ardentissimas ad milites exhortationes, fundebat, tum explosis vndique tormentis, prælium conserebatur. Marischalcus Aumontanus primam in sclopetarios Maynij equites irruptionem fubibat, qui initio ſtatim fugam elegerunt, haud multum tamen persecuti. Tum Germani Maynij equites, qui irruptioni horum quidem reſistebant, sed multum tamen dissipabantur. Istos subsequebatur, cohors peditum, turma equitum lanciariorum, item Flandri & VValones. Quibus Baro Byronius sese opponebat, à fronte tamen ipsos aggredi nequibat, à tergo ita-

Prælium propè pagum Iourrij, à Rege Galliæ & Duce Maynio cõmissum.

Egmondanus cadit.

que irrumpebat, atque pertransibat, vulneribus in facie & brachio acceptis. Interim Egmondanus maxima caterua, 750. lanciariorum, & 400. sclopetariorum, tribus adductis secum tormentis à fronte ad istos venerat. Ei Dux Monpencierius, fortissimo impetu se sistebat. Quo Dux equo deiectus, breui iterum erectus, atque tanto zelo in Egmondanum irruebat, vt ipsius exercitum turbaret, eam pumque obtineret. Egmondanus ipso in loco animam exspiraut.

Ducis Maynij equites se fugæ dederunt.

Deinde Dux Maynius ipse aduentabat, cum præcipuo exercitu, & insigni Albo. Ipsi sinistroi sum 400. sclopetarij equitabant, qui circiter vicies quater iaculabantur, post eos maxima caterua Regi insultabant, qui duorum equorum longitudine, suos præcquitabat, ingentibus plumis, quibus facilè dignosci poterat, galeæ & equo impositis. Hic conflictus omnium adhuc erat infestissimus, Maynius licet impetuosissimus, haud tamen Regis aciem perfringere potuit. Rex verò, quem sui præsse sequebãtur, semel atque iterum perrumpebat, quadrantem horæ dimicando facilè consumens priusquam Maynium dispergere posset. Album illud & summum insigne, gestantibus cæsis, ereptum fuit.

Regis Galliarum victoria prope Iourrij obtenta.

Haud minus, dum hæc aguntur, acriter à peditibus dimicatur, tandem verò equitibus desistuti, in pedes (Heluetijs exceptis,) se coniecerunt. Toto hoc tempore Marischalcus Byronius cum sua legione (quam Conseruam, aut Subsidiariam insigniebat) quietum se continuit, idq; singulari sua militari prudentia, vt eo tanto maiorem metum hostibus incuteret. Tunc victores paulatim ad Byronium sese recipiebant, mæsti atque solliciti de Regis salute. Verum ilicò ipsum hostium suorum sanguine conspurcatum, aduentantem læti conspiciunt, præcipuè brachium quæ gladium gestabat, totum sanguine tinctum, viderunt. Priusquam hostibus se extricare potcrat, duæ Heluetiorum cateruæ & tria VValonum vexilla ipsum cingebant, Rex verò hos æque at alios superauit, vexilla abstulit, idque duodecim aut tredecim suorum tantum adiutus. Interea Marischalcus Aumontinus Summus Prior, Baro Byronius, & Marischalcus Byronius, ipsi obuiam fiebant. Vbi summa hilaritate ac gratiarum actione, vnanimiter Deo laudem & victoriam tribuentes, clamabant viuat Rex Galliæ. Hinc inde multi peditum adhuc cædebantur. Heluetijs, vt dictum exceptis. Qui ese non opposuerunt, sed gratiam postularunt. Eos Rex. ad Marischalcum Byronium, vt eos saluaret, consugere iussit. Qui gratiosè recepti, vexillis atque præfectis Regi traditis. Gallis & reliquis Germanis, tempus gratiam impetrandi non erat, sed ab vnaquaque gente, 1200. interficiebantur, reliquis superstitibus pepercit, clementissimeque excepit.

Continuò Rex iterum hostẽ persequendi se accingit, cum summo Priore, & Iuniore Byronio, & præsentibus equitibus, Principe Condense, Monpenciero, Comite S. Pauli, Tremouilleo Marischalco Aumontino, comitatus. Marischalcum Byronium cum potissima ex cercitus parte, victoriam retinendi causa, post se reliquit. Rex Ducem Maynium vsq; ad portas Mante persecutus, inde porrò Parisios vsq; fugiebat. Dux Nemourſenſis, Boſſonpiereus Tanaſiretius, & Roſneus Ligistarum præcipui, Carnutum, vulgo Chartres consugiebant. Pedites maxima ex parte ceciderunt, equites verò 14. aut 1500. capti 400. Impedimenta, tormenta, & 20. vexilla equitumque cum albo & Præcipuo ipsorum vexillo, amiserunt, necnon, 60. vexilla peditum,

Dux Maynius Parisios fugit.

præter

præter Heluetiorum. Multi Præclari viri, & quidam à parte Regis obierunt, multi etiam vulnerati. Comes Philippus Egmondanus, viriliter ſe geſſit, laudemque ſe contra Regem pugnando, occubuiſſe promeruit, Rex eum Eureux ſij magnificè ſæpilire mandauit. Inimici ipſius æquius reputabant, ipſum defuncti Regis mortem vlciſci debuiſſe, qui neptem ipſius in vxorem duxerat. Liberos reliquit nullos, fratres duos, Lamoralium & Carolum, ſororem vnam. Rex ad annos aliquot neutri fratrum Comitatum adiudicare voluit. An. 1590.

Comitis Egmondani caſus encumion.

Poſt iſtud prœlium Rex multas vrbes recuperauit. Pariſienſes autem, primo animo deſpondentes, poſtea à Duce Maynio iterum ſunt: obdurati quare Rex integra æſtate eos obſedet, exiguum (niſi quod vrbem S. Dionyſij expugnaret) profuiendo. *Rex Gallie Pariſios obſidet.*

Hæc cladis cum Parmenſi animitus morderet; & Spadam ad acidos fontes ſanitatis ergo recederet, Conſiliarius Richardotus vigeſimo tertio Iunij, cum abſoluta rerum Gallicarum procurandarum Commiſſione, ex Hiſpania ablegatus, ipſum iſtic inuiſit. Necnon Archiepiſcopus Colonienſis Bauarus, Iunior Dux Iuliacenſis, alijque ipſius familiares. Secretò Ducem Maynium etiam citarat, qui cum Condeno Hannoniorum diu multumque conſultabat. *Parmenſis ſuccurrere Pariſienſibus deliberat.*

In Germania ſub Comite Hermanno Montenſe, Bentinglio, Rifferſcheidio, & Schwvartzenburgo tres aut quatuor legiones colligi curabat. Item 3000. equites ſub Eckenbergio & alijs. Deinde menſe Iulio Bruxellam venit, vbi, Ordinibus Prouinciarum iſtic conuocatis, ilicò & neceſſariò in Galliam ſibi eundum, & Pariſijs ſuccurrendum, declarauit, modumque ſe abſente Gubernandi pro tempore conſtituendo, ſeniorem Comitem Petrum Erneſtum Mansfeldicum Gubernatorem & generalé Capitaneum Belgicarum Prouinciarum ſubſtituit. Vulgo etiam ſpargebatur ipſum vna Ordinibus propoſuiſſe & conſuluiſſe, vt Iuniorem Hiſpan. Principem, Regiſque filium vnicum, quamquam abſentem, in futurum tamen Dominum recognoſcant, atque inueſtiant. *Parmenſis patrias exercitum ad Pariſios liberandos.*

Prouinciæ declarabant, inconſultum fore offenſiuum Gallis inferre bellum, & incommoda inde limitaneis regionibus imminere permulta docebant, &cæt. Verùm ab Hiſpanis & Parmenſe bellum inferre quam vt inferatur, cõſultius ſtatuebatur. Certò ſcientes, bellicoſum Regem Prouincias ſuæ innectere Coronæ, Hollandorum & Selandorum ſubſidio tentaturum.

Hisita compoſitis Parmenſis Bruxella in Hannoniã diſceſſit, adductis ſecum 18. equitum Italicorũ turmis, & quibuſdã Ordinantiç turmis: Item peditũ ſuis ipſius cohortibus ſub domino de Frenes, 4. vexillis Camilli Capi, 10. vexillis Balanconi, & 3000. Germanis, ex Barlamontini & Arenbergij cohortibus, & 23. vexillis ſeditioſorum Hiſpanorum, qui Cortraco venerant. Hi omnes 10000. peditum numerum conficiebant, veterani omnes & experti milites, cum eximio etiam equitatu. Reliquijs Egmondanorum militum non numeratis. In Prouincijs Belgicis ſub Comite Carolo Mansfeldio Subſtituto Generali Capiteneo, 9. aut 10. equitum centurias, cum quibuſdam Ordonantiæ, & 6. peditum cohortes, cum variarum aliarum cohortium multis vexillis, pro præſidijs reliquens. Parmenſi comitabantur Princeps Aſcolius, Princeps Caſtelli Beltranij, Princeps Chymaius, Dominus Zancio de Lieua, alijque Comites. Iohannes Baptiſta de Taxis caſtrorũ ſuperintendens, Motteus machinis & tormentis bellicis præfectus, Dominus Alonzonius Idiaqueſius, Dominus Antonius deSumuga Hiſpanis præerant. Petrus Gaieranus, & Capezucha, Italis.

Eo exercitu, tormentis, munitionibus, curribus, alijſque requiſitis benè inſtructo, Parmenſis pompoſiſſimè in Auguſto per Hannouiam inde in Galliam tendebat. Præcurſores ipſius, & propria equitum turma, holoſerico rubro palliati, albis lilijs ornati. Cùm Cameracum appropinquaret, vrbis conditionem anxiè conſiderabat. Verùm Gubernator Baligni nimis ipſum obſeruabat. Prope Guyſiam ſuos cenſebat; & Meauſij Maynio ſe iungebat, qui cum Pariſios properabat.

Rex diu iam iſtic commoratus, & vrbe S. Dionyſij capta, Parmenſis aduentum ſuſtinebat. Parmenſis autem Regem è longinquo artificioſè & callidè (Fabij Cunctatoris contra fortiſſimum Hannibalé inſigni exemplo) ab obſidione retrahere ſtudebat. Quotidiè multum & neceſſariorum damnum ipſi inferebat: videns Regem 6000. equitibus (inter quos 4000. Nobiles omniũ audaciſſimi & fortiſſimi) & 10000. peditibus, Sex Principibus, duobus Mariſchalcis, alijſque multis Præfectis, eſſe munitum. *Parmenſis prudenter cũ Rege præliare recuſat.*

Rex Parmenſem fruſtra diutius exſpectari cognoſcens, Pariſios reliquit ipſumq; proprius ad pagum Chelles acceſſit. Vbi Parmenſem triduum continuo, ſæpius ipſi commoditates largiendo, ad certamen allexit. Verùm Parmenſis certandi loco, ſuos ſe fodiendo munire curauit. Interim vrbeculam Laigniam, priuſquam Regi innoteſceret, obruebat, vbi 300. tantum præſidiarij inerant. Cùm verò nullis allectamentis Parmenſem ad concertandum pertrahere poſſet, Pariſios ingeniosè ſe recepit, vrbem clam conſcendendo ſeperare coq; Parmenſem euocare exiſtimans. Verum neutrum ſucceſſit, ideoque tandem caſtra, ob pecuniæ & commeatus penuriam mouere coactus; tentaturus num Parmẽſem alibi adoriri poſſet. Maximam Nobilium *Rex ſpontè obſidionem Pariſiorum ſoluit.*

partem,

Digitized by Google

partem, quorum plurimi ad certamen confluxerant, abdicauit; cum reliquis Clermontinam vrbem cingebat & superabat.

Parmenſes Parisienſes reſcit.

Tunc Parmenſi Parisijs subueniendi occasio data, qui ad extremum fame exentterati erant, imò aliquot millia fame necati: quamquam Rex primò omnes studioſos, mulieres, & imbelles, postea Ecclesiasticos qui volebant, liberè exire permisisset, & vltrà hoc pro Nobilibus matronis & Virginibus, cibaria multa immitteret. Asinina & canina carne communiter vescebantur. Imò omne quòd ventrem explere & famem paulisper sedare poterat, deuorabant. & quod his horribilius, à fide dignis transcriptum est, quoſdam, fuisse ea persuasione, Hiſpanos: qui probare & affirmare volebant, demortuorum ossa contusa & farina mista, optimum & maximù sotricem conficere panem, idque propria suorum experientia confirmabant.

Maxima Parisienſium fames angustia.

Quorum indolſiria ac dili gentia, vrbis conſeruatio aſſcribenda.

Hæc vrbs toto obsidionis tempore à Iuniori Duce Nemoursio, cui potiſſimam vrbis non superatæ laudem tribuebant, gubernabatur. Legatus Apostolicus Romanus Caietanus, & Hiſpanicus Bernhardinus de Mendoſa multum pauperibus distribuebant, quorum constantia & perseuerantia Ecclesiasticis, & varijs monachorum Ordinibus accepta ferebatur, qui concionando ardenter plebem ad patientiam hortabantur, vitæ & gloriæ æternæ spem ipsis certiſſimam promittentes. Nec concionando solum se ſortes, sed in excubijs & vigilijs, induſtrios, & ipsis præsidiarijs & ciuibus cordatiores præstiterunt. Principissæ aliæque conſpicuæ matronæ, plurimum in literas subsidiarias à Parmenſe missas, diuulgando, laborabant, quo populum desperatum, semper alia spe noua lactarent. Tandem 19. Septembr. Parmenſem celeberrimè introduxerunt, qui munitionibus allatis partim, partim vndique à vicinioribus conſcriptis, ad tempus ipsis prospexit. Quibus breui, pro vrbanorum frequentia, cõsumptis, sub hyemem iterum Asinos laniare coacti. Multi ante hyemem ciues vrbe exibant, quare hominum neceſſariorum penuria tum maxime laborarunt.

Parmenſis Corbeillium obſidet, ſuperatq; et iterum amittit.

Parmenſis, miſeris atq; famelicis Parisienſibus ad tempus reſocillatis, Corbeillium, ad flumen Seconam (quo succurſus facilè impediri à Rege poterant) obsedit, & mense peracto occupauit. Verum Rex breui post, sub Vesperum S. Martini, longè facilius quam Parmenſis, recuperabat.

Parmenſis Galliam iterùm relinquit.

Deinde hyeme instante, Parmenſis alias obsidere vrbes, cum ob temporis incommoditates, tum ob morborũ in castris grassationes, & vicius grauamina, desinens, iterum ad suos mense Nouembris se recipere proposuit. Maximè cum Galliæ vrbes sua præsidia admittere recuſarent, diſſidijs & cõtentionibus inter Gallos & exteros ortis, Ordines vnitarum etiã Prouinciarum triumpharent, quo Regem plurimum promouissent. Itaque metuens ne à Rege perſequatur, Maynium se conducere aduocauit. Quo præsente Parisijs, suis circumseptus curribus, commodè exiuit, & quamuis Rex è vestigio ipsi insisteret, & magnum ipsi intra S. Quintinum & Castellam damnum inferret, Bruxellam tamen prosperè & incolumis 4. Decembris adiuenit. Tertia suorum pars, fame, inopia, morbo, & gladio periisse, existimabatur. Egrotis præterea vndique in Gallia, Artesia, Hannonia Xenodochijs refertis, quorum multi subinde moriebantur. Quos inter Emanuel Lalaingnius, primo Dominus Montingnius, deinde Marchio Rentiniusab vxore, quæ poſtremi Marchionis ab Haulſe, familiæ Croij, filia erat. Prudens hic erat, miles peritiſſimus, Belgicorum Procerum primus à parte Regis, summæ Authoritatis & eminentiæ. Primum Generalitatis Ordinibus contra Hiſpanos, militabat, quare ipsis ex parte adhuc erat suspectus. VVilhelmus Lalaingnius, Dominus Montignius, Comes Hochſtratenſis Antonij filius, iuuenis at miles ſtrenuiſſimus, ante Parmenſis exitum etiã subitanea morte peribant. Duxerat in vxorem Mariam Christinam, Lamoralij Egmondani quinto natam filiam, tum temporis Comitis Heminij, & Domini Capreſij viduam, cui filium pepererat Alexandrum. Ex hac vxore vnum progenuit & post se reliquit filium. Secundo mortuo, tertio hæc vidua nupsit Carolo Mansfeldio. Ita Belgica nobilitas bello hoc conſumpta. Iuniores ſi qui ſuperſunt, in Hiſpaniam educandi informandi emittuntur.

VVilhelmus Lalaingnius, D. Montignius & Comes Hochſtratenſis, mortuus.

Ordinum militeſ, in Brabantia vaſtant loca capiunt, & tributa exigunt.

Hoc anno, dum Parmenſis in Gallia agebat, Ordinum milites cæteris Prouincijs grauiſſima tributa extorſerunt. In Maijo Geelam in Brabantia deprædabantur, & Antverpiæ ante portas, summo cum ciuium pauore, grassabantur. Præsidiarij Bergezomenſes Thienam vastabant, agricolas contribuere cogebant. Post in Septembri ad Rheni flumen Burickam, cum arce & propugnaculis, expugnabant. Vti & propugnaculum Grauenſchantz Eques Franciſcus Vere cum suis Anglis fortiter inuadebat. Eodem tempore Colonienſis Epiſcopi arx Luttikenhoeue capta, à Prouincialibus iterum obsessa, sæpius tamen ab Anglis & alijs liberata.

Steenbergam Mauricius ſuperat.

Sub finem Septembris Comes Mauricius, etiam mediocrem exercitum eduxit. Primo Arcem Hemertam, propugnaculũ Elshoutum, & Creueceuram expugnabat: deinde initio Octobris, arcem Heelam in Bommelienſi Insula. Vnde continuo ſe proripiebat Bredam, iſtic munitiſſimum Mansfeldij propugnaculum Terheidam, tormentorum vi, 11. Octobris superauit. Inde progreditur Steinbergam, quam vt male munitionibus prospectum, bis explosis tormentis dedi-

tis, deditione cœpit. Pactis conuentis 200. exibant, 300. illis in subsidium mittebantur, sedà Mauricij equitibus prohibiti, VVoudam versus se receperunt. Tum munitionem Rosendaliam postremò occupárunt. An. 1590.

His ita mensis spatio alacriter actis, Comes Mauritius 3000. pedites, & 100. equites in Flandria conscripserat, tentaturus, num Duynkerckam scalis conscendere nocte posset. Hoc stratagema à Nicolao Meetkerckio, Adolphi Præsidis filio inuentum quidé & optimè & instituto: sed ob ventum aduersum plures moras & impedimenta, derectum. Nihilominus tamen cum ad litus appulissent, per terram cum vrbis locum, quem impugnare destinarant, perlustrabant, Comes Solmensis, Eques Vere, & Meetkerckius, singulis tamen quodammodo vulneratis. *Mauricij stratagema, in Duynkerkam frustrà adsequtum.*

Interea Mansfeldius properè tres recentes Germanorum cohortes, Bentingij, Helmodij, & Swartzenburgij recensebat, parum pecuniæ, quod alijs subtraxerat, his distribuendo. Vnde etiam Zurphaniæ & Herenthaliæ Hispani tumultuari.

Venlonenses, ad Mosam multos per annos, multas proteruias atque fastus, à suis Præsidiarijs tam Italis, quam Germanis pertulerant. Quare eos expellendi consilium priuatim inierunt. Id autem cum ob præsidiariorum potentiam vi tentare non possent, astutia elegantissima vsi fuerunt. Inuidiam Germanos & Italos inter studiosè ferebant. Dicentes Italos, non ciuibus solum, sed Germanis etiam dominari velle, Italos quæcunque commoditissima hospitia occupare, vilissima Germanis relinquere, & sic in cæteris semper eos Germanos contemnere & detractare. Idcircò sese maximè optare, vt solummodo Germani illic præsidia haberent. Hoc Germanis blandè arridens, cum ciuibus Italos expellere conueniebant. Quibus expulsis tandem Germanos etiam exterminare ciues instituebant. *Venlonenses insigni versutia, præsidiarios suos expellunt.*

Quod factu, facilimum cum ciues ipsos viribus quodammodo superarent. Et sic bonos & simplices Germanos insigniter fefellerunt, vrbemq; suam, viribus partim, partim blanditijs præsidijs exonerarunt. Factum hoc deinde apud Parmensem excusabant: vrbemque pro Rege vsquequo fore promittebant. Quare culpa omnis Gubernatori imputata: qui malam inde Principis gratiam sibi accersiuit, adeo vt stipendio subtracto, recens ipsius cohors dispersa fuerit.

Vnitæ Prouinciæ bello Gallico hinc inde, magis quàm antea sese immiscebant. Cùm namque cognoscerent Hispaniarum Regem plus triginta naues militares sub Domino Iohanne de Laquilla, in Britanniam ablegasse, qui per Layram ingressi, Blaveteam occupabant, eam muniebant, & firmum ibi belli fundamentum iacichant. Inde crebras eruptiones & prædationes faciebant, obstendendo vrbem Hennebontam ad maris litus, superabant; prætendentes Britannicæ Ducatum successione iusta ad filiam suam pertinere. Tanquam proximam & vnicam hæredem suæ matris: quæ maxima natu filia & hæres familiæ Valesianæ fit: cum omnes ipsius Auunculi Regis Henrici Secundi filij, sine liberis obierint. Cuius auia Ducatus Britanniæ vnica hæres, & primo Imperatori Maximiliano, verùm à Rege Carolo octauo pro se retenta, eius filia, Francisco Vallesio primo nupsit, ipsiq; duas peperit filias, Cathari nam de Medices, ex qua prorati Franciscus, Carolus, & Henricus tertius nouissimus Galliæ Rex, & Franciscus Dux Alenzonius, item Elisabetha, & Margareta præsentis Regis Henrici quarti, quondam vxor. Qui omnes absque liberis relictis discesserint. *Hisp. Britanniam inuadit. Regis Galliæ tutum præsidentes.*

Elisabetha autem, cum mater Regis Hispaniæ filiæ sit, & filia supersit, sequatur ipsam matris esse hæredem. Quod ius filiæ suæ Rex in Britanniam, (licet etiam Britanniæ Galliæ coronæ solenniter & expresso Ordinũ consensu annexa, & consequẽter iuxta fundamentalẽ Galliæ legem Salicam, nulla Regni bona, fœminas capere non posse, perpetuò sit constitutum) perfequi se posse non dubitauit. Eumq; in finem, exercitum nauali eò misit, & continuò hincinde omnia necessaria ex Biscaia, breui tamen periculoso itinere submiserunt, se iure belli in possessionem constituturus.

Quàm ob inuasionem vnitarum Prouinciarum Status, pauciores quasdam militares naues, quas Pinassas vocant, quod remigare poterant, in mare continuo aluerunt, qui mercenarias naues saluas quocunque ducebant. Horum 5. Regis Galliæ seruitio destinatæ ad Normandiæ vicinias, ab Hispanis & Ligistis (qui Hablæ S. Malo, & Seckainæ maximo numero erant congregatæ) custodiendas & tutandas. Dominus VVillersius inter alias, Gubernator Hablæ, & Kotomagi nauem admodum insignem 200. vasorum capem apparauit; 24. tormentis grandioribus, 100. nautis, & 60. militibus. Hæc nauis ab alijs quinque, 15. Octobris videbatur, quarum tres ex Hollandia, duæ ex Zelandia. Harum Admiralius Capitaneus Cloyerus, Vice Admiralius Capitaneus Calesius, fuerunt: cæteri Capitanei erant, Euerhardus Bontius, & Petrus Linsenius, aliàs Lœstenius. Hæ quinque naues maximam illam cinxerunt, & post longas tor- *Ordinũ naues militares. Villersij Gubernatoris Hablæ nauem, eppag nant & comburunt.*

An. 1590. mentorum explosiones, propius accesserunt, & cominus fortissimè vtrinque pugnando tandem superarunt. Expugnantium circiter 40. cæsi & vulnerati. Naue superata forte fortuna, globus immissus stramincum lectũ tangens eum incendit, quo deinde vento sufflante, tota nauis cum omnibus hominibus & munitionibus, 12. saltem saluatis, accensa & combusta fuit. Tanta celeritate ac impetu, vt vix discedere expugnatores possent. Eodem ferè tempore multas alias naues expugnarunt; inter alias Vice Admiralj cuiusdam nauis Biscaia, quam Zelandici, omnibus Neptuno consecratis, superabant.

Comitia Inferiorũ Germaniæ, Coloniæ habitæ.

Hacæstate, Coloniæ vbiorum Comitia inferarum Germaniæ regionum, celebrabantur, quo conuenerant, Electorum Rhenanorum, & Vltra Rhenanorum, Inferiorum Germanorum, VVestphalicorum, Saxonum Deputati. Quibus conuocatis, Ducis Cliuensis, VVestphaliæ & Saxonum Delegati, proponebant: Bello hoc Belgico, immensis damnis, vastationibus, ac deprædationibus contiguas regiones affici: accusantes præcipuè, Verdugonem Emanuelis de Viega, quod ipsius milites, Episcopatum Monasteriensem & Benthemensem Comitatum, extorsionibus ac prædationibus eneruarent: deinde Carolum Mansfeldium, qui idem in Iuliacensi & Cliuensi Ducatibus, & Lippensi Comitatu patraret: tum Iohannem Manriquesium de Lara, quod haud minus agrum Colonicnsem, necnon Cœnobia & Nobilium habitacula vastaret atque inuaderet, & Propugnacula inibi exstrueret. Exaduerso etiam Ordines inculpantes, quod suis exercitibus hincinde ducendis, sæpissimè damna grauissima inferant. Requirabant idcirco, consilium, opem, pecuniam, & militem ad eiusmodi violentias reprimendas,

Comitia Francofurti constituuntur.

ipsis submini strari, &c. Cui nihil ob quosdam Hispanis fauentes subsecutum, nisi vt alius Francofurti Conuentus instituerctur. Idque plena Deputatis instructis potestate, & Cæsareæ Maiest. consilio, & auctoritate adhibitis.

Electores & Duces Inferiorũ Germaniæ, ad Parmensem, & Ordines Legatos mittunt.

Interim communi nomine Deputati ad Parmensem, & vnitas Prouincias ordinarentur, qui instarent, vt omnia loca & munimenta in tractu Rhenano, & Imperialibus Prouincijs, extructa & occupata, vtrinq; restituerentur, ad fluminis & Regionum deprædationes arcendas. Vlterius etiam declarabant, proximo Conuentu, constitutũ fore, vt, si qua pars restitutionem denegauerit, Imperij sumptibus cogatur. Legati autem hi erant, Casparus ab Elt, zPræfectus in Lanstein / Adamus Ganzius, Dominus in Potlitz; Consiliarij Episcopi Mogontini, & Palatini Comitis, Otto à Walmerethusen / Generalis inferioris Rhenani tractus, Præpositus. VVinandus à Leroed, summus Ducis Iuliacensis Camerarius, Iohannes Bavvmannus, & Bernhardus Putzius, Iuris vtriusque Licentiati, & prædictarum regionum Legati.

Dicti Legati Bruxellæ se exhibuerunt, parum autem impetrarunt. Vnde ab vnitis Prouincijs (quod ipsi mirabantur) saluum conductum petentes, Hagam venerunt, vbi 13. Augusti, suorum postulatorum scriptum Ordinibus Generalibus exhibuerunt, qui 23. Septembris subnexo scripto responderunt.

Generalium Ordinum vnitarum Prouinciarum responsio.

Post multam ordinum, præsentis Status, temporis & exhibiti scripti considerationem, primò Archiducibus, Ducibus, Dominis & Statibus, vnitarum Prouinciarum Ordines, maximam pro ipsorum commendatione, & fauorabili amicitiæ præfentatione, officiosissimam agunt gratiam. Vicissim rogantes ipsorum Altitudines, firmiter credant, & liberè sibi persuadeant, Ordines pro viribi sua, nunquam desijsse, nec vnquam desituros, omne officium atque seruitium ipsis deferre ac præstare.

Rogant itaque officiosissimè ipsorum Altitudines, singuli & vniuersi, intelligere dignentur, Belgij incolas, etiamsi grauissimo & longissimo bello, omnium maximè premantur, & vitæ atque facultatum iacturas patiantur: ipsos tamen adhuc superstites, genuinam, amicam & sinceram fidelitatem & officiolitatem non immutasse, sed pristinũ adhuc apud eos, statum vigere, adeo vt post patriæ defensionem nihil magis optent & studeant quam amicitiam & familiaritatem cum toto terrarum orbe, maximè autem cum vicinis & sibi contiguis Regionibus, colere ac fouere, animitus pacem atque Prouinciarum vnionem sperando.

Quamobrem cum dolore se percipere, ipsos Vnionis & Pacis publicæ turbationis crimine accusari, ab ijs maximè, vnde subsidium atque refugium omne, aut infortunij & miseriæ nostræ fraternam commiserationem ad nimium speraſſent. Quibus tanta indies bellorum flamma, accenditur, vt restringuere eam nullo modo possint. Vnde quid mirum, si scintillulæ quædam in vicina tecta euolent? Imò nec tentare id quicquam iuuat, cum in vicinis nostris quidam hanc vndique sustlare flammam. certò sit certius. Nili forte exteriora corporis membra, corde exusto & penè consumpto, mederi posse statuantur: quod vti absurdum & impossibile, sic vicinis Regionibus etiam incredibile fore speramus.

Quod autem culpantur, ipsos aliquo modo causam præbuisse vel præbere, vt ipsorum milites vicinioribus Regionibus damnum & perniciem inferant, &c. Deum sincero corde testantur,

Digitized by Google

tur, iſtud ex animo ſe dolere ac deplorare, minimeque iſtud ipſorum permiſſu vnquã factum, vel eo demonſtrant, quod Commiſſionibus, Ordinantijs, & emiſsis Placitis publice id ſtrenuiſsimè prohibuerunt, & delinquentes accuſatos grauiſsimè, & capitaliter ſemper punierunt. Vnde liquido conſtare poteſt, culpam nobis non imputãdam, aut officium & voluntatem pro nam nobis vnquam defuiſſe. An. 1590.

Fieri tamen poteſt, vt diſciplina non ſemper æquè rectè exerceatur; maxima ex parte id hoſtium noſtrorum ſit violentia, quorum gratia tam ingens hominum molis alenda, quàm ſtrictum ſemper ſub virga cohibere, vt difficile, imò impoſsibile ſit, nullus eſt qui ignoret.

Inquiſitionis introductio.

Et quamquam hæc omnia hæud parum ſint onerosa, melius tamen (è duobus malis minimum eligendo) putamus, incommodum hoc qualecunque potius quam vniuerſale Belgij, & conſequenter vicinarum Prouinciarum, damnum, ferendum. Quid enim Chriſtiano inſatiata, ſanguinis ſitiente, Saracenica & Moranica tyrannide durius. Quid iſtorum iugo odioſus, qui religionis zeli prætextu, monſtrum Inquiſitionis inuehere cupiunt? Quid impium magis, quàm ipſum verbum Dei prærípere, & legendum prohibere, eiusque loco mera ſimplicibus anathemata obtrudere? Neque hoc tantum, ſed Iudicij politici loco ſanguineum Concilium introducunt, Iudicis, Inquiſitionis magiſtrum conſtituunt. Quæ omnia eo ſolummodo tendunt, vt omnia Iura, Priuilegia, Leges, Statuta, & libertates Prouinciarum extinguant, & (quod Deus benignè auertat) ad ſclauonicam ſeruitutem, huius & æternæ vitę naufragio nos perducant, ac tandem ad optatam ipſorum vniuerſalem Monarchiam pertingat.

Nouarum Epiſcopor. introductio.

Tale ipſorum eſſe propoſitum, ſatis ex inuaſione Abbatiarum, & Prælaturarum conſtare poteſt. Nam Prælati (qui plerunque in Prouincijs præcipua ſtatus membra conſtituebant) ante omnia deponendi, toſtendi & eradicandi, vt eorum in locum alia noua & mirabilia hominum portenta ſuccedant, quales ſunt Archiepiſcopi, Epiſcoporum nomina habentes, omnes nouæ Monarchiæ prodigia. Ideo autem hi introducti, primò vt Hiſpanorum coricæi, & exploratores, fideles ſint, expiſcantes, num aliqui reperiantur, qui contra prætenſam ipſorum Monarchiam, aliquid moliantur.

Nobilium & Optimatum eradicatio.

Deinde, vt alter rum ſtatus membrum, Nobiles, Equites & Optimates ſubtiliter exſtirpent, cum miſerè mactando, tum arma & facultates ipſis eripiendo. Quod iuſtiſsima de cauſa ſe facere iudicabant: propterea quod læſę diuinæ & humanæ Maieſtatis rei damnabantur, eò quod ſupplici libello, Regem, & innocentium ſanguini parcat, implorarant. Et hoc modo primum vitam, deinde etiam facultates eripere tentabant. Grauiſsima enim & inuſitata tributa exegerunt, quo plebeculam exenterarent, & eximium theſaurum, ad ipſorum Monarchiæ ſcopum veniendum, colligerent.

Exemplis demõſtratus abſolutam Monarchiam Hiſpanos aſſequi.

Saracenicam autem Monarchiam, quod affectarint, ipſa nobis teſtis adſit Germania. Nónne auaritia ſua Hiſpani Prouincias, & vrbes præcipuas Belgicas, natura & Iure, ad Romanum Imperium ſpectantes, ad ſe pertraxerunt. Indiam, Granatam, vide. Nónne in ijs aliquot centies millena hominum millia, Hiſpani deuorarunt. Vnde abſoluta Neapolenſium, Mediolanenſium, & aliorum in Italia locorum, poteſtas? Quis iniquè & tyrannicè Dominum Antonium Regem Portugalliæ coronatum, & ipſius Regis Hiſpaniæ conſanguineum regno exuit? Nullus mortalium ſanè, niti Hiſpanus. Quorſum exitiale propoſitum, & conſtituta contra Angliam & Irlandiam executio? quorſum machinationes contra Schotiam? quid clandeſtinæ corruptiones, & traditorum ſubornationes, in omnibus, omnium ferè Principum, aulis? Quid inuationes, violentiæ, & retentiones diuerſarum Germaniæ vrbium? Tandem quid bellum Gallis illatum aliud, quàm Monarchiæ ambitionem indicant? Sanè omnibus æquè iudicantibus hæc noſtri ſæculi exempla, abundè ſatis, & luce meridiana clarius Hiſpanorum auaritiam nobis proponunt.

Manifeſtiſsimum etiam eſt, omnes ad Galliæ coronam Regi Nauarræ eripiendam, Hiſpanorum conatus: non eo intendi, quod iniuſto titulo coronam poſsideat, ſed quia proſpiciebant, hoc ipſis ad intentatam vniuerſalem Monarchiam, maximum fore obſtaculum, ſi tale Regnum priſtinis fundatum legibus, relinquatur.

Galli non cohibuti, Regem ſuum, quoad conſcientiam cohibere volunt.

Inde Hiſpani argumentantur, ſubditis Regi Galliæ, licitum eſſe, ſeſe opponendi, & contra ipſum ſe armandi; & per conſequens etiam Hiſpanos rectè ſubditis adſiſtere. Non vt liberè & pacificè viuant, & bonis commodè fruantur, ſed vt Regem, aut à Religione ſua, aut à Corona diſſitere cogant, & ſic Hiſpanis tractu temporis aſſocientur.

O egregium Hiſpanorum argumentum. Ipſi ſibi contradicendo ſententiam ferunt, & ſuo ſe gladio iugulant. Superius enim ipſis erat crimen læſæ Maieſt. quod in Belgio ſubditi, ſupplici libello liberam conſcientiam ipſis relinqui, & innocentium ſanguini parci, ingentem pecuniæ ſummã offerendo, Regem tanquam Ducem Comitem & Dominum ſuum implorarent. Hic autem in Gallia ſubditis maximè licitum fuit, non Ducem, ſed Regem ſuum, non ſolum implorare, ſed etiam contra Regem ſe armare, & Regem aut conſcientia cogere, aut regno priuare.

Digitized by Google

An. 1590. uare. Nonne hæc insignis metamorphosis? Sanè astutijs eiusmodi, populum Gallicum rebellem effecerunt, cum nullam sufficientem causam aliam excogitare possent.

Belgarũ bellũ esse iustũ & legitimum.

Vnde Belgæ minimè temerè damnandi, qui non ita, vt Galli seditiosè suo Regi denunciarunt. Sed quia quotidie vt oues mactabantur, & tondebantur, vita facultatibusq; exuebantru, fecerunt, quod etiam iure, vxoribus, filijs & subditis, contra suos maritos, parentes & Magistratus facere licet.

Quapropter etiam iniquum est, vt pro pacis publicæ, & vnionis turbatoribus, & factiosè contra præstitum Iuramentum, & sacri Romani imperij vllas constitutiones, molientibus, habeantur. Ordines certò sciunt, & constanter asseuerant, & statuunt, se Regi in omnibus satisfecisse, intrepidè, itaque & diuino freti adminiculo, cæpto insistere, ad supremũ vitæ spiritum conabuntur. Maximè speranres, vt tanquam Imperij membris, ab Imperio quoque subsidium contra infestissimos ipsorum hostes ipsis feratur.

Germãi ipsos, vt membra sua, adiuuare debent.

Quod vti sæpius, & sine intermissione suppliciter cum libellis nostris supplicibus, tum abegatis eximijs deputatis requisiuimus, ita ad huc requirimus, vt eum in finem omnes exteri milites, Hispani, Marani, & alij regni limitibus expellantur, quo omnia & solita nostra commercia liberè & commodè exerceri possint.

Sub cõditione petant, vt de fruitu ipsorũ boni consulentur.

Sin minus hoc pro præsenti rerum statu fieri posset, insuper obnixè Altitudines rogant, vt quæ ob difficillima hæc bella cuitare non possunt, benignè interpretentur, quo vrgente necessitate, tanto liberius sese defendere & tutari queant.

Ordines defensiuum bellum gerunt.

Nec ignorandum Ordines summa necessitate vrgente, arma arripuisse. Et quicquid inde enatum ac secutum, ad defensiuum bellum referendum. Vt nimirum possessa propugnent, & tam vi quam fraude amissa recuperent. Minimè autem, vt vnquam quid à vicinis inuadere ambierint, aut ambire cupiant. Quare nec eo exspectarunt, vt per Iuris viam aliena possessia relinquere, ipsis imponere opus fuerit.

Declaratio Propugnaculi Grauenswerdt / in Gelcrico solo exstructum.

Nam cum eorum (qui Propugnaculum **Grauenwerdt** / in vicinorum finibus extructum prætendere volebant, publicam declarationem audirent) abunde satis ipsis demonstratum, Propugnaculum hoc Geldriæ finibus superstructum. Deinde hoc Propugnaculum, grauissimis Prouinciarum sumptibus à Martino Schenckio Præfecto recens defuncto erectum.

Post cuius mortem, Propugnaculum hoc, tam hostium dolis, quàm præsidiariorum infirmitate, maximo in discrimine, communi Prouinciarum vnitarum periculo, fuit constitutum; adeo vt Ordines, ne in hostium manus aliquando deueniat, præuertentes, ad eius munitionem, ingentem pecuniæ summam erogare, fuerint coacti.

Considerandum etiam munimentum hoc, huc vsque non ad vicinorum incommodum & grauamen occupari, sed ex necessitate ad hostium incursiones impediendas & cauendas. Quod vrgente periculo expressè iure Romano facere permissum est.

Sed vt omnis de munimentis controuersia amputetur, ipsorum altitudinibus Ordines ad quascunque æquissimas conditiones statuendi, & ipsis satisfaciendi sese declarant paratissimos. Pleniorem etiam demonstrationem, quod Propugnaculum Ducatui Geldriæ adhæreat, ipsorum Altitudinibus, libentissimè vna transmissilent, si Geldriæ deputati, qui hac de re plenius informati, aduenissent. Qui si venerint ipsorum Altitudinibus de omnibus satisfacient.

Hispani nulla præsenti necessitate vicina loca occupant.

E diuerso Hispani, non solum in Cliuia, & Electorum Prouincijs propugnacula & munimenta exstruxerunt; sed multas etiam eximias vrbes occuparunt & retinuerunt. Non, vt necessitate vrgente se defendere, & incursiones cauere, sed vt vicinos suos quocunque modo attrahant, & pro veteri ipsorum more absolutam suam Saracenicam Monarchiam paulatim extendant, vti non obscurè ex literis ipsorum interceptis, intelligi potest.

Præmonitio, Hispanos per suos creaturas Germaniæ Dominatus acquisituros.

Idcirco Electores, Duces, Comites, & Status sacri Imperij optima de causa prospicere, & quorsum, Episcopatus circumcirca Imperio adhærentes, cum vi, tum fraude, subdolis corruptionibus & callidis persuasionibus, ab Hispanis occupentur, expendere possunt. Qui aliquando tempus & occasionem captabunt, accepta beneficia creatori suo, Regi Hispaniæ scilicet, compensandi, & ipsi (Ecclesiastica iurisdictione Episcopis relicta) sæcularem iurisdictionem acquirendi.

Cocham & Reesam inuadere machinati sunt Hispani.

Atque quam prompti atque parati ad vrbium occupatarum restitutionem sint, inde vel cæcus videre potest, quod duas alias vrbes Goch & Reesam inuadere callidè tentârint. Quod ipsorum Altitudinibus satis compertum, fore Ordines non dubitant, & quid aliud munimentorum in Colonienſi Episcopatu extructiones, quam huiusmodi ipsorum propositum, demonstrant?

Nullæ vicinæ

Longe etiam abest, quod Ordines primi vicinarum vrbium inuasores fuêre, neque hoc etiam

Digitized by Google

etiam tempore probari poteſt, Ordines eas occupare, aut ad minimum ambire. Et quod ſi forte neceſſitate impulſi tale quid abſque Ordinum conſenſu commiſſum fuerit, omne tamen quodcunque ereptum, iterum reſtitutum. Et ſi forte ipſorum Altitudines res in Colonienſi Epiſcopatu, in cauſa Truchſeſij Ducis geſtas exactius conſiderare ſtatuerint, fatentur quidem quaſdam vnitarum Prouinciarum militares copias, Epiſcopi ſuppetias tuliſſe: ſed rem non exactè ſolum, ſed reque etiam conſiderando, fatendum eſt, iſtud non prius factum, quam Epiſcopi aduerſarij, Hiſpanos non tantum palàm accerſierint, ſed omninò etiam cum quaſdam vrbes & loca in Epiſcopatu occupaſſent. An. 1591.

vrbes Ordinũ iuſſu aut cõſen ſu immadu.

Excuſatio rerum in Colonienſi Diœceſi geſtarum.

Nec inficiantur, ipſorum milites firmiſſimam arcem *Luttekenhoue* occupaſſe, eo quod hoſtibus nimium inſeruiebat, ſuas in Fritiam machinationes conficiendo. Neq; quod Hiſpanorum Propugnaculum Burickſenſe munitionibus cum naualibus tum terreſtribus ad vnitarum Prouinciarum damnum, prouiſum, expugnarint. Et conſequenter quod ipſam Burickam vrbem & arcem ſuperarint.

Excuſatio inuaſionis arcis Luttekehoue, & Burickæ.

Nam quod Ordines hoc (tam ob inde ad hoſtes proueniens emolumentum, quam ob id quod per annos aliquot iſta loca occuparant, & inde per aquam, per terram Prouincijs damnum intulerant) facere ſubierint, iudicandum eſt, iſta loca non vicinis ſuis, ſed hoſtibus fuiſſe erepta.

Sed vt ipſorum Altitudinibus ſe officioſos, & ad quæcunque beneficia promptiſſimos exhibeant, & de vicinijs nihil ſe ambire, re ipſa teſtarentur, omnia hoſtibus erepta ſota vicinis reſtituere & concedere, offerebant, ne hoſtibus anſa præbeatur, occupata adhuc loca non continuo relinquendi.

Loca occupata, & hoſtibus erepta, reſtituenda.

Et quandocunque præterea copias ipſorum poſcente neceſſitate, & hoſtes inſequendo, per vicinorum Prouincias deducuntur, & damna inferuntur, ex animo hoc dolent & deplorant, nec vnquam tale quid admiſiſſent, niſi ſumma ipſos neceſſitas, & extrema ſalus eo impelleret. Ideo enim ſuis militibus ſtipendia exactiſſimè pro more ſuo, & Prouinciarum facultatibus per ſoluere, ne vicinis inopiæ prætextu, vllo modo oneri eſſe poſſint. Vbi è diuerſo hoſtium integri exercitus peditum, equitumque aliquot ſæpè menſes in vicinis regionibus commorantur, & aluntur, in omnium noſtrorum contumeliam, viſum, & expreſſum præiudicium, vt tali regionum vaſtatione, & agricularum eneruatione, tanto citius & commodius ad prætenſam dominandi poteſtatem perueniant.

Quod vt quærant & ſtudeant, vel inde videre eſt, ipſos rara aut nulla ſtipendia numerãdo, ſolo vicinorum damno, milites alere. Vbi è contra Ordines, ad ſtrictæ diſciplinæ conſeruationem, mandatorum contra militum inſolentias, executionem, & vicinorum grauaminis ſubleuationem, ſuis tam exactè & prompte ſtipendia perſoluunt, vt meritò ambigere poſsimus, num vnquam, Princeps aliquis potentiſſimus, in tam continuo diurno & inteſtino bello id præſtare potuerit.

Ordines militibus exactè ſtipendia numerant, ne vllus fiat grauaminis, Hiſpanis minimè.

Verùm etiam eſt, Ordines ſuis ſumptibus militares naues, cum in mari, tum etiam in fluminibus ſuſtincre, minimè tamen id ad cuiuſque nocumentum, aut grauamen, ſed ad neceſſariam defenſionem, & mercatorum aliorumque hincinde proficiſcentium, ſecuritatem, vt tanto tutiores ab incurſionibus prædonum & hoſtium (eum in finem quaſdam etiam naues habentium) meare & remeare queant. Quare meliori de cauſa Ordines, & ſummo vicinorum fructu tali defenſione, quàm quiquam alij, vtuntur: quia primum Prouincijs & incolis neceſſaria, deinde etiam Sacri imperij ſubditi tanto commodo inde fruuntur, quanto Ordines ipſi. Et cùm mare & flumina omnia publica ſint, vnicuique liberum eſt anchoras in iſtis ſine vicinorum incommodo, religare. Ideoque nec Ordinibus id illicitum, maximè cum deprædationes ij reprimere cupiant.

militarium nauium excuſatio.

Fruſtra præterea Ordines reprehenduntur, quod ad ſubleuanda publica onera, quibus mare & flumina turantur, quaſdam impoſitas mercimonijs vltro citroq; vehendis, impoſuerint. Nam omne illud nunquam permiſiſſent, niſi ſumma neceſsitas eos ad id coegiſſet. Quia præcipua Belgicarum Prouinciarum ſalus in libertate negociandi conſiſtit, nec cuique impoſtæ grauiores ſunt, quàm ipſis Belgis, tum quod tanto cariùs quæcunque aduehuntur emenda, & eo negociationes multum flaccefcant, deinde etiam, quia ipſi potiſsimam impoſtarum partem conferre debent.

Impoſtarum inuectionis excuſatio.

Nec rationem vident Ordines, quare hac in re ab ipſorum Altitudinibus, aliquo modo carpendi cenſeantur, quod eiuſmodi grauamina belli & neceſsitatis tempore introduxerint, cùm diuerſi Principes ac politiæ hæc talia pacis & quietis tempore Belgarum ſorte exemplo, ſuis ſubditis impoſuerint. Sanè ſi Belgæ ad multam ſæpè ſperatam pacem & quietem iterum peruene-

An. 1591. rint, omnia hæc adinuenta statim cessabunt. Interim tamen si violentia quædam aut iniuria ab Ordinum tam naualibus quam terrestrib. militibus, Imperij subditis inferatur, & rei designentur, seueriſsima pœna punientur, & quam vehementer aliquos iniuria affici, & mercimonijs priuari, aut alias prægrauari Ordines oderint, detestentur & prohibeant, ipsorum Ordinationes & Edicta ad Præfecti Martini Schenckij defuncti Generalem Præfectum Propugnaculi Gratenwerdt/ satis ostendunt: quibus abrogarunt omnes exactiones aut impostas absque illorum mandato inuectas.

Militum scelera ac prædationes nisi norū punire promiserint.

Necipsi solum eos, qui cædis, violentiarum, priuationis, incendij, aut aliorum criminum, conuicti fuerint, aliorum exemplo ex officio iustitiæ syncerè punient, sed vicinis etiam Magistratibus concedunt, tales puniendi, & debitas pœnas sumendi, ea scilicet conditione, si hoc ex æquitate absque vlla inuidia aut præiudicio fiat. Quod vt fieri non sinant, omnes & singulos Magistratus summopere rogatos & hortatos voluerunt.

Hæc sunt, quę Ordines Generales vnitarum Prouinciarum cũ amicè & beneuolè ab Electorum, Ducum, Principum & Statuum Legatis requirebantur, ipsorum Altitudinibus respondere visum fuit consultum. Annexa petitione, vt ipsorum Altitudines singuli & vniuersi beneuolè & clementer vnitis Prouincijs assistere velint, qui hoc tempore ipsis pro Propugnaculis & munimentis imminentis generalis suppressionis inseruiunt. Deinde Legatos rogarunt, vt hæc omnia ipsorum Principalibus dextrè, benigne, & ex fide referant, Deum inuocantes, vt ipsius manu, qua hucusque miraculosè vnitas Prouincias, confœderatorum subsidio seruauit, hinc inde quoque prosperum, omnium turbarum exitum largiatur.

Pro Comitissa Moerssensi intercessio.

Postremò, cùm Illustris Comitissa à Neuvenar, &c. Comitis pariter Illustris Adolphi à Neuvenar & Moersæ defuncti vidua conquęratur, ipsi, contra Constitutiones, Iura & Priuilegia Sacri Imperij, illegitimè & violenter prærepta esse, & in hunc vsque diem detenta, diuersa bona & territoria ad ipsam spectantia, & sub S. Imperij iurisdictione, &c. Petunt Ordines ipsorum Altitudines, mandent & procurent, vt talia vi detenta Comitissæ restituantur: quo in tristi & graui sua viduitate, diutius, iniuria & violentia non afficiatur. Data Hagæ 23. Septembri 1590 Subscripitur ex Mandato Dominorum Ordinum Generalium. Signatum C. Aerssens.

Ordinũ verbis Colonienſibus De putatu respõſio.

Cum hisce Deputatis vna Magistratus vrbis Colonensis, Nicolaum Linckium Secretarium ad Ordines Generales ablegarant, qui 29. Augusti ab Ordinibus pactum Neutralitatis requirebat. Cui Ordines scripto 19. Septembr. id promittebant, addendo quod Imperialis Coloniæ ciuitas, nunquam alias habita & tractata fuerit, nisi quod Ordines aliqua ex parte turbis in Episcopatu Colonensi, excitatis, se interposuerint, quod ipsis in peiorem partem minimè interpretari poteſt, cum satis liqueret, cuius id bellum esset. E diuerso, Ordines de Magistratu & ciuitate Colonensę, optime sibi polliceri aiebant, ipsos syncerè erga Belgas & amicè affectos, & omnis concordiæ ac mutuæ beneuolentiæ studiosos, nec incolas aut adhærentes, huic bello, ad minimum se immixturos. Vicissim pollicentes, nec per terram aquamúe ipsos aut ipsorum negotiationes exercendi, liberè vbique versandi, nullo modo impeditum iri, & eius gratia nouâ & figuram mandata suis Præsidiarijs & exercitibus dare statuerunt. Demum etiam pro Comitissa VValburga à Neuvenar suis apud Magistratus petitionibus intercedebant, vt ipsi in quibusdam suis grauaminibus suam operam & tutelam præstent, quo bona ab Episcopo & Capitularibus iniquè retenta, benignè concedantur.

Ordinum Leodienſib. data reſponſio, & pactitalitatis incujatio.

Deputatis deinde Episcopi & Ordinum Leodiensium (qui itidem iniurias & violentias exponendi, captiuos relaxandi, & vicinitatis, amicitiæ, ac neutralitatis fœdus contrahendi gratia, eò conuenerant) multum quasdam res excusantibus, Consilium Status 30. Octobr. itidem scripto respondit. Quandoquidem, opem auxilium & alimentum Hispanis, ijsque adhærentibus, suppeditare minimè grauentur, Ordines haud exiguam malè suspicandi occasionem accepe runt, ipsos aut eorum Episcopum, secretò quid cum Rege Hispaniæ (vt rumor tum temporis erat) contra Ordines & vnitas Prouincias, contraxisse. Maximè cùm acta quædam hostilia, contra Belgas, & eorum bona, qui Colonienſi bello interfuerant, confiscando & annotando, Hispanis vrbes & munita loca sub Sacro Imperio, concedendo, constituerint. Præterea cum animaduertant, Hispanos patienter inibi commorari, foueri, & Episcopatum ad vnitarum Prouinciarum consequenti incommodo ab Hispanis depasci, fæpiusque integros exercitus ac cohortes, & maximè Sanctæ vt vocant Ligæ milites istic diu sustineri, imò quosdam pagos ipsis tributa persoluere. Deinde quod ipsorum Episcopus & Ordines Religioni Reformatæ addictos, instar Hispanicæ Inquisitionis persequantur, & Ordinum milites deprehensos summo rigore absque omni iuris via procedendo, condemnant & puniant. Vbi è contrario hostium milites, non solum nefandorum scelerum suorum impunitos relinquerent, sed maximè etiam fauore ac studio perseguerentur.

Idcirco consilium Status, etiamsi vicinitatem & amicitiam cum Leodienſib. sartam tectam conseruare, semper fuerint, & adhuc sint addictissimi, ipsisque omnem violentiam, pro viribus auertere

Digitized by Google

auertere sint promptissimi: tamen expositas ob causas, & ob Tractatus cum summis Principibus & Potentatis de bello hoc gerêdo, initos, nihil absolutè hac in re agere aut resoluere se posse, declarauit, sed plenius secum deliberandum, aliisque communicandum, experiendumque num bona fide & sincerè Leodienses amicitiam ac concordiam fouere desiderent. Quod ubi re ipsa compererint, tum demum, suam Leodiensibus declarationem promittebant, cum ratihabitione & consensu eorum, quos hæc res vnà concernit. Adeo vt status & incolæ Leodienses apertè cognoscere possent, amicitiam ac concordiam fouendi nullam apud ipsos esse moram. Id vt simul tollerarentur, captiuos Bredæ & alibi relaxari continuo mandarunt. An. 1591.

Postea latius inter se cõuenerunt, adeò vt Leodienses in posterum neutraliores se præbere, obligarint. Quo liberam deinde cum vnitis Prouincijs negotiationem impetrarunt. Ordinum copias vbique per Episcopatum Leodiensem, cum præsidijs & armis suis, per suos Officiarios & Capitaneos, tuto & liberè deducebant: non tamen vltra certum peditum numerum, cum 25. equitibus. Ita Leodienses cummercia cum Hollandis per Bredam, sub impositorum vectigalij, vulgò Licentorum solutione, commutabant; sæpius tamen in itinere ab Italis tumultuantibus Dietæ & Herenthalliæ deprædati, & violentijs affecti sunt. *Neutralitas inter Leodienses & vnitas Prouincias. Contributio.*

Quanquam arx Huttfenhoue/ vrbs, arx, & propugnaculum Buricense, aliaque loca Hispanis erepta, legitimis dominis fuerint, ex promissione Electorum Legatis, facta, restituta: nihil. ominus tamen ante huius anni exitum, Comes Oberstheinius, Truchsesij nomine, cum quodam exercitu in VVestphaliam & diœcesin Monasterien sem, profectus, Gesecken vrbem aliaque loca inuasit, & diripuit. Episcopus Padelbornensis 1000. thaleros Imperiales. Colonienses & VVestphali 2000. Monasterienses etiam bonam summam ipsis numerarunt. *Repressaliæ in VVestphalia nomine Truck sessi exercitu.*

Imperator Rodulphus, pacis conficiendæ inter Regem & Belgas studiosus, (patris sui Maximiliani vestigijs ea in re insistens) iterum de medijs, quibus vnitæ Prouinciæ Regi, reconciliari possent, consultans, tam ob damnum & interesse Auctoriæ familiæ inde euenies, quam ob graue bellum in Gallijs à Rege gerendum, quod Regi (cui impense fauet) maximam præberet difficultatem. Prouinciæque sub Rege planè deualtarentur, & ad inopiam redigerentur. Ideo literis & Legationibus Ordines vnitarum Prouinciarum, ad Colonien sem Pacificationem de anno 1578. confumandam, sollicitabat, & multas de sufficiente Prouinciarum securitate, promissiones faciebat. *Imp. Rudolphus tentat Pacificationē Coloniensem renouare.*

Sed Ordines generales Imperatorem petierunt, vt talibus molestijs & laboribus parceret. Nam ipsis impossibile esse cum Rege Philippo pacisci, cùm scilicet nulla sinceritas aut securitas ipsi sibi à Rege promittere possint. Quod ex interceptis Regis, ad D. V Vilhelmum de S. Clement Legatum suum, literis perspicuè cognoscant, fucatam & palliatam hanc esse pacis oblationem. Deinde, etiamsi maximè vellent, non posset tamen, nisi consœderatorum consensu quicquam tractare, &c. His non attentis Imperator æquè pacem ineundam, ardenter institit: magnificosque Legatos ad Ordines ablegauit. Ordines autem ad hoc quid responderint, postea narrabimus.

Ita vtraque pars, anno 1591. inchoante, omnem operam bello gerendo impenderunt. Parmensis Bruxellæ diuersos Nobilum & Ordinum conuentus, celebrauit, in quibus, de vtroque bello, Gallico & Belgico continuando, & quomodo pecunia ad ea necessaria conquirenda, tractatum. Flandri 500000. millia florenorum singulis mensibus contribuere (si pacificè vti promissum viuere possent) pollicebantur. Pecunia hæc contributa & collecta, nulla tamen pax aut quies secuta, sed Flandria cõsumpta, & exhausta est à proprijs militibus, quibus nulla fiebat solutio, nec hostibus quicquam resistebatur. Ita vt multi Ordinibus secreto tributum soluere nihilominus fuerint coacti.

In Flandria Parmensis, Edictis permisit, omnibus, quæcunque inculta prædia, possidere & colere, suis tantummodo emolumentis, nullo locationis precio soluendo, donec proprietarij ipsi colonos constituerent.

Eduardus Noritsius, Ostendæ Gubernator 15. Februarij 1591. Propugnaculum & pagum Manckenberg, nocte inuasit. Præsidiarij ad summum munimentum in Collibus arenolis, refugiebant. Vbi altera die per Tympanistam ab ipsis deditionem petebat, illi autem hunc pro responso sclopeto interimerunt. Quare furore oppugnati, & ob puluerisi penuriam superati vltra centum cæsi, paucis seruatis. Noritsius autem Anglis suis vallum solo æquauit, cataractas perfregit, combussit, tria tormenta inuenta auexit, & dilcesit. Hispani autem postea iterum Propugnaculum munierunt. Ibidem à Capitaneo Littelton Anglo & alijs argutum stratagema in Slusam, interitarum, sed sine successu. Alij in Hustam, sed itidem frustra. Quod postea tamen, mira felicitate à Mauricio, vti breui narrabimus, superatum. *Noritsius Anglus munitissimum Blanckebergensem occupauit ac æquauit.*

Quidam etiam Ordinum milites 15. Februarij arcem Carpenam, prope Coloniam inuaserunt, incassum tentabant, multos tamen equos & captiuos, inde deducebant secum: quibus iterum à Nouesienibus & Mœrsenibus præsidiarijs fuerunt priuati. *Diuersæ infortunia ab vtraque parte.*

An. 1591. Contra Parmenſis, etiam in Bredam ſtratagema (in ciuitate pecunia quibuſdam corruptis) inſtituerat. Detectum tamen, & traditores puniti. Simile ſtratagema in Lochemum tentabat, vbi quidam præſidiariorum ipſi portam aperire, ſponponderant. Sed negotium patefactum eſt, & proditores capti digno ſupplicio necati ſunt.

Nomine Truckſelij quidam è Comitis Oberſteinij, & Franciſci Vere militibus, Kollenbergam exiguam arcem, prope Vrdingam, inuaſerunt; quo Stralenum aliquando inuadere ſperabant. Vicini ruſtici illicò arcem cingebant, & deditionem à militibus flagitabant. Quibus reſponderunt, ipſos inaſſuetos eſſe, ruſticis aliqua munimenta dedere. Interim ipſis ſuccurritur, & ruſtici repelluntur: verùm poſtea iterum obſeſsi, & dedere ſe coacti ſunt.

Secundo Apr. Præſidiarij Bredanenſes & alij arcem Tourhoutũ, per cereuiſiæ coctorem, qui ipſis omnem ſuppeditare cereuiſiam ſolebat, inuaſerunt. Cùm enim currus in ponte hæreret, & ille vigilem vnum ponte deijceret, alterum transfoderet, milites qui in domo conflagrato latebant, accurrerunt & arcem ſuperarunt. Eodem tempore, arcem VVeſterloam, inuadebant. Quamuis eſſet neutralis, tamen quia ad tributa in Brabantia exigenda, ac hoſti negotia faceſſenda, tam commoda erat, cum iunior Dominus à Merode, in venatione eſſet ſubitò eam inuaſerunt. Initio Auguſti opulentum commeatum Bruxella Namurcum tendentem diripuerunt.

Ordines vnitarum Prouinciarum, cum Gubernationem, bono firmoque ſuperfuerant fundamento & tributorum, impoſitionum, & reddituum computationem inijſſent, ipſos per aliquot menſes maiorem exercitum campeſtrem, cum omnibus requiſitis ſuſtinere poſſe, comperiunt. Ideoque vt hoſtem aliquando etiam inuadere & offendere poſſent, exercitum in campum deducere decreuerunt: atque hac æſtate de omnibus rebus ad id neceſſarijs, vt tormentis, nauibus, gerris, pontibus, puluere, globis, tentorijs, &c. ſibi ingenti copia proſpexerunt. Ad tormenta trahenda, è nauibus, vel in naues, item diſponenda, habebant homines quoſdam nauticos, quos in multis commodiſsimos experiuntur, ſingulis indies floreno numerato.

Mauricium expeditionem adorant. Comiti Mauricio, ſummo Duce conſtituto, quoſdam Conſiliarios è Status Conſilio adiunxerunt, vt ſi quæ grauiora inciderent, ſemper aliquis ſummus Magiſtratus ipſi præſtò eſſet: Venetorum more, qui eos Procuratores appellant. Nec deerat ipſi prudens militare Conſilium, Officiarios habebat optimos & magno numero. Militibus ſtipendia exactè numerabantur, quod paratos & voluntarios eos reddebat. Pauci quidem, ſed optimè exercitati. Primò nullos nouos milites, ne hoſtes ipſos quid moliri animaduerterent, conſcribebat, ſed curabant tantum, vt quæque vexilla augerentur & implerentur. Idem à Regina Angliæ petebant, vt ipſius exercitus, etiam redintegraretur.

Mauricius omnibus iam inſtructus, quaſi Buſcumducis & Gertrudis montem obſidere vellet, ſimulauit: multas copias militum Bredam mittebat, & naues Moſam verſus nauigaturas fingebat. Quod Parmenſis tanto facilius credebat, cum antea Tournhoutam & VVeſterloam cepiſſent, & ibi omnes conuenire debere videbantur: ideò Gertrudenbergenſibus plures præſidiarios miſerat, idemque Buſcoducenſibus facere volebat: qui cum id recuſarent, quoſdam aditus cum quibuſdam militibus obſeruabat, tranſitumque impedire conabatur.

Interim Mauricius ſecreto ſub imperio Franciſci Vere, quoſdam milites Doesburgum miſerat, quibus obſidioni initium facere, iniunctum erat. Ipſeque nauibus velociter Rhenum, Arnheimium aſcendebat, inde per Iſulam iterum Zutphaniam vſque deſcendebat.

Propugnaculũ Zutphaniense captum à ſubornatis ruſticis. Antequam hoc fieret, 22. Maij, duodecim circiter milites, ruſticorum & ruſticarum veſtibus induti, butyra, ova, caſeos in corbis quaſi venales geſtantes, Duesburgo vltra Iſulam in Veluvvam ad Propugnaculum Zutphanienſe venerunt, & mane ante portam cum aperiretur, ſeſe ſtiterunt, alij autem milites circumcirca ſeſe abſconderunt. Simulatque porta aperiretur, ſtatim multi qui ea nocte in Propugnaculo excubias egerant, ad vrbem tranſnauigabant.

Perſonati iſti & ſubornati ruſtici, ſcipionibus ſuis incumbebant, & ruſticæ in terram aſsidebant. Cùm iam vigiles abſque vlla ſuſpicione, aut mala præſumptione ijs adſtarẽt, vnus horum ſclopeto è tunica extracto, proximum ſibi adſtantem vigilem confodit: atque ita hi perſonati, ruſtici & ruſticæ excubitores, & cæteros qui inerant, aſsilierunt. Interim abſconditi audito ſclopeti ſonitu, accurrebant, & portam cum vigilum domunculo, & ipſum denique Propugnaculum ſuperabant, & præſidiarios omnes capiebant, vno tantum ex Regijs, & vno ex Mauricianis deſiderato.

Zutphania ob fidem ſtatur à Mauricio. Poſtquam munitiſsimum hoc Propugnaculum, tam callidè & ingeniosè occuparant, Mauricius altero ſtatim die 24. Maij Zutphaniam ipſam cingere & obſidere cœpit. Comes VVilhelmus etiam vocatus, 26. Maij cum ſuis copijs venit. Hoc & ſequenti 27. die, foſſas ducendo, tormentorum ſtatione præparanda, & pontem trans Iſſulam mittendo, erant occupati. Ea nocte tribus locis tormenta 31. diſponebantur, quibus diſpoſitis, ſummo diluculo, vnoquoque ter iaculabantur, & tunc ſtatim tubicine miſſo, num vrbem ſuæ Excellentiæ dedere vellent, quærebatur:

Digitized by Google

rebatur: cui è mœnibus proximis, quidam vigilias agens, vt ad proximam portam iret, ibi bo- An. 1591.
num ipſum accepturum reſponſum, proclamauit. Eo cùm venit Tubicen, obſeſsi aliquam conſultandi ea de re, temporis ſpatium petierunt. Quâ denegatâ, ſtatim Capitaneum Deckema & Seruettium emiſerunt, trium dierum ſpacium, intra quod Vicarij Verdugonis conſenſum petere poſſent, rogarunt. Quod itidem ipſis denegatum, & hora tantum deliberandi conceſſa. Quare 29. die contrahebant, vt Præſidiarij cum gladijs, & quantum impedimentorum humeris geſtare poſſent, eodem adhuc veſpere vrbe & quo vellét exirent, ſimiliter Eccleſiaſtici & ciues. Cæterum ciuibus qui manere vellent triduum indultum fuit, promiſſo tam ſeculares quam Eccleſiaſticos ijſdem priuilegijs gauiſuros, quibus alij Prouinciarum ſubditi. Ita Præſidiarij cum curribus & equis quibuſdam (pro quorum reſtitutione Vicarius eorum Georgius Lauckema cauebat) Dauentriam vſque deducebantur.

Hic ab initio Comes Oberſteynius, cùm nimis propè ad portam accederet, vrbis ſitum ex- *Eberſteinius comes globo traijcitur.*
ploraturus, & per equitem quendam allicere ſe ſineret, ad foſſam quandam, ſclopetarijs re fertam pergeret, cecidit. Ijomnes in eum iaculati vno impetu, ſed à nullo tamen eorum tactus, quo viſo recedere properabat, cumque iam equum vertiſſet, idem ille eques qui primum ipſum allexerat, iterum ipſum inſequebatur, & eminus à tergo globo caput ipſius traiecit. Continuò equus eum in humum deiecit. Hoc cæteri ſclopetarij cernentes, cadauer ipſius auferre conati, ſed ab alijs iterum ereptum, & Arnhemij debito honore ſepultum. Hæc vrbs munitiſſima, ex improuiſo ita ſuperata, pauci in ea inuenti præſidiarij. Lata eſt & ſpaciosa circuitu, ita vt vndique ipſam defendere impoſsibile reputarent, puluere & commeatu etiam deſtituti. Mauritius ſtatim ſimulatque Comes Solmenſis cum Zelandicis Legionibus aduenit, vrbem intrauit.

Eodem veſpere Mauricius, Dauentriam iſtinc duobus miliaribus diſtantem, equitibus ſuis *Dauentria ab fidetur à Mau ritio.*
cingere iuſsit. Tormenta & reliquum apparatum bellicum mira agilitate in naues rurſus impoſuerunt, eodemq; flumine ſecundo vexerunt. Poſt cum toto exercitu ordine optimè inſecutus eſt. Ibi ſtatim duos trans ſtulam pontes nauales extruxerunt, & 28. tormenta in terram protraxerunt, ijs diſpoſitis, & aliquoties explotis, vrbem ſibi dedi poſtularunt. Sed Præſidiarij de deditione ne verbum quidem audire volebant. Quare 9. Iunij per quinque aut ſex horas ictibus vrbs petita, & ingens muri pars verſus ripam detecta. Murus vallum retro ſe habebat, proſtrato autem muro, quæ dà exiguæ & latæ naues in portas aditum protractæ, quibus pons impoſitus, ab vna ripa ad altera peruenire, & vrbes oppugnari poſſet. Ad quod Angli, Scoti & Belgæ, quique ſub ſuis Præfectis, diſpoſiti aſtabant, & de primæ irruptionis prærogatiua diſceptabant.

Cum omnia eſſent parata, Angli qui ponti proximè aſtabant, ordine ſuo per pontem ad mœnia progredi tentabant, cumque ad pontis finem venirent, nimis breuem eum repperiunt, ſed priores à poſteriori bus protruſi, vel tranſilire, vel ſubmergere debebant. Quidam agillimi tranſiliebant, & fortiſſimam impreſſionem in murum faciebant, adeò vt ſignifer quidam ad ſummum muri peruenieret, & vexillum iſtic egregiè ventilaret, & in orbem ageret, qui tamen, quod alij ipſum aſſequi nō poterant, occubuit reliquis repulſis. Præſidiarij in muro & vallo proſtrato, ſub ſeptem vexillis ſeſe ſiſtebant, in quos tormenta bis maximo ipſorum damno exonerata. Eo quod globis non ſolum, ſed & lapidum fruſtis permulti læderentur. Comes Hermannus Montanus, Vrbis Gubernator ipſe lapide in capite vulneratus. In muro ex oppugnantibus Præfectus Nicolaus Meetkerckius, etiam lethaliter fauciatus eſt, vir fortiſſimus & mi les ſtrenuiſſimus.

Cumque eo die nihil profeciſſent, pons altero die longior effectus, aliaque requiſita adueta. Id cum præſidiarij conſpicerent, alta voce pacifci petierunt, qui Domino Famarſio, Bellica rum machinarum Præfecto, num ex animo hoc petant, roganti, reclamabant quod ſic. Quare Hiſpanicum Capitaneum & VValonicum emittebant, contra Capitaneum von der Nooth & Lennep recipiebant.

Cum his 10 Iunij pactum & conuentum, vt vrbs ijſdem ferè, quibus Zutphania conditioni- *Dauentria de* bus dederetur. Præſidiarij cum impedimentis ſuis exirent. Comitem Hermannum difficulter *ditur,*
ad deditionem permoueri potuiſſe dicebatur, etiamſi ipſe grauiter vulneratus eſſet. Sed cùm ſuorum militum maximam cladem perpeſſus, ipſe vulneratus, & munitionibus deſtitutus eſſet, tandem ſe permoueri paſſus eſt. Mauricius nepotem ſuum amicè amplexus, ſalutauit, atq; proprio ſuo curru Groningam ipſum deuehi curauit.

Atque ſic ambæ hæ vrbes potentiſſimæ, & duarum Prouinciarum Metropoles, tempore breuiſſimo, & milite pauciſſimo, ſubactæ fuerunt. Ita vt tam cito expugnationis, quàm obſeſſionis rumor diuulgatus fuerit. Cui rei, obſeſſoris prouidentia, machinarum bellicarum potentia, & requiſitorum promptitudo, & militum voluntas prona, multum inſeruiebant.

Dauen-

Digitized by Google

An. 1591. Dauentria, in Frisiam exercitus, 150. nauibus, deductus, cum rebus omnibus necessarijs. Enchusam & Harlingã, ideo quod Verdugonem Steenvvikæ cum multis militibus esse cognoscerent, præternauigabant, & Steenvvika relicta in Græningensẽ Prouinciã pergebant, ibi varia Propugnacula, Ementillani, Maiorem, Auvvartam, & Opschlagam, aliaque circumcirca expugnabant. In de Delftzielam Propugnaculũ in ipso aditu fluminis, Græninga per Dammam in Amysiam labentes, situm portum habens præcipuum, progrediebantur. Istud tormentis dispositis dedi, aut quosdam qui apparatum quo oppugnandi essent, conspiciant, emitterent, postulatum. Id Visidium inter Præsidiarios præbuit, viso tamen apparatu 2. Iulij Propugnaculum dediderunt. Verdugo autem tam ob has, quam alias causas Græningæ plus quam 20. ex illis capite plectebat.

Propugnacula Delfzeela de situr.

Frisones Propugnaculum hoc firmius munire, & ampliori curabant, statuentes aliquando vrbem inde subigere, Priuilegijs & iurisdictionibus fundare eam deliberabant, vt ciues Græningenses eò succesu temporis pollicerent. Verùm cum Græningam ipsam acquirere breui sperarent, ad tempes fuit hoc intermissum.

Cùm deinde Mauricius castris suis Steenvvikam, vt Parmensi obuiaret, rediret, obsessio arcis VVedæ ipsum remorata est à progressu, qua superata, Mauricius vlterius properauit, aliquot post se relinquens, qui arcem firmius munirent, & seruarent. Sed Verdugo statim post Mauricij discessum, cum Præsidiarijs Schurendiepensis, & alijs eo venit, & priusquam se munire possent, dedere arcem, & albis bacilles exire eos coegit. Quo facto, Græningenses iterum liberum per Bourtangam accessum recuperabant.

Parmensis præparat se, vt Mauricio resistat.

Dum hæc aguntur, Dux Parmensis 20. Iunij Bruxella discessit, Thienam, Traiectum & Ruremundam, vbi Dauentriæ per ditio ipsi nunciata. Multum in Hispanis fedandis, & secumducendis laborarat, ipsi tamen æquè manebant pertinaces. Ex omnibus præterea locis, quot poterat, milites colligebat. Et Principem Ascolium in Galliam fœderatis auxilio, verbis magis quam factis, ablegabat. Studebat deinde, quomodo Venloam, Geldriam, Nouiomagum, aliasque loca pluribus Præsidijs confirmare posset. Inde ad Rhenum pergens, prope Reesam pontem in Rheno extruxit. A VVesalienses ibus naues commodabat, quibus Præsidiarij Nouesienses, & alij Rhenum descenderẽt, qui itidem summopere de pecunia vociferabant. Quidam etiam in Leodiensi diœcesi recenter conscripti milites, ad ipsum veniebant. Ita vt numerosissimum exercitum, cui omnibus machinis ac apparatu bene prospectum, comparasset.

Iltis copijs celeriter 13. Iulij Nouiomagum per Rhenum & VVahalim descendit, ibidem pontem naualem facit, pontones, scaphas, aliasque naues quamplurimas collegit, & nocte in Bethauiam circiter 3000. peditibus, & 400. equitibus, cum quibusdam tormentis traijcit. Ibi Propugnaculum Knodsenburg/è regione vrbis Nouiomagi, oblidere cœpit. Comes Barlamontinus suum legionem vèrsus Orientem, Comes Octauianus Mansfeldius versus occidentem, suum legionem disponebant: cæteri inter hos duos sese ponebant; equites verò in pagum Lente se recipiebant. Motteus fossas & aggeres præparabat. & 14. tormenta ditigebat, quibus 22. Iulij ducenties & octuagies iaculatum. Equitibus multos fasciculos ligneos conficere & apportare iniunxerat, vt ijs fossas Propugnaculi replere, & ad vallum excurrere possent.

Parmensis Knodsenburg obsidet

Interim Comes Solmensis recentibus militibus, in Propugnaculum clàm peruenit, qui infestissimam & furibundam eruptionem faciebant, obsessores alacriter repellebant, & centenos aliquot cedebant, inter quos multi Capitanei & Officiarij Hispanici erant, Comes Octauianus Mansfeldius etiam sclopeto traiectus. Obsessi enim tormentis alijsque necessarijs, armis & munitionibus optimè erant instructi. Tunc Motteum cuniculos ducere, & altum terræ aceruum, vulgò ein Kat̃ erigere velle videbatur.

Mauricius interea Steenvvikã deueniens, & ibi de Knodsenburgensi obsidione certior factus è vestigio istuc properare statuit, Comitẽ VVilhelmũ in Frisia relinquens, ipse Arnheimiũ subitò venit, vbi continuò pontem vltra Rhenum struens, exercitum suum in Bethauiam transduxit. Ibi aggere, castra muniuit, & tunc quosdam equites ad Parmensis castra lustranda, emisit, qui post velitationes aliquot habitas, refugere fuerunt coacti. Tum Mauricius 24. Iulij, nocte 400. sclopetarijs, vulgo Musquettarijs, & aliquot equitibus in insidijs collocatis die orto, Comitem Solmensem, Equitem Vere, cum quibusdam equitibus, ad castra Parmensis emisit. Quoscum Parmensis conspiceret, continuò 7. turmas equitum in eos furibundo impetu ablegauit, qui illos alios fugientes insequebantur, donec ad locum vbi insidiæ structæ essent, peruenissent. Vbi occultati sclopetarij in eos iaculabantur, & vndique cingendo eos dispersurant, cæciderunt, & ducentos ceperunt: pauci qui cladem hanc Parmensi nunciarent, euaserunt.

Parmensis Equites in Bethauia cæduntur.

Harum turmarum vnà erat ipsius Ducis Parmensis, à Petro Francisco Nicelli Capitaneo, ducta. Alia erat D. Alphonsi Daualosij, Marchionis à Guasto, fratris, qui cum vexillo suo captus. Alia erat Hieronymi à Caraffa, cuius Vicarius, Comes Derus Manfredius, cum vexillo suo etiam captus. Alia erat Capitanei Padiliani, qui captus, grauiter vulneratus, postea mortuus

tuus est. Omnes hi erant Hispanici Lancearij: Præter has aderat etiam turma Blasij Cappazuccæ, Alberti Agrarij, & Lancelotti. Vbi multi nobiles cæsi, & ducenti equi erepti, cum quatuor insignibus, quæ Arnhemium solemniter perlata fuere. *Anno 1599.*

Hanc cladem, cum Parmensis ipse Nouiomagi, è summo arcis, vulgò Valckenhoff, ex parte conspexisset, & ex Hollandia multas naues euocatas resciuisset, quibus Mauricius per Vahalim infra & supra eum circundare, & pontem quibusdam incendiarijs nauiculis confringere tentaturus videbatur, continuò milites & tormenta flumen traducere imperauit. In hos Mauriciani & Knodsenburgenses iunctis quibusdam nautis, ita irruerunt, vt magno suo damno tuaserint, duobus tormentis relictis, & pontonibus aliisque scaphis submersis. Sed nauis illæ, serò, sequenti scilicet die, cùm 26. Iulij Parmensis Nouiomago discessisset, ad maius ipsi damnum inferendum, aduenerunt. Cùm Parmensis vrbe egrederetur, quædam Knodsenburgenses naues sese ostentabant, & quasi vrbem inuasuræ multis tonitruis fulminarunt. *Parmensis profectionem Knodsenburgij prosequuntur.*

Ac tandem Nouiomagensibus valedicendo, multa ipsis blandè promisit, se cum exercitu suo in vicinia hæsurum, vrbem, tanquam oculi sui pupillam defensurum, pluribus præsidijs non esse opus: cùm, quod iniquum sit, grauatis & afflictis, addere plura grauamina & molestias: tum quod ipsi hoc suppliciter orassent, & nisi conditionibus certis recipere vellent. Aliquantulum etiam pecuniæ ad præsidiariorum solutionem ipsis relinquebat. A plebe tamen in discessu suo ignominiosè acclamatus, & derisus est.

Nouiomagi cùm Parmensis adhuc esset, filius ipsius Raynutius Farnesius Parmæ Princeps Portugalla fœmina natus ex Italia ipsum inuisebat. Parens valetudinarius, & infirmus, ob varia incommoda passa (Verdugonem cum exercitu suo Cranenburgi relinquens) cum filio suo Spadam ad acidos fontes discessit, ibi ab Episcopo Colonensi Ernesto Bauaro, Iuniori Duce Cliuense, & alijs redux salutatus. *Rainutius in minor. Farnesius Parmæ Princeps Nouiomagi visitat.*

Post Parmensis discessum, Comes Mauricius, milites suos in viciniora præsidia, reficiendi gratia collocauit, ipse Knodsenburgum visitaturus venit. Et cum deinde nihil nisi Nouiomagensem obsidionem moliri videretur, in Selandia ingenti classe comparata, tormentis, puluere pontibus & viminibus, instructa ea 4000. peditum, & 7. turmas equitum per Brabantiam misi. Hi per Schaldim repentè in Flandria appulerunt, vbi continuò Hulstam, Regionis V Vasensis metropolim 19. Septembris absque vlla Parmensis suspicione obsedit, & 21. eiusdem mensis tormenta aduexit & disposuit, Propugnaculis circumcirca prius expugnatis. Equites ad portas Gandauenses & Antvverpienses vsque euagabantur, & aggerem ante Caloo ne ab hostibus ea ex parte, ipsis quid metuendum, perfodiebant, omniaque inundabant.

Præfidiarij Hulstenses (quorum Gubernator paucos ante dies indè discesserat) tormenta disposita & præparata, & partem valli deiectam conspicientes, tantisque viribus resistere impares se iudicantes, & de succursu desponentes, ad pacisendū tandem cum obsessoribus fuerunt inducti. Pacto deinde conuento, 24. Septembris, cum impedimentis vrbe sortiti, numero 260. Dictum postea Parmensem Capitaneum Hispanicum, Gubernatori substitutum decollasse, siue quod præmaturè vrbem dedidisset, siue quod vexillum suum, cum 200. capitum esse debuerit, tantum 60. fuerit. Ciues pacisebantur, vt eodem, quo cæteræ Hollandicæ & Zelandicæ vrbes, modo haberentur. Ecclesiastici vna discesserunt. *Hulstia in fidem Mauritio obsessa occupata.*

Hæc Mauricij in Flandriam impressio confestim Antvverpiam nunciabatur, & tum quidem, cùm Raynutius iunior Princeps Parmæ eo veniisset, & festiuiter exciperetur. Quapropter Gubernator arcis Antvverpianæ, Christophorus Mondragonius è vestigio copias quas potuit collegit, & trans flumen misit. Sollicitabat quoque hic Princeps Hispanos Dieslæ aliosque vicinis locis tumultuantes, vt in tanta hac necessitate Regi sua officia præstarent, id que præuijs multis verbis & promissis, se ipsum etiam obligando, impetrauit. Præterea à Mercatoribus Portugallis & Italis bonam pecuniæ summam mutuo accipiebat. Cùm iam Mondragonius qualdam copias collegisset, in Flandriam transijt, & Mauricianos ab vlteriori impressione, in Regione V Vasensi impediuit. *Mōdragonius cōtra Mauritium in Flandriā profectus.*

Mauricius certior factus, necessaria ad obsidionem Neomagensem parata esse, decreuit indè recedere, quamuis multæ ipsi commoditates Propugnacula & munitiones quasdam in Flandria oblatæ essent, quam rem etiam Zelandi terminos suos eo loci propagare cupientes, summoperè vrgebant. Ita tormentis rursus nauibus impositis, maxima celeritate inde soluit, adeò vt 14. nauiculæ supprimerentur & submergerentur, è quibus promptissima auferebant, nauiculas has Hispani postea aqua decrescente comburebant. *Mauricius Neomagum profectus.*

Hulstiæ & vicinis locis cum plena potestate præficitur Gubernator Comes à Solms, Mauricij in Zelandia Vicarius, militibus & cæteris rebus necessarijs ipsi affatim submin istratis. Vectigalia bonis inuehendis & euehendis imposita, statim in singulos quinque menses locabantur 11000. florenis. Insuper ex vicinis Pagis maiores contributiones redacturos sperantes. Mondragonius enim cum Steelandt Regionis V Vasensis Prætore, consulebant confectim quoldam

Digitized by Google

An. 1591. Pagos & Propugnacula prope Hulſtium magis munienda excurſiones prohibendi cauſa, veluti Pagum S. Ioannis ten Steene/ Steecken/ & Munimentum S. Iacobi, quo etiam multa contra Præſidiarios defendebantur. Interim Hiſpani antè oppidum ſeſe quidem oſtentabant, verùm nihil tentabant.

Brugenſes eorumq; vicini offerũt Zelandis contribu. tionem.

Brugenſes & alij Flandri cupiebant ſe Zelandis Tributarios facere, propter continuas Zelandorum Præſidiariorum excurſiones, maximè eorum qui Oſtendæ, Axelæ, Hulſtio, ac Terneuſæ erant. Sollicitabant quoque, vt ſub ſolutione Licentorum, quemadmodum Antverpię & Tzaſtio Gandauenſi fiebat, mercaturam & negotiationem exercere poſſent; ſed à Parmenſi nondum id obtinere poterant, etſi Zelandi quotidiè ipſos excurſionibus vexarent. Nam in Iunio Gandauum vſque excurrebant, vbi circiter 300. Hiſpanos & V Valones occidebant, 40. captiuis ſecum abductis. In Iulio rurſus maiori numero excurrebant, Neoporti autem illis reſiſtebatur, vbi amiſsis 30. vel 40. viris, ad littus maris ſub Fliſsingenſis & nauium bellicarum tutelam recedebant.

Noritſius Oſtendæ Gubernator. Contributiones exigit.

Reginæ Angliæ, Oſtendæ Gubernator D. Eduardus Noritſius Eques, conabatur quoque vicinos ſuos & alios ad contribuendum adigere, in vſum & commodum ciuitatis ſuæ, idq; vigore ſuarum literarum commeatus, prætendens eo ſe ciuitatem Oſtendenſem ab iniuria, & inundatione Maris, vti neceſſarium, defenſurum, & muniturum. Id cum in malam conſequentiam trahi poſſet, Ordines ipſi permittere noluerunt, de quo ad Reginam Angliæ proficiſcens, conquæſtus eſt, quæ initio ipſi patrocinabatur: verùm ab Ordinibus per eorum Agentem Schonne vvallię Dominum melius informata, hunc punctum ad ſummam Iuriſdictionem pertinere, neque expedire contributiones exigere, adiunctis alijs pluribus conſequętijs malis inde dependentibus, quemadmodum etiam hoc exemplo omnes Gubernatores, & Capitanei Regulos ſeſe facturi eſſent, vti in Gallia & alijs locis, pluſquam conduceret, heret, &c. Noritio autem vlterius hac de cauſa inſtanti, Regina irata, vt in domo ſua captiuus maneret iuſsit, neque ad gubernationem ſuam redire voluit, donec Ordines iterum pro eo intercederent.

Mauricius obſidet Neomagum.

Mauricius cum exercitu ſuo, & apparatu bellico ex Flandria diſcedens, 2. Octobris in Zelandiam appulit, vbi magnificè exceptus, obſidionem Neomagenſem inſtituit, cognito Verdugonem in ditionem Iuliacenſem excurrentem, non poſſe Neomagẽſibus ſubuenire, copiarum ſuarum parte in Galliam traductis, parte à Mondragonio in Flandriam auocata.

Præterea ab Hugone Secretario (qui aliquandiu ibi captiuus detentus fuerat, & paulò antè, literis Parmęſis, ne dimitteretur, ſerò traditis, lytro ſe liberauerat) de præſenti vrbis ſtatu, certior factus. Hæc maiorę feſtinandi anſam præbebant Mauricio, ante hyemẽ vrbẽ adhuc obſidendi. Eo itaque 10. Octobris appellens, fluuium V Vahalim ab vtraque parte ponte iungebat, qua ex D. Huberti Turriiaculando perfracta, cum paulò longius à ciuitate extruere cogebatur. Hic Capitaneus Rolle, & Nauis cuiuſdam Capitaneus Cloierus, cum alijs occubuerunt. Huius Pontis adiumento ſodiendo ciuitati appropinquauit, tormenta numero 40. prope portam Oyenſem, locum ſupplicij, & Turrim Lapenſem, quo etiam ex Propugnaculo Knodſenburgenſi circiter 15 aut 16. machinæ maiores reſpondentes directæ erant, vndique defenſionem & reparationem ruinarum faciendarum obſeſsis amputantes.

Neomagenſes valdè perterriti pro ſubſidio ad Verdugonem mittebant, in præſidio habebant tria vexilla peditum, equites paucos, exceptis quibuſdam Henrici Kieboomij, aliàs Mieſe, qui Geertrudenbergam Parmenſi vendiderat: hi ſtatim atque deditionis mentionem fieri audirent, veloci curſi egreſsi, Zelandorum caſtra penetrarunt. Ciues & Præſidiarij videntes, vbi hoſtis tormenta ſua collocaſſet, portam Oyenſem obſtruxerunt, & locum depreſsiorem inter flumen & arcem, ab vrbe ſęgregarunt, vallo à viris, fœminis, & pueris ſumma celeritate excitato, vt eo ſuperato, hoſtis nouum quo repelleretur, obicem inueniret, omnia facientes, quæ diligentes ciues facere poſſent, aut deberent.

Neomagorum reſponſum ridiculum.

Rebus ita ad oppugnationẽ adornatis, deditio vrbis poſtulatur. Reſpondent obſeſsi Mauricio Procum, vrbem Neomagenſem Amaſiam, quam ambiret, eſſe, ſed eam non tam facilè nec nili maioribus adhibitis moleſtijs impetraturam. Verùm cum poſtea ſpem liberationis non haberent, & vrbs indies tormentorum fulmine magis deformaretur, præſertim è Propugnaculo Knodſenburgenſi, vnde aliquot millia globorum, etiam ignitorum, in ciuitatem iaculabantur, multi ciuium in curiam conueniunt, deſeri ſe à Rege conquiruntur: omnia ſe pro Rege abſumpſſe, ignem & ferrum hactenus ſuſtinuiſſe, ad Parmenſem qui alijs negotijs impediretur pro auxilio ſæpius miſiſſe, nihil infecutum eſſe; proinde conſultum, vt ciuitas Comiti Mauricio bonis conditionibus detur. His ſermonibus multorum animi percellebantur, & tormentis iam ad vrbẽ petendum paratis, cũ Mauricius breue reſponſum flagitaret, ſeq; ab hoſtis aduentu & ſubſidio ſecurum eſſe iudicarent, 20. Octobr. ad eum mittunt, Senatus continuationem, Religionis vtriuſq; exercitium, tolerabile præſidium, aliaq́ue multa petentes, quæ denegata ſunt. Quare poſtridiè miſſus eſt Conſul Hemingius cum plena poteſtate tranſigendi, per

quem

quem quædã obtinebant, excepto exercitio Religionis Cath. dispensatione bonorũ Ecclesiast. & collatione officiorum Regiorum. Oporterent se quoad Religionem alijs ciuitatibus Hollandiæ & Zelandiæ accómodare, reciperẽt sex vexilla peditum, & duas turmas equitum, magistratum mutandum, prout visum fuerit. Ita Dominus Gelenius, Snaterus, & Ioannes Snaterus cum suis signis vrbe egressi, Grauiam profecti sunt. Hoc modo vrbs Nouiomagensis deuicta, vnitis Prouincijs annectitur. Eiq; præficitur Comes Philip. Nassouius, Ioan. filius, cuius Vicarius erat præfectus Knodsenburgij, Gerardus Iunius. Post hæc Mauricius exercitum suũ in hyberna deduxit, cum spatio 5. mensiũ & minore, fortissimum munimentum Zutphanense, cum ipsa vrbe, Dauentriam in Transisulania, propugnaculum Delfzielæ, aliaq; occupasset, Parmensem plurimis suorũ equitum defideratis, obtidione Knodsenburgensem soluere coegisset, inde in Flandriam profectus, oppidũ Hulst in conspectu Antverpiæ, & Mondragonij superasset, & deniq; hac hyeme Neomago, Gelriæ Metropoli, V Vahali fluuio vnitarũ Prouinciarũ termino constituto, summa laude potitus esset. Insidiabatur quoq; in Decembri Gertrudenbergæ, ex Haga Comitis secretò, cum 1600. millibus egressus, quorum 60. iam muros scalis ascenderant, qui tamen amissis duobus ducibus repulsi, reinfecta discedere coacti sunt. Ordines vnitarum Prouinciarum ad perpetuam rei memoriam, de victoria hac Zutphanensi, Dauentrensi, Hulstensi, Neomagensi, & alijs, nummos aureos, argenteos, & æneos cudi fecerunt, Deo omnipotenti omnem laudem adscribentes. An. 1591.

Prouinciæ Regi subditæ, cum magis quam vnitæ (vtputa, qui magnis fluuijs & munitionibus ab iniuria quacunq; defenderentur) depredationibus & incendijs expositæ essent, Nebulonum numerus valdè succreuit, ab vtraq; parte, plures tamen hanc ob causam & licentiam ad Ordines deflexerunt, & omnia sub nomine Præmiatorum, vulgo Freybeuter/ qui maiori ex parte sub vexillis aut militari disciplina non erant, depopulati sunt. Contra has, quia sæpè præter decorũ sese gerebant, Brabanti Lictores Prætorianos, vulgo Rotte Rohr/ & alios officiarios constituerunt, Agricolis quoq; sub graui pœna mandantes, dictis officiarijs assistant, campanorũ sonitu incolas conuocent, & Prædones illos persequantur & trucident. Nam isti horum Officialium Præfectum Danckhardũ prope Liram cum omnib. suis ceperant, cumq; quod multos ex illorũ socijs antea captos torquisset, & viuos concremasset, naso auribusq; viuo abscisis suspenderunt. Eodem modo in Flandria similem Præfectum occiderãt, ipsius equos abstulerant, & Vicarium captum arbori cauo impositum, igne exusserant. Hos itaque coercendi causa vetera mandata contra Prædatores renouata, & ordo constitutus, contributionum soluto prohibita, mutuaq; captorum lytro aut permutatione sese liberandi mos sublatus, qui tamen hinc indè necessariò inter milites restitutus, atque permissus est. *Præmiatorũ nauerius. v. L. 10 Freybeuter/ valdè accrescit.*

Sub prætextu huiusmodi Prædones puniendi, & hosti resistendi, loco tributorum hosti soluendorum, Status Brabantiæ 5. Nouemb. decreuerunt dare 45000. flor. singulis mensib. idque continuando per 6. menses, certum quid mercibus quæ in Brabantia emerentur, consumerẽtur prescripto modo imponentes, exempli gratia, pro vase Gallici aut Rhenani vini florenos octo, & sic consequenter pro frumento, carne, piscibus, sapone. Item ijs qui aurũ, argentũ, holosericum, sericum, & id generis vestimenta gestabunt, vti latius patet ex Edicto. Similes Contributiones in Flandria & alijs locis in dictæ sunt, quem admodum ex ipsis Ordinationibus patet. *Cõtributiones ad puniendos & coercendos Prædones, in prouincijs Regijs decretæ.*

In absentia Parmensi, secundò iam in Galliam profecti, Petrus Ernestus Comes Mansfeldi Gubernator constitutus, quoq; Edictum promulgauit, qua ratione pecuniæ ad solutionem 300. militũ intraneorũ colligi possent, quibus Brabantia & præsertim Villæ inter fluuios Scaldim, Deure, Zenne, & nauigatio Bruxellentis ab iniuria defendi possent, cum indies naues mercatoriæ à Præmiatoribus ex insidijs inuaderentur, atque spoliarentur. Idq; in locum Tributorum, quæ hosti soluere debebant, ex agris, siluis, pascuis, prout in Edicto impresso latius continetur.

Hoc tempore in mari quoque quidam Hispanici, aut Biscainici Piratæ grassati sunt, qui à Nauarchis Belgicis transfugis ducti, à tergo Angliæ & Scotiæ ex Hispania, in mare Septentrionale venerant, quosdam piscatores capientes, quorum nauiculis, loco speculatoriarum vtebantur, & alijs insidiebantur, sed à nauibus bellicis Hollandorum, quæ piscatũræ curam habebant, persequuti & capti in Hollandiam Roterodamum deducti 38. vel 39. ex ijs suspensi sunt. Simili modo Amsterodami, & Enckhusæ pyratæ quidam Anglici. *Pyratæ Hisp. & alij capti ac suspensi.*

Quo Lector vtcunque rerum varietate recreetur, nonnulla alibi licet, quàm in Belgio, à vicinis tamen & confœderatis, gesta & quæ eandem belli causam spectant, referemus.

Angliæ Regina quia Insulas possidet, selectas admodum naues, militesque in ijs selectos habet, quibus formidabilis hostibus suis videtur, dum Hilp. longinquas nauigationes diminuere ac impedire annititur, præcipuè eas quas in Indiam Orientalem & Occidentalem exercent, cùm vt maximam eorum potentiam infringat, Indiam vtramque liberet, gentibusq; omnibus commercia in ijs exercendi potestatem faciat, tum vt aurum, argentum, diuitiasq; cæteras participet. In hunc finem tam ipsa quam subditi eius naues aliquot pro ratione lucri, quod inde ex- *Angliæ Regina naues quasdam emittit.*

Digitized by Google

An. 1591. pectatur iam diu mari commisere. Quid verò hac ratione per Franciſcum Draconem Equitem alioſq; magnâ prædarum captura effectum ſit, ex parte ſuperius relatum eſt.

Hocanno Maris cura commiſſa fuit Domino Thomæ Havvart, poſtremi Ducis Nortfolcij filio. Inſtructus is erat nauibus mediocribus 4. minoribus 2. ex his prima Prætoria fuit nominata, *Deffience*, ſiue PROVOCATIO, cui ipſe præerat. Altera *Reuenge*, ſiue VINDICTA vicem eius gerens, cui Richardus Greneueldius Eques præerat. Naues hæ numero 6. quibus 6. aliæ Londinenſes iunctæ fuére ad cibaria vehenda comparatæ, nonnullæq; aliæ roſtratæ, 10. Septem. apud Occidentales Azoræ inſulas, propè eam quam floridam vocant, apparuére, ibique anchoris eiectis in terram nonnulli aquatum deſcenderunt. Hic dum quieſcunt roſtrata quædam aduenit, qua nuncium allatum eſt, Claſſem Hiſpanicam 53. nauium maiorum aduentare, cui D. Alonzo de Baza, frater Marchionis de S. Cruce præerat, quæ obuia Claſſi Indicæ mittebatur, vna cum Prætore Biſcaiæ, & Britandona Admiralio Siuiliæ, Marchione Armuborgi, & Loilio Cotino Admiralio onerariarum.

Naues Angli. cæ inopinato in claſſem Hiſpanicam incidunt.

Ex inopinato hac aduentante Claſſe, debiliores ſe Britanni, quam qui cum ea prælium inire poſſent, comperiunt. In Prætoria etenim naui milites maiori ex parte, & in Reuengæa 190. ægrotabant, 90. limiliter in cæteris. Vela igitur ventis dedere vt euaderent. Admiralius Havvart cum reliquis ventorum vim ſuperans Hiſpanorum curſui prçuenit. Reuengea verò quia inſulæ proxima erat, id conſequi priuſquam ab Hiſpanis circumueniretur, nequiuit. Greneueldius ergo præanimi magnitudine hoſtium agmen perrumpere decreuit, aſt obiecit ſe magna nauis Hiſpanorum, Philippæa vocata, continens vaſa 1500. quæ copia & quantitate velorum Reuengæ vela opperuit, ita vt loco moueri impedito ventorum flatu non poſſet. Nauis hæc ingens erat & tormenta trigemino, ab vtroque latere, ordine, in vnoquoque vndecim diſpoſita habebat, & 8. ad proram eminentia, exceptis ijs quæ ad puppim ordinata fuére. Hæc Reuengeam omni vi aggrediebatur, quæ mox in eandem omnia tormenta eiaculata eſt, vt breui diſcedere coacta ſit, & poſtea ſubmerſa exiſtimetur. Idem alijs propè accedentibus contingebat, vt & alteri cuidam Galleoni, & Prætoriæ onerariarum, quæ itidem vtraque ſubmergebatur. Deinde à quator alijs apprehenſa eſt, quæ eadem vi propulſę fuére. adeò vt per quindecim horas ferè dimicatum ſit, vſque dum Reuengeæ mali omnes, & munimenta ſuperiora diſiecta cre bris tormentorum ictibus fuére. Hic prçfectus Greneueldius ipſe vulneratus eſt, cui dum chirurgus vulnus curare annititur, ipſe in capite læſus eſt. Hæc pugna tam acris Anglicæ naui extitit, vt continuo cum duabus tribuſue nauibus monomachia quaſi certauerit. De nocte cæteræ naues circum eam vagabantur tormenta ſua immittentes. Et 800. ad minus ictus nauis hæc vna recepiſſe exiſtimatur.

Reuengea nauis Prætoria ſola cum Hiſpanis duobus fortiſſimis dimicat.

Anglicus Admiralius deſperabundam Nauem ſecum ſubmergendâ concludit.

Oriente luce matutina dũ Greneueldius ſubſidij nil reliquũ, omnibus ſe munimentis tam malorum quam acroteriorum deſtitutum, & ab hoſtibus vndique circundatum conſpiceret, mandat ſupremo tormentorum Præfecto, nauim qua poſſet optima ratione mergat. Honoricentius enim naui Regiæ, nationiq; adeò ſuæ totiesſe putauit, gratiæ diuinæ, quam hoſti ſe dedere, cuius 53. naues maximas ſumma virtute iam per 15. horas ſuſtinuerat, quæ 15. virorum millibus inſtructæ fuerunt. Accedebat, quod præter pulueris nitritati cadũ vnũ non ſupererat. Conſenſit ergo tormentorum Præfectus, & alij nonnulli, at reluctabatur Nauarcha, Capitaneusque inferior, melius eſſe ducentes ſeſe læſoſque ſaluarent, quàm perderent, cum honori ſuo ſatisfeciſſent. Hiſp. non minus paratos ad concedendâ, quam ipſos ad accipiendam gratiã pronos viderent: leuem præterea maculã ſe ſubituros putabant, ſi Regiam nauim dederent, eo quod hæc iam in ſentina tribus locis læſa 6. pedũ aquę profunditatem contineret, vt etiam abſq; alio adminiculo eam breui mergi oportéret. Cùm hic induci Greneueldius non poſſet Nauarcha ſcapha quadã Prætorem hoſtilem acceſsit, qui promptus eum audiuit: dum enim militẽ minus promptum ad oppugnandã amplius Reuengeam videt, metuẽs quoq; ne propius accedẽtes naues ighe à deſperante propemodum hoſte conſumerentur, vitã ijs obtulit, militesq; in Angliam ſe vehi curaturũ, niſi quod nonnuli lytrp à carcere aut bireminibus ſeſe redimerent. Quæ conditiones acceptæ ſunt, vndè mox plures ſcaphæ ad nauem venére, in quas milites deſiliére. Greneueldio & tormentorũ prefecto, alijſq; inuitis naue ſuperata. Greneueldius debilis admodũ ex ea ductus humaniterà D. Alonzo de Baſan exceptus eſt, qui tametſi omni cura, vt eum ſanaret, annitteretur, tamen prodeſſe ei, quin nihilominus moreretur, non potuit; triduo enim poſt cum multis alijs deceſsit: cæteri diuerſi diuerſa in loca abiére, multiq; ex eis domum redierũt. Putantur hoc in certamine plus minus mille Hiſp. periſſe: duæ enim naues in cõſpectu Reuengeæ periére, & duæ aliæ vix littus attigere. Ij qui cæteras Anglorum naues tenuere, cum plurimis ipſi ægris onerati eſſent, potentem adeò claſſem oppugnare minus conſultum duxére, vnde toto veſpertino tempore tonitrua in illã immisére. Metuens verò, ne & ipſi circumueni rentur, domum redire conſtituerunt.

Naui Reuengeæ tandẽ hoſti dedituræ.

Paucos poſt dies exſpectata iam diù claſsis ex India adfuit. Dum verò littus propius aquatum acceſsẽre

acceſsere tanta repentè tempeſtas exorta eſt, vt de claſſe Indica 14. ſimul naues perirent, nullæ tamen diuitijs onuſtæ. Inter cæteras & Anglica Reuengæa vnà cum ducentis in ea Hiſpanis ad Inſulam D. Michaelis appellens, ſubmerſa eſt. Aequalem eadem hæc claſsis antea procellam ſuſtinuerat, qua non minorem iacturam nauium fecit. An 1591.

Tantum de nauigatione pugnaq; nauali in præſenti propter rei nouitatè dicere operæpretiũ putauimus, quam Britanni more ſuo Hiſpanos offendendo continuarunt, & anno inſequenti acceptum detrimentum duplò refarcierunt; nam etſi Reuengæa 130000 florenorum fuerit æſtimata, tamen longe maius damnũ hoſti intulerunt. Nam primum, dum nauta quidã, nomine Tomas Vitius, Lugduno oriundus in Barbariam negotiarum abiret, viros in nati ſua habens 45. ſelectos & inſtructos ad modum, exonerata naui, dum per aliquot menſes morari ad recipiendas alias merces cogeretur, ſubinde in mari ad loca certa, per quæ naues Indicas, vt plurimum cõmeare ſolere cognorat, petit. Accidit ergo vt 3 naues Regio nomine oneratas in Hiſp. obuias haberet, quæ antea à triremibus aliquot deductæ ipſum ſubigere conantur, at verſa fortuna ipſemet captæ fuerunt, vnà prius, deinde altera, non ſine magno ipſius periculo. Has in Barbariã adduxit. Onere poſtea recepto eas vnà domũ adduxit. Continebantur his nauibus plures quam 40000 arculę Mercurio repletę, quarum vnaquęq; libras 150. continebat, centenariumue vnũ & dimidium, & plures quam 100. cadi vino pleni, 10. vero dolia diplomatibus Pontificalib. repleta pro viuorum, defunctorumq; animabus, in Regiones nouæ Hiſpa. Iuratarem, Quatimaliam, Honduras, & Philippinas tranſmittenda. Quæ omnia plus minus tricenis flor. millibus à Rege comparata 2500000. ducatis, ibi rurſus diuendi potuiſſent, vt nunc intelligatur, quantus Mercator Rex ipſe ſit, & dubium illud tollatur, vnde Regi tantæ diuitijs ex ijs locis adueniant, ſciendum eſt. Vtex inſtructione literarum in hiſce nauibus inuentarum patefactũ eſt, Regem etſi tam in Indiam, quam Hiſpa. Mercurium deuehi vetuerit, tamen Indos cogiſſe illum, niſi à ſe ſolo emere, & argento puro, æquali cum illo pondere, redimere. Vnde computatione facta pro 1400. his arculis centum duo millia centenariorum argenti puri recepturus fuiſſet, quod 24. millia ducatorum effecit. Adde 2072000. Diplomata, pro quibus ſingulis incolæ duos, & 18000. pro quibus ſingulis quatuor Reales, ſoluere adiunctur. Præterea magnam copiam librorum Miſſaticorum deauratorum, quæ omnia carè æſtimata: ipſi tamen paruo aut nihil constiterãt computatione facta, inueniet Diplomata hæc ad ſummam 400000. ducatorum excurrere, quibus binis ſummis Rex pro hac reſpoſi habitur.

Angli damnũ paulo antè ac ceptum, vtcũq; refarcium.

Quomodo & vnde Hiſpani Theſauros ſuos in Indiã cõportent.

Adhæc Britanni in Inſulis Terceræ, cuius ſupra meminimus, menſe Aug. 1592. duas galleones ex India Orientali venientes, varijs ſpecicibus, preciosiſq; mercibus onuſtas arripuere, quarũ altera S. Crucis nomen habuit, quę antea in 18 Britannorum pyratarum, naues incideràt, qui eam viribus diſſidentes dereliquere. Sed cum ſub verſperam vento ſecundo propius ad littus acceſſiſſet, vectores egreſsi, & pretioſioribus quibuſcunq; aſſumptis, nauem incendere. Altera mater Dei dicta, poſtea ijſdem occurrit, quæ tandem à nauibus Comitis Comberlandiæ oppugnata & deuicta, in Angliam adducta eſt, continens vaſa 1500. ſeu acatia 300. æſtimataque fuit, 100000. ducatis. Niſi hæ naues diſiunctæ fuiſſent ab Anglis deuinci nequaquã potuiſſent, propter nimiam Britannarum nauium paruitatem. Tantum de geſtis Anglicis.

Angli duas Galeones Hiſpanicas capiunt.

Priuſquam nunc de expeditione Parmenſis in Galliam agemus, in animo eſt referre, quomodo is in gratiam & commodum ſubditorum, qui nimijs exactionibus onerabantur, præter iam ante emanatum vtile Edictum contra Prædones, vulgo *Freybeuter*, nomine Regis permiſerit negotiationem cum Hollandis, Zelandis, & alijs Rebellibus, ita vt continuando cõmercia inter ſubditos, eas merces importari, & exportari poſſent, præter ea quæ edicto excipiuntur; modo vectigalia & collectas pro mercibus illatis euectisq; iuxta factam taxationẽ exſolucrent. Prohibitæ verò merces hæ fuêre, omne genus armorum, & munitionis bellicæ frumenti, æris fuſilis, item lupulus, goſſypium, linum, telas ex lino cõfectas, ligna arborum altiorum, vt vlmi, Quercus, Fraxini. Ea verò quæ importari vetita ſunt, hæc erant panni omne genus lintei ſerici in Anglia aut Prouincijs rebellibus conte cti, ſal candidum, niti certa ſalis rudioris quantitas, inuehatur. Edictum hoc publicatum eſt an. 1592. Decemb. 6. Licentorum quantitas vectigalib. maior erat. Eadem commercia Ordines Prouinciarum vnitarum conceſsere.

Parmẽſis ſub ſoluitione gratuita vectigalis & Licentiæ, in vnitis Prouincijs certam mercium negotiationẽ permittit.

Quod ad res Gallicas attinet, vt Rex à Parmenſe ſit impeditus Lutetiam Pariſiorum ſuperare, ſuperius relatum eſt. Hac de cauſa omnium confœderatorum auxilia Rex adhibere cum motus eſt, vnde Vicecomitè Turainæum in Angliam ablegauit, qui inde vnà cum Horatio Paſſauicino Equitè à Regina miſſo in Germaniam diſcesſit, vnde auxilio quorundam Germaniæ Principum ingentem equitum, peditumque exercitum eduxere, qui ea lege conducti ſunt, ne intra menſes quinque proximas pecunias exigerent. Hi omnes à Præfecto ſuo generali, Anhaldiæ Duce recenſiti, in Galliam priuſquam Lottaringiæ Dux eos tranſitu prohibere poſſet, ducti fuere.

Rex Galliæ auxilia conſequitur ex Germania, Anglia & Prouincijs vnitis.

Angliæ Regina Comitem Eſſexium Præfectum 4. peditum & 3. equitum millibus, cum tor-

An. 1591. mentis aliquot maioribus quæ Canones gemini vocantur, in auxilium Regis misit.

Vnitæ Prouinciæ Belgij plurimas naues bellicas miserè & 8. Canones maiores, & 4. Colubrinos, cum omni prouisione puluerisnitrati & ferreorum globorum, quibus exponendis, dirigendis, & eiaculandis 200. nautas præfecerunt. Paulò etiam pòst Comitem Philippum à Nassau cum sua cohorte & alia quadam Scotorum (cui præerat Præfectus Balfour) quæ tria millia virorum efficiebant.

Pontifex facurrit confœderatis Gallis & Regem ex communicat.

Papa Romanus Sfondrato, dictus Gregorius 14. confœderatis Gallis in auxilium misit agnatum suum, Franciscum Sfondrato, Ducem Montis Martiani creatum, cum 6000. Heluetiorum, & 1000. Italorum peditum, quibus iunctí erant equites mille, qui ex Italia simul venére, serius tamen, quam vt Germanos transitu prohibere possent.

Deinde vnà missum est diploma datum 1. Martij. Anno 1591. per nuncium Pontificis Marcellum Landrianum, quo denuò Regem excommunicabat Contra quod summus Galliæ Senatus edictũ promulgauit, quo idem diploma, seditiosum, verbo Dei & SS. decretis contrarium, Gallicæ Ecclesiæ libertati aduersum, scandali ac erroris plenum declarabatur. Conclusum ergo est, vt id à Carnifice lacerаretur ante Palatium exureretur. Præterea sancitum, ne quis id haberet, relegeret sub pœna criminis læsæ Maiestatis, amissionisque priuilegiorum.

Diploma Pontificũ per Carnificem comburitur.

Adhæc eundem Papam hostem Regni Galliæ: turbatorem pacis Christianæ & Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Religionis, auxiliatorem & amicum coniuratorum, tam aduersus præsentem Regem Henricum 4. quam postremum, Henricum 3. nefariè adeò interemptum. Quapropter in posterum omnibus Romam abire, quacunq; etiam de causa interdixerũt. Postremò vbicunq; dictus Marcellus Pontificius Legatus, viuus vel mortuus inueniretur, iustitiæ traderetur. Eadem, qua præscriptum est forma, dictum diploma Pontificium in clata Pyra Canæ. & alibi exustum est.

Ad mandatum Regis Hisp. Parmæ Dux Spaa Bruxellas profectus est, vbi ad vrgentem Gallię confœderatorum deprecationem, qui ad eum ablegauerant Comitem Bressiacum, aliosque cum pretiosissimis aliquot cimæleis Coronæ Gallicæ à decem non minus Regibus collectis, ex auro, argento, tapetia belluata, quæ omnia Antverpiæ sunt distracta in subsidium belli confœderatorum.

Parmensis præparatio in Galliam.

Parmensis in mãdatis dederat Magno, Duci Saxonico Lavvenbergico quindecim militum vexilla conduceret, quorum delectus Lingæ ageretur. Furstenbergo cuidam vexilla 10. quæ in ditione Luxenburgica recenserentur. Item Colonello Surtio, vt in Lotharingia, vbi Dux præscripturus esset delectũ ageret, Brendelio, vt 10. vexilla conduceret, eaq; prope Carpen lustraret. Schonbergo, vt 2000. equites conduceret eosque prope Berbur censeret, similiter Eckenborgio vt 1200. conduceret, & propè Aquisgranũ ad Monasteriũ S. Cornelij. & Barlemontio vt totidem in Lotharingia recenseret, Eduardo Padensi Marchioni quoq; eiusmodi mandata dederat. Ast hæc 45. peditum vexilla, & 40000. millia equitum, non eo modo quo decretum erat, colligi potuere, quia Protestantes promptissimos quosque antea eduxerant, & cæteris iam in numerum receptis, transitum vbi id fieri poterat, prohibebant. Nam qui Hamburgi nomina sua dederant, anteqũ recenserentur, fugam cœpére, ob dissensiones inter Capitaneos & Commissarios, ratione stipendiorum ortas: Copiæ verò Eckenbergij disgregatæ sunt ab Ordinum militibus eorumq; fautoribus. Propè Coloniam nihilominus bona pars lustrata est. Pars etiam Hispanor. & Italor. ex Italia venerit. Turmæ etiam ordinariæ equitum Belgarum cum aliquot copijs peditum adesse iussæ sunt, inuitis licet Artesiensibus & Hannoniensibus, qui tot se hostibus cinctos quærebantur. Seditiosi etiam Hispanis ac Belgis stipendia exsoluta sunt, in vesperas pro mense vno, pecunia pro tribus quatuorue. Copiæ verò Arenbergij & Barlamõtij, quæ mille ferè militibus constabant circa Dalen oppidum hærentes 36. menshum præteritorum stipendium exigebant, & præsame ac inopia moriebantur.

Petro Ernesto Comiti Mansfeldia Gubernatio Belgica absente Parmenji committitur.

His præparatis Parmensis Ordinum Brabantiæ & cæterorum petitioni satisfacere volens, vt supra relatum est, Ernestum Mansfeldiæ Comitem Gubernatorem & Capitaneum generalem (absente se) constituit, idq; ex præscripto Regis. Præterea cum Cõsilij secreti participes fuére, Dominus in Assonuil, Præses Richardotus. Ferdinandus Salinæus, qui exercitus generalis auditor fuerat. Foisardus D. in Brocho, Doctor Hœstius, Ferdinandus Varranemanus. & D. Maesius, Magistri Cõsilij Thesaurarij fuére, Comes Arenbergius, Champignæus, Gazophilacius Drinkvvaart, Batauus: Commissarij D. in Chasselij, D. in Merode, Douei loper, D. de Hingene, D. in Grobendonck. Filius Caspari Schets, qui antea Thesaurarius fuerat, multis dotibus eximius.

Parmensis exercitus in Gallia numerus.

Eo modo instructus Parmæ Dux tria millia equitum, & decem millia peditum, vnà cum ijs quos præmiserat, habuisse reputatur, additis 40. tormẽtis, & duobus millibus curruũ, quibus necessitate ita exigente repentè munitionem sibi extrueret. Profectus ergo est Bruxellis 26. Nouemb. Valencenam, vbi iuniorè Guisiæ Ducem obium habuit. Quia verò Legatos Cæsaris adueniſſe compererat, mox Bruxellas reuersus est, & 13. Decemb. Landresium redijt.

Mottæus

Mottæus interea, dum Præfidiarij oppidi Cappellę Thiraſiæ, in Belgium Therlonũ vſque (quod Galli nunquam ante fecerant) excurriſſent, & deprædarent, oppidum ex inſidijs occupare tentabat, ſed fruſtra. An. 1592.

Parmenſis cum Feram appropinquaret, vrbs ei deditur, cui Motteus, creatus Comes Euerbecqueus, præficitur: iunctis itaq; copijs Pontificijs, & Mainijs, Parmenſis, Koram proficiſcitur, & ſic verſus Sequanam, vbi hyeme & penuria preſſus, multum temporis inutiliter conſumebat.

Parmenſi Fera deditur.

Rex Galliæ enim, Carnuto, vulgo Chartres, iam poſt diuturnam obſidionem occupato, Principes Anhaltini Germanos milites ad fines miſerat, qui omnia pabula conſumerent; interim Rothomagum, quam Parmenſis liberare conabatur, obſidens; cui propius accedenti, indies cum aliquot turmis prouocādo obuiam ibat, Warſchallũ Bironium in obſidione relinquens. Hic in velitatione quadam Rex in latere, abſque damno tamen, globo perdito læſus eſt.

Parmenſis Neufchatelo potito, certior factus Comitem Philipp. Naſſouium circiter 3000. militum ex Hollandia recenter adduxiſſe: poſtquam pauci è ſuis, qui ſa pius excurrebant, Rothomagum intraſſent, conſtituebat paululum quieſcere, & ſeſe reficere, quia iam duobus menſi bus brumalibus, magna penuria Pabulorũ, laborans, morbus exercitum inuaſerat. Ita 3. Martij retrocedens, Sequanam tranſit, & obſidet Rue, oppidũ in Pictauia, quod Confederatis maxime oberat. Sic liberationem Parmenſe non proſequente, ſed interim hincinde de pacis cõditionibus, collocutione ſacta, Rex Nobilibus ſuis domum reſiciẽdi cauſa redire permiſit, eandem obrem equites Germanos in ditionem de Caux mittens, ſecumque in obſidione ſaltem Belgis & Anglis retentis. Parmenſis interea Rue obſidens, ægrotos milites cum ſanis è præſidijs circumiacẽtibus permutatis, & menſe Martio, foſsis & Paludibus, faſciculis ligneis impletis, iam ad muros aſcendendos peruẽtum erat, ſed à Præfidiarijs oppidanis recluſo quodã aquæductu, vi aquæ faſciculi auecti, & multi milites ſubmerſi ſunt, Propugnaculo quoque veteri, quod paulò ante occuparant, ipſis expulſis.

Parma Sequanam retrocedẽdo tranſiit, obſidet Rue.

Parmenſis interim in locum demortuorum, & ægrotorum alijs ſuffectis, 16. Aprilis, rurſus Sequanam tranſiuit, ſubitò & directò inter currus bene munitus, Rothomagum tendit. Cumq; 17. April. ad 5. miliaria prope vrbem appropinquaſſet, Rex de tam ſubito aduentu non certiorratus, obſidionem ſoluens, verſus Pont de Larche cum reliquo exercitu proficiſcitur. Ita Parmenſis ciuitatem hanc liberauit, & commeatum quem ſecum habebat, inuexit: at pleniorem liberationem promittens, conſeſtim Caudebekam oppidum iuxta Sequanam infra Rothomagum (quod impedimento haũtenus fuerat, quo minus aliquid mari, vel è Portu Gratiæ, vulgo Hable de grace) aduehereturus inuadit, & tormentis diſpoſitis, 28. Aprilis occupat, vbi in brachio vulneratur, atq; Belgarum naues bellicæ cum alijs tormentis illinc recedere coguntur.

Parmenſis retro Sequanam & Rhotomagum obſidione liberat.

Parmẽſis Caudebekam occupat, vbi vulnus accipit.

Interim Rex vndiq; exercitum ſuũ recolligebat, qui cõſtabat duobus millibus, & quingẽtis equitibus, & maximè ex parte Nobilibus, totidemq; equitibus Germanis, ſub Principe Anhaltino. & tredecim millibus peditibus; cùm quibus Parmenſem prælij cõmittendi cauſa, ſi fieri poſſet, inſequebatur. Parmenſis autem poſt expugnatam Coudebekam, caſtra ſua metauerat Bochimonti & Iuetoti: vbi 4. Maij Rex 7. ipſius legiones adortus, cecidit, & ex ſuis munimẽtis eiecit, maximè Hollandorum & Anglorum virtute. Sexto Maij rurſus aliquot cohortes profligauit, & deniq; Iuetotum aliaq; loca occupat, Parmenſis exercitum Coudebekã repellens. Decimo Maij Rex acie inſtructa, Parmenſem ad prælium alliciebat, & ſelectos aliquot ex ſuis in pagum Ranſon mittebat, qui 22. Cornettas, vt vocant, equitũ leuioris, & 7. Bendas grauioris armaturę, item 3. vexilla Germanorum, ib cõmorantes fortiter, & inopinato aggrediebantur, vt plurimi equos aſcendere non poſſent, ſed ijs relictis fugere cogerentur. Regijs militibus prædę iam intentis, Parmenſis ſtatim partem haſtatorum, Muſquetariorum, & aliorum vndiq; eo milit, ſed Philippus Comes Naſſouius cum 100. haſtatis, & 100. Muſquetarijs eorum impetum tamdiu ſuſtinuit, donec iunioris Bironij & aliorum cohortes iterum in ordinem redigerentur, & illi recedere cogerẽtur. Ita Regij milites victores ingentem confecuti ſunt prædam, ſecũ abducentes circiter 3000. equorum, & quaſdam ciſtas Parmẽſis pecunia refertas: incendentes quoq; pagum. Ex his equitibus maximum damnum patiebantur Bendæ Belgicæ Ordinantiales ſub Principe Chymaio, & Boſſutio, adeo vt Chymaius omnia relinquens, in Arteſiam fugeret, idq; ferè nullis ex Regijs deſideratis aut læſis. Quamobrem Rex in Dei laudem iubebat in veſpertinis precibus cani 76. Pſalmum Dauidis.

Rex recollecto exercitu Parmenſem inſequi incipit, & ad Prælium inuitat.

Parmenſis militiæ cæditur & ſpoliatur.

Cùm iam videret Parmenſis ſe vndique magis magisque premi à Rege, qui ipſi omnem frumentationem & pabulationem impediebat ad fluuium vſque repulſus, conſultius putauit Sequanam tranſire, quam prelium anceps committere contra tot fortes viros Nobiles, ſub conducti primarij, & expertiſsimi Imperatoris totius Europæ, Contentus honore aſſecuto & eo expedito, in quem finem venerat, line mora è Regione Coudebeque ab altera parte Sequanæ munimentum extruit, & ripa tormentis bellicis impleta, ſub defenſione iſtius maximis Pontonibus, qui cordis attrahebantur 11. Maij, omnem equitatum & peditatum traijcere voluit, idq;

Parmenſis ex exercitu clam elabitur ex manib. Regij, & Sequanam tranſit.

Digitized by Google

An. 1592. ita clam & subtiliter, vt vix resciscere Rex potuerit, eo autem cognito serius id factum est, vt eum impedire impossibile fuerit.

Rex, hoste eo modo è manibus elapso, statim aggreditur Coudebequam 300. militibus, maxima ex parte Hispanis munitum. Hi 15. Maij sese dedunt sub conditione Rothomagum proficiscendi.

Parmensis cū exercitum Belgii redit.

Parmensis equitatu & peditatu traducto ocyus ad Suburbia Rothomagensia, vulgò S. Seuere nuncupata, tendit, quasi ibi castra metaturus: sed insecutionem Regis veritus, sine mora & intermissione progrediebatur, & 15. Maij Eureusium præteriens, ipsemet 17. eiusdem, in vrbem Parisiensem, & exercitus in viciniam venit. Inde per Pontem Charentonium in alteram oram Matronæ transiens, Rex frustra eum insequens ad Fanum Dionisij, Parmensis autem in Belgiū Spadam redijt, cuius quemadmodum & Pontificis copiæ, atque Heluetij miserè, & summa inedia confecti, domum petierunt.

Hac ratione Parmensis vltimam suam expeditionem feliciter & callidè spatio vnius mensis peregit, videlicet Rothomagum liberando, & commeatu mediocri ad hosti diutius resistendum, iuuando. Quanquam nullo ferè vrbis emolumento, eo quod Rex paullò pòst Quilboeffium infra Rothomagum in flumine situm, vallis extructis in ciuitatem redigeret, è qua nauigationem Hispanis liberam impediebat, quo etiam quandoque naues Hollandicæ appellentes

Rothomagenses & Parisienses exturbat vndique Propugnacula & munimenta necessaria ab hoste emere cogūntur.

solutione vectigalis, vulgò Licentijs, quæ maximæ erant, inuectionem Rothomagenſibus permittebant, vnde stipendia præsidiariorum, & impensæ in fortificationem faciendæ colligebantur. Idem etiam Parisiensibus, magna rerum omnium penuria denuò laborantibus concedebatur. Multa enim circumcirca extructa erant munimenta, & hac æstate Rex inter Lutetiam & Pontem Charentonium, in peninsula quadam, fortissimum Propugnaculum fieri curauerat, cui præpositus D. Telignius & Lanouius, qui transitum Sequanæ & Matronæ obstruxerat. Hoc modo potentissimæ duæ hæ vrbes omninò ex hauriebantur, atque parata pecunia, eaque duplici ab hoste quibus indigebant emere cogebantur, sese ipsos quasi castigando.

Hostes Coronæ Galliæ plus amittunt quam obtinēt, inter quos Sabaudus.

Ita in Gallia bellum perdurabat, etsi Rex diuersas diuersisque locis obtinuisset victorias, etiam cōtra externos, videlicet Ducem Sabaudiæ & Lotharingiæ: quorum vterq; (vti palam constat) ad Regnum aspirabat, vel ad minimum partem eius suis Prouincijs adijcere studebat. Verùm proprio incōmodo & iactura didicerunt, quā periculosum sit esse ingratū, & afflicto afflictionem addere. Nam Sabaudiæ Dux sæpius à Diguerio cæsus est, quasdamque ciuitates etiam in Pedemonte, vnde patesiebat aditus in Italiam, amisit, qua de causa multi Principes Italiæ culpati sunt, quasi ad id Diguerio pecuniam & opem subministrarent.

Lotharingo resistit Bullionensis.

Lotharingo opponebat Rex Vicecomitem Turenium, qui in vxorem duxit vnicam filiam Bullionæam, Dominam Sedani, & Iametij, à Rege in Marischallum Galliæ creatus, iamq; Dux Bullioni factus, multas victorias contra Lotharingum obtinuit, eiusque ciuitates quasdam occupauit, & quo minus filius ipsius Cardinalis ad plenariam possessionem Episcopatus Argentinen sis perueniret, impedimento fuit.

Montmorencium cadit Iouiensium.

Marischallus Dux Montmerencius in Languedocca Regis partes contra Principes ex Hispania missos, valde tutatus est, & Ducem Ioieusium Villenuis prope Tholosam obsidentem cecidit, qui ibi etiam occubuit.

In Britannia Hispani quoque finem suarum intentionum consequi non potuerunt, idque opera Anglorum, & ipsorum Incolarum, qui malebant, sub gallico Imperio permanere, quam in Hispanicum deuenire, quod etiam in vrbe Parisiensi vsum fuit, cùm Hispani iam inciperent tam Ecclesiasticis quam secularibus nimis insolenter minari, & cæteris vrbibus insidiarent,

Zelotypia inter Gallos & Hispanos. Competitores Coronæ Galliæ.

quæ res magnam zelotopiam peperit, vti patuit in exercitu Parmensis & Maynij, ac magis magisque aucta est, cùm Pontifex, Hispanus, ipsius fautores Confœderati, summopere electionem noui Regis in Gallia vrgerent. Cuius Competitores erant Rex Hispaniar. vel eius filia, Dux Sabaudiæ, Lotharingiæ, eiusue filius Mainius ipse, & Nemourius: sed iunior Guisius, qui anno præterito callidè è carcere elapsus erat, maximam inter hos habebat fauorem.

Rex quoque in securitatem Reformatorum, curauit grauia, & tum temporis adhuc vigentia Edicta contra ipsorū vitā & bona, aboleri: quo in Iulio An. nonagesimo primo in conuentu Mantensi Cardinalis & alij adduci non poterant, sed in manifesta congregatione præsentibus Archiepiscopo Bituricensi, Episcopis Mantensi, Bauoisio, Baieusio, Marischallo quoque Bironio, Cancellario, Consiliarijs, Secretarijs, Præfectisque AErarij, Rex summopere vrgebatur vt fieret Catholicus. At respondebat, ne quis hac de re mentionem faceret, nisi Hispanis prius è Gallia expulsis, tum se deliberaturum. Interim se nolle Reformatis vllam iniuriam fieri, cupereque tam illos, quam Catholicos defendere: eo quod maxime Nobilium Reformatorum opera ad Coronam peruenerit, & multos ex Gallia bannitos, eorumq; bona confiscata fuisse, qui solum suis promissis confiderent, quæ etiam seruare, eosque æque ad honores & officia promouere vellet, ac Catholicos, maioris mali & belli vitandi causa.

Hi

His & similibus verbis grauioribus in fauorem reformatorum prolatis, Marschallus Bironius docebat magis quam necessarium esse, vt Reformatis securitas daretur, Hugenotasque verè Gallos esse, qui nunquam ad pacem coacti fuerint, sed eâ semper quæsierint; contra suadentes à Ligistis siue confœderatis planè esse fascinatos. Hoc modo Reformati aliquam securitatem consequebantur, postremis Edictis aduersus ipsos promulgatis, abolitis, & eneruatis. An. 1592.

Ita res Gallicæ in eodem permanebant statu, & Rex licet multas obtinebat victorias, & ciuitates, tamen subditos ad plenariam obedientiam cogere non poterat. Quare sæpius solebat dicere se Regem esse absque regno. Maritum sine vxore, & bellatorum absque pecunia, belli neruo: qua carebat maximè, eo quod nulla Prouincia ipsi plenè obediret, sed quæque pro libitu agebat. Quamobrem Germanos sub Anhaltino militantes, iamque valde diminutos dimisit.

Supra retulimus, quomodo Imperator Rodolphus anno præcedente tentauerit pacis tractationem inter Regem Hispaniarum & Prouincias vnitas renouare, cui hæ respondebant, Rege prioribus inhærente, id sibi non expedire. Sed Imperator spem faciens Regem plura diuturum remissurumque quam antea, quo Prouincias recuperare posset, magnificum Legationem in Belgium misit, videlicet, Salentinum Comitem Isenburgicum, Simonem Comitem Lippensem, Iohannem dominum de Bernstein, Ottonem Henricum de Plant, Baronem in Rhetz, Theodorum Echrium à Mespebrun, Episcopi Virtzburgensis fratrem, & Philippum Fomilianum Doctorem. Hi in Decembri magnificè Bruxellis exceptierant, maximis Regis expensis, cum Parmensi antè discessum suum in Galliam tractauerant, vbi ad 22. Ianuarij agentes, nullumque responsum ex Hollandia accipientes (cum Ordines generales eam ob rem conuocari deberent) domum redierunt, & soli Baroni Redensi mandatum dederunt saluo conductu in Hollandiam proficiscendi, qui etiam in Aprilem vsque ibi detentus fuit, 7. eiusdem scriptum responsum ipsi ab Ordinibus generalibus traditur, sequentis tenoris. *Rodolphus imperat. denuò Legatos in Belgium mittit.*

Ordines generales Prouinciarum vnitarum, intelligentes Imperatoriæ Maiestati placuisse ad se ablegare Comitè Isenburgium, Lippensem, & alios, reconciliationis cum Rege tractandæ vel Pacificationem anno 1579. Colonię inceptam resumendi & perficiendi causa (cuius rei gratia Baro de Rhetz 27. Martij petijsset, Legatos hos admitti & audiri) re accuratè deliberata summas Imperatoriæ suæ Maiestati de singulari in hasce Prouincias affectione, agunt gratias, obnixè petentes, M.S. certò sibi persuadeat & credat, se (à Deo Omnipotenti nihil aliud vnquã quæsiuisse, aut etiam quærere, quam vt cruenta hæc bella, quæ tot iam annis in Gallia & hisce Belgicis Regionibus ab Hispanis eorumque Iocijs, & fautoribus, ex orta, continuata sunt, diuina ope, & auxilio bonorum Principum, ac vicinorum, in securum aliquem statum commutari, indeque vniuersæ Christianitati firma duraturaque Pax constituat, atque seruari posset, ad quod Maiestas sua plurimum obligata esset. Non dubirantes quoque M.S. in hoc negotio sincerè, & ex paterno corde agere, tamen consideratis ijs, quæ in pacificationibus præcedentibus quæsita sunt, ac nunc patefiunt, sibi aliud non videri, quam omnes Hispanorum de pace tractationes, dolo & insidijs esse plenas. *Respõsum Ordinum Prouinciarum vnitarum, ratione Pacis.*

Pacem enim cum Principe Auraico anno 1574. & Breda anno 1575. initam, Prouincijs non nisi summa incommoda, & multarum ciuitatum perditionem attulisse. Similiter contractum cum Ioanne Austriaco Marchæ Famingæ anno 1577. initum, dolosum fuisse, & violationem Pacificationis Gandauensis anno 1576. publicatæ, directò & apertè causasse: quam insecuta sit violenta in valio arcis & vrbis Namurcensis, Charlemontij, Marienburgi, & aliorum locorum cum multorum hominum sanguinis effusione, anno 1578. Post hæc propositionem Pacis per Baronem de Selles factam, fundamentum iecisse, quo Prouinciæ Arthesia, & Hannonia sese à cæteris separarent, Pacificationem Coloniensem insuper plenam earundem Prouinciarũ Principum atque Nobilium defectionem vrbis Traiectensis & Buscoducensis amissionem effecisse. Quo vna cum Regina Angliæ anno 1587. & 1588. instituta pacis tractatio tetenderit, in aperto esse: nimirum, vt prætextu hoc, non solum sibi hasce Regiones, sed etiam totum Regnum Angliæ subiugare possent, vti præparatio famosissimæ classis Hispanicæ emissione, durante etiam de pace inter Anglos & Belgas colloquio, satis ostendisset: quare etiam Ordines generales (ex præcedentibus indicijs & actibus sibi imminentia damna perspicentes) tunc de firma aliqua pace nihil sibi portuisse persuadere. Maiori difficultate iam reconciliationem tentari, cum eo tempore tot tamque apertæ Hispanorum machinationes insidiosæ patefecissent, neque hactenus minimum specimen alicuius fidelioris aut sincerioris tractatus sese ostendisse, sed potius de contrario interea alios dolosos & violentos conatus detectos esse, nimirum, quomodo Ligistas siue Confœderatos in Gallia contra legitimum suum Regem, vltimo defunctum, instigauerint, eumque persecuti sint omni violentia, fraudeque: imò eum demum per manus Ecclesiastici occidendum procurauerint, toti orbi terrarum esse notorium. *Rationes quæ re Ordines veritarum Prouinciarum in pacis tractatu onem consensi re non possint.*

Præterea quemadmodum Hispani eorumq; assecłæ, in multis Prouincijs Gallicis Imperium

Digitized by Google

An. 1592. & dominationem aucuparint, & præsentem Regē hæreditario suo iure priuare voluerint, quo suam præsumptam Monarchiam siue potentiam in omnes Reges & Principes stabilire possent, de eo testari posse expeditiones in Galliam per Ducem Parmensem factæ, anno 1590. & in fine anni 1591. atque etiam hoc anno, quantas eo miserint copias, quæque adhuc sint in Britannia, Gallia Narbonensi, & Prouincia, cuiuis esse notorium.

Dominis Ordinibus non paruam quoque iniici suspicionem, propositionem hanc Pacis factam in conuentu Franckfurtensi, mense Decemb. cum iam Parmentis maximis Belgicis copijs præsentem hunc Regem subigendi, & coronam adimendi causa profectus esset, tractationemq; post reditum ipsius iterum dilatam vsque ad tempus, quo non minoribus viribus in Galliam in fine an. 1591. ire paratus esset. Suspicionem insuper augere sequentia, quod Pacis hæc solicitatio succedat recte in locum promissæ, & exspectatæ executionis, in conuentu Circulorum Sacri Imperij contra Regem Hispaniæ, & Ducem Parmensem decretæ: atque Oppidorum & Munimentorum ab ipsis in præiudicium Imperij occupatorum, & possessorum restitutionem concernentis: qua in re D. Ordines à sua parte prompte & sincerè annisi sint Imperio satisfacere, atque imposterum semper satisfactoros esse.

Præter hæc omnia D. Ordines de hoc pūcto specialiter & particulariter informatos esse per literas Regis Hispaniæ & eius primarium Secretarium Idiaques ad Legatum Regium Guilhelmum de S. Clemente in aula Cæs. Maiest. commorantem scriptas, & interceptas. Esse quoque considerationē digna, quæ nomine Regis Hispaniæ publicis Edictis emanatis contra vetustam Imperij ciuitatem Aquisgranensem decreta sunt.

Gubernatio Juliæ, Cliuiæ, & Montis dictionum magis Hispan. quam interna.

Accedere etiam iam pridem Dusseldorpij inceptam reductionem Gubernationis Prouinciarum Juliæ, Cliuiæ, & Montis; quæ talis sit, vt nunc magis quam vnquam dubetur, an potius sit Hispanica, vel ditionum istarum propria, veræ Hispanicæ alterius.

Denique D. Ordines non posse non meminisse, miserabilium ac crudelium persecutionum & suppliciorum, quæ in Gallia & hisce Prouinciis continuantur, & ortum habent, ex Romana illa Maxima, QVOD HAERETICIS ET REBELLIBVS (inter quos incolæ harum Regionum, sed sinistrè numerentur) NON SIT SERVANDA FIDES. Quo considerato, Ordines generales (qui iuramento & officio suo satisfacientes de defensione & conseruatione Prouinciarum vnitarum, earumq; incolarum Deo omnipotenti, & vniuerso mundo rationem reddere deberent) non videre, quomodo cum fructu progressum propositæ tractationis Pacificatoriq; permittere possint, in Prouinciis vel extra, absque Reginæ Angliæ, (cum qua hanc & alias ob causas fœdus contraxerint) neque etiam Regis Galliarum aliorumque Principum, & Rerumpublicarū consensu & scitu, cum quibus omnibus vnanimiter & communiter sint confœderati.

Ideoque S. Cæs. Maiest. (quam semper obseruare, eique officia præstare obligati sint) placeat in bonam partem accipere atque interpretare, ea quę S. M. 1. Ian. 1591. supplices scripsissent, quæ sequendo ob legitimas & graues causas in oblatam Pacis tractationem descendere atque consentire non posse.

Rogantes Dominos Legatos Sac. C. M. hasce suas rationes fideliter referant. D. Ordines, præuiso infructuoso exitu, optasse Legatos ab hac molestia liberatos fuisse, de quo eorum aduentu cognito eos ante postremam suam conuentionem certiores facerent.

Gratias agentes Legatis omnibus & singulis, imprimis Baroni de Rheid/de officijs his Prouincijs præstitis, cum promissione recompensationis dignæ, &c. Excusabant denique huius sui responsi longiorem dilationem, cum D. Ordines generales hyeme & glacie impediti prius con gregari non potuerint; quibus tandem congregatis Baronis Rhetij, propositionem audierint. Sperantes, & obnixè rogantes Cæsarea sua Maiestas hanc suam excusationem legitimam clementer accipere, & sibi statum harum Prouinciarum in totius Christianitatis emolumentum commendatum habere dignaretur. Actum & conclusum in conuentu D. Generalium Ordinū Hagæ Comitis 7. Aprilis, anno 1592. infra scriptum erat, ex Mandato Dominorum Ordinum.

In hanc Pacis tractationem, Ordines Hollandiæ admonitionis gratia nummos argenteos & cupreos cudi fecerunt, quibus ab vni parte insculpta aut impressa erat ancilla Hollandica in hortu suo dormiens, quæ apertè & tectè inuaditur, cum hac inscriptione: PAX PATET INSIDIIS, ab altera parte eadem sedebat custodibus munita, cum hac inscriptione: TVTA SALVS BELLO, & similes.

Excursiones & insidiæ variis in locis tentatæ.

Durante hyeme præsidiarij diuersas fecerunt excursiones. In Flandria tentant Schusam. Ex Brabantia in fauorem comitissæ Mœrsianæ, quę 150000. florenos exigebat, excurrunt in dioecesin Colonien sem. In Martio Mauricius collectis quibusdam Præsidiarijs Brabantiæ profiscebatur cum Comite Hohenloio, qui iam è Germania redierat, clam Traiectum, cogitans eam vrbem scalis conscendere, & ita occupare, verùm cum diutius in via, quæ longior erat, hærere cogerentur, has insidias quodammodo oppidani suboleuerant, tum etiam nox erat tenebrosior, vt simul & eodem tempore duobus locis inuadere vrbem non possent. Quare amissis

& vulne-

Digitized by Google

& vulneratis quibusdam retrocedere coacti sunt. In reditu autem in Campinia Berchicanum occuparunt & munierunt. In Maio propè Antverpiam pagos Westwesel & Grandwesel cum Castellis occupant, quo facilius excursiones suas continuare possent, sed hæc loca postea in Junio iterum à Mondragonio recuperantur, cui etiam insidiæ in vrbem Bredanam non succedebant. Turnhautio & Vvesterloo rursus potitus est. An. 1592.

Prouinciæ vnitæ præcedente hyeme prudentia sua politica, absque subditorũ detrimento, pecunias collegerant, augebant etiam indies suas nauigationes in Italiam per fretũ Herculeum, vulgo Estrecho di Gibaltar, quo hoc & anno præterito 400. naues ex Ostlandia frumento onustæ ad diuersa loca Italiæ transiuerunt, cùm iam continuos ferè annos duos vel tres ijs locis magna annonæ caritas fuisset. Hoc modo Mercatores & Nautæ multum lucrabantur, & Prouinciæ magnum vectigal, vulgo *Sicentgelt*, consequebantur.

Itaque hac ætate de noua rursus expeditione deliberabant. In Maio omnem apparatum bellicum nauibus imponunt, & inter alia 50. tormenta maiora. Videbaturque propter Verdugonis ad Mansfeldium literas interceptas (quibus summoperè conquærebantur Frisiam planè derelinqui) in Frisiam expeditionem hanc directam. Mauricius enim Haga Comitis proficiscebatur Vltrajectũ, controuersias quasdam sedandi causa, libenterq; D. de Hasewyn Gubernatorem ibi constituisset. Præter Comitem ab Hohenloo cum Mauricio, tanquam Consiliarij militares proficiscebantur; Dominus de Barchon, Marschallus Prouisionalis. Comes Philipp. Nassouius, equitum Magister summus, D. de Famars, Tribunus armamẽtarij, Capitaneus Crazoniere, Præfectus Vigilum, & consequenter, Comes Vvilhelmus Nassouius, Solmensis & alij tanquam Duces exercitus. D. Franciscus Ver, Bredero dius, Balfourius, Dorpius, Grænefeldius, & alij Capitanei magnæ experientiæ. Dominus de Gryse erat Præfectus annonæ. Vna etiam proficiscebantur quidam Consiliarij, Nobilitatem, & ciuitates repræsentantes, tam ordinarij, quam extraordinarij à Prouincijs, in quibus expeditio fit deputati. Quidam etiam Consiliarij Ordinum, quo melius omnia dirigantur, de pecunia annona, cæterisque rebus necessarijs diligentius prouideatur. *Mauricij præparato bellica.*

Conueniebant vndiq; circiter 6000. pedites, & 2000. equites, cum quibus & reliquo omni apparatu Mauricius Steenwykam proficiscebatur, vbi 28 Maij castra metatus est. Equites in proximum pagum Grithoniam se receperant, & castra sua posuerunt. Situs & conditio huius Oppidi, supra libro 10. declarata est, & quomodo à Rennenbergio iussu Parmensis diuturna obsidione pressum, ab Ordinibus liberatum & defensum est. Postea Ioannes Baptista Taxius nomine Regis quodam stratagemate cepit & recuperauit. Cumque esset oppidum in aditu Frisiæ, vnde multa loca cõmode tueri possent, Regijid mirum modũ munierant, extructo fortissimo Vallo terreo, ligno intertexto in optima forma. Erat in oppido præsidium sedecim ignorum lectissimorum ex varijs legionibus militum, & equites aliquot. Horum Gubernator erat Antonius Coquelus miles exercitatissimus, præterea Comes Ludouicus Comitum de Monte frater iunior, D. à Waterdyck & alij renomati, nulla omninò re indigebant, nisi maiori pulueris tormentarij quantitate, quæcum ipsis ex Germania mitteretur, in diœcesi Monasteriensi ob damna à Parmensis exercitu illata arrestatur, & intercipitur. *Mauricius Steenwykam obsidet.*

Anno 30. Maij, vsque ad 9. Junij, Mauricius castra muniendo, & præparando loco commodo, quo machinas suas bellicas disponeret, intẽtus erat. Interea aceruus terræ, vulgo est *Kaghe*, 19. pedum altitudine erigitur, cui tria tormenta imponebantur, quibus obsessos à defensione repellerent, sed paruo fructu, nisi quod eo meliustormenta plantari possent. His ita, numero 45. exiguioribus aliis non computatis, dispositis, cœperunt 20. Iun. muri tanto impetu verberari, vt inter paucas horas plus quam 5000. ictuum numerati sunt; verùm nullo effectu, ita vt vix vallum superius detectum esset. Quibusdam tormentis globos ignitos in oppidum mittebant, quod initio igni excitato nonnihil obsessos terrebat, sed hoc consultim extinctio animos resumebant. *Steenwyk tormentis impetitur.*

Postquam hac machinarum fulminatione nihil esset effectum, oppidanique illudentes scopis tanquam pulueres detergerent, & mœnia verrerent, decretum est ab ea cessandum, & inceptos duos cuniculos persiciendos, quo etiam parum profecerunt: tandem tamen locũ quendam (è quo obsessi fortiter se defendentes obsessoribus maxima damna inferebant, & frustra nea. nisi inde depellerentur, oppugnatio esset) suffodiunt, adductis aliquot tormentis in fossas diuersis locis, quorum protectione tuti cuniculos persequebantur, quibus agendis dies 10. insumunt. Interea Oppidani bis erumpebant: primò vexillum secum occisis quibusdam auferunt: secundò Capitaneum Olthosium, qui in postrema obsidione ibi in præsidio fuerat, & oppidum defenderat, trucidant, cum alijs, qui eo loci excubias agebant. *Cuniculi aguntur.*

Vigesimotertio Junij conabantur obsessores Vallum quod obsessi antè Oppidum in loco paludoso habebant tormentis impetere, quod cernentes locum deseruerunt.

A 24. vsque ad 26. Junij, laborabatur in erigendo, & ad oppidum transuehendo, turri quo- *Turris exstr.*

dam,

An. 1592. dam, quam vulgò de Spinstang appellabant. Hæc quadrata erat, & ferreis cochleis firmiter connexa, nouem contignationibus distincta, quæque altitudine 12. pedum, quarum vna vel plures tolli, & iterum reponi pro libitu poterant. Hacturri iuxta mœnia extructa, & Musquetariis quibusdam impositis, non solum Præsidiarij à muris arcebantur, sed etiam ne interdiu per plateas quisquam sine magno vitæ periculo prodiret, prohibebatur. Sed oppidani duobus tormentis, intra biduum duas contignationes deiecerunt, ita vt nullus rursus ascendere vellet.

In manib. edificata.

A 26. vsq; 29. Iunij, duobus cuniculis sub vallo perficiendis intenti erant 30. Oppidani, tres Capitaneos colloquendi gratia in castra mittebant, videlicet Montbeckium, VValium & Sandiuin. E contra D. Iustinus Nassouius & duo alij, loco obsidum, oppidum intrabant. Postulabant egressum cum omnibus armis, vexillis, & impedimentis, id concedebatur, ea conditione vt incontinenti Rhenum transirent, neque Regi intra sex menses militarent. Hæc cum facere recusarent, à colloquio discessum est. Eadem nocte ad oppidum subsidio mittebantur 300. pedites per aliquot equites conducti, quorum singuli gestabant 15. aut 16. libras pulueris nitrati. Horum pauci in vrbem veniebant, cæteri partim cædebantur, partim capiebantur, & in fugam vertebantur.

Prima Iulij Mauricius simulatam oppugnationem instituit, 400. ictibus oppido prius verberato, animos obsessorum cognoscendi caussa, qui omnibus locis se ad defensionem parabant 2. Iulij tota nocte, omnes milites in fossas vulgò Grenschen collocabat, quo manè incensis cuniculis & mœnibus disturbatis, impressionem facere posset, vnoquoque Capitaneo cum suis suo loco disposito 3. Iulij, cum per quatuor horas in oppidum tormentis, etiam ex aceruo illo, vulgo Kats, fulminasset, & Oppidani hac præparatione oppugnatoria, in mœnia allecti erant, ignis subijcitur & incenduntur cuniculi, quorum vnus vallum disrumpebat, vt aditus decem viris simul pateret, quo loco Comes V Vilhelmus Nassouius cum suis Frisicis vexillis primum assultum facturus, collocatus erat; quibus ad sonitum tubæ secundo loco succedere debebant Angli.

Simulata oppugnatio, & cuniculorum incendium.

Alter cuniculus à latere erumpebat, & multos milites Hollandos, etiam quosdam qui iam parati mœnia conscensuri erant, terra oppleuit, & viuos sepeliuit. Necdum signum oppugnationis quoquam in loco à Mauricio datur. Verùm Comes V Vilhelmus perspecta oppidanorum consternatione, subitò vallum disrumptum versus Orientem occupat; vnde prospectus in totam vrbem patebat: ab altera quoque parte versus meridiem porta superatur, cum magna obsessorum iactura. Quamobrem defensione destituti, vesperi tympanistã mittunt ad impetrandum colloquium, quem Mauricius audire noluit. Postero autem die 4. Iulij, supra nominati Capitanei quidem audiuntur, sed postulationes omnes ijs denegãtur. Tandẽ gratiæ Mauricij se cõmittunt. Tormenta enim iam vndique in ciuitate pertingere poterant, domus & tẽpla pleraque deiecta, reliquæ ab ipsis oppidanis, vt de vnà in aliam ire possent, perforatæ erant, in quæ cellis se continere cogebantur. Vallum quidem nouum in foro in vltimum refugium, extruxerant. His non obstantibus, tormenta Vallum parum læserant, quod esset fortissimum & artificiosè ex terra pingui, ligno intertexto, excitatum.

Comes VVilhelmus mœnia occupat.

Colloquio de deditione.

Itaque Mauricius Gubernatori, & Domino VVaterdickio, cum reliquis Capitaneis & Officialibus, prædicti præsidij Steenvicensis, Ecclesiasticis quoque & ciuibus sequentes conditiones præscripsit, in castris 4. Iulij, an. 1592.

Gubernator, Capitanei, Officiales & milites exeant, præstito prius iuramento, sese ab hac parte Rheni, Regi Hispaniarum non militaturos intra sex menses proximos.

Exeant cum suis impedimentis, vxoribus, & liberis, relictis suis armis, vexillis, tormentis, & commeatu.

Transfugas autem, vel qui ob flagitia pœnam euitandi causa, nomen militiæ in oppido dederint, hoc contractu non comprehendendos.

Conditiones quibus Steenwika Mauricio dedit.

Captiuos omnes, solutis in dies singulos 12. stuferis pro expensis, liberandos.

Ciues quoque & Officiarios Regis, quocunque vellent liberam facultatem discedendi esse, absque vlla molestatione.

Centum currus iuxta eorum petitionem, ipsis commodatos iri, cum obligatione vt illæsos remitterent.

Vulneratis & Chyrurgis licere in oppido manere, donec sanati fuerint, & tum eodem modo exire.

Suam Excellentiam denique ipsis adiuncturam duos Commissarios, qui ad Rhenum ipsos deducerent, sub fideiussione Gubernatoris, & Capitaneorum.

Vigore huius contractus, Præsidiarij 5. Iulij, oppido egressi sunt. Mauricius autem, quod essent milites fortitudine præstantes, hac vsus erga eos est ciuilitate, & gratia, Gubernatori, equos suos, & Capitaneo VValio cum suis equitibus, vnicuique suum secum ducere, & peditibus cum gladio exire permisit. Egrediebãtur pedites 600. milites egregij, fortes & sano corpore, maxima ex

ma ex parte VValones, equites circiter 60. vel 70. vulnerati 200. In oppido occubuerant 300. & amplius, inter alios Ludouicus iunior Comes Montenlis 18. vel 19. annorum: Blondelius, Heſſelius, Capitanei & alij. An. 1592.

Ex Mauritianis circiter 400. trucidati ſunt, multi vulnerati: ipſe etiam Mauricius, cum incenſis cuniculis videre vellet, quid effeciſſent, in ſiniſtra maxilla fauciatus eſt, abſque periculo tamen. Eodem tempore Dorpius Chiliarcha legionis Northollandicæ vulneratus, & mortuus eſt. D. Franciſcus Vere cum fratre, & multi alij lædebantur. Poſt in oppidum intrauit Capitaneus Bernſtein, cum tribus vel quatuor ſignis. Exercitus reliquus ibi permanſit, donec Valla, & foſſæ omnes reparatæ, refectæque eſſent. In hac oblidione, quod quæque commodè nauibus in caſtra iidque abſque vectigali deuehi poterant, omnia viliori pretio vendebantur, & emebantur, quam in quacunque ciuitate. Militum quidam qui Gertrudebergam prodierant, & contractu compræhenſi non erant, capti ſuſpenduntur.

Ottmarſum à Mauricio occupatur.

Hinc exercitus Covverdam deductus eſt. Equitum pars ad oppidulum Ottmarſum, cui Alphonſus de Mendoza cum aliquot equitibus præerat, excurrit. Vbi Franciſcus Leuinus, dominus de Famars globo tranfigitur, vir pius, fortis, conſtans, vnus ex deputatis confœderatorum Nobilium, qui anno 1566. Suplicationem Duciſſæ Parmenſi exhibebant, & qui continuò arma pro Patria geſſerat, iamque Præfectus erat armamentarij, quem ſui valdè lugebant. Paucis poſt diebus oppidulum dictum ſuperatur.

Covverda obſidetur.

In Aug. Covverda obſidetur. Comes VVilhelmus Naſſouius incéſis vicinis domib. indeq; fumo excitato foſſas ſuas ſubitò duxit & poſtquam Cataractam occupaſſet, aquam è foſſa eduxit, & pontem Arcis tormentis diſiecit. Comes Hermannus de Monte, cum vndique obequitaſſet, huic loco prouidendi cauſa, cum præſidio ſufficienti eò in perſona venit. Locus natura fortis, celebris, & fundamentis quondam à Sonnoyo iactis, nunc artificioſè munitus.

Mauritiani itaque protegendi ſui cauſa in foſſa cryptam faciunt, ſub qua tuti vallum ſuffodere, & cuniculos agere poſſent, quod breui opera congeſti acerui terræ, vulgo Kaß/ perfecerunt, deijcientes quoq; Propugnaculum quoddam. Primò cuniculi ſub vallo difficulter facti, inciderunt. Alios obſeſsi contrafodiendo inutiles reddiderunt: nihilominus in opere incepto perſiſtebatur, & quoſdam cuniculos incendebant, & impreſsione facta Vallum occupabant, & ibi ſe munichant. Aceruo iſto terreo quoque adiuti defenſionem Prælidiarijs auferebant, ſicut Steenv vicæ fecerant. Hac oppugnatione territi animos deſpondebant; ſubſidia externa ſolum exſpectabant & ſperabant: penuria aquæ, aliarumque rerum laborantes.

Ordines Prouinciarum vnitarum certiores facti, Parmenſem ſe in Friſiam præparare, in quem finem Berkam, & alia loca in Rheno ad tranſeundum tenebat, legionem militum, quam Prouincia adhuc in promptu habebat, ſub Præfectura Stalbergij iuſſerunt colligi, eamque per Comitem Hohenloium prope Herrenbergam luſtrari fecerunt. Nam Comes Philippus Naſſouius cum 3000. in Galliam miſſus fuerat, & Regina ſuos Anglos etiam in Galliam mitten di gratia reuocarat, qui cum aduentus Parmenſis nunciaretur, iam è Caſtris profecti Zvvollam venerant, ſed hanc ob cauſam reuocabantur. Interea Comite Philippo cum ſuis ex Gallia opportunè redeunte, hos vt ſe reficerent in præſidia Hollandica collocabant; vetera incontinenti in caſtra mittebant, & pars Grauenv verdam, vereti ne alibi Parmenſes milites irruerent, tum etiam, vt eis vndique tranſitus præcluderent. Caſtra erant parum munita, & propter viarum incommoditates difficulter commeatus, vel tormenta aliaque neceſſaria aduehi poterant. Sed Zvvollenſes demum 6. Canones, & 6. Colobrinos, commeatumque qui ſufficeret miſerunt.

Verdugo interim Friſiæ Gubernator, apud Parmenſem diligenter pro milite & pecunia ſolicitauerat, cuius vt dicebatur, ingens copia in Italiam aduecta eſſet. Itaque à Parmenſi impetrabat, vt Legiones Comitis Caroli Mansfeldij, Mondragonij, Gonzagæ, iunctis duabus Legionibus Arenbergij, & Barlemontij, cum equitum aliquot turmis & machinis bellicis, ſibi ſubſidio mitterentur. Hi inter Berkam & VVeſaliam Rhenum tranſibant, prius (repulſionem timentes) ab altera parte munimento extructo. Hinc Grollam progreſsi, tandem 7. Septemb. Oldenzielam veniunt. Vbi Verdugo intellecta obſeſſorum neceſsitate, collectis omnibus viribus, Hardenbergam proficiſcebatur, vbi caſtra metare cogitabat, ſed ſubitò conſilio mutato, ſecedebat verſus pagum Wiſen/ & inde Emlicham, vicum Comitis Benthemij, itinere vnius horæ à Covvarda diſtantem, locum aduectioni commeatus idoneiorem.

Mauricius hiſce cognitis, emittebat 300. equites, ſpeculandi, & cum hoſte velitandi gratia, ſed eum elicere non potuerunt è munimentis ſuis, appræhenſo ſaltem ruſtico, quem ſuſpicabantur ab hoſte habere literas transferendas. vti verùm erat. Hafce metu ſuſpendi tradebat, quibus Verdugo obſeſsis ſignificabat, ſe poſtridiè ipſis ſubſidio venturum, à parte Caſtrorum Comitis Hohenloij: de Caſtrorum qualitate & conditione per Nobilem Friſicum edoctus; nimirum hoc loco quidem difficilem aditum patere, ſed ob id etiam minus diligenter ab hoſte cuſtodiri.

Hunc

An. 1592. Hunc igitur locum Mauricius melius muniri curat, ſuffectis quoque pluribus militibus, & tormentis, in via qua hoſtes aduentare ſtatuerat, diſpoſitis. Ita ſecretò rebus ordinatis, Verdugo omnibus ſuis viribus, tam equitibus quam peditibus, albis induſijs ſuper arma induitis, nocte ante diluculum 7. Septemb. aduenit, in foſſas tribus locis cum ingenti clamore, *Victoria, victoria,* irruit. Sed à Mauricio, Comite Hohenloo, & VVilhelmo repellitur. In recedentes tormentis eiaculantur, vnde multi trucidabantur, multi quoque homines & equi in paludibus ſuffocabantur. Poſtridiè 136. homines, 52 equi mortui numerabantur. Magnam copiam vulneratorum aueheb ät, & 42. currus mortuis & vulneratis impleti, à 4. turmis equitum deduci conſpiciebantur. In ſumma circiter 300. hoſtium occubuerunt. Ex Mauritianis vnus ſaltem occiſus eſt, & ſex vulnerati ſunt, Comes VVilhelmus etiam globo in ventre, abſque periculo tamen læſus eſt.

Verdugo Cowerdenſibus ſubſidio veniens, cæditur.

Verdugo hoc modo repulſus, poſtridiè multos iubebat faſciculos comportari, & conuehi, quorū ope Paludes tranſire poſſet, videbatur inſuper aditus anguſtos, qui eo loci ſunt plurimi, velle obſidere, & obſtruere, Mauricio commeatū interuertendi cauſa. Covverdenſes autem cum ſubſidia viderent retrocedere, & ob id pacifici cuperent, Verdugo ſe rurſus inſtructa acie oſtentabat, Mauricij munimenta de longo per luſtrans: qui cum iampridem quidam Angli in Caſtra veniſſent, ipſum excepturus exſpectabat. Caſtris his inuicem ita aliquandiù oppoſitis, Verdugo tandem duobus tormentis eiaculatus, domum quandam incendit. Obſeſſi quoque reſpondendo bis iaculabantur, & hic retrogreſſus eſt Velthuſium in Comitatum Benthemenſem.

Cowerda deditur.

Covverdenſes igitur dereliēti, & continuò magna ſuorum iactura ab hoſte, qui iam vallum ſuperarant, impetiti, tranſigendum ſtatuebant. Mauritius etiam pronior erat ipſis bonas atque honeſtas conditiones cōcedere, quia Verdugo adhuc in vicinia hæreret, & quid tentare poſſet, & quod viæ eſſent profundæ ac incommodæ ad commeatum aduehendum: Sequentes itaque conditiones 12. Septemb. illis præſcripſit.

Conditiones deditionis.

Sua Excellentia deſiderauis Comiti Friderico Montenſi, Patruelī ſuo chariſſimo, gratificari, conſenſit & permiſit, conſentit quoque & permittit hiſce, Ipſi, quemadmodū etiam Droſſardo, Capitaneis, Officiarijs, & militibus prælidiarijs in arce Covvardena, exire cum ſuis vexillis, armis, ſuniculis accenſis, equis, impedimentis omnibus quocunque libeat, exceptis machinis bellicis, & commeatu.

Idem permittit S. E. eccleſiaſticis, domicellis, vxoribus, liberis, familiæ, famulis & famulabus eorum, qui in dicto prælidio ſunt.

Quo etiam eorum migratio promoueatur, & maturetur, ipſis tradentur currus, cum ſalvo conductu, pro quibus prænominatus Comes dabit obſides, donec reſtituti fuerint, & in caſtra redierint. Sub fide Principis promittens, neque Comiti, neque alijs egredientibus damnum, vel iniuriam vllam illatam iri in corpore, vel bonis, Actum in Caſtris ante Covverdam, 12. Septemb. an. 1592.

His tranſactis, Comes & reliqui exiuerunt, à Mauricio, cæterisque Patruelibus domus Naſſouicæ honorificè exceptus, & benè tractatus, multa inter ſe de varijs colloqui, de quibus tamen inter eos non conuenit.

Domini Ordines in perpetuum rei memoriam, de occupatione Steenvvicæ, Ottmarſen, & Covverden, fecērunt cudi nummos argenteos, & æreos, Deo honorem tribuentes, atque laudem dicentes. Gubernator conſtituitur, iunior dominus de Nienort.

Mauricius & Verdugo cautionem.

Mauricius cum exercitu manebat ibi, quouſque omnia eſſent refecta, & reparata. Verdugo hærebat in dicto Pago Velthuſen, & videbatur Ottmarſen velle obſidere, ſed oppidulum muniebatur, 15. Octobr. Mauricius cum exercitu Schvvollam proficiſcebatur, vbi deliberatione habita, proponebat Embricam tendere, & iuxta Rhenum caſtris poſitis, prout res videretur exigere, eundem tranſire, aut intellectis hoſtium conatibus, Grolliam vel Gohrrium obſidere, vel illi viam per Rhenum tranſeundi impedire. Sed antequam propter viarum inundationem eò peruenire poſſet, Verdugonis exercitus diuiſus eſſet, erat, & maxima pars Rhenum malè contenta tranſierat, nimirum, duæ illæ Legiones Arenbergica, & Barlamontia, cum 500. aut 600. equitibus. Verdugo cum reliquo equitatu, Hiſpanis, Italis, & VValonibus manebat circa Oldenzel/ eis præſidia in Groll/ Gohr/ Enſchede/ & Lingen augens. Mauricius 8. Nouemb. Arnhemium veniebat, & exercitum in vicinas ciuitates in Hyberna mittebat. Apparatus bellicus nauibus imponebatur, vt quouis tempore in promptu eſſet, etiam ad aliquam celerem expeditionem faciendam. Vti tunc fama erat, Mauricium exercitu Rheno traducto ditionem Valckenburgenſem, & Luxenburgenſem ducatum inuaſurum, atque Parmenſem Spadæ viſitaturum. Quare & Parmenſis forte hanc ob cauſam inde Bruxellas ſeſe conferebat.

Grœningenſes per amiſſionem Steenvvicæ & Covverdæ nondum permoueri poterant, vt cum vicinis ſuis Omlandenſibus & Nobilibus Friſiæ tranſigerent, non obſtante etiam quod Mau-

Mauritiani paulò antè transeundo 1000. armenta abegissent, neque præter vnum aditum per Bourtangam prope VVeddam haberent. Hermannus Comes Montis, hac hyeme ad defensionem ditionis illius, cum 6. vexillis peditum, & aliquot equitibus Græningam proficiscebatur. An. 1592.

Nauta Ant. werpiæ tumul tuantur.

Antverpiæ Nautæ nauium bellicarum, numero 400. qui fluuium cuttodire & defendere debebant, ob non soluta stipendia in Auguſt. & Sept. tumultum excitant, poſtulantes ſolutionem 44. mensium. Seditio hæc tam acris fuit, vt minarentur ſe cum nauibus ad hoſtes tranſituros, & ab eis ſolutionem accepturos, de quo etiam Zelandos certiores faciebãt, qui eos alliciendi gratia deputatos eò mittebãt, ſed fruſtra, cùm ipſis demum aliquatenus ſatisfactum eſſet, multis tamen poſtea non ſidebatur, ſed Dunkerckam mittebant, vbi indies in mare excurrunt, & in finibus Angliæ magnas agunt prædas.

In ditione Iuliacensi & Montensi annis aliquot præteritis, magnæ exortæ erant controuerſiæ. Senior Dux VVilhelmus annum ætatis agens 76. in Ianuario huius anni 1592. mortuus, & 10. Martij honorificè Duſſeldorpij ſepultus erat. Hoc Principe iam decrepito, & ad adminiſtrationem ipsi idoneo, ditiones hæ per Conſiliarios Prouinciales regebantur, qui cum Regi Hiſpaniarum, eiusque Gubernatoribus plurimum fauerent, & filius Principis prænominati maior natu ante annos plures in Italia vita defunctus eſſet, vnoque filio, & quatuor filiabus ſuperſtitibus, huic, quo ſecurior eſſet Religio Catholica, & quo magis à parte Regis Hiſpaniæ permaneret, anno 1585. deſponderunt Marchioniſſam Badenſem, fœminam valdè Catholicam, imperandi cupidam, quæ animaduerſa tum temporis in hoc Principe aliqua mentis imporétia, veterem gubernationem continuare cogitabat. *VVilhelmus Iuliæ. Clomæ, & Montis Dux mortuus.*

Dux VVilhelmus reliquit præter filium vnicum, 4. filias, à ſorore ſua bene educatas. Harum ſenior deſponſata eſt Duci Boruſsiæ, ex quo ſuſcepit duas filias iam nubiles. Reliquæ duæ Ducibus Bipontinis fratribus deſponſatæ ſunt, ambo maſcula & fœminica prole beatæ. Quarta, nomine Sibylla cælibem adhuc agit vitam. Duce Guilielmo ita defuncto, eiusque filio iuniore Principe valetudinario, & non planè mentis compote, Sorores cum Maritis ſolliciti, non ſolum de adminiſtratione Prouinciarum, ſed etiam ſucceſsione, cum frater prole careret: eam ob cauſam Ducissa Boruſsiæ duabus ſuis filiabus, & reliquæ duæ cum Ioãne Duce Bipontino, Duſſeldorpium venerunt. Hæ cùm Religionis eſſent reformatæ, cum Conſiliarijs conuenire non poterunt, qui mutationem metuentes, ſe auctoritate Imperatoris & viribus Hiſpanorum iuuabant, quòd in adminiſtratione permanerent. Eodem modò Schenckern/Satrapas Iuliacẽſis, veritus, ne cogeretur ad ea quæ ipſi non placerent, ſecretò è conuẽtu Iuliacum diſceſſet, Arcem ſuam muniens, neminem reſpiciens, fortè à Parmenſi, qui tunc temporis dicebatur matrimonium inter Principiſſam Sibyllam, & filium ſuum Raynutium, ſollicitare. Interea diuerſæ ibi conuentiones celebratæ ſunt, in quibus quidem ſimultates atque controuerſiæ aliquo modo ſedatæ, ſed non planè ſublatæ ſunt, qua de cauſa Prouinciæ vicinorum bellis miſerè affliguntur. *Gubernatio Prouinciarum Iuliæ, Clomæ, & Montis incerta.*

Ducatus Lutzenburgenſis, ditio Limburgenſis, & Prouinciæ cis Moſam, magna à Parmenſis exercitu, quem ibi ex Germania colligebat, luſtrabat, traducebat, perpetiebantur damna. Præſidiarij quoq; in Gelria, Hollandia, Brabantia, ealdem ſuis incurſionibus infeſtabant: præſertim in Ianua. 1593. cum magnis viribus Fanum Viti tentarent, & parum abeſſet, quin vrbe potiti eſſent, omnibus præſidiarijs ex Brabantia eo miſsis.

Idem accidebat Prouincijs inter Franciam & Lotharingiam, inter alios autem Dominæ Eſdaniæ, filiæ & (morte duorum fratrum) heredi Ducis Bullionij, quæ nupſerat Vicecomiti Turenio, vitimi Conſtabili Montmorenci ex ſorore Nepoti, hoc tempore Marſchallo Galliæ, militi exercitatiſsimo, & ſuam Prouinciam limitaneam contra Lotharingum, & Hiſpanum defendendo idoneo. Hic 14. Octob. D. Chambleſsium, vel D'Ambleſsium in obſidione Beaumontenſi, 3500. Lotharingicos milites ſecum habens 500. equitibus, & 300. peditibus ſaltem inſtructus profligarit, ipſo D'Ambleſsæo occumbente, lignis, & machinis bellicis amiſsis. Aſtinai oppidum quoque intercepit, & poſtea Dung vrbem Lotharingiæ, in Moſa, firmo præſidio impoſito, *Res geſtæ in Lotharingia.*

Dux Lotharingiæ conſœderationi Gallicæ addictus, quin coronam ratione vxoris filiæ regiæ ſtemmatis in Gallia ipſemet, vel partem aliquam, aut filijs ſuis ambiens, à Rege Francia acriter oppugnatus eſt. Filius eius ſecundus, Epiſcopus Metenſis, & Cardinalis, à Capitularibus Catholicis in Epiſcopum Argentinenſem eligitur, ſed à plenaria & quieta poſſeſsione arcetur, à maiore parte in Adminiſtratorem creato, filio Adminiſtratoris Magdeburgenſis, Marchionis Brandenburgenſis, qua de cauſa per Principem Anhaltinum bellum periculoſum, aliquamdiù geſtum eſt: tandem circa hoc tempus committitur arbitrio vicinorum Principum, Epiſcopatu inter Brandeburgicum, Lotharingum, & Argentinenſes diuiſio.

Parmenſis cum aliquandiù Spadæ hæſiſſet, & fortè ne opprimeretur, metueret, nec etiam ad priſtinam ſanitatem rediret, initio Octob. Bruxellam venit, & retrò Aulam Viuario pro Hoſpitio electo, quaſi ſolitariam vitam egit, nouam tamen expeditionem in Galliam præparans.

An. 1592. Ibi orta magna controuerſia inter Præfectos ærarij, 15. D. Champignæo in hoc munere primario Parmenſis nomine indicatur, Regem mandaſſe eum ob malam officij adminiſtrationẽ acta, factaque alia intra dies octo iuberet vrbe Bruxella excedere; Hunc itaq; decimo poſt die exire oportuit, nulla ipſius excuſatione admiſſa. Præterea mandabat alium eiuſdem muneris, qui humili loco natus, breui magnas diuitias congeſſerat, cum alijs in carcerem conijci. Ordines Brabantię, Flandriæ, &c. Offenſi legationem mittebant in Hiſpaniam ad Regem. Horum diſſidiorum, & aliarum rerum cauſa in Belgium à Rege ablegatus eſt Petrus de Guſſman/ Comes Fontanus, affinis Ducis Albani, qui ſummo deſiderio reformationis cuiuſdam 22. Nouembris Bruxellas venit: cum paulò ante Parmenſis inde profectus ſtratagema in Fanum Quintini inſtituerat, & non ſuccedẽte Arrebatum ſeſe reficiendi, & tertiam expeditionem in Galliam præparandi gratia contuliſſet; quamuis valetudine mala vteretur, qua ſubitò ingraueſcente ibidem 22. Nouemb. obijt, eodem die, quo Fontanus Bruxellam venerat, ita vt ſe mutuo non viderent. Subitanea hæc mors ſuſpicionem apud multos peperit, eam in Hiſp. ipſi præparatam eſſe, idque eò magis quod Fontanus rectè eo ipſo tempore aduenerit. Verùm huiuſmodi ſuſpicio, vt & ipſa mors. Quamuis eius memoria renouata ſit, cùm poſtea detegeretur, Fontanum Medicum quendam Luſitanum, Lopezium ad interficiendum Reginam ſollicitaſſe.

Chãpignum à Parmenſi in exilĩ agitur.

Sanſonius & alij capiuntur.

Comes Fontanum in Belgĩ reformationis cauſa miſſus.

Parmenſis à trebati mori tur.

Parmenſis deſcriptio.

Princeps erat prudens, miles exercitaſsimus & optimus, quo meliori neque Rex, neque Catholici vnquam ſunt vſi, paulò ſuperbior, humanus, egregius Aulicus, taciturnus, cui tamen Hiſpanorum primarij non omninò iiderent, ætatis annorum 45. vel 46. Corpus ipſius apertum, inuentum eſt planè corruptum, ita diutius viuere non potuerit, poſtea Ciſtæ impoſitum, ſecretò equo in Italiam deuectum eſt. Exequiæ ipſius honorificè Bruxellæ celebratæ ſunt, vbi contentio orta, cum feretrum ſequerentur ipſius aulici, deinde Gubernator Mansfeldiæ Comes, hunc ſtatim Hiſpani Nobiles inſequi vellent, qui non ſine magno tumultu ab Italis prohibebantur. In Italia multis in locis, Romæ 3. April. quoque ipſi exequiæ fiebant, tanquam Protectori & defenſori S. Romanæ Eccleſiæ. Quare etiam more veterum Romanorum Statuam Marmoriam in Capitolio poſuerunt, cum inſcriptione ſequenti.

Quod Alexander Farneſius, Parmæ & Placentiæ Dux III. *magno in Imperio res pro Reipubl. Chriſtiana præclare geſſerit, mortemq; obierit, Romanũ, nominis gloriam auxerit.*

S. P. Q. R.

Honoris ergo maiorum morem ſeculis multis intermiſſum renouandum cenſuit, ſtatuamque ciui optimo in Capitolio eius virtutis, ſuæque in illum voluntatis teſtimonium.

Ex S. C. P.

Clementis VIII *P. M. Anno* II. *Gabriele Cæſarino I. V. C.*
Iacobo Robeio.
Papirio Albero Coſſ.
Celſo Celſe, Cap. Reg. Priore.

PRouincias Belgicas Regis nomine per annos 14. gubernauerat, multas ciuitates vi & inſidijs Regi ſubiecit, ſed minimo fructo, quamuis magna polleret auctoritas, magnas contributiones Prouincijs imponeret, quibus bellum gereret, maximum haberet exercitum, ita etiam vt quandoq; ſexaginta millibus imperaret. Qua de cauſa multi admirantur, his illum mediis non plus effeciſſe, præſertim aduerſus populum contemptum & imporentem, quem ob humanitatem & manſuetudinem ſuam ſeſe butyro abſorbituros Hiſpani iactitant, qui etiam ipſorum aſſultus tantum auerterit, & nunquam offenſiuum bellum contra ipſos geſſerit. Ita vt aduerſariorum ſuorum ſinguli exiſtiment, ſe eiuſmodo apportatu bellico longe plus præſtaturos fuiſſe. Omnium maximè aũt Hiſp. illa Claſſe An. 1588. cæſa & diſperſa, ab occultis inimicis ſuis accuſatus, & calumniatus eſt, quam rem videbatur magnopere adanimum reuocaſſe; neque poſtea vnquam bona valetudine vſus, aut in Belgio victorias aliqua potitus eſt. Eò mortuo Petrus Erneſtus Mansfeldiæ Comes à Rege in Gubernatione confirmatus eſt, quamuis ſenex & infirmus, Fontanus quoq; magnam auctoritatem ſibi ipſi ſumeret, & multa in Præfectura Acrarij, vulgo Finantz reformaret, non tamen vt neceſsitas & ſpes Prouinciarum exigebat, & deſiderabat.

Rex Erneſtũ Archiducem Auſtriæ, Gubernatiõi Belgicæ Regio præficit.

Interea Rex breui finem belli in Gallia ſperans, ſtudebat Belgas in obedientia, & ſubiectione conſeruare, eumq; in finem Affinem & Conſanguincum ſuum Erneſtum, Archiducem Auſtriæ euocare, quem tanquam ſummo loco natum reuerituri, & reſpecturi eſſent.

Rex

Rex præterea Nobilitati gratificari volens, præficiebat Arſchotanum Gubernationi Flandriæ, Filium Hannoniæ, Arenbergium Geldriæ, Varrobonium Artefiæ, Barlamontium Namurco, Byllyum, Inſulis, Duvvaco, & Orchiers. Molenbais, qui pridem ex Hiſpania (vbi Dux Regiorum Satellitum fuerat, Comeſque Soranus creatus erat) reuerſus, in vxorem duxerat Vidam Montigni, Marchionis Rentenſis, Tornaco. Carolus Mansfeldius, Patris Vicarius, creabatur in Admiraldum maris. Lamoralio Egmondano concedebatur hereditas paterna & fraterna. Epiſcopus Cameracenſis, è familia Barlamontia, qui à Cameracenſibus non agnoſcebatur, mortuo Epiſcopo Vendevilleo, in Epiſcopum Tornacenſem eligebatur. D. Champignius (quamuis non eſſet præſens) honori & officio ſuo reſtituebatur, multique alij promouebantur, ac titulis, honoribus, muneribus decorabantur. An. 1591.

Rex nobilitatem Belgicam titulis & offi cijs decorat.

His & librum 16. & annum hunc 1592. concludemus. Nec tamen prætereundum, quod S. Valerij Vrbe Galliæ, à Confœdertis Gallis capta, Dux Longeuilius, Henricus Dorleans nominatus, eam rurſus obſidione cinxerit, ope nauium bellicarum Zelandicarum, quarum vna Capitanei Zegeri Petri in ipſo aditu fluuij ſubſidium Ambiano & Abbeuilla cò miſſum arcebat, & ſic in ipſis Natalibus domini ſeſe dedere coacta ſit. Quare Longevillæus Zelandis per literas gratias agebat, ipſis victoriam hanc tribuens.

Dum in Gallia quidam eligendo nouo Rege occupantur, quidam præſentem conuertendo operam dant, Archidux Ernestus in Belgio expectatur, & Mauritius Gertrudisbergam obſidere incipit.

ARGVMENTVM. Lib. XVII.

MORTVO *Principe Parmenſi, Petrus Erneſtus Mansfeldiæ Comes vſque ad Archiducis Erneſti aduentum in Gubernatione à Rege confirmatus, conſilio Comitis Fontanſtatuit bellum ſumma ſeueritate gerere: Lytra inter milites hinc inde, vulgò Quartier, & Contributiones ſuſtulit. Quare etiam Prouincia vnita à fide publica & Clientela data, vulgò Salueguardijs, reuocatis ac ſublatis, in Luxenburgium Ducatum vſq; omnia deportantes euagantur. Mauricius Montes D. Gertrudis arctiſſima obſidione cingit, ſuaque caſtra ita munit, vt à Mansfeldio nulla parte opprimi poſſet, & tandem oppidum ſeſe dedere cogeretur. Inde Mansfeldius Propugnaculum Creuecœur in ædere cogitat, ſed magna ſuorum taſſatura & periculo à Mauritio repellitur. Idem fruſtra Præſidiarios in Sylvam Ducis introducere tentat. Comes Solmenſis profiſcitur in Flandriam. Mansfeldici milites in finibus tumultuantur. In Gallia Confœderati cum Duce Maynio bonis admonitionibus nolunt auſcultare, ſed Pariſijs congregantur noui Regis eligendi gratia, ab Hiſpanis in Regem eligendus proponitur Erneſtus Archidux Auſtriæ, in vxorem ducturus Filiam Regis Hiſpaniæ. Is diſpliceat magis fauetur Guiſio: verùm ſufficienti exercitu, quo ad hoc indigebant, non inſtructi, magna inter eos oriuntur contentiones. Rex multorum conſilio ſit Catholicus, audit Miſſam, Ducem Niuernenſem ad Pontificem abſolutionem impetrandi cauſa ablegat: hanc Pontifex metu Regis Hiſpaniæ denegat: quamobrem multi Nobiles & Ciuitates ad Regem deficiunt. Anglia & Prouincia vnita in fœdere contractò firmiter perſiſtunt. Reformati in Gallia Regi ſibi & ipſiſmet imminens periculum demonſtrant: eis Rex humaniter reſpondet. Mauricius in Belgio multas Ciuitates, etiam Brugas tentat ſed fruſtra. Tempeſtate multæ naues Hollandicæ ſubmerguntur. Erneſtus Auſtriæ Dux magnificè in Belgio excipitur. Groningenſes apud Caſarem & Regem conqueruntur, à Comite Guielmo, qui etiam Propugnacula Bellingwolde Ziel & Wedde occupat, valdè coangueſtantur. Verdugo & Comes Montenſis Ottmarſum, aliaq; loca recuperant. Comes Vilhelmus Propugnaculum in Bourtanga extruit: quæ cùm ſuperatu eſſet difficilis, D. Comitem vi adoritur, hic ſe animosè defendit, hanc ob cauſſam retrocedens Couuerdam tota hyeme obſedet. Groningenſes per glaciem Delffzielam conſendere conantur, ſed repelluntur. Hac æſtate Mauritio ſtratagema in vrbem Traiectenſem inſtitutum non ſuccedit: hoſtem tamè obſidionem Couuerdenſem relinquere cogit, & Groningam obſidet. Quæ maxima vi tormentorum & ſuffoſſionibus oppugnata, tandem ſeſe bonis conditionibus dedidit. Archidux Erneſtus Antwerpiam venit, ſcribit ad Prouincias vnitas cum oblatione, ſi Reconciliationem petant, ipſarum Conditiones præſcribant: Reſpondent, ſe ob Hiſpanorum perfidiam, de pace tractare non poſſe. Lopezius Reginam Angliæ interficere*

An. 1591. ficere conatur: eodem modo Michael Remisen & Petrus Fourius Mauritium, sed omnes deprehensi panas luunt. Ratisbonæ Comitia celebrantur, in quibus Imperatori contra Turcam auxilium promittitur. Controversiæ ibidem inter Protestantes. Elector Palatinus Fidei suæ confessionem offert. Provinciæ vnitæ ad Baptismum filij Regis Schotiæ inuitantur. Rex Galliæ multos ex subditis ad reconciliationem admittit. Iohannes Chastelius Adolescens Regem cultro in faucibus ledit. Iesuitæ Gallia ejiciuntur. Rex Galliæ Regi Hispaniæ bellum denunciat, huic præficit Ducem Euillonium, eiq; Ordines ex Hollandia in Luxenburgum subdium mittunt. Itali tumultuantur, & ab Ordinibus iuuantur. Archiduce Ernesto de obsidione Cameracensi cogitante, Provinciæ Galliæ, valde minatur, & bellum à Rege Galliæ publicatur. Idem facit Rex Hispaniæ contra Principem Bearnensem, hoc est Nauarræum, Confœderatos in protectionem suscepit. Hanc ob causam Ducatum Luxenburgensem & Comitatum Burgundiæ inuadunt Galli. Hieraugerius insidijs capit Arcem & Oppidum Hoyum, quod paulo post Hispani iterum recuperant. Archidux Ernestus moritur, Comiti Fontano gubernationem committens. Comes Hohenlous in vxorem ducit Principis Auraici filiam natu maximam. Provinciæ vnitæ renouant ordinationes monetarias. Magnus Turcarum Imperator moritur. Christiani expeditiones præparant contra nouum: huic præficitur Carolus Dux Mansfeldiæ. In vrbe & deditione Embdensi seditiones. Ordines Provinciarum vnitarum per nouam viam naues mittunt in Tartariam, & Chinam. Dracskius & Hawkius in Anglia Classem adornant. Duinkerkani magnas in mari prædas agunt. Rex Galliæ satisfacit Reformatis, multi se cum illo reconciliant. Verdugo in Ducatu Luxenbergico ab oppido Ferte repellitur: & Hispani ex Han ejiciuntur. Fontanus potitur Arce Chateletana literum de pace inter Provincias vnitas & Regem tractatio instituitur, sed ab Hispanis suspenditur. Cardinalis Austriacus in Belgio exspectatur. Dorlantium ab Hispanis obsidetur & capitur. Mauricius exercitum educit, inuadit propugnacula hostium in Flandria. Tentat Grollam, sed frustra. Velitatio Mauritianorum cum Hispan. prope VVesaliam, in qua Comes Philippus Nassouius, & Comes Solmensis vulnerati, paulo post Vercellis moriuntur. Comes Ernestus Ludouicus captus lytro redimitur. Carolus Comes Mansfeldiæ in Vngaria moritur. Cumeracum à Fontano obsidetur & capitur. Vrbs VVirdastrata gemate occupatur, & Comes Henricus de Monte captus in Hollandiam, vnde lytro soluto dimittitur. Cardinalis Austriæ Belgium gubernaturus, venit in Italiam. Et Philippus Princeps Auraicus Romam. Philippus Dux Arscotanus moritur. Langhart capit & truncatur. Excursiones Gallorum & Hispanorum, aliorumq; Christophorus Mondragonius moritur. Cardinalis Austriacus Luxenburgum venit, vbi Fontanus, Elector Colonensis, & alij ipsum salutatum veniunt. Dux Pastranus moritur. Guisius Masiliam eminus obsidet. Ordinum Hollandiæ ad Principem Auraicum literæ. Eiusdem responsum. Excursiones Gallorum in agrum Atrebatensem. Cardinalis Austriacus Bruxellam magnificè excipitur. Masiliensis vrbis status, eiusq; à Rege recuperatio. Archiepiscopus Cameracensis moritur. Nauarræus Nobilitatem conuocat. Cardinalis offert Hollandis pacem. Comes Buranus cum fratre aut sorore colloqui petit. Belli initia sub Cardinali Austriaco. Ferensibus Comeatus aduehi curat. Caletensibus bellum parat, eorumq; suburbia expugnat. Caletum deditur, Arx expugnatur. Hollandorum Excursio in Brabantiam. Ardrestam obsidet Cardinalis, & capit. Fera deditur Nauarræo. Classis Anglicana ad expeditionem paratur. Eius Præfectorum rescriptum. E portu discedit. Vrbem Caliz Malis in Aa Daluzia inuadit, occupat, diripit atq; incendit, cum multis nauibus atq; alijs rebus, ad nouam Classem fabricandã paratis. Hulstensis obsidio, & deditio. Mauricij propè Turnhaut cum Hispanis pugna & victoria. Cardinalis Ambianum ex insidijs capit. A Gallarum Rege iterum obsidetur. Hollandi Venlonæ insidias struunt, sed frustra. Legatus Hispaniarum Regis ad Imperatorem Coloniam venit, indeque Bruxellas proficiscitur. Angli rursus ingentem Classem præparant.

LIBER

ERNESTVS. D. G. ARCHIDVX AVSTRIÆ. DVX BVRG. COM. TIROLIS BELGI. PROV. GVBER..

Digitized by Google

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

NARRAVIMVS quomodo Principe Parmenſi mortuo, Rex gubernationem cõmiſerit Petro Erneſto, Comiti Manſfeldiæ, prouiſionaliter, vt vulgò loquuntur, vſque in aduentum Archiducis Erneſti, ipſi interea Comitem Fontanum, Stephanum de Iuara Hiſpan. & alios, tanquam Conſiliarios & Aſſeſſores ſummos iungens. Erat etiam Nobilitas præcipua ad maiorem ſecuritatem, titulis, muneribus, officiiſque maioribus decorata, quo facilius Subditos in ſpe & obedientia retinerent. Hi perſuadentur aduentu Archiducis Erneſti, omnia in melius reformata iri, neque hunc reſpectu ſuæ Maieſtatis non venturum, niſi cum libera & abſoluta poteſtate, vel trantigendi, vel ad maiorem protectionem & defenſionem Prouinciarum bellum adminiſtrandi. Hac ſpe lactati interim miſerias ſuas meliori animo ferebant.

Initio nouæ igitur huius Gubernationis Conſiliarij Hiſpan. veterem illam ſeueram à Duce Albano olim vſitatam diſciplinam militarem introducere rurſus voluerunt. Quam in ſinem lytra inter milites, vulgò Quartier (quo capti eiuſdem qualitatis inuicem permutabantur, vel ſtipendio menſtruo redimebantur) ſuſtulerunt, volentes vt milites vtrinque capti, ad ſummum vſque, morte per Carnificem afficerentur: quo ſuos metu ſuſpendij ad extremam fortitu dinem adigerent, vtputa qui mallent fortiter pugnando occumbere, quam viuis in hoſtium manus incidere. Verum milites vulgares, qui magis ſtipendij & mercedis, quam honoris cauſſa merent, & militia prò arte aliqua mechanica abutuntur, eiuſmodi ſeuitiam non quærunt: præſertim eam quòque ob cauſam, quod hodiè probitas malè compenſatur; neque digno honore afficitur. Sub hoc verbo Quartier, continentur etiam Contributiones hoſti dare ſolitæ, quæ eodem modo impoſterum ſolui omninò prohibebãtur. Quæ res Eccleſiaſticis & Nobilibus, & Ruſticis, qui ſua bona ruri habebant, valdè diſplicebat, cùm mallent aliquid proſecuritate, vulgo Saluiguardia, hoſti pendere, quam vt omnia vel deprædarentur, vel incenderentur.

Manſfeldius lytra, Contributiones, Saluegardias, vulgo Quartier tollit.

Ita à Manſfeldio hoc anno 1593. 5. Ian. Edictum publicatur, qua prohibetur hoſti lytra, Contributiones, vel Saluegardias ſoluere, vel ijs vti, ſub pœna capitis. Quod ſi hoſtilibus excurſionibus eam ob cauſam diuexarentur, ſignum ex turribus darent, arma corriperent, Pagi conuenirent, periclitantibus opem ferrent, & hoſtem cæderent: captos nullo lytrò qualicunque dimitterent, ſed ſtatim ſuſpendio necarent, quod ab vtraq; parte captis quibuſdam factum, & executioni demandatum eſt. De contrario Ordines confœderatarum prouinciarum 27. Febr. quoque edictum typis excuſum publicarunt: enarrantes ipſorum hoſtes, Hiſpanos nimirum, vt extraneos, nihil aliud, quam Belgicarum Prouinciarum ruinam, & interitum, & in earum vitam, & fortunas dominationem quærere. Rogantes atque admonentes, omnes & quoſcunque, vt diligentem rationem habeant, ſui, Patriæ, coniugum, liberorum ac poſterorum: & omni poſtpoſita mora ſibi dextram porrigant, quo Hiſpanicam illam inſolentiam, & exitioſum hoc manda tum impediant, atque communem libertatem defendant. Tempus deliberandi vſq; ad menſem Aprilem ſtatuentes, quo illapſo pactum nullum cum ipſis ſeruaturum iri, vel vt ſeruetur paſſuros.

Idem faciunt Ordines confœderati.

Statutum etiam eſſe, in Auctores, vt præcipuos huius dominationis Conſiliarios, item incolas locorum & pagorum, qui iuxta præſcriptum dicti Mandati contra ipſorum milites arma ſument, aut vallis & propugnaculis ſe munituri ſint, vti & in eos, qui tributum, quod illis impoſitum ſit, aut inponetur ſoluere detrectauerint, ita grauiter animaduertere, vt incepti huius illos pœniteãt. Hoc mandato contrario publicato, priusaliquo modo deferbuit, & præcedentes conuentiones rurſus ſeruari cœperunt.

Comes Philippum Naſſouium in agrum Luxemburgenſi graſſatur.

Hac hyeme Manſfeldius per filium ſuum Carolum copias ſuas colligebat, in finibus Galliæ prope Guiſiam, Gallis negotium faceſſendi gratia. Ordines Confœderati in Agrum Luxenburgenſem mittebant Comitem Philippum Naſſouium cum quatuor millibus partim peditibus, partim equitibus, ſperantes ibi Fanum Viti vel alia loca occupaturos, quo truſtrabantur. Eliciebantur tamen eo omnes Præſidiarij Regij ex Brabantia, nam nuncio huius profectionis Bruxellas allato, Lyra, Machlinia, & alijs locis Hiſpani & Itali, tam equites quam pedites euocantur, & celerrimè per Comitem Barlamontium eò deducuntur. Quo cognito Comes Philippus reditum parat, & multis Pagis ibi deprædatis, in Limburgenſi quoque ditione magnis exactionibus incendiarijs adeptis, multis locis ad Contributionem coactis, Hamuito etiam in Brabantia, ſpoliato, tandem ingenti præda onuſtus cum ſuis in ſua præſidia illæſus reuertitur. Similes excurſiones faciebant, alij in Februario & Martio promiſſas contributiones exigen-

Digitized by Google

tes, & hostem in remotiora loca elicientes. Andernacum & in Diocœsin Treuirensem vsque excurrentes. An. 1593

Interea Ordines Confœderati, postquá decreuissent Montes D. Gertrudæ, oppidum quamuis ad Hollandiá pertinens, tamen in Continenti Brabantiæ, non longè à Mosa in fluuio Donge situm, vt supra relatum obsidere, iam dudum sub hoc vel illo prætextu, commeatum, vel alia necessaria eò deuehi non permiserunt. Commeatum quoque quê in Febr. introducere cogitabant hostes, prohibentes, & repellentes. Cumq; intellexissent Gubernatorem subsidium addu cendi causa oppido egressum, Comiti Mauricio mandarunt, illud primum equitib. cingere, vti (militibus iam ex Ducatu Luxenbergêsi reuersis, & singulis vexillis à suis Capitaneis suppletis) factum & 28. Mart. terra marique obsessum est, Hispanis magis de Sylua Ducis, vel Grauia sollicitis. *Montes S. Gertrudis obsidentur.*

Hæc obsidio cùm memorabilior, quàm vlla alia in Belgio fuerit, ea quæ notatu digniora sunt recensebimus.

Mauricius primò castra metari incepit versus Occidentem eo dispositis Legionibus fratris sui Iunioris Comitis Frederici, Comitis Solmensis, Groneseldij, & Balfourij. Comes ab Hohenlo sua ponebat versus Orientem in Pagum Ramsdunck, ab altera parte fluminis Dongi versus Osterhout, cum Legionibus Brederodij, Lockeri & aliorum, quarum quæque sua præscripta habebat loca. Castraque latis fossis, altis & firmis vallis ac propugnaculis cinxit. Cumque Hispani iactu Musqueti ab vrbe in aggere Steelhouiano iuxta flumé munimentum haberent, quo aditus ad oppidum patebat, & defendebatur. Comes Hohenlous illud tormentis inuasit, quæ maximo periculo suæ vitæ in insulam, è regione aggeris & munimenti adduxerat introitum, & exitum in oppidum hoc modo prohibens; quo viso Capitaneus Tonius & præsidiarij, Munimentum 7. April. dedidit: quam ob rem postea à Marchione Varrabonio, in carcerem inijciebantur. *Munimentum Steelhouianū occupatum.*

Hoc Munimento superato fluuium duobus Pontibus iungebat, vno latiore nauibus, altero malis impositis, vt tibi inuicem suppetias ferre possent. Castraque enim, quod circumcirca multæ essent paludes, latius longiusq; extendere oportuerat, ab vtraque parte pontis naues bellicas in fluuium adduxit, quæ continuò excubias agerent, cum hic castra magna ex parte circumiret, atque defenderet, tanquam fossa. Multis locis extructæ erant Molæ aquariæ, & Cataractæ, quibus fossas suas semper aqua repletas seruabant, sæpius maris inundatione, vel æstu magnum damnum perpessi. *Descriptio eorum Munimentorum.*

A parte fluminis oppidum obsiderunt nauibus aliquot bellicis, in formam semilunæ collocatis, quæ ferè sine intermissione in vrbem eiculabantur, anchoris suis innixæ, & rudentibus inuicem colligatæ, qui in medio à scaphis vel nauiculis minoribus sustentabantur, extra hanc semilunam hæ illæ continuò remeabant naues bellicæ speculandi gratia, intra eam autem vsque ad oppidi mœnia vigilias agebant Liburnicæ, à quibus Hisp. à Mansfeldio cum literis emissus, natando in vrbem peruenire tentans, in aquis deprehensus & captus est: quem vita donata ad hostes transmisit, vt quo modo castra ipsius munita essent indicaret.

Extra prædictam semilunam, versus Orientem & Occidentem, locus erat destinatus nauibus frumentarijs, quo hostes tormentis suis ex vrbe pertingere non poterant, ita, vt iuxta flumen castra ad duo miliaria germanica extenderentur. Quæque Legio suas habebat naues bellicas & frumentarias. Loca iuxta ripam vadosiora, sæpibus contextis obstructa erat, & nauiculis bellicis munita, ne pateret accessus. Nauta sua etiam habebant castra, te paratim, qui fortiter quoque se gesserunt, & ex ligno fictis machinis, ac vacuis nauibus, quas noctu vsque ad ripam clam adducebant, & hosti imponebant, vt continuus suis in eas fulminationibus, tandem inciperet puluis tormentarius deficere.

Castra in Continenti, in quibus erat Mauritius, circumcirca altis vallis, & latis fossis, quatuor etiam Propugnaculis fortissimis (quorum singula duo habebant tormenta) munita erant, consequenter vsque ad castra Hohenloi, spatio fere duorum miliarium in circuitu. Extra fossas, vbi periculum erat, ne hostis transiret, in terram addacti erant cunei lignei, cuspide ferrea, longitudine pedis (quos Turcicos Legatos appellabant) ita prorsè coadunati, vt ne pes quidem interponi posset. Aditus principaliores munimentis & propugnaculis, eaq; tormentis plurimis repleta occlusi erant, in vijs sparsi erant aculei, siue hami ferrei, vulgo Fuß angeln/ puluisque nitratus, at multa decipula luparia, vulgo Wolffsfallen/ accedenti hosti obiecta & præparata erant.

Prætera cùm locus esset vligino sus & palustris, nec terra vel materia esset, qua se munirent, multis collatis fascículis, & viminibus obiectis, eodem modo cuneis ligneis ferruminatis terræ infixis vsi sunt, quæ omnia hostibus mira & incredibilia visa sunt.

Hac ratione exterius contra hostem muniti, Oppidum versus sub mœnia vsque fossas cuniculosque duxerunt, quibus tutò & liberè conuenire possent, tormenta quoque dispositurunt,

Digitized by Google

An. 1591. Et cùm Obsesi præter Valla, & ex terra congestos aceruos, duo fortissima Propugnacula habebant, quorum vnum Northollandi & Scoti, alterum Zelandi, ac Vltraiectenses machinis suis obliidebant, ijs densissimos in subiectas plateas globorum imbres eijciunt, vt vix vlla domus illæsa maneret, imò ipsius Auraici Palatium vndiq; percitū erat. Propugnacula hæc dicta fuerunt quoque erant.

Mauritius loco fossarū, militibus suis vtitur.

His munitionibus perficiendis Ordines naues plurimas materijs, & rebus quibuscunq; benè instructas & paratas habebant. Ac quamuis opera rusticorum aut fossorum vterentur, tamen hæc omnia, more veterum Romanorum per suos milites perfecerunt, non coactos, sed voluntarios, ijs qui vigilias non agebant, æqua mercede cõductis, vnoquoq; operi quod placebat præficiendo, quorum singulis in diem 20. aut 30. stuf. prout opus esset graue atq; arduum, soluebant. Hac ratione rem magnam summo suo honore effecerunt, ita vt vno die se & contra Oppidanos, & contra potentissimum Regis exercitum, qui eos repellendi causa aduentabat, munitos & securos redderent.

Disciplina in castris Mauritiana.

Disciplina militaris talis obseruabatur, vt non solum Coloni in circuitu Castrorum, quo Pagus Ramsdonck comprænhensus erat, habitantes, ab omni molestia liberi essent, sed etiam vt vicini Rustici, frumentis, iumentis, & omnibus fortunis suis in castra, quali locum tutum confugerent, vbi vigore superioris huius disciplinæ tam liberè viuebant, ac in vrbe aliqua bene gubernata, anseres, gallinas, oua, butyrum, caseos, carnesque publicè venales exponentes, absque vllo timore, vel quærela, molestationis cuiusvnque. Cõloni quoque agros suos iuxta castra multis in locis liberè colebant. Quamobrem annona rerum omnium facilior erat, quam in Ciuitatibus vicinis, cùm in hostium castris esset difficillima, & sextuplo omnia cariora.

Annona facilitas.

Castrorum horum typus in Hollandia in ære expressus est, eaque vt viderent, vndique plurimi homines eo venerunt, etiam ipsa Auraici filia Ludouica, quæ inde ad sponsum suum Electorem Palatinum Rheni profecta est.

Obsessorū fortitudo.

Oppidani fortissimè se defenderunt, rebus omnibus necessarijs mediocriter instructi. Eruptiones crebras fecerunt. Sed cùm demum Mauritiani appropinquarent suis tormentis, accessus illorum in Propugnacula sua ijs ademerunt. Miris inuentionibus ipsis nunciatur, & spes fit liberationis. Inter alia intercipiebantur literæ à Disma de Isarges, Domino VVaterdickio ex Sylua Ducis 12. April. scriptæ, & per Columbam ad pullos suos redeuntem transmissæ, quæ in castra decidebat. Continebant autem exercitum subsidij ferendi causa iam colligi, obsessos q; Euangelio certius liberatos iri: interim paulò altius extruerent acerui terreum versus Pagum Ramsdonck, quandoq; etiam secundum instructionem missam, signa ignea ederent. Mauritius alias suo commodo fingit literas, & per eandem Columbam ipsos fallendi causa transmittit.

Comes ab Hohenlo, certo quodam die, secretò curabat omnia vicina tormenta in quandam Ciuitatis Turrim, vnde Oppidani poterant, & solebant castra perlustrare, verti & dirigi, ac cum singulis momentis subsidia exspectarent, ficto tumultu Gubernatorem alijsque Officijs præcipuis eò allectis, omnia tormenta maiora in Turrim explodūtur, vbi Gubernator ipse cum alijs magna Obsessorum iactura sternitur.

Mansfeldij copiæ inuadūtur.

Mansfeldius, Fontanus, alijque Regis Duces, cõsiderata ignominia, nisi vrbem hanc in Brabantia sitam, obsidione liberarent. Carolum Mansfeldium ex Gallia cum omnibus suis copijs euocarunt, alijsque legionibus lustratis, omnes sub conductu Marchionis Varrabonij Turnhauttum mittebant, quo Mauritiani Equites (extra castra in vicinas vrbes Bredam, Huedam, & Montem Zomensem dispositi) æpius excurrebant. Inter alia 9. Iunij D. Risoirius, Marcellus Baxius, & Capitaneus Edmondus 190. equitibus, 500. equites insecuti sunt, quorum partim cæsis, partim in Arcem Turnhautanam fugere coactis (inter quos & ipse Comes Barlamontius) 60. equos, & tres Capitaneos Bredam captiuos deducebant.

Mansfeldius situat Montes D. Gertrudenberga liberare.

Circa 6. Maij, Mansfeldius omnes suas copias in Campum eduxit, quæ constabant Lotharingis ex bello Argentinensi reuersis, Heluetijs, Germanis, Italis, & Hispa. qui difficulter sine Mondragonio (Arcem Antverpianam sibi commissam relinquere non audente) progredi voluerunt, ita iunctis Bendis Ordinarijs vt vulgò appellantur, ac toto exercitu ad 20000. computato, octodecim machinis bellicis, scaphis, alijsque necessarijs instructus, castra iuxta Mauritium, in loco, ten Hawte nominato, posuit, munimento in aggere Steelhouiano excitato, vbi multæ fiebant velitationes. Sed cùm castra Nassouiana eò loci munitiora videret, sua inde in Pagum Osterhawt mouit, se vallis muniens. Aliquot diebus ibi commoratus, & Castra Mauritiana inuadere tentans, recessit in Pagum Waesbeck iuxta castra Comitis Hohenloi, eodem modo Propugnaculis erectis, quo securius & facilius commeatus aduehi posset. Hæc Hohenlous ex maiore suo Propugnaculo sæpè oppugnabat, ita vt in castra nihil tentare auderet.

Tubicen certis de causis à Mauritio ad Mansfeldium missus, Mansfeldio interroganti, quam ob rem Dominus suus, castra sua ita muniuisset, ipsum tanquam Iuuenem audacem, & Imperatorem

Digitized by Google

tòrem honorem ambientem, aperto prælio secum decertare debere, laxide & iocosè respondit. E. S. Nassouiam desiderare, tam senem & veteranum militem fieri, qualis ipsius Excellentia, scilicet Mansfeldius esset, quo responso accepto omnes adstantes ridebant. An. 1593.

Interea Comes Fontanus supplementum mittebat 1200. peditum, & 12. vexillorum equitũ, 4. tormenta, & 24. tonnas pecuniæ, aliaque necessaria.

Vltima die quo ciuitas superabatur, Hohenlous & Anglicus Eques Vercus, acrem instituerant velitationem, in qua præter cæsos quadraginta milites & 3. Capitanei capiebantur, Oppidanis videntibus, & iam plane desatigatis, multa signa ignea edentibus: vita vt modo sequenti ciuitas in conspectu Mansfeldij, eiusque exercitus longè fortissimi, occupata sit. *Vltimus actus Mauritianæ victoriæ Mansfeldium.*

Vigesimo quarto Iunij mane, cùm Capitanus Gallus Tornacensis, Beueri, & Vitulinus excubias permutandi causa in fossis iuxtà Propugnaculum Ciuitatis versùs Septentrionem conuenissent, concludebant illud ascendere omnia perlustrandi causa, factoque ponte ligneo, eoque extremitate propugnaculi impositò, Gallus, Beueriusque sibi adiungebant duos Musquetarios, duos Scutatos, & duos Bipennibus armatos, atque ita numero octo clam ascendunt, quibus visis, cum vigilias ibi agentes tumultum facerent, Capitanei plures ad se vocabant. Interea dum ita manus cum vigilibus cònserunt, & ex Scutatis prædictis vnus caderet, alij ascendunt, aliquot horis cum hostibus depugnantes, 13. ex suis amissis, 36. verò ex Oppidanis cæsis, inter quos etiam primarius Capitaneus Sigean occubuit. *Propugnaculũ ciuitatis capitur.*

Hac ratione reliqui ex Propugnaculo in ciuitatem retrocedere coacti & in angustias redacti, ad colloquium amditi cupiebant, quod difficulter impetrabant, propter confusionem & multitudinem ascendentium. Tandem emittebant eam ob causam duos Capitaneos, & Secretarium. Mauritius, Hohenlous, & alij Consiliarij militares cum Mansfeldio velitando occupati, initio hæc nolebant credere, hoc certamen à Capitaneis absque mandatu institutum, periculosum esse iudicantes. Legati dicti petebant dilationem duarũ horarum, vt consensum à Mansfeldio adferrent. Eo non obtento, cùm de Mansfeldij conatibus frustraneis certiores essent facti, vitaque ipsis à Mauritio offerretur, conueniunt, gladijs tantum accinctis vrbe exire præsidiarij, impedimentaque omnia secum auferrent, prout ex sequenti transactione constat.

Nos Mauritius, Princeps Auraicus, Comes Nassouiæ, Cattemeliboci, Vianden, Dietz, &c. Gubernator, & Capitaneus Generalis, Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ Occidentalis, Zutphaniæ, Vltraiecti, Transisulaniæ, Admiralius Generalis, permisimus, & his permittimus, Capitaneis, Officiarijs, & militibus præsidiarijs Gertrudemontensibus liberè atq; sine molestatione egredi cum gladijs, equis, & impedimentis cæteris, quo ipsis visum fuerit, in quem finem ipsis commodabuntur quinquaginta currus, quemadmodum, & si opus fuerit, Regis Hispaniæ. Officiarij cum familijs suis, & vulneratis, & impedimentis Antverpiam cõducentur, præstita sufficiente cautione, de curribus & nauibus restituendis. Interim receptores Matthæus Darchierius, Iohannes Francisci, & Iohannes Matthiæ, in oppido manebunt, donec omnia Registra, Instrumenta, & Chartas admnistrationem eorum concernentes, tradiderint illis, quibus negotium hoc à nobis commissum est. Quantum ad Ecclesiasticos & Ciues (exceptis qui proditionis istius Ciuitatis participes fuerunt) eandem libertatem impedimentis suis exeundi concedimus, vti dictum. Sub fide nostra Principis promittentes, hæc omnia seruata iri absq; fraude vel dolo. Actum in Castris ante Montes D. Gertrudis 25. Iun. Anno 93. infra scriptum erat, Prins von Nassaw. *Conditiones quibus milites Gertrudẽ deduntur.*

Conditionibus his vtrinque approbatis non obstantibus, Mauritius ipsorum precibus motus, arma illis restitui iussit. Ita eodem die omnia impedimenta vulneratos, vxores, & liberos, cum curribus deduxerunt. Postea egressi sunt tres Capitanei, hos sequebantur 16. signiferi cum vexillis, quæ magna cum reuerentia Mauritio tradebant, qui ipsorum fortitudinem summopere laudabat. Sequebantur Officiarij armis longis circiter 240. hastati, hos 384. Musquetarij & alij vsque ad 700. ad Mansfeldij castra profecti sentes. Cætera impedimenta, ægroti & vulnerati Antverpiam deuehebantur. Tres ex ijs qui ciuitatem ante prodiderant, & venderant, statim suspensi sunt. *Præsidiarij oppido exeũtes numero 700.*

Mauritius præsidiarijs egressis, & suis in vrbem missis, eam quoque ipsemet intrauit, quam commodo munitam inuenit, vt sine magna suorum iactura ea potiri non potuisset, quare Deo laudem & honorem tribuit, & vt alijs eidem gratias agerent, iussit. Inuenibantur præterea 700. aut 800. libræ puluris nitrati, carnium, piscium, panis, cereuisiæ, butyri, salis, & frumenti non erat penuria. Gubernatorem constituit fratrem suum Fredericum Henricum, cuius Vicarius erat D. Duuenuordius. His peractis Castrorum valla & munimenta solo æquantur.

Mansfeldius deditione Vrbis percepta, castra sua mouit 26. Iunij sub prætectione Propugnaculi cuiusdam viam longam, vulgò, lange straß ingressus, versùs Insulam Bommelensem profectus est, Munimentum de Creueceur in Ostio fluminis Diesæ, è Regione Helæ, in Brabantia in via Buscoducensi situm, summa vi aggrediendi causa. Sed Gorcumenses huic rei antè prospexerant.

Digitized by Google

An.1593. spexerant. Nam circa Propugnaculum omnem aquam, ex Dommelia & Aa, per vrbem Buſcoducenſem profluentem, obſtruxerant, & repellebant, vt & Propugnaculum, & agri vicini aqua circumdarentur.

Mansfeldius Propugnaculum Crucecoviense frustra obsidet.

Antequam Mansfeldius eò veniret, Mauritius cum ſuis aderat, & quo minus caſtra ſua muniret, prohibebat, imò ſe ipſum vallo muniebat. Quare Vliemen & Engeln retrocedere cum tormentis ſuis coactus fuit. Et quàuis caſtra ſua in loco altiore metaretur, tamẽ ſtatim aqua circumdabantur: atque huc ſtatim Præſidiarij Propugnaculi ſua tormenta dirigebant, quibus hoſtes magno damno afficiebant, nimirũ in loco non munito & aperto, atque ita aqua circumdato, vt inde diſcedere non poſſent, vnde multi antequam nauiculæ vel ſcaphæ adducerentur, occidebantur.

Mansfeldius frustra tentat Sylueducenſi buspræſidium imponere.

Mansfeldio hoc modo retrocedere coacto, omnem mouit lapidem, omnibuſque viis eſt cautelis (vti & diu ante fecerat) præſidium Vrbi Buſcoducenſi imponere. Verùm Ciues ipſi excubias & vigilias agebant, & Eccleſiaſticis doli ſuſpectis arma ademerunt. Cùm itaque Mansfeldius ſicut etiam antè Fontanus cum Nobilibus ſuis in vrbem recipi cuperet, talem ei formam & modum præſcripſerunt, vt intrare nollet, ſed iuxta mœnia (tormentis ſaltem per vrbem auectis) tranſiret Oſsium, & inde Bercomium: vbi relicta parte exercitus, inter Creuecurium & Buſcum ducis fortiſſimum cogitabat extruere Propugnaculum. At ciues ne ipſi eo frænarentur & coanguſtarentur, id impediuerunt. Ita tandem Mansfeldius Bruxellas redijt, parte exercitus in Friſiam tranſmiſſa, vt poſtea dicemus. Altera parte Marchio Varrabonius Grauiam proficiſcebatur. Fontanus & alij Conſiliarij Hiſpanici culpabant Mansfeldium, quod cum videret ſe vrbem Gertrudebergam liberare non poſſe, aliam ciuitatem magni momenti non obſediſſet, atque ita Mauritium obſidionem inceptam relinquere coegiſſet.

Mauritius præſidia imponebat, in loca limitanea, in Inſulam Bommelenſem, quoſdam milites in Phriſiam, Comiti VVilhelmo mittebat. Comiti Solmenſi mandabat expeditionem in Flandriam, vbi Ruſtici, ab Hiſpanis impediti non contribuebant, qui circa Hulſtiũ & Axelam Munimenta extruxerant, & corruptis quibuſdã præſidiarijs (qui durante velitatione quadam armentorum cauſa, vigiles portæ occidere propoſuerant) hæc duo oppida occupare tentabant, ſed proditio hæc detecta fuit.

Expeditio Solmenſis in Flandriam.

Ita 24. Iulij Georgius Eberhardus Comes Solmẽſis 800. equitibus, & 3500. peditibus, in ditionem VVaſianam venit, equites ad S. Iohannem ten Steene hoſtem indagandi cauſa, pedites Steeckam mittens, vbi Hiſpani Munimentum derelinquentes, verſus traiectum fluminis è regione Antverpiæ fugiebant. Verũ Naſſouici hos inſecuti, 30. equites cœperunt, & Pagum Steecken incenderunt.

Equitibus apud S. Nicolaum 80. equites Lotharingi obuiam venientes, cæſi, & maxima ex parte capti ſunt. Pedites Propugnaculum S. Iacobi admotis tormentis deditione cœperunt. Eodem modo Propugnaculo S. Ioannis ten Steene potiti ſunt. Hæc cùm breui tempore perfeciſſent, & vndique Regionem percurriſſent, & audirent Mondragonium 2000. peditibus, & 6. ſignis equitum (quos adhuc 10. ſigna equitum, & vexilla aliquot Hiſpanorum peditum ſequi debebant) aduenire conſarcinatis ſpolijs, munimentis deſtructis, grege Armentorum mille, & 3000. ouibus abductis, & Regioni magno tributo menſtruo impoſito, nauibus diſceſcit.

Similes excurſiones etiam fecerunt, multaque loca fruſtra inſidijs tentarunt. Mauritius obequitans nomine Ordinum Confœderatorum, vbique res omnes in ordinem redigebat, quod Mansfeldius pecunia deſtitutus facere non poterat, quam ob rem milites hinc inde tumultuabantur. Sicut accidit, cùm filius eius Carolus Nouiodunum in Gallia occupaſſet, & propter obſidionem Gertrudebergenſem reuocatus eſſet, atque in Arteſiam prope arcem Auxianam veniſſet, Hiſpani tumultum excitarunt, occaſione ſumpta ab Hiſpano Capitaneo, quem, quod Heſdini virginem vi ſtupraſſet, Comes punire volebat. Vbi ipſum inuadentes cum VValonibus ſuis fugere cogebant, domum eius, ſuppellectilem, vaſaque argentea diripientes. Electo aut Capite aliquo inter ſe conſtituto, Oppidum S. Pauli occupabant, & muniebãt, vnde Regis Prouincias & Subditos circumcirca miſerè deprædabantur, eoſque in dies ſingulos magnam pecuniæ ſummam contribuere cogebant. Hæc militum ſeditio integro anno durabat.

Hiſpani & Itali tumultu excitant in Arteſia & Hannonia.

Idem faciebant Itali & VValones in Hannonia apud Pontem Chambræum, vicinos ad ſolutionem 900. florenorum in dies ſingulos cogentes, quos ciuitas Montis Hannoniæ quotidie ipſorum nomine colligebat, & ſoluebat. Ita vt Rex eorum opera diù vti non potuerit, ſibi ſubditas Prouincias contra propriam eius voluntatem deuaſtantes.

Præſidiarij Berckẽſes tumultuantur.

In vrbibus vicinis, in quibus Rex ſua præſidia etiamnũ habebat, quoque milites tumultuati ſunt, nimirũ Berckæ, vbi Officiarios expellebant, & ſingulis ſeptimanis nouum Electum conſtituebant. Hic permittebat ſoluto magno vectigali, omnia Rheno tranſuehi: pecunia inde redacta, ſingulis menſibus inter illos diuidebatur.

Nouienſes

Ciues Nouienſes, poſt vrbem à Duce Parmenſi ſuperatam, præſidijs valdè grauati fuerunt:

rant: quare occasionem quæsiuerunt seipsos liberandi. Quæ tandem 19. Iulij oblata est. Cùm nimirum hi de præfectura præfidiariorum pars prædatum exierat, octo ex ciuibus inter se consilium ineunt, quo pacto possent se, suosque sumptuoso petulantique præsidio exonerare, iam enim (si vnquam alias) ad efficiendi commoditatem, cum paucissimi in vrbe milites, ipsique ciuium viribus impares, remansissent. Conuenerunt inter se, negotium incipiendum esse. Nocte excubijs dispositis, fingunt sibi vrbem ambiendi, excubiasq; lustrandi curam esse commissam. Ad primam stationem venientes, rogati à procubitore, quid vellent, aut qua causa illuc venirent, eundem statim sternunt, sociosque omnes somno sepultos, inermesque se dedere iusserunt. Qui inopinata hac re territi, imperata faciunt, captique subterraneo cuidam loco inclusi sunt. Idem fecerunt in secunda & tertia statione donec omnes dearmati, captiq; essent: excepta vna decuria, cui portæ superioris erat commissa custodia. Cœpto ex voto succedente ad arma concurrunt reliqui ciues. Auditur tumultus: ciuium fremitus ad eos, qui in porta erant superiori peruenit. Hi confestim vnum è suis per murum demittunt, vt D. Milendonckio, vrbis Gubernatori, quid ageretur, significaret. Ivenim eo tempore non in vrbe, sed in Castro suo Milendonckio agebat. Hic periculo cognito, statim ad milites palantes, qui prædatum exierãt, mittit, eosque connocat, & summo mane ante vrbem Nouesiensem, spe recuperandæ vrbis ductus venit. Sed Oppidani omnes armati mœnia fortiter defendebant, nec externo se egere præsidio respondebant: ita vt Milendonckius se nihil effecturum facilè videret. Quod cum animaduerterent, qui prædictam portam hactenus defenderant, animum desponderunt. Sed & ciues ingentem fumum ex opposito portæ excitarunt, nec commeatum aliunde habere potuerunt. His necessitatibus circumuenti, se se quoque vltro dediderunt. *An. 1593. Iuuare expectat Præfidium.*

Cùm iam Præfidiarij omnes in potestate ciuium essent, decretum est illis in suis custodijs lentaculum quo sumpto, vrbe dimittí iussit. Deinde per præcones mandatum, vxores, lixæ, Colones que qui in vrbe erant, ante occasum solis sua conuasarent, vrbeque discederent. Similiter & ciuibus imperatum, quod si haberent armorum, vestitum, aliarumque rerum, quod ad milites pertineret, statim ijs remitterent: si quis non obediret, in eum pœna constituta. Panem præterea, cereuisiam, aliamque annonam ex vrbe illis miserunt, ac postea dimiserunt. Milites autem ingrati ac accepti beneficij immemores in pago Kerpinich, vrbi vicino se se munierunt, noctur nis, diurnisque excursionibus, si quid in agro Nouesiano esset, de ripuerunt, dissiparunt ac perdiderunt. His incommodis moti Nouesiani, & ipsi militem conscripserunt; qui frequentibus eruptionibus hostium petulantiam ac vim nonnihil compescuerunt, ac tandem fratrem naturalem Milendonckij in vrbem captiuum abduxerunt. Ita vrbs Episcopo Colonensi restituta est, qui postea cum Principijs conferendis, de seruanda meliori neutralitate egit.

VVerdenses vt Venlonenses ante etiam sua præsidia vi, & non absque sanguinis effusione expulerant.

Antequam in enarratione rerum Belgicarum, nimirum Frisicarum progrediemur, Gallicas res gestas cum Belgicis permixtas prius recensebimus.

Libro superiori diximus, quamobrem Henricus IIII. Galliarum Rex, plenariam obedientiam subditorum suorum consequi non potuerit. Ita, cum ab vtraque parte res magis armis, quam prudentia & probitate administratæ essent, tandem Rex aduersarios suos astutia fefellit, eo quod se aiebat in causa Religionis cupere melius iustrui, vtputa quæ ipsi à morte Guisij, eiusque fratris innocenti sola obstaret. De quo Theologi Catholici conscederatorũ doctores, multum deliberarũt, & tandem cõcluerunt, inter alia Ducem Maynium (qui se generalẽ Vicarium Status, & coronæ Galliæ appellabat) scripto de tribus admonendum. Primò sese reconciliaret cum Rege Nauarræ, vel secundò omnes Catholicos contra Nauarræum inter se conciliaret, qui vnanimiter consensu Pontificis & Regis Hispaniarum Catholicum aliquam eligerent Regem. Vel tertiò, vt planè se subijceret Regi Hispani ei talem auctoritatem, vel partem Regni tradendo, ne occasionem haberet, quo minus aliquid ad eorum defensionem spectans interrnitteretur. Res à sua parte contra Catholicos Nauarræum sequentes, & Ecclesiam gestas, & quod malam aut nullam disciplinam seruarent, & omnia sine pecunia, ordine, vel iustitia, tanquam notorij Rebelles agerent, ipsimet culpantes, &c. *Res Gallicæ.*

Quare omnibus medijs tentandum, an Nauarræus ad Catholicam Religionem cõuerti posset, & ita in Regem eligatur: eò Maynium plurimum fauoris sibi reconciliaturum, familiam, liberosq; suos promoturum. Quod fieri oporteret auctoritate Pontificis, & alijs medijs idoneis, non vi aut armis. Regem Hispaniæ pacaret, hac assecuratione Nauarræum nullam in posterum quæretam moturum de regno Nauarræ, neque Belgis rebellibus ex Gallia subsidia missa iri, & similibus. *Theologi consulunt vt Rex ad Religionẽ Catholicam permoueatur.*

Præterea solemnem Legationem in eum finem ad Nauarræum mittẽdum, eum cum omni reuerentia & opportunis medijs ad fidem Catholicam cõmouendi gratia. Quam si acceptaret, Catholicam Religionem, & pacem publicam stabiliorem, firmiorem, bellique exitum fore.

Si re-

Digitized by Google

An. 1593. Si recusaret, animos Catholicorum ipsum sequentium vinci posse: qui ab illo persuadentur, conuersionem ipsius remorari inopia amicabilis & melioris institutionis, eamque ab aduersarijs suis non experti, sed potius ruinam separationemque Regni, aut eius in Hispa. translationem. De prædictis medijs periculo facto, Catholicos Regios de Confœderatorum causæ iustitia amplius non dubitaturos, sed potius de sua pertinacia remissuros.

Quo consequuto, indicias faciendas in mensesex, Status in libera aliqua, & ab Officiarijs coronæ defensa ciuitate congregandi causa, vbi quisq; forma & modo ibi præscribendo se subijceret, ne videlicet alij Officiarij vel Gubernatores admitterentur, quam Catholici. Quemadmodum bona Ecclesiastica administranda, Concilium Tridentinum obseruandum, Hæretici à successione arcendi. Tractandū etiam de Regis matrimonio, eius cum Hispano recōciliatione, de Angliæ Reginæ & rebellibus Belgis subsidio in posterū non mittendo, de quorū cum Rege Hisp. quoque reconciliatione laborandū, quę officia maximè esset æstimaturus, vt posset Prouincias pacatas filio aliquando relinquere. Reginam Angliæ bonis conditionibus ad pacem colendam adhortandam. Sic tandem Regno & Prouincijs à milite purgatis, Turcæ bellum inferendum.

Media hæc quam primum tentanda. Ac quamuis timendum, Nauarræum ea non acceptu-rum, consideratis prioribus suis actis, inimicitia erga Pontificem, & confidentia in hæreticos suos, quibus magnoperè esset obligatus. Tum etiam, quod Catholicos illum sequentibus, donatione rerum Ecclesiasticarum sibi deuinxisset, qui putarent suis officijs Regi prætitis, Religionem Catholicam sartam tectam, atque Regnum à ruina conseruari, quibus quoque Nauarræus persuaderet, hoc saltem quæri, vt extraneus Regnum adipiscatur, demonstrata confœdatorum crudelitate, ambitione, dissensione & leuitate, vtputa se in plebis & vulgus leuitatem fundantes.

Denegationē conuersionis defectionem Catholicorum à Rege causaturam.

Sed denegatione Regis, confœderatorum causam meliorem futuram, Catholicorum cum sequentium corda commotos iri, præsertim si Principes sanguinis commouerent. Quod factu esset facilè, quod malè illos haberet, Nauarræum Iuniorem Condæum ipsis præferre. Insuper Duce Niuersio, Longevillæo, magno Priore Galliæ, Montmorentio, Retio, & alijs Officiarijs hoc modo cum Catholicis, Pontifice & Hispano (cui omninò satisfaciendum, ne quicquā contra eum dicendum) consociatis, rectaq; via inita seniorem Cardinalem Borbonium, aut alium in Regem eligi posse, absque vlla Status Regni, vel legum fundamentalium mutatione. Cùm nunc è contrario de Maynio & alijs suspicio sit, quasi ipsi regnum ambiant, vel ruinam ipsius, aut denique Hispani introductionem meditentur, eaque eo maior, quod Cardinalis nunquam Rex proclamatus, nec cum Nauarræo nunquam tractatum esset, licet diceret se velle Catholicum fieri.

Viam hanc secundam esse tutiorem, si prima non succederet. Quamuis metuendum Principes sanguinis difficulter consensuros, ob vetus in familiam Guisiacam odium. Id etiam fortè Sabaudum & Lotharingum impedire conaturos, qui hoc in regno dissentione, proprio commodo studeant. Hispanum quoque difficulter pecuniam erogaturum, absque sufficiente cautione, & Prouinciarum vel vrbium traditione.

Grauamina sese Hispano subijciendi.

Absolutè se Regi Hispan. subijcere non fore consultum, cum certum esset illum (sub titulo Superioritatis) Regnum ambire, aut Generum suum Sabaudum promouere velle: quo violarentur veteres consuetudines & leges fundamentales, omnium suorum ignominia, idque in fauorem Principis senis, & caduci, filium habentem vnicum, eumq; valetudinarium & iuuenem, atque nationis inimicæ, & inuidæ, qua re veri Catholici & Galli abhorerent, imò Pontificem ipsum aliosque Principes hoc ægrè laturos, vtputà qui Hispani potentiam metuerent, & propterea hostes futuri essent.

Si verò Rex Hisp. permoueri posset, vt Infantem, filiam suam natu maiorem Principi alicui sanguinis desponderet, esse optandum. Sed difficulter consensurū, considerato filio vnico admodum valetudinario fortè moriente, Gallus omnia sua regna & Prouincias hereditate adepturus esset, eamque solam esse causam, cur nulli desponderet, ne quidem alicui ex domo & familia Austriaca, qui omnes hoc inuisuri sint.

Regem præterea, quam esset Princeps potentissimus, magna tamen habere quoque onera, Regna & Prouincias longè ab inuicem distare, bellum gerere cum Belgis, quod maximis suis expensis diù duraſſet, & adhuc diutius duraturū, perspicuum esse, Reginam Angliæ habere hostem, quæ bona vteretur fortuna, eique mari negotium faceſſeret, & magnas impensas facere cogeret, quin suis quorum opera vti deberet, suspectum esse. Quod si Turca ipsi bellum moueret, sicut appareret, ipsum omnibus viribus suis opus habiturum, & potius sua, quam Gallorum curaturum & defensurum. Tractationem quoque cum Hispano fieri non posse, nisi congregatis omnibus Ordinibus, inter quos multæ hac de re disputationes & controuersiæ exoriturę, eam omnibus dedecori futuram. Quare concludendo ad securitatem Religionis & pacis publicæ

Consultissimè

publicæ nihil esse consultius, quàm vt cum Rege reconclientur, ac ipsum ad Catholicam fidem conuertere omnibus modis studeant. An. 1593.

fore Rex ad Catholicam re ligionem per. moueatur.

Huiusmodi opiniones & rationes à Ligistis siue Confœderatis propositæ fuerunt: sed inter se non conueniebant, & videbatur Mainium cupere, vt status & gubernatio qualis esset, ita manerent, alij vrgebant electionem noui Regis, vnoquoque suo proprio commodo studente. Ex præcipuis quisq; sperabat optata sibi successura, inprimis Sabaudus, Lotharingi filius, Mainius, Guisius, Nemoursius, & ipse Hispanus. Ad hanc electionem valde inclinabat Pontifex, fuique ministri. Ita accidit, vt in Decembri 1592. à Mainio declaratio publicaretur, qua inuitabat omnes Principes & officiarios Coronæ, hæreticis relictis, ad Conuentum Confœderatorum, Lutetiæ Parisiorum institutum, de omnibus consultandi gratia. Quo cognito Principes sanguinis, Prælati, & Officiarij Coronæ, Consiliariique Catholici Regem sequentes eius consensu 27. Ian Carnuto Lutetiam ad conuentum scribunt, cupiuntque, si ipsis constitutum sit, de modis, ac vijs ad tumultus componendos, atque Catholicam Religionem conseruandam vtilissimis commodissimisque deliberare, Legatos suos mitterent ad locum inter Lutetiam & Sandionysium constituendum. Regem paratum esse meliorem instructionem admittere: ipsisque indulsisse Marchionem Pisanum, ad Pontificem, eius consensus expiscandi causa, quem tamen audire noluerit.

Comitia Parisiensia, à Confœderatis nonnum Regem eligenda causa.

Contra hæc Comitia Parisiensia Rex scriptum promulgauit, quo docebat, conuentionem illam non nisi proditionem esse, declarabatque animum suum promptum quæuis legitimas, & Christianas instructiones admittendi, suis de conuersione spem optimam faciens, & omnes suspicionis causas, quas Catholici de eo habebant, tollendi modum quærens.

His non obstantibus, Confœderati hanc viam ingredi, aut cum Catholicis Principibus & Prælatis Regijs conferre noluerunt, sed congregationem suam in Maio 1593. prosecuti sunt, quo præter Legatum Pontificis, nomine Regis Hispan. venerat Dux Feriæ, qui quoque electionem noui Regis summoperè promouit, satis ostendens, auxilium omne hactenus Regno Galliæ, non Zelo Religionis, vti semper Hispani præ se ferebant, & protestabantur, præstitum esse. Cum omnibus viribus niteretur Conuentionem hanc trium Ordinum, promissis & muneribus, subornare, vt propositioni suæ consentirent. Hæ tales erant, nimirum, vt infans Regis Hispaniarum filia natu maxima, ex filia Gallica oriunda, & Ernestus Archidux Austriæ eam in vxorem ductura, in Reginam Regemque Galliæ eligerentur: vtputa qui potenti exercitu Belgium gubernaturus veniret: Regem Hispan. præterea subsidio ipsis millium duodecim millia peditum, & tria millia equitum, suis expensis, primo anno, & anno sequenti media parte, nunc taturum etiam in singulos menses Duci Mainio, in vsum suum & aliorum Nobilium duodecim mille coronatos. Id cum Conuentui displiceret (quamuis multæ occasiones quærerentur legem Salicam infringendi) consideratis maximis officijs defuncti Guisij, si forte succedere posset, proponunt iuniorem Guisium, cui despondaretur Infans Hispaniæ, & ita in Regem eligeretur. Hoc quamuis magis placeret, tamen propter violationem legis Salicæ, plurimi dissentiebant. Et animaduerti poterat, hæc non expresso mandato fieri, sed tentandi gratia, quomodo interpretata irent, & vt Guisius Regi irreconciliabilis redderetur, cui etiam cum suis fautoribus fideret. Tum quoque perspicuum erat, Regi Hispaniarum eo non satis aut rem gratam factam esse.

Infans Hispa. in Reginã Gal liæ eligenda proponitur, sed repudiatur.

Ernestus Gallis displicet, Guisius eligendus proponitur.

Hinc magnæ oriebantur Zelotypiæ, & simultates. Mainius enim consilio matris, sororis, & vxoris, nolebat sibi quemquam proferri, quin malebat Gubernationem eam, quam haberet retinere. Quare potissimum de inducijs tractabatur, quæ paulò pòst concessæ sunt.

Confusio & dissensio Confœderatorum Lutetiæ.

Huius confusionis & in legem Salicam (fœminarum successionem Regni interdicentem) affectionis causa, Parlamentum Parisiense, in conseruationem huius antiquæ & fundamentalis legis decretum publicarunt.

Eo tempore Legati Pontificis, Cardinalis Peluij literæ intercipiebantur, quibus ostendebat, in electione erratum esse, Hisp. proprio commodo nimis studuisse, idque non satis secretò. Ernestum quoq; magno exercitu, vti promissum fuerat, non aduenisse, sine quo de vtili aliqua electione desperandum, quare timore correptus Lutetia ipse discesserat.

Legatum Pontificis demonstrat errorem in electione Regis Parisijs cõmissum.

Enarrata confusione Confœderatorum in Comitijs Parisiensibus, scire expedit, quid Rex interea egerit. Is videns hostes suos magno numero Parisijs noui Regis eligendi gratia armatos conuenisse, & à suis Catholicis sæpius admonitus esset, se in Catholica Religione melius instituendi & doceri pateretur, alioquin non solum nunc de ipsius anima, sed etiam regno actum esse, si alius in ipsius locum substitueretur, idque maxime si auxilio Pontificis, Imperatoris, Regis Hispaniæ, eius filia cum Ernesto matrimonio iungeretur, & sic Regno potiretur; quo & Lex Salica violaretur, & familia sua Borbonica perpetuò à successione excluderetur. Quamobrem nó superesse alia media, pacificam Regni administrationem consequendi, & hostes suos confundendi, quam si in Religione meliorem institutionem admitteret.

Rex Gallie à Catholicis instruitur.

Digitized by Google

An. 1593. Quod nisi fieret, metuendum ne tertia quædam Factio exsurgeret, inter Principes sanguinis, & alios Officiarios, qui iuxta legem Salicam, ex familia Borbonica Regem aliquem Catholicum electuri essent, cui maxima pars Confœderatorum, & se sequentium adhæsura, & obeditura sit, & ita se cum suis Hugonotis derelictum iri. Nam non posse Catholicis persuaderi, Regem Catholicum ad plenam possessionem Regni peruenientem, ipsos defensurum (vti quidem promisisset) sed potius ipsorum auctoritatem diminiturum. Et cum Catholici numero essent plures, æquum esse, vt ipsis magis quam alijs gratificaretur.

Rationes quibus Rex permouendus ad cõuersionem.

Assentiebantur quoque quidam Religiosi, iudicantes, ea quæ in bonum finem, bonaque opinione fiunt, licere. Eodem modo & Politici sentiebant, confitentes abusus esse in Ecclesia, sed ante auctoritatem quærendam, quam Reformationem instituendam. Allegantes peccatum aliquot exiguum, maioris beneficij consequendi gratia, committi, idque facile apud fautores & Confœderatos suos excusari posse.

Eò solum subditis suis satisfacturum, si modo ipsum Missam audire viderent, crederet interim de ea quid, & quantum velit. Reformatos contentos fore, si horum beneficiorum participes fiant, nimirum libertatis status, Religionis, atque securitatis de ipsos non opprimendo, quæ omnes Principes Sanguinis, & Officiarijs ipsis iureiurando confirmare parati forent. Neque opus esse, affectionem erga ipsos fideles suos subiectos deponeret, sed continuaret, promittentes in generali Pacificatione, nihil sine ipsorum scitu actum tractatumue iri.

Principes & Respublicas in Italia, alios Catholicos ei fauentes, auxilium præstare non audere metu Pontificis: Catholicum autem sese ostendentem, æternum fœdus cum ipso contra Hispanum inituros.

Hæ aliæque rationes ad persuadendum ipsi propositæ sunt, quibus tandem permotus fuit. Ex zelo an humanæ fragilitate, cuique, vel potius Deo, ipsiusq; conscientiæ iudicandum relinquitur, in cuius manibus cor Regis est, prout ipsi visum, & peccata subditorum merentur. Qui naturam eius nouerunt, cupiditatem pacificè regnandi, & quasi paternam condolentiam miseriarum sui Regni maximè ipsum permouisse, vt qui cotidiè videret subditos suos occidi, in exilium mitti, ac ad extremam egestatem redigi, accedere potuit spes inimicos suos vincendi, confusione tali, qualis nunquam visa vel audita fuit.

Adiumento quoque fuerunt singulari, multorum doctissimorum, & eloquentissimorum Theologorum, ac Prælatorum, auctoritates, & in medium subtilia adducta argumenta. Ita Rex cum fuerit natura inconstantiore, accidit, vt in Iulio Sandionysij solenniter Missam audiuerit, palàm in Ecclesia pœnitentia, & Professione Religionis Catholicæ Romanæ facta.

Rex Galliæ audit Missam.

Scribit deinde 25. Iulij, se ab initio cum ad Regnum assumeretur, iuxta fidem datam sæpius conuocationem Prælatorum & Doctorum desiderasse: at machinationibus hostium semper impeditam fuisse. Nunc autem se gratia diuina sufficienter in fide instructum, eo die Sacrificium Missæ audiuisse, atque abundè cognouisse, Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam, veram esse Ecclesiam, plenam veritatis, quæ errare non posset. His & similibus se Catholicum ostendens. Qua de causa Dux Niuersius, è familia Mantuana, Princeps Catholicissimus, magnifico conductu Romam ad Pontificem Clementem VIII. mittitur. Qui illum non vt Legatum Regis Galliæ, sed suæ ipsius personæ causa audire voluit. De quo Niuersius Parisijs, anno 1594. libellum typis edidit, Pontifici longiorem terminum deliberandi concedens.

Rex Galliæ à Pontifice petit absolutionem sed negatur.

Hæc absolutio instinctu quorundam Cardinalium Hispanicorum à Pontifice totoque Cardinalium Collegio (cui Legatum conuenire prohibitum erat) denegata fuit, non obstante Catholicorum prudentissimi quique, Regem sincerè conuersum, sibi persuaderent, vt qui ex animi quadam leuitate, diù aberrasset, (parentes sui exemplum ante oculos ponendo, hæreticè viuentis, Catholicè morientis) & tandem se conuertisset. Et quamuis sese Catholicum vel maximè simularet, ipsos tamen nequaquam circumuenire posse, cum omnia Regis gesta dictaque, ipsis semper suspecta sint futura. Deinde, dedecus & damnum ipsum iterum relabi absterriturum, & eò modo omnes Principes Catholicos, qui ipsum eo permouerunt, denuò sese ipsi opposituros.

Italorum etiam præcipui Papæ idem consulebant, ne Regem irritaret, vt aliquid contra Romanam Catholicam sedem (cùm domus Borbonia Papæ ferè sit fatalis) moliatur, sed absolueret, quo perpetua inimicitia & diffidentia inter ipsum & cæteros suos Confœderatos Hugenotas gignatur, atque Catholici nunc dissidentes, hoc modo reconciliarentur.

Legatus Hispanicus Pontifici minatur.

Papa autem natura meticulosus, ob Regis Hispaniæ auctoritatem, absolutionem concedere non ausus fuit, cum Dux Sessanus Hispaniarum Regis Legatus, indies ipsi dira minaretur, scilicet Regem per continuam in Italia annonæ caritatem, Romam perditurum, prohibita omni eius aduectione ex Sicilia, Regno Neapolitano, & alijs suis Prouincijs. Insuper dissipationem

Digitized by Google

tionem inter Imperatorem & Papam, & ſchiſma inter Cardinales facturum, perſuadendo præſtare, vt Galliæ Regnum minuatur & diſsipetur, quod vi ſuorum Priuilegiorum ſemper Papæ obuerſatum fuerit. Papæ etiam Nepotibus Aldobrandinis (penes quos tum temporis multarum rerum gubernatio erat) valdè minatum, atque æterna Regis Hiſpaniæ inimicitia, niſi abſolutionem impedirent, denunciara ſuit. An. 1592.

Hæc Religionis Regis mutatio, maximam confuſionem & diſsidium inter ipſius aduerſarios peperit. Præcipui quique inter ſe zelotypia & æmularione laborabant. Hiſpani cum Gallis, & Galli cum Hiſpanis diſſentiebant. Legatus Papæ ignorans quid agere conduceret, Pariſijs diſcedit, & ipſi Papæ Regis abſolutionem committit. Maynius in Gubernatione perſeuerare ſtudens, Regi ſeſe reconciliabat. Rex omnibus demiſſum & beneuolum ſeſe exhibebat, vt ſubditorum corda ſibi deuincerit. Horum ſinguli ſibi valdè metuebant. Potentiores de firmiori loco ſibi proſpiciebant, vt tanto æquioribus conditionibus reconciliari poſſent. Hortabant ſe inuicem, ne quiſquam particulare pactum cum Rege inire tentaret, vniuerſalem reconciliationem nanſciſci ſperantes. Sed nihilominus quidà Nobiles & vrbes Regi ſeſe iungere inceperunt. Qui diù ſpe Abſolutionis & generalis Reconciliationis Papæ fruſtra lactati, plus Hiſpanos Regis hoſtes, apud Papam, quam ipſam Regis pœnitentiam, & Gallici Regni ſalutem valere, animaduertentes, ſiniſtram de Papa & eius geſtis, opinionem conceperunt. Multi, Papam politica Regna & Imperia, iudicare aut diſtribuere non poſſe. Sancti Bernhardi Galli, viri conſpicui ſuffragio aſſerebant, dicentis: *ſtetiſſe quidem iudicandos Apoſtolos lego: ſediſſe iudicantes nuſquam, &c.* Atque ita primò vrbs Meaux, & D. Vitry reconciliata. Deinde Lugdunum, quod D. Chaſtreus ſecutus, cum vrbe Aurelianenſi & Bituricenſi. Pariſijs Rex adminiculo Comitis Briſſacquij 22. Martij anno 1594. armatus (maxima ciuium parte inſcià) abſque vlla ſanguinis effuſione & depræ dationc, intrauit, hos Rotomagum & aliæ vrbes ſecutæ.

Confuſio Liſtarum.

Meaux, Lugdunum, Lutetia, Rothomagum je Regi declarant.

Regina Angliæ, & Vnitarum Prouinciarum Ordines, cum de tali Regis propoſito, literis ac declarationibus certiores eſſent tacti, Regis Legatis id excuſantibus, reſponderunt. Etiamſi talem mutationem cum dolore perciperent, tamen vt Confœderationes cum ipſo continuarent, omnem ipſi operam ac ſubſidium præſtare non deſtituros. Regina ingentem exercitum ad Normandiæ & Britanniæ recuperationem, ipſi ſuppeditare promiſerat. Ordines Belgij vltra 2000. milites, quos ſuis ſumptibus ſub Comite Philippo Naſſouio miſerant, & Regi quinque menſes militarànt. Hoc anno tribus vicibus, ter centena millia florenorum ipſi numerarunt, & præter hæc naues bellicas, aliquotics magno numero ablegarunt, bis, 12. tormenta bellica ad muros confringendos apta ſuppeditarunt, cum omnibus munitionibus ad ea requiſitis, & tormentarijs, qui artificioſè & ſubtiliter ijs vti poterant.

Regina Angliæ, & Ordines Prouinciarum Belgicarum in ſedere Regis permanent.

Hæc tanto promptiores præſtiterunt, quod Archiducis Erneſti aduentus ipſis non paruam faceret admirationem, tantum Heroem Imperatori, & Regi Hiſpaniæ facilè æqualem & conſanguineũ, ad exiguam Belgij portionem ſubigendà aduenire, & ad eius aduentum ingentem exercitum vndique conſcribi; deinde quia nuptiæ inter Regis Hiſpaniæ filiam, & Regem Galliæ denegatæ eſſent. Quæ omnia optimè de Regis fidelitate, ac probitate, ſibi promittere eſſiciebant, etiamſi in religione variaſſe. Quod quidam pro ſubtili quadam gubernandi ratione, quidam pro leuitate habebant.

Duces, & Reſpublicæ Italiæ ipſi etiam pecunia adſtiterunt. Dux Lotharingius neutralem ſe præbiturum pro tempore promiſit, idque per Ducem Bullioneum, Galliæ Mariſchalcum, & quod maximam confuſionem Ligiſtarum & Hiſpanorum cognoſceret, ſperans ſe commodè Regi reconciliare poſſe.

Dux Saubaudus inducias pro tempore petijt, atque deinde vt extenderentur pecunias contribuit, ſtudens ſucceſſu temporis Gallos ſuo territorio, Hiſpanorum ſubſidio expellere.

Rege in Religione mutato, etiam Reformatæ religionis addicti, maximo dolore ac tremore percellebantur, ac ipſe Rex metuens, ne inde nouæ turbæ naſcerentur, Synodis ipſorum, beneuolentiam ac fidelitatem ſuam declarauit, ac deputatos ad ſe mitti iuſsit, ijs ſecuritatem pollicendo. Synodi ſingularum Prouinciarum, de ea re conſultarunt, & præſtantes deputatos, omnium Eccleſiarum nomine, ad Regem ablegarunt. Horum præcipui erant, Dominus Roſanius, Pleſſæus, Sanſayus, Roſinus, & Freaſinius, cum 146. alijs deputatis. Hi 12. Decembris Mantæ à Rege exauditi, vbi D. Fedeauius orationem habuit, & quærelas expoſuit. Cui Rex ipſe perbenigne reſpondit: Catholicam ſuam cõuerſionem minimè affectum ſuum, aut paternam voluntatem erga illos, aboleuiſſe. Cumque iam de Pacificatione cum ſubditis ſuis trangere decreuiſſet, ipſos etiã accerſere voluiſſet, ne aliquid in ipſorum præiudicium ibi fortè concludatur: ſequens promiſsiones Principum ſibi ſanguine iunctorum, & Officiariorũ coronæ, qui iuramento promiſerant, nihil contra Reformatos ſe attentaturos. Ideoque vt omnia ad pacem & quietem redicantur & conſeruentur, ipſorum petitiones ac grauamina audire conſultum duxit. Id etiamſi quidam impedire ſtudeant, nihil tamen profecturos, ſed eos punitos iri,

An. 1593. cui rei Catholici fui operam ſuam ſibi etiam præſtare ſunt deuincti. Nam tali conditione cum ipſis tranſactum eſſe, vt promiſsiones Reformatis, & Confœderatis factas, præſtare ipſi adiuuent, nec Reformatos à ſe vllo modo ſeparent.

Varia ſtratagemata eſt ſa in Belgio.

Interea temporis in Belgio vtrinq; varia inſtituta ſtratagemata, Equites Bredanenſes menſe Auguſt. cõmeatum ducentes, ab Hiſpanis prope Traiectum ad Moſam ex parte cædũtur. Breui iterum 18. equites Bergezomenſes, in itinere quodam, 2. Germanorũ militum vexillis, obuiam fiebant, equites loci oportunitatem præripientes, Germanos aſsilierunt, & tandem diſsiparunt, ac Officiarios captiuos Bredam, & vexilla Hagam Comitis, ad Mauricium abduxerunt.

Prædidiarij Ducatus Geldriæ, in Nouemb. excurſionem in regionem Limburgenſem faciebant, multa loca flãmis perdentes, multum panni aliarumq; rerum deprædantes, ſæpius nouos ibi conſcriptos exercitus diſſepabant, qui è Germania & Italia iſtuc ad locum Cenſorium confluxerant, & in Archiducis Erneſti aduentũ collecti erant, ij Herenthalum in Brabantiam refugere tentabant, ſed priuſquã eò peruenirent, cæſi plerique & repulſi, reliqui dimiſsi: inter quos, Equitum Magiſtri, Lanckharius & Vierſlotius, qui Gertrudebergam Hiſpanis tradiderant, poſteà à Mansfeldio dimiſsi, ſucceſſu temporis ab Ordinibus in gratiã recepti, & tunc cum quibuſdam militibus circa id tẽpus, præſidiarios Mœrſenſes cæderunt, & deinde cum alijs Svvartzenbergiũ, qui 700. tam equites quam pedites, etiam in Erneſti aduentũ collegerat, ex improuiſo obruerunt, Svvartzenburgum è feneſtra proſilire & euadere cogerunt, relictis pecunijs, veſtibus & impedimentis, cum multis equis. Tres Capitaneos, & duos Vicarios, cum alijs quibuſdam cœperunt, duos pagos Hertzogentrat/ & Herſttani ſpoliantes. Contra ipſius Mauricij turma equitum in Brabantia cæla, vexillum ereptum, ſed Capitaneus euaſit.

Schwartzenbergius cedit.

Mansfeldius in Sept. è Brabantia in Flandriam, multos milites ablegauerat, vel vt tumultuoſos Hiſpanos compeſceret, vel aliquid contra Caletum tentaret. Cuius vrbis prior Gubernator D. Gordanus, tum temporis obierat, & Grauelingam in vicina multa tormenta bellica conuehebantur. Quare nouo Gubernatori, D. Vindocentio, à Regis ſui Confœderatoribus, omnia adminicula & ſubſidia, tam ex Anglia, quã ex Zelandia fuerunt oblata, & promiſſa. Oſtendani etiam obſidionem metuebãt, ideoque è Selandia ipſis plures Præfidiarij milites ſuppeditabantur, etiam Angli quidã è Normandia venientes, iſtuc appulerunt, & intromiſſi ſunt, ideo quod iſtius vrbis Gubernatio Anglis ſub D. Noritſio ſit demandata, qui vrbem firmius muniuerat quidem, ſed incouſideratè quoſdam aggeres perfodiendo, vrbs ab inundationẽ maximum damnum paſſa eſt.

Mauricius ſtratagema inſtituit vrbi Brugenſi.

Mauricius hac hyeme ſub finem Nouemb. ſecretum in Brugas ſtratagema inſtituerat, prope VVilm ſtadium ſubitò maximas copias, & inſtrumenta bellica collegerat, & 250. nauibus nocte intra Sluſam & Blanckenbergam ad Flandrica littora appulit. Comes Solmenſis cum paucis militibus primas in procedendo partes tenebat, qui intra Brugas Dammam peruenit, reliqui alijs conductoribus, aliam & ab aquis tutiorem viam inuenire putabãt, ſed hincinde in maximis tenebris oberrantes ad ſuos conductores redire non potuerunt, qua re valdè perculſi ſunt, præcipuè Scoti qui traditos ſe eſſe putabant. Mauricius ipſe cum ſex alijs Comitib. paquas (magno ſubmergendi periculo) viam quæſiuit. Diluculo tandem facto, tympano ſuos ad naues reuocauit, à quibus non altra ſemimiliare per totam noctem profecti, aberant. Non longe ab ipſis Hiſpani Propugnaculum habebant, cuius præſidiarij cum tumultũ audirent, tormento & igne inceſſo ſignum ſuis ediderunt. Comes Solmenſis diù exſpectans, nec quemquam reliquorum ipſum inſequi cognoſcens, cum indignatione, quod tam ſecurum ſtratagema non procederet, regredi ctiam fuit coactus. Acita omnes re infecta in Zelandiã magno maris periculo, & quorundam ſuorum iactura ſe receperunt.

Mansfeldius Zelãdiam intrare conatur.

Circa id tempus Mansfeldius, Inſulas Tergoeſam & Ziriczeam, inuadere conabatur, idque opera alicuius Ioannis Antonij, Ruſtici prædiuitis, & Aggerum Præpoſiti; qui nocturno tempore è lecto ſublatus, & captiuus abductus erat, proque redemptionis pretio 5000. florenorum hoſtes poſtulabant. Idcum perſoluere ſe poſſe abnegaret, & deminutionem peteret, propoſuerunt ipſi, vt ſecretam aliquam per aquas viam ipſis demonſtraret, & Mansfeldij milites in prædictas Inſulas traduceret, vti Mondragonius olim fecerat. Ioannes Antonij, ea conditione acceptata dimiſſus, & in patriam reuerſus, bis ob traditionis ſuſpicionem apprehenſus eſt: verùm cum nullis argumentis aut teſtimonijs conuinci poſſet, iterum relaxatus fuit. Tertio ab Italo quodam tranſfug, acirca id tempus cum rem perficere inſtituerat accuſatus, deprehenſus, conuictus, & Middelburgi decollatus eſt.

Tempeſtas in mari.

Hollandi & Zelandi, hocbiennio plurimas naues cum frumento in Italiam miſerant, adeò vt vno anno Venetiam, Genuam & Neapolim plus quam 40. naues velificarent. Et iterum in Decemb. prope Teſſelam Inſulam 140. naues paratæ & onuſtæ, inibi venti oportunitatem exſpectabant, verſus ſeptentrionem nauigaturi, interim tanta ſuborta tempeſtas, vt plus quam quadraginta naues, anchoris diſruptis, à fluctibus ſurſum verſum actæ fuerint, harum quædam

cum

cum multis hominibus, submersæ, quædam etiam scopulis illisæ, laceratæ & contusæ sunt. His similia naufragia, aliis in locis etiam contigerunt. An 1592.

Archiducis Ernesti aduentus in Belgiū.

Interea Archidux Ernestus, senior Imperatoris Rodulphi frater, diù multumque ad Belgij Gubernationem expectatus, aduenit. Ipsi obuiā ablegati, nonus Comes Soreus, è familia Molembayanæ, Gubernator vrbis Tornacensis, maritus Viduæ Marchionis Rentinij, & Comitis Montigni. Dominus Diego Pimentellius Hispanus, & alij. Mansfeldius Luxenbergi ipsum exspectauit, & magnificè 17. Ian. 1594. cum excepit, & Namurcum ad Barlemontiū deduxit, à quo itidem magnificè exceptus: tandem 30. Ianu. 1500. Nobilibus diuersarum Nationum planè Regie Bruxellam aduenit, vbi à ciuibus in vrbem conducitus, & pomposè exceptus. Ipsum comitati, Episcopus Colonienſis, & Marchio Eduardus Badenſis, alijque Germani Optimates. Bruxellenſes in honorem & gratulationem ipsius arcus triumphales extruxerunt, qui ordine omnes Imperatores è domo Austriaca repræsentabant. Deinde alijs theatris, & figuris insignibus significabant, quam magna spes esset, ipsius Gubernationem pacem allaturam. Hisce in rebus nullis parcitum sumptibus, sed omnia tam regaliter celebrata, quasi Rex ipse fuisset introducendus. Archidux Ernestus deinde Commissionem suam Prouincialibus exhibuit, & Gubernationem suscepit. *Introitus Bruxellæ.*

Ordines vnitarum Prouinciarum, primo quidem Ernesti aduentu aliquantū formidabant, & male suspicabantur ob maximam vbiq; omnium rerum præparationem, & militum vbique collectionem; Postea verò milites ante delectum partim dissipari, partim inopia aufugere, Ernestum etiā in Regem Galliæ nō promoueri, comperientes, feliciorem suarū rerum successum sibi promiserunt, & minus ipsius aduētum veriti sunt, cum scirent eum Belgicæ Gubernationis inexpertum & rudem, nimisq; excelsum, vt qui sibi ab alijs absq; interna discordia & ambitione imperari non pateretur. Viciniores Reges & Principes, putabant ipsum initio neutralem se præbiturum, & Legatos ad sese missuros, qui de reconciliatione & Pacificatione tractarent, vt ipsi de aduentu suo etiam congratularentur, sed horum nihil factum fuit.

Superiori libro recensuimus, Ordines Steen v vicam & Couordam, ad Græningensium coercitionem expugnasse, Græningenses itaque omnibus vijs commeatum recipiendi præclusis, & vna per Bourtangam tantum relicta, eam sibi etiam breui eripi, metuentes, tam Mansfeldio quam Imper. Rodulpho literis, & per Legatos suam angustiam & extremā necessitatem significabant. Et quàm sincerè & prompte hucusque vitam & facultates pro Catholica Religione, & Regis Hisp. seruitio, maximis periculis expositerint, deplorando explicabant, quotq; an. 1536. conditione protectionis domui Austriacæ & Burgundicæ sese submiserint, quæ ipsis quoq; Iuramento promissa sit. Demonstrantes, tandem (vti ex interceptis ipsorum literis patuit) ipsis iam ad extremum redactis succurrēdum esse; nec hoc alio modo fieri posse, quàm castris planè Regalibus & potentissimis, quæ inferiorem Ducem, quam Carolum Mansfeldium ipsum non requirerent: quibus omnibus antea quidem longe facilius mederi & præuenīri potuisset, talia & similia plura referentes. *Græninga conqueritur apud Cæsarem.*

Imperator vltis ipsorum quęrelis instanter Pragę 19. Decemb. ipsorum nomine Regi Hisp. scripsit, qui 20. April. 1593. ex Aula sua Etcuriali, rescribendo, Imperatori summas gratias agit ob suā de Græningensium salute, cura, & solicitudine, sesque Gubernatori Mansfeldio omninō in mandatis dedisse, vt fidelibus suis subditis Græningensibus, præ omnibus alijs opem, solatiū & subsidium quodcunq; necessarium ferret, quo se in extrema hac calamitate tueri possent, pro vt idipsum præsens necessitas postulare, & eorūdem constantia, patientia ac fidelitas mererivi derentur. Qui sibi vt Dēo Regi suo à natura & Deo dato, infatigata constantia, obedientia ac fortitudine, cōtra omnes suos rebelles adhæserint, & sic iure præ alijs amore ac gratia adiuuari meruerint. Ideirco, quamuis antea Mansfeldio id cōmitisset, & eundem apparatum omnem facere, & omnia quæ ad seriam huius vrbis liberationem pertinent, procurare cognouisset, nihilominus tamen se noua, & quidem ampliora daturum mandata, vt statim absq; vlla mora exercitum moueat, & Græningensibus opituletur. Mansfeldius autem maioribus implicitus occupationibus, tandem Verdugoni Regis in Frisia Gubernatori, ante portas Græningensis 600. militibus stipato 1560. pedites, & quosdam equites sub Comitibus Bergensibus Hermanno & Friderico, subsidio misit. Sed hisce copijs parum proficere, nec V Vilhelmi Nassouij propositū impediri potuit. Qui inter alia cum copijs suis omnibus requisitis instructus, 6. Apr. 1593. Oostmahorna Reidam e regione Embdæ, nauigauit: postero die prope Bellinck vvolderzielam venit, eam 8. Apr. munire cœpit, vt viam Bourtangēsem tanto melius præcludere posset. E contra Verdugo, Vlachtvvolda: 1000. peditibus, & 200. equitibus se ostentabat, & continuò V Vynschoterzielam properat, equitesq; cum peditibus, qui prope Græningam faerant, 9. April. remisit: Nassouium autem impedire, nec ausus, nec potuit, qui tam exercitu quam opportunitate loci satis munitus erat: adeò vt recedere, nihil expediendo cogeretur. Comes V Vilhelmus rebi vtcunque confecta, quasdam copias Comiti Mauricio Fratrueli suo ad obsidionem Gertrudenbergensem mittebat. *Imper. Græningensium seruitia ad Regem.* *V Vilhelmus Nassouius fortificat Bellingwoldeziclam.*

Digitized by Google

An. 1593. Verdugo Comitem VVilhelmú ſe impedire nõ poſſe ratus. Couerdam & Oetmarſſum coangustare tentauit. Sed quia Ordines generales ciborum & victuum euectionem, ad loca neutralia inhibuerant, penuria preſſus, caſtra è Drentha mouere coactus, inde Harem verſus, regredi ens, vbi 3000. peditum, 800. equitum ſecum habebat. Comes VVilhelmus verò, Nienortam duo miliaria à Groeninga venit, vterque plures ibi copias exſpectans.

Continuo ac Comes VVilhelmus poſt deditionem Gertrudenbergenſem à Comite Mauricio, 20. vexilla peditum, & 11. turmas equitum accepiſſet, in Auguſto Gramsbergam, & alia munimenta complura 6. tormentis cõcuſſit, & ſuperauit, qui Couerdam & Oetmarſum liberiores redderet, & de omnib. proſpiceret. Inde per paludes ad arcem VVeddam prope Bourtangam progreſſus, 27. Auguſti tormenta diſpoſuit, ſed priuſquam ijs vti cœpiſſet, iſti arcem & alij vicinum ad flumen ſitum Propugnaculum, conditionibus dediderunt, vt abſque armis cum impedimentis ſolummodo exirent: quo facto Præſidiarij VVinſchotani etiam ſponte aufugerunt.

VVilhelmus Naſſouius occupat arcem VVeddanam & viã Bourtangenſem. Atque ita Comes VVilhelmus viam per Bourtangam planè occupauit, occluſit, ac priuſquam Verdugo à Mansfeldio plus ſubſidij acciperet, firmiter muniuit. Mansfeldius ſub Comite Fridorico Bergenſe 2400. pedites, 800. equites, 8. tormenta, 200. currus (exceptis 300. equitibus ſub Vicario Verdugonis) eò mittebat, qui tum temporis in Ducatu Iuliacenſi Bragtæ commorabantur, & immorigeros ſeſe præbebant. Eos tamen Verdugonis Vicarius, blandis promiſsis, progredi faciebat. Profecti itaque verſus Bocholtam, inde Lingenam 5. Septemb. aduenientes, plures copias Namurco exſpectabant, quæ Ruremondam ex parte iam peruenerant. Ordines hoc reſciſcentes, Franciſcum Vere Anglorum Præfectum Zutphaniam 4. vexillis peditum, & 2. turmis equitum, ad omnem in Veluvvam irruptionem præcauendam abligarunt.

Fridericus Comes Bergẽſis. Comes Fridericus cum ſuo exercitu verſus Bourtangam tendebat, quam viam non inueniens, reduxit in Tvventam, vbi Oetmarſum obſedit. Quod 13. Sept. ſex tormentis, à diluculo vſque ad meridiem concuſſo, & vallo turbato, ſuperauit, Capitaneos, Vicarios, Signiferos, & Officiarios captiuos reddidit, milites cæteros gregarios, abſque armis vllis, aut impedimentis exire, & ſex menſium ſpacio in Friſia non militare, coegit.

Oetmarſa recuperata, ad Verdugonem Nortlaram tendit. Comes Fridericus, inde Schutendiepam traijciens Slogteram, tribus tormentis, per paludes tranſuectis pergit, plura à Groeningenſibus tormenta ſibi commodari cupiens, quod tamen ipſi denegatum. Prope Groeningam itaque veniens, furibunde & fortiter Propugnaculum Avvarderzielam ad Diepam Groeningenſem ſitum, ter aſſultat, vnde bis viriliter repulſi, tertia vice expugnauit, omnes Præſidiarios trucidans. Inde Slogteram, & Slogiera VVeddam, deuenit, eamque vi ſuperauit, 117. militibus occiſis, ac tandem Munimentum in Bourtanga obſedit.

Comes VVilhelmus, Oetmarſum ſuperatum, & holtem potentiorem ad Verdugonem tendere animaduertens, ne in Friſiam irrumperent, veritus, cum copijs ſuis Leekam receſsit, & Slogteram, VVinſchotam, VVeddam, & exiguum Propugnaculum ad flumen ſitum, contra tormentorũ vim diù reſiſtere non poſſe cognoſcens, militi eò ſtrenuiſsima mandata, ne vllum horum dederent, priuſquam tormenta ſint diſpoſita, vt ita Comes Fridericus à progreſſu aliquandiù impediretur, & inter Bourtanga firmius muniretur.

Deſcriptio Propugnaculi in Bourtanga. Propugnaculum hoc ante obſidionem mediocriter erat munitũ & exſtructum, ac ſitu loci ita poſitum, vt tormenta vix ab vlla parte adduci poſſent. Valla, haſta altitudine foſſæ, latitudine 80. pedũ, & profundæ admodum erant, habebant quinque Propugnacula angularia, quorũ duo hoſtem reſpiciebant. Armamentarium militum tuguria iam parata, & de omnibus pro bimeſtre benè proſpectum. Quotidie etiam è VVeſtphalia neceſſaria ſua, abſque hoſtium impedimento conquirere poterant, niſi aut plures copias haberent, aut per Comitatum Benthemenſem regrederentur, quorum alterum ſi facerent. Comes VVilhelmus interim melius ipſis de omnibus prouidere poſſet. In præſidio erant 5. vexilla peditum, ſub Gubernatore Gerhardo Iunio. Iſtud munimentum ſi conſeruare poſſent, de Groeningenſium deditione non dubitabant.

Quocirca Comes VVilhelmus Verdugonem potentiorem, & Hermannum Comitem Bergenſem pluribus copijs euocatum ſciens, nullibi in campum turo prodire audebat. Hic etiam ſubſidium à Franciſco Vere, & alijs indies exſpectabat. Mauricius etiam ſi neceſsitas vrgeret, ſe cum exercitu quodam ipſi opitulaturum promiſerat.

Groeningenſes à Verdugone poſtulabant, vt exercitum ſuũ in duas partes diſtribueret, & ſimul Reydam & Bellinckvvolderzielam obſideret, vt eo commeatum ad Bourtangam impediret, ad id ſex maiora tormenta ipſi offerentes. Verdugo autem id haud tutum aut conſultum duxit, metuens, ne Comes VVilhelmus fortè Slogteram præcurrens, ipſi viam Groeningenſem intercluderet, tormenta arreſtaret, & in obſidione ipſum cotidie aſsiliret, vbi equitibus vti non poſſet ad defenſionem.

Verdugo obſi. Quare ad munimentum Bourtangæ pergebat, vbi paulò pòſt victus penuria laborans, ex abrupto

abrupto obſidionem ſoluit, Couerdam ſe tẽdere ſimulans, interim iter ſuum Græningam verſus callidè inſtituens, inde ex improuiſo Comitis VVilhelmi caſtra, ſub Octobr. initiũ obruere cogitabat. Quod facilè factu fuiſſet, niſi miles aliquis è Propugnaculo quodam, quod Verdugo præteribat, ad Comitis VVilhelmi caſtra ſe ſubduxiſſet, & ipſos præmonuiſſet. Quo facto ad arma conclamatum, omnes in ordinem redacti & diſpoſiti fuerunt, & hoſtem plus teli iactu à ſe ſex aut ſeptem horas ad veſperam vſque conſligendo & velitando arcuerunt. Verdugo, Comitem VVilhelmum, à ſepimentis ſuis euocare, & ad apertum conflictum inuitare omnibus modis tentauit, ſed Comes VVilhelmus locum ſuum deſerere recuſauit: quo Verdugo tandem Græningam, magna ſuorum per continuas velitationes, iactura recedere fuit coactus. Comes VVilhelmus etiam vnum Capitaneum, & quoſdam egregios milites amiſit. Præfectus Balfourius Scotus, in pede ſclopeto ictus, & multi alij vulnerati ſunt.

Aduentum Sourtangẽſem reſcire nequit, & proſilire tentat.

Verdugo contra Comitis VVilhelmi caſtra nihil ſe proficere poſſe, & hyemem appropinquare, omnesque rusticos è cõtiguis regionibus, & Drenthę in vrbes migraſſe, & nihil ruri pro militibus ſupereſſe comperiens, Couordam viam conſuetã exercitum ſuum reduxit, & per paludes aliam viminibus contextis & arena effoſſa, viam ſtrauit, quo ad aliam Couordæ partem terræ firmioris & altioris veniret, ibi quatuor aut quinque munimenta, ex quorundam Nobilium domicilijs, Satrapæ, nimirum Campij, & Steenvvichij confecit, & caſtra ibi poſuit, quo viam Græningenſem facilius tutari, & Couordam coanguſtare poſſet. In qua tum temporis pro aliquot menſibus, neceſſaria erant. In caſtris autem, quod in paludoſo, & inſalubri loco, & putrido cælo eſſent locata, circiter 2000. iſta hyeme, numerati ſunt obiiſſe. Reliquos ſuperſtites Oldenzelam, remiſit, vbi calamitate, penuria ac morbo exenterati, maxima ex parte, tam equites quam pedites fugerunt, 2000. Lotharingis, 400. tantum incolumes reuerſi, è ſeptem vexillis VValonum, tam pauci ſupererant, vt ipſa vexilla curribus imponerent, nec volare ſinerent. Ipſe autem Lingenam diſceſſit, vt recentem ſub Lauvvenbergio, Saxoniæ Duce Iuniore conſcriptam Legionem iſtic reciperet, & tuto eos adduceret. Sed priuſquam aduenifſet, Præfidiarij Doetecomenſes, Lochimenſes & alij, quatuor ipſorum vexilla diſiparunt, & Summum Legionis vicarium Diſtelingum captiuum abduxerant, centum in loco cœſis, reliquis fugatis. Interea Verdugo, & Comes Hermannus Bergenſis, conſolatorias ad Græningenſes, literas, & ab Ordinum militibus interceptas, emiſerunt, hortando bono animo eſſe velint, ipſos in Brabantiam receſſuros, maiora ſubſidia ab Erneſto impetraturos.

Verdugonis copiæ diſſipantur.

VVilhelmus Naſſouius à hoſtibus ſuis iam planè liberatus, partem ſuorum ad præſidia, partem Viſſitam ad viam in Friſiam contra hoſtem retinendam, remiſit. Ipſe autem Soldkampi, nauescum 3000. ingreſſus, Belluickvvelderzielam ad arcem VVeddam recuperandam, & nouum in Bourtanga Munimentum perficiendum nauigabat, atque omnia præparabat, vt futura hyeme, aquis & palubibus concretis, Couordenſibus commeatum aduehere poſſet. Græningenſes commeatum Couordam ad Verdugonis caſtra deuehentes, à Philippo Naſſouio 500. equitibus, fuerunt in inſidijs exſpectati, ſed cũ hoc ſtratagema præmaturè detegeretur, factum eſt, vt tantum 50. currus onuſtos, acciperet, & reliqui euaderent.

Græningenſes tentãt Deiffziel, ſed ſine fine.

Durante hoc gelu. Græningenſes 12. Februarij, nocte Delffzielam obruere tentabant, parumque aberat quin feliciter hoc ſucceſſiſſet: nam magno numero, per aggerem aliquem foſſa carentem iam ad Propugnaculum deuenerant, & ſepimentum aliquod palis contextum ſolum modo ferra confringendũ reſtabat, quod etiam ſine ſtrepitu confregerant, vallum aſcenderãt, & propugnaculum abſque vllo tumultu intrarant. Vbi deinde vtrinque acriter pugnatum eſt, ita vt Præſidiarij ex improuiſo obruti, tandem deuicti fuiſſent, & expulſi, niſi ante Propugnaculum nauis aliqua militaris fuiſſet, quæ tumultu audito, propius accedebat, & 16. tormentis in expugnantes eiaculata eſſet, vt refugere maxima clade accepta cogerentur, & 37. Rhedas cadueribus cæſorum & vulneratorum onuſtas, ſecum abduceret. Præfidiarij veteranum & ſtrenuiſſimum quendam Capitaneum, & 15. aut ſedecim alios milites amittebant.

Ordines Confœderati colligunt nouas copias.

Couorda iam per tempus aliquod circumiacentibus munimentis preſſa & coarctata, vt parum per glaciem inferri poſſet, vnitarum Prouinciarum Ordines in Germania, in Comitatu Naſſouiorum & vicinorum Cõmitum, ſub Iuniori Comite Solmenſi nouam Legionem peditum, & quoſdam equites colligi fecreto curarunt. Regina etiam in Anglia ſub equite Franciſco Vere, nouam peditum Legionem conſcribi permiſit. Prima temporis oportunitate oblata, eximium bellum ſuſcipere proponentes.

Verdugo & Comes Hermannus è diuerſo, Bruxellæ ab Erneſto ampliora ſubſidia ſollicitabant. Græningenſes argentea munera, & 20. generoſos equos ipſi miſerant, ſed ab Ordinum militibus in itinere intercipiebantur.

Comes Mauricius cum exercitu fratrem Traiectũ ſuperum.

Comes Mauricius in Februario cohortes quaſdam euocabat, & ſtratagema in Buſcumducis aſtutia quadam ſimulabat, quo non ſuccedente, plura ſe moliri finxit, vt ita Hiſpanos in Brabantia commorari, & de Friſia nihil mali ſuſpicari facerent. Nihilominus tamen Traiectum ſuperius

Digitized by Google

An. 1593. perius inuadere. 20. Martij cogitabat. Quare eò cum bona parte exercitus proficiſcebatur, remque prudenter & ingenioſè inuentam, tentabat quidem, ſed ob quorundam puſillanimitatem nihil ſecutum eſt. Mauricius prætextu cuiuſdam excurſionis, vltra dictum Traiectum inſtitutæ, 600. milites, certo quodà loco naues clàm ingredi iuſſerat. Hi nauem ingreſſi, Moſam ſecundo flumine deſcenderunt, & Traiectum ad ripam VVikanam, in qua tantum 200. Hiſpani erant in præſidio, abſque vlla ſuſpicione appulerunt. Capitanei horum militum, ciues quoſdam ad ſe veniẽtes in nauẽ, num aliqua mutatio & de ipſis ſuſpicio eſſet, interrogarunt, qui nullam planè reſponderunt, ſed quædam tormenta in vrbe tranſpoſita & tranſuecta eſſe. Quod quibuſdam valdè fuit ſuſpicioſum, metuentes, ne ipſorum ſtratagema ciuibus innotuiſſet, alij contra rem aggredi hortabantur. Sed formidoloſi quidam anchorarum rudentes diſſecabant, vt naues ſecundo flumine deſcenderent, non ſine magna reliquorũ diſcordia & vituperatione. Mauricius hæc animaduertens, cum ſumma animi indignatione recedere, & occaſionem optimè inſtitutam omittere coactus fuit. Culpa duobus Capitaneis VVingardio & Proppio Scoto imputabatur, quorum vterque culpam à ſe in alterum transferebat.

Hoc ſtratagemate non ſuccedẽte, Mauricius cum omni ſuo equitatu, & 25. vexillis peditum Arnhemium, ad Comitem Solmenſem Nepotem ſuum, vt recentem Germanorum Legionem luſtraret proficiſcebatur, quorum aduentus multum per fluuiorum altitudinem, & viarum difficultatem remoratus erat. Verdugo etiam ipſos profligare gnauiter laborabat. Cùm prope Lippam in viam quandam arctam venirent, obruere eos vndecim equitum turmis, & quibuſdam peditibus ſtatuerat, ſed ſerò & fruſtra (cum iam prẽteriſſent) venit. Hiſce recentibus militibus Iſſelortam aduenientibus reliqui vicini Præſidiarij, Svvollam conuenire iuſſi ſunt, quo Mauricius tandem vna cum ſuis ad Couordam obſidione liberandã aduenit. Quod ſuſpicans, Erneſtus quoſdam cohortes è Brabantia ſubſidio miſerat, quos Mauricius Rhenum tranſire ſe prohibere velle ſimulauit. Interim repente Comes VVilhelmus Naſſouius, iam mille currus omnibus neceſſarijs onuſtos, & decem millia peditum, & duo millia equitum, optimè inſtructorum conquiſierat. Hi omnes 6. Maij Ommenam conuenerunt, & inde milites quadrata acie, cum haſtis vtrinq; acutis, quas equites Friſiacos appellabant, rectà Couordam procedebant, vbi Verdugo, ab hac arcis parte verſus Hardenbergam cum omni Regio exercitu etiam in acie ſeſe oſtentabat. Mauricius in conſpectum Couordæ veniens, ingentem copiam viminũ, faſciculorum, aliarumque rerum neceſſariarum adduci iuſſit, & Couordæ per paludes annona ſuccurrere, ſimul etiam hoſtium caſtra oppugnare, & prœlium committere ſtatuit. Hocà Verdugone cognito, cum ſuis de clandeſtino diſceſſum conſilium inijt, cum ob omnium rerum penuriam, & inter Officiarios & milites diſcordiam, tum quod ſubſidium, niſi ſe ancipite & apertæ Martis aleæ committeret, impedire non poſſe videret. Nocte itaque 7. Maij, tubis tympanisque omninò ſilentibus obſidionem ſoluit, & munimenta circumquaque reliquit, ac cum veteranis ſuis, & Chymaij, Arenbergij, Hermanni & Friderici Bergenſis Legionibus, Lingenã multis in via fugientibus, ſeſe ſubduxit. Quo facto Couordæ ſubuentum eſt, & circumiacentia munimenta præſidijs firmata fuerunt.

Mauricius obſidet Græningam.

Couordà ita hoſtium fuga ab obſidione liberatà, Mauricius ad territorium Græningenſe (quo quidam Verdũgio rum militum confugerant) cum omni exercitu progreſſus eſt, ibidemque Metropolim Græningam 20. May cinxit & obſedit, nec mora facta, miſſo ſeciali deditionem poſtulauit. Oppidani magnanimitatem & fortitudiné præ ſe ferentes, intrepidè reſponderunt; inuſitatum & indecorum eſſe, eiuſmodi vrbem tam cito dedere, idcirco poſt anni, dierumque obſidionem vrbem ſibi dedi poſſularet, tunc ſe de ea deliberaturos. Hoc reſponſo ad Mauricium relato, continuò, alleres, ſectiles, tabulas, canterios, trabes, crates, aliaſq; materias, immenſa copia è nauibus comportari iuſſit, quibus paluſtria loca Septentrionem verſus, ſterni iuſſit, peruiaque reddidit, & multas prætenturas munitionesque tumultuario mox opere excitauit, quibus ciuium excurſiones impedirentur, & commeatum aliumq; apparatum bellicum, qui partim per mare Germanicum, partim ex Amaſi aduehebatur, interciperet. Caſtra ipſa (quæ 140. vexillis peditum conſtabant) à meridiè, qua in Drentham itur, extra teli iactum col locauit. Equitatum ſuum, in locis periculoſis & hoſtibus proximis, Couordæ, Steenvvicæ, & in Bourtanga, poſt ſe reliquit, qui hoſti aditum è longinquo prohiberent, & vias circumquaq; tutarentur, ne facilis ad ipſum eſſet acceſſus.

Munimentum Auricenſi occupatum.

Comes VVilhelmus Naſſouius, octo peditum ex Legionibus VVeſtfriſiæ delectorum, vexillis munitionem Auvvardzielam à Regijs ad Cataractam exſtructum, obſedit, oppugnauitque. Præfidiarij circiter centum & triginta, fortiſſimè ſeſe defenderunt, & in hoſtem non leui eorum damno eiaculati ſunt. Ab vnà parte quinque centuriæ cum pontibus natantibus & ſcalis ad ſcandendum aptis ſtabant. Eos dum obſeruant & exſpectant Præſidiarij comportantes, omnia ad defenſionem neceſſaria, aliæ tres centuriæ ab altera parte per paludes & vliginoſos campos, ſtratis cratibus & aſſeribus ad munitionem vſque (præſidiarijs nihil tale ſuſpicantibus) peruenerunt.

Mox

Digitized by Google

Mox erectis ad vallum ſcalis aſcenderunt, puluere tormentario & caſis igne accenſis, ſu- An. 1594.
peratiſq; loricis, cum præſidiarijs cominus pugnare ceperunt, vbi inter alios Capitaneus Prengerus occubuit. Regij videntes ſe victos abiectis armis, vitam ab hoſte deprecati ſunt. Sed quia paulò antè, in occupatione præcedente crudeles fuerant, & contumelioſum tympaniſtæ deditionem poſtulanti reſponſum dederant, omnes (quinque aut ſex ſolummodo euadentibus) trucidati ſunt. Quæ res non exiguam in vrbe trepidationem, metumque concitauit: & quidem eò magis, quod nullæ de aduentu exercitus Regij adferrentur literæ, nec vlli venirent nuncij, qui ſuccurſum aliquem pollicerentur. Quo fiebat vt ciuium multi palam dicere, imò depoſita pecunia certare auderent, vrbem ante feſtum Iacobi in poteſtate hoſtium futuram.

Mauricius 25. Maij munitionē Slogterenſem, etiam per tympaniſtam ſibi dedi poſtulabat, quod Præſidiarij abnegabant quidem, ſed ſequenti tamen nocte clam aufugiebant & munitionem deferebant. Idem præſidiarij Hogenbrugge, aliorumque propugnaculorum faciebant. Priuſquam hæc propugnacula occupata eſſent, in caſtris aliqua erat annonæ caritas, quod flumina vndique præcluderent, ſed poſtea omnium rerum inſecuta eſt vilitas, eo quod foſſam per ipſa caſtra ducta eſſet, & commeatus vndique adueheretur.

Descriptio vrbis Groningen ſis eiuſq; obſidionis.

Avvverdziela ſuperata, Sua Excellentia cœpit obſidionem ſerio inſtituere, & operas vrgere, valla, foſſaſque cum longinquo proprius ad vrbem promouere, ob id quod maximam, & quidem tanta tormentorum copia in vrbe eſſet, quanta in nulla alia vrbe vnquā aut rarò fuit, quibus quater millies & amplius in caſtra & foſſores eiaculati ſunt. Pulueris tormentarij, plus quā quadringentas tonnas maiores habuerunt. Vrbs antiqua, populoſa, ciuibus armatis & diu exercitatis referta, libera, & præſidiarijs ſemper vacua, quorum loco tennioris fortunæ ciues, & incolas, miltiæ expertos, Regijs ſumptibus alebat. Atque in omnem caſum, Verdugonis milites paratos ſibi ſciebant, obſidionis tempore quinque ſigna veteranorum militum ſub Georgio Lauckema extra, ſed tamen proximè ad vrbem in loco munito, Schutendiep/appellato, ad manus habebat. Non obſtante tamen vrbanorum tormentorum violentia & crebris ac acribus eruptionib. quibus duo Anglici Capitanei fortiſſimi Brocke & VVraye & alij ceciderunt (quorum cauſa foſſas, vulgò trenchen/ampliores & duplices, tam contra vrbem, quàm contra externum hoſtem facere coacti fuerunt) Mauritius pedentim progredi, & ſua quoque Tormenta diſponere properauit. Quorum etſi, circiter centum hincinde, in pluteis, vineis, prætenturis & propugnaculis, diſpoſuiſſet, parum ædificijs ob vallorum altitudinem & latitudinem nocere potuerunt, quare turres, muros, aliaq; eminentiora in vrbe portam, & pontem, p quē propugnacula vulgò Ravelin intrabant, ſine intermiſſione diſturbarunt, & nocte pyrobulos, candentesque pilas in ciuium ædificia iacularunt, quibus incendium nonnunquam excitarunt, animoſque ciuium magno metu perculerunt. Intimul etiam fodinas & cuniculos duobus in locis ſub munitionibus promouerat, ita vt ad viginti & vltra pedes ſub primario obſeſſorum propugnaculo, quod iuxta pontem portæ Dominicæ, ante annos aliquot oppidani erexerant, fodinas produxerint, & foſſas exſiccarint & replerint. Quo facto quidam ciues tandē cùparū ſpei de liberatione per nuncios ad Erneſtum & Verdugonem emiſſos acciperent, animum deſponderē, per tympaniſtas alioſq; deditionis pactionem offerre cœperunt.

Id quidam fortiores improbantes, ſed meticuloſis numero præualentibus, quinque illa vexilla è Schutendiepa, maxima ciuium parte inſcia, intromiſerunt. Vnde tumultus quorundam ciuium internecione, ſubortus, & deditionis tractatio turbata fuit. Iterum tamen ſedatus eſt, facta promiſione, milites iterum exirent ad ſuas ſtationes. *Tumultus Groninge.*

Mauricius ab hoſte ſe illudi videns, à pactionibus & ſollicitationibus deſtitit, atque iterum ad foſſas euacuandas, cuniculoſque vlterius producendos, animum adiecit, nec puluerī interim nec ferro parcens. Poſtremò iterum ad paciſcendum deuentum eſt, quare feciales emittebant, & 14. dierum inducias, & armorum intermiſſionem poſtulabant, vt ſuccurſum interim exſpectare poſſent. Quod denegatum, & hic iterum à tranſactione re infecta diſceſſum eſt.

Interim Mauritius, propugnaculum munitiſſimum, in quo ciues octo maiora tormenta habebant, prope Orientalem portam (vbi quondam Ducis Albani tempore, arx erat exſtructa) ſuffodi curauit. Hac fodina confecta & puluere ſubſtrato, ſimulatā ad arma conclamationem ac oppugnationem inſtituit. Vnde facilè repelli ſe ſinentes, ligno dato repentè in caſtra ſe recepe- *Propugnaculū Groningenſiū extra vrbem occupatur.*
runt, quibus regreſſis, fodina accenſa, & propugnaculi moles cum omnibus, qui in eo erant, in aerem ſublati ſunt, homines circiter 140. quorum duo in caſtra delati, alter adhuc viuens. Quo facto, oppugnantes ad locum propugnaculi ſtratum & diſiectum accurrerunt, & quicquid ſemimortuum adhuc ſe moueret, trucidarunt, reliquos in foſſas proſilire coegerunt, continuò ſe ibi munientes, ſub terra, militem viuum adhuc, & 6. tormenta bellica inuenerunt: reliqua 2. tormenta cum ſuis funibus in vrbem retraxerant.

Cùm ſimilium fodinarum plures, ſub alijs propugnaculis excitaſſent, & hoc ciuibus innotuiſſet, vrbani ſtipendiarij milites Mevvgets appellati, qui ſemper in omnibus periculoſis conflictibus primi eſſe debebant, etiam animum paulatim deſponderunt, nec tam pertinaciter quā antea

Digitized by Google

An. 1594. antea deditioni reſtiterunt. Idcircò præcipui ciues, qui maximè inter ſe erant diſcrepantes, ſodinas vlterius infra vrbem produci metuentes, pecuniæ quoque penuria laborantes, quodq; ſuccurſus promiſſos, difficillimè magno curruum numero fieri poſſe viderent, cum Eccleſiaſticis, Magiſtratu, Tribunis plebis & militibus, re deliberata Legatos communi nomine, obſidib. receptis, Domino de Senßfelt/ D. de Grnſe/ D. de Saſſenburg/ Centurione à Root/ & Nobili quodam Frenon, ad Mauricium 16. Iulij, emiſerunt Iohannem à Ballen/ Centurionem & Conſulem, Fridericum Muſteij Cõſulem, Albertum Elis Senatorem, Vlgertium Vulgerti, D. Iohannem Eryt Officialem, Iohannem Aperdianum Cõmendatorem in VVerſſum, Rudolphum Gerg/ Iohannem Malderum, Poponem Euerhardi Secretarium, Henricum Hontinck Interpretem, Iohannem Lubberti, F. Fabricienſem, Sanderum à Groteelt Capiraneum, & Comitis Friderici Vicarium, quiviſque ad 22. Iulij cum ſua Excellentia, Comite VVilhelmo, & Deputatis Conſilij Status, egerũt, & honeſtis ac æquis conditionibus deditionem pacti ſunt, vt aliarum Prouinciarum vnitarum exemplo ipſorum Iura & Priuilegia, ſalua & integra manerent, diſſidium inueteratum cum Prouincialibus (huius belli præcipua cauſa) deciſioni Ordinum generalium relinqueretur, Religionis Reformatæ exercitium, aliis Prouincijs vnitis conforme reciperent, Comitem VVilhelmum Naſſouium Friſiæ Septentrionalis Gubernatorem, pro Gubernatore ſuo ſibi deligerent, & ſ. vexilla peditum præſidio haberent. Harum cõditionum articulos, ſubnectere neceſſarium & conſultum duximus.

Conditiones deditionis vt hæ Græningenſes.

Primò, omnium offenſarum, iniuriarum ac delictorum, facinorumque à tumultuum initio, tam in prioribus turbis, alterationibus & motibus, quam in poſterioribus, factorũ; eorum etiam quæ durante hac obſidione, quocunque in loco, tam generatim, quam particulatim, in vrbe, vel extra vrbem, contigerunt, perpetua erit remiſsio & obliuio; & erunt quaſi nunquam facta; ita vt nullo vnquam tempore eorum fiat mentio, exprobratio, moleſtatio, actio, aut inquiſitio, in Iudicio vel extra Iudicium, ſub pœna, vt ſi qui contrarium fecerint, habeantur, æſtimentur & puniantur, tanquam perturbatores & violatores communis pacis & tranquillitatis.

2. Magiſtratus & incolæ vrbis Græningenſis promittent, & in ſe recipient, quemadmodum & hiſce promittunt, & in ſe recipiunt, quod Vnioni generali Prouinciarum Belgicarum ſubſcribent, & Ordinibus Generalibus earundem Prouinciarum confœderatarum adhærebunt, ijs fideles erunt, & obtemperabunt. Quodque Græningenſes tanquam membrum & fideles confœderati cæteris Prouincijs bonam fidem, firmam & inuiolabilem amicitiam conſeruabunt, in omni caſu, neceſsitate & tempore quocunque illis opem ferent, ad reſiſtendum aditumque in dictas terras prohibendum Hiſpanis, eisque adhærentibus, eos etiam ſi intrauerint, eijciendos, vt qui omni modo, vi & conſilio incolas contra omne ius & æquitatem opprimere & perdere, eos omni ſua proſperitate & ſalute priuare, & in perpetuum inſuper ſeruitutem & paupertatem abducere, in ijsque perpetuo habere conati ſunt.

3. Græningenſibus ſalua & integra manebunt omnia ſua Priuilegia, libertates, Iura & immunitates.

4. Ciuitas & circumiacens regio in comparitionibus, ſuffragijsque cum Comitia Ordinum habentur, & cauſæ alicuius momenti decidũtur, ſeſe gerent ſecundum Ordinum generalium ſententiam & determinationem.

5. Quod Illuſtris Comes VVilhelmus Ludouicus Naſſouius, pro Gubernatore vrbis & circumiacentis regionis, ſecundum codicillos Ordinum generalium agnoſcetur, recipietur & acceptabitur. Interim lis quondam inter vrbem Græningenſem, & circumiacentem regionem exorta, vel quæ adhuc exoriri poſſet, deciſioni & diſpoſitioni Ordinum generalium, eorumue Legatorum aut cognitorum reſeruabitur.

6. In ciuitate Græningenſi, eiusque territorij nulla alia Religio exercebitur, præter Reformatam, quomodo illa hactempeſtate in confœderatis Prouincijs publicè exercetur. Ita tamen vt nulli in conſcientia fiat iniuria, nullus in ea grauetur, nulla in eam fiat inquiſitio. Omnia monaſteria, Eccleſiaſtica & monaſtica bona, in quo ſtatu nunc ſunt, permanebunt: donec per Ordines generales, Rempub. Græningenſem & circumiacentem regionem aliter legitimè decernatur. Tunc autem per Prouincias ipſas de vſu eorundem bonorum, deque alimento perſonarum Eccleſiaſticarum determinabitur, ordoq; & forma conſtituetur. Interim Commendatoria in VVerſſum, Wynweert/ & Oſterwierum habebuntur & tractabuntur eodem modo, quo ſimiles Commendatoriæ in Prouincijs confœderatis ſitæ, hactenus habitæ ſunt.

7. Ad conſeruationem maioremque ſecuritatem Generalitatis & vrbis, & ne qua inter ciues aut incolas turba, lis aut ſeditio exoriatur, Græningenſes quinque aut ſex ſigna peditum, qui Ordinibus ſacramento deuincti ſunt, in vrbem admittent, ijque conſilio Magiſtratus per vrbem cum minimo ciuium & incolarũ detrimento & læſione diſtribuentur, quibus & hoſpitale ſtipen-

stipendium numerabitur, iuxta conditionem & formam, quæ postea per Gubernatorem, Ma- An. 1594.
gistratum & subiectam regionem constituetur & approbabitur.

8. Propugnacula, munitionesque diruentur & euertentur iuxta placitum, constitutionem & decretum Ordinum generalium.

9. Ciuitas Groeningensis, & subiecta regio in generalibus indictionibus & tributis, ad defensionem communis caussæ pendendis, conformes, æqualesque se reddent, iuxta quantitatem facultatum, magnitudinemque Prouinciæ aliis Prouincijs contribuentibus.

10. Omnes Tributorum indictionibusque confectio, permissio, collatio, solutio, quorum facta est ratiocinatio rata censebitur: quorum nondum facta est ratiocinatio, ea adhuc coram antiquo Magistratu fiet; ita tamen, ne quod eorum quæ restant, acceptum sibi arrogent.

11. Omnes exules vrbis Groeningentis, & circumiacentis regionis, eorumue hæredes in possessionem omnium bonorum suorum non alienatorum remittentur: ita tamen, vt ciuilitati & humanitati ab vtraque parte locus relinquatur.

12. Quantum ad vendita & alimenta immobilia bona, siue ea vendita sint propter debita, aut onera, quibus erant grauata, siue etiam fisco subsignata fuerint, eadem bona verus & antiquus Dominus, aut qui sibi iniuriam factam ostendet, recuperare poterit hac conditione: vt quadriennio ea sibi ipsi redimat, & pecuniam emptori restituat, reddituſq; annuos soluat; in cuius solutionis deminutionem, cedent redimenti prouentus annui ab emptore percepti. Et si quæ inter partes difficultas exoriatur, ea sententia legitimi & Ordinarij Iudicis, decidetur.

13. Omnibus ciuibus & incolis vrbis Groeningensis, tam Ecclesiasticis quam laicis, licitum erit pro arbitrio suo in vrbe manere, aut in alias vrbes, regiones & loca nulli parti addicta vel subiecta migrare, in ijsque habitare, & nihilominus bonis, fortunisque frui: hac tamen conditione, ne ad loca quæ parent hostibus se transferant.

14. Sub hoc pacto etiam comprehenduntur omnes exteri, cuiuscunque qualitatis aut nationis nunc in vrbe Groeningensi habitãtes: ita vt in hac vrbe liceat illis habitationem suam (præstando interim iuramentum fidelitatis) continuare, aut ad alia loca nulli parti subdita tranimigrare.

15. Omnia syngrapha tabulæ cautionesque nominum factorum: omnes literæ & instrumenta ob pecuniam calendario destinatam, omnes libelli oppignorationum, aut prouentuum annuorum, ab Abbatibus, Prælatis, virisque Ecclesiasticis, tam aduenis quam indigenis, qui tempore huius tumultus in vrbem Groeningensem migrarunt, caussa sui alimenti & sustentationis confecta, decisioni & iudicio Ordinum & Magistratuum Prouinciarum aut vrbium, in cuius iurisdictione ipsa collegia aut monasteria sita sunt, referuabuntur: vt in ijs secundũ ius & iustitiam agatur & constituatur.

16. Legati vrbis Groeningensis, qui modo in aula Bruxellensi agunt, vna cum suis ministris & bonis hac actione comprehendẽtur, modo trium mensium spatio in vrbem reuertantur.

17. Omnes ciues huius obsidionis tempore capti, libertati restituentur, modo prius lytron persoluerint.

18. Vrbis Imperium & Gubernatio erit penes Magistratũ. At Magistratus & iurati ciues hac vice ab Illustribus Comitibus Mauricio, & Vilhelmo Nassouijs, de communi sententia Senatus Ordinum creabuntur. Deinceps electio Magistratus fiet secundum antiquam consuetudinem. Ita tamen, vt loco distributionis sabarum, Gubernator quinque ex vigintiquatuor iuratis ciuibus eligat, qui deinceps ad electionem Magistratus, iuxta antiquam consuetudinem procedent.

19. Vrbs Groeningensis, vti nec subiecta regio, absque suo consensu & voluntate, ad nullos alios Reges, Principes, Dominos, vrbes aut Prouincias poterit transferri, nec in ciuitate arx vlla ædificari.

20. Magistratus, ciues & incolæ Groeningenses Ordinibus generalibus debitum fidelitatis iuramentum præstabunt, quomodo & aliæ omnes recuperatæ vrbes præstiterunt.

21. Omnis pecunia, apparatus bellicus, annona seu cõmeatus, tormenta bellica, & alia nomine Regis Hispaniarum in vrbem Groeningensem missa, vel ad illum pertinentia, aut alio quouis modo, tempore huius belli in vrbem illata, generalitati aut eius Legatis tradentur.

22. Milites Regij vrbe Groeningensi excedent, vti & illi facient, qui hactenus in Schutenbiep suas stationes, castraque habuerunt.

Acta & conuenta hæc in castris Groeningensibus, 22. Iulij anno 1594. Deinceps præsidiariorum quoque causa ventilata fuit, qui itidem cum sua Excel. his tandem conditionibus, de vita, fortunisque suis, salute, pacti sunt.

Primo,

An. 1594. Primò, Summus Vicarius Liaukema, cum omnibus Centurionibus, & militibus suis (exceptis transfugis, qui Ordinibus militauerunt) eorumque vxoribus & impedimentis liberè absque vlla vllius iniuria, cum omni sua panoplia, vrbe Groeningensi, castrisq; suis excedent, nec cuique licitum erit eorum personas, aut bona arresto, vt aiunt, detinere: hac conditione, quod signa sua suæ Excel. tradent. Quod deinceps liberè & sincerè per Drentham ad Gubernatoré Verdugium, vbi ille inuentus fuerit castra sua locasse, atque inde vltra Rhenum deducentur. Promittent vicissim ijdem se trium mensium spatio eis Rehnum Regi non militaturos.

Conditiones inter Mauritium & Præfidiarios pactæ

2. Quod sua Excel. in vsum impedimentorum, mulierum, puerorum, infirmorum & vulneratorũ, qui aliquo modo difficultates & molestias itineris ferre nó poterunt, procurabit octoginta quadrigas, quæ prædictis militibus ministrabunt, eosque vehent ad loca prædicta, sub Imperio quorundam Legatorum, certique comitatus: quos suæ Excel. placebit ad hoc constituere: vt prædictos milites, eorum vxores & liberos, cum impedimentis saluos, securosque Oetmarsum, aut Oldenzaliam vsque deducant. Vicarius autem Liaukema vice versa hic obsidem relinquet, vnum ex Centurionibus, donec quadragæ fuerint reuersæ.

3. Omnibus Centurionibus, Præfectis & gregarijs militibus vulneratis, qui ob infirmitatem, vulnerumque crudelitatem in itinere quadrigis vti non poterunt, post mediocrem aut sufficientem valetudinem permittetur, sub publica fide ad sua signa reuerti, absque vllo siue terra, siue mari impedimento.

4. Capitaneus VVingartus postquam expensas pro mensa, alijsque necessarijs debitas soluerit, mox absque vllo lytro captiuitate liberabitur, libertatique restituetur. Idem fiet, & cæteris militibus, annonæ aduectoribus, & aurigis huius exercitus in vrbe captiuis.

5. Omnia bona, fortunasque domini Verdugij Gubernatoris, quæ in vrbe Groeningẽsi sunt, liberè tutoque auchentur, & in eum locum, quem nominabunt hi, qui curam illarum habebũt, transferentur, aut in vrbe conseruabuntur, donec de ijs ipse Gubernator disposuerit.

6. Omnes equi, aliaque impedimenta ad Præfectos Regis Hispan. pertinentia, nunc absentes, liberè absque vlla contradictione dimittentur, & vna cum militibus abducentur.

7. Omnes incolæ in præsentiarum Groeningæ habitantes, cuiuscunque sint nationis aut conditionis, siue Officijs fungantur siue non, nemine excepto, tam Ecclesiastici, etiam duo patres Iesuitici, quam laici, cum suis vxoribus, liberis & familijs, bonis etiam & fortunis, qui cum militibus volent discedere, eiusdem commeatus beneficio, eadem libertate, & fecuritate, quà illi, fruentur.

8. Quod si aliquis prædictorum incolarum, vir aut fœmina, impedientibus id negotijs, rebusque domesticis, cum prædictis militibus discedere non posset, minusque id illi integrum sit, huic permittentur sex menses, à præsentis pacti tempore numerandi: quo tempore in vrbe tuto habitare aut permanere poterit, vt negotia sua necessaria conficiat: deinde cum bonis & familijs suis licitum illi erit, quocunque velit, terra marique proficisci.

9. Summus Vicarius, Centuriones, Præfecti & gregarij milites, post huius pacti tractatum absolutum, mox absque vlla longiori mora vrbe Groeningensi & Schutendiepio discedent.

Acta hęc itidem in castris Groeningensibus, sub signo & subscriptione suæ Excellentiæ, & aliorum 22. Iulij anno 1594. sub vesperum, in hunc ferè modum: Cœmans visitauit: Mauricius de Nassau subscripsit. VVilhelmus Ludoicus Comes de Nassau. Ex mandato suę Excel. Milander. Ex mandato Consilij Status, Sulenus. Inferius scriptum erat Albertus Eels, Iohannes à Balle, Iohannes Apherdianus Commendator in VVerffum, Ioannes Crite Officialis. Popo Euerhardi Secretarius. Iohannes Lubbertus Fabricensis.

Præfidiarijs (vti in primo articulo videre est) signa sua, Mauricio tradere constitutum erat, at tandem post assiduas præces & supplicationes, à sua Excel. vt vexilla sibi relinquerentur, & cum ijs discederent, obtinuerunt.

Acita pactis conuentis 23. Iulij, vrbs (contra gregariorum militum spem, qui vi expugnare eam, & depredari maluissent) dedita, quia Ordines, vrbem indemnem seruando, demonstrare volebant, se non tantum vnitarum Prouinciarum, sed etiam vicinarum saluti & libertati consulere velle. Primò itaque intrarunt, vexilla Comitis Philippi, Arnoldi Duuenuordij, Martini Cobbi, Appellij & VVingartij. Hos sua Excellentia, & Comes VVilhelmus, alijque Comites, Barones, & insignes personæ subsecutæ. Qui valla ilicò luftrabant, & difficulter vi vrbem superari potuisse iudicabant. Introitus ipsius triumphalis & pomposus fuit. A virgine quadã pulcherrima, albo holosorico amicta, aureo torque ornata, corona seu diademate redimita, aureã clauem vna manu, altera ramum laureũ tenente: campanis interim sexti Psalmi vocem artificiosa harmonia, sonantibus, exceptus est. Peracto triumpho mox omnia templorum simulacra ablata, & reformata Religio introducta, nouus Magistratus creatus est. Consules creati sunt quatuor, Hermannus Kontnet/ Melle Conderts, Engelbertus Alberda, Ioachimus Altingius: Centuriones, Brantius Rottelmannus, Fridericus Conderts, Iohannes Clantius,

Doctor

Doctor Ackema. Senatores ſeu ſcabini, quos Conſiliarios vocant, Albertus Horenkens / Iohannes Wuffrinck / Rodulphus Grutſs / Ludouicus Horenkens / Rodulphus Voltingius, Goſvvinus Lumga, cum alijs ſex ſuis collegis. Iurati ciues conſtituti ſunt, Lambertus Horenkens / Gerhardus Grutſs / Nicolaus Schaffer / Ioachimus Cantor, Bernhardus Grutſs / Georgius à Wullen / Albertus Iohânes, Zitzius Tackens / Iohannes Talmannus, Iohannes Buervvinckelius, Sibbe Bruellius, Iohannes Groll / cum totidem ſuis collegis. Confectuni inde eſt diſtichon hoc Chronologicon. An. 1594

QVIntIli InpatrIVm fOedVs GrOenInga reVerſa eſt,
EtnOVa NaſſOVijs parta trOphœa VIrIs. 23. Iulij.

Omnes milites ſub Præfecto Liaukema, ſignis, impedimentis, vxoribus, liberis, alijſque incolis Eccleſiaſticis & Laicis, qui in vrbe diutius ob Religionis mutationem, manere noluerunt, Groeninga exierunt: infirmis & impedimentis ſuis curribus impoſitis, Couordam primum, inde Oldenzaliam ad Verdugonem. profecti ſunt. Comes Fridericus Oldenzalia, Lingenam diſceſſit, quoſdam in præſidia Grollam & alibi demiſit. Quædam etiam Legiones, & octo equitum turmis Rhenum traijciebant. Quos Comes Philippus inſequutus quidem, non tamen aſſequutus. Mauricius Hagam reuerſus: in itinere, omnes vrbes, triumphis & honorarijs ipſum exceperunt. Milites in præſidijs miſſi, excepris 900. equitibus, qui iterum in Lucenburgum & Flandriam excurſiones fecerunt.

Dum hæc Groeningæ aguntur, Archidux Ernestus 14. Iunij Antvverpiam læta & Regia Pompa intrauerat: vbi multi ſumptuoſi & artificioſi Arcus triumphales, tam per ciues, quam diuerſarum Nationum mercatores, erigebantur, egregijs picturis, & puellis ornatis: quibus ſummum deſiderium, firmiſſimamque de Pace ſpem demonſtrabant. Diuerſis in locis 17. Puellis, 17. Prouinciæ deſignabantur, vnaquaque ſub Inſignibus ſuæ Prouinciæ. Quarum vnitæ ſeparatim ſuni, & Regi reconciliatæ, ſimiliter alio ſuni alligatæ erant, quæ omnes ſub Nympha Belgica Erneſto ad reconciliandum præſentebantur. *Archidux Ernestus Ant. verpiã venit.*

Hæc & ſimilia fiebant ad promotionem Pacis tendentia. Varia etiam inſtituta ſunt tornamenta, haſtiludia, & epula magnifica, quibus Erneſtus ſummum præ ſe ferens grauitatem, & ſeueritatem, interfuit. Oſtendebat ſe quoque valdè Catholicum, Symbolum, quo vtebatur, ſpem fœlicioris Gubernationis faciebat, erat autem hoc: DABIT INDOLE DIGNVM.

Huic populi deſiderio ac exſpectationi, vt ſatisfaceret, miſerat ad Ordines Conſœderatos Hagæ Comitis congregatos, litteras, Bruxellis 6. Maij, anno 1594. datas. Quas Otto Hartius, & Ieronymus Coomans Iuriſconſulti (qui impetrato ſaluo conductu alia de cauſa, nimirum priuata negotia inter Principiſſam Chymaiam, Comitiſſam Meganam, & ipſius maritum tractaturi, in Hollandiam venerant) tradebant, & decimoſexto Maij in Concilium Statuum generalium admiſi, quod in Mandatis habebant, referebant, atque in hunc modum proloquebantur. DOMINI mei, cum ad particulares quaſdam cauſas priuataque negotia expedienda à Concilio Stratuum, non ita pridem publicam fidem impetraſſemus: cuius beneficio in has conſœderatas Prouincias tutò venire poſſemus, (pro quo beneficio Dominis Statibus, & quicunque illud promouerunt, immenſas agimus gratias, cum oblatione ſimilium obſequiorum à parte noſtra, ſi quis ex his Prouincijs in noſtras venire cupiat) cumque id Archidux Auſtriæ Erneſtus intellexiſſet, conſultum ſe facturum putauit, ſi eadem opera nobis hanc Prouinciam daret, vt hac tranſeuntes, vos ſuo nomine ſalutaremus, omnemque beneuolentiam vobis offeremus: indicaremus inſuper Ordinibus primariam cauſam, qua motus fuit, vt in Belgium veniret, fuiſſe ſingularem amorem & affectum, quo ſemper tranquillitatem proſperitatemq; harum Prouinciarum optauit, & proſecutus eſt: quodque ſperabat Deum vel tandem pro ſua miſericordia gratiam daturum, vt mediante ſua perſona, eædem Prouinciæ rurſum pacari, vniri, & eadem Pace atque amicitia, qua erant ante ortum hoc Bellum ciuile, inter ſe poſſent viuere. Quem in finem, vt melius intelligeretis eius mentem atque affectionem, nobis etiam mandauit, tradere literas, quas duodecimo huius menſis porreximus. Arbitramur autem vos ex illis, manifeſtè fatis intellexiſſe, eius cogitationes, conatus & ſtudia ad nihil aliud tendere, quã vt inuiantur media, quibus hæ Prouinciæ, atque illarum incolæ vera, ſincera, conſtanti, & non ſimulata pace denuò coaleſcant. Quamuis autẽ idipſum alijs temporibus ſæpè fruſtrà tentatum ſit, ſed & aliqualis pax compoſita fuerit, quæ paulò pòſt nouis exortis difficultatibus eſt violata, hoſtilitatesque & bella antiqua recruduerunt (quorum id machinationibus ac ſtudijs non eſt modo inquirendum, faxitque Deus vt nunquam inquiratur) ita vt vos diffidentia quadam territi, iuſtam cauſam habere videremini, omnem huiuſmodi tractatum repudiandi & reijciendi: præſertim cum paucis his proximis annis fortuna vobis blandiuſculè aſpirauerit, & quædam magis ex voto ceſſerint. Confidens ni.nilominus ſua Celſitudo, vos non vſuros tem- *Erneſtus ad Ordines Conſœderatos ſcribit.* *Oratio D. D. Hartij & Coomani.*

Digitized by Google

An. 1594. porali & mutabili prosperitati, cuius præcedentes occasiones facilè possunt alterari. Ipse Archidux & omnes homines probi, communis patriæ salutis & tranquillitatis amantes, optarent vos meminisse, & ad mentem reuocare, primò, omnes res mundanas suũ habere tempus: & quemadmodum tempus est dissidendæ, ita etiam sequi subindè tempus confidentiæ, seu bonæ fiduciæ: in quo vna pars alteri fidem habere, & suæ, suorumque posterorum securitati debet prouidere. Secundò, in nulli mundi plaga tam acerbam esse vnquam exortam simultatem, discordiam, dissidiumue, in priuatos homines aut publicos, quæ non tandem sublata sunt, & composita pactis & conditionibus sæpius, quam Marte & armis: cùm bellum tam infœlicis sit fœcunditatis, vt vnum aliud pariat, & bellum (quod aiunt) è bello seratur. Tertiò, nulli Principi, Regno, aut Reipublicæ vtile fuisse, quod honestas & securas, firmasque conditiones pacis oblatæ reiecerint. Qua in re exempla nostri æui, nostræque memoriæ præterire malumus, quam eorum commemorationem detegere, & in memoriam reuocare errores, & delicta huius vel illius factionis. Quod verò vos etiamnum hoc tempore vlla moueret aut retardaret diffidentia (saluo meliori iudicio) nulli videtur subnixum rationi, cum hic tractatus offeratur alio tempore, ex aliis occasionibus & voluntatum propensionibus, etiam ad vestram discretionem, vestrumque arbitrium, & cum aliis personis, nempè cum Cellitudine Archiducis, procreati ex domo Austriaca, cuius sinceritas, prudentia, virtus, laus, quæ præcipua sunt Principum ornamenta, vel ex eo facili negotio potest intelligi, quod septẽ aut octo iam successiuè, nulla interrupta linea, ex eadem domo, peruenerunt ad sacrum Romani Imperij fastigium, non quidem successione, quę Imperium tradit tam malis, quam bonis, sed beneuola & libera Electorum, Ordinumque Imperij electione: quæ plerunque cadit, fundaturque in heroicis virtutibus, & eorum qui eliguntur dictorum factorumque constantia. Quod non ita dudum manifestè vilum est in Cæsare Maximiliano II. S.C. patre, qui eius fuit moderationis & benignitatis, vt debeat ab omnibus censeri, & existimari pro tam singulari instrumento, ad omnia publica dissidia, & lites in causa Religionis & rerum publicarum temperanda, in æquilibrio conseruanda, & componẽda, vt futura secula non multos pares viderint. Volens autem S.C. insistere vestigijs, atque imitari exempla Patris & auorum suorum, misit per nos, quas ante paucos dies tradidimus vobis, literas nec dubitamus quin illas tali cum benignitate & affectu accepistis, quali cum sinceritate veritatęq; scriptas scimus. Petimus itaque & serio supplicamus, vt quę in eis continentur maturè ponderetis, ad easq; sic respondeatis, vt S.C. omnesq; probi quo citius, hoc melius rationem & occasionem habeant, vos commẽdandi, eorumq; exspectationi & spei, quam de vestra prouidentia & prudentia conceperunt, satisfiat: cum oblatione, si aut vos, qui magnificam & celebrem hanc refertis congregarionem, aut aliquis vestrum in particulari offendatur, aut difficultatem aliquam inuenerit in vllis verbis, punctis, clausulis, aut in sensu & intelligentia scripti à S.C. ad vos missi, cuperetq; eadem exponi, & dilucidius explicari, nos paratos esse, & sperare, nos ita vobis satisfacturos, vt nullus relinquatur querelarum locus. Hæ sunt quæ virtute vltimorum verborum, in literis S.C. positorum, & nostras personas attingentium vobis erant proponenda. Supplices itaq; rogamus, vt hęc æqui boniq; consulatis, & à nobis in bonam partem accipiatis.

Archiducis Ernesti ad Ordines Hollandiæ litera.

Literæ autem S.C. huius erant sententiæ: Innatus ac naturalis amor atque propensio, qua sumus erga tranquillitatem, prosperitatemque harum Prouinciarum Belgicarum, & dolor, qui nos iam diù cruciauit, videntes dissidia & miserias, quibus eædem Prouinciæ exagitãtur, primariæ causæ sunt, quibus nos commoueri & induci passi sumus, ad gubernationem Belgij suscipiendam: sperantes firmiter, Deum nobis daturũ gratiam, vt tam florentes olim Prouincias, vel tandem semel à tam graui & pernicioso bello intestino, quod nunc tot annos cum mœrore, fastidio, atq; pernicie, non tantum incolarum, sed & totius Christianitatis ductum est, eripiamus & liberemus. Nam si perpendere velimus splẽdorem, & fœlicitatem, quibus eædem Prouinciæ tempore pacis floruerint, vnitæ, coniunctæq; sub legitima & debita obedientia domus Burgundicæ, & Austriacæ, bonamq; disciplinam, qua tunc temporis vigebat, tam in negotio iustitiæ & Politicę administrationis, quàm in rebus bellicis, quibus celebres erant, omniaq; Regna, & Dominia superabant: Opulentiam quoq; & diuitias, quibus abundabant, idque beneficio confœderationum, nauigationum, & cõmerciorum, quæ in Hisp. Lusitania, & India exercebant, si inquã hęc perpendere velimus, non dubitamus, neminem rationis suę compotem fore, qui non ex intimis cordis penetralibus contristabitur, inuitusq; videbit tantam, & tam lamentabilem mutationem à 25. aut 30. annis, vsque huc in Prouincias Belgicas introductam: simul & multifaria onera, exactiones, grauamina, quib. interea miserrimi incolæ attriti sunt, & penè oppressi: sed & adhuc variis in locis diuexantur. Neminem esse arbitramur, qui non exoptet, vt primo quoque tempore bona & cõmoda inueniantur media: quibus eædẽ Prouinciæ pristino suo statui, splendori, paci, tranquillitati, & inter se concordiæ restituantur. Quo etiam omnes nostræ tendunt cogitationes, & tali cum proposito in inferiorem hanc Germaniam venimus, deferentes societatem & iucundam familiaritatem Cæsariæ Maiest. clementissimi Domini nostri, aliorumque fratrum,

Digitized by Google

fratrum, & conſanguineorum noſtrorum: imò patriam ipſam, & adminiſtrationem tot inſig- An. 1594
nium Regnorum, & Prouinciarum noſtræ curæ commiſſorum: alias denique commoditates noſtras multas, quas omnes hic commemorare non eſt neceſſarium: ſola ſpe ducti, nos inuentutros promptos & propenſos ad tam pium opus promouendum, vt ad intentionem & propoſitum noſtrum peruenireмus. Quamuis minimè dubitemus, hæc omnia vobis ſatis eſſe cognita, & explorata, tà communi fama ad aures perlata, quam quarundam perſonarum relatione: ſed nec vobis minus ingratum fore, nos tantopere ſolicitos eſſe de veſtra, veſtrorumque poſterorú pace, ſecuritate & felicitate: nihilominus minimè voluimus intermittere, vobis omnia hæc per præſentes ſignificare, tum vt magis magisq; extirpetur omnis diffidentia, tum etiam ad manifeſtius declarandum optimum noſtrum erga vos affectum. & quicquid certò à nobis exſpectare poteritis. Cùm itaque cauſa hæc vobis ſit propria, & ad vos potiſſimum pertineat, veſtrum erit vobis ipſis, & quotquot veſtro ſubſunt Imperio, ad vnum ante oculos conſtituere vtilitatem, ſalutem & proſperitatẽ, quæ ex hoc negotio patriæ, tam diuturno bello, tam miſerè exhauſtæ, ac perditæ poſſunt cuenire. Quod ſi victoriæ, boni rerum ſucceſſus & felicitas, quę vobis his vltimis aliquot annis obtigerunt, (vt euentus belli incerti ſint & inconſtantes) aliquibus obliuionem præteritorum malorum, infortuniorumq; poſſent inducere, & impedire, quo minus contingentia & futura cogitare valeant, ideoq; exiſtimẽt ſe in tuto eſſe, & in omnibus ſecuritatem ſibi polliceantur, nec velint bonam hanc occaſionem acceptare: vtile his erit cogitare diuerſas res præteritas, variaque exempla, quæ docent exiguo tempore tam magnas fieri poſſe mutationes, vt ſæpè impetrari precibus non poſſit, quod paulò antè cum honore & laude oblatum potuit acceptari. Quare à vobis benigne & ſeriè petimus, vt poſtquam omnes maturè conſultaueritis, omniaque debitis momentis ponderaueritis, ipſi nobis proponatis tam honeſtas, æquas, & tolerabiles conditiones, vt ex ijs, quo citius, hoc meliùs intelligatur, vos non quærere prolongationem, aut progreſſum belli, tot incommoditates ac damna ad perditionem infelicis populi, quemadmodum nulli non cognitum eſt, ſecum trahentis: ſed vt per æquitatem veſtram ad optimam & feliciſſimam pacem, conſtantemque & ſecuram tranquillitatem perueniatur. Ex parte autem noſtra vobis reapſe teſtatum faciemus: nullum hic dolum aut fraudem latitare: vt qui non quærimus ſimulatam, ſed veram & perpetuam pacem: ita vt quicquid molimur, ex bona ſinceritate & ſimplicitate, ad communis patriæ ſalutis vtilitatem procedat. Quod ſi à parte veſtra huc accedat ſimilis zelus, & bona voluntas, etiam oſtẽdetis quanti nos faciatis, & quàm procliues eſtis ad prouidendum omnibus, quæ ſunt neceſſaria ad propriam veſtram ſalutem & vtilitatem: quemadmodum hæc omnia latius vobis expoſituri ſunt M. Otto Hartius, & Hieronymus Comans Iuriſconſulti, latores harum: ad quos nos ipſos referimus, cum oblatione bonæ noſtræ voluntatis: orantes Deum, vt vos Illuſtres, Nobiles, Magnificos, &c. diù ſeruet incolumes.

Reſponſio Ordinum ad literas Archiducis.

Ordines lectis Archiducis literis, auditaque Legatorum oratione 27. Maij, hunc in modum Archiduci reſponderunt. Ordines generales confœderatarum Prouinciarum Belgij, in ſuo Concilio lectis literis Sereniſimi Principis Erneſti, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, &c. clauſis & ſignatis ſigillo Suæ Celſitudinis, datis in vrbe Bruxellenſi ſexto huius currentis menſis Maij, & 12. eiuſdem menſis ex manibus M. Ottonis Hartij, & Hieronymi Comans Iuriſconſultorum acceptis, atque ad inſinuationem 13. die factam, 16. ſequenti ijſdem in ſua congregatione auditis, vbi ea referebant, quæ virtute clauſulæ in fine earundem literarum inſertæ in mandatis habebant, poſt maturam deliberationem earundé literarum, vt eius Celſitudini ſinceram ſuam, bonamque intentionem ſignificent, declararunt, & declarant per præſentes. Se ab eo tempore, quo vrgente ſumma neceſsitate ad conſeruationem Belgicarũ libertatum, Priuilegiorum & iurium in genere, Prouinciarum etiam, membrorum, vrbium, & incolarum in ſpecie, & ad oppreſsionem tyrannidis Hiſpanicæ, Hiſpanorumque ſuperbæ Dominationis in conſcientias, corpora & fortunas Belgarum, vxorum, & prolium ſuarum, ſemel arma ceperũt, ſuam intentionem ac mentem ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe, eadem cum diuino adiutorio contra Hiſpanos, eisque adhærentes vſurpare: ſperantes firmiter, omnipotentem Deum iuſtam hanc ſuam intentionem (quæ quo diutius eò manifeſtius deprehenditur, non tantum ſalus eſſe Belgij, ſed & omnium vicinorũ Regum, Principum, & Rerumpublicarum) ſua diuina benedictione promoturum: quod & factum ipſi iam ſæpè expertiſint: cùm iam per potentem Dei manũ non tantum ſua media, ſuamque mentem videant feliciter ſecundata, ſed etiam corda vicinorum Regum ac Principum ad conſeruationem & defenſionem dictæ ſuæ neceſſariæ atque optimæ intentionis permota. Cuius rei laudem & gloriam Deo adſcribunt, & diuinæ eius Maieſt. immutabili potentiæ confidunt: exſpectantes à manu & bonitate ipſius bonum & laudabilem exitum: nec minus ſperantes ſe breui Prouincias has omnes coniunctas iterum, vnitasque in antiquo ſuo ſplẽdore, & felicitate conſpecturos: ad quod vel eò magis aſpirant, quod experti ſint ipſi, atque idcirco optimè meminerint, commoditatum, iucunditatumque pacis & tranquilli-

An. 1594 tatis: & econtrario sentiunt incommoditates, iliademq; malorum, quæ bellum secum aduehit. Cæterùm quemadmodum S.C. pro optima sua voluntate & affectione, in eundem finem in dictis literis expressa, nec illi soli, sed & omnibus qui candide pacem, tranquillitatē & felicitatem Belgicarum Prouinciarum restitutam cupiunt, maximas agunt gratias, ita iustas habent coram Deo omnipotenti, & vniuerso mundo conquerendi rationes de his, qui adhuc dolis & fraudibus, sub prætextu paeis, innocentem Christianorum fundere quærunt sanguinem, & ruinam, interitumque harum Prouinciarum accelerare conantur. Quibus in rebus Concilium Hispan. (vt quod iam maximè propter ea quę dicta sunt, offensum se existimat) omnem operā suam col locat, non minus nunc, imò magis, quam vnquam antea, vsurpantes ad hæc crudelissimos, pernicio sissimos & indignissimos Processus: qui ne in mentem quidem venire deberent, minimè verò ad interitum & ruinam harum Prouinciarum tentari: cùm toti iam mundo cognitum sit, quam inuitæ ad has extremas necessitates, in quibus modo res constitutæ sunt, deuenerint: quarum causæ sunt effusiones per manus carniticum innocentis sanguinis, tot millium innocētium hominum, mulierum, & virorum, cuiuscunque status & conditionis: inter quos etiam fuére Principes & primarij Proceres Belgij: violatio præcipuarum libertatum, priuilegiorum & iurium Prouinciarum, membrorum & vrbium earundem, latrocinia, incendia, violentiæ, exactiones, concussiones aliaque enormia, & execranda facinora, quæ post multas demonstrationes, libellos supplices, Legationes Belgicorum Principum in Hispa. inter alios nominatim Marchionis à Bergis, & Domini de Montigny, quibus etiam ista Legatio malè successit: vt qui contra omnium gentiū iura sunt habiti & tractati. Post intercessiones etiam magnorum Principum frustra factas. vt Prouincijs Belgicis, membris, vrbibus, & incolis antiquæ, & laudabiles suæ libertates, Priuilegia & iura inuiolata conseruarentur: & tyrannis in conscientias, corpora & fortunas, quam Hispanica erercebat Natio, aboleretur, non sunt sublata: ideoque Prouinciæ in extremas has miserias peruenerunt. Propterea S.C. hæc in meliorem partem interpretabitur, quod Ordines in negotio, à quo salus harum Prouinciarum, & conseruatio bonorū incolarum planè dependet, cum omni inspectione & examine eorum, quæ in similibus causis præcesserūt, & nunc propalantur, procedunt: quodque ijdem Ordines non facilè induci possunt, vt credant quæ de mutatione humorum Senatus Hispanici dicuntur: cùm similes mutationes etiam alias visæ sint, sed simulatæ: quibusdam etiam fides habita, sed summo cum harum Prouinciarum detrimento.

In exordio namque huius belli, crudelitas Hispanorum erat tanta, vt quidquid in illorum manus incideret, iugularetur: præsertim ij, qui aliquid pro conseruatione patriæ aduersus extremam tyrannidem ope, consilio moliebantur, vtque non tantum pagi, villæ, & agri, sed multæ quoque ex præcipuis ciuitatibus, latrocinijs, incendijs, depopulationibus, alijsq; horrendis, execrabilibus & inauditis sceleribus exagitarentur; donec ab hac parte decretum est, cōtra Hispanos eorumque fautores in manus nostras incidentes, simili iure vtendum esse: vt hoc modo reapsi illis ostenderetur, apud eos qui huius partis sunt, non minorem esse magnanimitatem & audaciam, ad iustissimam causam suam defendendam, quam apud ipsos, ad has Prouincias perdendas: quemadmodum & ipsi certò sibi possunt persuadere, nihil se aduersus has patrias machinaturos esse, quod non ipsis futurum est perniciosissimum. Hæc sanguinarium illud Concilium cœpit deterrere, & humores Hispanorum (vt videbatur) mutare: sed ita, vt cum facilè animaduerteret, difficilè sibi fore ad id, quod proposuerant, vi & armis peruenire, simulabāt se rationibus vti velle. Huic spei prima Pacificationis initia, anno 1574. nitebantur: ita vt Ordines Hollandiæ, Zelandiæque pro veteri sua proba, & simplici natura ac indole, moti sint, ad grauamina sua cum supplicibus literis, tum etiam varijs demonstrationibus significandum, auxiliumque & leuamen petēdum. Sed fructus inceptæ huius Pacificationis fuére in partibus Brabantinorum, primum excidium vrbis Antverpiēsis, apud Hispanos in Historijs *Fuerauillacos* appellatum: in partibus verò Hollandorum, grauis obsidio vrbis Lugdunensis, quæ nihilominus diuina cooperante gratia, fidelitate suorum Confœderatorum, & ciuium fortitudine ab hostium violentia est conseruata: idque repentino metu Hispanorum, qui vrbem obsiderant, tanto, vt potenti manu Dei in animis percussi, cum summa ataxia, turpique fuga obsidionem soluerint, Hollandiamque deseruerint. Paulò pòst vrbem Vltraiectensem ex inopinato tentārunt, sperantes se illam eadem facilitate, qua Socij Antverpiam, occupaturos. Prima fallax tractatio, postquam hoc rerum successu euanuit: secunda paulò pòst intercessione laudabilis memoriæ Cæs. Maxim. S.C. Patris præparabatur, atque anno 1575. in ciuitate Bredana instituta: quam exigua verò intentio Hispanorū fuit, aliquid in hoc tractatu bona fide, & in commodum Prouinciarum Belgicarum agendi & statuendi, acta eiusdem conuentus dilucidè satis testantur. Neque alij erant eius fructus, quā maior ad bellum præparatio: ita vt paulò pòst secuta sit expugnatio Buræ, Leerdami, Veterisaquæ, Schonhouiæ, Bōminęæ, & obsidio vrbis Ziriczeæ. Postea Hispani & eorum complices deprædando, iugilandoq; & alijs enormibus factis, excidijs etiam

vrbium,

vrbium, suas partes sequentiũ, tantam exercuerunt insolentiã, vt in suis Prouincijs (cũ Ordines corũ violentiam diutius ferre non possent) hostes Belgij sint iudicati & ꝓclamati. Quàm proclamationem subsecuta est VNIO & Confœderatio Gandauensis, in Nouemb. 1576. inter Prouincias Belgicas, ad conseruationẽ salutis earundem, libertatumq; & iurium facta. Quàm autem infideliter eadem Vnio & confœderatio ab Hisp. est approbata: quæ fraus, quæq; simulatio approbationi fuit admixta, omnibus cognitum est: testantur & literæ Escouedi, violatio à Ioanne Austriaco facta, expressa declaratio Hisp. Cócilij, seu Senatus à Barone de Selles allata, & Mechlineæ aperta: simul etiam tractatus Louanienſis, in præsentia multorũ Principum Legatorum ventilatus, cuius absolutum testimonium 1577. & 1578. in lucem prodijt. Nemo etiam ignorat quanta cum fallacia, ignominia & damno pacis negotiũ Coloniæ tam solemniter inceptum abruptum est, cum durante illo non tantũ Prouincię Hannonia & Artesia, cum quibusdam alijs primarijs ciuitatibus ad particularem Pacificationem seductæ sint, sed & omnis externa vis in ciuitatem Traiectensem sit vsurpata, & multæ aliæ dolosæ & arcanæ machinationes in alijs Prouincijs, membris & ciuitatibus earundem sint excogitatæ: quibus ad similem alterationem, ruinam, & interitum adducerentur. Quibus artibus & dolis ciuitates Flandriæ ad tractationem pacis sunt pertractæ, quam magnificè promissiones illis factæ, & quam tristis fuit exitus, ipsa restatur. Qua intentione, & quo fine 1587. & 1588. negotiatio pacis fuit expetita, quæ fraus, quęque vis fub illa latitauit, Clasis Hisp. durante pacis tractatu huc appulsa & potenti manu Dei perdita, manifestauit. Qua intentione postea Cæs. Maiest. an. 1591. est interpellata, ad pacis negotium denuo tentandum, testantur exercitus toties ex Belgio contra Galliarũ Regem missi: quo studio magis est manifestatum Hispanos, eorumq; fautores semper in bello & armis velle viuere, idq; sub prętexturę religionis Rom. sed si verũm fateri velint, non alio scopo, quã vt conceptam semel animo suam Monarchiã & tyrannidẽ in totum Christianismũ stabilient, omnesq; Reges Principes, Prouincias & Resp. legitimo suo iure spolient: quemadmodũ spectãte Regina Regnũ Angl. spoliare voluerunt, Classem tam superbam, & potentem 1588. mittendo, & triumphũ antè victoriam canendo: etiam eandem typis excusam diuulgando. Quantum aũt ad bella & negotia in Francia ab eodem anno vsq; huc gesta, præcipuè aũt, si consideremus ea, quæ proximis annis acta sunt de translatione Coronę Gallicæ, non tantum à præsente legitimo Rege, sed & ab omnibus Principib. sanguinis, imò ab omnibus Frãcis ad Hispanos sub nomine Infantis, qua in re tantopere desudatum est à Duce de Feria, alijsque ministris Hisp. idq; mandato Senatus eiusdem Nationis: non alio egent hæc testimonio, præter id, quod postea per Parlamentum Parisiense, aliasq; ciuitates Fœderis, quæ defecerunt, sub titulo decretorum & iustificationum publicata sunt, & excusa toti mundo innotuerunt. Quod si animaduertatur pactũ, an. 1592. in Scotia inter multos Principes initum, hoc fine, vt 20000. Hisp. milites in Scotiam mitterentur, & acciperentur, quod proximis annis miris modo detectũ est (ob quod & nonnulli capite plexi sunt) non est credibile aliud hoc, præter id quod præcefsit, fundamentũ habuisse. Quomodo ad eundem finẽ cum Electoratu Colonienſi, diocœli Argentoratenſi ducatibus Iuliæ, Cliuię, & Montium, similiter & cum fideli ciuitate Imperiali Aquisgranenſi actũ & collusum est, non tantum intercepte literæ, sed ipsa facta satis manifestarunt. Denique quæ machinationes excogitentur aduersus primarios Italiæ Principes, quanti apud illos fit subiectio Hollandiæ & Zelandiæ (sub quibus Prouincijs aliæ omnes obiter notantur) vt istic sedes belli aduersus totum Christianismum firma, inexpugnabilisq; constituatur, adeò vt malint Turcis adhuc magnam Christianismi partem permittere, quã bellum in Belgio intermittere, aut exercitus huc destinatos diminuere: & quid multis? quomodo agatur cum Cæs. Maiest. cum Electoribus & Principibus Germaniæ, imò cum tota Christianitate, tantum ad erigendã & stabiliendamq; Monarchiam Hisp. patet ex literis ab ipso Rege signatis, quarum translatio his est adiuncta, autographo hic in archiuis repositio. Quæ literę inter alia quoq; habent articulum à S.C. propositum, intentionem scilicet Senatus Hispanici non esse per S.C. causam Christianissimi bona fide tractare, & pręcipuè tumultus Belgicos parare, cùm ex ijs manifestũ fiat, S.C. in causis Belgicis præcipuos Consiliarios constitutos, Comitem de Fuentes, D. Guilielmum de S. Clemente, & Stephanũ de Iuarra Hispanos omnes: cùm mandato, quod ijdem exteri S.C. instruent, quibus ex Belgicis Proceribus fidendũ, quomodo Prouinciæ debeant gubernari, & regi, & quo pacto confœderati in ordinem sint redigendi. Ordines non dubitant, quin S.C. intellexerit, quomodo à dicto Comite de Fuentes, Stephano Iuarra nuper Doctori Lopezio Regina Angliæ Medico promissa sunt 50. coronatorum millia, si Reginæ venenum propinaret, quo extingueretur, & quo pacto idem Doctor Lopezius, Emanuel Ludouicus Timoco, & Stephanus Farera de Sanua tam tetri scelerisque complices in Anglia ob idipsum facinus morte sint condemnati: quod eorundem de Fuentes & Iuarræ machinationibus Emanuel Andrada in se recepit Regem Franciæ fasciculo ex varijs floribus colligato, tam venenoso puluere infecto, vt solus odor mortem possit afferre, è medio tollere, vt nihil dicatur interim de exitu Michaelis Renichonij, qui se alio cognomine appellat de

An. 1594.

Digitized by Google

An. 1594. Treuieres, Presbyteri Namurcensis, qui antè duos menses habitu militari Bruxellis in confœderatas Prouincias est amandatus. Confitetur is se, aliosq; nonnullos ficarios ad hoc conductos & emissos, vt Illustrem Mauricium, Principem Orangiæ, Comitem Nassoulæ, iugularent, imò minimum Principis Orangiæ filium, decem tantummodò annos natum, in Academia Lugdunensi Batauorum literis operam dantem, non educerent, vt olim Principi Orangiæ, Comiti Burano, maximo natu fratri contra iura, libertates & Priuilegia patriæ, omniumque nationum in Academia Louaniensi contigit, sed ipso facto occiderent, quomodo eius Patrem idem Senatus Hispanicus latronum more occidit. Ex his S.C. facilè, & quidem sine contradictione, sed & quilibet posset intelligere, per quos, & quibus medijs Belgæ decipiantur: & quam parum à verò aberrent Ordines, cum præsentem pacis tractationem, quæ offertur ex ijsdem affectibus, quibus aliæ præcedentes, deriuari iudicent. Quid? quod etiam nunc tam aduersus Regem Franciæ & Angliæ Reginam, quàm in has Prouincias multò crudeliores & perniciosiores machinationes deteguntur, quam vnquàm antea: ita vt humores Senatus Hispanici nequaquam ad vtilitatem harum patriarum mutati sint. Sed nec vllam habet verisimilitudinem Hispanos nunc vel maximè à Belgis offensas, eis velle esse beneuolos, magis quam ante offensionem fuerunt, aut has Prouincias, in quas se ius habere gloriantur, mitius tractare, quam Reges & Regna Franciæ, Angliæ, & Scotiæ, quæ in iure, authoritate & dignitate ijs sunt paria. Quare ijdem Ordines generales officij & iuramenti ratione teneantur, & necessariò cogantur, sibi tanto magis ab insidijs, dolis & machinationibus dicti Senatus cauere: præsertim cum confœderatæ Prouinciæ prædicta nuper tentata latrocinia, tam in Regem Galliarum, quam in Reginam Angliæ, vti & bella, quæ contra coronam Franciæ, etiam post aduentum S.C. cessantibus & sublatis omnibus præcedentibus prætextis, continuantur, iustis rationibus tali corde ferant, quali amicitia, societas & communio rerum requirunt. Quin etiam etsi credi posset S. C. huiusmodi parricidalia facta minimè placere, non tamen id tanti ducendum est, quanti propositum, intentio & mala voluntas Regis Hispaniarum, eiusque Senatus Hispanici, à quo S. C. commissionem & authoritatem suam accepit: qui & eam quocunque tempore potest reuocare, & alium eius loco surrogare, contra quam mutationem nullis conditionibus se quispiam potest communire aut securitatem polliceri. Præterea nec Ordines generales induci possunt, vt intelligant, se vllum in dictis Prouincijs confœderatis aut extra illas apud Reginam Angliæ (cum qua tam in hac, quam in alijs causis arctissimum fœdus percusserunt) nec apud Regem Galliæ, aliosque Principes, Respubl. harum regionum, & communes Christianæ causæ amicos & fautores, in hac propolita pacis tractatione fructum facturos esse. Decretum igitur illis est, in fuo ad Deum omnipotentem refugio permanere, & ab eius omnipotenti, immutabilique manu & bonitate (non obstante quod semper cogitarunt, & adhuc cogitare & perpendere possunt, omnia mundana mutationi & vicissitudini esse subiecta) fuæ iustæ causæ non tantum confœderatis, sed & alijs Belgicis Prouincijs, ad propagationem eius gloriæ, & promotionē diuini verbi, ad vtilitatem quoque & salutem inferioris Germaniæ, felicem & laudabilem euentum expectare. Hactenus Ordines.

Ex hoc Ordinum Confœderatorum responso Archidux Ernestus, intelligere potuit, quam alieno essent animo, ad tam incertam dubiamque reconciliationem, & priusquam de maiori aliqua sinceritate sibi quid promittere possent, cum Hispanis ineundam. Quæ de Reginæ Angliæ veneno tollenda ante dicta sunt, latiùs Lectori explicabimus.

Doctor Lopez à Fontano & Tuara conductus, vt Reginam Angliæ veneno interficeret.

In Anglia diù habitauerat Medicus quidam Lusitanus, nomine Doctor Lopez, Aulæ inseruiens. Hic confessus est, se à Manuele Dandrada, Bernardini de Mendoza, Legati in Gallia familiari, solicitatum, vt Regi Hispaniarum officium faceret, sibique per eundem nomine Christophori de Moro Regij summi Consiliarij pretiosum quoddam cimælium traditum, dicētem Regem hoc ipsi mittere in signum honoris, & vt magis induceretur ad secretum illud promissum officium perficiendum. Per hunc Dandrada, & quendam Manuelem Ludouicum Timoco, qui huc illuc frequenter ittare solebat, media inuenit Bruxellis cum Comite Fontano, & Secretario Stephano D'Iuara, scriptis communicandi: plurimasque litteras eò transmiserat opera euiusdam Nobilis Lusitani, Stephani Ferreræ de Gama, qui in seruitio Don Anthonij, Regis Portugalliæ omnia sua bona amiserat, & hac ratione ea sibi restituta iri sperans, in facinus hoc consenserat, & de eo cum Christophoro Moro contulerat. Literas quoque ab ipso Fontano & Iuara 12. & 14. Decembr. anno 1597. scriptas, acceperant, quæ in iudicium palàm productæ, & lectæ sunt. Hi ita Lopezium, vt Reginam Angliæ Veneno tolleret, quinquaginta millibus coronatorum conduxerant, cum vlteriori promissione Regem filiarum matrimonia sumoperè promoturum, pecunias ipsi per literas Cambij certo numerandum, quas Fontanus iam procurauerat, rogans, vt negotium maturaret, quo Regem læto Festo Paschatis afficeret. Literę Cambij scriptæ erant à Gonzaluo Gomez, quarum alteræ directæ ad Petrum de Carreras, alteræ ad Iohannem Pallacium, vt pecunia numeraretur Francisco Torres, Lopezij familiari.

familiari. Hac de causa Lopezius, Ferrera, & Manuel Ludouicus, hæc omnia confitentes & confirmantes, tãquam Proditores Londini 17. Iunij, supplicio affecti sint. De cuius proditionis institutione in Anglia libellus typis editus est, in quo repetũtur similes actus præcedentes: & conquæritur, Secretariũ Stephanum de Iuarra, aliosq; etiamnum cotidie Anglos, ac alios solicitare, & conducere, vt Reginam interficiant, videlicet, Edmundum Iorck, Consanguineum eius, qui Zutphaniense Propugnaculum prodiderat, Richardum VVilliams, & puerum, qui omnes tres Londini captiui detinerentur, præterquam Patuckium Callenium, qui eadem de causa paulò ante cum alijs Londino fuspendio necatus esset. Qui omnes instigatiũ Stanlcio, eiusq; Vicario Iacobo, & Iesuita Holtio, ac alijs septem vel octo profugis Anglis, pluribus de ea re Bruxellis inter se habitis consultationibus, ingentem ei pollicentes pecuniam, qui quoque modo, quaque via Reginam è medio tolleret, quemadmodum latius in dicto libello variis linguis impresso legere licet. Concludens, mirandum Regem Hispaniarum, coram Deo & hominibus, de tot suorum Consiliariorũ facinoribus conuictum, hanc maculam tot institutorum latrocinio-rum, (si modo ipse culpa careret) punitione auctorum non eluere vel purgare: addens, quia in eo officium suum non faceret, Reginam minimè culpandam, si alijs mediis licitis, quibus vti hactenus noluisset, imposterum sibi prospicat, & consulat: cui, si modo eiusmodi quid contra personam Regis tentare voluisset, non defuissent media & instrumenta, id perficiendi. Quin potius, si quis ex subditis Reginæ tale quippiam cõtra aliquem Principem tentasset, illam de eo grauissimum supplicium sumpturam fuisse, vel auctores pro meritis & libitu punicndos traditurã fuisse. Hæc & similia in libello isto contiuebantur.

An. 1594.

Libellus typis editus in Anglia, quomodo Regina insidietur.

Vt etiam Lector intelligat, quid sit, quod Ordines, in responso suo de quodam Michaele Reinichonio commemorant, breuiter recensebimus Historiam. Michael hic natus in Pago Temphor, Presbyter & Pastor in Boisier, Comitatus Namurcensis 10. Martij præterito, in habitu militari cum literis à Comite Florentio Barlamõtio, Bruxellis, Louanio, Diesthemio, Herenthalia, in Turnhaut profectus est: atque inde per præfidiarium militem Bredani deductus: quam vrbem ingressus 12. dicti mẽsis, Gubernatori tradidit certas quasdam literas obsignatas, quas se à dicto Barlemontio accepisse dicebat, vt Capitaneo Larigonio, qui Arci Turnoltanæ olim præfuerat, traderentur. Argumentum autem literarum erat, tabellarium hunc expresso mandato Archiducis Ernesti Austriaci in confœderatas Prouincias proficisci. Deinde Michael Gubernatori retulit sibi mandatum esse certam proditionem dictę vrbis Bredanę, diuerso, sed non verisimili rationem tuco colorabat, dicens: Se aliquandiù Abbati Malomæo à Secretis fuisse, & breui promotum iri in Secretarium dicti Comitis Barlamontij. Quæ tamen omnia postea confessus est ficta fuisse, & se ementium esse. Nec adduci potuit, vt diceret, cur istuc veniisset, donec captiuus in Hagam Comitis mitteretur: vbi primo die Aprilis facto ex ligaminibus suis laqueo, se in carceribus strangulare voluit. Sed superuenientibus alijs simiuiuus inuentus est, loquelę propemodum impos & cruentum laquei signum in collo circumferens. Custoditus postea diligentius in tormentis, & extra tormenta examinatus, voce viua & scriptis confessus est, Se à Comite Barlamontio, mandato, aut saltem consensu Archiducis Austriæ Ernesti conductum, vt Mauricium Comitem Nassouium, eiusq; fratrem Lugduni Batauorum bonis artibus incumbentem, Consiliarios quoq; & alios nonnullos, Aldegondium, Leoninum, quem & Longolium vocant, & Barnefeltium ex insidijs cum alijs sex complicibus, qui subsequerentur, trucidaret, acceptis in Id 200. daleris Philippicis: & instructione quomodo res instituenda. Relatum ipsi quoque 15000. coronatorum in promptu esse, illi numerandos, qui primò eam perficeret.

Historia de Mich. hacle Reinichio, proditore.

Quamobrem Legati Archiducis, Otto Hartius, & Hieronymus Comans, siue quod hac de re Mandatum acceperant, siue proprio motu in Senatu Ordinum generalium, cùm antea, vt dictum, orationem de litteris Ernesti habuerant, hæc addiderunt. Cùm sua Celsitudo confessione & declaratione cuiusdam captiui accusetur, quasi propositum ipsi fuisset, Illustrem Comitem Mauricium Nassouium ope eiusdem captiui è medio tollere: iuxta Mandatum & præscriptum, quod idem captiuus à Comite Barlamontio accepisset (quæ sanè calumnia & delatio est im audens, atque intolerabilis, rerum scilicet earum, quæ nunquam venerunt, aut tranſierunt, in, aut per minimam S.C. cogitationem: ex cuius domo & progenie tam infamis turpitudo nullo vnquam tempore processit, neque diuina gratia procedat vnquam) hos nomine S.C. vt ad cognitionem ipsius veritatis perueniatur, vobis supplicare voluimus, vt eũdem captiuum sub certa custodia, additis quibusdam Commissarijs Antverpiam, aut Bruxellas mittatis, ea conditione, quod S.C. promittet eundem designato à vobis tempore & loco restituere, & absque impedimento dimittere, aut si velitis Bredam, quæ sub iurisdictionis huius partis est, remittere, vt in dictis locis à Comite Barlamontio, qui eum in finem cum alijs Commissarijs nomine S.C. ibidem comparebit, refellatur, & in circumstantijs, quæ videbuntur necessariæ, examinetur, ea cõditione, vt ipsis vtrinq; publica fides concedatur. Aut vt minimũ vos ipsi modum alium inue-

Postulatio Legatorum Archiducis, in cau. Reinichonij

Digitized by Google

An. 1594. niatis, qui compendiosissimus vobis, certissimusq; videbitur, quo ad detectionem veritatis perueniatur. Quod propriè faciet ad purgationē & excusationem S.C. similiter & vestram. Quod & ad summam laudem iustitiæ, quæ apud vos est, redundabit: vt de quibus in hoc casu nulla poterit haberi suspicio, quasi alio fine & scopo huiusmodi à captiuo fuerint dicta, declarata aut disseminata, ad detractionem & obscuritatem laudis alicuius, vel ad calumniam eius Cels. struendam confícta.

Sententia in Michaelem Reinichouii.

Hactenus Legati Archiducis: sed nihil hac sua oratione & petitione effecerunt. Ordines enim captiuū ab aliis, quam à se, nec alibi, nec alijs præsentibus examinari voluerunt: sed paulò pòst hac sententiæ formula capite damnarunt. Iudices ad cognitionem & iudicium causæ huius ab Ordinibus confœderatarum Belgicarum Prouinciarū constituti, deprehendunt & iudicant, hoc factiosus esse mali exempli & consequentiæ: quod in Prouincijs, vbi viget iustitia, neque sine periculo, damno & ruina tranquillitatis & salutis Reip. & causæ communis disimulari aut impunè ferri, sed grauiter alijs ad exemplum puniri debet. Omnibus igitur ponderatis, dicentes, ius nomine ordinum prædictorum damnarūt, & his præsentibus damnant prædictū captiuum, iubentq; vt ducatur ad consuetum supplicij locum, vt ibi dein gladio feriatur: ita vt mors subsequatur. Cadauer deinde in quatuor partes diuidatur, caput stipiti imponatur, partes cadaueris de quatuor munitionibus Hagæ Comitis, alijs exemplo suspendātur, & facultates seu bona eius fisco subiiugnentur. Sententiā hanc mox supplicij executio est subsecuta, & Reinichouius capite plexus, atq; in partes quatuor publicè dissectus est. Pœnitens magno animi dolore, constansq; in confessione ante dicta, pro inimicis suis orans, Pontificiæ Religioni abrenuncians.

Petr. du Four proditionis accusatus, & punitus.

Postea similis confessio & Sententia in Hollandia typis diuulgata es, aduersus Petrum du-Four, Niuellensem, qui ante aliquot annos Nassouio & Confœderatis militauerat, & à Mottæo solicitatus erat, vt eum Bergas ad Zomā proditione capere iuuaret. Qua de causa cum in cubiculum Archiducis Ernesti deduceretur, à Secretario & alijs Consiliarijs inductū se fuisse fatebatur vt Comitem Mauriciū interficeret ad templum euntem: quāobrem etiam scripta quædam sub signare & iurare se coactum, & deinde ad lectum Archiducis, in quo decumbebat deductū, hunc ipsum hisce verbis Italicis allucutum: *Facete quel che me auete promesso, amaßate quel Tyranno*, cui respondisset, *Lo faro*. Postea à Consiliario D'Assonuille & Secretario ipsi persuasum, se virtute Missæ, quā Bruxellis in Sacello aulę audierat, inuisibilem fore in exequendo tali facinore. Tandem ipsi quandā summam pecuniæ numeratā, cum admonitione, vt prudētius se gereret altero qui propria confessione mortem sibi conscisset. Ita Bergam veniens & captus, hæc confessus est, suamq; confessioem manu scripsit. In qua (quamuis cōmonefactus, ne Principem tantę progeniei, eius Consiliarios innocētes, vel iniuste deferret) ad extremum vsq; perseuerauit. Quare idem Petrus du Four per deputatos ab Ordinibus generalibus, Magistratum Bergezomensem, & Cōsiliarios militares capitis damnatus, strangulatus, & capite abscisco, corpus in quatuor partes dissectum est, & singulæ partes diuersis in mœnibus locis expositæ, 17. Nouemb. an. 1594.

Hæc effecerunt, quo minus Prouinciæ vnitæ de Pace cum Ernesto tractare volebant, admiratæ iam eos debellatum venire, quorum causam olim frater suus Archidux Matthias defenderat, etiam periculo proprię vitę, & discedens sumoperè recōmendauerat domum, vel familiā suam Austriacam, quos quoq; remotis, & dimissis omnibus Gubernatoribus & militibus extraneis, soli sperabantur futuri mediatores sincerę & non simulatæ Pacis vniuersalis. Sed spe matrimonij cum Infante Hisp. Regis filia lactatus, Regem offendere non audebat.

Comitia Ratisbonenſia.

Imper. Rodolphus Comitia omnium Ordinum & circulorū Imperij Ratisbonę, sub finem Febr. tam subsidij contra Turcam, quam aliarū rerum tractandarum causa indixerat: sed propter varias difficultates pasim emergentes in Martiū, deinde Apr. dilata sunt, actandem Maio mense initiū habuerunt. Ita Imper. 16. Maij solenniter & maxima pompa vrbē Ratisbonnens. intrauit, quo etiā in persona venerant tres Ecclesiastici Electores Moguntinus, Treuerensis, & Colonienſis, Dux VVilhelmus Fridericus, Administrator Electoratus Saxonici. Philippus Ludouicus Palatinus Rheni. Dux Bauarus, Maximilianus. Casimirus & Ernestus fratres, Duces Saxoniæ Coburgi, quorū Pater Gothæ capiebatur. Fridericus Dux VVirtenbergicus. Georgius Ludouicus Landgrauius Luchtenbergensis. Augustus iunior Dux Holsatiæ. Christianus Princeps Anhaltinus, & alij. Vicinorum quoq; Principum & ciuitatū Legati. Nomine Regis Hisp. ratione Belgicæ fum Prouinc. & Burgundię, Carolus Philipp. Croyus, Marchio Hauręus. Prefes Lucenburgenſis, D. Hachsteinius, & Simon Grimaldi, arcani Senatus Regij Secretarius. Præter Electores ex Ecclesiasticis quoqe Episcopi Saltzburgensis & Herbipolensis, alijque.

Cæſar ad tem plū deducitur

Propoſitio Imperatoris.

Iunij die secundo, Imperator omnes Electores, Principes præsentes, aliorumque absentium Legatos & Consiliarios, ad se in Palatium Episcopi Ratisbonæ conuocauit: qui omnes manè circa horam septimam compareuruńt, & vna cum Imperatore decenti ordine ad summū templum profecti sunt, inde in Curiam, vbi cum vnusquisque secundum ordinem sessionem suam, & locum occupasset, Philippus Ludouicus breui oratione demonstrauit, nomine Imper.

Cæs.

Cæsar. Maiest. quomodo Turcarum Imperator, Sulthan Amurathes indicias anno 1591. renouatas, fregisset: per Hassan Bassam in Bosna, qui finitima loca, nempe Reptisch, Wihtisch, Prusnitch & Grassowitsch occupasset, Petrinam in solo Christiano extruxisset, inde que Croatiam, & fertilem Regionem Tyropoliam deuastasset, multis Christianis in seruitutem abductis, imò de hac violatione inducias apud Turcam accusatum, ab eodem magnis muneribus donatũ, & maiori potestate quam antea decoratum: tandem hũc in obligione arcis Zisseckanæ cum suis profligatum, & occisum pœnas perfidiæ luisse. Qua re Turckam magis offensum, bellum Christianis denunciasse, & iterum dictam arcem per Beglerbeckum obsedisse & cœpisse. Interea etiam per Velir Bassam, & eundem Beglerbekum ac alios Bassas & Begas Græcię Regnum Hungariæ inuasisse, duas vrbes finitimas, Vesprinum, & Palottam cepisse. Legatum quoque siue Oratorem Imperatoris, D. Fridericum Cracouvitzium, Constantinopoli in carcerem con iecisse, qui Albægræce in vinculis obijsset. E contrario quatuis Cæsarei prædictum Bassam Bosniæ ltrauissent, & Bassam Budensem cum aliquot millibus profligassent, multaque Castra & loca fortiora recuperassent, necesse tamen fore, vt maior defensio præparetur, & sumptus contribuantur, qua in re Cæs. Maiest. Principum & Ordinum Imperij auxilium imploraret. An. 1594.

Qui post longam & diuturnam deliberationem, prout in Imperio moris, aliquot mensium subsidia & Contributiones Turcicas, vt vocant, promisse sunt, atq; decretæ. Deinde actum est, de ordine belli, disciplina militari, & quantitate exercitus conscribendi. De reformatione iustitiæ, siue Camerę Imper. De qualitate monetę & matricula (vt appellatur) Imperij. De tumultibus belgicis componendis, quem admodum latius videre & legere licet in Libello de recessu horum Comitiorum, seorsum edito. Vltimo diuersi Principes Imperij Regalibus, & feudis pręuijs solemnibus cæremonijs & iuramento inuestiti. Nimirum Elector Colonensis, Elector Palatinus, Dux Pomeraniæ, V Virtenbergicus, & alij, tandemq; 19. Augusti recessu publicato, quisque domum redijt.

Diſſidium in ter Principes.

In his Comitijs inter Protestantes Principes ortum est disidium, quod videlicet Elector Palatinus, Augustanam Confesionem non ita stricte obseruaret, vt alij: nimirũ Dux V Vilhel. Fridericus Administrator Electoratus Saxonici, qui in administratione Curatelæ Iuniorum Electorũ, opiones Flacci Illirici, & Iacobi Andreæ (à præcedętibus Principibus moderatas) reuocarat, & introduxerat omnes q; contradicętes, ex Academijs, Scholis, & alijs locis in exilium miserat, & persecutus erat, tanquã Caluinistas, aut Zvvinglianos. Ita vt Lipsiæ & alibi fub prætextu hoc executionis contra Caluinistas, tumultus, & spoliationes quarundam ædium excitarentur. Horum plurimi è carcere dimissi, in Palatinatu recipiebantur.

In Comitijs de rebus Religionis.

Eaque de causa Protestantes Saxonici, se à Palatinis in his Comitijs in cõmunibus petitionibus & propositionibus segregare volebant, quod tamen maior pars pacis studiosa, non sequeba bur. Cùm autem præsenti Electori Palatino obijceretur, eum contrarię Religionis, quam Pater fuisset, esse, rotundã & modestã de ea confessionẽ tradidit, quã hic breuiter annectere voluimꝰ.

Confeſſio Elect. Palatini in Comitijs Ratisbonenſibus.

A Religione patris mei bonæ pięq; memoriæ, quæ in scriptis Prophetarũ & Apostolorum fuit, non recessi, credidit dum viueret, non in Martinum, siue Iacobum, sed in Christum. Idem Symbolum (eadem fidei fundamenta) constanter quoque seruo, seruaturusque sum. Arrij, Nestorij, Eutychij, & Anabaptistarum errores, Pater meus abnegauit, eosdem ego filius abnego & detestor ex animo. Sacramentorum errores (qui duplices sunt. Alij eorum, qui ex Sacramentis idola faciunt, & signa pro re signata venerantur ac æstimant, non obseruantes aut cõsiderantes Sacramentorum sententias: alij eorum, qui ea pro nudis & simplicibus habent signis) detestatus est Pater, hos & ego detestor filius. Accedo propius. Caluinismum & Zvvinglianismum reiecit Pater, idem facio ego filius, si modo verùm est, quod Vbiquitarij & Flacciani fingunt, nimirum, si veritas aut Omnipotentia, siue tota Christi præsentia in terris abnegaretur. Sed hoc in errore felicior sum patre, quod sub nomine Caluini à seditiosis & ambitiosis in Germania, veram orthodoxamq; Religionem contaminari, & conuiciari sciam. Quod tandem pius Princeps, Pater meus cognouisset, si Deus ipsi diuturniorem largitus fuisset vitam, quemadmodum & hunc dolum & fraudem potentissimi duo Saxoniæ Electores animaduerterũt, Augustus, pater, & Christianus, filius, Principes certè prudentissimi, & omnium scriptorum summa laude dignissimi. D. Lutheri scripta non minoris facio aut æstimo, quã bonæ memoriæ pater meus. Sed rectè eos imprudentes iudico, qui omnia, quæ ipsi vt homini excidерunt, pro auro gemmisque habent, & deosculantur.

Conſultatio in Comitijs de re Belgica.

In Comitijs quoq; his, vti supra attigi, diù multumq; consultum est, de belgicis tumultibus componendis. Idque propter plurimas vicinarũ Prouinciarum & Ordinum quærelas, quibus conquerebantur, contra manifesta sacri Impérij sæpiusq; repetita in Comitijs placita, milites in Imperio cogi, absq; vlla præmissa cautione exercitus recẽsendo, delectus habendo, hybernãdo, castra collocando, & copias transportando, se suosque miserè affligi, exagitari, spoliari, communemq; patriæ statum sæpè per huiusmodi vim & violentiam periclitari. Pacificatio aũt hæc

difficilis

An. 1594. difficilis videbatur plerisque, imprimis, quod Regem Hispaniarum, & consequenter Domum Austriacam his tam opulentis & potentibus Prouincijs, certis quibusdam conditionibus, & contractibus priuari inconsultum foret, deinde etiam prouincias vnitas siue confœderatas cum Rege reconciliari fere impossibile esset; vti in responso ad Ernestum relatum. Nihilominus quædam adhuc media superesse putantes, decreuerunt & nominarunt quosdam Principes, ad vtramque partem vno eodemque tempore mittendos. Summam quoque pecuniæ, ad vsum defensionem finitimorum Imperij Regionum, contra vtriusque partis vim & violentiam colligendam.

Legatio Ordinum Holl. in Daniã & Scotiam.

Hac æstate Ordines confœderati magnificam Legationem, ad confirmandos antiquos tractatus nauigationum & commerciorum, in Daniam miserunt. Eodem modo ad baptismum filij Schotiæ Regis inuitati, eo miserunt vltimo Iulij Dominum de Brederode, & Vianen, Thesaurarium & Consiliarium Zelandiæ, D. Iacobum Valckium, multis Nobilibus comitatum. His in Schotiam appellentibus, eodem quoque tempore aduenerunt Legati Regis Galliæ, Angliæ, & Daniæ. Puer denominabatur Henricus Fridericus, cui per Legatos Confœderatarum Prouinciarum in duabus Pateris, & alijs Capsulis oblatæ sunt, plus quam quadringentæ vnciæ auri puri, item literæ sigillatæ, qua à Prouincijs donabatur 5000. florenis annuis ad vitam, quotannis Campveræ recipiendis.

Rex Galli sibi plurimos reconciliat.

In Gallia Rex mira lenitate, prudentia, & humanitate, maximam partem inimicorum sibi reconciliauit, eos bonis rationibus, officiorum delatione, alijsque beneficijs alliciens. Ita vt hoc anno totam Normandiam, Guienam, pacauerit atq; subegerit. In Picardia autem multæ adhuc Ciuitates restiterunt, à Belgis instigati, & præsidijs muniti, quo etiam Rex omnes vires suas derigebat. Laon oblidebat, cogebatque ad deditionem, Confœderatis, aut Mansfeldio id impedire non valentibus, qui tamen prius Chapellam in Ducatu Thieracensi, vulgò Ζτραβ/ cœperat, antequam subsidia Regis aduenire poterant. Dux Mayniusin persona Bruxellas venerat, auxilia petiturus, vbi quidem bonani pecuniæ summam accepit, sed non sufficientem, ad Regis victoriam impediendam. Dux Guisius tandem quoque cum fratre bonis conditionibus cum Rege reconciliatus est. Maynius in Burgundiam, vbi adhuc complures habebat fautores & complices (vtputa Ducem Nemoursium & alios, qui etiam vrbi Vienensi ad Rhodanum imperabat) se recepit, ex Sabaudia quoq; adiutus, sed paruo effectu aut commodo. Cùm Regem sequentes cotidie numero & potentia accrescerent.

Nauarrei in Britannia Galliæ.

In Britannia, Dux Mercurius valdè ab Hispanis sollicitabatur, vt bellum continuaret: non obstante Regina Vidua, sorore sua, cum Rege ipsum tentaret reconciliare, quod tum temporis nondum fieri poterat. Hispani sub imperio Iohannæ Dagula, qui Blauettum, inexpugnabilem munitionem tenebant, hac æstate ad Brestum fluuium non procul à Croysonio aliud Propugnaculum excitarant, quo portum Brestensem occludere se posse sperauerant, & quidem non imprudenter, sed in eo peccarunt, quod non è regione in altera ripa similem munitionem ædificarunt. Quod ne facerent, Mareschallus Daumontius, & Imperator Anglorum Noritius, quibus iam maiores copiæ cum Classe ex Anglia sub ductu Admiralij Forbischeri erant submissæ, oppidum & castrum Morlayum, & Quinpercorentinum occuparunt. Deinde & munitionem prædictam ad Brestium fluuium expugnarunt, cæsis qui in ea inuenti sunt Hispanis omnibus, ad quatuor centena circiter. Sed in hac oppugnatione ingens Nobilium Francicorum & Anglicorum numerus, vna cum Vicario Forbischero desideratus est. Hispani quidem ex Blaueto in itinere erant, vt obsessos liberarent, sed serius aduenientes, quare ad munitionem suam redierunt.

Confœderati Galli, cùm vi nihil efficere se posse viderent, Regis personæ & vitæ insidiati sunt, palam has sermones & opiniones vrgentes, atque in vulgus spargentes, licere, imò rem esse meritoriam, Regem occidere, quam diu adhuc excommunicatus, & per Pontificem nondum absolutus esset.

Rex Nauarræum vulnerat à Iohanne Castellio.

Hac opinione & falsa persuasione inductus Iuuenis quidam Parisiensis, Ioannes Castellius, filius Petri Castellij, mercatoris prædiuitis, in Collegio Iesuitarũ sub præceptore Ioanne Guereto, litteris operam dans, 27. Decemb. vesperi, cùm Rex Lutetiam aduenisset, & Nobiles eum salutatum venirent, eorum comitatui se immiscuit, & cubiculum vnà intrauit, occasionem Regem interficiendi captans. Rege enim se inclinante, vt Proceres saluraret, astitit Castellius, qui si & ipse magna cum reuerentia saluturus, & cultro iugulum eius petijt, sed errauit manus, & dum guttur Regis confodere nititur, Rege profundius se inclinante, per maxillam in illius dentes impegit, vnumque elidit. Hic quamuis oborto tumultu in tenebris euasurum se putabat, tamen comprehenditur, & biduo post huiusmodi à Parlamento Parisensi in illum lata est sententia. Cùm in confessu magnæ Cameræ, quæ & Tournelle dicitur, visus, auditusque sit processus crimininalis, inceptus quidem à rerum Capitalium Prætore Palatij Regis, & tandem definitus ad petitionẽ Procuratoris Generalis Regij, accusatoris Ioan. Castellij Parisiensis studioli,

Sententia in Castellium lata.

Digitized by Google

diosi, qui studij sui cursum in Collegio Claremontio absoluit, nunc captiui in carceribus Palatij, ob detestandum & execrabile parricidium in Regem tentatum: auditis etiam interrogationibus, examinationibus & confessionibus dicti Ioan. Castellij. Examinato insuper in eadem Curia eodem Castellio super idem parricidio: & audito Ioanne Gueret presbytero congregationis & societatis Iesu, in eodem habitante Collegio, atque olim dicti Ioan. Castelli præceptore: auditis denique Petro Castellio, & Dionysia Hazardi patre & matre Ioannis: Curia discussa Procuratoris generalis conclusione, omnibusque præcedentibus consideratis, declarauit & declarat dictum Ioannem Castellium teneri, & conuictum esse criminis læsæ Maiestatis, tam diuinæ, quam humanæ: ob sceleratum & detestabile parricidium in Regem tentatum. Pro cuius criminis expiatione & supplicio Curia condemnauit, & condemnat prædictum Ioannem pœna subsequente. Initio stabit ante valuas primariæ Ecclesiæ Parisiensis nudus, solus tectus interula, & ceream ardentem duarum librarum manu tenebit, procidensque in genua cõfitebitur, & dicet se turpiter, & proditorie inhumanum & abominabile hoc parricidium committere voluisse, Regemque cultro in vultu vulnerasse: dicetque se fallis & damnandis institutionibus, & persuasionibus huc inductum esse, vt crederet sibi permissum, Reges interficere, & Henricum IIII. modo regnantem non esse membrum Ecclesiæ, priusquam à Pontifice maximo approbatus fuerit. Factum hocin se detestabitur, DEVM, Regem, & Iustitiam orabit, vt sibi ignoscant. His factis curru obscœno vehetur ad locum, cui nomen *Greue*, ibi forcipibus ignitis, seu candentibus cius brachia & pedes vellicabuntur. & lacerabuntur: dextra verò, in qua cultrum tenebit, quo factum perpetrauit, amputabitur. Tandem quatuor equis alligatum corpus in totidē partes diserpetur: partes in ignem injcientur. & in cinerem redigentur: cineres autem in ventum proiecti, dispergentur. Declarauit eadem Curia & declarat, omnia eius bona fisco Regio esse subsignanda. Antequam hæc executio fiet, dictus Ioannes Castellius ordinarijs, & extraordinarijs quæstionibus subijcietur, vt sciatur, qui eius fuere complices, & vt interrogetur de alijs quibuslam hinc dependentibus. Prohibuit & prohibet omnibus hominibus, cuiuscunque sint qualitatis & conditionis, sub pœna criminis læsæ Maiestatis, ne quis publicè, vel priuatim dicat, aut sustineat huiusmodi propositum, quasi id quod Curia iudicauit, & iudicat, sit scandulosum, seditiosum Dei verbo contrarium. & tanquam hæreticum in sanctis decretis condemnatum. An. 159.

Constituit insuper, vt omnes Sacerdotes Collegij Claremontij, & omnes alij prædicti fo- *Sententia lata Iesuitas.*
cietati addicti, tanquam corruptores iuuentutis, perturbatores pacis & tranquillitatis publicæ, inimici Regis & Regni, infrà tres dies post promulgationem huius Edicti, Lutetia, & alijs vrbibus atque locis, vbi sua tenent Collegia, discedant, & infra quindecim subsequentes dies, toto Regno exeant. Quod nisi fecerint, & post præscriptum tempus vsquam inuenti fuerint, tanquam læsæ Maiestatis rei punientur. Illorum autem mobilia & immobilia bona vertentur in alia pia opera, & distributio eorum fiet secundum arbitrium & decretum Curiæ. Interdicit etiam omnibus Regis subditis, ne filios suos etiam extra Regnum in dictæ Societatis Collegia mittant, vt ibidem instituantur: si quis contra venerit, eadem læsæ Maiestatis pœna tenebitur. Hactenus sententia Curiæ. Post quam diuulgatam Ioannes Castellius eadem die, quæ erat 29. Decembris, vinctus in publicum producitur, & secundum præscriptum Mandati, seu sententiæ, ad mortem rapitur.

Hæc tam acris seueraque septentia contra Iesuitas, iam ante, nimirũ 12. Maij proximè elapsi, nomine Rectoris, Decani, Procuratorum Nationum, aliorumque Vniuersitatis Parisiensis membrorum, per Aduocatum M. Anthonium Arnoldi expetita & deliberata erat. Hac de causa, quod, vt ille aiebat, diuersos incitassent ad interficiendum Regem, interque alios quendam Barrierium nomine, qui eam ob rem Meloduni extremo supplicio affectus esset. Tum quod magis, quàm subditum deceret, iuramento Superiori vel Generali (qui semper aut Hispan. aut Regi Hispaniarum subiectus esset) obstricti essent, aliisque de cauſis. Contra quæ Iesuitæ D. Collegij Clermontij publicè se defenderunt. Quæ cum vtrinque typis Parisijs sint edita, eo curiosum Lectorem remitto. Inter crimina etiam, quæ ipsis obijciebantur, illud quoque fuit, quod paucis annis ducentorum millium florenorum prouentus sibi constassent, & iam Ducatus, Comitatus, ac Dominia possiderent. Cui criminationi respondebant, se præter vigintiquatuor, aut vigintiquinque domus, quas in Gallia possiderent, non vltra sexaginta millium florenorum in annuo reditu habere. Res profectò admiratione digna, celeberrimam illam Vniuersitatem Parisiensem, persecutos esse, & ciecisse sanctos illos doctosq; Iesuitas, vel socios Iesu. Aguntque Reformatæ Religionis addicti, Deo immortales gratias, hostes patriæ & potissimum suos absq; ipsorum opera aut auxilio, ad securitatem publicam expulsos esse. Sollicitabatur præterea omnes Monachos, & nouos Ordines, qui nollent Deum pro Regem orare (quamuis nondum à Pontifice absolutus esset) eijciendos.

Rex Nauarræus consultius putans Regnum suum humanitate pacare, & hostibus suis extra- *Nauarræus Belgicis distidiuer-*
neis extra Regni limites bellum inferre, eoque modo suo Regno parcendum, atque bellum à se

An. 1594. diuertendum, vicinis ditionibus, videlicet Artesiæ, Hannoniæ, & Luxenburgo, significarit, cùm arma sua defensiua, iniustam hostium armorum suscepti onem, contra se vincere non potuerint, sibi statutum esse hostes suos, qui inter illos, persequi, nisi eosdem ipsi à se repellerent.

mbus Philip. Regis bellum parat.

Inito igitur cum Hollandis & confœderatis socijs pacto, conuentum est, vtrinque certas quasdam copias in Ducatum Luxenburgensem (qui nondum belli incommoda expertus esset, vnde etiam omnibus copijs ex Italia, Germania, Lotharingia venientibus iter impediri posset) mitterent, quibus coniunctis Bullonius Mareschallus Franciæ (Vir Reformatæ Religionis, pro uincijsq; vnitis gratus, qui duxerat secundâ filiam Principis Auraici, è Carlotta Borbonia natâ) cum imperio præesset, tanquam Vicarius Regis. Has copias nominabant exercitum extraneum, quo saltem extra Galliam contra Regis Hispan. Subditos belligerandum. Ad hanc expeditionem Rex 27. Octo. An. millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, sub sigillo maiori Bullonio latissima mandata, & magnâ tribuit potestatem, quoscunq; nouos cum Belgis in iret contractus, eos se ratos habiturum pollicitus, & vt eius non minor, quàm Regia Maiest. habeatur ratio præcipiens.

Philippi Nassouij in Luxenbergẽsem Ducatum expeditio.

Mauritius Nassouius, & Belgæ conditiones alacri animo amplexi, aliud agentes, aliud simulantes: mense Octobri omnem belli molem & apparatum cum exercitu Arenacum Gelriæ in Velua, miserunt, famæ dantes, se in Frisia Gelriaue, vel contra Berckam quid moliri. Tandem Philippum Nassouium, cum duabus peditum legionibus, & quinque turmis equitum, omnique apparatu bellico magna celeritate, Luxenburgum versus miserunt. Sed cùm in itinere intellexissent, quatuor millia Heluetiorum peditum in eum Ducatum non ita pridem, venisse, qui Hispano militarent, tumultuantesque Itali, Sicheni pecunia pacati, adduci possent, vt his se iungerent, illisque resisterent, mutato consilio Belgæ decreuerunt, quod Francisc. Verius exercitum hunc omnem (duabus equitum alis exceptis, quæ in Brabantia tubsisterent, donec reliquæ copiæ se Bullonio coniunxissent) in Lutzenburgum ducerent. At cùm agrum Lutzenburgensem essent ingressuri, inuenerunt omnia itinera Caroli Mansfeldij, diligentia obsessa, vt nullus ipsis transitus pateret. Augustam igitur Treuirorum profecti, inde Sarburgum digressi. Mediomatricum iter instituerunt.

Mansfeldius eos insecutus terga subinde carpebat, sed cum ipsi faciem obuerterent, eos aggredi non audebat, ita tandem Belgæ 9. Nouembr. ad Bullonium veniunt. Verius cum equitibus, quia Mansfeldius & Comes Hermannus Therenbergius præsidiarijs Traiectenſibus & alijs comitati, & munitrieum redeuntem exspectabant, per agrum Bipontinum, Moguntiú reuersus, Rhenum traiecit 19. Nouemb. & tandem in Gelriam rediit, vbi maximis votis exspectabatur, cò quod Prouinciæ præsidijs, & potissimum equitatu destitutæ, irruptionem hostium ve hementer metuerent, quæ propter concreta nimio frigore flumina, non difficilis futura videbatur, sed plurimas copias ad Luxenburgensem Ducatum, ne quid detrimenti caperet, miserant.

Tumultus Italorum in Belgio.

Itali tam equites quàm pedites in Brabantia tumultuabantur: causa erat, quod dicerent, se post obitum Ducis Parmensis minus honestè habitos. Hispanos sibi præferri, his numerari stipendia, se verò negligi, aut potius contemni. Hac de causa relictis Castris Regijs Sichemum (oppidum Brabantiæ, Diestemo vicinum) occuparunt, ibique sese munierunt. Dum autem stipendia nulla mittuntur, totum agrum Brabantinum, ad portas vsq; Bruxellenses infestum habuerunt, agentes, ferentesque omnia. Querelæ & lamentationes incolarum frequentes ad Gubernatorem, Archiducem Ernestum adferebantur, ita vt coactus tandem fuerit Hispanum militem in eos mittere, qui illos aut in ordinem & ad officium faciendum cogerent, vel loco repellerent. Hæc res Italorum animos magis exacerbauit, quod viderentab Hispanis (quorũ seditiones manerent impunitæ) eorumque Præfectis. Fontano & Iuarra omnem sibi iniuriam inferri; sibi inuicem obijcientes, Hispanos non facilè ignoscere, Italos non facilè obliuisci. Hispani itaque imperata facientes, collectis aliquot copijs, infestis signis in Italos profecti, eos muni-

Mauritius Italos in suas partes trahere conatur.

tionibus quibusdam expulerunt. Mauricius motuens, ne ex hostilibus amici facti coiunctis viribus per concretos fluuios in hosticum irruerent, & confœderatis aliquod detrimentum inferrent, astu quodam Italos aggressus, eos quam maxime commendauit, eorum egregia facta, magnaque victorias, ipsis ad Gloriam Dei sub Parmensi concessas miris laudibus extulit, indigna esse quæ ab Hispanis paterentur, magnam que ipsis iniuriam fieri, oportere igitur vt sibi consulant: modum, viam que commodiorem ad illud non esse, nisi vt Galliarum Regi militent, quo usque debita stipendia numerentur.

His moti Itali vltimo Nouembr. ad Regem Galliarum scripserunt, ei supplicantes, vt suas (erant autem pedites 1023. equites 200.) protegat, in tutelam & defensionem suscipiat. At Rex Henricus totius negotij ventilationem Ordinibus Hollandiæ commendauit. Duos itaque è suo consilio Itali Ioannem Babtistam Rozzú, & Marium Homodornium ad Mauricium legarunt

runt, cum mandatis, & plena poteſtate, vel cum illo, vel cum eius Vicario, Gubernatore Bredano paciſcendi. Cùm his Legatis Mauricius & Confœderati pactum fecerunt, vt Itali ſi Sichemo pellerentur (vt paulò pòſt accidit) apud Confœderatos fides & defenſionem inuenirent. Pulſi itaque Sichemo in agrum Bredanum ſeſe receperunt, vbi ipſis omnia ad vitam neceſſaria, numerata prius pecunia, vendebantur. Interea cum Herauguerio de varijs rebus conſultarũt, vltrò citroque liberè commeantes. Alijs etiam locis, quibus Itali præerant, inſidias ſtruebant, vt vbicunque poſſent Regi Hiſpaniarum, incommodarent. Quæ inimicitiæ adeò creuerunt, vt Itali ab Hiſpanis, & Hiſpani ab Italis, haud aliter quam hoſtis ſibi ab hoſte, cauere debuerint. Tandem illis ab Archiduce magnificæ fiunt pollicitationes, ita Thienas in Brabantiam reuerſi ſunt, ibi pecuniam exſpectantes. Non aliud, vt videbatur quærentes, quam acceptis & numeratis ſtipendijs ſe dimiſſos iri, vt vel domum redirent, vel Regi Galliarum, prout cuique placeret, militarent. An. 1595.

His adiungebant ſe quoque quidam Irlandi, qui diù Stanleio, & à prodita Dauentria huc uſque militarant, qui omnes cum Prouincijs vniris tractabant. Hi tumultus, & quod magna copia militum in ditionem Lutzenburgenſem miſſa eſſet, Prouincias Confœderatas omni metu irruptionis per concretos fluuios, liberarunt. Cùm hyems eſſet acris, qualis ab anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquarto, hucuſque non fuerat. Verdugo tamen ex Linga & Oldenziela, aliquas excurſiones in agrum Græningenſem faciebat, ſed non ſine ſuorum iactura & damno.

Hiſpani interea, ali eque copiæ militares, qui ſimiliter ob non ſoluta ſtipendia apud Pontem Charentonium tumultuati erant, & iam 600. florenorum millia acceperant, in agro Cameracenſi ſub Principe Chimay, & alijs conuenerunt, vt Gallici præſidij, quod in vrbe erat, eruptiones, excurſiones que quotidianas cohiberent. Caſtra ſua habebant Hapræ in Hannonia, ſimulantes ſeſe Cameracum obſidere, vel coanguſtare velle. Sed cum varia incideren impedimenta, diutiuſque ibi hærerent, ſibi ſubiectas Prouincias Hannoniam, Artheſiamque depopularunt, colonos fugarunt, arces, monaſteria, villas ac pagos deripientes, ſpoliantes, atque incendentes. Ita vt Ruſtici cum familia & pecoribus in vrbes ſe recipere cogerentur. Hinc Agri inculti nullà dabant meſſem, hinc annonæ caritas, hinc fames & extrema miſeria: quam vt augerent Hollandi & Zelandi, prohibuerunt ne frumenta aliaq; ad vitã ſuſtentandam neceſſaria in hoſticum inferrẽtur: tributa quoque ſeu vectigalia, quæ Licentias vocant, ſuſtulerunt. Præſidiarij Cameracenſes, quorum numerus magnus, ſimiliter excurrebant in Hannoniam & Artheſiam, omnia diripientes, incendentesque multos Pagos, imò ipſa ſuburbia Valencenarum & Atrebatorum. *Cameracenſia eruptiones ſo crecentur.*

Artheſiæ, Hannoiæque, & reliquarum Prouinciarum, præcipuè Galliæ confinium incolæ animaduertentes ſibi à Gallo apertum imminere bellum, ſuos autem milites nunc huius, nunc illius nationis tumultuari, ad officium cogi non poſſe, nec hoſtibus obijci, non minora etiam ab amicò milite, quam ab inimico damna atque incommoda accipere, nec huic eorum petulantiæ breui modum ſtatui poſſe, eò quod Claſsis Indica immenſam auri copiam adferens, hoc anno non exſpectaretur, tum quia nautæ & claſsiarij multi contagioſis morbis eſſent abſumpti, tum etiam quia Angliæ Pyratæ illi inſidiabantur, cœpit Ordines diuturnioris belli, iſtiusque Adminiſtrationis tædere, quærelasque ſuas in Comitijs circa feſtum Natalitium Bruxellis indictis apud Erneſtum Gubernatorem deponere, & pacem quocunque modo flagitare. Quod cum intellexiſſet Rex Nauarræus, vt eos magis incitaret, ad Ordines Hannoniæ, Artheſiæque has dedit literas. *Ordines Belgici, de mala adminiſtratione conquerũtur, & pacem petunt.*

Cùm officium boni Principis & Chriſtiani ſit, Chriſtiano ſanguini parcere, & oppreſionem innocentium impedire: velle ſe, vt qui ex illuſtriſsima totius mundi familia natus eſt, & cuius antecеſſores Reges, omni tempore virtutẽ & pietatem dilexerunt, & ſectati ſunt, eorum ſequi veſtigia. Non ignorare Ordines Deum ſe legitima ſucceſsione & hereditate ad Sceptrum Regni Francij vocaſſe, vt iam obligatus ſit iuſtiſsimis, quas vnquam Princeps habuit, querelis occurrere, easque à capite ſuo auertere: teneri ſcilicet ſeſe horendum illud latrocinium in Regem ſœlicis recordationis, ſupremum Dominum & fratrem ſuum perpetratum vindicare, ſumque regale Patrimonium defendere, & aduerſus ambitionem, rebellionemque eorum, qui illud ſibi vendicare volunt, tueri. Et quamuis ab initio cauſas, animum, & vires ſufficientes habuerit, iniuriam hancin Prouincias & ſubditos Regis Hiſpaniarum (primarij auctoris, incendij & facis huius belli) vindicandi, ratione tamen, cauſisque totum Chriſtianiſmum reſpicientibus permotum, exigua, leuiique defenſione omnia pati & perferre ſe maluiſſe, idque ſpe amarulentam Regis hoſtilitatem iuſtitia ſuæ cauſæ, tot prærogatiuis & victorijs à Deo approbatæ, ſuperandi. Iam verò licet præcipuè hoſtes & perduelles ſui ſibi iam omnem obedientiam & fidem, interpoſito ſacramento, promiſiſſent, Hiſpanum nihilominus non ceſſare, reliquos ſuos hoſtes aduerſum ſe concitare, idque contra fœdera & pacta inter illum, & deceſſo- *Litera Nauarræi ad Atrebates & Hannonios.*

Digitized by Google

An 1595. res ſuos Reges inita: conari cotidie Gallici Regni vrbes & oppida ſuæ poteſtatis facere, earumque incolas in ſuam defenſionem accipere, idque nouarum copiarum militarium collectione, quas in Regnum Galliæ ſub prætextu vrbis Cameracenſis repetendæ mittit, quibus omnem hoſtilitatem in ſe & ſubditos exercet. Quibus omnibus conſideratis (ait Nauarræus) ſe non potuiſſe diutius diſſimulare, ſed ad defenſionem ſuorum ſubditorum ſibi iam decretum eſſe, bello, armisque ſe & ſuos tueri. Cæterùm cum ſibi ſignificata eſſet maiorum ſuorum erga iſtas Prouincias beneuolentia, & Prouinciarum vicißim in illos fides & promptum omni tempore obſequium, præterea cum ipſe animaduertat incolas in belli huius motibus minimè eſſe noxæ, eos nihilominus inter primos fore, quibus ſummum, grauiſſimumque belli onus neceſſario incumberet, ſe in illorum gratiam hactenus belli denunciationem prorogaſſe, atque his eos admoneri voluiſſe: quod ſi impetrare poſſent, vt exercitus, qui iam in finibus Regni ſui conſluit, ex mandato Regis Hiſpaniarum reuocetur, & promiſerint, iurauerintque nihil aduerſum ſe, ſuos Subditos, territorium & vrbes Cameracenſem, & Cambreſium ſe machinaturos, aut quicquam facturos in fauorem & ſubſidium ſuorum perduellium: ſe tunc in proclamatione belli non progreſſurum: modo idipſum effectu & iudicio aliquo, certoue argumento ante Calendas Ianuarij declarauerint. Quod ſi autem hoc facere, aut noluerint, aut diſtulerint, ſe cogi cauſis præcedentibus ipſis ſignificare & denunciare bellum aduerſus Regem Hiſpaniarum, populosque & Prouincias ei ſubiectas, vti Reges ſui deceſſores in ſimilibus caſibus facere conſueuerunt. Proteſtari autem ſe coram Deo & Anglis, ſibi graue & permoleſtum fore, Chriſtianiſſimum hanc calamitatem, quam præuidebat, accipere: quæ vt auertatur, ſe omnia feciſſe, quæ boni Principis ſunt, vt ſincerè & ex animo cum vicinis pacem & amicitiam colere, & conſeruare poſſet.

Scriptum hoc Nauarræus per Tubicinem Ambiano ad 16. Decembris, anno 1594. miſit, cupiens vt ſpatio temporis, in literis expreſſo, inter ſe deliberent, & certi quid definiant: quod ſiue per eundem Tubicem, ſiue per alium remittant.

Reſpoſum ad præcedentes Regis literas.

Ordines ciuitatesque præſertim Valencena, poſtquam hanc tacitam belli denunciationem accepiſſent, ad Archiducem Erneſtum miſerunt, flagitantes, quid ad eam velit reſponderi. Sed nunciatum eſt illis, proprium Conſilium, propriamque mentis ſententiam ſequerentur, eaque reſponderent, quæ non eſſent in Regis præiudicium, cum eius honore, dignitate & auctoritate non pugnarent. Accepto hoc reſponſo, ſignificatum eſt Tubicini, hoſpiti ſuo ſatisfaceret, & diſcederet, ſe quod Regi reſpondeant nihil habere.

Querela Ordinum de Hiſpanis.

Interea Ordines Prouinciarum Regi ſubditarum, ad Erneſtum venerunt Bruxellas, & maximis quærelis ſtatum patriæ miſerrimum expoſuerunt, oſtendentes iſti præſenti morbo aliud quærendum eſſe remedium, quam hactenus factum. Proteſtabantur ſe ſuo ſatisfeciſſe officio, ſi quod incommodum Regi poſtea obueniret, id ſibi imputari, nec poſſe, nec debere. Exaggerabant quidam inſolentiam externorum militum, & quidem potiſſimum Hiſpanorũ, quorum præcęteris eſſet honorem & vtilitatem ſui Regis tueri ac defendere: eos etiã à quibuſdam ſuæ Nationis hominibus, veluti Fontano & alijs magis incitari. Qui ſi Regis ſaluti & commodo conſultum vellent, Belgicis Proceribus, Nobilibus, Conſiliarijsque (quibus Prouinciarum conditio & ſtatus notior, & magis cognita eſſet) cedere, & in patriam redire deberent. Pacem imprimis cum confœderatis Prouincijs ineundam: id facilè fieri poſſe, ſi mllites extranei in Vngariam contra Turcam mittantur; hoc enim modo Prouincijs vnitis omnem cauſam diffidentiæ aufferri, & ita cum ipſis, non vt Rebellibus, ſed vicinis de pace tractari poſſe.

His & huiuſmodi verbis quoſdam Gubernatorem allocuti ſunt. Variæque inter conſultandum exortę ſunt opiniones. Quibuſdam placebat, vt Comes de S'ore ex Molenbaſiorum familia in Galliam mitteretur, qui Ordines excuſaret, prorogationemque indictionis belli peteret, vſque dum Rex Hiſpaniarum mentem ſuam prolixius, & euidentius declaret, interim omnia officia bonæ vicinitatis offerendo.

Archiducis Ernęſti ad petitionem Belgarum reſponſum.

Archidux animaduertens Ordines pacem, tam impensè & vehementer vrgere, propoſuit illis: ſe etiam à pace non abhorrere, ſed vel maximè petere, at modum viamque ſe non inuenire, quibus ea confici poſſet: præſertim cum confœderati tam eſſent animo ab ea alieno. Præterea cum illis de pace tractari, & eam obtrudi inuitis non poſſe, niſi cum magna Regis ignominia, eiusque auctoritatis & honoris iactura & imminutione. Tria itaque Ordines rogauit, ad quæ ſibi reſponderi petijt, & quidem primò: An ea eſſet neceſſitatis & periculi magnitudo, vt cogatur Rex aliquid admittere ſua Maieſtate indignum? Secundò, an honeſtum & decorũ ſit, hoſti plura offerre, quàm iam antè oblata ſint, conditiones ſcilicet pacis ſuo ipſorum arbitrio, voluntatique permittere, vt quales velint, poſtulent. Tertiò, an alia ineundæ pacis via poſſit inueniri, aut excogitari? Ad quam Archiducis propoſitionem cum Ordines ſcripto plenè reſponderent,

Ordines demũ ſtrant Pacis cationem eſſe

sponderent, pacisque commendationem & necessitatem demonstrarent, (cui & sua Celsitudo vt Princeps pacis studiosus adstipulabatur) promisit se hanc eorum petitionem ad Regem diligenter præscripturum, non dubitans ea Regem commotum iri. Velle se etiam eadem de re ad Pontificem, & Cæsaream Maiestatem scribere; qui iam ad quosdam viros doctos, (rerum Belgicarum gnaros peritosque) atq; inter alios ad clarissimum Iurisconsultum, Petrum VVesenbeckium, VVittenbergam misisset, eorum rationes audiendi gratia: ita vt videbatur totum Christianissimum hoc spectare, & pacem hanc sumoperè expetere. Interea rogabat, vt consuetam concordiam & pacem inter se colant, donec Rex respondeat. Cui eius petitioni cum Ordines annuissent, conuentus dimissus est. Sed tamdiù Archidux non vixit, nihilominus tamen eius promissiones, daraque spes omnes pacauit, ita vt morte eius repentina & inopinata, multa grauamina & mutationes exortæ sint. An. 1595. *necessariam, honestam, & possibilem.*

Rex Galliæ, cùm Hannonij, Atrebatique ad eius literas & postulata non commodè respon dissent, illis bellum parabat, quod antequam illis inferret, iure belli eis prius indicere volens, 17. Ianuar. literas indictionis scribi, & Lutetiæ publicari mandauit: quarum literarum hæc summa est.

Neminem siue in Regno suo, siue extra illud, siue indigena sit, siue alienigena, ignorare, Regem Hispaniarum cum Regnum Galliæ aperto marte suo imperio subijcere non posset, (vt quod à Deo, suis Regibus, ope fidelium subditorum semper defensum est) in eodem Regno, vt illud suæ potestatis faceret, magnas dissensiones & discordias seminasse, quæ hactenus sopiri, & sedari non potuerint. Eò enim odium & cupiditatem eius progressam, vt hunc in finem non tantum incomparabiles thesauros frustra consumpserit, optimum equitatum & peditatum suum amiserit, proprias Prouincias suas, propriaque negotia deseruerit, cæterùm & sub specie Religionis palàm tentauerit fidem Gallorum, vt eos in legitimos & naturales Principes & Reges incitaret: qui tamen semper, & ab omni populo celebrati sunt. id autem Hispanum propositò non alio fecisse, quam vt nobilissimam hanc Coronam in se, suosque iniustè transferret. Hoc eum molitum à morte Francisci II. nec ab eo cessasse vnquam, priuatum spem quærens commodum, idque opportunitate pueritiæ Regum subsequentium: potissimùm autem illud in fine regiminis Henrici III. anno 1585. manifestum factum esse: quo tempore Galli beneficio diuino concordia, iustitia, & otio fruebantur, quæ sua Maiestas quotidie stabilichat. Hispanum, vt suam fatiaret ambitionem, sub falsò prætextu dictum Regnum ferro & flamma depopulatum, Catholicos contra se mutuo, armasse: idque aduersus Christianissimum, qui vnquam fuit, Principem, ex qua factione originem traxit lugendum illud latrocinium in Regem perpetratum: quod perpetuis temporibus in omnium, qui sincerè Franci sunt, cordibus sanguinis lachrymis deplorabitur: nec non & omnia alia latrocinia, depredationes, desolationes, & oppressiones, quæ subsecuta sunt. Sub quibus oneribus Gallia & Galli perpetuò ingemuissent, nisi singularis diuinæ Maiestatis bonitas eorum Regi, & legitimo Principi ac Domino virtutem & potentiam tribuisset, iustam eorum causam heroico animo propugnandi: cùm iniustæ machinationes dicti Regis alioquin eorum Priuilegia, fortunas, vitam, familias & honorem iam euertissent, ac planè extirpasset. Nunc autem Regno Galliæ spem superesse, fore aliquando, vt antiquæ tranquillitati, otio & quieti ad honorem Dei sub obedientia Regiæ suæ Maiestatis restituatur: si modo ex hoc tempore in posterum vnusquisque eandem seruet fidem, & sua Maiestas ijs vtatur remedijs, quæ à Regibus antiquis, suis decessoribus inuenta sunt, vt Regnum aduersus antiquos hostes suos defenderent. Idipsum iam suam quoque Maiestatem facere decreuisse, cum ipsi conseruatio Sanctæ Religionis, sua existimatio, & subditorum defensio charior ac maiori in pretio sit, quam corpus & vita ipsa, quam sæpè præsentissimo pro his periculo commiserit, & adhuc committere non recuset. Conuentionem, manusetudinem & patientiam suæ Maiestatis iam ab annis quinque exhibitam, præsens etiam periculum quod toti orbi Christiano imminet, & ex sola dicti Regis ambitione nascitur, eum permouere non posse, vt abstineat à proposito, quod aduersus Regnum, suam Maiestatem, & subiectos suos concepit: sed nec à vi, quam quotidie Cameracensibus infert, quos sua Maiestas defendendos suscepit. Hos enim Hispanum quotidie infestare, omni hostili incursione vbicunque potest exagitare, captiuos abducere, non nisi graui lytro dato dimittere, aut interficere, omni agro intollerabile tributum imperare, omniaque facere, quæ iuratus hostis agere consueuit. *Nauarræ Regi Hispan. bellum indicit.*

Quinimò suæ maiestatis vitæ nefandis modis insidiari, vti paucos ante dies compertum est, & pene effectum fuisset, nisi Deus, optimus Regum tutor & defensor, ictum illum horrendum à quodam Franco, quem obstinatis & Hispanicus spiritus aduersus Regem incitârat, inflictum mirabili quodam modo auertisset. Omnibus itaque hoc edicto significans, se nolle diutiùs dessensionem sui honoris, subditorum suorum, & Cameracensium protrahere: quod facturus esset, si cum patientia cuncta, quæ prædicta sunt, dissimulare pergat: præsertim cùm perpendat *Rex Gallia Regem Hisp. accusat latrocinij.* *Denunciatio belli.*

Digitized by Google

An 1595. exiguam illam diligentiam, qua Atrebates & Hannonij vſi eſſent, in ſatisfaciendis literis, quas ſua Maieſtas ipſis miſerat: quibus eos admonuerat, vti ſuam operam in hoc collocarent, vt belli tempeſtas ab Hiſpano tam ad proprium ipſorum, quam Gallorum damnum & exitium excitata, vel tandem ſedetur, & comprimatur. Se itaque maturo conſilio deliberaſſe & decreuiſſe, deinceps apertum bellum terra marique aduerſus Hiſpaniæ Regem, eius ſubditos, clientes & Prouincias, vt ſe ab iniuria & detrimento, quod tam ipſe, quam ſui capere poſſent, vindicet, quomodo Reges deceſſores ſui in ſimilibus caſibus facere conſueuerunt: cum omni fiducia, fore, vt Deus (cui cordis ſui penetralia cauſæque ſuæ iuſtitia eſſent cognita) ſibi opem ferat, cauſam ſuam per auxilia fidelium ſuorum ſubditorum, & iuſta arma ſua permoueat, atque defendat. Imperare itaque ſuam Maieſtatem omnibus ſuis Subditis, clientibus & adminiſtris, vt à die hoc prædictum Regem, eius ſubditos & Prouincias, tanquam Regis & Regni hoſtes oppugnent, eius ditiones hoſtiliter inuadant, ciuitates, oppida, & arces eius armis aggrediantur, in ea impreſsiones faciant, expugnent, capiant, & ad tributum perſoluendum cogant, eius ſubditos & clientes captos abducant, lytrum illis imperent, atque ita eos tractent, quomodo ipſi tractant, & tractaturi ſunt, quos ex hoſtibus ceperint. Prohibere itaque Regem ſuis omnem cum Regis Hiſpaniarum ſocijs, adminiſtris & ſubditis negotiationem, omne commercium, omnem ſocietatem, familiaritatem, & communicationem. Qui edicto non paruerit, capite punietur. Reuocare ſimiliter ab hoc tempore omnem licentiam, libertatem, fidem publicam datam & permiſſam, ſiue à Rege ipſo, ſiue ab illius Vicarijs & Gubernatorib. aut generalibus, & alijs quibuſcunq; modo cum hoc edicto pugnare videantur. Declarare ſuam Maieſt. huiuſmodi in poſterum nullius fore pretij aut momenti: interdicere, ne quis ijs vti præſumat, aut aliquam earum rationem habeat. poſt diem 15. ab huius edicti promulgatione, quam eum in finem fieri mandauit Rex in omnibus ſuarum Prouinciarum terminis & finibus, idque per certos ſuos tubicines & præcones, vt nemo in poſterum præuaricationis criminis ignorātiam prætendat, ſed vnuſquiſque huic mandato ſub pœna inobedientiæ pareat. Actum Pariſijs 17. Ianuarij, anno 1595. Subſcriptum HENRICVS.

Philipp. Rex Hiſp. Nauarræo & ſuis Gallis bellum denunciat, & Nauarræo reſpondet.

Hactenus Edictum Nauarræi: cui vt reſponderet, Rex Philippus ſimile Edictum 17. Mart. ſcribi, & Bruxellis publicari iuſsit, bellum & omnem hoſtilitatem Nauarræo & Gallis illius denuncians. Eſt autem eiuſmodi: Cùm quiſpiam cogatur & neceſſitate quadam ad ſuſcipiēdum bellum (quod plerunque talia incommoda, talesque miſerias ſecum trahit, qualia cunctis hominibus ſunt cognita) vrgeatur, magna eſt Principi conſolatio, ſe ad illud contra omne ius & æquitatem compelli: tunc enim extra noxam eſt, & non grauant eius conſcientiam mala & incommoda è bello naſcentia: toti mundo cognitum eſt, & manifeſtum (inquit Rex) nos omni tempore omnes conditiones pacis cum felicis memoriæ Henrico Rege eius nominis II. chariſſimo Socero noſtro, anno 1559. initæ, omni fide & ſinceritate obſeruaſſe. Nemo etiam inficiari poteſt, nos poſt illius obitum ſæpè à finibus noſtris, illius filijs, Regni hæredibus, in extremis ſuis neceſſitatibus auxiliatos eſſe, mittendo non contemnendas noſtrorum equitum & peditum copias, qui ſuo ſanguine & vita illis aſtiterunt: quorum fortitudine ipſis regnum permāſit ſaluum, idq; in noſtra ſancta. Catholica, Apoſtolica, Rom. Religione. Quin etli poſtea cum Regnū Luſitaniæ iure ad nos eſſet deuolutum, & tumultus in Belgicis noſtris ditionibus eſſent exorti, nos Gallicis armis ſumus oppugnati, vndè non leuia detrimenta accepimus, vti & hodierna die luculenter in occupatione & detētione vibis Cameracenſis videri & probari poteſt, nosque iccirco graues & prægnantes cauſas rationesque habuerimus, amicitiam noſtram mutandi: tamen ex bono & propenſo erga eos animo tantas iniurias & incōmoda patienter diſsimulauimus, & ſuſtinuimus: nullam eorum extremam demonſtrationem facientes, aut hoſtilitatis ſignificationem dantes: non alio fine, quam vti pax inter nos conſeruaretur, magisque ſtabiliretur, & Chriſtianitas nouis bellis non implicaretur: præcipuè autem, vt caueremus, ne Religio peſſum iret, quæ tunc in Gallia periclitabatur. Intermittere noluimus, poſtpoſitis proprijs negotijs, quin Cathol. Rom. in Gallia omnem opem & auxilium mitteremus, præſertim cum ipſi nos inuocarent, & flagitarent, vt ipſis adeſſe, & auxiliari vellemus: licet hoc beneficiū noſtrum Princeps Biarniæ præpoſtera & falſa interpretatione adulteret, cum tamen ipſa Corona Franc. negare non poſsit, ſe per nos defenſam & adiutam, idq; in extrema neceſsitate, maximoque in quo vnquā fuit diſcrimine. Idem præterea Princeps Biarniæ paucos ante dies bellum aduerſus nos promulgari & proclamari iuſsit, quibuſdā nixus prætextibus, qui nobis nunquam in mentem venerunt, vti opera & actiones abundè ſatis teſtantur: neque volumus, neq; opus eſt aliam iuſtificationē in medium proferre. Satis eſt cōſiderare quæcunq; idem Biarnię Princeps ab ipſis penè incunabilis in detrimentum Religionis fecit, & cotidie facit: Gallos Catholicaſ. aliosque in ſuas partes trahendo, vnde nihil aliud elici poteſt, nil aliud ſibi propoſitū eſſe, quam Religionē Catholicam, Apoſtolicam, Rom. velle opprimere, & radicitus extirpare, idque in eo Regno, in quo eadem Religio tantoperè floruit. Quæ profectò res omnium, quæ excogitari poſſunt, maximè

Digitized by Google

ximè est deploranda, non tantum regno Galliæ, sed toti Christianitati. Quod sanè breui fore An. 1595.
metuendum est, nisi Deus omnipotens pro immensa sua bonitate misericordiæ suæ viscera in vniuersum Christianismū effundat, & à Galliæ Regno calamitatem, quæ illi imminet, auertat, propositumque eorum, quæ talia machinantur, inuertat, quod vt fiat Deus à nobis & ab omnibus sincerè Christianis sine intermissione orandus est. Cùm itaque res eò deuenerit, vt necesse sit mundo significare, ne quis in malam, & nulla fultam ratione suspicionem incidat, voluimus secundum vsitatum & consuetum nobis zelum Francis indicare, nos ex belli aduersus nos & illum denunciationis, à dicto Principe Biarniæ factæ virtute & efficacia, non posse aut velle permittere cómunis pacis violationem, quàm nos tot annos cum corona Francia coluimus. Cùm enim ille à sanctissimo nostro in Deo Patre, Pontifice Romano Rex istius Regni declaratus non est, sed nec aliis grauibus & prægnantibus de causis iustus Rex esse possit, nec pacem constitutam turbare, nec infringere poterit. Firmiter quoque credimus Catholicos Francos, tam qui in fœdere manent, quam qui ab eo recesserunt, omnesque alios, qui vident quotidie Religionem deficere & imminui, non intermissuros, quò minus vtantur omnibus modis & remedijs quibus possunt, vt huic malo resistant, idq; propter magnam & singularem obligationem qua ad illud præstandum deuincti sunt. Quantum ad nos, declaramus & dicimus nostrum propositum, & fixā voluntatem esse, permanere in amicitia & fœdere, quod cum Catholicis Francis percussimus: poltquā cum ipsis adhuc ratione Religionis cōseruandæ cōfœderati fumus, vt eam Religionē defendamus, & illis succuramus: omnibus vijs & modis, quos Deus nobis daturus est. Idem offerimus nos facturos ijs, qui à dicto fœdere recesserunt, siue sint ciuitates, siue Respub. siue priuati homines, qui infra bimestris spatium, post huius edicti publicationem, declarare poterunt, & firmis solidisque satis documentis ostendere, se non esse hostes Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Religionis, aut nostros. Præcipimus igitur omnibus clientibus & subditis nostris, cuiuscunque conditionis, ordinis, aut dignitatis sint, ne huiusmodi Gallis quacunque in re molesti sint, aliquam iniuriam aut damnum inferant, vel minimam hostilitatis significationem exhibeant. Ad dictum verò Principem Biarniæ, & Gallos eum sectantes quod attinet, volumus & mandamus eos haberi pro manifestis & iudicatis hostibus, eosque terra, mariq; absque vllo discrimine tractari: quem in finem instituimus hanc declarationem & denunciationem contra illum & suos, volumusque vt ea omnibus in locis, vbi publicatio fieri consueuit, promulgetur, vt syncera & æqua nostra intentio toti mundo innotescat: intelligantque oēs, nos non esse initium, facem vel auctorem huius belli: sed nihil nos præter gloriam Dei, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Religionis conseruationem, Ecclesiæ tranquillitatem, omniumque populorum pacem quærere. Datum in nostra ciuitate Bruxellensi, sub sigillo nostro contrafacto 7. Martij an. 1595. in Consilio Regis.

Verreicken.

Paulò antè hanc declarationem, missæ erant literæ nomine Ernesti, ad Ordines Regi obedientes, quibus eos admonebat, vt omni cura & diligentia imminens malum à suis ciuibus depellerent. Extrema, inquit, necessitas deinceps postulabit, ad Belgium defendendū & conseruandum, dolos quoque insidias, machinationesque de belli apparatus Principis Biarniæ (qui se temerario ausu Regem Galliarum scribit) quibus & ille & eius complices Belgicas Prouincias, fidelesque Regis Hisp. subditos opprimere conatur, vitandum, vt inter alia remedia, quam primum omnes exteri (qui per omnes ciuitates sese diffuderunt) aliquo modo suspecti, vel dicto Principi fauentes, eiusue partes sequentes, eliminentur & expellantur. Cæterùm cum fieri possit, vt inter exteros & peregrinos illos aliqui inueniantur, Franci quidem, sed Principi Biarniæ non addicti, at potius Sancto, Catholico, & Apostolico Romano fœderi obstricti: alij etiam qui ob diuturnitatem belli, quod iam in tricesimum quartum aut quintum annum in Gallia ducitur, illinc in Belgium migrarunt, hactenusque ibidem habitarunt: hi nequaquam loco mouendi sunt, modò boni sint, quieti & fideles: cum iltiusmodi expelli absq; iniuria non possint. Idcirco nobis placuit, vt in hac re modus, æquitas & personarum differentia constituatur: quare nomine & auctoritate suę Maiestatis declarauimus & statuimus, vt omnes Franci, aut alij exteri, qui in Brabantia, Prouincijsque Transmosanis habitant, commorantur, aut matrimonia contraxerunt, infra diem decimum quartū ab huius edicti promulgatione compareant coram Gubernatore, Præfecto, aut Magistratu cuiusque ciuitatis Brabantiæ, aut Transmosanæ. ijsque nomen, cognomen, ætatem, qualitatem, ordinem & conditionem: nomina quoque vxorum prolium, domesticorum: censum insuper & fortunas, causamque cur in has Prouincias venerint, & quamdiù in illis sedem habuerint, aut versati sint disertis verbis exprimant. Porrò testimonium suti Pastoris, Satrapæ, Præfecti, aut Prætoris, cuius iurisdictioni subsunt, luculenter descriptum exhibebunt, quo declarabitur, quomodo vixerint, & in Republica atque Ecclesia sese gesserint, vt ex eo iudicari possit, qui dimittendi & eijciendi sint, qui non. His autem qui relegandi censebuntur, certum tempus præscribetur, vt interea res suas disponant, & itineri sese

Literæ Archiducis, de bello Gallico.

Digitized by Google

An. 1595. accingant, aut vt maneant, ea lege, vt iuramentum præstent fidelitatis, quale tam periculosis temporibus præstare in vsu est. Omnia autem hæc in commentaria Magistratus referentur. Quantum verò ad Gallos, qui quotidie ex Francia veniunt, siue negotiationis causa, siue alia quauis occasione legitima, siue etiam Catholicæ Religionis & libertatis conscientiæ gratia, vt qui in Belgio sub protectione sacri fœderis, quam inter aduersarios suos in Gallia malunt habitare: ij etiam tenebuntur se infra quindecim dies ab aduentu suo coram Gubernatore, aut Satrapa loci, vbi habitare decreuerunt, præsentare, ijsque quæ iam ante dicta sunt exponere, vt ex ijs iudicetur, an admittendi sint, vt in Belgio sedem figant: locusque illis assignetur, vbi commodissimè cum familia sua possint habitare. Si quis huic mandato contrauenerit, apprehendetur, & pro qualitate delicti ac personæ mulctabitur. Sed & qui ex Gallia in Belgium transmigrare voluerint, testimonium Principum Dynastarum, ciuitatum, & ordinum sacri fœderis secum adferent, quod partes dicti Principis Biarniæ non sequantur, nomen itidem loci vbi vltimò habitarunt, & causam suæ transmigrationis scripto exhibebunt, sub pœna apprehensionis & mulctæ constituendæ. Quantum denique ad eos, qui sacro fœderi non consentiunt, sed potius factiones Principis Biarniæ probant, fouentque, si qui in his Prouincijs deprehendantur, in vincula conijcientur: & post examen, causæque cognitionem deliberabitur, an militum more, certò persoluto lytro sint dimittendi, an verò aliquo supplicio afficiendi, pro criminis & personæ qualitate. Hactenus verba Edicti. Ne quis autem huius ignorantiam causari possit, idem Archidux illud per totum Ducatum Brabantiæ, & ditiones omnes Transmosanas primum, deinde per cæteras Prouincias Regis imperium agnoscentes, iussit publicari.

Aliud Edictū Archiducis contra vim & prædationes Nauarræi.

Eodem die Archidux aliud etiam mandatum iussit promulgari, in quo cum retulisset Nauarræum suos quotidie milites in Regis Hispaniarum ditiones mittere, per eos subditos spoliare, pagos incendere, armenta & pecora abigere, nihil reliquum relinquere: imò castrum vrbis Cameracensis, atque adeo totam ciuitatem, quæ sub imperio est, per Balignium detinere, noua etiam oppida & arces suæ potestatis facere, & super hæc omnia bellum iam publicum aduersus Regem, suosque subditos proclamasse: omnia eorū bona, tam mobilia, quam immobilia, quæcunque potest diripere atque auertere. Hæc illius (ait) consilia & insidias anteuenienda, subditosque necessariò monendos, vt sibi, suisque consulant, atque vim vi repellant. Per omnes igitur ditiones Regias promulgari iussit, vt singuli sibi caueant, & ne quid detrimenti accipiant, vigilent. Se authoritate Regia omnibus & singulis clientibus fiduciarijs, & subditis Regis potestatem facere, huiusmodi hostibus non tantum resistere, sed talionem reddere, in eorum ditiones, tanquam in hosticum excurrere, omnia ferro flammaque vastare, omnia ferre atque agere. Mandare etiam sese, vt edicatur singularum ciuitatum Præfectis, & administris, vt in locis suæ iurisdictionis manus in personas, fortunas, debita, & actiones, & quæ Gallis huiusmodi debentur (vt moris est) inijciant. Debitoribus quoque qui factiosis istiusmodi Gallis obligati sunt, vt primò quoque tempore debita significent, & ad Præfectos suos deferant, nec in posterum creditoribus quicquam soluant. Præuaricatores non tantum bis soluant, sed insuper maiores pœnas subeant. Interdici etiam omnibus subditis Regijs, ne qua commercia, colloquiaue cum prædictis hostibus habeant, ne qua clandestina cum illis consilia conferant, sub pœna huic delicto antiquo iure constituta, nisi peculiare indultum, expressamque ad id præstandum licentiam à Rege, vel eius administris habeant.

Tertium Edictum, de non militando externis Principibus.

His duobus Edictis, Rex Hispaniarum addidit eodem tempore tertium, quo mandatum Caroli V. & sua etiam præteritis temporibus data, renouata sunt, aduersus suos subditos, qui inscio se aut Gubernatore suo externis Dominis militare non verentur. Cùm enim Rex intellexisset, ista mandata contemni, & multos clientes aliosque indigenas, cuiuscunq; ordinis ad externa bella proficisci, non tantum ijs Principibus, quibus nihil cum Rege negotij est, sed & ijs, qui manifesto bello Regem, eiusque subditos persequuntur, merere, seuero interdicto per hos dies prohibuit, ne quis cuiuscunque status, ordinis, aut conditionis alicui Principi, Domino, aut Reip. militare audeat: sed suo Regi tantum, neque etiam extra Belgium proficiscatur, ad diribitorium quodcunque extremum, nisi prius literas, licentiamque, aut Regis, aut eius Gubernatoris impetrauerit. Quin mandatum hoc violare ausus fuerit, pœnam capitis, & fortunarum dependeret. Sed & si quis iam ante huius interdicti proclamationem in huiusmodi militia profectus esset, voluit Rex, vt is infra vicesimum à promulgatione huius diem reuertatur, quod nisi fecerit, eandem pœnam persoluet, si apprehendi possit: si non, perpetuo exilio mulctabitur, & bona illius tam mobilia, quam immobilia fisco Regio applicabuntur. Quam pœnam quoque constituit Rex in Tribunos militum, Centuriones & Commissarios, qui subditos eius auctorauerint, & extra Belgium sine cognitione atque licentia Regia duxerint. Eodem Edicto comprehendebantur milites externi, qui Regiæ militiæ nomen dederant: quos exauctorari prohibet, sine suo consensu, & honesta missione, sub pœna exilij, & omnis stipendij, quod ipsis debetur: aliorumque bonorum suorum, quæ sub imperio Regis sunt, amissionis. His tribus mandatis,

mandatis, aperta bello Gallico feneſtra, donec allata generali belli denunciatione, omnibus copijs, totisque viribus in bellum itum eſt. Gallis à ſua parte in Artheſia & Hanononia, multos Pagos, Arces, Monaſteria, ipſa etiam ſuburbia Valencinenſium, incendijs vaſtantibus, atque ſpoliantibus, Hiſpanis in Gallia idem facientibus. Ao. 1595.

In Ducatu quoque Lutzenburgenſi, Dux Bullionæus, Comesque Philippus Naſſouius loca quædam occupauerant, vt Iuodium, Montmedium, Virtonium, & la Frette. In Ianuario Comes Philippus in quatuor centurias equitum Manſfeldicorum incidit, à quibus ex inſidijs impetitus, 60. è ſuis equitibus cæſis, & duobus Capitaneis captis, accepto vulnere cum cæteris elapſus eſt: cum propter aquarũ inundationem Bullionius ei ſuccurrere non poſſet. Qui tamen cum poſtridie alias aliquot equitum alas ſibi obuiam haberet, cùm ijs manus conſeruit, & damnum acceptum refarciuit: qua in pugna plurimi ex hoſtibus occiſi, multi, & inter alios Manſfeldij Vicarius, capti ſunt. Inſequentes Bullionij & Naſſouij expeditiones irritæ fuerunt, & Theonis villam fruſtra tentarunt, & nihil præclari geſtum eſt: cum Bullionij copiæ alio mitterentur: ita etiam Prouinciæ conſœderatæ, propter horum Naſſouiorum equitum & militum defectum, varios conatus intermittere coactæ ſunt. *Bullionei & Comitis Hohenlippi Naſſouij geſta in Lutzenburgenſi.*

Dux Lotharingiæ cum Rege Galliæ inducijs pactis, & loca vtrinque occupata inuicem reſtituentibus, permiſit, vt ipſius copiæ Nauarræo militaret: hæ ſub conductu Baronis Aſſonuilij, D. Tremblecourtij, & D.S. Georgij, numero circiter 8000. peditum, & 1300. equitum, Comitatum Burgundiæ, Regi Hiſpaniarum ſubiectum inuaſerunt, atque circa feſta Bachinalia Ionuillam obſiderunt, cæperuntque. Similiter Luxullium, Veſullium, Baumium, inter Bezantium & Montembellardum, verſus Germanimam, aliaque loca & arces, multis pagis ſpoliatis. Bezantium, tanquam vrbem neutralem ſibi dedi poſtulabant, quem admodum & Grayam, vbi Comes Chanitræus, eius loci Gubernator ſe continebat, qui cum Comite Morinelio, & Curia Dolana exercitum 4000. peditum, & 500. equitum magna difficultate cogebant, quod Regio eſſet, quæ ſpatio centum annorum bellum nullum ſenſerat: multi itaque intio ex his tironibus & ruſticis cædebantur. Petebant à Sabaudo & Hiſpanis auxilium, ſed fruſtra: ideo cum olim ſub protectione Heluetiorum fuiſſent per Legatos ab illis etiam ſubſidium flagitabant, qui reſpondebant, cur ab illis auxilium implorarent, quos ante paucos annos exauctoratos è Gallia domum redeuntes, miſerè trucidari & interfici paſſi eſſent, quorum ſanguis innocens vindictam ſine dubio expeteret, quorumque mors quotidie adhuc à viduis & pupillis deploraretur. Hoc modo ſperabant Galli totum Comitatum ſuæ poteſtatis facere, Regnoque Galliæ adjicere. Sed Cónestabulus Caſtiliæ, Mediolani Gubernator, cum aliquot millibus Hiſp. aduenieſ, multa loca per obſidionem, aliosq; modos recuperauit. Quibus Galli ſubacta vrbe Diuionenſi aliquatenus ſeſe opponebãt. Bezantium, tanquam ciuitas libera, Legatos ad Regem Galliæ mittebat, petentes vt beneficio neutralitatis vti frui poſſent. *Galli Comitatũ Burgundiæ innadũt, multaque oppida capiunt.*

Carolus Heraugierius, oppidi Bredani Gubernator, vt expeditiones prædictas in agrum Lutzenburgenſem, & Namurcenſem promoueret, vltimo Ianuarij cum 12. peditum ſignis, & 14. equitum centurijs Huum profectus eſt. Oppidum Diocceſis Leodienſis ad Moſæ fluuium inter Leodium & Namurcum ſitum, elegans, opportunumque Moſa inter erluit, cuius vtramque ripam, vti & partem oppidi minoris, maiori pons ex lapide viuo quadrato & ſecto, multorum arcuum & firmis nitens pilis, iungit. In dextra Moſæ ripa mons præcelſus ciuitati incumbit, in eoque ſita eſt arx regalis, Leodienſium Epiſcoporum quandoque ſedes. In hac cum conſtaret nullum vel exiguum eſſe præſidium: miſsi ſunt in oppidum triginta viri, qui ad ædes cuiuſdam pauperis ciuis diuerterunt, ibique ſecretò ſeſe continuerunt. Erant iſtæ ædes ſub ipſa rupe, in qua ſita erat arx. In ſummitate rupis antiqua erat feneſtra, ad quam ſunibus & ſcalis aſcendebant, eaque aperta, ingrediebantur. Hi accepta ab illis quibus arcis conditio cognita erat, inſtructione, mane, cùm Principaliores dato ſigno ad Miſſam concederent, eos ex cubilibus ſuis exeuntes in tenebris comprehenderunt, & vnum in locum vinctos miſerunt. Clamore autem mulierculæ tumultu excitato, excubias ſuperant, portaque & tota arce potiuntur, tandemque oppidi deditionem poſtulant. Ciues dum arma arripiunt, & defenſionem parant, & videre nt Heraugierij cum omni equitatu & peditatu aduolanté, certis conditionibus vrbem dedũt. *Hui occupat Carolus Heraugierius, Gubernator Bredanus.*

Hieraugerij equites ſtatim Montmedium excurrentes, ſeptem quadrigas habuerũt obuias, pretioſiſsimis mercibus Italicis, vtputa, holoſerico, ſerico, & caligis ſericis onuſtas, Antverpiam euntes, quas direptas inter ſe diſtribuerunt. Cùm autem poſt deſignatum præſidium, reliquus exercitus in Brabantiant rediret, iuxta Thenas in centurias aliquot equitũ Regiorum, ſub imperio Scheti, domini in Grobendonck, qui & ibidem in hybernis decem quoque ſigna peditum habebat, incidit. Quare in tres turmas ſeſe partiti ſunt, vt qua quæque poſſet elaberetur. Cæterũm Regij fugientes inſecuti, cuneum vnum, nimium de præda ſolicitum, & impeditum, præuerterunt, in quem impetu facto 60. vel 70. circiter occiderunt, atque cœperunt, inter quos etiam duos Vicarios. *Merces Itali. cæperi Heraugierij equites intercipiũtur.*

Digitized by Google

An. 1595. Occupatio oppidi huius, apud Epiſcopum Leodienſiũ, quem confœderatæ Prouinciæ, tanquam Principem neutralem, in fidem receperant, hoc modo excuſabatur, quod eius perpetuum imperium, non peterent, ſed vſum ad certum tempus, ſine incolarum incommodo: quo finito Electori reſtituturi. Id enim hoſtibus ſuis in oppidis Berckenſi & Bonnenſi concedi, quæ ſimiliter ſub ditione eiuſdem Principis eſſent.

Sed Epiſcopus Legatos ad confœderatos Ordines mittebat, per quos de iniuria & vi ſibi illata, Neutralitatis etiam (vt loquuntur) pactorum violatione conquæſtus eſt, oppidum ſuum repetens, pœnamq; ab inuaſoribus, & damni dati compenſationem poſtulans. Cùm autem reſponſum aliquantulum protraheretur, ab Archiduce auxilium flagitauit, qui conſeſtim exercitum eò miſit, agrum Namurcenſem, & Brabantiam, ab eorum excurſionibus defendendi cauſa, ad ſito mandato, Epiſcopum iuuarẽt. Ita morte Archiducis quæ paulò pòſt inſecuta eſt, non obſtante, Huum iterum obſidione cinctum eſt. Cùm animaduerteretur, præſidiarijs de commeatu non ſufficienter proſpectum, difficulterque ob aquarum vbique magnitudinem & inundationem liberari poſſet. Nam niue copioſa, denſa continuaque pluuia reſoluta, aqua in fluuios defluens alueos longè lateque egreſſa eſt, & per agros ſpatiata maximam effecit illuuionem. Rhenus ſupra & infra Coloniam latius ab vtraque ripæ parte excreuit, quam in hominũ memoria viſum auditumue fuit. Omnes Pagi vicini, locaque humilia aquis ſubmerſa erant, ita etiam vt plurima ædificia, pecudum hominumque aliquot millia violentia fluminum abriperentur. Inſula Bommelenſis, aliæque in Hollandia & Gelria planè aquis coopertæ erant. Pœna certa diuina ob peccata noſtra ſumma immiſſa. Multa propugnacula & munimenta diſturbata, & funditus diſiecta ſunt, ita vt Præſidiarij in hoſtium irruptione arcenda occupati, & Propugnacula maximis impenſis reſtauranda reparandaque eſſent.

Inundatio aquarum sacre dibilis.

Huum iterum obſidetur & occupatur.

Hæc Fontanus, Mottæus, ac Barlamõtius cum cæteris militiæ Præfectis conſiderantes, Confœderatorumq; anguſtias cognoſcentes, vtputà omni aditu vijsq; aquarum obſtructis, Huum, ab vna Moſæ parte, Epiſcopi verò milites in altera arcem obſiderunt, & oppidũ 13. Martij ſuperarunt, quibuſdam ex præſidiarijs trucidatis, quibuſdam captis, reliquis in arcem fugientibus, quam in itio aliquot machinis bellicis verberare cœperunt, tandemque cum collecta foſſorum Carbonariorum eius locis magna copia cuniculos agere inſtituerent, Arx ipſis 22. Martij his conditionibus, vt incolumes cum impedimentis & armis diſcederent, dedita eſt.

Vndè Heraugerio plurimum decedebat auctoritatis: accuſabaturque quod arcem nimis maturè dedediſſet, non exſpectato ſubſidio, quod quidẽ Coloniam vſque venerat, ſed difficulter progredi poterat; tum etiam quod ruina tanta non eſſet, vt oppugnabilis eſſet, vel acceſſus commodus pateret, & intus quo Præſidiarij ſe contra tormentorum grandinem occultare poſſent, locus eſſet ſufficiens, ita vt viderctur ipſum ad ſe defendendum, in ius iudiciumque vocatum iri.

Hiſpani Arci (quæ duobus menſibus poſt Epiſcopo reſtituebatur) imponebant tria ſigna militum: exercitus reliquus aliquandiù in vicinia hærebat, pecuniam ab Epiſcopo, quæ tam citò parata nõ erat, exſpectans: qua accepta, præſumebatur Bredam, vel aliam Brabantiæ vrbem ab eo obſeſſum iri. Verùm illi, ſicut & alijs locis de omnib. rebus neceſſarijs affatim proſpexerat Mauricius & præſidium 30. ſignis militum auxerat.

Archidux Erneſtus Bruxellis moritur.

Archidux Erneſtus, ab aduentu ſuo in Belgium continuò ferè fruebatur infirma valetudine: quæ hac hyeme ex concepta, vt putabatur, melancholia ingraueſcebat: quod matrimonium cum Infante Hiſpanica non procederet, tam bellum familiæ ſuæ Auſtriacæ contra Turcam, quam ſuum contra Confœderatos infelices fortiretur exitus, neque ex voto caderent, ſe quoque non modo ab hoſte, ſed etiam eo populo, qui pacem ſperauerant, imò ipſis Hiſpanis contemni videret, nullas, vt videbatur, aliquot menſibus literas à Rege (inter cuius Conſiliarios, plurimos ſibi aduerſantes habebat) recepiſſet. His omnibus morbum indies augentibus, opinione citius, & præter omnẽ exſpectationem, nocte inter 20. & 21. Februari Bruxellis mortuus eſt. Gubernatore Præfectoque militari, donec Rex alium præficeret, Fontano Comite, ſubſtituto, anno ætatis ſuæ 42. Princeps grauis, qui rarò viſus eſt ridere: benignus tamen, clemens, pacificus, Romanæ Catholicæ Ieſuiticæ Religionis obſeruantiſſimus, ad Hiſpan. Regis obſequium promptiſſimus, priuatum cõmodum non quærens: ita vt ſæpè non haberet, vndè domeſticis & creditoribus perſolueret, cum tamen frugi eſſet, nec vlli faſtui aut pompæ deditus.

Laus Archiducis Erneſti

Mortem ipſius in Regimine, nulla inſecuta eſt mutatio, vti apparebat: idque propter ſpem ſummã de Regis, ad capita Pacificationis tranſmiſſa reſponſione, conceptam, qua omnes morus cõpeſcuit, quam etiam recuperatio oppidi Huenſis plurimum iuuabat, & omnem patientiam reſocillabat. Interea Dux Paſtranus cum filio Lutzeburgo initio Aprilis Bruxellas veniebat, qui optima reſponſa ſecum adferre dicebatur. Gubernatio autem in Fontanum, & Stephanum de Iuarra à Rege continebatur, ac confirmatur, vſque in aduentũ Alberti Cardinalis Auſtriaci,

& Vice-

Digitized by Google

& Viceregis Portugalliæ, quam Rex in Belgium gubernaturum mittere decreuerat. An. 1595.

Hac quoque hyeme in Germania obijt Ferdinandus Archidux Austriæ, Imperatoris, eiusque fratrum Patruus, Princeps pacificus; Ex vxore familiæ VVelserianæ, duos post se reliquit filios, Andream Cardinalem & Episcopum Constantiensem, atque Carolum Marchionem à Burgavv, filiasque aliquot. *Archidux Ferdinandus moritur.*

Bruxellis quoque in Maio moriebatur D.Leuinus Torrentius, Episcopus Antverpiensis, vir doctissimus, atque pacis studiosissimus. *Leuinus Torrentius, Episc. Antverpiens. moritur.*

Paulò antè Philippus Comes in Hohenlo, Baro in Langenberg/ qui iam 23.annis Ordinibus Hollandiæ militarat, & varia fortuna multis cum hostibus prælijs decertauerat, Mariam maximam natu Guilielmi Nassouij, Principis Auraci filiam vxorem duxit, quam Princeps ex Maximiliani Comitis Burani filia procreauerat. Quod coniugium iam antè multos annos tractari cœperat, sed ob incidentes quæstiones de pactis dotalibus eius matris, D. Maximiliani Egmondani, Comitis Burani vnica filia & hærede, fuit impeditum & protractum. Nuptiæ in arce Burena, quæ in Batauia insula Gelriæ sita est, maxima pompa & incredibili magnificentia celebratæ sunt 7.Febru.anno 1595. quibus multi Nobiles ex Germania, vicinis Prouincijs, Legati quoque Præcipuarum Prouinciarum confœderatarum, vbiumque Belgicarum congratulantes, muneraque maximi pretij offerentes interfuerunt. *Nuptiæ Comitis in Hohenlo, cum filia Auraci, Comitis Burani.*

Biennio circiter ante, nimirum an. 1593. 12.Iunij, Fridericus IIII.Elector Palatinus, Dillenburgi, aliam Principis Auraici filiam, Ludouicam Nassouiam, natu maximâ, & ex Carlotta Borbonia, Prosapia Regis Galliæ prognatâ, in vxorem duxerat: quæ ex Belgio per Patruum Comitem Iohannem Nassouium, amitam Comitissam Schvvartzenburgensem, aliosque Comites & Dominos, veluti Philippum Marnixium, D.de S.Aldegunda, Dillenburgum vsque magnificè deducta, & à Prouincijs Confœderatis, muneribus tali Principe dignis, qualia etiam Pater ipsius piæ memoriæ promeruerat, donata est, peperit eadem Electori anno sequenti filiã, & postea etiam filium. *Elect. Palatinus in vxorē ducit Princip. Auraci filiã.*

Eadē hac hyeme, Dux Bullionius, Vicecomes Turreinius, alteram Principis Auraici filiam Elisabetham Nassouiam, matre quoque Borbonia natam, in vxorem duxit, ita vt ex nouem eiusdem Principis filiabus, tres totidemque filij, vtputà Philippus Princeps Auraicus, in Hispania adhuc detẽtus, Mauricius, & Henricus Fridericus, hoc tempore non sint maritatæ, vel vxorati. Familia hæc Nassouia Dillenburgica, per duos hos fratres V Vilhelmum & Iohannem (non obstante eorum fratres, Ludouicus, Adolphus, & Henricus, in his bellis Belgicis cælibes occubuerint) adeò multiplicata est, vt hodierno tempore amplissima, celeberrima, bellicosissimaque sit totius Europæ, pro qua fortiter pugnando plerique mortem oppetierunt. Primò, Renæus Nassouius Chalonius, Princeps Auraicus in seruitio Imperatoris ante vrbem S.Desiderianam. Deinde V Vilhelmus, cum tribus fratribus, sese potentissimo Regi & Principi opponentes. Supersunt ex eadem familia, adhuc decem, præter Principem Auraicum, in Hispania captiuum, qui cotidiè pro cõseruatione libertatis Prouinciarum Belgicarum sanguinem suum effundere sunt paratissimi. *Alterius Principis Auraici filiæ nuptiæ cum Vicecom. Turreinio.*

In Martio, Delphis in Hollandia cum maxima pompa & magnificentia celebratę sunt nuptiæ inter Georgium Eberhardum, Comitem in Solms & Münzenberg/ (qui etiam per multos annos confœderatis, Ordinibus militauerat) Comitis Mauricij Nassouij, in Zelandia Vicarium, Gubernatoremque Hulstensem in Flandria, & Sabinam Egmondanam nonã, ex prolibus Lamoralij Comitis Egmondani, ex Sabina Palatina prognatam, quas Prouinciæ vnitæ similiter maximis muneribus decorarunt. *Nuptiæ Comitis Solmensis, cum Comitissa Egmondana.*

Libro 12.tabulam proposuimus, auctionem monetæ siue pecuniæ in Belgio spatio ab hinc centum annorum continentem, demonstrauimusque quo modo tunc temporis, videlicet 1585. & 1586. monetarum quarundam valor ex caulis & rationibus necessarijs adauctus fuerit, idem etiam postea hominum auaritia in alijs monetæ speciebus fiebat, nimirum pretium Angeloti, & Regalis Aurei 5. vel 6. stuferos extendebatur, Coronatus duos vel tres, & ita consequenter. Hic valor, vt reduceretur ad pedem, qui anno 1586. vtriusque Gubernationis permissu, promulgatus & statutus erat, Prouinciæ confœderatæ monetæ pretium diminuerunt 15. Septemb. proximè præteriti. Vt autem Subditorum incommodo & damno obuiaretur, diminutionem hanc in tres terminos dispartitæ sunt, videlicet vt valor primò aliquantulum reduceretur, vsque ad 10. Nouembr. deinde eodem modo paululum decresceret, vsque ad 10. Ianua. anni sequentis 1595. & tunc demum monetæ nulla species pluris expendi posset, quam iuxta constitutionem anni 1586. puta Angelotus 5. florenis, & 1½. stufero. Aureus Regalis 5. flor. & 2. stufer. Gallici & Flandrici Coronati 3. flor. & 1. stuf. Pistoletus Hispanicus 3. flor. Dalerus Philippic. argenteus 2. flor. 11. stuf. & sic aliæ consequenter. *Reformatio & reductio monetæ in Prouinc. confœderatis.*

Hæc reductio cum vbique in Prouincijs vnitis publicata esset, eamque plerique; obseruarent, Middelburgenses in Zelandia rationibus quibusdam prætensis parcre noluerunt, vnde dissen-

siones

Digitized by Google

An. 1595. siones ortæ, ita vt Ordines Mauricium eò ablegarent, eos ad conformitatem inducendi gratia, cui si non obtemperarent, eorum personas & bona vbique alijs in Prouincijs arestarentur, vigore & permissu articulorum Confœderationis siue Vnionis.

In Octobri præcedenti, ijdem Ordines celebrem quendam Præfectum Monetarium, Craveuangerum nomine, ob commissam monetæ adulterationem, & quod illorũ legitimis, & iustis opinionibus semper contradiceret, iusserant apprehendi, qui tandem, cum diù à Comite Culenburgico defensus esset, vi captus, & criminaliter accusatus fuit.

Moritur Amurathes Turcarum Imperat. Hac ye obijt Amurathes III. Othomannicæ familiæ 14. Turcarum Imperator, suæ familiæ fere optimus, nimirum non adeò crudelis, vtputà, voluptati valde deditus. Ei successit filius natu maximus, annorum 26. vel 29. Qui statim more consueto omnes fratres suos, vt dicitur, numero vndeviginti, adduci iussit, ijsque humaniter salutatis, ostendit, necessitatem, Imperij statum, pacemque exigere, vt morerentur, patrisque funus comitarentur, atque cohonestarent, idque in Paridiso ipsis compensatum iri, tandemque cum solennibus ceremonijs neruo arcus strangulati sunt. Quædam etiam ex eorum matribus, qui filios absconderе conatæ fuerant, submersæ sunt. Filiæ autem in viuis permanebant. Amurathes hic, crudelem, sanguinarium, atque bellicosum se præbuit, quamuis luxuria & regni gloria impeditus. Contra quem Cæsar cum Imperio, totaque familia Austriaca, lentè tamen & segniter, sese armauit.

Transyluaniæ, Moldauiæ, & Vvalachiæ Vayuoda à Turca defciuit. Sigismundus Batthoræus, Transyluaniæ Princeps seu Vayuoda, modum quærebat opera auxilioque Christianorũ iugum Turcicum objiciendi. Cui similiter se iungebant Aaron Vayuoda Moldauiæ, & Michael Vayuoda Valachiæ, alijque qui cum diù Turcico imperio subiecti fuissent, & viderent, sese sæpius apud Turcam accusari, & muneribus promissionibusq; maioris Tributi, suis Principatib. exui, à Turca defecerunt, & Tartaros in hyeme ex Turcę militiæ domum redeuntes, ipsosq; Turcas diuersis vicibus profligarunt, plurimas vrbes, multaque Munimenta vltra citraq; Danubium & ad Pontum Euxinum sitas occuparunt, ita vt totã Regionem ab ea parte, qua Tybiscus in Danubium influit, ad mare vsq; sibi subiecerint. Sed quia Vayuodę prædicti inconstantes sæpe se præbuerunt, verendum, ne Turcæ pecuniarum vis, gratia, fauor, vel potentia & gloria ipsorum animos molliant & mutent, aut discordiam inter eos excitent.

Prædictus Sigismundus Batthoræus, Transyluaniæ Princeps autem, maximè cum Romanorum Imper. fœdus iniuit, cuius conditiones hic adijcere placuit.

Articuli fœderis inter Cæsarem & Transyluanum. 1. Sacra Cæsarea Maiestas pro sua persona, & Ordinum Regni Vngariæ promittet, se in bello contra hostes suscepto progressuram. Quod si verò aliquando res & fœdus ad pacem deueniat, ne inscio & non cõmunicato consilio vtriusque partis, fœdus aut cõcordia cũ hoste transigatur: in transactione Transyluania, & ditiones illi subiectæ contineantur. Vtraque item Valachia, Moldauia nimirum & Transalpina, quæ à Turcarum societate defecerunt. Illustrissimus autem Princeps Transyluaniæ vicissim suæ Maiestati, suo ac Ordinum Transyluaniæ & subditorum populorum, suorum nomine pollicebitur: se quoque bellum contra Turcas continuaturum, neque fœdus vllum initurum, ignorante, vel absque consensu & approbatione suæ Maiestatis, Regnique sui Vngariæ: idque iuramento confirmabit.

2. Vt Transyluaniæ Iurisdictio, inclusis etiam cunctis ijs Vngariæ partibus & confinijs, hactenus à Principe possessis, penes eundem Principem Sigismundum Batthoræum de Somlio, eiusdemque hæredes masculini sexus, è proprio sanguine, in sua linea recta descẽdentes, cum iure Primogenituræ, eo prorsus modo, quo tempore antecessorum ipsius Principis fuerunt, nempe Ioannis Stephani, & Christophori Bathoræi eum omni prouentu, iure & antiquo vsu, integra absolutaque ita maneat, vt semper merum mixtumque imperium, liberamque in ea Iurisdictionem habeat: ita tamen, vt suam Maiestatem Cæsaream ac Regiam, eiusdemq; legitimos successores, pro ipsorum legitimis Regibus agnoscant: recognitionisque & fidelitatis iuramẽtum semper præstent, citra tamen ius feudi. Idque successores quidem tempore mutationis regiminis, tunc videlicet quando possessionem Prouinciæ acceperint: qui autem nunc est Princeps, statim à fœderis huius subsignatione faciet. Decedente (vt dictum) sine hæredibus masculis, vel illis superstitibus, ac in hac eius linea legitima deficientibus, ipsa Transyluania, eiq; annexę ditiones, non in vlterius, quam in suæ Maiestatis, eiusque successorum Vngariæ Regum ditionem & potestatem, tanquam verùm & inseparabile membrum, absque vlla controuersia perueniat. Et super hoc ipse Princeps se, suosque Ordines, & omnes suæ ditionis status iuramento fidei obstringat. Cessante autem hærede in linea masculina præfentis Principis, ac ipsa Transyluania iuxta præsentes conditiones ad coronam Vngariæ deuoluta, tam præsens Cæsarea ac Regia Maiestas, quam eius successores iura municipalia, Priuilegia & consuetudines in Transyluanea receptas, inuiolatas seruare, nec vlla ex parte immutare: donationes item omnes, & inscriptiones, semper pro ratis & gratis acceptare tenebitur. Præterea Rex Vngariæ à tempore quo Transyluania ad coronam deuoluetur, vnum pro suo arbitrio ex Ordinibus Transyluaniæ Gubernatorem, seu Vayuodam illarum Prouinciarum creabit.

3. Sacra

3. Sacra Cæsarea Maiestas, Principem Transyluaniæ agnoscet pro libero Principe, eique titulum & appellationem ILLVSTRISSIMI concedat, atque illam sua auctoritate, vt moris est, munitam reddet, & peculiari diplomate confirmabit. An. 1595.

4. Vt Sacra Cæsarea Maiestas ex inclito sanguine Austriaco, Illustrissimo Principi vxorem primo quoque tempore procuret, nihil prætermissura est oportuni officij, apud Serenissimi quondam Archiducis Caroli, patrui sui, charissimam viduam, & apud Serenissimum Archiducem Ferdinandum, ac Bauariæ Ducem, qui vnà cum Cesarea Maiestat. dicti Archiducis Caroli filiarum Curatores sunt, ne eorum consensus desit, quin ex filiabus illis aliqua detur.

5. Vt Illustrissimus Princeps aureo Vellere à Serenissimo Hispaniarum Rege Catholico insigniatur, Sacra Cæsarea Maiestas omni diligentia procurabit.

6. Vt verò aduersus communem hostem Illustrissimus Princeps alacrius & fecurius pergat, Sacra Cæsarea & Regia Maiestas, neque ipsum Principem, neque Transyluaniam, aut ditiones illi subiectas vllo tempore, quicunq; rerum casus, fortunæque mutatio ingruat, desertura est. Et iam quidem aliquibus auxilijs pro præsenti occasione mittendis iuuabit, & in posterum (si maior sit necessitas) auxilia maiora, siue per Generalem Cassouiensem, siue per alios suppeditabit. Quoniam verò Sacra Maiestas suis copijs militaribus, & omni apparatu bellico, vtpotè tormentis, globis, puluere py rio, & reliquis omnibus instrumentis iuuare constituit: minus iuuare pecunia poterit: de qua ante hac nulla facta est mentio. Atque hæc auxiliorum suppeditatio vltrò citroque mutua & reciproca erit, prout necessitas vnius vel alterius partis postulauerit, & vbi maior necessitas fuerit, eò maiora auxilia conuertentur.

7. Vt sacrum Romanum Imperium quoque Illustrissimi Principis, & ditionum illi subditarum tutelam ac defensionem suscipiat, Sacra Maiestas Sua, quantum in se erit, suo tempore libenter curabit, ipsumque Principem, ac posteritatem ipsius iam statim Imperij Principes, sine suffragio tamen, & sessione inter Imperij Ordines creabit.

8. Quæcunque arces, oppida, ciuitates, aut alia loca communibus viribus, quando à Sacra Maiestate sua iustus exercitus & apparatus mittetur, capientur, aut recuperabuntur, facræ Suæ Maiestati cedent. Quę autem Illustrissimus Transyluaniæ Princeps ipse proprijs armis, sanguine suorum subditorum, industria, aut alia diligentia hosti ademerit, Illustrissimus Princeps Transyluaniæ sibi, suisque retinebit: sed iure feudi tantum, quod subinde à sacra Maiestate sua tam Illustrissimus Princeps, quam ipsius hæredes repetent, accipientque. Quæ denique Illustr. Princeps ex bonis olim ad Regnum Vngariæ proprie pertinentibus, tempore quo à Turca occupata fuerunt, recuperauerit, ea Sacræ Maiestati suæ statim reddet, simulatque ipsi Principi æqua in alijs bonis compensatio dabitur.

9. Pollicetur Sacra Cæsarea Maiestas auxilium se liberalitate sua Illustrissimo Principi suppeditaturam esse, ad munienda, debitisque præsidijs firmanda ea loca, quæ è rè Christianorum esse iudicabuntur. Quemadmodum Illustrissimus Princeps vicissim pollicetur, se facultatib. suis, & viribus non parciturum, vt eadem loca seriò muniantur & defendantur, ad obsequium Suæ Maiestatis, & commodo Christianorum.

10. Quoniam dubij sunt bellorum exitus, multaque præter opinionem possunt euenire repentè, si fortè suæ Celsitudini, vel successoribus ea necessitas obueniret (quod omen Deus propitius auertat) vt viribus exhaustis tueri amplius Prouinciam suam non posset, sed præualescentibus hostibus ea excedere cogeretur, in hoc extremo ipsius casu sacra Cæsarea ac Regia Maiestas suo, ac successorum suorum nomine, locum certum in suis alijs ditionibus, certumque prouentum, quo vitam pro dignitate posit honestè sustentare, intra mensis spatium (re cum ijs, ad quos illa consultatio pertinet communicata) assignabit. Similiter aliorum præcipuorum, qui fortunas, vitamque suam, cum salute Illustrissimi Principis coniunctam, Christiani nominis causa adduxerunt, Sacra Maiestas sua eam rationem benignè habebit, vt paratum in ditionibus suis, si quid eis aduersi accidat, perfugium, & aliquam ab ea inopiæ suæ sublleuationem accipiant.

Ad simile fœdus, & vt prædictis Vayuodis auxilium præstarent, quo Turcarum vim & potentiam à se depellerent, Poloni & Moscuitę sollicitabantur, verùm à Polono nihil poterat impetrari.

Carolus Comes Mansfeldius, iam in Belgio veteranus, & exercitatissimus miles factus, belli interni & ciuilis pertæsus, pacique deditus, vt Cæsareæ Maiest. contra Turcam militaret, sollicitatur, idque ob officia Archiduci Matthiæ in Belgio olim præstita. Qui Calend. Febr. Bruxellis profectus, 17. Martij Pragam venit, vbi honoris centissimè exceptus, paulò pòst Princeps Imperij à Cæsare publicè confuetis ceremonijs, & Vicarius Archiducis Matthiæ (qui Imperator belli Vngariæ designatus erat) creatus est. *Comes Mansfeldius à Cæsare in Vngaria constituitur.*

Hispaniarum Rex, vt iuuaret Cæsarem, magnam pecuniæ vim destinauit, qua copiæ certæ equestres, & pedestres per Baronem Schwartzenbergium propè Coloniam conscriberentur, quibus *Schwartzenbergius nomine Regis Hi-*

Digitized by Google

An. 1595. quibus etiam Comes Mansfeldius imperaret. Quæ iam dudum collectæ, in ditione Cliuenſiũ, Iuliacenſium, Montenſium, & vicinorum, magno ſubditorum damno, incommodoque non progredientes, hærebant. Quę res ſuſpicionem peperit, quaſi aliquid contra has Prouincias molirentur, nec immeritò. Nam circa finem Maij ex Belgio Coloniam vſque mille pedites, & ab altera parte Rheni Comitis Montenſes, cum 500. equitibus aduentabant, tormentis, ſcalis, alioque apparatu bellico inſtructi. Naues quoque bellicæ, ac Pontones in Rheno ad traijciendum præparatæ erant. Quamobrem ciuitates vicinæ ſibi metuentes, ſuis rebus quanta poterant maxima diligentia inuigilabant. Famæ dabatur, has copias adductas, vt Comitem Philippum Naſſouium, qui ex Ducatu Lutzenburgẽſi Dillenburgum venerat, impedirent, interciperentque. Paulò pòſt pedites Schwartzenburgij Vngariam verſus iter ingrediebantur, quos ſequebantur equites, qui Lippam tranſire conabantur: ſedà Ruſticis, & Ordinum Confœderatorum equitibus impediebantur, quo etiam Comes Mauricius proficiſcebatur.

Spem. colligit militescontra Turcam.

Philip. Comes Naſſouius ex Gallia redit.

Philippus Comes Naſſouius, præter opinionem in agro Lutzenburgenſi re præclara nulla geſta, quod copias militaribus Gallicis aliis in locis opus eſſet, pedites ipſius iuxta fines Hannoniæ & Artheſiæ, littora maris legentes, initio menſis Iunij Diepæ naues conſcenderunt & in Zelandia paulò pòſt appulerunt, Comes ipſe cum equitibus per Dillenburgum quoq; incolumis in Geldriam rediit. Ob harum copiarũ defectum, & quod propter varios hoſtis conatus, præſidia vbique eſſent firmanda, Comes Mauricius exercitum in campum non eduxit, cuius etiam tentationes & ſtratagemata ſucceſſu caruerunt, cum equites duobus tribuſue locis, propè Coloniam, in VVeſtphalia, & Brabantia nonnihil damni paſsi eſſent.

Diſcordia in Cliuia.

In Cliuia, & ditione Iuliacenſi variæ quoque oriebantur hoc tempore diſſenſiones, ratione Adminiſtrationis, cum Princeps infirma valetudine, & mentis incompetentia laboraret, & Conſiliarij vna cum Ducissa Iacoba Badenſi, opera & conſilio Imperatoris & Regis Hiſpaniarum, eam ſibi fetinere vellent: contra Principis ſororij, Palatini, iunctæ Nobilitate ſe opponerent. Quamobrem cum circa finem Ianuarij, conuentus Ordinum Greuenbrochi inſtitutus eſſet, illi Principem ſuum coram ſiſti, & videre voluerunt, poſtea ad propoſita ſe declaraturos. Eo denegato, equis conſcenſis à Comite in Brotch/ & Marſcallo Schenckern deducti, & Rheno traiecto, Duſſeldorpium venerunt, vbi arce & ciuitate occupata, præſidioque firmata, Principem valetudinarium libertati reſtituerunt. Duciſſæ Conſiliarijs & miniſtris quibuſdam captis, & Angermontium in carcerem coniectis. Cuius rei certior facta, inſecuta eſt, quæ de mala inhoneſtioreque adminiſtratione, quam decebat, accuſata, in cuſtodiam miſſa eſt, miniſtris, & pediſſequis ferè omnibus remotis. Hac de cauſa noua conuentio in Februario indicta fuit, ſed progreſſum non habuit, quod Legati Imperatoris, ipſiusque Duciſſæ affines, ac Conſanguinei exſpectarentur. Nobilitas Priuilegijs ſuis inhærebat, eorumque conſeruationem vrgebat, metuens ne ſub ſpecie protectionis, à Cæſare vel Hiſpan. Rege opprimeretur, & conſequenter Principe abſque hæredibus mortuo, Sororibus, eorumque maritis ſucceſſio harum Prouinciarum adimeretur. Verùm horum omnium deliberatio in Auguſtum vſque prorogata eſt.

Diſſidium inter Comitem & Embdenſ.

In Comitatu Friſiæ Orientalis, inter Comitem Edzardum, iam tertium ſuæ familiæ, & vrbem Embdenam diſsidium ortum eſt. Cuius initium & cauſa vt plurimum Comitiſſæ Catharinæ, Goſtaui Regis Sueciæ filiæ, conſiliarijsque nonnullis adſcribitur, qui multo tempore varias diſſentiones inter Comitem Edzardum & fratrem eius Ioannem ſeminauerant & fouerant. Mortuo autem Ioanne Edzardum Priuilegia, iura, & immunitates vrbis Embdenæ violaſſe & imminuiſſe: magnum Imperium, poteſtatem & iuriſdictionẽ ſibi in vrbem contra ius & æquitatem tribuere: Conſiſtorialibus & Eccleſiaſticis ſuis negotijs ſe immiſcere, Auguſtanam Confeſsionem & diuerſum Religionis à ſuo exercitium velle introducere, Adminiſtrationem Electoſynarum ſibi arrogare, & contractui de non appellando ad Cameram Spirenſem ſatisfacere nolle. Quapropter Embdenſes veriti, ne Hiſpanorum (cum quibus fœdus inire, & ordinem Aurei Velleris ambire videbatur) auxilio ſe opprimeret, & inuaderet, arma ceperunt, ciues & incolas ſuos in certas claſſes, centuriasque diſtribuerunt, Centuriones alioſque Præfectos illis dederunt, & ſingulas centurias luſtrarunt. Armati poſt arcem Comitis occuparunt, & qua parte vrbem ſpectabat, funditus euerterunt. Et certiores facti Comitem militẽ conſcribere, publico Edicto Nobilibus, ignobilibusque ruri per totum Comitatum habitantibus præceperunt, vt ſi Comes externum militem velit introducere, id quibuſcunque modis poſſent, impedirent, copias introductas fugárent. Quod niſi facerent, nullum ipſis deinceps commeatum ex vrbe dimiſſum iri. Seſe quoque omnes Nilos & emiſſaria aperturos, & agros omnes ad aliquot milliaria inundaturos, fluctibusque marinis cooperturos eſſe.

Interea dum Comes copijs aliquot militaribus acceptis, fluuium verſus moueret, & locum cui nomen dte Knock/ è regione & in conſpectu Delfzilij occupaſſet, & munire inciperet, & per Ordines Confœderatos (ad quorum arbitrium cauſa decidenda ab vtraque parte collata erat)

erat) pax constitui non posset, ciues veriti ne hoc modo vsum & commoditatem portus, vndè omnis eorum salus dependebat, amitterent, Ordinum Belgicorum Confœderatorum opem & auxilium flagitarunt. Hi, quamuis iudicarent, non expedire, vicinum suspectum munitiones facere, tamen eos palàm in tutelam suscipere noluerunt. Sed cum copias aliquot militares in Embdenses ciuitatem misissent, qui Embdenses militarent. Adfuerémox illi, nouoque sacramento milites omnes vrbi & Senatui, obstrinxerunt, scaphis ac nauibus Delffzielæ impositos, in vrbem aduexerunt, eamque cum suburbijs ipsis custodienda tradiderunt. Quare Comitis Præfidiarij Knockium deseruerunt. An. 1595. Embdenses ciuibus suis iam ex Confœderatis dimissos.

Est autem Embdena vrbs Orient. Frisiæ, ad Amasim fluuiù sita, metropolitico honore conspicua, recenti hominum memoria ad summũ vrbis bene constitutæ splendorem euecta. Mercatoribus habitatur ditissimis, ædibus & publicis, & priuatis superbissimè colitur. Portũ habet commodissimum, & multarum nauium capacem. Quo fit, vt emporium nunc sit populosum, & amplissimos negotiatores, ex remotissimis mundi partibus ad se alliciat. Embdena ciuibus suis iam ex Confœderatis dimissos.

Prouinciæ Confœderatæ, libram iam gubernationem, plenam absolutamque auctoritatem adeptæ, populosissimas quoque ciuitates sibi subiectas habentes, quarum inquilini, industrij ac bellicosi, nomen Cosmographiæ, Hydrographiæq; scientiam perfectiorem multo quam quæuis gens alta (vti exempla docent) tenerent, abundarent nauibus, peritissimisque Naucleris, huius oportunitati (qua viuente Carolo V. & eius filio Philippo priuatæ fuerant, eò quod Hispani & Lusitani hasce tras primum detexissent, & inuenissent) rationem habendam operæ pretium rata, nouam Tartariam versus nauigationem instituerunt, faciliore & certiori spe ducti, Iittora Tartariæ legendo, ad Regnum Cathay primum, Chinarum deinde populum, & in Indiam Orientalem peruenirent, tandemque facili negotio in Iaponiam, Philippinas, Moluccas, aliasque opulentissimas Insulas traijci posse: quæ iam bis Anglos, nimirum Equitem Franciscum Draconem, & Candischium totum terrarum orbem circumuauigando, plenius detectæ erant. Iter hoc tanquàm bis mille milliaribus breuius (quam quo Lusitani vti sunt) sæpius Angli indagarunt: primò Hugo Vvillongbyus, & Richardus Chancelorius, an. 1553. Vvillongbyus post multos errores tandem in Lappelandiam venit, ibiq; glacie circumceptus, penuria, varijsque difficultatibus circumuentus, frigore demum obriguit, & mortuus est. Et ita post multos menses inuentus est cum omnibus suis impedimentis, litteris, & testamento sua manu scripto. Chancelorius autem in Moscouiam appulit, iterque detexit, quo Angli & Belgæ ab eo tempore vsque huc vtuntur. Post triennium, scilicet an. 1556. Stephanus Borungius, & recenti memoria, an. nimirum 1580. Arturus Pottius, & Carolus Iacmannus, Angli in Septentrionem primò, deinde in Orientem nauigantes, boreali itinere iuxta Vveigatium, ad mare vsq; Tattaricum peruenerunt. Paulò pòst Oliuerius quidam Brunellus Batautus hoc iter Pechoram, seu Petzoram vsque produxit. Sed vlterius his nauigationibus peruentum non est. In Septentrione aliam quoque viam Anglii iuxta littora Americæ, & Terræ nouæ, seu Nouæ Franciæ quæ fuerũt, quod Martinus Forbischerus per multis nauibus, & Iondiuisius (vnde & Fretum Dauisium nomen habet) qui ad ducenta milliaria vlterius velificauit, tentarunt: existimantes se inuenturos Americani esse Insulam, & ex ea in Chinarum Regna ꝑ transfreta posse. Sed hæc nauigatio ad hoc vsque tempus euentu optato caruit. Prouinciæ confœderatæ adeptæ, populosissimas quoque ciuitates sibi subiectas habentes, quarum inquilini, industrij ac bellicosi, nomen Cosmographiæ, Hydrographiæq; scientiam perfectiorem multo quam quæuis gens alta (vti exempla docent) tenerent, abundarent nauibus, peritissimisque Naucleris, huius oportunitati (qua viuente Carolo V. & eius filio Philippo priuatæ fuerant, eò quod Hispani & Lusitani hasce tras primum detexissent, & inuenissent) rationem habendam operæ pretium rata, nouam Tattariam versus nauigationem instituerunt, facilìore & certiori spe ducti, Iittora Tatt

An 1595. duxerunt, desiderantes, studentesq; summoperè in istis Regionibus incognitis (non Hispanorum more vi armisue, sed alijs legitimis modestisque mediis, veram orthodoxam Religionem plantare, atque propagare: deinde etiam commercia sua ampliare, idque ob iter duobus millibus milliaribus breuius, quam quo Portugalli versus Caput bonæ spei vruntur, tutiusq; à Pyratis, minus quoque periculi à morbis habens, quod lineam æquinoctialem, vt Portugalli, ingredi non cogerentur.

Quare Ordines alias iterum naues instruxerunt, eoq; miserunt: ex quibus nonnullæ reuerterentur, & quid actum esset nunciarent: quædam progrederentur, in quas licitum erat mercatoribus quæcunq; vellent gratis tam in abitu, quam in reditu inferre. Aliæ deniq; toto brumali tempore in mari Tattarico permanerent, vt quo tempore mare congelare, & iterum degelare inciperet, obseruarent. Ea de causa varias materias ad construenda Hypocausta secum sumpserunt. Omnem aût difficultatem cõstituebant Cosmographi peritiores in promontorio Tabin: quod longius altiusue in Septentrionem excurrit. Quanquã alijs id impossibile videatur, quia Plinius refert quosdam Indianos 57. annos ante Christum natum, procella maris in littora Germaniæ deiectos, ac Quinto Metello Celeri, Proconsuli Romanin Gallia à Rege Svvediæ donatos esse. Idem, vt testatur Dominicus Niger, accidit & postea, tempore Imperatoris Friderici Barbarossæ, anno 1160. Et tertiò demum, scribit Ottho in Histor. Gothorum, iterum Indianos Orientales procella ad littora Germaniæ appulisse. Ita vt spes sit, si Naues emissæ saluæ & inculmes transierint, viam rectã, idoneamq; detecturas ac inuenturas, vt deinceps ad fluuiũ Obbe, qui ex Tattaria descendit, perueniri, & vlterius paulatim nauigatio extendi possit. Quod si succedat, commerciorum toto orbe terrarum infsequetur mutatio; cùm Regiones illæ abundent Serico, Gossypio, lana, plumbo, ftanno, auro, argento, ære, gemmisque pretiosissimis, quarum rerum emptiov, enditio, permutatioque maximum mercatoribus allatura est emolumentum atque lucrum.

Hollandi nauigant iuxta caput bonæ spei in Indiã orientalem.

In Vere etiam præterito ex Hollandia egressæ sunt 4. naues magnæ, nouo mirabilíq; modo constructæ, malis, anchoris, ac rudentibus duplicibus, velis triplicibus, varijs mercibus onustæ, versus Indiam Orientalem, iuxta Caput seu Promontorium bonæ spei, ibi honestè negotiandi, neminemque damno afficiendi causa; contra vim etiam optimè instructæ, & munitæ.

Item Occidentalẽ, Brasiliã, & Africam.

Similes diuersas nauigationes Prouinciarum confœderatarũ incolæ instituerunt, atq; percurrent cotidie in Brasiliam, diuersas Insulas, & portus Indiæ Occident. Hac ipsa quoq; æstate nauis Zelandica spatio quatuor mensiũ, in Insulam Indiæ Occident. S. Margaretha æ velificauit, vbi mercibus suis expositis, alijsq; rursus impositis salua incolumisque domum rediit. Eodem modo alia ex Castello *del Mina* in Africa, ferè sub linea æquinoctiali sito, pretiosissimis mercibus, veluti Obryzo onustæ: ita vt breui tempore totum terrarũ orbem circumnauigaturi sint.

Drackius & Heuckum ir Anglia Classem ornãt.

Dum nauigationum mentionem facimus, narrabimus quoque, quo modo celeberrimi illi equites Anglici, Francisc. Drackius, & Ioannes Havvkius, cõmunibus sumptibus & auctoritate cum Regina (ea etiam participante) hac æstate magna diligentia Classem 30. circiter, vel 40. nauium (inter quas plurimæ Reginæ propriæ erant) cum quibusdam Celocibus, præparauerint, armis & cõmeatu in plures menses, militibus quoq; quibus in terram descendentes vterentur, abundè instructam, quæ in principio Augusti ex portu Pleimouthensi egredientes, quid secreti tentaturi erant. Inter adornãdum videbatur Classi Indicæ, quæ in Maio (nõ sine periculo) cum magno Thesauro Hispalim appulerat, obuiam itura.

Pyratæ Anglici occupãt Fernbuck in Brasilia, & spoliant.

Mense Iunio & Iulio 7. aũt 8. naues, faccharo, ligno Brasiliano, Pipere, alijsque mercibus Indiæ Orientalis, onustæ, in Anglia appellebant, quas Pyratæ quidam Anglici, Lancastrius, & Feamar è Brasilia adduxerant, vbi opera Gallorum, Arcem Regiam, vi expugnarant, eamque 32. diebus tenuerant, interea naues suas faccharo, aca lijs aromatibus, ex naui Orient. Indicæ ibi submersæ replentes, tandemq; 60. ex suis à Lusitanis cæsis, cæteri euadebant.

Dunkerckani in mari Pyratícam exercent.

Dunkerckani toto hoc anno magno numero Pyraticam exercuerunt, naues oês Belgicas Gallicas, & Anglicas vltro citroque commeantes, quas poterant, inuadentes atque diripientes. Maximę istæ prædę eò multos nautas, & ob malificia eiectos vndiq; alliciebat, quod à nauibus Hollandicis vel Zelandicis bellicis semper impediri non poterat. Nauibus minoribus 30. vsque 60. vasorum capacibus, militè benè instructis excurrebant, captis lytrum certum imponentes, pro quo vel ipsum Nauclerum, vel mercatorem principaliorem loco cautionis vel fideiusionis detinebant: merces autem pretiosiores & minutiores diripientes.

Hollandi Zelandique sæpius eos fugarunt, atque vt eorum naues in arenas impingerent, fecerunt, & hoc modo eis in fugam coactis prædam extorserunt. Capitaneus Logicrius, Admiralius Armudensis 10. Ianuarij, huius anni binas ex his Duinkerckanis nauibus prope Calectum repperit, quæ illo viso continuò fugientes, æstu maris opportunè in portum Caletanum se receperunt. Has Logicrius plenis velis insequutus, Duinkerckani nauibus relictis terræ se committebant, idem vt eos profligarent faciebant Zelandi, sed Caletenses Præsidiarij pugnam diremebant,

Digitized by Google

rimebant, ſibi naues reſeruantes, ita Logierius naues ſuas conſcendebat, & prædam deferebat. An. 1595.

Præſidiariorum Hiſpanorum plurimi ſub Gubernatore, Don Aluaro de Aguillar, & VValonum ſub Viceadmiralio Domino VVakenio, Cathenio, & Chapellio militantes, ſe ex huiuſmodi opulentis prædis ſuſtentabant, nihilominus tamen tumultuabantur ſæpius, ſuis Præfectis remotis, quos prædæ adeptæ, deinde iterum ſedabant. Sæpius quoque hæc vrbs tam à Gallis, quam à Confœderatis Belgis tentata eſt, ſed hucuſque fruſtra.

In Gallia Rex ſibi cotidie ſubditos reconciliabat. Reformatorum cauſa in Febr. Edictum ſimile de anno 1577. promulgari curabat, addita quadam maiori fecuritate, ſtatum & conditionem eorum concernente, quo ipſis ſatisfiebat, eoque magis, quod viderent Regem iuxta promiſiones factas, nullius velle conſcientiam coanguſtare, ſed obſeruationem duarum Religionum pacificam in Regno ſuo deſiderare, & vnicuiq; ſatisfacere cupere: non obſtante hæc multitudine ciuitatibus & ſubditis initio non placerent. Paulò pòſt autem vrbibus Anthune, Beaulne, Muys, & Digion in Burgundia pòtitus eſt, & 5. Iunij prope S. Sene inter vtramque Burgundiã paucis equitibus equitatum Coneſtablij Caſtilianenſis. Hiſpani, qui in Comitatu Burgundiæ, Veſoul & alia loca rurſus obſederat & occuparat, profligauit. Tandem Vicecomes de Tauanes, & ipſe quoque Dux Maynius, Hiſpanorum auxilia ſub Coneſtablio Gubernatore Mediolanenſi in Burgundia deſerere, & ſe reconciliare, ac loca quæ tenebant, tradere coacti ſunt. Maynius abſque vlla conditione ſupplex à Rege veniam petijt, qui ſubmiſionem hanc laudauit, acbenè recompenſauit. Ita S. Liga, vel fœdus ſacrum viribus ſummoperè deficere cœpit. Quare Rex Comitatum Burgundiæ inualit, vrbes quaſdam ad Regem Hiſpaniarũ pertinentes, obſidens & capiens, contra Conſœderatos, qui Hiſpanis, hoſtibus ſuis capitalibus, quædam loca tradiderant, ſeuerum ſe præbens; inter quos erat Dux Aumalius, aduerſus quem Pariſijs iudicium inſtitutum, iſque condemnatus, & domus eius ſolo æquata eſt, ipſo Bruxellas profugiente.

Rex Gallie ſtum Religionem in Regno ſuo pacifice conſeruare ſtudet.

Dux Maynius Regi reconciliatur.

In Britannia bellum continuebatur. Dux Mercurius, qui filiam hæredem quæ Martigneſij in vxorem duxerat, dies potens quæ erat, inſtigatus atque pecunia ab Hiſpanis conductus, plurimas adhuc tenebat ciuitates, trib. vel quatuor millibus Hiſpanorum, qui ſi opus ipſi ſuccurrerent, Blauettæ collocatis. Hæc ciuitas admodũ erat fortificata, & opportuno loco ad mare ſita. Huius Ducis Soror, Regis defuncti Vidua maximoperè laborabat, vt eum reconciliaret, ſed hucuſque nihil efficere potuit.

Philippo & Ludouico fratribus, Comitibus Naſſouijs ex Ducatu Lutzenburgenſi domum reuerſis. Verdugo antea Gubernator Friſiæ per Fontanum eò miſſus, loca amiſſa recuperandi causa, vti ex parte fecit. Fertam autẽ ad fluuium Chere ſitam, 24. Maij obſidione cinctam, cùm 26. eiuſdem, muris ſex tormentis maiorib. proſtratis, viaq; patefacta, oppugnaret, repulſus eſt. Quare Verdugo foſſas ſuas vſque ad foueas oppidi proſequens. Bullionius noctu mille pedites, & 200. equites clàm eò mittit, qui 30. Maij, Ponte artificioſè facto, in foſſas & caſtra Verdugonis eruperunt, 400. vel 500. cum aliquot Capitaneis cœſis, antequam arma capere poſſent. Reliquo exercitu in fugam coacto, tormentis ſeu machinis bellicis potiti ſunt. Tandem Verdugo recollectis vtrunque viribus, erumpentes in ciuitatem repulit, quoſdã trucidans. Die ſequenti obſidionem ſoluit, iter primum verſus Montmedium, deinde Virton ingreſſus.

Verdugo obſidet Les Fertè, in ducatu Lutzẽburgenſi. vbi de repellitur.

Fontanus interim ex mandato Regio, omnes ſuas vires operamq; impendit, vt Cameracum coangũſtaret, eoque potiretur. Et quo magis de oppidis Fera & Hano, aliſque locis ſecurior eſſet, huic 500. Neapolitanos ſub Marcello Caraccio, totidem Germanos, 220. Hiſpanos, & 250. VValones impoſuit, exceptis Gallis, quibus fidebat. Hoc modo arce, quæ certa pecunia numerata à Gallis eam tenentibus tradenda erat, ſe potiturum ſperabat.

Gubernator Gommeronus cum fratre Bruxellis erant, arcem tradere parati, idq́ue per literas Affini, Doruillerio, ſuæque vxori ibi relictæ ſignificabat. Sed his cum res ea diſpliceret, per amicos cum Comite S. Pauli, & Humerio, vti interim ipſos conuenerat, pacifcuntur, vt in Arcem recepti, oppidum Regi Nauarræo recuperarent: ea lege, vt Nobiliores captſuos obtides Doruillerio traderent, in affinis Gomeronis, ſi quid fortè duriùs in eum ſtatueretur, redemptionem. Collectis copijs Humerius, & Comes S. Pauli Lamoralium Egmondanum cum ſuis cohortibus, quibus cum Regi Nauarræo militabat, & Marſcallum Bullonium ad ſe vocarunt. Nam Fontanus exercitum ſuum in finibus colligebat ſub Duce Chymaio & aliis, qui conſtabat 14000. peditibus, & 800. equitibus, & iam aduectis quatuor duplicibus Canonibus, prope Caſteletum venerat. Quamobrem in ſumma celeritate, antequam Fontanus ſuis opem ferre poſſet, conſtituerunt 20. die Iunij, vrbem iuxta Arcem & munimenta quædam inuadendam. Præſidiarij vrbis, cum eſſent in loco ſatis tuto, & munito, de hoc certiores facti, ſe aduerſus Arcem vndecunque vrbem peruenturi poterat, fortius munierant, nimirum locis quatuor, tormentis in domibus, quarum parietes perforarant, diſpoſitis: ita vt hæc oppugnatio non careret periculo.

Hannus Galleſius deditur, & præſidium 1600. Hiſpanicum caſteletum deditur.

Digitized by Google

An. 1595. Bullionius igitur, Humerius & Crucius, multis Nobilibus & militibus comitati, rem vt dictum iuxta arcem, vt tormenta sibi oppositа vitarent, tentant. Comes Sancti Paulli extra vrbem manebat, ne quæ auxilia præfidiarijs à Fontano mitterentur, intrarent. Porta quoque aliqua se potiturum sperans. Irruptione facta parum profecerunt, donec tandem ædes aliquot occuparent, quas Præsidiarij iniecto igne incenderunt. Flamma, fumusque propitio vento Arcem versus agebantur, vndè magna orta est in Arce trepidatio, vt quicunque possent, ea derelicta, absque vlla tamen necessitate, fugerent. Bullionius, Humierius, & reliqui Tribuni fugientibus fortiter sese obiecerunt, precibusque ac minis id effecerunt, vt milites animum resumerent, seque colligerent, & in præsidiarios conuersi acrius, quam ante pugnarent. Inter quos Humerius globulo traiectus occubuit. Sub id ventus vertitur, & flammam in vrbem reijcit, quo beneficio Galli ad portam vsque Nouiodunensem penetrarunt, quam Bullonius mox aperiri iussit. Quare Præsidiarij consternati, petierunt colloquium. Etsi autem Bullonius ad id duos ex suis deputaret, milites tamen morte Humerij ad indignationem & iram incitati, ac iam per horas duodecim dimicantes, auscultare noluerunt, sed pergentes quoscunque obuios trucidarunt, ita vt sexcenti vel septingenti, inter quos ducenti illi Hispani, ex præsidiarijs oppetierint. Reliqui capti sunt, ipse quoque Summus & generalis Neapolitanorū Præfectus, Signor Cicque, admodum vulneratus, & Marcellus Caraccius, vna cum Germanorum militum Duce: qui omnes Oruillario Gubernatori Arcis tradebantur, affinium suorum, qui Bruxellis erant liberandi causa. Ex præsidiarijs Arcis, præter Humereum, occubuerunt Crucius, viginti circiter Nobiles, & 100. milites gregarij. Inter hos vt plurimum deplorabatur Humerius, tanquam miles fortissimus, ac Regi fidelissimus; Bullionij fortitudo quoq; laudabatur. Hoc modo vrbs hæc præsidio firmissimo profligato, Regi suo restituta est. Finito iam certamine Fontanus è castris suis quatuor millia peditum, & omnem equitatum periclitantibus auxilio transmisit: at serius ad vrbem venientes, recessserunt.

Castiletum oc cupat Fontanus.

Fontanus Castiletum obsidens, tormentis cœpit mœnia immaniter prosternere. Oppidum & Arcem dominus Grangæus cum 600. Gallis fortiter tuebatur. Sed cum locus esset exiguus, Præsidiarij sibi à pilis copiosissimè in muros lapideos (vnde plurimi vulnerabantur) emissis, cauere non poterant. Postquam igitur deiectis ac prostratis muris, diuersis vicibus oppugnati essent, & ita hosti restitissent, vt fossæ mortuis implerentur, quo facilius per eos viuis pateret accessus, tandem honestis conditionibus sese dedere & excedere coacti sunt. Hoc modo vrbs Cameracensis valdè coangustata est. Omnia nam quæ circumquaque deuastabantur, etiam ipsę segetes, quæ arboribus decisis, & ab equis tractis conculcabantur: ita vt vrbs multarum rerum inopia laboraret. Habebat quoque Fontanus in ea Canonicos aliosque sibi fauentes, cum quibus de vrbe tradenda secreta, sed irrita, inibat consilia.

Cleria Arx occupatur.

Expugnato Castileto Fontanus exercitum per Veromandorum fines duxit, atque Hanum præteruectus, Feram vrbem nouo recreauit commeatu, Cleria arce in itinere occupata, diuexandis Peronensibus valdè opportuna.

Dorlantium Galli munitiō.

Dum hæc fiunt Galli Dullendinum, vulgo Dorlantium commeatu & præsidio forti muniunt. Peditum 2000. cum 400. equitibus, inter quos 250. Nobiles erant, eò transmittunt. Vrbi Haracurius, Arci Ronsæus præerat, qui tantis consilij copijs, & validissimis Arcis freti munitionibus, obsidionem non magnoperè formidare videbantur: quæ tamen omnia, vt postea dicetur, nihil illis, quo minus in hostium manus venirent, profuerunt.

Fontanus Hispanorum præsidiū Bruxellis introducere conatur.

Hic antequam Bruxellis discederet, Brabantia miserè diuexabatur, vt igitur de vrbe Bruxellensi securior esset, sub prætextu, quasi Germanos qui in præsidio erant, & ob non soluta stipendia tumultuabantur, compescere vellet, conabatur 2000. Hispanorum eò introducere. At de hac re ciues certiores facti, id permittere nolebant, seseque Germanis iungentes Hispanos excludebant. Qui offensi, iratique media quærebant Machliniam, & Viluordam intrandi, vbi cum idem ipsis accideret, spoliabant, & incendio absumebant duos Pagos, Agricolas per totam Brabantiam miserè magisque affligentes, quam ipsi hostes.

Hinc vndique omnium rerum oriebatur caritas, adeò vt menſe Maio Antverpiæ quartale frumenti venderetur nouem florenis, libra carnis Bubulæ optimæ 5. stuferis. Veruecinæ 7. stuferis, Vitulinæ 8. stuferis, Butyri totidem, & sic reliqua cibaria consequenter, etiam ipsa olera, quibus tenuioris fortunæ homines vtebantur. Quorum suspiria & clamores ad cælum vsque ascendentes, vbique exaudiebantur.

Nobiles Prouinciarum sub Rege à Mauricio pacem petunt.

Quare Ordines, tam Ecclesiastici, quam Seculares, præcipuè autem Nobiles Prouinciarum Regi adhuc parentium pacis tractationem promouere studebant; eoque tandem scribendo, rescribendoque res deuenit, vt Middelburgum à Regijs (impetratis prius literis salui conductus) missus sit Theodorus Liesfeltius, olim Brabantiæ Cancellarius, cum Otthone Hartio, Matio, & quodam Ducis Arscotani Secretario. Hi Mauricium Nassouium, Thesaurarium Valckium, & Consiliarium Roelsium ibi inuenientes, 14. Aprilis de pacis negotio cum illis

agere

agere cœperunt. Initio expoſuerunt quanta lætitia perfuſi ſint Ordines Prouinciarum Regi parentium, cùm aduerſæ partis optimam de pace reconcilianda voluntatem intellexiſſent: vt hoc modo vel ſemel tandem huius tam diuturni belli calamitatem euadant. Ideo ſe comparuiſſe, vt nomine Regis & Prouinciarum, eius Imperium adhuc agnoſcentium, cum parte aduerſa in congreſſum, colloquium q́ue veniant, vt, quibus conditionibus pax componi poſſet, deliberaretur. An. 1595.

Reſpondit Mauricius, Confœderatorum voluntatem ac mentem eſſe, pacem cum ipſis prouincijs facere, non autem cum Rege Hiſpaniarum, quem omninò excludendum vellent: propterea, quod alijs Principibus eſſent Confœderati. Quinetiam ſe non ignorare Regis animum adeò in Confœderatos exacerbatum, vt iniuriæ (quomodo ipſe interpretatur) ſibi illatæ memoriam nunquam ſit depoſiturus: multò minus ignoturus; ſed omnem occaſionem illum captare, vt quàm citiſſimè vindicare poſſit. Huic eius propoſito conuenientiſſimam eſſe Theologorum eius ſententiam, *Hæreticu fidem non eſſe ſeruandam*. Adhæc cùm Legati replicarent, Mauricius ait: Poſtremam Confœderatorum definitionem eſſe, cum Rege pacem non eſſe ineundam: imò ſi alio modo pax proponatur, ſe certo ſcire, non tantum id recuſaturum, ſed & quicquid hactenus actum eſt, reuocatum iri. Quod autem hic conuentus habeatur, eo fine fieri, vt Prouinciæ Belgicæ omnes ſimul conſeruentur, necaut per Gallos, aut per alios ſeparentur. Sed & ſeorſum quibuſdam inſinuatum eſt hoc tempore aliam viam pacis conficiendæ inueniri non poſſe. Sperandum tamen eſſe, ſublatis aut mutatis cauſis diffidentiæ negotium feliciorem habiturum euentum. Hoc colloquium tantum initium eſſe, vt paulatim ad nouum & prolixiorem de pace contractum cum antiquis & legitimis Dominis perueniatur: modò ſyncera intentio & candidus affectus oſtendatur, omniſque violentia tollatur. Addidit Mauricius loco concluſionis, quod ſi Domini & Ordines Regis Imperio ſubditi bona fide in pacis deliberationem, contractumq́ue venire cupiant, Confœderatos nunc etiam ad pacem propenſos eſſe, ijſq; nihil gratius fore, quam vt bellum n otium, tranquillitatem & amicitiam conuertatur. Cæterùm oportere, ipſos voluntatem, determinationem & conſilium ſuum de ablegandis Hiſp. alijſq; militibus ex ternis, deq; alijs quibuſdam conditionibus (quas & ipſe Regijs Ordinum nomine deſcriptas tradiderat) ſcripto tranſmittere: quod quò citius facerent, eo ſibi futurum gratius, vt de loco & tempore, quo conuentus de pace habendus ſit conſtituatur. *Mauricij Re. ſponſio.* *Mauricius Re gis ſubditos pa cem offert.*

Legati Regij negabant ſe alia mandata habere, quam vt de pace inter Regem & ſubditos ſuos ex vna parte, & inter Confœderatos ab altera tractarent, aut vt de loco & tempore conuenienti tractetur, procurarent. In hoc igitur omnis controuerſia vertebatur; vtrum Rex in contractum pacis veniret, an excluderetur. Quare Legati Regij ſtatim re infecta diſceſſerunt, ea quæ acta erant ad ſuos referentes, quæ etiam varijs diuerſorum opinionibus illuſtrata in Hiſp. tranſmittebantur.

Inter quos qui paci ſtudebant, iudicabant negotium proſequendum, ne occaſio præteriret, vrgente id nimirum omnium rerum caritate, Prouinciarum ſumma miſeria ac neceſsitate, Incolarumq́; lamentatione, & quod media quibus Confœderati vi cogantur, non adſint, præſertim cum Prouinciæ Regi ſubiectæ vndiq; bello impetantur. *Rationes quæ te multi conci liationem co pacē ſuaderent.*

Hac pacis tractatione recuſata atque reiecta, Confœderatos neceſſario quodammodo cogi, cum vicinis alijs Principib. fœdera inire, qua re Hiſp. belli onera augerent, ita vt in poſterum nulla reconciliationis vel pacis ſuperſit ſpes.

Confœderatos ſibi perſuadere, ſe idoneis inſtructos eſſe mediis, quibus bellum continuarent, idq́ue faciliori negotio, quam aduerſarij ſui: cùm mari dominarentur, in quo hoſtis neque naues, vel nautas, neque portus haberet, vt hanc commoditatem ipſis amputare poſſet, qua opulentiores quoſq; ex alijs Prouincijs ad ſe allicerent. Eſſent præterea tam ſecuri, vt in Ciuitatibus nullos haberent Præſidiarios, exceptis locis limitaneis, & hoſti finitimis, vbi militem alerent.

Quam ob rem pacem ipſis aliud quam incommodum & imminutionem proſperæ iam vtentis fortunæ adferre non poſſe, quod tamen non attenderent, ſed parati eſſent communis ſalutis cauſa cum vicinis ſuis communicare, vt omnes prouinciarum Belgicarum incolæ inter ſe reconciliatæ in otio & pace ſimul tranquilli viuere poſſint.

Regem, tanquam Principem ſuarum Prouinciarum incolumitatem & proſperitatem quærentẽ, metuere non debere, Ordines, Nobileſq; ipſi obſequentiſſimos, & tot, tantaq; malo eius nomine perpeſſos, illi etiam quam maximè iuramento obſtrictos, ſummoperè ſauentes aliquid in præiudicium Regis, eiusue auctoritatis & obedientiæ (cuius ne quidem mentio faciendam, ſed inſtructionem & mandatum ſequendum) conſenſuros, permiſiurosúe. Quod ſi Prouinciarum Ordinibus diffidatur, ipſorumq́ue tractationem Regis honori derogaturam exiſtimetur, pacis negotium, alioquin in Prouinciarum vtilitatem redundaturum, impeditum ſine dubio iri. Quare expedire, vt Rex ſuo iure paulìſper cedat. Controuerſias inter prouincias nó eſſe tam

Digitized by Google

An. 1595. arduas: præſertim cum Confœderati ab ipſis nullam exigerent mutationem Domini, Gubernationis, aut Religionis, quemadmodum & illi in ea re arctari nollent. His omnibus conſideratis in aperto eſſe Regi maximè profuturum, ſi contractu hoc non comprehenderetur; imò Regem id non debere expetere, (etiamſi Confœderati id vrgerent & cuperent) quo meliusipſi ſua relinquatur & conſeruetur libertas. Certum enim eſſe diuerſas & Catholicæ contrarias Religionis opiniones in diſputationem & diſceptationem véturas, quibus Rex in præiudicium Romanæ Eccleſiæ nunquam, nec volet nec poſſet conſentire, præcipuè in contractu huiuſmodi ſolenni & publico.

Confœderati mutationem Domini, Religionis, alterius ſtatus à Regis non exigunt.

Confœderatos melius promiſsionibus, & aſſecurationibus Ordinum, quam Regis confiſuros: qui non malitiosè aut doloſè cum Rege tractare recuſarent, ſed ob Regis potentiam metuerent, & fidem non haberent: ſcientes eum iniurias ſibi illatas vlciſci, & ſeuerè vindicare ſtatuiſſe. Quam ſuſpicionem de Ordinibus non haberent, eoque melius fiderent, tanquam ijs, quos in poſterum pro mediatoribus & interceſſoribus expetituri ſint.

Pace hac confecta, Prouinciarum inimicorum vires debilitatas iri quamplurimum, operæque Confœderatorum, Gallos Anglosq; amicitia perpetua diuinciri poſſe, qui, vt pateret, nihil aliud quærerent, quam ſuorum Regnorum ſecuritatem, & Hiſpanorum, aliorumque extraneorum, ipſorum ſcilicet inimicorum & hoſtium ablegationem, aliam belli gerendi cauſam non habentes.

Prouinciarum ſalutem & in columitatem aliis incommodatibus debere præponderare.

Regem hac pacis tractatione (ſicuti & præcedentibus ſemper feciſſet) rem vtilem facturũ; Pacemque & communis Patriæ ſalutem omnibus aliis incommoditatibus ante ferri, easq; vincere debere, cuius totius Chriſtianitatis intereſſet, quæque prætenſam Regis auctoritatem longè ſuperaret.

Quantum ad Confœderatorum tranſmiſſos articulos, de dimittendo externo milite, & aliis, obſidibus illis ſatisfieri poſſe. Cùm & ipſe Fontanus ſe pro obſide obtulerit, donec promiſſa tranſfactaque omnia ſuper hoc adimpleta eſſent.

Aliorum tractationes.

Alij, Hiſpanizati, &, vti videbatur, Regis commodo magis ſtudentes, contra aiebant, Confœderatos omni iure, atque honeſtate teneri, vt ſe cum legitimo & naturali domino ſuo reconcilient: qui quamuis irritatus, & ſumma iniuria affectus, paratus tamen eſſet ſincerè, cùm illis in pacis tractationem deſcendere: quam vt promouerent, ipſarum eſſe partium, vt Regem ſupplices requirant, ſollicitentque ſuam tam neceſſariam auctoritatem interponeret, tanquã pars cuius maximè intereſſet. Nam Rege excluſo, ipſi liberum dari & relinqui arbitrium bellum, continuandi & proſequendi. Ordines præterea non eſſe idoneos, abſque Regis conſenſu.

Confœderatorum Rebellionem, & facta non mereri, vt Rex ipſos tali honore, ſe autem ignominia hac afficeret. Non decere, illos Superiori ſuo leges præſcribere, aut in illorum eſſe poteſtate, ſolummodo cùm Ordinibus contrahere, Rege domino ſuo legitimo excluſo, ſub prætextu timoris ſeu diffidentiæ, quam hæreſi ſua aç rebellione cauſaſſent. Hinc colligi, ipſos nunquam Regem pro Domino legitimo atque naturali recognoſcere propoſuiſſe, & in animum induxiſſe. Quare Rege in hoc contractu non comprehenſo, actum fore præiudicialem & damnoſum, Regem Maieſtate, auctoritate, & obedientiaque debita priuantem, & nihil aliud eſſe, quam ius ſuum omne ſubditis ſuis rebellibus, atque hæreticis (quo facta ſua iuſtificaturi eſſent) committere. His ſimilibusque rationibus vtebantur Regis Fautores.

Hæc itaque Pacis tractatio, cùm non proſequeretur, Confœderati Ordines Regi Galliæ per Dominum Cabevvartium, & Reginæ Angliæ per Noelium de Laron, Dominum Schonevvaldium, Cæſarea quoque Maieſtati, alijsque Principibus vicinis, & confœderatis, quid actum eſſet per Legatos ſuos & Agentes indicarunt; demonſtrantes ſe ſola ſyncera affectione, firmam ſtabilemque quærere pacem, quæ quominus iniretur, non per ſe, ſed prouinciarum Ordines ab Hiſpanis (qui maiorem inanis Regiæ Maieſtatis & auctoritatis, quam pacis: vel vicinorum ſalutis curam habent) quaſi induratos, ſtare.

Vt tamẽ miſerę plebi lamentanti aliquo modo ſatisfieret, negotium hoc pacificationis non planè recuſarum, ſed prorogatũ eſt, donec perſonæ aliæ digniores ad id perficiendum deputarentur; maximè eam ob cauſam, quod nunciaretur Claſſem, ex India Occidentali maximis diuitijs onuſtam Hiſpalim appuliſſe: quæ Regi ipſi magnam auri & argenti vim adueхiſſet, qua ſperabat, vel Confœderatis pacem aliquam extorſurum, vel acriusbellum gerere & cõtinuare poſſe.

Naues Hollãdicæ aliæque in Hiſpaniæ ſtatæ dimittuntur.

Quamobrem Hiſpaniarum Rex multas naues Hollandicas, Zelandicas, & Septentrionales, quas in portibus Hiſpanicis detinuerat, vt ſi opus eſſet, eas impoſitis militibus Claſſi ſuæ obuiam mitteret, quo tutius in Hiſpaniam deduceretur, dimiſit; indicatumque Nuncio & Ducem Medinæ Sidoniæ, Regem id facere interceſsione Cardinalis Auſtriaci, qui iam Belgij Gubernator delignatus erat, addendo tutum illis fore diſcedere & redire in poſterum, quando & quotieſcunque vellent, cuius rei gratia ipſis, qui cuperent literas ſalui conductus datas iri, idque

hac ſpe,

Digitized by Google

hac ſpe, Belgas Regis clementia perpenſa, ipſum pro naturali ſuo Domino receperturum. An. 1595.

Ita Cardinalis Auſtriacus ex Italia in Belgium venturus exſpectabatur, cuius auctoritas Hiſpanis amplius non erat accepta, & qui aulica inuidia Iuniorem Principem Hiſpaniæ gubernare deſiderantium, ſub tali honeſto prætextu, vt multi iudicabant, huc ablegabatur. *Cardinalis Auſtriacus in Belgio gubernator exſpectatur.*

Philippus Naſſouius, Princeps Auraicus, tot annos in Hiſpania captiuus, libertati reſtitutus erat, & cum Cardinali in Belgium redire debebat. *Philippus Naſſouius Auraicus ſilium natu maximum liberat & reſtituitur.*

Galleris, quibus Cardinalis ex Hiſpania in Italiam aduehebatur, ſermo erat, reductam iri aliquam ex filiabus Caroli Archiducis Auſtriæ, Principi Hiſpan. Philippo, 17. annum iam agenti, deſponſandam.

Confœderati Belgæ, initio Iulij exercitum ſuum ſub Imperio Mauritij Naſſouij coegerunt, collectiſque nauibus circiter 280. minoribus maioribuſque omni apparatu bellico & commeatu oneratis, V Vahalim & Rhenum ingreſsi, aduerſo flumine Nouiomagum verſus velitationes; fame ferebatur, eos Syluam Ducis obſeſſuros. Quamobrem Mondragonius arce Antuerpiensi egreſſus, copias aliquot regias ex vicinis præſidijs collegit, & cum armatorum millibus quatuor in Campiniam veniens, in Thurnhaut, locisque vicinis ſubſtitit, Mauricio reſiſtendi cauſa. Qui iam altius Rhenum aſcendens, confeſtim 25. aut plures naues cum militibus clam Hulſtium in Flandria miſit, vbi neminem, qui ipſis reſiſteret inuenientes, plurima munimenta ſubitò occuparunt, antequam ſuis Mondragonius ſuccurrere poſſet. *Mauricius exercitū colligit*

Interea Mauricius reliquo exercitu in Gelriam contendit, & initio quaſi aliquid contra Berckam moliturus eſſet, tandem Grollam obſedit. Eſt autem ignobile Comitatus Zutphaniæ oppidum, nulla re alia, quam fuſis, quibus fila è penſo carpuntur, conficiendis celebre: nec arte, nec loci natura munitum: niſi quod tempore belli huius inteſtini vallis & propugnaculis tum aliorum, tum maximè Nobilis cuiuſdam Boetbergij, qui Regis nomine oppidulo præfuit, ſtudio munitum eſt. *Mauricius Grollā obſidet*

Huc duxit Mauricius legionem vnam Balfortij Scoti, vnam Veri Angli, & tres è Zelandia, Friſia, & Vltraiectenſi, vicinisque prouincijs collectas, quæ omnes quinque millia peditum conficiebant: equites verò mille ducentos, trahebatque ſecum 28. maiora tormenta, quibus mœnia proſterneret. Erat eius Conſilium in profeſto Iacobi oppidum oppugnare. Cœpit itaque poſtquam caſtra communiuiſſet, mœnia verberare, & initio molam pneumaticam deiecit: cuniculos etiam diuerſis locis agi præcepit, qui cotidiè vna cum caſtris propius ad oppidum promouebantur. Obſeſſi contrà ſe fortiſsimè defenderunt. Mondragonius iam de eius conſilio certior factus, qua potuit celeritate ſuos iuxta Venlonam Moſam traduxit, vt obſeſſis opem ferret. Hunc ſecutus eſt Comes Tſerenbergius Hermannus, Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Gubernator Regius.

Comitem Fontanum exercitum in Picardiam duxiſſe, ibidemque Caſtiletum expugnaſſe, Ferenſibus commeatum & militem, aliaq; neceſſaria miſiſſe, commemoratum eſt paullò ſuperius. His ita peractis 14. Iulij cum toto exercitu Dorlantium profectus eſt. Cùm in conſpectum vrbis veniſſet, conſeſtim præſidiarij magna animi audacia erumpentes, cum hoſtibus velitantur, nonnullis vtrinque deſideratis. Poſtridiè Valentinus Mottæus, Præfectus Greuelinganus, & tormentorum in caſtris Magiſter, dum fulgēte Luna noctu vrbis mœnia explorat, glande caput traiectus, cadit: ſunus die ſequenti Atrebatum delatum, ibiq; ſepultum eſt. Per eoſdem dies Fontanus propugnaculum expugnauit, quod Galli extra arcis foſſam exſtruxerant. In eo militum ſtationes abſque mora diſpoſuit, è quibus nulla in muro conſiſtendi facultas propugnantibus concedebatur. At Nauarræus, qui in finibus ſuperioris Burgundiæ bellum gerebat, huius expeditionis certior factus, ne obſeſſorum ſalutem neglexiſſe videretur, confeſtim omnibus Picardiæ, Normandiæ, & finitimarum Prouinciarum Nobilibus edixit, arma induerent, Duci Bullonio operam nauaturi, qui obſeſsis ſuppetias laturus, apud Ambianum copias conuenire iuſſerat. Apparatus iſte cùm Fontanum non lateret, hoſtem operiebatur 24. Iulij. Bullonius itaque ipſe in prima acie cum Sencheuālio, Belinio, Comite Fani S. Pauli, atque Nobilium globo, dato pugnæ ſigno, in leuis armaturæ equites, à Fontano præmiſſos, impetum fecit, eoſque loco ſubmouit. Sed cataphractorum alæ aliquot ſubſidiariæ, hos à fronte & latere inuaſerunt, vt primam totam aciem, in quam Bullonius præcipuam Nobilium robur contulerat, prorſus diſiecerint, trucidarint, & in fugam conuerterint. Reliqua autem Gallorum multitudo, quæ longius aberat, conſpecta ſuorum clade, pedem referre, ſeruatis tamen ordinibus cœpit. Belgis equitib. vna cum expedita Hiſp. peditum cohorte, & ſelectis 50. ſclopetarijs acriter eos ad 2. milliaria inſequentibus, & eorum terga cædentibus. *Dorlantiū obſidet.* *Mottæus occiditur.* *Bullonius ſubſidium Dorlantium ſub. laturus cæditur.*

Hic Villarius Rothomagenſis Præfectus, & Galliæ Admiralius, dum cum Nobilium turma plurimum redintegrat, & inſequentes ſiſtere conatur, capitur, & mox ab Hiſpanis ſuperinuenientibus confoditur, iuſo fugatoque omni equitatu: ex peditibus plurimi etiam in vico, cui pulchra Quercus nomen, trucidati ſunt, Bullonius vna cum Fani Pauli Comite maturè fuga euaſe-

rant.

Digitized by Google

An. 1595. rant. Communis tunc multorum erat opinio, Bullonium de industria Nobiles illos, qui nuper à Confœderatis ad Nauarræum defciuerant, in prima acie deseruisse, & hosti mactandos obiecisse, vt isti à medio sublatis, ad vrbium præfecturas, & gubernacula hominibus Nauarræo planè addictis pateret, aditus. Cùm autem pugna flagraret, obsessi eruptionem tentarunt: sed à militibus qui pro vallo excubabāt, fortiter sunt reiecti. Idem & paulò post ipsis erumpentibus accidit.

Nominasessorum & capitaneus.

Inter præcipuos Gallorum Duces, perijt in acie (vt diximus) Villarius, qui Rhotomagum anno 1592. confœderatis seruarat; quod postea Nauarræo tradidit. Cecidit Sencheuallius, qui anno superiore deserto Duce Aumalio Ambianis auctor fuerat, vt Nauarræum in vrbem reciperent. Sandionyius cum suis, quibus præerat militibus, occubuit præter gregarios. Nobiles plus minus centum, cum aliquot Centurionibus, Tribunis, & militum ductoribus cæsi sunt. Capti, & Atrebatum ducti pedites, circiter 60. cum aliquot Gallis Nobilibus, inter quos auctoritate eminebat Comes Belinius; Parisiorum quondam Præfectus, (qui ad Nauarræum quoque à Confœderatis defecerat) vbi inginti lytro se redimere compulsus est.

Regii Grollen sis. sappetias ferunt

Cùm Mondragonius (vt antea dicebamus) Venlonam venisset, Berckamque ad Rhenum exercitum mouisset, Comes Tserenbergius, Hermannus se illi coniunxit. Hic ad illos venére quatuor Scoti, & Angli duo, qui singuli seorsum examinati, numerum equitum & peditum, quos Mauricius in castris habebat, quot etiam V Vilhelmus Nassouius adduxerat, nomina Tribunorum & Centurionum consona voce confessi sunt. Mondragonius itaque & Tserenbergius his intellectis suos Rhenū transportant: habebant autem secum duas Legiones Hispanorū, vnam Germanorum, ducentos sclopetarios Gallos seu V Valones, trecentos Hibernos, turmas equitum nouem. Equites quingenti, & cohortes quibus Tserenbergius præerat, adhuc per Frisiam erant distributi: ita vt totus exercitus constaret peditum millibus quinque: equitibus verò mille. Hic militibus mentruo stipendio soluto, 4. Iulijin hostem ducuntur.

Mauricij castrorum hæc erat constitutio; Hollandi ab ea parte qua Borckeloum & Bredefortium itur, Frisones qua Oldenzaliam, Angli & Scoti ex opposito Portæ Bredefortianæ stationes suas habebant. Mauricius autem cum omnes suas copias co non deduxisset, metuens ne viribus impar, hostis & commeatum, & subsidium ipsis intercluderet, in festo D. Iacobi obsidionem Grollensem soluit, & relictis castris sese in tutum recepit.

Fontanus post dictam victoriam partam, ad oppugnationem Dorlantij se totum cóuertit, ita Gallorum vires iam fractas ratus, vt ab externo hoste nihil metuēdum esset. Nam etli Dux Niuernensis cum nouo exercitu aduentare dicebatur, tamen Somonam versus, iter deflexit. Fontanus itaque 30. Iulij, ingentem curruum multitudinem, commeatu, pecunia, puluere tormentario, & rebus alijs ad oppugnationem necessarijs Atrebato in castra adduci iussit. Eodem die turma equitum, quæ ex oppido eruperat, ab obsidentibus intercepta, opprimitur, & nocte insequente nonnulli oppido emissi in castra fociorum, quę non procul Ambiano aberant, peruenerunt: qui quanto in discrimine versarentur, obsessi significarunt. Nec mora, eadem nocte missi cum militum manipilo muli decem, puluere tormentario potissimum onerati, qui per portam castris auersam incolumes in vrbem intrarunt. Fontanus enim eam duntaxat vrbis & arcis partem cinxerat, quæ Galliam & Ambianos spectabat.

Arx Dorlantiana expugnatur.

Iulij die vltimo, ab hora quarta matutina ad tertiam promeridianam, Arx absque vlla intermissione tormentis concussa, & vasta murorum ruina patefacta est. Hora igitur quarta milites ad oppugnationem selecti, accepto signo, sublatoque clamore, per muri ruinas in Arcem irrumpere tentarunt. Pugnatum vtrinque fortiter donec Galli oppugnantium pertinaci fortitudine perterriti, & loco (multis acceptis vulneribus) deiecti, exarce in vrbem fugerent; Hispanis & Belgis eos acriter insequentibus, & obulos quosque (commilitones in oppido Hasensi nuper trucidatos vlciscentes) gladijs & hastis passim transfigentibus. Postquam militaris iste furor deferbuit, plerique hostes è latebris extracti, vitaque donati sunt. Vrbs direpta, potior prædæ pars Hispanis cessit. In ea commeatus, armorum, puluerisque tormentarij magna reperta vis, cum 26. tormentis bellicis, & quadringentis circiter generosis equis.

Cumulata sunt hostium cadauera quinquaginta supra millia, inter quos multi Nobiles inuenti, partim cæsi, partim grauiter vulnerati, vna cum quadraginta Tribunis, Centurionibus aliisque militum præfectis. In hoc vrbis Dorlantianæ excidio occubuit Comes Dynantius, Ducis Halluini filius, & Ronsæi frater. Item Arganuillerius Humerij nuper cæsi Legatus, cum Chalancio, Besquerio, Porillio, & alijs genere imaginibusq; claris.

Inter captiuos præcipuus erat Ronsæus arcis Præfectus, lethali vulnere sauciatus: qui Atrebatum perductus, mortuus est. Præterea grauiter vulnerati, & magno promisso lytro capti, Atrebatumque postea perducti fuére. Pouillius Haruuacurij frater lethifera glande ictus, Griboualius Pontis Ormij Præfectus: Bornouilla, Quercetanus Atrebati defunctus Idibus Augusti. Daniel militum Ductor, vulneribus itidem absumptus. Villeroyus Gallorum peditum Chiliarcha,

Digitized by Google

llarcha, San-Rauius, Conroyus, Monſurius, Foreſtius, Freſſartius, Braquemontius, Ambre- An. 1595.
ualius, Tanquæus, Framicurius cum fratre Fanimarci Domino. Fuere præterea Galli Nobiles aliquot capti prorſus illæſi, inter quos primæ notæ fuerunt Heracurius, qui vrbi, vt diximus, præerat: captus verò iuſſu Fontani in arcem Antverpianam cõiectus eſt. Rinſcualius, Simonuæus, Capellæ à Mansfeldio expugnatæ Præfectus, Granmuellius, Belliualius, Quelilius, Vallecurius, cum nonnullis alijs tum ciuibus, tum gregarijs militibus, quos Martis vis non oppreſſerat. Hoc modo cum ſummo Ambianorum detrimento, Atrebatenſium commodo expugnatum eſt Dorlantium.

Nam cum Balignius, vrbis Cameracenſis Gubernator, Atrebates & Hannonios vexare, & rura flamma ferroque inciperet infeſtare, conteſtim Dorlantio occupato, Artheſiæ & Hannoniæ Ordines, item Duacenſium, Inſulenſium. Valencenenſium & Tornacenſium Legati, vnà cum Ludouico Barlaymontio Archiepiſcopo Cameracenſi, & cæteris exulibus, qui repetendæ patriæ magno tenebantur deſiderio, in caſtra ad Comitem Fontanum profecti ſunt, cum obnixè rogantes, vt expeditionem aduerſus Balignium ſuſciperet, nec tantam rei benè gerendæ oportunitatem è manibus elabi pateretur, pollicitiingentem pecuniarum ſummam, cum milite & commeatu. At Fontanus licet arduum & difficile ſibi videretur, vrbem potentiſſimam, arcemque munitiſſimam cum his, quas tunc habebat, copijs oppugnare, tamen Atrebatum & Hannoniorum pollicitationibus adductus, iniurias à Balignio Regi & Patriæ illata vlciſci ſtatuit. *Cameracum à Fontano obſidetur.*

Itaque ſublatis ſignis Cameracum rectà contendit, cuius obſidium Idibus Auguſti fœliciter auſpicatus eſt, militibus è toto Belgio euocatis, copias augere ante omnia curauit.

Balignium inopina obſidione cõſternatum Ludouicus, Gonzaga, Dux Niuernenſis paululum recreauit, Carolo Gonzaga, Duce Raſtellano filio ad eum tranſmiſſo, qui 15. Auguſti cum aliquot equitibus Cameracum effuſo curſu petens, vix hoſtium inſequentium manus equi pernicitate euaſit, impedimentis, quæ tardius ſubſequebantur, amiſſis. Interea per totam Artefiam habito delectu ſupplementa militum cum magna foſſorum turba in caſtra mittuntur.

Princeps item Chymæus publicas & priuatas vlturus iniurias ex Hannonia, magnum equitum & peditum numerum ad Fontanum adduxit. Qui vt omnes in vrbem & arcem aditus præcluderet, idoneis locis caſtella & munitiones excitauit, quas varijs Ducibus tutandos commiſit. Ipſe cum Nobilitate & exercitus robore non procul ab arce, in valle quadam conſedit, ad quam maiorum tormentorum pilæ adigi non poterant.

Princeps Chymæus ad diuerſam vrbis partem caſtra poſuit. Munitioni Ollianæ præerat, Baro Auxius, & Præmianum propugnaculum defendebant 300. ciues Atrebatenſes, ad hanc expeditionem vltro profecti. Alias munitiones, alij Duces tenebant.

His ita conſtitutis, Fontanus vallum pro mœnibus quo milites tegerentur, extrui mandauit. Balignius, vt iſtud impediret tormenta, quorum magnum habebat numerum, ſæpius diſplodi curauit, non ſine militum foſſorumque ſtrage; qui tamen pertinaci ſtudio & nocturno præſertim labore vallum ſtatura hominis altius erexerunt: in quo milites tuto verſari poterãt. Tormenta deinde locis oportunis collocata, murorum pinnas & molas aliquot, quæ vento in mœnibus circumagebantur, crebris ictibus proſtrauerunt.

Circa hoc tempus, Mansfeldius, qui in Vngaria Strigonium obſidione arctiſſima cinxerat, in morbum grauem inciderat; medicorum igitur cõſilio valetudini operam daturus, Comoram lectica tranſportatus eſt: ſed morbo ingraueſcente, tandem 14. Auguſti circa veſperam obijt. Princeps longiori vita dignus, qui à teneris annis inter arma enutritus, præclaram ſemper dum vixit, Regi Hiſpaniarum Philippo nauauit in bellis operam. *Carolus Mansfeldius moritur in Vngaria.*

Non dudum poſt, videlicet 1. Septempris, Arx vrbsque Strigonenſis, ad Iſtri & Grani confluentem ſita, poſtquam quinquaginta iam tribus annis ſub crudeli Turcico imperio fuiſſet, Chriſtianis, induſtria virtuteq; maximè Comitis Caroli Mansfeldij reſtituta eſt, quam lætam victoriam ipſe tamen non vidit. *Strigonium Chriſtianis redditur.*

Hactenus frequenter Henricus Nauarræ, Galliæque Rex per literas Legationesque ab excommunicationis fulmine, quo cum Sixtus V. primò, deinde alij aliquot Pontifices, ac tandem Clemens VIII. percuſſerant, abſolui flagitauerat. At Pontifex nemini facilè manum imponendam ſciens, Regem enodare, & in communionem Eccleſiæ recipere noluit, priuſquam vera & ſinceræ pœnitentiæ ſigna videret. Cùm itaque Rex in promiſſa fide perſiſteret, verumque ſe Catholicum præberet, Pontifex illi ſpem abſolutionis fecit, quare Pernonium Legatum Romam miſit, vt gratiam Pontificis ſibi conciliaret, qui poſt varias, multasque preces, & diuerſa cum Cardinale Aldebrandino colloquia tandem intellexit omnium penè Cardinalium ſuf- *Rex Nauarræus ab excommunicatione abſoluitur.*

Digitized by Google

An. 1595. fragijs decretam esse Regis sui reconciliationem. Institit igitur Aldebrandino, vt Pontifici supplicaret, vt tandem negotio finis imponatur, & quod decretum erat, publicetur. Aldebrandinus Pernonij voto satisfecit, & petitionem illius Pontifici expositit: qui 30. Augusti in publico Consistorio Nauarræum absolutum pronunciauit, eiusq; absolutionem publicari iussit. Cùm autem duo Cardinales huic absolutioni reclamarent, Pontifex illis silentium indixit: addens, satis iam exactè causam hanc discussam esse, quæ semel decreta erant, non esse in dubium denuò vocanda. Obtinuerunt illi, & magna per vrbem excitata est lætitia.

Conditiones quibus absolutur.

Paulò pòst Pontifex Legatum Pernonium ad se vocauit eique mandauit, vt Regem Dominum suum ad harum conditionum obseruantiam permoueat. Primò, vt Rex in antiqua Catholica Religione perpetuò maneat, ab ea nunquam discedat, sed viuens moriensque in ea perseueret. 2. Vt singulis annis quater, vt minimum, Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ percipiat. 3. Iuramentum, quod eius Maiestati Episcopi, alijque Ecclesiastici præstiterint, sit ritum. 4. Infra menses quatuor per totum Regnum Tridentinum Concilium publicetur, & secundum decretorum eiusdem præscripta viuatur. 5. Iuxta Leonis 10. constitutiones vnitas in Ecclesijs restituatur. 6. Principis Condæi filius in Catholica Religione ad successionem Regni educetur. 7. Omnia bona Ecclesiasticorum, & quicquid illis hactenus subtractum est, restituatur. 8. Omnia officia tam maiora, quam minora, Catholicis administrentur, hæreticis ad ea nulli admittantur. 9. Omnes hæretici Regno exterminentur. 10. In Principatu Bearnensi Episcopi Catholici postliminio restituantur, totaque Religio Catholica denuò inuehatur: & omnia munia tam polytica, quam Ecclesiastica solis Catholicis demandentur. 11. Rex bellum gerat aduersus hæreticos: intestina verò bella, quæ in Regno grassantur, supprimat & componat. 12. Rex omnibus Regibus & Principibus Christianis, cóuersionem suam ad fidem Catholicam, siue per literas, siue per Legationes significabit. Hæc Pernonius se Regi significaturum, & vt perpetuò sincerè obseruet, quantum quidem ipse præstare posset, elaboraturum promisit: promissionemque iureiurando confirmauit.

Mauricij cum Regijs pugna.

Mauricius (vt diximus) obsidionem Grollensem soluerat, & in tutum se receperat, Regij liberatis socijs reuersi sunt, & castra inter Lippam fluuium, & oppidum Dinslacken/ex opposito Berckæ posuerunt. Nassouius itaque exercitum suum propius ad castra Regiorum admouet, paulò infra VVesaliam ad Rhenum in Pago Bißlick/castra metatus, captans occasionem cum hoste confligendi: iam enim exercitum suum nouis supplementis auxerat.

Sub id Hispani aliquot prædatum exierant, qui in via Philippo Nassouio occurrerunt. Is enim cum quingentis equitibus à Mauricio missus erat, vt exploraret, quantæ essent hostium vires; quis inter eos ordo, disciplina militaris, quæ & qualis esset castrorum constitutio: omniaque Patrueli suo Mauricio fideliter nunciaret. Hispani se occultantes, donec hostis transierat, mox in castris suis hostium aduentum nunciarunt, quod si eos insequi vellent, se equorum vestigia, & viam ipsam eis demonstraturos. Emissæ mox equitum duæ cohortes, quæ hostes insecuti, tandem eos in quodam ericeto inuenerunt. Hic instructis vtrinque ordinibus concurrunt, pugnatum est vtrinque alacriter. Regij partim cæsi, partim capti. Victores Nassouij dum longiorem in recedendo moram nectunt, maiores Regiorum copiæ citatis equis aduolant, recrudescit pugna, vbi Regij non tantum socios liberant, sed Nassouiorum plurimos occidunt & vulnerant. Plurimi etiam equis desilientes, pedibus aufugerunt, saluique euaserunt.

Philip. Nassouium cũ fratre captum, post ex vulnere mortuum, item tridē Comes quidā Solmensis.

Philippus Nassouius, equitum Magister, & Ductor generalis, Nouiomagensium Gubernator, lethaliter vulneratus, vnà cum fratre Ernesto Casimiro Nassouio captus est, & Berckam ductus, vbi paulò pòst ex vulnere mortuus est. Grauiter quoque sauciatus, eodem captiuus delatus est Comes quidam Solmensis iunior, ibidemque obijt. Comes Hermannus Tserenbergius Amitinũ suũ, Philippum Mauricio remisit, alterumq; Ernestum Casimirum persoluto lytro dimisit. Ex Regijs etiam plurimi ceciderunt, ex quo ijs vulneratus est Nicolaus Maria Catariolla, Caraffa, & Paulus Aemilius Martinengus Centuriones, & Vicarius Comitis Hermanni.

Interim Balignius, qui milites circiter septingentos in arce habebat, crebris literis Ducem Bullonium sollicitabat, vt maiores copias sibi transmitteret, quibus ciues in officio continere posset. Bullonius itaque 10. Sept. Vichium veteranum militum ductorem cum quadringentis equitibus milit, qui per noctis silentia, tenebrasq; in vrbem irrepserunt. Sed nouissimũ agmen Baro Auxius assecutus, quinquaginta plus minus Gallos interfecit. Vichius hic rei militaris peritus Balignium grauiter increpauit, quod tormentis, quibus abundabat, hostium in opere faciundo, sub ipsis mœnibus nuper occupatorum maiorem stragem non ediderit. Ipse ergo operę nauandæ cupidus militum in vallo excubantium stationes cœpit immanibus pilis lacessere, quę aliquot tormenta iam ad oppugnationem parata, elisis rotis prostrarunt: multos etiam milites & fossores igne Græco ambustos extinxit. Præterea minora aliquot tormenta (Falcones appellant)

Digitized by Google

lant) Gangericanæ turri, mœnibus conterminæ, Vichius impoſuit; quibus certiſſima hoſtibus vulnera deſtinatis ictibus inferebantur, quam eam ob cauſam Fontanus maioribus tormentis ferire iuſſit, donec ea, quemadmodũ cęteræ turres, & editiora ædium culmina deijcerentur. An. 1595.

Fontanus dum indies voluntariam ciuium deditionem fruſtra exſpectat, tandem omnia, quæ ad oppugnationem pertinere videbantur, cœpit præparare, atq; poſtridiè Calend. Octobr. vrbis muros tormentis verberare, & diruere. Erant in vrbe trecenti milites Heluetij, qui à Balignio, ob ſtipendia ærijs nummis perſoluta, animo erant alieniores. Hi imminente periculo ciuibus, ſeſe coniunxerunt, atque in conſulto Balignio deditionis ſignum fecerunt, & eodem penè momento validam Hiſpanorum & Belgarum manum in vrbem circiter meridiem receperunt. Tam repentina & inopina fuit hæc ciuium deditio, vt Gallis militibus ſpatium defuerit ſarcinas & equos ex vrbe in arcem traducendi. *Vrbs Cameracenſis cenſu dedicur Hiſpanis.*

Balignius cum Duce Raſtellano, Vichio, Buſio, & 40. equitibus, nongentisque peditibus in arcem ſeſe receperat: qui eodem die inducias deliberandi poſtularunt & impetrarunt: quibus durantibus legati vltro citroque cõmeantes, de arcis deditione cum Fontano his cõditionibus tranſegerunt. *Arx Cameracenſis cenſu quoque dedicur.*

I. Balignius arcem 9. Octob. Fontano cum omnibus tormentis pilis, pulucre ſulfureo, & cõmeatu tradet. 2. Fontanus arcem Cleriam ſexto poſt arcem Cameracenſem tradidam die eruere permittatſi cæmentarij ſufficientes Perona mittantur. 3. Ipſe Balignius cum Duce Raſtellano, alijſque nobilibus, tribunis militaribus, & centurionibus exeat, cum armis & impedimentis, vexillis explicatis, tubarum, tympanorumque clangore & ſonitu. 4. Omnes equi & arma, quę in vrbe tempore deditionis inuenta ſunt, & ad Gallos pertinent, reſtituantur. Quæ inueniri non poterunt, Roſtræus, Mexia, Vichius & Butius Præfecti æſtimabunt, & pretiũ eorum Fontanus reddet. 5. Mareſchalla Balignia cum liberis & toto gynicæo, aliorum Nobilium vxores, Centuriones & milites cum ſuis famulis & domeſticis, Eccleſiaſtici quoq; ciues & alij cuiuſcunq; nationis, qui in arce & vrbe ſunt, & diſcedere cupiunt, cum ciſijs, curribus, equis, & impedimentis ſuis liberi dimittantur. Ad Fanum inſuper S. Quintini, Hanum, aut Peronam cum ſufficienti comitatu deducãtur, modo Dux Raſtellanus pro eodem comitatu fide iubere, eumque bona fide remittere velit. 6. Fontanus Mareſchallo, Duce & alijs præfectis publica fide interpoſita, Duces itineris aliquos deſignet. 7. Balignius ſua, ſuorumq; debita creditoribus ſoluere, aut nũmos æreos aureis redimere non teneatur. Dux Raſtellanus viciſſim, & alij, poſtquam in Galliam redierint, operam dabunt, vt Legati Cameracenſes remittantur, & ciuibus, mercatoribusq; omnibus, qui modo in Gallijs agunt, & redire cupiunt, liberi cum facultatibus, mercibus, debitis & creditis Cameracum redire permittantur. 8. Neque Mareſchallus Balignius, neque eius vxor, liberi, alijque Centuriones Regi, eius adminiſtris, aut Archiepiſcopo Cameracenſi, eorum quæ tempore adminiſtrationis Balignij acta ſunt, rationem reddere, aut damnum præſtare teneantur. His etiam comprehendantur cõtributiones, vectigalia, indictiones, bonorum vſurpationes, ædium euerſiones, officiorum, beneficiorumq; ademptiones ſeu priuationes Eccleſiaſticis Nobilibus, viris militaribus & ciuibus Cameracenſibus, iure aut iniuria ablatorum. Erit autem vnicuique liberum, in ædes ſuas redire, bona ſua poſſidere, vendere, alienare, & quocunque velint tranſmigrare. His conditionibus 7. Octobr. vtrinque pactis ſubſcripſit Balignius & Carolus Gonzaga, Dux Raſtellanus. Deinde 9. menſis eiuſdem, inter horam 2. & 3. pomeridianam Galli ex arce cum impedimentis ſuis exceſſerunt. Ducem Raſtellanum, imberbem adhuc adoleſcentem, porta egreſſum, Fontanus humaniter complexus eſt. Balignium nemo ſalutauit, qui non ſine ludibrio per medias armatorum ſtationes, totam penè coactus eſt circumire ciuitatem. Ipſe cum omni comitatu & impedimentis in Galliæ fines, nullam paſſus iniuriam, eodem die peruenit. Dux Raſtellanus ad Patrem aduerſa valetudine laborantem diuertit, qui paulò poſt obijt. *Conditiones deditionis.* *Gallicæ arces deijciuntur.* *Dux Vineriæ ſe ſeparat.*

Obſidione Cameracenſi durante, Confœderati ſuam quoque belli fortunã tentare, ac peri-clitari voluerunt; ſtratagema itaque in Liram inſtituunt. Oppidum hoc eſt Brabantiæ duobus plus minus milliarib. Antverpia, totidemq; Mechlinia diſsitũ, arte & natura loci, vt quod Iunio Netha penè cingetur, munitum. Defendebatur ab Alphonſo de Luna, qui illud cum paucis Hiſpanis & Gallis cuſtodiebat. Vt igitur Lira poteſtati Ordinũ ſubijceretur, deſignatus eſt Hierauguerius, Bredanæ vrbis Præfectus, is, qui nuper Huum quoq; in Leodienſi territorio occupauerat. Is ad hanc expeditionem legit è ſuo præſidio 300. pedites, ex Hueſdenſi oppido 100. è Mõtibus Gertrudis totidem, è Vilhelmſtadio 100. ducentos pedites è Montibus ad Zomã, & 40 equites; cohortemque ſuam, quam Bredæ habebat. Hos omnes ad Fanum S. Iobiin Goor conuenire præcepit, & ea nocte quæ 14. Octob. præcedebat, magna celeritate Liram duxit: quo quartã inter & quintam horã, cum adhuc tenebræ eſſent, præuenerunt, & iuxta Mechlinienſem portam, vbi raræ erant excubiæ, nonnulli cum ſcalis foſſam tranarunt, muroſq; aſcendentes, in vrbe penetrarũt: excubias huius rei ignaras occidẽtes, fugantesq;. Mox dato ſigno ſocios plures nacti, portam aperuerunt, omnemque peditatum & equitatum in vrbem receperunt. Quibus *Conſederatæ Liram tentant.*

An. 1595. Gubernator se fuosque tam milites, quàm ciues fortiter obiecit, & hostem aliquoties retrocedere compulit: forum enim & Curiam cum suis occupauerat. Sed cùm animaduerteret se ob multitudinem hostium hæc loca tueri non posse, deseruit, compositisq; Ordinibus ad portam Lisperensem properauit, eamq; occupauit ac defendit, statimq; nonnullos emisit, qui Antverpiæ Mechlinizeque nunciarent, quo in periculo Lirani versarentur.

Antverpien ses & Mechlinienses Liranis subuenium hostesque ex sua oppido eiecti.

Quibus in vrbibus mox tympana pulsata, & ciues conuocati sunt. Antverpiæ Mondragonij Vicarius (ipse enim adhuc in Cliuia hærebat) ad hoc nuncium confestim arma induit, cétum octuaginta Hispanos è suo præsidio elegit, & cum his Liram contendit. Ijs sese iunxerunt ciues circiter bis mille, sub Ducibus Anthonio à Berchem / Iacobo Dassa, & Aegidio Mera, Senatoribus: associebant se illis quoq; ciues Mechlienses numero quadringenti & quinquaginta, sub imperio Nobilis viri Ioannes à Laemen, Dominij à Scrinck, alijq; Centuriones, Regi merentes, & tunc Antverpiæ commorantes. Hi omnes simul ad portam Lisperensem (quam Alphonsus cum suis adhuc tuebatur) hora prima pomeridiana venerunt, & in vrbem admissi sunt. Hostes, qui iam horas octo vrbem occupauerant, & nihil sibi metuebant mali, prædæque inhiantes obruerunt, & facili negotio in fugam coniecerunt, ita vt oppidũ vna cum præda relinquere & deserere sint coacti. Cæsi sunt plurimi, maxima pars tamen desideratis quibusdam Centurionibus salua euasit.

Nauarræus plurimum excusat se de vita Principibus Galliæ reconciliatur.

Hoc mense Octob. postquam Nauarræus Ecclesiæ esset reconciliatus, & ab excommunicationis vinculo Pontificis gratia absolutus, multi Principes, qui antea Conspeceratorum partes secuti erant, Regi sunt recõciliati: inter alios (quod maximoperè multi mirabantur) Dux Moenius, sacri fœderis caput & protector generalis, qui statim cum Balignio (quem Cameraco reduentem Rex humaniter exceperat) in castra ad Feram missus est.

Suesiones & Pirefortis ad Nauarræũ deficiunt.

Suesionum quoq; vrbs, in qua Ducis Moenij vxor & primogenitus erat filius, se Regi Nauarræo subiecit, & post biduũ Pirefortium, quod à Neapolitanis Hispanis, & VValonibus Conspeceratorum nomine defendebatur, eiusdem Regis imperium sponte suscepit. Præfidiarij ad fines Belgarum deducti sunt.

Cardinalis Austriacus in Italiam venit.

Cardinalis Austriacus Albertus, Gubernator Generalis Prouinciarum Belgicarum à Rege renunciatus, abitum suum ex Hispania iam pridem pararat. Sed afflicta Regis valetudo, & maritimę Turcarum iuxta Algeriam deprædationes eius discessum retardarant. Conualescente verò Rege, & Turcis abactis, nauibus consencsis cum suo comitatu in Italiam appulit, cui Genuenses, 4. Senatores cum duabus triremibus obuiam miserunt, vt eum Sauonę summa cum magnificentia exciperent. Sed & Dux Auriæ, cum classe sua Archiduci obuiam processit.

Philip. Princeps Auraicus in Belg. redit.

Habebat hic in comitatu suo Philippum Nassouium, Principem Auraicum, VVilhelmi filium primogenitum, quem Albanus Dux in Hispania miserat: vbi hactenus detentus fuerat. Discessurus ex Hispania, dicitur à Rege aureo Vellere donatus esse. In terram descendentes regalibus epulis, & omni genere ludorum à Genuensibus excepti sunt, qua in festiuitate Resp. 60000. ducatorum consumpsit.

Auraicus Romam profiscitur.

Paucos post dies Princeps Auraicus à Cardinale discedens, 20. die Octob. Romam venit, cui Legatus Hispanicus cum tribus ciliis obuiam ad pontem vsq; Molam profectus est, eumq; amplexum in hospitium suum adduxit, & post triduum ad colloquium cum Pontifice admissus, illius pedes osculatus est,

Angli, Galli & Belgæ se contra Regem Hispanum armant.

Interim Gallus, Anglus, & Belgarum conspeceratorum, suas res contra Regem Hispanum & Catholicos Principes stabilire pro viribus conantur. Vt autem bellum hinc finibus suis arcerent, eodem belli Gallicum constituerunt. Quare initio Octob. Belgæ Galliarum Regi 12. peditum signa è Zelandia miserunt, quos Iustinus Auraici Principis filius Nothus, cum mensium aliquot stipendio subsecutus est. Paucos post dies mille quingenti milites pleriq; Scoti, Mittelburgum appulti sunt, qui inde Caletum nauigarunt. Sed & Regina Angliæ 4000. peditum collegerat, quæ propediem duoq; in Galliam mitteret.

Ferè obsidet Nauarræum.

In Gallia Rex paulò antè Feram, vrbem munitam obsederat. Erat in ea præsidium Hispanicum & Gallorum validum & numerosum: adeò vt de expugnatione desperaret, propugnacula quædam excitauit, quibus excursiones obsessorum, & subsidia sociorum prohiberet, cauereturque ne quid oppidanis aduehi posset, vt longa inedia eos tandem domaret, atq; ad deditionem faciendam cogeret. Rex hoc tempore apud Fanum S. Quintini agebat: qui cum Hispanicos obsessis suppetias ferentes fugasset, & intellexisset Regis Hispanici exercitum, postquam Cameracum denuo muniuisset, omnibusq; necessarijs rebus instruxisset, in interiora Belgij redijsse, maiorem equitatus sui numerum exauctoratum à se dimisit.

Edictum Parisiense.

Vt autem pax per Galliam coalesceret, Lutetiæ per hos dies mandatum publicatum est, in articulos 14. distributum, quibus permittebatur omnibus exulibus in patriam redire, ædes suas rursum occupare, bonisque & facultatibus suis vti frui, ijs tantum exceptis, qui consilio aut ope Henrici III. cædem procurassent.

Dum

Dum hæc fiunt in Gallia, Regis Legati Pernonius & Offatus, Romæ Bullam Absolutionis à Pontifice flagitant: quàm, cum nomine Regis omnes hæreſes eiurâſſent, Catholicæ fidei profeſsionem difertis verbis (oſculantes prius Pontificis pedes) dixiſſent, & pœnitentiâ iniunctam Regem ſacturum, conditionesque præſcriptas obtemperaturũ promiſiſſent, tandem obtinuerunt Data eſt ea, *Alexandro del Bene*, vt eam ad Regem deferret, ab eoque approbationem & confirmationem omnium, quæ Legati egiſſent & promiſiſſent, poſtularet. Idem Alexander à Pontifice literas ad Matiſſienſes accepiſſe dicebatur, quibus Pontifex ciues admonebat, vt Regi ſuo deinceps obedirent. An 1595. *Bulla abſolutionis Pontificia Regi miſſa.*

Rex hoc menſe Nouembri, Comitia Ambiani habebat, ad quæ Ordines Picardiæ, Comitatus Bolonienſis, Veromãduos & Tiraſsios conuocauerat. Vbi & centuriones & tribuni aliquot militares in Gallia capite cæſi ſunt, eo quod fraudulenter egiſſent, numerumque militum prorata accepti ſtipendij portione ſub lignis non habuiſſent. *Comitia Ambiani celebrata.*

In Belgio confœderatorum aliquot centuriæ, cùm intellexiſſent Henricum Comitem Tſerenbergium, Hermanni fratrem cum ære militari, Bruxellis Vvertam (quod oppidum Campiniæ in finibus Taxandriæ eſt) veniſſe, conuocatis pluribus ſocijs, tertio die Nouembr. intempeſta nocte ad oppidum venerunt, effractaque porta in vrbem irruentes, ciues ſpoliarunt: relicto deinde oppidulo Comitem captiuum Nouiomagum duxerunt, qui paulò poſt perſoluto lytro, quod illi imperatum erat, libertatem recepit. *Henric. Comes Tſerẽbergius Vvertã capit.*

Mauricius cum in cõſinibus Cliuiæ diù conſediſſet, nec ante caſtra mouere vellet, quã Mondragonium (qui prope Keyſerswerd hærebat) ſua monitione cognouiſſet, tandẽ Regijs in Brabantiam redeuntibus, ipſe quoq; exercitum bifariam diuidens, partem in præſidia locauit, partem cum tormentis ad arcem Werderbruch milit; qua expugnata cẽturio cum aliquot gregarijs militibus ſuſpenſus eſt. Ita terra Cliuenſis & finitimi, à prædonibus fuere paulò liberiores. *Arx Vverdãbruchenſis à Mauritiano occupatur.*

Angliæ Regina præterita æſtate, claſſem ſub Dracone in nouas inſulas Americæ miſerat, vt eas occuparet, & contra vim Hiſp. cõmuniret. Erãt enim in Claſſe aliquot nauigia, quæ lateres, calcem, ferrũ, aliaſq; materiationes vehebant, vt potitis inſulis nouas munitiones, vt ferebatur, exſtrueret. Vicelimo ſecundo Nou. itaq; Claſsis Anglicana in conſpectum Inſulæ S. Dominici veniens, recta ad portum Cabronenſem velificauit. Hunc Tellus Guſmannus, Hiſpa. nauium Præfectus (à captis quibuſdam Anglis, de eorum impreſsione certior factus) paliſſundo in fixis claudi curauerat. Poſtridiè claſsis anchoras ad Septentrionalem Inſulę oram, cui Cabras nomẽ, anchoras iecit, ſuoſq; in terram exponere, & ſeptum obiectum, abſque vllo ſuorum detrimento conuellere incipiebat; iamque 25. minora nauigia militibus plena inter ſcopulos & depreſſas naues in portum penetrauerant, naueſque Telli & Architalaſsi oppugnabant: inter quas vnam, cui nomen erat Magdalena, poſt diuturnam pugnam incenderunt. Poſtridie Gubernatori Inſulæ, & alijs placuit in portu plures demergere naues, quia introitus nondum omninò erat obſtructus. Quod cùm hoſtes viderent, ſublatis anchoris verſus portum S. Franciſci velificarunt; fluuiumque ingreſſi in interiorem Inſulam, tandemque 4. Decemb. comeatu ipſis deſicere incipiente, inter Auſtroſricano vento acti, Meridiem inter & Occidentem nauigarunt: dyſenteria autẽ inter eos graſſante, magna claſsis pars amiſſa, quo morbo cum plurimis Anglis, Franciſcus Dracus, eques noſtri ſeculi, famoliſsimus conſumptus eſt. *Angl. Regina claſſem cum Dracone in Americam mittit.* *Mortuus Franciſcus Dracus.*

Recuperata nuper à Comite Fontano vrbe & arce Cameracenſi, dimiſſoq; in Hyberna Regis Hiſp. exercitu, Picardi metu liberati, nonnihil reſpirarunt. Cæterùm ſimulatq; hoſtiles copias ſuis finibus iterum egredi audirẽt, Nauarræum importunis effligationibus in Picardiam reuocarũt, quæ ab Hiſpanis, qui Feram vrbem tutabantur, longè lateq; iampridem vaſtabatur.

Nauarræus igitur, ne ſuorum iniurias negligere videretur, Feram menſe Nouembri (vt diximus) obſederat. Huic ciuitati, Gallia bello ciuili ante aliquot annos ardẽte, præerat Marchio Menelæus, qui à Confœderatis ad Nauarræũ deficere parans, à Seneſchallo Montlimario oppreſſus interijt. Is mox vrbis imperium Marchione interfecto arripuit, Hiſpanosque præſidij cauſa adſciuit, qui torméta aliquot ænea cum reliquo apparatu bellico in eo oppido deponebãt, Alexandro Farneſio Duce Parmenſi, & Mansfeltio in Gallia bellum gerentibus. Cumque ante biennium totius Regni penè vrbes vniuerſæ Nauarræum recepiſſent, Fera inter Veromandiæ ciuitates ſola in Confœderatorum poteſtate permanſit, quæ finitimis Picardiæ oppidis plurimum incommodauit, præſidiarijs hoſtiles agros quotidie pepopulantibus. Nauarræus itaque vt hanc ciuitatem ſuo imperio ſubijceret, munitionibus celeriter locis idoneis excitatis eam cinxit, exiſtimans hac ratione Hiſpanos cõmeatu abſumpto, ad deditionem citò compelli poſſe. Obſeſsi autem commeatu parcè & moderatè vſi, nouoq; ſubinde recreati, obſidium in multos protraxerunt menſes. Interea in Artheſię & Picardiæ ciuitates tota hyeme latrocinium veriu fuit, quam bellum. præſidiarijs vtrinque excurrentibus, & inſontibus agricolis damni plurimum inferentibus: qui munitis pagorum ſuorum templis & turribus ſe & ſua à prædonibus, noctu præſertim graſſantibus, tutabantur. *Hiſtoria verſa in vrbe Feræſis ceſſatorum.*

Digitized by Google

An. 1595. Nauarræus Rex impetrata per Legatos (vt dictum est à summo Pontifice absolutione) eidem Pontifici per Legatos & literas gratias egit, omnemq; obedientiam Sedi Apostolicæ promisit,

Nauarræus agit Pontifici gratias pro absolutione.

Inter Nauarræum & Sabaudum pax.

Quibus peractis, idem Rex denuò bellum in Regem Hispaniarum, eiusq; subditos indixit. At cum Sabaudo aut inducias pepigisse, aut pacem iniisse fama tunc erat, his conditionibus: vt Rex omnes vrbes, oppida & arces Sabaudo hoc belli ciuilis tempore adempta restituat. Saluzensis; Marchionatu cedat. Sabaudus vicissim Regi 500000. coronatorum dependat. Interea Galli qui oblidioni Berensi pertinaciter insistebant, Ducem Mænio omnes torrentes fluuiosque sub vrbem eum in modum obstruxerunt, vt omnes viæ publicæ, omnes ædes, armaria præsertim & Hypogæa inundarent aquis.

Massilienses adhuc Regis Nauarræi imperium detrectabant:

Massilienses statum.

cùm Cassaultij Consulatus in vltima electione prorogatus esset, populus Regis statuam exusserunt, seueroque mandato cautum est, ne quis Regem Nauarræum pro Domino & Principe suo acceptaret. Post mandatum confestim duo Legati in Hispaniam missi sunt, qui sollicitarent Regem, vt Conditiones cum Cardinali pactas, ratas faceret atque confirmaret. Cæterùm Consul in nouam munitionem Hispanicum præsidium induci noluit. Quamobrem Princeps Auriæ sexcentos pedites Italos Geneuæ cõscripsit, quos Ductore Carolo eius filio tribus instructis triremibus impositos Massiliam nauigare iussit. Alias quatuor triremes puluere sulphureo, globis, omniq; apparatu bellico oneratas idem Princeps Massiliam magna celeritate iam antè miserat. Hispanus enim omnes curas cogitationesque suas in eo ponebat, vt hanc vrbem munitam & commodo loco sitam suo subijceret imperio.

Depredationes in Belgio.

In Belgio propter hyemem, quæ alioquin mollis erat & multis æstiuis caloribus temporata missis vtrinque in hyberna cohortibus, nihil hoc mense Decembri actum est memorabile. A prædis tamen & excursionibus auarus & insolens miles non abstinuit.

Confœderati Ruremundam tentant.

Confœderatorum milites autem 20. Decemb. Ruremundam in Gelria tentarũt. Suburbia primò occuparunt, deinde sub auroram vrbem tribus locis alto silentio aggrediuntur. At cùm procubitores strepitum, fragoremque sub mœnibus audirent, ad arma conclamarunt, ita re infecta receptui canere coacti sunt.

Dux Arschotanus moritur

Hoc eodem mense Philippus Croius, Dux Arschotanus Venetijs diem suum obijt. Princeps pacificus, pius, & Carolo V. eiusque filio Philippo in omnibus rebus dubijs fidelissimus; cui in Ducatu Carolus Croyus, Princeps Chymaus, eius filius successit.

Cameracenses Præfidiarij in militantur.

Exspectabatur hoc tempore quotidie in Belgio Cardinalis, & Archidux Austriæ Albertus, qui cum magna vi pecuniæ in Sabaudiam venisse dicebatur. Nam ærarium Regis Dorlantij & Cameraci oblidionibus exhaustum erat, vt iam pecunia vnde militibus stipendia solui possent, deficere cœperit. Præfidiarij etiam Cameracenses cum ees militare, aut exiguum, aut nullum acciperent, & in stando nihil euincerent, tandem tumultu concitato minati sunt vrbem diripere, nisi pecunia sibi debita numeraretur. Fontanus authores comprehendi & strangulari iussit, reliquorum animos aduentu Cardinalis pacauit.

Comitia in Haga Comitis.

Confœderati verò Hollandi, Zelandi, & alij Ordines Regi Hispan. aduersantes, in Haga Comitis conuentum agebant, inter alia, paxne amplectenda esset, an bellum contra Regem continuandum, deliberantes: tandem concluserunt, vt bellum aduersus Regem continuaretur, & omnis de pace sermo, tanquam patriæ perniciosissimus, exploderetur. Cumque hactenus apud eos fuerat consuetudo, vt menses militares septem definerentur septimanis: eamque ob causam sæpè inter Tribunos, militesque gregarios, ipsum etiam Mauricium & Ordines, contentio orta esset, hoc conuentu communi Ordinum consensu decretum est, vt singulis 35. diebus menstruum penderetur.

Lanckhar ca pite trãcatur.

Centurio quidam ex Iuliacensi terra oriundus, homo famosus, vitæ perditæ & sceleratæ, cui à promissis fortasse crinibus, Lanckhar nomen, qui sæpè à Confœderatis ad Regem, & à Rege ad confœderatos in bello hoc Belgico defecerat, omnibus in locis tota inferiori Germania e continuis eius depredationibus innotuerat. Hic tandem Belgium reliquit, & in Germaniam profectus, Eduardo Fortunato, Marchioni Badensi militari se sacramento obligauit. Is Pragam profecturus, huic homini Arcem suam Castellaunum in Hunotractu, prope Symmeren/commendauit, eiusque loci Præfectum constituit. Reuerso Praga Marchioni, Langharius Arcem aperire noluit, sed illum excluſit, donec de stipendio, & pecunia Marchioni mutuo data, securus redderetur. Tãdem verò Marchio per amica colloquia obtinuit, vt in Arcem reciperetur. Admissus Præfecto suo sacinus istud exprobrauit. Quod etsi vultu ad vrbanitatem composito facere videretur, Langharius tamen animi quandam acerbitatem in Marchione animaduertit. Discedens itaque cum aliquibus suis complicibus, munitissimum quendam Arcis locum occupauit, ac contra vim omnem se tutatus est. Cùm autem Marchio incolas eius loci conuocasset, locum oppugnauit, irrumpentes verò quidam coloni trucidati sunt: donec perforato tecto, vndequa-

Digitized by Google

vndequaq; irruerent, omnesque tenebriones illos comprehenderent, è quibus Marchio Langhaerium ipsum & duos Nobiles 30. die Decemb. capitali supplicio sustulit. An. 1596.

Excursiones Gallorum & Hispanorum.

Ineunte anno 1596. postridie Calend. Ian. prælidiarij Peronenses in agrum Bapalmensem prædatum progressi: eorum 30. circiter trucidantur. Et sub id tempus Hispani aliquot Dorlantio in hosticum ad prædam excurrentes, ab Ambianensibus capti 6. strangulantur.

Mors egregiorum virorum.

Quarto die Ian. obijt Christophorus Mondragonius, Hispanus, Arcis Antverpianæ Præfectus, veteranus militum Dux, multis præliis clarus: qui iam inde ab aduentu Ducis Albani in Belgio omnibus expeditionibus interfuit, & vbique præclaram & fidelem Regi operam cum laude nauauit.

Dux de Feria & Pastrana Cardinali obuiam profectis occurrunt.

Die huius mensis octauo, cum certis nuncijs allatum esset, Cardinalem cum Principe Auraico, in Burgundiam venisse, & iam in itinere esse, Luxenburgique quotidiè expectari, Duces de Feria & de Pastrana cum insigni Nobilium comitatu Bruxellis Luxenburgum profecti sunt, vt Cardinalem ibidem exciperent. Quod cùm Rex Galliarum intellexisset, metuens ne hostes Regni sui limitibus incommodarent, cum 250. equitibus, multitque peditum centurijs in Burgundiam profectus est, vt eas oras tueretur. Omnis eius reliquus exercitus ad Feram vrbem contendebat, quæ arctissima obsidione adhuc premebatur, cuiusque deditio quotidiè à Gallis exspectabatur, cùm ob annonæ defectum homines & iumenta fame morerentur. Cæterùm quia Galli adueniente Cardinale aliquam rerum mutationem verebantur, castra sua nouis aliquot Aquitanorum & Scotorum copijs, aliunde excitis munierunt. Interea Dux Guisius, qui iam etiam Regis partes sequebatur, cum multis equitum peditumque turmis in Prouinciam mittitur: vt eam Galliæ partem administraret, in qua adhuc nutabat Massilia, quam Consul Cassaultius Regi Hisp. seruabat, quo per eosdem dies Carolus Aurius cum aliquot instructissimis triremibus appulerat: ipse quoq; in vrbem receptus erat, licet Classiarij non admitterentur, sed in triremibus permanere iuberentur.

Archidux Al. bertus Luxemburgū venit.

Diu ab Ordinibus Belgicis, Regis Hispa. obedientibus, expectatus, tandem Luxenburgum venit Cardinalis Albertus, Archidux Austriæ, Maximiliani Imperatoris I. filius, Gubernator Belgicarum Prouinciarum, nomine Philip. Regis designatus: vbi ei Nobilitas Belgica cum Fontano Comite profecta, 29. Ianu. magna cum reuerentia congratulata est. Huc quoque Ernestus Bauarus, Elector Colonensis cum Nobilitate Leodiensi aduolauit, cognatumq; suam honorificentissimè excepit. Cuius solennitatis atque lætitiæ particeps fuit Philippus Nassouius, Princeps Auraicus ex captiuitate in patriam rediens. Eodem tempore, & hora vna, antequam Cardinalis Luxenburgum aduenisset, mortuus est Dux Pastranus, filio Bruxellis relicto decennali.

Dux Pastran. moritur.

Guisius Massil. obsidet.

Dum hæc in Belgio fiunt, Dux Guisius iunior, sub finem Ianuarij cum exercitu suo in agrū Massiliensem venit: iam enim Espernonius Regi reconciliatus, ei administrationem Prouinciæ traditurus erat. Guisius verò cum occupandæ Massiliæ spem nullam videret, Tolonam, quæ portus maris Liguistici est, & Regi parebat, fecessit, infirmiores enim erāt vires illius, quam vt à terra Massiliam obsidere posset, cum mare Massilienſibus pateret, oppidaniq́ue Hispanos, quotiescunque opus esset, è triremibus in vrbem admitterent. Erant & in mari triremes aliæ, quæ huc illuc oberrantes, vicinis locis plurimum incommodabant. Quarum Pyraticam vt prohiberent Galli, & ipsi naues aliquas instruxerunt. Massilienſibus verò frumentum, aliaq́ue annona è Regno Neapolitano, Siciliaq́ue duelhebatur. Nauarræus interim totus in hoc incumbebat, vt vrbem hanc fuo imperio subijceret: sed quascunque illis conditiones offerret, ne acciperent, Consul Cassaultius impediebat.

Ordinum Hollādiæ, eorumq; cum Rege Hispanorum literæ.

Ordines Hollandiæ, eorumque confœderati, intellecto Principis Auraici ex Hispania aduentu, statim gratulatorias ad ipsum literas miserunt: in quarum initio significant, quam gratus ipsis fuerit audire, quod illustris eius Celsitudo post diuturnam & iniquā captiuitatem liberta- tandem sit restituta.

Ea enim in se patris esse merita, vt nec illius, nec filij vnquam immemores esse possint. Deinde exaggerant dolorem suum, quem ex eius captiuitate, in qua non tantum pueritiam, sed & meliorem vitæ partem transegisset, concepissent: præsertim quotics cogitarent, hanc captiuitatem pro causa tam æqua illum perpessum esse. Porrò cùm hanc eius libertatem paucis illi suspectam reddidissent, & non beneuolentiæ suorum hostium, sed fraudi tribuissent, ad Patris laudes reuertuntur: in quibus præcipuam ponunt libertatem patriæ, tot laboribus & molestijs partam, & morte illius consignatam. Tandem orant eum, vt in suas Prouincias non reuertatur, nisi animum mutet, & talem affectum, quali nunc esset, exuat: imò hoc rerum statu omninò in confœderatas Prouincias non veniat, sed potius opportunius tempus expectet. His se eum non tantū velle admonitū, sed & optimos modos offerre, quib. hoc negotiū conficiatur, secundum bonos mores, & consuetudines à se, suisq; vicinis constitutas, quibus cauetur, ne quis Confœderatorum Prouincias ingrediatur, sine publica illorum fide & licentia.

Digitized by Google

An. 1596. Ad has literas Princeps ipſis Calendis Februa. Luxenburgo in hunc modum reſpondit. Se Ordinibus gratias agere, quod tantis votis & deſiderijs libertatẽ ſuam optauerint, & nunc conſecutam tãto cum gaudio exceperint: nec vnquam ſui memoriã in omnibus ſuis calamitatibus depoſuerint. Sibi ſemper tantum licuiſſe, vt beneuolentiam & ſtudium, quibus ipſos perpetuò proſecutus ſit, detegere & manifeſtare potuerit: quo tamẽ (vt inquit) hoſtilis quorundã veſtrorum de nobis cura, quam ex multis veſtrorum actionibus ſatis obſeruauimus, ſæpè impediuit. Quæ cùm ita ſe habeant, ſperamus nos huius libertatis modo & oportunitate ad veſtrã ſalutem, voluntatisque veſtræ ſatisfactionem (quantum licebit) vſuros, ita vt nulla vobis vnquam detur querelarum occaſio. Quòd ſi eò res dirigi non poſſit, vt iuxta deſideria noſtra, vobis omninò non ſatisfiat, id tamen ſcietis, nihil nobis prius & antiquius eſſe, nullaque in re magis laborare, quam vt afflicta patria noſtra priſtino ſplendori, libertatique reſtituatur. Nihil etiam tentare voluimus, quod vobis aut non approbetur, aut vtile futurum non ſit. Ea etiam nobis ſpes affulget, Deum non permiſſurum, vt alicuius obſequium & officium alio tendat, quam in ſalutarem tot calamitatum & periculorum veſtrorum finem, initiumque felicioris anni, ac diuturnæ per totum Belgium pacis. Tandem Deus Opt. Ter Maximus vobis eam largiatur gratiam, vt non tantum viam mandatorum eius curratis, ſed coronam etiam gloriæ, ſecundum laudabile propoſitum veſtrum conſequamini.

Reſponſum Principis ad Ordines.

Excurſiones Gallorum in agrum Atrebatenſem.

Sub finem Ianuarij, dum Albertus Archidux, & Cardinalis Auſtriæ in Belgium aduentaret, equites Dorlantio & Bapalmis euocati, occurrere ipſi iubentur. Interim Galli, Calendis Febr. Atrebatum vſque excurrentes, inſidijs ad vetus & ſemirutum Templariorum Fanum poſitis, agricolas aliquot interceptos abduxerunt, grandi pecunia poſtea redimendos. Qui rurſus Nonis Februar. Hiſdinenſia ſuburbia incenderunt, in quibus infinitam frumẽti vim flammis corruperunt.

Albertus Bruxellas venit.

Albertus itaque tandem Luxenburgo cum Proceribus Belgicis & Hiſpanicis, cum nobilitate, & aliquot peditum, equitumq; millibus diſcendens, in Brabantiam ſeſe recepit. atque 11. die Febr. inter tertiam & quartam horam veſpertinam, vrbem Bruxellenſem hoc ordine ingreſſus eſt. Senatus illi ante portam Louanienſem claues obtulit: ingreſſus vrbem omnibus locis principaliorib⁹ arcus triumphales, magnis expenſis, maiori induſtria & artificio factos. habuit obuios. Nauis ingens, ſeu triremis, occultis votis nauigabat; expanſis velis, remigibusque fretum circumfuſum pulſantibus, equitantem quaſi vehiculo ſequebatur. Theatra quoque pulcherrima erant extructa, & ante Palatium Regis Pyramis magnæ altitudinis erecta, in cuius faſtigio ſol mira luce radiebat. Omnia hæc variis hoſtorijs, imaginibus, emblematibus, & inſcriptionibus, temporibus, patriæ ſtatui, & ipſius Serenitati conuenientibus erant exornata. Præcedebant tubicines, æneatoreſq; & equitatus. Hunc ſequebatur Philippus Naſſouius, Princeps Auraicus, Comes Buranus: hunc alij multi Principes viri, quos tandem Cardinalis & Archidux Albertus, à ſiniſtris habens Comitem Fontanum, inſecutus eſt. Totius agminis huius dextrũ & ſiniſtrum latus ſtipabant ſatellites, miniſtri, & qui tædas ardentes gerebant Reipublicæ tribuli. Hoc ordine Princeps Palatium ingreſſus, ab omnibus patriæ Proceribus, Ordinibusque ſalutatus eſt.

Maſſilienſis vrbs ſtatim.

Caſſaultius Conſul Maſſilienſis, quem ſupra diximus vrbem plus offerenti vendere conſtituiſſe, Legatos in Hiſpaniam ad Regem miſerat, vt quæ eſſet Regis liberalitas, & quid ſibi, quid ſocijs offerre velit, cognoſcerent. Legati auditi cum opulenta ſpe domum remiſi ſunt: Suam ſcilicet Maieſtatem plus tribuere velle, quam ipſi ſperare poſſent: è contrario Galliarum, Rex Conſuli chartas puras miſiſſe dicitur, quibus ipſe conditiones, quas veliet, inſcriberet, Rex eas ratas haberet. Dum ſic dubius hæret Conſul, dum lupum auribus tenet, & cui parti ſe credat, ignorat: Guiſius ſubinde ad mœnia procurrit, agens, ferensque omnia. & damna plurima ciuibus inferens. Ciues partim Gallorum deprædationibus, excurſionibuſque fatigati, partim Hiſpanorum odio incitati, & à Conſule, & ab Hiſpanorum Rege animo cœperunt eſſe alienio-res. Non potuit hoc latére Conſulem, neque tamen eo permoueri potuit, vt inſtitutum cum Rege Hiſpaniarum negotium maturaret, adeò auaritia & cupiditas mentem & oculos eius excæcauerant. Interea creuit numerus eorum, qui Gallis potius, quam Hiſpanis parere malebant. Conſulis auctoritas cœpit labefactari, nouæ fiunt conſpirationes, quæ tandem hunc exitum habuerunt.

Maſſilia Regi Galliarum reſtituitur.

Erat in vrbe quidam Centurio, ſeu Capitaneus, vnius Conſulis Caſſaultij familiaris, & alterius Vegierij cognatus. Huic portarum cuſtodia erat concredita. At ille nunquam inſtitutum cum Hiſpanis commercium probauerat. Optimates itaque nonnulli, qui Hiſpanicum nomen oderant, cum eo paciſcuntur, vt aduenientes Guiſij milites (quo cum & ipſi prius egerant) in vrbem exciperet: Caſſaultium verò, omnesque illius ſocios, & Hiſpanorum amicos, aut truciderent, aut vrbe pellerent.

Conuentum inter ipſos eſt, dies dictus 16. Febr. ad quem ducẽti equi Guiſiani, ſinguli duos portantes viros armatos, adſunt: & ad portam vſque celerrimè procurrunt. Quod cum illi, qui

erant

Digitized by Google

erant in munitione B. Virginis (quam Noſtra Damam nominant) conſpexiſſent, aliquot maiora tormenta in illos intorſerunt. Centurio, cuius mentionem fecimus, mox ad ædes Caſſaultij contendit, ei hoſtem adeſſe nunciat. Feſtinat is ad portas, vt eas occludat. An. 1596.

Hic à Centurione conſoditur; quo interfecto Guiſiani in vrbem admittuntur: qui, licet ab his qui aduerſæ factionis erant, & ab Hiſpanis, munitoria loca occuparentur, ope tamen ciuium aliorum, vbrem ipſam cum omnibus munitionibus internis ſuæ poteſtatis fecerunt. Hiſpanos omnes, & qui illorum factionis erant trucidati, ſeptendecim ex primarijs capti, Italis verò parcitum eſt. Circa veſperam ipſe Dux Guiſius, cum quatuor peditum millibus in vrbem venit. *Caſſaultius ex ſui ædificijs conſoditur.*

Tanta hæc omnia celeritate ac trepidatione acta ſunt, vt Auriæ Princeps vix triremes portu educere, & ſuos in eas recipere potuerit. Quinimò quidem aſſerunt eum ſex millia paſſum pedibus confeciſſe, priuſquam ad triremes peruenerit. Dux quoque triremes illius, priuſquam ab vrbe abduci potuerunt, aliquot machinis ictæ, non ſine damno enauigarunt. Cùm in mare Liguſticum veniſſet Aurius, obuias habuit quaſdam triremes, ex Hiſpanijs venientes, quibus præter tormenta, bellicum que apparatum & commeatum, etiam pacta inter Conſulem & Regem pecunia aduehi dicebatur. Nihil enim illi adhuc depenſum erat, ideoque traditio vrbis differebatur; Hiſpanus namque Gallici Conſulis perfidiam metuebat. Has igitur triremes Aurius in Hiſpanias redire iuſsit. *Auriæ Principis copiæ, quomodo euaſerint.*

Recuperata, vt diximus, vrbe filius Caſſaultij & Vegierij arcem B. Virginis munitã, & omni apparatu bellico commeatuque ad tres vt minimum menſes inſtructam adhuc tenebant. Sed metuentes ſe deterrum iri, nec quemquam ipsis ſubſidia laturum, certis conditionibus tandem arcem tradiderunt, & Regi Galliarum reconciliati ſunt.

Hoc menſe Februar. Ludouicus Barlamontius, Archiepiſcopus Cameracenſis, iam tandem poſt diuturnum exilium dignitati ac diœceſi reſtitutus, cùm vix totos menſes quatuor ea quiete vſus eſſet, diem obijt. In cuius locum electus eſt D. Ioannes Saracenus, Abbas diui Vedaſti apud Atrebates, qui antea aliquot annos à Rege Hiſpaniarum in ſui ſanctioris ſtatus Belgici Senatum adſciturus erat. *Archiepiſcop. Cameracenſis Ludouicus Barlamontius mo- ritur.*

Eodem quoque tempore, Nauarræus Guiſium venit, quo Eſpernonium vocauit, & Condæum, nobiliſſimum quoque Picardiæ, Cathelaunicam, Normandicam, & Comitatus Bolonienſis adeſſe mandauit. Edicto quoque cauit, ne quis ſub pœna capitis, aurum & argentum, factum aut intectum, à Regno exportet: fama enim erat, deprehenſum, exiguo tempore plus quam quadrageſies centena aureorum millia extra Regnum in varias Prouincias elata eſſe. *Nauarræi Nobilitatem conuocat.*

Albertus Auſtriacus, ad Belgij adminiſtrationem ſe conuertens, ad vtrumq; vt videbatur, nimirum bellum vel pacem, paratus, literas ad Mauricium Naſſouium & alios miſit, quibus cauſam aduentus ſui ſignificabat, ſe nimirum à Maieſtate Regia in has Prouincias miſſum, vt omnes controuerſias componeret, pacem & tranquillitatem poſtliminio Belgis reſtitueret, diuturnum bellum abroleret. Petere igitur nunc vt oſtendant ſe pacis ſtudioſos, & mittant aut decernant, qui cum ſuis de pace colloquantur. *Albertus pacẽ offert Hollandis.*

Similes literas ad eoſdem ſcripſit Buranus, Princeps Auriacus, offerens ſe in hoc negotio interlocutorem & mediatorem. Sed illi pacis tractationem (vt hactenus) exploſerũt. Cardinalis ſuo officio ſe ſatisfeciſſe ratus, reiecto & ipſe pacis conſilio, ad bellum ſe parauit.

Auraicus tamen, ſeu Buranus, ab Ordinibus flagitaſſe dicitur, vt publica eorum fide in Hollandiam veniret, & cum fratre Mauricio colloqui poſſet, at negatum illi eſſe. Petiiſſe etiam cum Germana ſorore ſua, Comitis Hohenloenſis coniuge in Hollandia ſermonem conferre; & hoc recuſatum eſſe: conceſſumque tamen fertur, vt ſi vellet, Montes ad Zomam concederet: eò ſororem venturam. *Buranus empõ ẽ fuisse auct ſorore colloquẽdi.*

Alberto itaque bellum auſpicaturo, à Gallis initium ſumendum eſſe cõſultum videbatur: ij enim (vt iam ſæpè diximus) Feram Veromandiæ vrbem valido Hiſpanorum præſidio munitam iam quintum menſem obſidebant: in quam commeatus difficillimè (cuius penuria laborabant obſeſi) importari poterat, tum ob munitiones pluribus locis ab hoſtibus excitatas, tum etiam, quod Fera ſit Fano S. Quintini, Perona, Hano, & alijs arcibus vndique cincta, è quibus erumpentes Galli hoſtium iter remorari facilè poterant. *Belli initium ſub Cardinali Albertio.*

At Albertus obſeſſis ſubuenire cupiens, negotium illud Georgio Baſtæ, veterano militum Ductori delegauit: qui abſque mora decem ſelectorum equitum turmas ad pontem Rachium, in agro Duacenſi 12. die Martij conuenire iuſsit, cum quibus eodem die poſt meridiem Caſtellum Veromãdiæ oppidum, à Fontano anno ſuperiore Gallis adempti, contendit, quod noctu magno ſilentio cum omni equitatu ſubijt. Poſtridiè oppidi portas aperiri vetuit, veritus ne ſuum conſilium ad hoſtes emanaret. Deinde ſui equitatus Præfectis, & Ducibus omnibus ad ſe conuocatis exponit, quid ſibi ab Archiduce fuerit iniunctum: & quam longũ & periculoſum ipsis iter eſſet ingrediendum, vtpote ab hoſtibus vndique circumſeſſum. Quantum re erat Feranã commeatu ſubleuari proponit; denique ad explorandos & confirmandos eorum animos, *Feræenſium cõmeatum auxilio here conatur Cardinalis.*

egregiã

An. 1596. egregia & ardua facinora non ſine præſentibus periculis fieri contendit.

His auditis, Præfecti omnes ſuam operam polliciti, equos conſcendunt, & eodem die 13. Mart. hora à meridie quarta, itineri ſe committunt, ſingulis equitibus certum frumenti pondus, & funiculorum ſcloperariorum torquem geſtantibus. Somona fluuio, apud Farnaquenſe Monaſterium, nocte iam ingruente traiecto, atque Fanum S. Quintini inde præter greſsi, ad Trauerſum vicum nocte intempeſta peruenerunt; in quo Heluetiorum aliquot erant cohortes: quibus relictis, cum iam Feræ appetente luce appropinquarent, iubet Baſta Gabrielem Rodrigues cum prima acie præcedere: ipſo cum reliquo agmine ſubſequente.

Feræ ſib. non nihil commeatus adnubiunt

Ad quem accepto iam ſigno abſque mora Alnarus Oſorius, præſidiariorũ Præfectus, multis ſcaphis, ad eam rem prius præparatis, Fera eſt egreſſus, quibus commeatum excepit, atque intra muros intulit: Gallis interea in caſtris ad arma conclamantibus, Baſta retroceſsit ocyus, & cum ab exploratoribus didiciſſet, Nauarræum cum octingentis equitibus apud Fanum S. Quintini in inſidijs eſſe, mutato conſilio diuerſum iter ingreſſus, in agrum Cameracenſem deſideratis nonnullis, rediit.

Cardinalis Auſtriacus Archiepiſcopatum Cameracenſem profligatur.

Archidux poſtquam Feræ præſidiarios nouo commeatu recreatos intellexit, rebus omnibus iam ad bellum præparatis, copias vniuerſas, quæ quindecim peditum, & tribus equitum millibus, ſupra quingentos conſtare dicebantur, in agrum Valencenenſem conuenire iuſsit. Ipſe autem cum Philippo Naſſouio, Principe Auraico, & omni Nobilitate Bruxella egreſſus, venit Valencenas pridie Calendas Aprilis, qui mox rectè Faram cũ vniuerſo exercitu ad obſidionem ſoluendam iturus putabatur. Quod ſuſpicatus Nauarræus, auxilijs celeriter vndique contractis, ad nouem peditum, & tria equitum millia cõfecerat: cum quibus hoſtem in caſtris, quæ mirum in modum communierat, exſpecturus videbatur. At Caletum iter inſtituit, vt poſtea dicetur.

Edictum Ordinum confœderatorum Belgij.

Hollandi, aliarumque Prouinciarum ipſis Confœderatarum Ordines, vt Rempubl. quam hactenus formârant ac inſtituerant, adhuc magis ſtabilirent, 4. die Aprilis nouum edictum publicarunt, contra eos, qui temerè in aduerſæ factionis Prouincias & vrbes proficiſcuntur, vel ex illis in ſuas ingrediuntur: item contra Ieſuitas, contra eos qui in Academijs quibuſdam Regi Hiſpaniarum ſubiectis liberalibus diſciplinis dant operam, & contra hos, qui ſub iuramento defenſionis Romanæ Religionis promotionis titulos adepti ſunt.

Et quidem primò aiunt, ſe intellexiſſe cum licentia & publicæ fidei literis, hactenus cauſa negotiationis & mercaturæ datis, multas in Prouincias Hiſpanico Imperio ſubiectas proficiſci, & inde ad Confœderatas reuerti, & ſub illo prætextu multa pernicioſa conſilia agi & conſtitui, multa quoſdam ad detrimentum ſuarum Prouinciarum moliri: decreuerunt itaque, ne quis cuiuſcunque ſexus aut qualitatis duorum ſubſequentium menſium ſpatio ex vrbibus aut agris Prouinciarum confœderatarum in Prouincias, vrbes, aut loca ab Hiſpanis, aut eorum ſocijs in Belgio occupata, aut quæ in Belgio Hiſpanico, aut ſociorum imperio ſubiecta ſunt, parent, aut illud agnoſcant, directè aut indirectè proficiſcatur: niſi ab Ordinibus, aut earundem Prouinciarum Senatu ſanctiore, ſub nomine Ordinum: vel à Mauricio, vel V Vilhelmo Naſſouio ſub eorum nomine nouas denuò publicæ fidei literas impetrauerit, ſubſignatas à quodam è Collegio Ordinum, aut Senatus illorum, ſi ab illis fuerint impetratæ, & ab aliquo eorum Graphiario aut Secretario ſubſcriptas. Si verò à Mauritio aut V Vilhelmo Comitibus obtentæ fuerint, ab ipſis ſublignabuntur, & ab aliquo ipſorum Secretario ſubſcribentur. Statuerunt etiam, ne huiuſmodi literæ concedantur, niſi præuia rerum cognitione, & volũtate Magiſtratuum, aut Præfectorum eius loci, in quo qui eas requirit habitat, cuius & in literis fiet mẽtio. Qui ſecus fecerit, trecentis Carolinis mulctetur, & ſecundum qualitatem cauſæ puniatur: ad cuius cognitionem vt perueniatur, delinquens torturæ ſubijciatur, vt quid cum hoſtibus egerit confiteatur. Interdixerunt omnibus & ſingulis poſt duorum menſium illorum expirationem, ex hoſtium locis, aut per ea in confœderatas Prouincias venire, abſque ſimilibus literis de nouo impetratis: in quibus nomen, cognomen, profeſsio, conditio, officium (ſi quo fungatur) exprimetur: breuiter etiam quæ ſint eius negotia, & vbi cupiat ea expedire, & quamdiũ in iſtis Prouincijs exiſtimet ſe permanſurum. In primò, ad quem ingreſſurus peruenerit, loco ſecretarium acceder, aduentum ſuum ſignificabit, & in literarum dorſo curabit annotari: qui contrauenerit, vt hoſtes tractetur. Præterea, vt nemo cuiuſcunque ordinis, qualitatis & conditionis ſit, poſt ſex menſes proximas in aliqua vrbe aut loco imperio hoſti ſubiecto inueniatur, moretur, aut cõuerſetur, abſque huiuſmodi noua licentia impetrata: qui aliter fecerit, hoſtis habeatur. Prohibuerunt denique omnibus Confœderatarum Prouinciarum ſubditis, ne quis verbis, factis, ſcriptis, aut internuncijs communicet, agat, mittat, aut recipiat ab hoſtibus, aut cum hoſtibus, vel eorum imperio ſubiectis, quicquam quod ad negotia ſtatus & conſtitutionis Prouinciarum, membrorum, & ciuitatum earundem pertinet: qui deliquerit, capite & fortunis punietur.

Cõtra Patres ſocietatis Ieſu

Ad Ieſuitas quod attinet, hæc ſtatuerunt: vt omnes fautores & adhærentes pernicioſæ & ſangui-

sanguinariæ sectæ Iesuiticæ Confœderatis prouincijs penitus excludantur, ijsque aditus omnis præcludatur: decretum est, ne quis eiusdem sectæ, aut apud illius Professores modò studijs dans operam, siue sit indigena ittarum Prouinciarum, siue alienigena, in Confœderatas Prouincias siue mari, siue terra irrepat, sub pœna hostilitatis & capitis supplicio, etiamsi publicæ fidei literis munitus aduenerit. Præterea, vt proximo bimestri ex his Prouinciis exeant, nec in eas durante præsenti bello reuertantur. omnes, qui sunt eiusdem sectæ: nisi prædicto spatio Magistratū, aut sedis suæ Præfectum accesserit, eiq; peromnia, & in omnibus satisfecerit, & Regis Hisp. imperio expresso iureiurando renunciauerit. An. 1596.

Delinquens vt supra plectetur. Adhæc, vt omnes & singuli sui subditi caueant, ne post huius Edicti promulgationem aliquam scholam Iesuiticam in Belgio, aut extra illud studiorum causa frequentent, sub pœna vt perpetuis temporibus officiorum publicorum in suis Prouincijs declarentur incapaces: & singulis mensibus, quamdiu scholam istam accesserint, centum Carolinos dependant: cuius mulctæ solutio petetur ex bonis eorum, quæ in his Prouincijs habent: aut si nondum propter ætatem habuerint, ex bonis parentum aut tutorum: si ipsi vnde sumenda sit non indicauerint, nisi fortasis is pueri, contra notoriam voluntatem parentum aut tutorum suorum, in huiusmodi scholis permanserint: quo casu neq; parentibus, neq; tutoribus vllam pecuniam ad istorum puerorum sustentationem mittere, aut submi nistrare per se, aut per alios licebit: nisi prædictam pœnam & mulctam velint incurrere. Indulgent interim liberis suorum subditorum, qui modo apud Iesuitas litteris incumbunt, & proximo trimestro spatio ab illis discedunt, vt hac pœna immunes habeantur.

De Academijs verò decreuerunt, ne quis Confœderatarum Prouinciarum incola vel subditus Louanij, Duaci, Dolæ, aut in quacunque alia Academia, Regi Hispaniarum subiecta studeat. Si quis id ausus fuerit, quotannis mulctam mille Carolinorum committet. Præcipientes etiam qui in dictis Academijs sunt, vt proximo semestri spatio ijs decedant, sub pœna eadem: cuius executio ad eundem modum fiet, quo illorum, qui ad Iesuitas se litteris imbuendos contulerunt. *Cæteri, qui student in Academijs Regi Hisp. subditi.*

In eos denique, qui cum iuramento defensionis fidei Catholicæ promotionis titulo insigniuntur, hæc pœna constituta est, vt in posterum ad nullas dignitates, officia aut ministeria publica in Prouincijs Confœderatis assumantur: quicunq; post sex menses proximos sub iuramento Romani erroris & superstitionis defendendæ promouebuntur: & vt hi, qui iam huiusmodi promotionem consecuti sunt, aut 6. mensibus proximis consequentur, & iam ad officia admissi sunt, aut admittentur, prius instabunt, vt ab huiusmodi iureiurando absoluantur, eius loco iuramentum fidelitatis in patriam præstent, & Regis Hispaniarum imperium abiurent. Huiusmodi autem iuramenti absolutio & noui exactio fiet coram iudice loci, cui ad vtrumque authoritas & plena potestas confertur. Si non comparuerint, & huic edicto non satisfecerint, dicto officio fungi non poterunt, quod (si per commissionem collatum fuerit) de facto erit impetrabile. *In promotos sub iuramento Catholicæ Religionis.*

Mandant denique omnibus & singulis, qui sub eodem iuramento promoti sunt, aut postea promouebuntur, & sedis suæ locum in Prouincijs Confœderatis delegerunt, aut in posterū deligent, primo post promulgationem huius edicti mense coram Magistratu, sub quo viuere constituerunt, comparere, ab iolutionem huius iuramenti flagitare, & nouum fidelitatis reddere. Qui non parauerint, dictis Prouincijs excedere tenebuntur: quod nisi primo mense fecerint, quinquaginta Carolinis mulctabuntur, secundo centum: si verò ante finē mensis tertijin Confœderatorum Prouincijs adhuc deprehendantur, in perpetui exilij pœnam ipso facto incident. Hactenus verba Edicti.

Interim in Belgio omnium animi erant erecti, exspectantes quid Cardinalis esset molitus. Metuebant vrbi Bredanæ Hollandi, eamque misso cum maiori præsidio commeatu & apparatu bellico munierunt. Metuebant, Galli non minus obsidione Ferensi, ad quam etiam (vt diximus) cum maioribus copijs venerat Nauarræus. At Albertus præter Gallorum omnium exspectationem Caletum, quod & Calesium hodie appellant (Iccius portus, & Gesoriacum antiquis est) ex improuiso inuadere meditans, hoc stratagemate vsus est. Ducem Arschotanum & Georgium Bastam cum Barone Auxio, & alijs belli ducibus, in Castellum Cameracense cum quatuor equitum, peditumque millibus transmisit, qui Gallos Feram obsidentes ambiguo metu distinerent. Sed & eodem tempore Ambrosium Landrianum cum turmis aliquot equitum leuis armaturæ Montrolium summa celeritate contendere præcipit, tanquam ad eam vrbem obsidendam. Deinde Rhosnium 5. Aprilis cum prima acie Audomarum versus præmittit. Ipse cum tota mole exercitus ex Artesia subsequitur: quem mox Augustinus Mexia Cameraco egressus, & Atrebatum 7. April. prætergressus, cum 17. signis peditum, & 8. maioribus tormentis secutus est. *Cardinalis Caletensibus bel lum parat.*

Porrò Ronæus cum 300. equitibus & peditum 5000. in agrum Caletanum Idibus Aprilis tanto silentio peruenit, vt prius adesse conspiceretur, quam aduentare crederetur, non sine Caleten-

An. 1596. letenſium ciuium.præſidiariorumque metu & trepidatione, qui nihil minus quam ab hoſte obſidionem, Fera etiam periclitante exſpectabant.

Turris Riſebanis occupatur.

At Ronæus perterritis inſtandum ratus, Niuleium pontem occupauit, & abſque mora validam turrim Riſſebaniam vulgo dictam, portui adiacentem in poteſtatem redegit, quam extemplo militibus & tormentis maioribus communiuit, ne hoſtium nauibus in portum pateret ingreſſus.

Vrbi Caletenſis obſidetur.

Albertus audita turris iſtius expugnatione, in quam maximũ ad victoriam conſequendam inerat momentum. Ronæo ſeſe coniunxit, & copijs diſpoſitis, Caletum terra & mari obſidere cœpit. Comitem Biæum cum Grugonio & D. Ludouico Riſſebaniam turrim, & portum tutari iuſsit. Littora verò quæ Graueling am ſpectant, cuſtodienda commiſit Mendozæ, Bourlottio, Teuſichio Germano, & Comiti Boſſutio, qui cohortibus Atrebatis præerat. Ipſe verò cum robore exercitus in continenti apud Fanum Petri cum Principe Auraico, Auguſtino Mexia, Freſinio, Comite Sorano, & alijs Ducibus conſedit.

Nauarræus Caletenſibus ſub obſidionem mittit.

Interea Nauarræus inopino nuncio perculſus, relicta exercitus parte ad cõtinuandam Feræ obſidionem, iunctis celeritate cum equitatu & copijs pedeſtribus Bononiam contendit, miſſiſque in omnes partes nuncijs, opem Anglorum & Hollandorum, ſollicitauit. Campagnolam verò Bononiæ Gubernatorem, & Moncaurelium veteranos Duces cum militum ſubſidio Caletum miſit, qui ſcaphis vecti, in vrbem incolumes peruaſerunt.

Suburbia Caletenſia expugnantur.

Decreuerat Albertus eam vrbis partem oppugnare, quæ portum & mare ſpectabat, quod murus ibi infirmior tormentorum pilis facilè ſubuerteretur. Id autem, vt cõmodius perficere poſſet, ſuburbia portui adiacentia opere & militibus communita 15. Apr. poſtridie Reſurrectionis Domini, adortus expugnauit.

Oppugnatur ipſa vrbs.

Deinde nihil cunctandum ratus, die Mercurij 17. Aprilis, Ferijs Paſchalibus, ſub Auroram vrbem tormentis diuerberare cœpit, quibus ingenti mox factа murorum ruina, ciues metu perculſi, primò dierum octo, deinde 24. horarum inducias poſtularunt, quibus reiectis, rurſus tormenta immani fragore diſploduntur.

Caletum deditur.

Sed ciues rebus ſuis diffidentes clamore edito de vrbis deditione maturè tranſegerunt: quibus Albertus vrbe dedita, vitam fortunasque pollicitus fore incolumes, tormenta omnia tradere, & arma deponere iuſsit: conceſſa interim poteſtate, vel in vrbe remanendi, vel in arcem ſe recipiendi, donec ſex dierum inducię effluerent: intra quos niſi Nauarræus ipſis ferret ſuppetias, arcem dederent.

His acceptis conditionibus, conſeſtim ciues, priuſquam Hiſpanorum & Belgarum cohortes in vrbem admitterentur, ad vnum penè omnes in arcem confugerunt, domosque vacuas reliquerunt victoribus occupandas: qui mox compoſito ordine vrbem ingreſsi, tormenta eo conuexerunt.

Noua ſubſidia obſeſſis miſſa.

Nauarræus à Campagnola, qui arce clàm exceſſerat, certior factus quanto in diſcrimine obſeſsi verſarentur, eundem cum ducentis militibus remiſit in Arcem, quo etiam per medios hoſtes peruenit, ciuibusque perſuaſit Anglorum & Hollandorum naues aduenturas.

Arx Caletenſis expugnatur.

Aderat iam vltimus induciarum dies, atque tormenta omnia contra arcem ad oppugnationem erant præparata, cum obſeſsi Arcis deditionem recuſantes, nocte ea, quæ expugnationem præceſsit, tormentorum frequentibus pilis militum Hiſpanorum & Belgarum ſtationes cœperunt impetere. At luce exorta, tanto tormentorum impetu, & fragore Arcis mœnia, Alberti iuſſu proſtrata ſunt, vt eodem die 24. Aprilis, milites Hiſpani & Belgæ antè meridiem per murorum ruinas arcem cæſis plurimis ex propugnatoribus, expugnarent.

Qui occiſi & capti.

Cæſus eſt Vidoſſanius Caleliæ Gubernator, vna cum Præfecto Vigilum, & plus minus octingentis, tum militibus, tum ciuibus. Campagnola viuus in hoſtium poteſtatem venit. Capti etiam ſunt aliquot milites, qui ex Arcis mœnibus in foſſas maturè ſeſe præcipites dederunt. Mulieribus, pueris, & plerisque ciuium, qui abiectis armis in locum quendam inermes conuenerant, parcitum.

At Nauarræus, qui eminus cum Hollandis & Anglis hoſtium victoriam ſpectarat, Bononia relicta Ambianum ſeſe contulit, vt eam vrbem cum finitimis arcibus ſua præſentia confirmaret. Validum autè præſidium Bononiæ, Montrolio, Ardæ, & cæteris locis, quo Albertus cum victore exercitu iturus putabatur, impoſuit. Naues quoque Anglicæ cum Hollandicis domum redierunt.

Caleti ſiue Caleſiæ vrbis deſcriptio.

Eſt autem Caleſia, ſiue Caletum, Caletium populorum in Gallia Belgica nauale. Itium à Strabone, Geſoriacum à Ptolomæo dictum, continenti Britanniæ, vel Angliæ 30. millibus paſſuum, ſeu 330. ſtadijs, quæ 13. milliaria noſtratia conficiunt, diſtans: ibiq; traiectus in Angliam eſt breuiſsimus. Itium (vt quidam exiſtimant) ab itando dictum, quod ſit quenter illac ire tur ab his, qui vltro citroque in Angliam commearent. Portus itaque eſt antiquiſsimus & commodiſsimus, è quo Iulius Cæſar, vti in ſuis refert Commentarijs, in Angliam transfretauit. Huic ſucce-

Digitized by Google

ſuccedentibus temporibus, oppidum eſt adiectum, quod Comes Bononienſis Philippus, S. Lodoici Regis Patruus (teſte P. Aemilio) an. 1227. muniuit, & fortiſſimis mœnibus cinxit. Manſit autem in fide Gallorum vſque ad annum 1346. quo tempore Eduardi III. Regis Anglorum auſpicijs longa vndecim menſium obſidione tandem ſubactum eſt. Poſtea verò à Philippo Burgundionum Duce fruſtra tentatum, in Anglorum poteſtate 200. plus minus annos permanſit. Qui illud nouis propugnaculis, muris firmioribus, & latioribus foſsis, munierũt. Loci alioquin natura, vt terra vliginoſa, & paludibus inacceſſa ſitum, ſatis ſuperque munitum. Tandem anno 1558. à Gallis Duce Franciſco Guiſio recuperatum eſt. Et nunc poſt reuolutum octo & triginta annorum ſpatium Alberti Auſtriaci auſpicijs, in Hiſpanorum poteſtatem venit. An. 1596.

In arcis expugnatione à parte Hiſpanorum cecidit Ioannes Manartius, Adriani Noyellæ, vrbis Atrebatium Gubernatoris Legatus.

Hollandi capto Caleto, domum regreſsi, magno numero ſub Aprilis finem in Brabantiam militaribus præſidijs vacuam excurrentes, VVauriam inter Bruxellas, & Namurcum pagum celebrem Parcenſemque Abbatiam, in agro ſuburbano Louanienſi, cum multis alijs vicis & Pagis exuſſerunt, ac tandem ingenti præda onuſti, cum magna captiuorum turba ſeſe receperunt. *Hollandorum excurſio in Brabantiam.*

Caleto ita fœliciter expugnato, Archidux Auſtriæ Nonis Maij, relicto Caleti valido militum præſidio, Ardam oppidum ſitu opereque munitiſsimum obſidere cœpit: quod Nauarræus paulò antè obſidium Comiti Belinio, Carolo Ramburio, Monlucio & alijs Ducibus, cum duobus peditum equitumque millibus tutandum commiſerat: qui crebrò erumpentes, cum hoſte manus conſeruerunt, magnam ipſi damnum inferentes. Suburbana loca foſsis, vallo & aggere diligenter cõmunierant, è quibus tela in obſidentes ſine intermiſsione contorquebant: vrbis portis interea per totum obſidionis tempus, noctu diuque, vt hoſtii illuderent patentibus. At Borlutius militum Ductor, ſuburbanas munitiones Alberti iuſſu aggreſſus, multis ſuorum vulneribus expugnauit. Ipſe etiam inter primos vulneratur, & mox Audomarum ad vulnus curandum conceſsit. *Ardam obſidet Albertus.*

Galli verò rurſus 19. Maij, ex vrbe magno numero ex improuiſo erumpentes, in armatas Antonij Coquellij, fortiſsimi militis (qui ante annos aliquot obſidione Steenvicēſi inclaruit) cohortes magno impetu irruerunt, plurimosque occiderunt; tandemque etiam quibuſdam ex ſuis deſideratis, inter quos Monlucius, cum quodam Aquitano, impigro militum Præfecto occubuit, in vrbem redierunt. Cùm autem ſuorum numerum aſsiduo minui, hoſtemque dirutis iam murorũ pinnis, omnia quæ ad oppugnationẽ neceſsaria præparari viderent, nec tam ſubitò auxilia à Nauarræo exſpectarent, communicata re cum ciuibus, Legatum quendam ex vrbe in Caſtra ad Cardinalem emiſerunt, poſtulatis aliquot dierum indicijs. Verùm Alberto reſpondente, deditionem abſque vlla mora eſſe faciendam, ſi rebus ſuis conſultum vellent, re infecta diſceſſum eſt. *Galli erumpũt. Antonij Coquellij nem faciunt.*

Poſtridiè exorta luce, Albertus decreta oppugnatione vniuerſum exercitũ arma corripere iubet. Sed Galli priuſquam tormentis murus feriretur, nupera Caletenſi clade forte perterriti, ſub horam octauam matutinam, his conditionibus deditionem fecerunt: Præſidiarij cum ſuis armis, explicatis ſignis, tympanorum ſtrepitu & impedimentis ijs, quæ exportare poſſent, diſcederent: ab omni interim Eccleſiaſtica ſuppellectile abſtinerent, eorum infirmi & vulnerati curribus impoſiti abducerentur. Liberum eſſet vnicuique cuiuſcunque ſit conditionis, in vrbe manere, hac lege, vt iuramentum fidelitatis præſtet Regi Hiſpaniarum. Eodem itaque die 23. Maij, ipſis aſcenſionis Domini ferijs, ſub horam tertiam pomeridianam Ardacum armis & impedimentis egreſſi, numero plus minus milleducenti ad Montem Hulinium contenderunt. Exobſidentibus circiter quadringenti perierunt. *Arda deditur Cardinali Alberto.*

Porrò dum Albertus cum exercitu in hac obſidione hæret, Fera iam à Gallis ſeptimũ menſem obſeſſa, deditionem Nauarræo facit. Adulto enim iam Vere, poſtquam per totum Brumæ tempus vrbem Nauarræus obſederat, obſeſsi poſt abſumptum omnem penè cõmeatum, quem Georgius Baſta ſuperiore Martio ipſis aduexerat, de vrbis deditione cum Nauarræo 16. Maij agere cœperunt: quo cum in has conditiones deſcenſum. *Fera deditur Nauarræo.*

1. Seneſchallus Montlimarius cum Aluaro Oſorio, Præſidiariorum præfecto, reliquiſq; tum Ducibus, tum milliibus intra ſenos dies Fera diſcedant, vexillis explicatis, tubisque canentibus, cum armis & impedimentis: ad hæc cum magno tormento æneo, quod Gallicis inſignibus notatum non erat: ſed Carolo quondam V. Cæſari à Gallis ademptum dicebatur. 2. Ne teneren-tur milites æs alienum in oppido contractum diſſoluere. 3. Liberum ſit, ciuibus aut diſcedere cum militibus, aut in vrbe remanere. 4. Qui in vrbe manebunt, in verba Nauarræi iurent; quibus poſtea non ſit fraudi, arma iuſſu Montlimarij in Marchionem Menelæum ſumpſiſſe, eumque in iſto tumultu direptis ædibus oppreſsiſſe. 5. Quæcunque Montlimarius de tributis & vectigalibus bello durante conſtituerit, ea Nauarræus rata habeat. *Conditiones quibus Fera deditur.*

Digitized by Google

An. 1596. His vltro citroque acceptis conditionibus, datisque obſidibus, emiſſus eſt ex vrbe Iacobus Carlegus Hiſpanus, qui 100. ſclopetarijs equitibus præerat. Is Atrebatũ 18. Maij prætergreſſus, in caſtra ad Ardam poſita contendit, Albertum eius rei certiorem facturus. Qui conditiones iſtas cum probaſſet, Montlimarius & Oſorius cum cæteris ducibus & militibus (vt pactũ fuerat) 22. Maij egreſſi, in agrum Cameracenſem conceſſerunt: qui toto obſidionis tempore plurimũ negotij Gallis exhibuerant, inedia, rerumque omnium penuria dedere ſe coacti.

Cùm Regina Angliæ capto Caleto, hoſtem ſuis litoribus incumbentem, quaſi in conſpectu haberet, metueretque ne ex portu hoc cõmodiſſimo aliquando ab Hiſpano inuaderetur, reple nius deliberata conſultius duxit eſſe è ſuo Regno bellum, & belli calamitates in hoſtium agros transferre, & apparatus bellicos in portubus Hiſpaniæ iam paratos, vel ad bellum inferendum parandos, conſumere & deuaſtare, quam domi in viſceribus Regni hoſtes exſpectare: multoq; fore glorioſius caſtra Anglicana Hiſpaniæ mœnibus immimere, quam Anglos vel vallum hoſtium è mœnibus ſuis videre, vel externos milites muros ſcandentes propellere.

Claſſis Anglicana præparatur.

Cùm de expeditione conueniſſet, maturandum eſſe ſtatuerunt, ne hoſtibus copias cogendi, exercitus conſcribendi, claſſem inſtruendi, & præſidia locis maritimis conferendi daretur opportunitas. Nec mora vndiq; ad bellum acclamatum, militum numeri complentur: quicunque arma ferre poſſent, bello oque eſſent idonei, extranei preſertim quæruntur, claſsis omnis apparatur, arma capere & copias cogere cœperunt. Conſules & Præfecti exercitus & Claſsis deſignati ſunt, Robertus Comes Eſſexiæ, & Carolus Havvartus, Baro Eſſingamus, qui intercedẽte Regia auctoritate, antequam claſſem è Portu ducerent, cauſas huius expeditionis Gallicè, Anglicè, Belgicè, Hiſpanicè, Latinè & Italicè conſcriptas, typisque excuſas diuulgarunt.

Reſcriptum Archithalaſſi & Præfectorum Claſſis Anglicanæ.

Se ſcilicet varijs è locis admonitos, Regem Hiſpaniarum maximam inſtruere claſſem, eamque adhuc quotidie, & viris & armis, & nauibus augere, vt Reginæ Prouincias hoſtiliter inuadat & obruat: quomodo & anno 1588. dum pacis compoſitio agitatur, tentatum fuit: maioribus quidem viribus quam vnquam ſua ætate factum fuerat, ſed Dei bonitate & ſingulari nobilitatis Anglicanæ, ſubditorumque aliorum virtute & fortitudine eandem Claſſem, eodem tempore partim pugna & incenſis nauibus abactam, partim tempeſtatibus obrutam eſſe. Quia verò Regina certa & ſecura ſit, nec dubitet quin ſibi cum omnibus Regibus, Principibusq; arctiſſima ſit amicitia, vno Rege Hiſpaniar. excepto, qui ante multos annos diuerſis actibus hoſtem ſe declarauit, non tantum illius perſonæ, ſed & populi & Regni illius, nulla etiam à Regina iniuria accepta, aut cauſa hoſtilitatis data. Nos, aiunt, Comes & Admiralius omnibus ſignificamus, ſeuerum nos mandatum à ſua Maieſtate accepiſſe, ne cuiquam in hac noſtra expeditione noceamus, cuiuſcunque nationis ſit, præterquam natiuis Hiſpanicarum Regis ſubditis, & alijs externis hominibus, qui dicto Regi milites, naues, tormenta bellica, commeatum, aliumque apparatum bellicum ad Reginam opprimendam ſuppeditent. Cui mandato nos ſatisfacturos decre uimus.

Quare omnibus & ſingulis, qui in hac claſſe noſtra ſunt, præcipimus, & ſerio mandauimus, hocipſum graui ſupplicio obſeruare. Vt autem omnis controuerſia tollatur, quæ incidere poſſet, cum his qui non ſunt ſub Imperio Regis Hiſpaniarum: nos tamen manifeſtos opitulatores, & fautores eiuſdem Regis terra mariue ad Reginæ Prouincias inuadendam interpretamur, mentem noſtram latius declaramus; Oramus igitur in nomine Domini, & ſerio mandamus omnibus, qui Regis Hiſpaniarum natiui ſubditi non ſunt, & tamen ei ſuppetias nauibus, commeatu & apparatu bellico ferunt, vt cum ſuis nauibus & auxilijs ex omnibus Hiſpaniæ & Luſitaniæ portubus diſcedant, ſocietatemque & militiam in Claſſe eiuſdem Regis deſerant, inque propriam patriam reuertantur: aut ſi ipſis placuerit, ad noſtram Claſſem veniant.

Id ſi fecerint, promittimus illis nomine & authoritate ſupremæ Reginæ noſtræ omnem ſecuritatem perſonarum & fortunarum ipſorum. Pollicemur nos eos habituros & defenſuros, vt amicos, permiſſuros inſuper, vt omnes illorum naues & merces, ſiue eæ à Rege Hiſpaniarum fuerint detentæ, aut in eius obſequium & vſum expenſæ, ſiue ab Anglis fuerint interceptæ, liberè diſcedant, aut apud nos pro ſuo arbitrio maneant: modo vt amicos, non vt hoſtes Reginæ aut noſtros ſe declarauerint. Quod ſi quis huic Reginæ mandato non paruerit, & noſtram tam fauorabilem promiſsionem pertinaciter, contumaciterque contempſerit, nec operam dare voluerit, vt huic tam æquæ petitioni, qua ipſius bono & libertati cauetur, ſatisfaciat; nobis iure belli permiſſum erit talem contumacem apprehendere: & vt manifeſtum Regis Hiſpaniarum ſocium, auxiliatoremque ad Reginam vi oppugnandam, eamque noua perſecutione exagitandam pro hoſte publico habere & tractare.

Quod ſi interea detrimentum aliquot à noſtra claſſe acceperit, nullam in poſterum iuſtam quærelarum habebit cauſſam: nec ipſis Principes & Dominos ſuos ſollicitare fas erit, vt à nobis reſtitutionem aut mulctam pro ea exigant.

Hæc

Hæc illius ſcripti ſumma eſt, quod tamen cum titulo parum conuenire videtur; cùm in eo vix vna cauſa hoſtilitatis indictæ, aut expeditionis ſuſceptæ manifeſtè exprimatur. Diſtribuerunt autem ſcriptum illud per omnes Hiſpaniæ, Portugalliæ, & alios Regi ſubiectos portus, ne quis cauſam ignorantiæ prætendat. An. 1596.

Cùm iam tempus naues cõſcendendi appropinquaret, conuocatis Tribunis & Centurionibus ſingulis ſingulę naues conſignantur, commeatus diſtribuitur; & Douero, aliiſq; è portubus Pleimoutham contendunt. Ibi Præfecti milites in terram exponunt, exercitum perluſtrant, inſtruunt tyrones, reficiunt omnes. Exercitus in acies diuiditur, ſuis vnaquæque ſe continebat ſtationibus. Vbi caſtra metati eſſent, ty rones milites, qui tum primum merere ſtipendia cœperant, docentur cum hoſte congredi, receptui canere, per turmas hinc inde crebrò concurrere, decurrere, de integro inire bellum, locum tenere, imperium facere, iuſſa exequi, ſeq; in orbem colligere, cuneum facere, & Phalangem: ſequi ſigna, ne ſine imperio in hoſtes tenderent, ne pulſi loco cederent, & vt in acie quiſque agnoſceret ordines ſuos. Militibus ita aliquot dies exercitatis fœlicior ventus ſpirare cœpit. *Claſſis è portu diſcedit.*

Architalaſſi ſumma feſtinatione pœna capitis claſsico omnibus edixerunt, naues conſcendere, easque è portu educere, & velis paſsis in altum claſsis prouehitur. Quæ quot nauibus Anglicis, quot Scoticis, & Hollandicis conſtiterit, & quis eius ſucceſſus fuerit, quomodo reuerſa ſit, paulò pòſt commemorabimus.

Occupatis vrbibus prædictis Caletenſi & Ardreſia, Cardinalis ſimulabat ſe Bredanam ciuitatem vel Monté ad Zomam (in quibus, vt ferebatur, ſuos habebat proditores) obſidere velle, vt præſidiarios ex oppido Hulſtenſi eliceret. Quod cum non ſuccederet, Summus Præfectus *la Beurlotte* 10. Iulij, 2000. pedites in terram expoſuit, qui in aggere quodam Munimentũ quoddam nominatum, *die kleine Rape/ oder Baurenſchantz/* occuparunt: duo ibidem inuenientes tormenta bellica. Ita in agrum Hulſtenſem, S. Paulus *Polder* nuncupatum, facili negotio penetrarunt. *Hulſt à Cardinale obſidetur.*

Hic aſsiduè cum præſidiarijs ipſis erat cõferenda manus, biduoq; pane carebant, donec Romanus è Brabantia cum 6000. peditibus aduenieus, eos liberaret, idq; non ſine magno periculo. Nam ob continuam ex propugnaculo, vulgò *die grote Rape/* tormentorũ emiſsionem, accidebat, vt ex quinque ſcaphis vel nauiculis hoſtium, plerunque tres colliderentur, & demergerentur. Idem fiebat ex nauibus Hollandorum & Zelandorum, & munimento, *das Meerfort/* appellato. *Romani ſuis periclitantibus, iubenti.*

Hoſtem cum iam tranſiuiſſet, aſsiduè conſligere oportebat, nam abſq; intermiſſione præſidiarij erũpentes ipſum impetebant, & laceſſebant. Conſeſtim itaque, vt poterat ſeſe muniebat in Pomario quodam, loco excelſiori. Occupauit quoq; propius oppidum ædes quaſdã, eaſdem muniés. Multi vt ipſi hoſtes fatebatur, ex ſuis amiſit: ſolo biduo 2000. inter quos 12. Capitancos, ipſum etiam Præfectum Tiſtelingium, qui mortuus Antverpiam deportatus, ibi ſepultus eſt. Conabatur equites eo deducere, ſed hi periculum præſens cernentes ſequi noluerunt. 14. Iulij Cardinalis in perſona fuit in Propugnaculo Auſtriaco & Bloimmenſi, dans ordinem, inſtanſq; vt tormenta intempeſta nocte tranſueherentur. Inde Bruxellas profectus eſt, Sacramentum, vt vocatur miraculorum, viſitandi cauſa. *Præſidiarij frequenter erumpunt. Tiſtingium cũ multis aliis Centurionib. & militibus occumbit.*

Inſumma multis copijs collectis, ijſque nullo modo parcens, foſſas volgo *Trencheen/* inter Oppidum & Munimentum, *die Morſchantz* dictum, vt hocab illo ſepararet 19. Iulij occupauit.

In his foſsis erant tria ſigna militum, inter quos Nobilis quidam Admiratij Iuſtini Legatus, Romanũ facinus edens, hoſti tam diù reſtitit, vt ſaltem 16. milites ſecum haberet, tandem concidit inter mortuos, reſpirans tamen paulò pòſt euaſit, acceptis 40. vulneribus, Middelburgum curandi cauſa delatus eſt. *Naſſouiorum vir. cincinnatus.*

Foſsis itaque expugnatis, Munimentum illud à paludibus nomen habens, *die Morſchantz/* tormentis acriter verberatum eſt, quod (non obſtante Comes Solmenſis iam paratus eſſet, non ſolum ab aſſultu & oppugnatione liberare, ſed etiam hoſtem rurſus ex prædictis foſsis eijcere atque expellere) deditione 20. Iulij occupatum eſt. Hac oportunitate in Polderum Hulſtenſem, vel S. Pauli, vbi caſtra locata erant, omnia quibus indigebant facili negotio adduci poterãt. Prius enim nullo alio potu vtebantur, quam aqua paluſtri, paniſque vnus vendebatur 30. ſtuſ. quod in oppido tribus emi poterat. *Munimentum obſidetur.*

Quotidie eruptiones fiebant, præſertim autem 25. Iulij, præſidiarij in hoſtium foſſas erumpentes, ex ijs circiter 400. trucidarunt, ereptiſque tribus ſignis militaribus, in oppidum regreſſi ſunt, atque ſigna illa muris impoſuerunt. 27. Iulij, Tubicen 28. Præfectos ſiue Centuriones repetendi & quærendi cauſa ad oppidum miſſus eſt, ſed duo tantum reperti ſunt, cæteri occiſi erant. *Præſidiarij eruptiones plerumque tranſeũdant.*

Conabatur Cardinalis viam, qua ad Propugnaculũ Naſſouianum peruenìri poſſet facere, ſed Zephyro contiuo flante, foueæ aqua repletæ ſunt.

An. 1596. Penultimo & vltimo Iul. Oppidani incenſis ignibus triumpharunt, dimiſeruntq; quòs dam ex captiuis, qui in caſtris nunciare id fieri, ob victoriam Gaditanam, hoc eſt occupationem vrbis & portus Caletani in Hiſpania.

Præſidiorũ Hulſenſiũ triumphus, ob victoriã Anglorum in Hiſpania.

Excellentia Sua, Comes Mauricius, ſumma diligentia & aſsiduehinc inde commeans, omnibus rebus ſtudioſè prouidebat, paratus in perſona Oppidum contra hoſtem defendere, verùm Comes Solmenſis iſtius loci Gubernator, promittebat ſe cum præſidiarijs ſuis ad vltimum vitæ ſpiritum reſtituram.

Mauritij ſumma diligentia in cõſeruando oppido Hulſtenſi.

Cùm paulò antè de occupato portu Caletenſi (quod durante hoc obſidio Hulſtenſi accidit) mentionem fecerimus, latius victoriam hanc proſequemur.

Claſsis Anglicana quid effecerit.

Claſsis Anglicana, quam ſuperius è portu egreſſam eſſe diximus, 28. Iulij, in ipſo diluculo in conſpectum portus Caletani in Andaluzia veniens, repperit ibi in acie inſtructa Claſſem Hiſpanicam, quæ conſtabat 24. Galeris, 4. Galionibus, Naue vna grandi, nomine S. Philippo, 800. vaſorum, inſtructa 80. tormentis metallicis, præterea quatuor Pataſſas, quarum ſingulæ ſedecim eiuſmodi tormentis munitę erant, iacebantq; inter Galeras prędictas forma ſemilunari.

Pugna inter Claſſem Hiſp. & Anglicanã huiuſq; victoria.

Quo viſo Admiralius Anglicus magno impetu & furore nauem Admiralium Hiſpanicam adortus eſt: quæ ſe fortiter contra hunc defendebat, quemadmodũ & contra aliam nauem Prætoriam Anglicanæ Claſsis, ſed concepto igne, & tertia vice ab Anglis oppugnata, nauis hæc Philippica ſubacta, & capta eſt cum omni ſuo apparatu bellico & militibus. Reliquæ naues parum reſtiterunt, ſed ſe dediderunt, quod tamen ipſis non profuit, quod Angli minimi in Hiſpanos, Italoſq; eſſent exacerbati, ob amiſſionem quorundam ex ſuis, primo aduentu. Ex Galeris tres fuga euaſerunt, tres incendio abſumptæ ſunt, 18. autem in Anglorum poteſtatem peruenerunt, qui ſeruos ſeu Sclauos ferreis catenis alligatos liberarunt atq; dimiſerunt. His adiunctas Galeones quoque ſuperarunt.

Hiſpani ſe Anglis dedunt.

Angli quoque capiunt naues mercatorias in portu Caletenſi.

Præterea ceperunt in Portu Caletenſi 6. naues varijs mercibus onuſtas, quæ Indiam verſus nauigaturæ erant: ſimiliter duas alias naues 150. tormentis metallacis oneratas, atque Liſſebonam iturας.

Pontem occupant Angli.

29. Iunij Angli Pontem Caletanum continentem Andaluziæ iungentem, occuparunt, in quo Nobiles quoſdam Hiſp. cum ſuis copijs fugarunt atq; occiderunt.

Caletãi vi expugnatur ab Anglis.

Inſequenti die Caletum, vulgò Caliz Malis, vi expugnarunt, vbi præſidiariorum maximam partem trucidarunt, vrbemque penitus deripientes incenderunt, ſola domus, in qua hoſpitabatur Ludouicus Guntherus, Comes Naſſouius, in ſui perpetuam memoriam illæſa & ſalua permanſit.

Trepidatio in Hiſpania.

Hinc tanta in vicinis oppidis exorta eſt trepidatio, vt omes tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, relictis omnibus aufugerint: inprimis quoque S. Lucar, ita vt ſi paucæ ſolum modo naues eò veniſſent, vrbe potiri fuiſſent. Vbi in hoc tumultu clàm euaſit nauta quidã Hollandicus, qui ne arreſtaretur, metuebat, cùm pridie antè ipſi 12. Muſquetas, & omnem puluerem ſulphureum abſtuliſſent.

Rota, Portus S. Mariæ, & S. Lucar ab Anglis expugnantur.

Poſtridiè & die ſequenti, nimirum 1. & 2. Iulij occuparunt Rotam, Portum S. Mariæ, quas cum omnibus fuis nauibus flammis conſumpſerunt. Paulò pòſt ceperunt S. Lucar, vbi arcem, in quam pleriq; eius loci Nobiles & ditiores ſe ſaluandi gratia receperant 5. dierum obſidione, & oppugnatione ad deditionem coëgerunt.

Angli naues Hiſp. ex India redeuntes intercipiunt.

Accidit eodem tempore, vt 18. naues Hiſpanicæ, ex India prætioſiſsimis mercibus onuſtæ, redeuntes, ſolito more, eorum quæ acciderant ignaræ, Portum Caletenſem intrare vellent: inopinatò igitur & præter ſpem in manus Anglorum deuenerunt.

Hollandi: Admiralij virtus

In pugna hac nauali inter alios fortiter ſe Hollandicarum nauium Præfectus generalis ſiue Admiralius geſsit, vt ab Anglis maximam promeruerit & conſecutus ſit laudem. Ita iam ſecundò Claſsis Hiſp. ab Anglis diſsipata, & porſus euerſa eſt. Quę obiter adijcere voluimus, nunc narrationem noſtram de obſidio Hulſtenſi proſequentes.

Hulſtenſium eruptio.

Hulſtenſium Præſidiariorum, cum ob impedimentum Propugnaculi Naſſouiani ipſis aditus occludi non poſſet) numerus cotidie ex Zelandia ſuppleri ac augeri poterat. Quare ſæpius in hoſtium caſtra eruptiones faciebant, plurimoſque trucidabant, adeò vt vix mortuos ſepeliendi tempus hoſtibus darent. Antverpiæ, Liræ, Mechliniæ, omnia Zenodochia & Noſcomia vulneratis & ægrotis militibus implebantur.

Cardinal. pertinacia in oppugnando Hulſenſes.

Nihilominus Cardinalis in obſidione pertinaciter perſiſtebat. ſerioque rem tentabat. Tormentis igitur in Propugnaculum quoddam extra oppidum directis, poſtquam 2. Auguſti tota die iſtud vehementer concuſſiſſet, oppugnare iubet: amiſis vtrinq; multis, Hiſp. retrocedere coacti ſunt.

Ronæus Gallus occiditur.

Inter alios Ronæo Gallo, viro apud Cardinalem magnæ auctoritatis & Caſtrorum ſummo Præfecto, in tentorio ſuo ſedenti & ſcribenti, caput globo è ciuitate emiſſo ablatum eſt: cuius funus Bruxellas delatum, & ſepulturæ mandatum eſt.

Auguſti

Augusti die sexto, Hispani aliud Propugnaculum substrato & incenso puluere euertunt, in quo 40. milites ex præsidiarijs perierunt, cæteri in oppidum recedebant. Conabantur Hispani eò tormenta attrahere, locumque hunc rursus munire, atque inde oppidi vallum, murosque vehementius tormentis suis quatere: sed tanta vi præsidiarij restiterunt, vt id perficere non potuerint. An. 1596.

Tandem autem cùm indefatigabili labore, & summa strenuitate ac fortitudine contra maximam hostis potentiam & assultus se defendissent, oppidumque pluribus in locis, vt ferebatur, suffossum esset, Comes Solmensis 16. colloquium postulauit, cui Cardinalis annuit. Deputati itaque sunt die sequenti ab oppidanis, dictus Comes Solmensis, eius loci Gubernator, Ernestus Calimirus, Comes Nassouius, & Comes Egmondanus, cum alijs quibusdam Officialibus militaribus, qui sequentibus conditionibus oppidum dediderunt. *Hostes se dedunt.*

1. Ipse Comes, cum omnibus Tribunis militaribus & Centurionibus, ac militibus liberè & sicurè exeant terra vel mari cum vexillis explicatis, tubarum tympanorumq; clangore & sonitu, fomitibus incensis, globulos in ore tenentes, cum equis, curribus, nauibus, armis & impedimentis omnibus: qui terra discedere cupiant, ad loca tuta deducantur, currusq; si quibus indigeant, sub fideiussione restitutionis, ijs subministrentur. *conditiones deditionis.*

2. E contrario Comes Solmensis Oppidum & Propugnaculum Nassouianũ tradat in manus Regis Hispa. quam primum naues (quas Comes bona fide, & statim atque poterit procurabit) aduenerint.

3. Interea Marchio Treuisanus cum aliquot militibus Hispanis, stationes in vallo deiecto habeat, non tamen vlterius cum suis pergat, quamdiù Præsidiarij in oppido manebunt, adque maiorem securitatem sese Comes Soranus, & dictis Marchio Treuisanus loco obsidum sistent.

4. Captiui vtrinque durante obsidione capti, cuiuscunque sint qualitatis vel conditionis, qui de lytro nondum transigerunt, liberè dimittantur, solutis tamen prius expensis pro mensa.

5. Omnibus ciuibus & incolis, absque vlla differentia licitum erit cum omni suppellectili, bonisque mobilibus, terra mariúe exire, ac spatio vnius anni, cætera bona immobilia, vel etiam mobilia vendere, aut quouis modo alienare, quo effluxo liberum eis quoque erit ea bona per alios administrare, modo in locis nulli parti addictis commorentur atque habitent.

6. Qui autem in oppido manere cupiunt, ij liberè absque vlla inquisitione quietè & pacificè viuant, omnibusque bonis ac fortunis suis, tam intra, quam extra oppidũ, etiam in locis Regiæ Maiestati subiectis vtantur, fruantur.

7. His omnium quæ hactenus facta vel perpetrata sunt, perpetua sit Amnistia & obliuio, nec in posterum ijs vlla eorum nomine (modo secundum conditiones hac contractas, ac vt fideles subditos Regis decet, se gerant) fiat molestatio, sed ipsis antiquæ leges, consuetudines, ac priuilegia inuiolata conseruentur.

8. Exules & ciues autem, qui durante obsidione, ex oppido recesserunt, cum vxoribus, liberisque rursus redire poterunt, inque possessionem omnium bonorum restituentur, & sub his pactis comprehendentur. Acta transactaque in castris Hulstensibus 18. Augusti. an. 1596.

Ita oppidum hoc multis vtrinque cæsis & amissis, in Regis potestatem bonis, his atque honestissimis conditionibus deuenit, quamuis multi arbitrentur, Comitem prædictum oppidum diutius defendere potuisse, præsertim cum præsidiarijad id essent paratissimi. Quamobrem Ordines Confederati deditionem hanc, & maximè Comes Mauricius, vt fertur, iniquissimo tulerunt animo, & Solmensem Hagam Comitis redeuntem, vix salutatione dignati sunt.

Cardinalis inde exercitus parte, in Brabantiam dimissa 24. Augusti, Antverpiam venit, vbi maxima cum pompa, triumphoque à Senatu populoque exceptus est. *Cardinalis Antuerpiam venit.*

Initio Septemb. Classis Anglica, Hollandorum quoque & Zelandorum nauis opimis prædis onustæ, ex Hispania redierunt. *Classis Anglicana redit ex Comitia Gallicana.*

In Gallia, Rex Comitia (quod Pestis Parisijs grassaretur) apud Fanum Mori indixerat, quo etiam venerat Legatus Apostolicus. Nobilium quorundam Legati ratificationem Edicti in Ianuario promulgati postulabant, viciſsim omnem operam & auxilium, tam militibus, quam pecunia, prompte offerebant.

In Vngaria Cæsarei 3. Septemb. vi expugnabant vrbem arcemque Hatvvanensem, omnesque (paucis exceptis & vita donatis) mares, & fœminas, infantes quoque nullius ætatis respectu trucidabant. Hanc ipsi rursus munire statuerant, tamen post mutato consilio, mandatoque Archiducis Maximiliani, certis de causis 7.8.& 9. eiusdem mensis incendio consumpta, & prorsus diruta, exercitusque 10. VVayziam vsque deductus est. Cui 12. ex Transiluania aliquot mille equites & pedites se iunxerunt. *Christiani expugnant & trucidabant inuam.*

Cùm autem Regia Sua Maiestas, ex certis nuncijs didicisset, hostem Agriam in superiori

Digitized by Google

An. 1596. Vngaria obſidere velle, D. VVilhelmum Terskium, cum aliquot Muſquetarijs, & ſelectis equitibus VValonicis, ſufficientique commeatu, & apparatu bellico eò ablegauit, qui etiam præter quinque inſignia Comitis à Turri, in vrbem aduenit.

Turcæ obſidet Agriam. His vix ingreſsis, nimirum 20. Septembris, Turcarum Imperator, firmiſsimam illam Arcem & vrbem, vnde laditus in Tranſ. Ivaniam, Bohemiam, Moraviam, Sileſiamq; patebat, obſidione cinxit, eamque ſibi dedi 25. eiuſdem blandiſsimis verbis, maximisque promiſsionibus poſtulauit.

Agrienſem vrbem chriſtiani incendunt. Die inſequenti, Præfidiarij vrbem quod eſſet amplior, & ob continuas oppugnationes diù defendi non poſſet, incenderunt, & ſe in arcem receperunt. Turcæ ſpe prædę in eam irruerunt, & quaſdam ædes ab incendio ſeruarunt.

Vigeſimo ſeptimo Sept. iterum deditio poſtulata eſt, additis minis niſi ſubitò facerent, crudelius cum ipſis, quam Hattuvvanis, actum iri. Ea denegata, Turcarum Imper. oppugnationi acriter inſtitit, atque ipſemet continuò obequitans, ſuos ad operas impellebat, & 4. Octobris arcem oppugnauit, at magno ſuorum iactura repulſus eſt.

Agria deditur Turcis. Tandem cum plurimos egiſſet cuniculos, præfidiariorumque multi perijſſent, nec vlla ſpes eſſet liberationis, vel longioris defenſionis, cum Turcis in colloquium deſcenſum eſt, ac Arx proh dolor magno Chriſtianorum detrimento, deditione in immanis hoſtis poteſtatem deuenit. Tribuni militares, & centuriones omnes, videlicet Iohannes Iacobus Comes à Turri, D. VVilhelmus Tertzkius, D. Nicari Paul, Gubernator Agrienſis capti, & ex præfidiarijs multi ob Hattuanam ſæuitiam miſerè trucidati ſunt.

Capti.

Regia Sua Maieſtas, Maximilianus, triſti hoc nuncio accepto, aperto marte & prœlio cum hoſte decertare ſtatuebat: cum exercitu itaque (qui 60000. tam equitibus, quam peditibus conſtabat) Agriam verſus (vbi Turcarum Imper. adhuc hærebat) produxit.

Prælia inter Chriſtianos & Turcas. Cùm in conſpectum hoſtis veniſſent Chriſtiani, 26. Octobr. acie inſtructa, illum præſtolabantur. Hic initio leuibus velitationibus certatum, tandem autem ad plenariam pugnam deuentum eſt; in qua Chriſtiani ſuperiores fuerunt, & aliquot millibus Turcarum cæſis, eos in fugam coegerunt, ſumma omnium conſternatione & trepidatione, ita etiam vt caſtra deſererent.

Chriſtiani victores vincit. Dum verò illis ſpoliandis eſſent intenti, hoſtis ſuis rurſus in ordinem coactis, quoſdam in caſtris ex inopinato obruit, qui relicta præda, aufugerunt, & cæteris temerè fugiendi anſam præbuerunt. Hinc talis orta eſt confuſio, vt turpi fuga vno ferè momento tot disiparetur exercitus Chriſtianus, omnisq; apparatus bellicus in manus hoſtis deueniret. Ipſe Maximilianus paucis comitatus 28. Octobr. Caſchouiam venit. Hoc modo primò fœliciter incepta victoria, infœliciter deſijt.

Comitia Rothomagenſia. De Comitijs Gallicis ſuperius mentionem fecimus, denuò menſe Nouembri, Rex omnes Regni Ordines Rothomagum conuocauit, vbi Nobilitatem Gallicam 4. Nouembr. ipſemet ſequentibus ferè verbis allocutus eſt.

Oratio Regis Gallic. Si animus mihi eſſet aliquam oſtendere eloquentiam, egregiam aliquam longamque edidiſſem orationem, quam vobis recitarem memoriter, cum decora quadam grauitate, atque authoritate. Sed, domini mei, duos ſolum deſidero Titulos, tales nimirum, vt appeller Liberator & Reſtaurator huius Status. Quo vt perueniam vos huc vocaui, vt ſcitis, veſtris ſumptibus, quemadmodũ & egò meis proprijs huc veni. Cùm Deus ad Coronam hanc me vocaſſet, Galliã non ſolũ ruinatam, at ferè planè perditam amiſſamq; Gallis reperi. Diuina autem auxilio, preclibus fidelium meorum ſubditorum, qui arma non tractant, virtute & fortitudine Nobilitatis meæ, (de qua non excipio Principes huius Regni) laboribus operaque mea, eam à ruina ſua ſeruaui. Eſtote mearum fortunarum participes, amate mecum ſubditos meos, iam ſecundò, vt feciſtis, primò. Non vos vocaui, quemadmodum fecerunt Deceſſores mei, vt eorum voluntate approbareris. Sed vt veſtra audiam, ſequarque conſilia, breuiter, vt me veſtræ tutelæ, inque veſtras tradam atque committam manus. Summoperè deſiderans, Regio titulo, hos duos, quos dixi, adijcere. Cætera latius ex Cancellario meo intelligetis.

Reformatorij petitio. In his comitijs, Eccleſiæ reformatæ poſtulabant, liberum ſuæ Religionis exercitium per totum Regnum Galliæ, acceſſumque ad omnia officia, etiam ad Parlamenta, econtra vitam ſortunasque ſuas Regi offerentes.

Concluſiones Comitiorum Rothomagenſium. Quoad controuerſiam itaque duarum Religionum in Parlamento Pariſienſi concludebantur articuli ſequentes.

1. Hæreticum relapſum, & nominatim à Sancta ſede excommunicatum, non perdere ius Coronæ. 2. Eundem eſſe Regem legitimum, datum & ordinatum à Deo. 3. Eccleſiam eum hoc iure priuare non poſſe: nec etiam Status, nec generaliter Principes ſuis dignitatib. & ſucceſsione regni cuiuſcunq; hæreſeos criminis cauſa. 4. Nec ſubditos ab obedientia & fidelitate ipſis debita. 5. Huiuſmodi ſententijs reſiſtendum, neq; eas obligare conſcientiam. 6. Non oportere

inquiri

inquiri in Actiones, vel conſcientiam Principis. 7. Legi Salicæ, non poſſe modum conſtitui per Religionem Chriſtianam, vt cogatur Rex eſſe Catholicus. 8. Hæreticum per gratiam diuinam eſſe Chriſtianum. 9. Non licere reſiſtere Principi hæretico. 10. Regem Catholicum duas poſſe permittere Religiones in ſuo Regno. 11. Non debere punire hæreticos, neq; vi cogi vt fiant Catholici. 12. Orandum etiam pro excommunicatis tam viuis, quam mortuis, publicèq; in Eccleſijs, adq; id ſint obſtricti Eccleſiaſtici ſub pœna diſcedendi è regno. 13. Confeſſiones poſſe reuelari iuſtitiæ cauſa. An. 1596.

Iam ad res Belgicas reuertamur. Mauricius Comes Naſſouius, cum diuerſis nuncijs certior eſſet factus, Cardinalem Auſtriacum aliquid hac hyeme in præiudicium Confœderatarum Prouinciarum vel vi, vel dolo, fraudeque conari, incommodis his maturè præueniendum duxit.

Collegerat hunc in finem Cardinalis quatuor Legiones peditum, vnam Neapolitanorum ſub Marchione Treuiſano, inter quos erant quinquenti circiter Officiales, ex alijs cohortibus exauctoratis. Alteram Germanorum, ſub Comite à Sultz, alia Legione germanica ſuppleta. Duas alias Legiones V Valonum, ſub Præfectis Borlotto & Coquelio, cuius in locum ſurrogatus erat D. Hachicourtius. Hæ duæ Legiones in obſidione Hulſtenſi vehementer fuerant diminutæ, verùm à menſe Septembri huc vſque ſuppletæ erant. Prætera ſecum habebant quinque turmas equitum, ſub Nicolao Balta, Don Ioan de Cordua, Alonzo Dragon, Grobendonckio, & Guſmanno. His omnibus imperabat Comes Varrafius, Dominus Balanſonius, cui plures Cohortes Hiſpanicas, aliarumque Nationum, tam peditum, quàm equitum, additis neceſſarijs quibuſcunque, ſeſe iungere Cardinalis iuſſerat. Caſtra ſua locauerant Turnhauti in Campinia. *Cardinalis col ligit exercitū*

Mauricius igitur, Comes Naſſouius in hoc totus erat, vt hoſtem à ſuæ gubernationis finibus arceret, eoque inaximè vt à ſua parte in confirmationem nuperrimè inter Regias Maieſt. Gallia nimirum, & Angliæ, & Prouincias vnitas initi fœderis, facinus aliquod intigne ederet. Occurrebant autem magnæ difficultates, tum ob temporis incommoditatem, quod eſſet in media Bruma, aer valdè inconſtans, nunc ad gelu, nunc pluuiam inclinatus, tum etiam, quod milites ex locis limitaneis, & ad triginta milliaria inter ſe diſtantibus, ſecretò non poſſent conuocari.

Hi tamen non obſtantibus rem tentandam iudicabat. Certo itaq; die in Montibus S. Gertrudis adeſſe iubet 6000 tam equitum quam peditum, eò etiam tormentis quibuſdam & alijs rebus neceſſarijs tranſmiſsis. Cùm Excel. Suæ optimè cognitum eſſet multum intereſſe, num hæc expeditio per ipſum vel alium fieret, decreuit 22. Ian. in perſona ad Montes Gertrudis proficiſci, indeque cum copijs illis, duabus dimidiatis Canonibus, aliiſque tormentis campeſtribus ſum ma diligentia, nocte dieque progredi, vt Hoſtem Turnhauti in caſtris 24. Ian. ſub crepuſculo vi inuadere, opprimere, atq; opera Tribunorum, & Centurionum militarium ac fortitudine militum, quos ſecum habebat, fugare & diſsipare poſſet. *Mauritius militer cōpias aliquot colligit.*

Die itaque 21. Ian. Mauricius ex Haga Comitis diſcedit, & præter ſolitos aulicos ſuos, comitatus à Comite Solmenſi, ac Franciſco Vereo, ſequēti die Gertrudebergam aduenit, vbi eodem die ſpatio duarum horarum, appulerunt 150. naues militibus onuſtæ. Inter alios quoq; Robertus Sydnei, Gubernator Vliſingenſis, nomine Reginæ Angliæ, rogatu S. E. (hic vt aliàs affectio nem ſuam ſingularem erga Prouincias Confœderatas oſtendens) in perſona cum 300. ſelectis Anglis huic expeditioni intereſſe voluit. Similiter Vicarius Gubernatoris Briclenſis miſit 200. milites exercitatos Anglos. Philippus Comes in Hohenlo, & Baro in Gangenberch, etſi in Germaniam proficiſcendi veniam impetraſſet, & iam ad limites Belgij veniſſet, tamen cùm intelligeret in ſumma feſtinatione nocte dieque milites hinc indè ex mandato Comitis Mauricij Goricomi congregari, idq; animaduerteret non ſine neceſſaria cauſſa fieri, poſtpoſitis ſuis priuatis negotijs huic etiam expeditioni ſe adiunxit. *Mauritius ex Haga Comitis diſcedit.*

Poſtquam igitur 22. Ianu. omnes Gertrudenbergæ aduenisſent, & Excel. Sua ſequenti die conſtituiſſet iter ingredi, à Dominis Ordinibus admonitus, ne ſe in periculum conijceret, illis reſpondit ſe ſã eſſe in procinctu, hoſtem in Dei nomine Turnhauti viſitare: progrediebãtur ita tota illa die & nocte, vt media intempeſta nocte, in pagum Rauels, miliari vno Turnhauto diſtantem peruenirent. Hic primi ſeſe pauliſper reficiebant, & poſteriores operiebantur, qui omnes ante exortam lucem aderant.

Comes Varrafius de aduentu Comitis Mauricij certius factus, cum debuiſſet caſtra ſua munire, vel inſtructa acie Suæ Excel. obuiam prodire, locumque prælijs idoneum eligere, vt militibus ſuis refectis & refocillatis cum illis pugnaret, qui tota die & nocte iter feciſſent, & ob incommoditates viarum defatigati, ac madidi eſſent (quo vt videtur, honori ſuo melius conſuliſſet, cum viribus Mauricio non eſſet impar, imò optimos & exercitatiſſimos milites Regis Hiſpan. ſecum haberet: tamen, ſortè ob S. Excel. præientiam non expectato hoſte, abſq; vllo tubarum tympa- *Comes Varrafius, caſtra etiã relinquit.*

Digitized by Google

An 1596. tympanorumúe clangore & sonitu castra ipsa nocte mouit, & Herentaliam sese saluandi gratia proficiscitur.

Mauricius iam ingruére die Turnhauto appropinquans, cum hostem aggredi putaret, eum autem fugisse intelligeret, cum equitibus, quos secum habebat, insecutus est, pedites quam celerrimè quoque sequi iubens. Quarta parte miliaris Turnhauto, hostis pedites quosdam disposuerat, vt transitum riuuli cuiusdam (quem vnum solum singulis vicibus transire oportebat) Mauricianis impedirent, qui tamen missis eò 200. Musquetarijs, sub Francisco Vereo, & Nicolao ab Aa, opportunum hunc locum deferere cogebantur. Ita hostem miliare vltra Turnhautú affectus est, qui dispartitis legionibus instructa acie progrediebatur, quæq; centum passus circiter ab inuicem. Videlicet Legio Germanica primò, deinde Hachicourtij. Tertiò, Barlotti. Postremam aciem claudebant Neapolitani. Ad dextram procedebant equites, in tres turmas diuisi; à sinistra erat sylua. Impedimenta sua præmiserat.

Pugna inter Hispanos & Nassouios & horum victoria.

Cùm iam Mauricius (qui cum dimidia parte Equitum, in sex turmas diuisa, consistebat) videret Comitem ab Hohenlo, cum altera dimidia equitum parte, similiter in sex turmas dispartita, tantum effecisse, vt quemadmodum ei mandatum erat, hostem à latere commodè adoriri posset, Francisco Vereo, & Gubernatori Sidnei iussit in postremum cuneum impetum facere; ipse interim quietè se continebat, vt si opus lassis subueniret, eosque reficeret. A latere igitur, & à tergo hoc modo impressione in hostem facta, acies eius dilapsa, & equitatus in fugam versus est, reliquis circiter duobus millibus trucidatis, (inter quos ipse Imperator Comes Varrasius occubuit) & ducentis captis, inter quos multi Tribuni militares, & Centuriones. Hostiq; in signum præclaræ victoriæ erepta sunt 38. vexilla peditum, & vnum equitum.

Nassouiorum fortitudo.

In pugna hac fortiter se gesserunt Comites Hohenloius, Solmensis, Gubernator Sidnei, Franciscus Verius, & in genere omnes Tribuni militares, militesque ipsi gregarij.

Arx Turnhaut tensis Mauricio cedit.

Mauricius hac victoria minimo suorum detrimento potitus, Turnhauti pernoctauit, vbi tormenta cum aliquot peditibus reliquerat. Et post quam arcem ibidem ipsidem tormentis verberassset, eam deditione cœpit, & exercitum rursus dimisit, ipseque 8. post discessum ex Haga Comitis, die, eo cum triumpho redijt, Deo Opt. Max. pro victoria obtenta, summas gratias agens.

Stratagema Gubernatoris Dorlantij in occupanda vrbe Ambiana.

Regem Hispan. ab anno 85. hucusque summo studio Coronę Gallicæ inhiasse ex ijs, quæ supra retulimus, & præsertim expugnatione Castileti, Dorlantij apparet. Constitutus erat à Fontano Dorlantij Gubernator Hispanus, nomine Hernantello Portocarera. Hic quibuscunque modis hostibus suis Gallis nocere, detrimentumq; inferre operam dabat. Inter alia Ambiano, vrbi munitissimæ & opulentissimæ, quo Nauarræus omnem apparatum bellicum & commeatum conuexerat, insidiabatur. Cùm itaque cognouisset rusticos (qui cotidie sua ad forum venalia vehebant) absque inquisitione vlla intromitti, volones quosdam audaces elegit, huic rei idoneos. Hos rusticorum quoque habitu sese induere, & quasi aliquot in vrbem vendendi gratia inferre vellent, portæ summo diluculo appropinquare iussit.

Ambiani ab Hispa. ex insidijs capiuntur.

Constituto itaque die eorum 14. cum aliis rusticis, ad vrbem summo mane veniunt, omnia explorant, & certam exploratamque victoriam esse Gubernatori renunciant, qui cum 2000. peditibus, & 500. equitibus, in silua quadam vrbe propinqua diliteschebat, & 400. in dirutum templum iactu lapidis ab vrbe in insidias collocauerat. Cùm iam porta aperiretur, adsunt ad hanc rem detestinati, currus suos infra portam transuersum ponunt, ne cancelli pensiles ipsis nocere possent, statimque vigiles, quorum circiter 30. erant, aggrediuntur, & resistentes occidunt: qui insidijs erant, accurrunt: ciues quamuis se defendendi causa tribus in locis inciperent munire, incautos & inopinatos opprimunt, & 150. circiter cæsis vrbe potiuntur: quam incontinenti tanquam hostes insensissimi spoliant, diripiunt, & ditioribus nihilominus graue lytrum, quo vitam redimerent, imponunt.

Nauarræus frustra obsidet Ambianum.

Nauarræus, cùm de his certior esset factus, confestim, & antequá Hispani direptionis finem fecissent, vrbem obsidione firmissima cinxit, vt cum præda exire non possent, quæ obsidio in multos menses protracta est, de qua paulò pòst plura dicemus.

Mauricius frustrat Venlonā, sed frustra.

Non ita dudum post, nimirum mense Maio, Mauricius similiter Venlonam vrbē Geldriæ ex insidijs occupare tentabat, non tamen eodem successu. Habebat is Nautam aliquem in vrbe sibi fauentem, is certo die duabus nauibus militibus instructis Mosam descendebat; vnà præcedebat, milites huic impositi, manè cum porta recluderetur, adsunt, in vigiles irruunt, & ipsa porta potiuntur, eamque nautæ huius stratagematis auctori, custodiendam tradunt; Altera nauis, in qua maxima pars militum erat, suprà vrbem in arenas illidebat, vt neque sursum, neque deorsum dirigi, nec milites in terrā tam subitò exire, & socijs succurrere possent. Quod cum nauta, portæ custos videret, vni ex suis tutelam eis committit, spe ciuibus, qui iam in armis erant resistendi, sed ob reliquorum absentiam viribus impar, defideratis quibusdam re infecta retrocedere coactus est. Ciues post huius socium comprehensum, in quatuor fecerunt diffecari partes.

Prætes

Præter hæc in Belgio ab vtraque parte nihil præclari geſtum eſt; videbaturq; æſtatem hanc quietè tranſiturum: Angliæ tamen Regina rurſus in Iunio Claſſem inſtruxit, & in Hiſpanias ablegauit, de cuius expeditione & ſucceſſu nondum quid certi conſtat. Nauarræus interim obſidionem Ambianam ſummo ſtudio continuabat. An. 1597. *Belli quies in Belgio.*

Tandem Ordines Confœderati, cùm Hiſpanos è Friſia planè eijcere cogitarent, nec id commodè fiere poſſet, niſi prius oppido Berckenſi expugnato. Hinc enim præſidijs in Friſia facilè ſubſidia mitti poterant: vt ante biennium accidebat, cum Mauricius Comes Naſſouius Grollam obſidiſſet, quo tempore Hiſpani huius loci maximè oportunitate, eum obſidionem ſoluere cogebant.

Animum igitur adiecerunt Berckam obſidendi. Quem in finem Mauricius inſtructa claſſe, cui milites omnesque apparatus bellicus impoſitus erat, circa initium Auguſti per Vahalim, ad Propugnaculum Schenckianum aſcendit: vbi per aliquot dies hærens, maiores exſpectabat copias. Incertum adhuc erat, quo ſe cum exercitu verteret, num in Friſiam, vel Gelriam, vel dioceſim Colonienſem: attamen Comes Hermannus, Gelriæ Gubernator imprimis Berckæ metuebat; cohortes itaque aliquot ex varijs vicinis præſidijs colligens, eò miſit, addita hac promiſſione, ſi obſiderentur, ſe illos intra paucos dies liberaturos. *Mauricius exercitū educit.*

Mauricius re deliberata vlterius Rhenum nauibus aſcendit, & Berckam verſus tendit. Erat in Arce & oppidulo vicino Alpeno centurio Bentingius, cum inſigni vno peditum, qui vt plurimum, quemadmodum & Præfidiarij Berckenſes ex raptu & latrocinio vixerant. Hic audito Mauricij aduentu, arcem cum oppido reliquit, & Berckam aufugit. Pauci qui ibi manſerant, arcem dedunt. *Alpenum oppidum Mauricium*

Ita die octauo Auguſti, Mauritius Berckam vndique obſidione cinxit. Huic præerat Centurio quidam ſtrenuus & exercitatus nomine Snarer. Obſidionem inchoabant 30. vexilla peditum, & aliquot equitum. Præfidiarij numero circiter 60. egreſſi, cum adueniente hoſte velitabantur, ſed ſuo malo præuenti oppidum intrare non potuerunt, plurimiq; occubuerunt. *Bercka à Mauricio obſidetur.*

Die ſequenti, reliquus exercitus, conſtans 127. ſignis peditum, & 20. vexillis equitum inſecutus eſt, ſtatimque caſtra tam citra, quam vltra Rhenum locata, munitionesq; excitari cœptæ ſunt. Angli Inſulam in Rheno paulò ſupra vrbem occuparunt, & 23. tormenta bellica eo attraxerunt ex nauibus.

Eodem die miles quidam Naſſouius, natando ad Berckenſium nauem Prætoriam ſiue Admiraliam peruenit, malum aſcendit, & inde inſigne in Præfidiariorum omnium conſpectu tollit, & Mauricio offert. Qui eius fortitudinem laudans, præmio digno remuneratus eſt. Circa veſperam in caſtra tormenta bellica circiter 84. tam minora, quam maiora adducta ſunt. Acceſſit præterea Comes V Vilhelmus Naſſouius cum Friſiaca Legione, ita vt totus exercitus conſtitueret 12000. tam peditibus, quam equitibus. *Naſſouici militis fortitudo & audacia.*

Contigit vt eodem tempore, cohors militum Hiſpanicorum exauctorata, harum rerum ignara, ex Propugnaculo Enſchedano è Friſia rediret: hæc prope Teutoburgum in Mautitianos ex inopinato incidit: maxima tamen pars in ſiluam ſeſe abſcondit, & ita euaſit; 23. circiter eũ Vicario capti, & in caſtra deducti ſunt. *Cohors Hiſpanorum.*

Præſidiarij hoſti quoque modo nocere cupientes, vel ſaltem prodeſſe nolentes, eadem die naues ſuas bellicas perforarunt, & in aquas ſiue Rhenum demerſerunt, tormenta ſecum in oppidum trahentes. Similis nauis ſtabat Cæſaris verdæ in Anchoris; eò ad D. Coadiutorem, qui tum temporis ibi hærebat, ablegatur Centurio quidam cum aliquot militibus petens, vt illa ſibi traderetur. Dum autem reſponſum diutiùs differtur, milites lõgioris moræ pertæſi, nauem ſoluere & abducere incipiunt; ſed ob ventus contrarietatem, id perficere non poterant. Quo viſo Bauariani milites 3. ex illis globis traijciunt, reliquos capiunt. Eadem nauis poſtea ad Munimentum Camillianum deducta, abſque vllius opera ſeipſam ſoluit, & Rhenum ſecundo flumine deſcendens, ſeſe Hollandicis nauibus ſponte dedidit, & iunxit. *Præſidiarij naues ſuas demergunt.*

Decima Auguſti, qui erat dies Dominicus, Hollandi nauibus circiter 120. ſpectantibus Præſidiarijs, & tormentis ex oppido vehementer fulminantibus, ſalui & illæſi, vnius nauis malo in ſummitate ſaltem corrupto, aduerſo flumine aſcenderunt, & Inſulam ſuprà dictam ab vtraque parte cum continenti ponte iunxerunt. *Mauricius præſidiarios ſuperat ſuprà Rhenum.*

Die Lunæ & Martis, oppidi muros leuiter minoribus tormentis quatere cœpit Mauricius: & cùm Præfidiarij duas machinas bellicas, in quadã rotunda turri haberent, quibus valde obſidentibus in caſtris incommodabant, iuſſit hanc deijci; ita multis ictibus tandem ſuperius inutilis reddita, cum tormentis, & Baliſtario concidit.

Dum obſidentes opere faciundo, & ſe muniendo operam dant, Præſidiarij rurſus eruptionem faciunt, ſed ſine fructu (niſi quod Vicariu[illegible]ndã ex cohorte Comitis V Vilhelmi Naſſouij, qui longius proceſſerat, vulneratum ſecu[illegible]ducerent) in oppidum amiſsis 30. ex ſuis redire cogebantur. *Præſidiarij eruptionem ſuſcipiunt.*

Mau-

An. 1597. Mauritij cum castra vndique essent sufficienter munita, tormentaque disposita, die Sabbatiiussit Telonium tormentis impetere, quod tandé planè euersum est. Et quamuis primò constitutum esset, die sequenti oppidum summis viribus oppugnare, tamen res dilata est in diem Martis sequentem, vbi facta prius ruina Propugnaculum extra oppidum iuxta Telonium, expugnatum, & à Mauritianis 15.ex suis desideratis captum est.

Telonii ante oppidi euersionem.

Mauritiani propugnaculo quodam occupant.

Similem ruinam inter portam Rhenanam & Casselanam cum oppidani fieri viderent, animo consternati, inducias trium dierum petierunt; quas cum Comes Hohenloius concedere nollet, sed spatium paucarum horarum, quo deliberarét, indulgeret, metu periculi præsentis in colloquium descenderunt, postulates vt ipsis cum signis explicatis, armis & impedimentis suis exire liceret.

Præsidiarij Berckenses deditionem offerunt.

His conditionibus quoque denegatis, saltem complicatis vexillis, gladijs solum accincti, cum cæteris impedimentis exirét, eis permissum est. Ita in cõtinenti Mauricij corporis cohors, oppidum ad excubias agendas intrauit; die sequenti præsidiarij Hispanici numero 800. egressi, & Ruremundam per turmam equitum deducti sunt, addita promissione, sese Regi Hispan. eig Mosam spatio trium mensium non militaturos.

Oppidum deditur.

Hoc modo oppidum illud, ad traijciendum Rhenum, fuisque in Frisia subsidia mittendi, Regi Hispan. oportunum, valdeque inseruiens, diebus vndecim, & minimo obsidentium damno occupatum est.

Quis apparatus bellico Mauricius positus fit.

Erat in oppido adhuc magna apparatus bellici copia & prouisio; nã vt videbatur, Cardinalis aliquid vel in Gelria, vel Frisia tentaturus, nisi obsidione Ambiensi detentus & retardatus fuisset, eò necessaria omnia conuehi fecerat. Paucis diebus ante ceptam obsidionem, aliquot panni lintei & lanei, quorum pretium ad aliquot florenorum millia æstimabatur, inuecti erãt, his omnibus hostis potitus est; præterea nauibus bellicis quinque, tribusque alijs nuperrimè, vt ferebatur, ad expugnationem Propugnaculi Schenckiani, præparatis, cum omnibus instrumentis.

Præsidiarij Berckenses Gelriam occupãt, & tumultuarios stipendia flagitant.

Præsidiariorum Hispanicorum aliquot cohortes, Bercka Geldriam tendebant, quo peruenientes, ob subitaneam fortè deditionem, à socijs primò excluſi fuerunt, tandem cum blandis verbis impetrassent, vt intromitterentur, forum occuparunt, tumultu excitato, & Præfectis tribunisque militaribus, cum cæteris, qui sese eis iungere nolebant, vrbe eijcientes, stipendiorum solutionem flagitant.

Mauritius Gelrienſibus ſolutionẽ offert.

Quo audito Mauricius, oportunitatem hanc non negligendam ratus, Commissarios suos in continenti eò ablegauit, eis quatuor mensium stipendium offerens: sed his aures nondum præbere voluerunt. Quis huius tumultus futurus sit exitus, tempus docebit.

Mauritius Berckam iterum munit.

Mauricius interim diebus aliquot Oppido rursus muniendo, & ruinis reficiendis dabat operam, inque Insula Rheni, quo melius Oppidum hoc defendi in posterum posset, Munimentum excitari curauit.

Mauricius ex ciuitate manet.

His peractis Moersiam cum exercitu tendit. Oppidum hoc cum circumiacenti ditione duobus miliaribus Bercka distans, hereditario iure post mortem Comitis Hermanni, ad sororem suam VValpurgam, Comitis Hornani quondam viduæ (quæ postea Adolpho Comiti Nevvenario nupsit) peruenerat. Hic Comes Adolphus oriente ante plures annos inter Clerum Colonienſem, & Electorem Archiepiſcopum Gebhardum Truchſeſium bello huius partes semper fouit. Cùm autem Bauarus ope Hiſpanorum dioceſi vi potiretur, & Truchſeſius in Hollandiam ſe recipere cogeretur, vnà cum ipſo (proprijs viribus Comitatum ſuum defendere non valens) in Hollandiam ceſſit: vbi ab Ordinibus confœderatis in Gubernatorẽ Geldriæ electus, ſtrenuam aliquot annos illis in bello nauauit operam, tãdem dum Arnhemij nouis inſtrumentis & machinis bellicis probandis intereſt, puluere fulphureo ex inopinato incenſo, igne ambuſtus miſerè perijt.

Moerſam obſidet Mauricius.

Mortuo itaque Comite, Vidua loca ab Hiſpanis, Bauarianiſque, quod felonia prætenſa per maritum ſibi obeſſe nó poſſet, nec deberet, ſibi reſtitui petijt; cùm autem nihil obtinere vtrinque poſſet, Ordinum Confœderatorum (de quibus maritus bene meritus erat) auxilium & patrocinium obnixè flagitauit. Qui proximè præteritis annis dioceſim Colonienſem, tam Rhenenſem, quam VVeſtphalicam, ob non reſtituta loca ei adempta, miſerè exactionibus & depredationibus vexarunt.

Moerſam obſidet Mauricius.

Nunc cum exercitus confœderatorũ Ordinum ſub Mauricio in propinquo eſſet, antequam caſtra longius moueret, Comitatum Mœrſianum ab Hiſpanis detentum, veræ Dominæ reſtituere voluit. Mœrſiam igitur partem exercitus præmiſit, & deditionem tam oppidi, quam arcis poſtulauit.

Mediolanũ ſine Munimentum Camilli deſeritur.

Cuius aduentu, qui in Camilli Propugnaculo in ripa Rheni erãt, territi, relictis duobus tormentis, vaſe vini, & aliquot tonnis cereuiſiæ, Mœrſiam aufugeunt.

Ciues Hiſpanici iugi pertæſi, & vt huic exercitui reſtiſterent, viribus impares, oppidulum ſtatim

Digitized by Google

ſtatim Mauricio dediderunt. Præſidiarij, qui omnes in arcem ſe receperant, deditionem initio negabant, vt vi ipſos oppugnare neceſſe ſit. Euentus igitur huius obſidionis adhuc incertus eſt. An. 1597.

Oppidum additur.

De obſidione Ambianenſi diximus pauca ſuperius. Nauarræus, cùm vrbs eſſet limitanea, totius Picardiæ Metropolis, multumque ipſius intereſſet eam recuperare, ſuæque rurſus facere poteſtatis, obſidioni acriter inſtitit. Excitatis itaque initio, vt retulimus, potiſsimum Arteſiam verſus, firmiſsimis munimentis, Præſidiarijs omnem intercluſit aditum. Tandem in Maio Rex ipſe integro exercitu, qui conſtabat 20 000. tum peditibus, tum equitibus in caſtra venit. Præſidiarij cùm eſſent multi, abundarent commeatu, tormentis, puluere nitrato, & omni apparatu bellico ad ſui defenſionem neceſſario, obſidionem parui fecerunt, ſperantes Gallos diuturnioris moræ pertæſos, tandem ſponte ab ea diſceſſuros, vel vt id facerent, Cardinalem vi ipſos coacturum.

Nauarræus proſequitur obſidionē Ambianenſem.

Hic autem pecunia & milite deſtitutus, obſeſſos nullo modo liberare potuit. Milites enim ob non ſoluta ſtipendia habuit difficiles & refractarios.

Cardinalis in liberanda vrbe Ambianēſi impotentia.

Interim illi vtrunq; contra hoſtem ſeſe fortiter defendebant, ac ſæpius magno Gallorum damno in caſtra eruptionem fecerunt.

Memorabilis præſidiariorum eruptio.

Inter alias memorabilis fuit, quam fecerunt 17. Iul. vbi 800. haſtatis, 200. ſcutatis, & quibuſdam bipenniferis clàm abſque ſclopetis egreſſi, in caſtra hoſtium irruerunt antequam arma capere poſſent, & magnam eorum ſtragem ediderunt, ac ita aliquot ex ſuis quoq; deſideratis, in vrbem redierunt.

Nauarræus oppugnat Ambianum.

Nauarræus videns obſeſſos indies fieri pertinaciores, ideoq; vrbe niſi adhibita vi potiri ſe non poſſe, eam immaniter tormentis incipiebat verberare, ruinas facere, & oppugnare. Hiſpani licet fortiter reſiſterent, tamen virtute ſuorum militum Propugnaculum quoddam, cum parte Valli expugnauit.

Expugnat Propugnaculum.

Nauarræus vi expugnat Ambianum.

Præſidiarij nihilominus de nouo intra vrbem ſe contra hoſtium aſſultus & impetus, munierunt: Sed Nauarræum (cùm hiſtoriam hanc claudere mus fama erat) propius adductis, & in Vallum vrbis vſq; attractis tormentis, Obſeſſorum nouas munitiones deiecíſſe, & tandem vigeſimo ſecundo Aug. vndecima oppugnatione, fortitudine potiſsimum Anglorum vrbem vi occupaſſe. Oppetiſſe in hac expugnatione ex Gallis plurimos: Præſidiarijs itaq; Hiſpanis & Gallis nullo modo parcitum eſſe, ſed eos ad pontem vſq; perſecutos, obuios quoſq; gladijs & haſtis paſsim tranſfixiſſe, & hac ratione cõmilitones ſuos Dorlantij antè ab Hiſp. trucidatos vlciſcentes, ferro in hoſtes vehementer graſſatos fuiſſe: vt vt ſit nihil certi hac de re adſirmare volumus nec poſſumus.

Anglicana Claſſis quid effecerit.

Similis & eodem modo incerta fama eſt, Claſſem Anglicanam, in Galitia in portu Coronniæ, Hiſpan. denuo profligaſſe, itemq; Peruanos contra Hiſpanos rebellaſſe. Si quid plenius de his omnibus cognouerimus, Lectori in poſterum lubentes communicabimus: interim rogantes, vt laborem hunc noſtrum beneuolo accipiat, atque legat animo.

SOLI DEO GLORIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXXX IV.88

Digitized by Google